


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

KW. 107 B. 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Illustrissimo & Excellentissimo Domino
PAULO WIRTZIO
L. Baroni in Orneholm
Celsissimorum & Præpotentum DD. Fœderatæ
Belgicæ Ordinum Mareschalco Campi &c.
Viro Pacis Belliq; artibus Incluto
& cunctas laudis partes feliciter adimplenti,
ad seculi decus & bonum publicum nato,
perpetuum observantiæ, cultûs & affectûs
monumentum L. m. q;
officiosè obtulit

Hagæ Comitis d. $\frac{3}{13}$ Sept.
Anno Christiano 1668.

Auctor



KONINKL. BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

STANISLAI de LUBIENIETZ
LUBIENIECII ROLITSII

Theatrum Cometicum,

Duabus partibus conſtans,

Quarum altera frequenti Senatu Philoſophico conſpicua, Cometas anni 1664. & 1665. variis Virorum per Europam Clariſſ. cum quibus Auctor de hoc argumento contulit, obſervationibus, diſſertationibus, animadverſionibus deſcriptos, & quinquaginta novem figuris æneis illuſtratos, exhibet: quibus immiſta ſunt varia Philoſophica & Chriſtiana exempla & monita, ad vitæ melius degendæ uſum cuicunque hominum generi convenientia:

Ad Sereniſſ. & Potentiſſ.

FRIDERICUM TERTIUM,

REGEM DANIÆ, NORVEGIÆ &c. &c. &c.

Altera continet Hiſtoriam ccccxv. Cometarum, à tempore diluvii ad Ann. 1665. cum 25. Figuris & accurato indiculo, non tantùm triſtium, ſed & lætorum eventuum eos ſecutorum; in qua ſimul Synopſis quædam Hiſtoriæ Univerſalis proponitur.

Ad Sereniſſ. & Celſiſſimos

GEORG. WILHELM. & JOAN. FRIDERICUM,

Duces Brunſuicenſes & Lunæburgenſes.

E T

THEATRI COMETICI EXITUS,

Sive de Significatione Cometarum,

Ac juſta RAUTENSTEINIANA *cum imagine ejuſdem.*

Ad Sereniſſimos & Celſiſſimos

PHILIPPUM WILHELMUM & PHILIPPUM,

Comites Palatinos, Duces Bavariæ &c. Neoburg. & Sultzbacenſem &c. &c. &c.

OPUS MATHEMATICUM, PHYSICUM, HISTORICUM, POLITICUM, THEOLOGICUM, ETHICUM, OECONOMICUM, CHRONOLOGICUM.

Amſtelodami, typis DANIELIS BACCAMUDE,

Apud FRANCISCUM CUPERUM, Bibliopolam. ANNO 1668.

Cum Privilegiis Sacræ Cæſ. Majeſtatis, & Celſiſſ. ac Præpot. DD. Holl. Weſt-Friſiæque Ordinum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Sereniſsimo & Potentiſsimo Principi ac Domino Domino

FRIDERICO TERTIO,

Danorum, Norvagor. Gotthor. Wandalor. Regi Incluto, Pio, Felici, Auguſto.

Domino Domino meo Clementiſſimo Salutem Imperium proſperitatem!

IGnobile, ſi quod aliud, & degeneribus conveniens ingrati animi vitium eſt: quod ideò ante omnia Vir honeſtus horret. Huic adverſa grati animi virtus ob maxima beneficia in me collata Te, MAXIME REX, cum opere hôc præterire non patitur. Sed ſi vel grati animi officium religioſo ſilentio & intimâ pietate teſtari integrum: tamen cum aliis rationibus validis, neglecti ſcilicet aliàs officii, depugnandum mihi foret. Regni enim Tui, quod unum ex antiquiſſimis & clariſſimis hodiè florentibus eſt, amplitudo & veteres gloriæ, Tui quoque, qui omnium ferè Regum in Europa natu maximus es, nominis famâ, maximè verò Tuarum virtutum & rerum geſtarum, quæ Te Optimum Principum celebrant, ſplendor & ornamenta, vel invitum, in Tui cultum raperent. Nempe quos ante chiliades annorum Alma Dania venerata eſt Frodones FORTES, Canutos MAGNOS, Magnos MITES, Canutos SANCTOS, Ericos BONOS, alioſque virtutum & rerum geſtarum laudibus Inclytos Principes, Tu ſolus, MAXIME FRIDERICE, refers. Refers enim Patrem glorioſiſſimæ recordationis Chriſtianum Quartum, pietate, juſtitiâ, clementiâ, fortitudine & regnandi artibus nemini ſecundum. Sed de Tuis maximis & verè Regiis laudibus, etiamſi eas benè norim, & gratus agnoſcam, ex veteri illo monito, *Satius eſt tacere, quàm loqui* mihi præſertim, cui cavendum eſt, ne ſtilo rudi ampliſſimæ, florentiſſimæ, laudes. Tuæ exaſperentur, vel quodammodò obducantur tenebris, potius quàm illuſtrentur. Nam, quod fateor ingenuè,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Non ego ſum ſatis ad tantæ præconia laudis.
Nefas autem eſt laudes Magnorum Principum
Culpâ deterere ingenî,

imò verò juvat præclari Viri Auſonii, apud Principem Auguſtum Gratianum loquentis judicio, gratias quoque de acceptis beneficiis debitas agere, *ut apud DEOS fieri amat, ſentiendo copioſius quàm loquendo.* Sed quamvis

- - humilis tantis ſim conditor actis,
Nec Tua præter Te chartis intexere quiſquam
Facta queat, dictis ut non majora ſuperſint:
Eſt nobis voluiſſe ſatis. Nec munera parva
Reſpueris. Etiam Phœbo gratiſſima dona
Cres tulit. - - - - - - - - -

Excitat, ut officium grati & fidelis clientis ritè fungar, ipſa temporis ratio, celebre ſcilicet Romanis ſcriptoribus ſtrenarum ineunte anno commercium. Strenam quippe nec ipſe laudatiſſimus Cæſarum Auguſtus reſpuit: ſucceſſor verò ejus Tiberius quadruplam & de manu reddere conſueverat, teſte Suetonio, verè Auguſto Scriptore. Etſi verò maximas Tuas Virtutes, quæ ſatis dignè laudari nequeunt, pio & religioſo ſilentio venerari conveniat, tamen & conveniens eſt gratias agere aſſiduas, ſicut Tua beneficia, verè Regia, in me ſunt aſſidua. At citrà omnem neceſſitatem, quæ *duas res, quibus in vita humana nihil pulchrius eſt*, judice Seneca, *corrumpit, gratum animum & beneficium.* Par eſt, ô REX, & ſilentii hic, ubi rerum magnitudo dicendi parvitatem infinitis partibus excedit, meminiſſe, & ſimul in præſentia ſolam commemorare clementiam. Hæc enim Maximos quoque, etiam Principes maximè docet, utpote quâ illi maximè ad divinæ naturæ ſimilitudinem, ipſo quoque Romanæ eloquentiæ Principe judice, accedant. Hæc verò virtus eximia à Sole pietatis & juſtitiæ lumen ducens, inter reliquas virtutes Tuas ſplendidiſſimè lucet

- - - velut inter ignes
Luna minores.

Innata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Innata Tibi eſt, Teque cœlo aſſerens, ut alterum Titum, amorem & delicias generis humani per orbem celebrat. Hâc arte, Auguſtum imitatus, non tantùm Tuorum, mutatâ licet felicitèr ex uſu Reip. imperii formâ, ſed & vicinorum cunctorumque exterorum benevolentiam & ſtudium Tibi conciliaſti, omniumque linguas & ſtilos terra marique feciſti Tibi vectigales. Exemplo Tuo, *Rex incomparabilis*, fidem præſtas & ſuffragium ſapientibus tot Regum Tui æqualium dictis, qui *amicorum copiam, præſidia imperii tutiſſima*, præ copiis & gazis ducebant. Has tantas virtutes, & verè Regia ſtudia immenſus cœli favor, ut tot indiciis bello paceque, ita tot regnorum ſucceſſioni aptis liberis datis à natura & inſtitutione optimè factis, prole tanto Rege digna, largiter remuneratus eſt. Non enim temerè *maximam in Principibus divinitatis fidem eſſe bonum ſucceſſorem* (qualem Tibi Deus Opt. Max. Principem Generoſiſſimum & Magnanimum, utinam ſerò demum Tuas vices obiturum! paravit) feliciſſimus diſertiſſimi ſeculi Orator Plinius dixit. Hôc verò prior Tacitus, civilis diſciplinæ magiſter præſtantiſſimus, *non claſſes, non legiones, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum* eſſe, prudenter pronunciavit. His Te, *REX potentiſſime*, REGUM REX, beavit, illas quoque largitus eſt, ut tutô terra marique regendi artes optimas exercere poſſis. Quid ni ergo Tibi inprimis hoc opus religioſe dedicem, in quo non pauca gratiâ Virorum Principum omniumque adeò, qui Chriſti inſtitutioni obedientes bonarum artium & partium ſint amatores, & ſic boni publici ſtudio, dicta ſunt? Specimen quoddam hic eſt univerſæ Philoſophiæ, quantum quidem ad bonam ſufficit mentem. Ad quam paucis opus eſſe literis, Seneca aſſeruit Togatorum ſapientiſſimus: Epictetus verò, felicius quàm ille Homerum nuce, duabus tantum vocibus ἀνέχȣ ϗ ἀπέχȣ *Suſtine & abſtine*) id ipſum comprehendit. Hac ratione compoſitum & multâ varietate jucundâ ſimul & utili ſe commendans opus, ego tantò juſtius, tantoque

luben-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

lubentius fero, do, dico, conſecro Auguſto Nomini Tuo, quantò Te magis talium rerum ſublimi ſcientiâ delectari ſcio. Fateor me ex profeſſo velle hoc opere Viris Principibus, & ſic publicæ rei, quam illi DEI mandato moderantur, ſingulari ratione prodeſſe. Tuum erit, *Rex ſapientiſſime*, qui hæc ut vitâ exprimis & exemplo confirmas commendaſque, ita optimè dijudicare potes, hoc grati in Te, benevoli autem in publicum animi monumentum ſerenâ fronte excipere. Hæc, ut & illa conſcientiæ tranquillæ & lætæ ſerenitas, vos, Reges terræ, maximè decet, qui iſtam moribus & exemplo animis ſubjectorum inferre debetis, ut virtute quam latiſſimè propagatâ & potentiæ virium feliciter adjunctâ, Sereniſſimi in oculis quoque Principis Regum terræ appareatis. Ita & populi imperio veſtro ſubjecti animo ſereno& devoto vos venerabuntur, debitoque obſequio & affectu veſtras mentes ſerenabunt. Hoc ego omnibus Candore & cultu convenienti precor, de quo Tibi, *Rex optime*, gratulor. Addo votum ſupplex pro Tua totiuſque Sereniſſimæ Tuæ Regiæ familiæ ſalute & proſperitate, regnorumque Tuorum tranquillitate & perpetua almæ pacis ubertate, nomini Tuo conveniente.


Dabam Hamburgi Anno à Chriſto nato CIↃ IↃC LXVI. ineunte.

Sacræ & Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati Tuæ Domino Domino meo Clementiſſimo ſubmiſſima devotione, promtiſſimo obſequio, integerrima fide ſerviens

STANISLAUS LUBIENIETZKY.

STA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

STANISLAI LUBIENIECII DE LUBIENIETZ.

Præloquium ad Lectorem.

De ratione totius hujus Operis, & ſtudiorum virtutis & eruditionis.

OPus me magnum moliri, & magnos in eo Aſtronomos, Politicos, Ethicos, verbo Philoſophos, audacter imitari, haud injuriâ dixeris, Lector. Fateor (quod tamen præfiſcini dictum velim, ab omni jactantia alienus) me hîc Encyclopœdiæ quoddam exhibere voluiſſe compendium, ſaltem ſpecimen. Audaciam & æmulationem in re honeſta, genium vel ingenium, tanto magis utrumque ſubigentem & excolentem, nemo rejecerit. Stat pro me vetus Poëta Græcus Phocylides, ſi tamen omnia illius ſunt quæ exſtant, perfectioni Chriſtianæ multum conformia:

Ζῆλος τῶν ἀγαθῶν ἐσθλός, φαύλων δ' ἱποεργός,
Τόλμα κακῶν, ὀλοὴ μέγ' ὀφέλλει δ' ἐσθλὰ πονεῦντας.
(*Æmulatio bonorum bona: malorum verò prava*
Audacia malorum exitioſa: ſed valdè juvat bona tractantes.)

Audaciam indidit genius bono publico devotus. Sed & amicorum conſilium ad eundem finem directum, utpote hæc à me collecta & conjecta in chartam, grata & utilia publicè futura, judicantium, quod aſpernari religio mihi fuit. Imitatio alienæ virtutis quidem excitat, laudis verò meretur propriam. Gloria præclarorum facinorum, à parentibus ad poſteros tranſmiſſa, & in eos jure quodam ſucceſſionis derivata in conſortium ſui libenter admittit. Cum autem meritò eos, qui eam imitatione vendicare ſibi ſtudeant, junioribus mutuò imitandos, & contra invidiam tutandos exhibeat, tùm verò & illos, qui adamatæ ignaviæ, pro laudanda imitandæ Majorum virtutis ambitione, incubuerint, tantò magis deridendos & arguendos ἐκ διαμέτρου [è regione] locat. Vin' ſcire illam ambitionem, de qua prudenter nonnemo, *Non amo diſcipulum, niſi ambitioſum*, quæ me ad magnorum Virorum legenda in hoc opere veſtigia accendit? non alia eſt quàm quæ illi laudum apici, à Venuſino Vate inſcripta legitur:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.

Nec enim ſoli

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ,
Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ:

Verùm omnes cordati literarum & virtutis publicique boni, ſed & bonæ exiſtimationis amantes. Audiendus hîc nobis eſt Plutarchus, ut de literis, ita præcipuè de morali diſciplinâ optimè, ſi quiſquam alius, meritus. Ideò & illo elogio, ſi quid oculus hiſtoriæ videt, dignus, ampliſſimæ hiſtoriæ Græcæ & Latinæ theſaurum & verè Bibliothecam omnium veterum hiſtoriæ ſcriptorum eſſe monumenta ejus: Is igitur talis ac tantus pœnam licet feram, gravem tamen, imò graviſſimam, & à perpetrato facinore mox cruciantem improbos manere docens, *quis non delectaretur*, inquit, *venuſtate honoris, niſi is, cujus atrum cor (ut cum Pindaro loquar) frigidâ flammâ ſit fabricatum*? Nempè magnum virtutis præmium, & induſtriæ ad virtutem enitentis incentivum

- - - & immenſum gloria calcar habet.

 Idem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Idem ille auctor, prope dixero, nunquam è manibus deponendus, animum neque ferocem, neque inaudacem dejectumque eſſe vult, *quorum illud*, inquit, *impudentiæ, hoc ſervili cuidam ſubmiſſioni mentis anſam præbet, artificioſum verò eſt, atque accuratum in omnibus medium tenere* l. de lib. educandis. Itaque ambitio illa, quæ cum ſtudio virtutis, eamque umbræ inſtar ſequentis, gloriæ conjuncta eſt, in laude ponitur. Hæc ambitio, & cum humilitate modeſtiaque Chriſtiana in una ſede moratur, & tamen ingenuum quemque ad ſcandendum ſummum laudis faſtigium invitat incitatque. Nec fraudantur debitâ laudis mercede, niſi qui ſint degeneres, veræ laudis egentes, qui de ea judicium iniquum ſibi arrogent, quorum temeritatem nec virtus, nec prudentia moratur. Tantò verò majori fiduciâ illa laude digna ambitio jus ſuum proſequitur, & in ſtadio honeſti decurrit, quantò majori candore & ſtudio in generis humani bonum fertur. Quod ſi tamen hæc me in illo faſtigio non collocet, lætus in medio conſiſtam, ubi altera γνώμη [ſententia] inſcripta

Eſt quadam prodire tenus, ſi non datur ultrà.

Hæc enim merces mediocri deſtinata eſt rerum cognitioni, quâ ſuperiorem mihi non tribuo (nam μικροῖς μικρὰ ſemper & conveniunt & Deus largitur) licet ſummam mereantur Viri quos hîc produco, tùm & ſummæ proximam me hîc diligentiam adhibuiſſe, non diffitear. Cum autem honor non tàm ſit in honorato, quàm in honorante, laudem, judice æquitate & prudentia, meretur, qui eam merentibus vel jam meritis tribuit, omni prorſus ut invidiâ ita & adulatione procul eſſe juſſâ, inter quas ut ubique, *medium tenuêre beati*, memores illius moniti Theognidei

Ἥσυχος ὥσπερ ἐγὼ μέσσην ὁδὸν ἔρχεο ποσσί.
(*Quietus ſicut ego, mediam viam ingredere pedibus.*)

Quod ſi quis vitio mihi vertat, me & tot Viros ignotos aggreſſum eſſe, & occaſionem diſputandi de moribus quæſiviſſe. Ad illud quidem reſpondebo, me voluiſſe & debuiſſe, *naturâ maximè & appetente*, ut Ariſtoteles, *ſcientiam, & averſante ignorantiam*, ut Plutarchus ait, uterque cum ratione & experientia, diſcere à doctis, quæ ignorabam, vel in quibus hærebam. Nam & Solonem, quem miratrix ſui antiquitas principem illorum 7. Græciæ Sapientum eſſe voluit, Plutarchus auctor ille graviſſimus laudat, quòd *audiendi & diſcendi natura fuerit ſtudioſus:* itaque & ego

Cur neſcire pudens pravè quàm diſcere mallem?

Ad hoc autem idem quod in ſimili Ariſto Chius apud Plutarchum maledicentiæ repoſuit, *Optare me, ut etiam bruta animantia intelligere poſſent verba ad virtutem incitantia.* Ad utrumque tandem ſimul:

Scire aliquid laus eſt: pudor eſt nil diſcere velle.

Meus certè candor fraudi mihi apud æquos rerum judices non erit. Agendi quoque ratio ut tot aliis antiquis & novitiis Rhapſodis, qui plurima ad formandam firmandamque, tùm eruditione tùm morum probitate mentem in unum congerunt cumulum, ita cumprimis Plutarcho ſolemnis, neminem niſi virtutis & ſcientiæ ſimul habebit adverſarium, nec quenquam reddet deteriorem, niſi qui *dextrâ oblata ſiniſtrâ acceperit*, quod olim in excuſationem Theodorus Athenienſis attulit. Etiam ii, qui me penitius norunt, alia me, quàm oportet, agere, dicere non poterunt. Quanquam pauci ſunt, qui non vitæ navim impingant ad illos infames ſcopulos, multorum oſſibus albicantes, quos Seneca indicat: *Magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Fateor autem me ſingulari boni publici ſtudio Viris Principibus & Rempublicam tractantibus, ſed & aliàs civilem vitam agentibus prodeſſe hoc inſtituto opere velle. *Cum Principibus maximè Philoſopho eſſe converſandum*, & hos ſingulari ratione ad virtutem, bono generis humani, eſſe erudiendos, prudenter docet Plutarchus libello ſpeciali: & alibi *prudentiam* θειό-

τατον

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

τατον ϗ βασιλικώτατον *(rem divinissimam & maximè Regiam eſſe)* l. de aud. Poëtis: & rurſum in præclaro illo de lib. educ. libello Socratis auctoritate *Principes voluntate & doctrinâ, non obnoxiis illis fortunæ bonis, felices eſſe probat.* Itaque ſi vel nihil ad rem Aſtronomicam, vel etiam Philoſophicam, in genere liber iſte faceret; faceret tamen ad rem laudemque, vel ob hoc ſolùm quòd præcipuè utilitatem publicam promovere omni conetur niſu. Operæ pretium itaque facio hoc ipſo, quòd mihi horum ſtudiorum conſcius ſim, & in hoc amplo Virtutis theatro tot idoneorum teſtium ſidei innitar. Nam ſi judicio Ciceronis, maximi ſuâ ætate, non tantùm Oratoris, ſed & Ethici & Politici, ſtare velimus, *ſtudiis officiiſque ſcientiæ præponenda ſunt officia juſtitiæ, quæ pertinent ad hominum utilitatem, quâ nihil homini eſſe debet antiquius.* l. 1. de Offic. Atqui ego præter Mathematica, permulta Phyſica, Politica, Hiſtorica, Ethica, ſed & Chronologica ac Oeconomica congeſſi & ſparſim huic operi, prout ſe commoda obtulit occaſio, inſerui, & plurima officia omnium conſcientiæ incumbentia, initiò à Rectoribus Rerumpublicarum facto, recenſui, uſus idoneo libertatis, quæ epiſtolis, velut colloquiis familiaribus convenit, medio. Deus enim monet officii mortales, tot non tantùm Cometis, ſed & aliis ſignis in cælo & terra datis, quid ni ego quoque me divinæ voluntati hîc attemperem, eique famuler? Ideò Speculi Philoſophici & Encyclopœdiæ Compendioſæ, pravâ ambitione remotâ, fidem facio, rejecto omni nigræ loliginis ſucco & ærugine,

- - - - Quod vitium procul adfore chartis
Atque animo prius, ut ſi quid promittere de me
Poſſum aliud, verè promitto, liberius ſi
Dixero quid, ſi fortè jocoſius: hoc mihi juris
Cum venia dabis: inſevit pater optimus hoc me
Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.

Dicet fortè aliquis:

Multa fidem promiſſa levant, ubi plenius æquò
Laudat venales qui vult extrudere merces.
Res urget me nulla: meo ſum pauper in ære.

Mediocri fortuna contentus iiſque quæ Deus paternâ obtulit manu, in ſpe & ſilentio vitam tranſigens, non imitabor *popinarum inſtitores, mercem ſua quadam & inſignita modulatione vendentes*, ut alicubi ſcribit in ep. 56. Seneca. Mea tibi examinanda propono, fruenda propino. Alius fortè audacter oggeret:

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Crede mihi non parturio montes, ridiculum parituros murem: nil molior ineptè, mores hominum multorum video, adeòque & urbes, & omnibus, quæ recta ſunt, commonſtro. Et diligenti examine illas leges ab Horatio l. de arte Poët. præſcriptas excutio:

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut ſpecioſa dehinc miracula promat.
Semper ad eventum feſtinat, & in medias res
Non ſecus ac notas auditorem rapit: & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.

At profectò ſi, judice Seneca (at quanto Viro!) *paucis ad mentem bonam opus eſt literis:* ſi quid illi Neopolemi dicto apud Ennium, *paucis eſſe philoſophandum*, ſaltem ex mente Ciceronis l. 2. de Orat. ſtudia Philoſophica ad mediocritatem revocantis, ſidei tribuendum eſt; ſi denique tota Philoſophia, præeunte Epicteto, breviſſimo quidem, ſed optimo Philoſophiæ Practicæ Ductore, duobus verbis Ανέχȣ ϗ Απέχȣ *(Suſtine & Abſtine)* felicius quàm Ilias Homeri nuci, includi poteſt; equidem non injuria dixiſſe me arbitror, hôc librô Speculum Philoſophiæ, & quoddam Encyclopædiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

pœdiæ compendium ſaltem ſpecimen comprehenſum, & exhibitum eſſe. Porrò integrâ fide cuncta refero & tracto, ad veritatis regulam firmam, non illam Leſbiam, ſed certiorem omni regulâ Polycleti, omni librâ Critolai, omnia mea compono, & fugio ac deteſtor mentiendi vitium, ingenuo homine indignum, quod ibi concedit Flaccus, dummodo Scriptor

- - - - ſic veris falſa remiſcet
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

Non ſum etiam immemor convenientia tribuenda eſſe iis, quos vel repræſentamus in theatro, vel voce, ſeu vivâ, ſeu mutâ compellamus: in quam rem memoratus auctor multa in illa egregia epiſtola ad Piſones, artem Poëticam pertractans, habet obſervatu digna. Contraham præterea, quantum potero, ſcriptionem, nec eam longè citrà neceſſitatem producam, nam &, judice illo, imitanda ſcriptoribus eſt

Fabula quæ poſci vult, & ſpectata reponi.

Dehinc conor caveoque diligenter, ut Cometæ cœleſti & fideli Concionatori, optima monita mortalibus porrigenti, miniſtrem gnaviter, & has partes

- - - - - officiumque virile
Defendam: neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat, & hæreat aptè.

Quâ tamen in re quædam publicæ utilitatis flagrantiſſimo ſtudio condonari velim. Hoc enim magis me rebus publicè profuturis, quàm vel elegantiæ, vel opportunitati, vel ordini verborum intentum eſſe jubet. Ita ſpero, non defuturos æquos mihi Judices, qui pro me ſententiam ferant, & non oblitum me eſſe horum officiorum pronuncient.

Ille bonis faveatque & conſilietur amicis
Et regat iratos, & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet menſæ brevis, ille ſalubrem
Juſtitiam legeſque & apertis otia portis.
Ille tegat commiſſa Deumque precetur & oret,
Ut redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.

Ego certè in hoc laudis certamine cuique primas concedere ſum paratus, ſatis mihi benè proſpectum judicaturus, ſi in ſecundis vel tertiis conſtitero. Nec præterea quiſquam caperata fronte excipiat Carmina, orationi ſolutæ, tùm & Græca immixta Latinis. Etiam talis delectat, & juvat varietas. Illud nemo in me, niſi in Cicerone prius & Seneca, maximè verò in Plutarcho damnet. Hoc pariter exemplum Ciceronis, omni exceptione hîc majoris, tuetur, ſed & Horatii ſententia,

- - - - ſermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota ſi commiſta falerni eſt.

Et quis æquus mihi indignetur, quòd Deo, nobis munia noſtra, illuſtribus ſignis inculcanti, ego quoque voluntati ejus miniſtrans, teſtimonia & ad virtutem monita priſcorum, Chriſtianos talium contemptores olim damnaturorum, adhibeam? Quis potius non lubens videat, quòd, quantum res fert, Plutarchum fideliſſimum Practicæ Philoſophiæ Magiſtrum ſæpius, vel Thucydidem Inclytæ Græciæ, Cicerone judice, Virum & Oratorem, verius Hiſtoricum ſummum, vel aurea Pythagoræ carmina, & Chriſtianæ inſtitutioni accommodas Theognidis, Phocylidis aliorumque Græcorum gnomas allegem, vel etiam de Euripidis ſapientia, Sophoclis facundiâ & Æſchyli grandiloquentia à Plutarcho celebrata delibem?

Apud Græcos eloquentiæ & philoſophiæ, apud Romanos virtutum exempla, indice Cicerone, quæro & quærenda eſſe repeto. Verum tamen ego ita in animum induxi meum,

puta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ut paratus ſim paucis gaudere lectoribus, politioris ſcilicet tàm literaturæ quàm vitæ amantibus, qui dubio procul candorem & induſtriam meam ſibi placere teſtabuntur. *Teſtimonium multitudinis non eſſe graviſſimum*, Cicero: Publius verò Syrus (ſi tamen omnia ejus ſunt, quæ fragmentis ejus accenſentur,) *eſſe turbam argumentum peſſimi*, &, *multis placere, qui petat, culpam petere* dicit. Plutarchus certè dicere non veretur: Τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, τοῖς σοφοῖς ἐστὶν ἀπαρέσκειν (*multis placere, ſapientibus eſt diſplicere.*) Et Romanorum Ducum aliquis: *Nec ego populo placeo, nec populus mihi.* Licet verò paratus eſſem cum Antalcida, ſi fortè opus foret, dicere, *Mihi cano & Muſis*, addo & liberis meis, quibus hoc induſtriæ probæ momentum jure hæreditario boni parentis monumentum relinquo: vel cum illo, *Satis ſunt nobis pauci Lectores, ſatis unus, ſatis nullus*, ſaltem cum illo veteri Poëta, qui ab auditoribus ſuis frequentibus deſertus, ſolo Platone excepto, *Legam*, inquit, *nihilominus. Plato enim unus mihi eſt inſtar omnium:* Tamen ſpes minimas de noſtro conatu, & iniquam de cunctorum doctrina, & virtutis ſtudioſorum benevolentiâ fovere nolo. Hanc potius mihi certò promitto. Tanto plus cum talibus auctoribus rem hanc arduam aggreſſus ſim, Illuſtriſſimo ſcilicet Rautenſteinio Miniſtro Statûs & ad Conventum Imperii Legato Neoburgico, Nobiliſſimo Heinſio Fœderatorum Belgarum ad Sereniſſimum Regem Suecorum Oratore Ordinario, Clariſſimiſque Viris, Hevelio, Bullialdo, Bartholino & aliis, quibus quantùm fidei non tantùm hîc, ſed & in omni laudum genere, tribuendum ſit, ipſæque literæ undique debeant, orbis novit. Neque verò illud quoque vitio mihi verti poterit, ſi ſublimia ſubtilium Philoſophorum, & Celſorum Mathematicorum vota non expleverim. Dari quemquam ſub Sole, ſub quo *nihil eſt ab omni parte beatum*, imo ſub quo, ut ſola inconſtantia conſtans, ita ſola imperfectio perfecta eſt, qui hoc præſtiterit, jurè ambigo. Rurſus audi Plutarchum: *In omnibus perfectionem aſſequi nemo poteſt* lib. de educ. lib. Inveniet tamen & hîc credo, ubi ſe exerceat in omni genere laudis felix induſtria, quoſve veneretur imiteturque. Nam

- - - - quis dubitet nomina tanta ſequi?

illa dico illuſtria & clariſſima Rautenſteiniorum, Henſiorumque (quibus virtus ac eruditio publicos decrevêre honores) tùm Heveliorum, Bullialdorum, Curtiorum, Kircherorum, Riccioliorum, Schottorum, Bartholinorum, Rudbeckiorum, Forneliorum, Leuneſchloſſiorum, Placentinorum, Graviorum, Buſmannorum, Büthnerorum, Oleariorum, Gruterorum, Clariſſimorum ſeculi noſtri Oratorum, Poëtarum Philoſophorum ac tot in ſpecie Mathematicorum, ut Viros Doctos hâc in Urbe agentes Huſwedelios, Kirſtenios, Mulleros alioſque nunc taceam. Atque hæc multarum Obſervationum, narrationum, & judiciorum (quibus me tot Virorum in omni laudis genere Præſtantiſſimorum benevolentia beavit) varietas arridebit ſpero, palato tuo. Nocet hæc in victu quotidiano plurimùm & tamen placet. At in re literaria & prodeſt plurimùm & meritò placere debet. Audi Syrum: *Jucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas.* Et Plutarchum rurſus: *Varietas delectat & hîc* (in oratione ſcil.) *& ubique ut in auditionibus & ſpectaculis.* libro de lib. educ. Nempe *ipſa natura non ad unam formam opus ſuum præſtat, ſed ipſa varietate ſe jactat;* teſte Seneca lib. 7. nat. qu. c. 27.

Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes, hic delectatur jambis:
Ille, Bioneis ſermonibus, & ſale nigro.
Tres mihi convivæ propè diſſentire videntur,
Poſcentes vario multùm diverſa palato.
Quid dem: quid non dem? renuis tu quod jubet alter.
Quod petis, id ſanè inviſum eſt acidumque duobus.

Taceo & nulli ſeculo Momos Zoiloſque deeſſe, ſed & vana vel ambitione vel ſuperſtitione captos, qui neſcio quas cæleſtium rerum obſervationes, revelationibus divinis ſuppares, jactant. Quòd ſi figulus figulum (ut proverbium & experientia docet)

odit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

odit, & cantor cantori invidet, non tamen literarum & virtutis; id eſt, veræ laudis ſtudioſis laborare mutuò invidiâ convenit, quæ, ſi Tullio credimus, *nonniſi in eos cadit, qui ſuæ virtuti non confidunt.* En iterum illius Theognidis monitum:

Χρὴ μȣσῶν θεράποντα ϗ ἄγγελον, εἴτι περισσὸν
  Εἰδείη σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν,
Ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι, ἀλλὰ δὲ ποιεῖν.
  Τί σφιν χρήσηται μοῦνος ἐπιστάμενος;
(Oportet Muſarum famulum & nuncium, ſi quid eximium
  Noverit ſapientiæ, non invidum eſſe:
Sed alia quidem inquirere, alia verò oſtendere, alia verò facere.
  Quorſum eis uteretur ſolùs ſciens?)

Eſt autem quoddam invidiæ genus minimè laudandum, quæ cum publica tàm utilitate quàm oblectatione fore per Te alioſque, quibus meritò fidendum & obediendum ſit, cognoſcas, intrà privatos premere parietes. Plutarchus, quem authorem libenter lego & allego, non eſſe ullâ ratione latendum docens, *Sive virtus tibi adeſt,* inquit, *noli eſſe inutilis: ſive vitium, noli negligere medicinam,* & paulò poſt: *Si quis in natura rerum inveſtigatione Deum celebret, juſtitiam, providentiam, in morum doctrinâ Legem, communionem, Rempublicam, in Republica honeſtatem, non utilitatem, cur vivens ignorari velit?* Hic etenim ipſum ortum faſtidit, & quod extiterit iniquè fert, & in humanum genus, cui ut quiſque proſit, ſtudeat neceſſe eſt, injurius eſt, quod ibidem Plutarchus probat. Gravis & illa injuria oritur ex invidia, ſi quis per ruinam alienæ exiſtimationis ad famam graſſetur: quod vitium ignobile eos plerumque occupat, qui vel inanem auræ popularis gloriam captant, vel propriæ imbecillitatis ſibi conſcii ſunt, ſeque vel in comparationem cum Viris laude dignis, quos Muſa vetat mori, & manet ultima cælo æternæ gloriæ corona, venire, vel eoſdem imitari poſſe deſperant. Hoc flagitii genus quia cane pejus & angue odi, ſpero hanc meam operam ex eo quoque nonnihil gratiæ conſecuturam eſſe. Omnibus enim dignas admetior laudes, & meritis eorum teſtimonium do, memor officii, quod juſtitia hominibus impoſuit, docens *veræ virtuti veram laudem deberi.* Illud quoque benevolentiam debitam meo ſtudio conciliaturum ſpero, me in unoquoque diſſentiendi libertatem æquo animo ferre, eandemque ei in ſolidum relinquere, dummodo illa in vitium non exeat, & virtuti inimica non ſit. Libertate dicendi juſtâ, dum de rebus patriis loquor, me uti nemo, credo, mirabitur, multo minus mihi, nequaquam Fratribus meis eo nomine ſuccenſebit. Eſt enim illa innocua, homine ingenuo digna, & ſimul modeſta, tùm verò privata, ac nil niſi debitam pietatem ergà patriam, recti conſilii indigam, ſpirans. Ad ultimum dicere non dubito cum Lyricorum Principe:

Vive, vale, ſi quid noviſti rectius iſtis
Candidus imperti: ſi non: his utere mecum.

Nam, ut vides, jure libertatis ingenuo cuique & bonarum artium amanti divinitus dato, publicis uſibus dediti ſſimo, uſus Senatum Virorum Philoſophiæ Clariſſimorum omnique laudis genere præſtantiſſimorum, votis meis ſtudia ſua commodantium, voco. Horum benevolentiæ, quorundam & patrocinii certus, Zoilum vel Momum, qui nobis rei literariæ & publicæ utilitati pro modulo virium à Domino conceſſarum conſulere quàm optimè annitentibus detrahit, nec favere piis conatibus vult

Noſtra ſed impugnat, nos noſtraque lividus, odit

anxietati improbæ mentis & morſibus malæ conſcientiæ relinquimus, meliorem mentem, ſi velit, ei precati. Nullus quippè dubito tot Laudatiſſimos Viros, quorum nomina opus meum ornant, ſat idoneos Auctores, & vindices litis, ſi quæ mihi mota fuerit, fore tutiſſimos, ut &, quemque probum & æquum tàm relictam ſibi judicandi libertatem, quàm noſtrum candidum ſtudium boni & æqui conſulturum.

LEOPOL.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

LEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ, Electus Romanorum IMPERATOR ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c.

AGnoſcimus & notum facimus tenore præſentium Univerſis. Quod, cum Nobis Honorabilis ſyncerè Nobis dilectus Staniſlaus Lubienietzki de Lubienietz humillimè expoſuerat, ſe Theatrum Cometicum ſeu Hiſtoriam
Cometarum peculiari à ſe ſtudio atque labore contextam in duobus tomis orbi cùm univerſo, tùm inpri-
mis litterato exhibere conſtituiſſe, ac proinde, cum vereatur, ne typographorum aliqui eandem editionem
ſuam fraudulenter imitando, ſe non ſperato ſolùm fructu, ſed & ſumptu eam in rem faciendo fruſtren-
tur, demiſſiſſimè rogârit, ut indemnitati ſuæ hâc in parte clementiſſimè conſulere, ſeque in dicto labore ac lucu-
bratione ſuâ edendâ unicè privilegiatum eſſe vellemus: Nos, cùm eos, qui ingenuas artes atque diſciplinas excole-
re, abſconditaque naturæ peculiari ſuo ſtudio atque labore in lucem educere ſatagunt, favore atque gratiâ noſtra
Cæſarea dignos judicemus, Ejuſdem Staniſlai Lubienietzki poſtulatis clementer exauditis, ſtatuerimus & ſanciveri-
mus, prout tenore præſentium ex certa noſtra ſcientiâ ſtatuimus ac ſancimus, ne Typographorum, Bibliopolarum ac
aliorum librariam negociatiorum exercentium quiſquam prædictum Staniſlai Lubienietzki Theatrum Cometicum ſeu
Hiſtoriam per viginti annorum ſpatium à prima editionis die computandum intra Sacri Romani Imperii Regnorum-
que ac ditionum noſtrarum hæreditariarum fines, ſimili aut alio quovis typo vel forma, ſive in toto ſive in parte vel
compendio, aut in aliud etiam idioma tranſlatum recudere, vel aliò recudendam dare, aut etiam alibi impreſſum
vendere vel diſtrahere clàm aut palàm, citrà voluntatem & abſque ipſius Lubienietzki in ſcriptis obtentâ licentiâ præ-
ſumat. Si quis verò ſecus faciendo privilegium & interdictum hoc noſtrum ſpernere, negligere aut tranſgredi auſus
fuerit: Eum non modò ejuſmodi libris, perperam quippe recuſis & adductis (quos quidem prædictus Lubienietzkius,
ejuſve hæredes ubicunque deprehenſos, ſive propriâ authoritate, ſive Magiſtratûs loci auxilio ſibi vendicare poterunt)
de facto privandum, ſed & pœnâ inſuper decem marcarum auri puri, Fiſco noſtro Cæſareo fraudis Vindici ac parti
læſæ ex æquis partibus pendendâ, omni ſpe veniæ ſublatâ decernimus mulctandum. Dummodò tamen præfatus Li-
ber Orthodoxæ noſtræ fidei, boniſque moribus ac Imperii conſtitutionibus contrarium nihil adverſumque in ſe con-
tineat, & quaterna ad minimum ejuſdem exemplaria ad Cancellariam Noſtram Imperialem Aulicam tranſmittan-
tur; hujuſce privilegii Noſtri tenor pro publica notitia atque cautela în fronte adfigatur.

Mandamus ergò Univerſis Noſtris & Sacri Imperii, Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum
ſubditis, cujuſcunque Statûs, gradûs, ordinis, conditionis, dignitatis aut præeminentiæ exiſtant, tàm Eccleſiaſticis
quàm ſecularibus, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio vel ſuperiorum ſuorum nomine &
loco juris & juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam privilegium hoc noſtrum Cæſareum impunè tranſ-
gredi, aut violare patiantur, quin potius contumaces, quos compererint, præſcriptâ pœnâ plecti, aliiſque modis ido-
neis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum teſtimonio literarum, manu noſtrâ
ſubſcriptarum, & Sigilli noſtri Cæſarei appreſſione munitarum. Datum in Civitate Noſtra Viennæ die vigeſimâ ſextâ
Maji, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, Regnorum Noſtrorum Romani Octavo, Hungarici
undecimo, Bohemici verò decimo.

LEOPOLDUS.

L. S.

Ad mandatum Sæ. Cæ. Majeſtatis proprium.

Wildericus Baro de Walderdorff
Vice-Cancellarius.

Extractum ex Privilegio,

ORDINUM HOLLANDIÆ WESTFRISIÆQUE.

PRivilegio cautum eſt, nequis hoc *Staniſlai Lubieniecii* Theatrum Cometicum, totum vel ex parte, inſcio vel invito *Franciſco Cuyero* imprimere audeat, impreſſave alibi exemplaria in Hollandiam, locoſve Illuſtriſſimorum Ord. Holl. Weſtfriſiæve inferat, vendat vel vendi curet, ſub mulcta in ipſo diplomate expreſſa.

* *

ACCLA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ACCLAMATIONES AMICORUM GRATULATORIÆ

In opus hoc doctiſſimum & luculentiſſimum de Cometis.

Authore

Generoſiſſimo Viro, Domino

STANISLAO LUBIENIECIO
de LUBIENIETZ Equite Polono

Suó inter paucos amiciſſimo.

ATtonitos paſſim ferali crine Cometæ
Dum reddunt Homines; dum mala quiſque timet:
Pluſque timent, quos plura premunt, mens conſcia pravi
Quos prohibet requie, vix requieta frui:
Altius evectus vulgo LUBIENIECIUS *ingens*
Aſtriferum ſcandit tranſgrediturque Polum:
Nec naturalis tantùm ſcrutatur abyſſi
Tàm varias cauſſas, dogmata rara docens:
Verùm abſtruſa magis retegit, magis abdita pandit,
Et ſua tantum aliis anteferenda probat,
Sýderibus quantum reliquis Sol aureus anteit,
Quantum alias inter Julia ſtella micat.
Hiſtorias etiam Veteres narratque recentes
Quæque alias variis ſunt placitura modis.
Utile ſic dulci miſcet, prodeſſe ſimulque
Delectare ſciens, materia, arte, ſtylo.
Longè aliter, quàm nunc vulgò perſæpe videmus
Aſtrologos fumos vendere, ſæpè logos.
Applaudunt operi Muſæ: quin doctior orbis
Et melior paſſim concinit: euge, benè!
Nos reliquos inter, quos Illi Mens Bona jungit,
Et virtutis honor, vel Probitatis amor:
Accinimus ratione pari licet impare cultu:
Vivat opus præſtans! Euge benè! euge benè!
Vox eadem ſimiliſve aliorum auditur Amicûm,
Quos paſſim doctus ſuſpicit orbis, amat,
Hevelios, inquam, Bullialdos, Heinſiadeſque;
Curtiades, Schottos, Kircherioſque Patres.
Quoſque alios tenui & properato includere metro
Non opis eſt noſtræ, quos graviora premunt.
Sed legis in toto hoc, Lector, tàm ſplendida libro
Nomina, quæ numeris ſunt potiora meis,
Ipſum igitur reſera, ſollerti lumine luſtra
Æquus & aſſiduâ volve, revolve manu,
Invenies dictis majora, & fauſta precatus
Authori, dices non minus: Euge, bene!

Honoris & Amicitiæ Monumentum
L. M. Q. P.

Extemporaneo impetu
Inter recreationes Autumnales in agris ſuis ſuburbanis ludens
JOANNES ERNESTUS à RAUTENSTEIN
Dominus in Ditteldorff Anno 1665.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ad Nobiliſſimum eruditiſſimumque Virum

STANISLAUM LUBIENIECIUM

Equitem Polonum, exactas ſuper Cometis obſervationes molientem,

SCAZON.

RImator alte ſiderum STANISLAE,
Aciemque cælo creber arduam intendens,
Quid eſt, quod orſi me labore tam pulchri
Præſtare dignos poſſe retur applauſus
Nimis æqua Rautenſteinii manus veſtri?
Opinionis plurimum ſuæ ah falſa!
Me, quem aula turbulenta, nec ſibi conſtans
Viciſſitudo ſortis urget humanæ,
Et hinc & inde non domabili adſultu:
Pectus frequentes cui moleſtiæ oblimant;
Ex hoc vadoſo ne quid æquore emergam,
Oculoſque in aſtra liber erigam tecum,
Et otioſus, parque cæliti curæ:
Dum patria hinc res, & Bataviæ fatum,
Cœpti improbandus immemorque pactorum
Hoſtis rapina quam Britannus infeſtat,
Ægrum morantur; inde carnifex febris
Torquet jacentem, lectuloque me adfigit.
At tu Cometam, qui tremendus adſpectu
Latè inſidebat nuper ætherem immenſum,
Pernox videri, Solis inſtar exardens,
Raptanſque curſum per celerrimos motus,
In ſæcla mitte cana vividis chartis,
Seroque poſt nos à nepote verſandis.
Hujus Cometæ, docte ſiderum interpres,
Cauſſas latentes atque originem explora,
Ratione fultam ac dædalæ arte Naturæ;
Quem nos ſtupore proſequamur incaſſum,
Stupore, cœcæ dux ubique qui plebi eſt,
Funduſque, quo proſeminantur errores.
Bituminati ſeu vaporis in tractus
Coagulans ſeſe aura viſcidam ac ſtipans,
Seu vis ſe in alto ſulphurata collegit,
Incendioque fomes obtigit tanto:
Conterminos ſive aſtra adacta ſub gyros
A Sole lumen mutuantur inſuetum,
Longèque jactant perque inane diſpergunt:
Sive abditis quodcumque reſtat in cauſſis;
Quas clariores tu magiſque conſpectas
Meridiana luce publico trades.
Nil curioſus præter ordinem inquiris
Periculoſæ quod ſit aleæ plenum
Eventilaſſe, quodque præſtet haud ſciri
Fumum aucupantes fraudulenta ceu multos
Fiducia inflat, quamque ludit eventus:
Qui de futuris aſtra, ut augurem, nuſquam
Non ſciſcitantur, idque propter inſpectant,
Haruſpices ut exta conſulunt Tuſci,
Sibi perſpici qui prorſus ac revelari

** 2 Mentem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Mentem deorum gloriantur his ſignis;
Ex his liquere, quicquid apparet cælum:
Ferale ſidus quid Cometa portendat;
Martemne terris, Æoline vim crudam
Ponto incubantem; mœnibuſne Vulcanum
Ipſis, an atram mœnium incolis peſtem,
Gravemque ſummæ caritatis annonam,
Rerum potitis anne Regibus funus?
Regnis ruinam quam ſcientiam ſoli
Sibi occupavit conditor Cometarum,
Alios latentem, neminique compertam
Ex hiſce, tellus quos propagat ac nutrit.
Ille architectus proſatorque & inventor
Rectorque & altor omnium unicus rerum
Totum excuti ſe, quantus eſt in arcanis,
Haud fert caduco lumine atque mortali,
Magnæque parvam dat potentiæ nobis
Partem intuendam, nocte plurimam involvit
Ut ſit, quod olim clauſtra corporum evecti
Rapiamus oculo, prodigeque miremur.
Nam cælitis velle intimum penetrale
Irrumpere aulæ, dum moramur in terris,
Voti impudentis, arrogantiæ extremæ eſt;
Phaëthontis Icarique planè ad exemplum.
Aut ut Typhoëus cum cohorte fraternâ
Gigantibuſque caſtra ceteris movit
Superas in arces & palatium cæli
Oſſâ atque Olympo Pelioque congeſtis;
Mox rupe præceps miſſus ex acervatâ.
Hoc plura ſcire crede te, Stanislae,
Reconditi quo plura neſcies cæli.

Nicolaus Heinsius.

Ad Gener. Dn. de LUBIENIETZ.

Eruditiſſimos de Cometis Tomos adornantem.

Sic Tibi docta placent cum doctis ſymbla, Cometam
Tàm Bona *ferre* Bonis *quàm* Mala *ferre* Malis
Mallem Ego Pace Tua, Mallem: (Aſt ignoſcite Docti)
Non Bona *ſæpè* Bonis, *fert* Mala *ſæpè* Malis.
Stent tamen & firment Mea ſymbola docta, feratque
Tàm Bona *ſtella* Bonis *quàm* Mala *ſtella* Malis.
Rara Boni, *haud res cara* Mali; *Concludo: Cometa*
Fert Bona *rara* Bonis, *haut* Mala-*cara* Malis.

Offic. & obſeq. E.

Sebastian. Georg. von Wedel.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

In Cometologiam

Viri Nobiliſſimi & variâ eruditione inſignis

STANISLAI LUBIENIECII
de LUBIENIETZ Poloni.

SParſo Cometes igne luridam facem
Oſtentat Orbi: qui novô ſpectaculô
Infamis aſtri territus, prænunciô
Cælo futuras æſtimat clades ſibi.
Nec vulgus iſtud, cenſor ignavus, tenet:
Sed eruditi non pudenda pars gregis
Ferale ſidus calculô triſti notat.
Opinione diſſident contrariâ
Quibus tremendâ luminum ferociâ
Non flagrat æther: dum ſuo prægnans ſinu
Diſpenſat ortum ſæpius flammis brevem,
Si parcus adſit fomes; aut ſi largior,
Et cauſa ſubſit non ſagax unô modô
(Ut genius iſte mille formarum artifex)
Facie ſtupendâ longius non percutit.
Sed in receſſu nil metûs diri gerit,
Pœnæque flagrum non quatit vindex Deus,
Minaſve ſpargit, aut viciſſitudinum
Interpres aſtrum prodit infeſtâ manu.
Quid hîc tenendum, quid profunda ſuadeat
Indago veri, Ratio quò trahat fidem
Exempla longi temporis quid adſtruant,
STANISLAUS acri diſſerit ſagax ſtilô,
Diſcuſſionis ſobriæ doctus faber.
Mirare lector quiſquis hîc figis tuam
Attentionem, & digna cognoſci ſuiſque
Implexa cauſis è ſinu recondito
Popularis umbræ, quam ſuperſtitio ſerit,
Protracta geſtis luce donari novâ.
Non una ſe commendat hîc ſolertia;
Miſcentur artes totque noctium labor
In eruditis pervigil chartis, quibus
Se priſca jactat pariter atque ætas recens.
Hoc iſtud aſtrum eſt, temperat quod me tibi
Vix non ſilende poſterorum ſeculis,
Humanitati pectus incoctum catæ.
Cælum Cometas exhibet mortalibus,
Queis Ortus atque Occaſus alternat vices:
Ut mox ſoluto corporis nexu brevis
Tenues in auras tota compages eat.
Tuos perenne gloriæ paſcet jubar
Nunquam caducis ignibus ſpectabiles:
Dum literis conſtabit excultis honos,
Dabitque cælum, docta quod tractet manus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

IN EANDEM

QUi populos terret ferali crine Cometes,
Attonitaſque tenet nova per ſpectacula mentes,
Non levia ingeniis acuit certamina doctis:
Qui multò quærunt ſtudio, prænuntia cujus
Flagret ſtella rei. Partes ſententia fecit
Non lentè verſata ſuas: gens utraque cauſæ
Militat, & ſumtis animoſè diſſidet armis.
In triviis ſed quæ dominatur opinio vulgi,
Et velut à longis ſerpit contagio ſeclis,
Ærumnas, certaſque ferit cælo indice clades,
Atque ex famoſo ſibi triſtia publicat aſtrô.
Altera in oppoſitum verſo quæ nititur æſtu,
Mitior interpres accenſi ſideris audet
Judicio ſævire minus. Pugnantibus illis
Arbitrii STANISLAUS adeſt moderamine recti:
Et ſpargit dum longa ſuas per tempora curas;
Ut nihil intactum præſentis negligat ævi,
Auxilioque ſibi præclaras advocet artes,
Cuncta Cometarum relegit veſtigia felix
Scrutator, dubioque agitatas judice cauſas
Ingenuus cenſor trutinâ caſtigat in acri.
Sic infamatis & ſtigmata detrahit aſtris,
Nec patitur probris totos adſpergier ignes;
Aſſertorque DEO ſervat ſua jura potenti,
Ne pietas & relligio temerata labaſcat.
Quanta ſeges laudis campô floreſcit in iſtô!
Quanta laboratas ditat facundia chartas
Eximiæ frugis collectâ fruge per omnem
Hiſtoriam, & Sophiæ commercia vaſta ſeveræ!
Naſcantur pereantque fugaci luce Cometæ,
Nomen inocciduum, famâ adſpirante labores
Excipiet, STANISLAE, Tuos. Inſcriptus Olympo
Fixa triumphatæ referes præconia mortis.

AD
Authorem & Lectorem.

INgemuit natis varie Polonia bellis,
Inque novos fœtus Hydra cruenta tumet:
Bellorum ſtudiis cognata licentia Muſas
Diſpulit, & pietas non benè tuta fuit.
Quæ diſperſa ſuis, dum vixit ſedibus exul
Quidlibet à ſævo debuit hoſte pati.
Tu quoque Vir magnis animi mihi cognite donis,
Dum pulſat doctum ſæva procella caput,
Otia ſeceſſûs reperiſti fida quieti,
Doctrinæ pariter pervigil atque Deo.
Sic qui ſuſpectâ ſplendeſcit luce Cometes
Ingenii laxe eſt area facta tui,

Diſce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Diſceptata diu, dubiis perplexaque cauſis
Hîc diſcuſſa tibi, candide Lector, habes.
Securum Authori hoſpitium, vitamque precare.
Quæ longum famæ det ſupereſſe ſuæ.

ISAACUS GRUTERUS
PETRI FIL.

AD LECTOREM.

ÆThereos nimiùm quid ſuſpicis anxius Ignes?
Crinigeras pavido quid tremis ore Faces?
Si BONUS es; Cælique meres Pietate favorem,
Syrma Cometarum nil tibi triſte feret.
Sin MALUS obſtipâ Numen cervice laceſſis,
Exitio flagrant Sidera cuncta tuo.
Hæc repetes, Lector, paucis ex LEMMATE verbis:
Nobile, quod cernis, plura docebit OPUS.

Ged. ſcr.

JOH. PETR. TITIUS.

EPIGRAMMA.

NOn qualem Æneæ cæli demiſit ab oris,
Juppiter, hîc adſum Cyllenius Africus.
Nec qualis narrat Terrarum triſtia bella
Suecicus hîc adſum, Cyllenius Auſtricus.
Sed Terras inter Cæli campoſque liquentes
Caudifer *hic adſto* Cyllenius *Aſtricus*
Aſtrologo qualem dubium Natura recantat,
Fœmina, vel juxtim Mas Hermaphroditicus.
Adſto Bonis Bonus : *atque* Malis Malus : *omnia mixtim,*
Triſtia cum lætis attempero cælitus.
Credite mortales, Lunæ ſtat ea Urnula Fati,
Occidere & Naſci: Succreſcere: ſubrui.
Riſerit hinc Alter; flerit ſua Fata Secundus,
Semper ego Unius *ſum* Nuncius Exitûs.
Triſtia perverſis: ſimul & ſua miſceo juſtis
Dulcia: Sed conſtans Unus bonus & malus.

Qualis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Qualis quiſque ſibi fuerit, *Si tempora Teſtes*,
Quæſieris, Muſam *volvas* Lubienſkiam.
Quod doctè tractat præſenti thema Libello
Dic; Malus hic unà Cyllenius & Bonus.

M. FRIDERICUS BÜTHNERUS
Profeſſ. Math. Dantiſc.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Σὺν Θεῷ.

VT homo anima rationali, illa divinæ particula auræ, acri ingenio, perſpicaci judicio, feliciſſima memoria, aliiſque præclaris animi dotibus, ideoque imperio, tanquam Dei vicarius, & ad imaginem ejus univerſum moderantis factus, in omnes res creatas orbi lunari ſubjectas præditus, ſui ipſius notitiam aſſequatur, apprimè neceſſarium eſſe, ipſa illa docet ratio. Hanc ducem & antiqua ſapientia ſecuta, licet ſolo lumine naturali, citrà illud revelationis cæleſte, gaudens, notum illud γνῶθι σε αὐτὸν (*Noſce te ipſum*) cælo imputavit. Quod profectò, ſi à facta è cælo revelatione rationem titubantem, labaſcentem, hærentem, deficientem ad perfectionis penetralia perducente formatam notitiam ſui ipſius, *rem*, ſi Ciceroni credimus, *omnium difficillimam* (1. de leg.) accipiat homo, tam eſt verum quam quod veriſſimum. Cæterum quiſque ſana pollens ratione, etſi excellentiſſima illa cæleſti inſtitutione non ſit exercitus, formam corporis ſui adſpiciens, videt hac ipſa quoque præſtare ſe beſtiis, quas manus Conditoris *pronas & ventri obedientes* finxit, at verò

Homini neceſſaria eſt ſui ipſius cognitio.

Γνῶθι σε αὐτὸν (Noſce te ipſum) commendatur.

Formâ quoque corporis præſtat homo beſtiis.

Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Rectè omninò Phocylides:

Πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών.
(Spiritus enim uſui à Deo datus eſt mortalibus & imago Dei)

Et Pythagoras:

- - - Ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν
Οἷς ἱερὰ προφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα.
(- - - quandoquidem divinum eſt mortalibus genus
Quibus ſancta proferens natura oſtendit ſingula)

Homo Dei imaginem & naturam per Spiritum S. animam rationalem habet.

dato ſcilicet è cælo homini recto intellectu & erecto in cælum corpore. Voluit nempe admiranda divina ſapientia & omnipotentia, hominem cæterarum creatarum rerum rectorem, non tantum ſupra peccudes corpore & intellectu, ſed & in recordationem, imò contemplationem originis, & ſpem beatitatis cæleſtis erigere, ut ſciat & prædicet homo quantum debeat Deo. Neque vero indiſſolubili nexu ſapientiæ & omnipotentiæ juncta bonitas divina contenta fuit, hominem ſoli naturæ & rationi rectæ, vel etiam legis Moſaicæ diſciplinæ erudiendum relinquere: (etſi quantum generoſa & in virtutem prona pectora tum quoque cum laude multa profecerint, omnis ævi exempla perenni memoriæ commendata teſtentur) ſed ad ipſa voluntatis perfectæ & cæleſtis palatii in luce inacceſſa conditi penetralia perducendum, Chriſtianæ inſtitutioni, omni exceptione laudeque majori, commiſit. Per tot inſtitutionis gradus homo ad laudem natus (*a*), veram non tantum ſapientiam, ſed & beatitatem invenire doctus eſt, ita nempe ut certo ſciat bene & vivere & mori, & quod humana mens appetit, olim immortalitatem aſſequi. Quidni ergo fortunatum nimium ſe prædicet, ſua ſi bona ſeque ipſum norit? Non tantum cælum intueri, orbium ejus motum inveſtigare, virtutes ſiderum; (ut nunc terras & maria mente in ſublime raptus linquam) ſed & ſupra aſtra ſcandere, & ipſam ſupremam cæli regiam adire & inire datum eſt homini. Hunc enim ex terra, & anima è cælo data, compoſitum creator Benedictus è terra cælum petere voluit, ut habeat, qui admirabiles ejus virtutes cum beatorum ſpirituum choro æternum celebret. Terque quaterque beatum, qui libertatem ad virtutem *in medio poſitam, & neminem, qui ſe illâ dignum judicaverit*, * vel impio judice, *dedignantem* flectens, & è veſtigio cæleſtis auxilii vim aſſecutus, ad ultimum & divinæ gloriæ & ſuæ felicitatis finem aſſequitur!

Homo rector reliquarum rerum creatarum, cur non tantum recto judicio; ſed & erecto corpore ornatus?

Deus per 4. gradus inſtituit & ducit hominem ad cælum. Naturæ inſtinctu inchoat. Ratione ſana format. Lege Moſaica promovet. Inſtitutione Chriſtiana perficit.

(a) Immortalitatis appetens & candidatus eſt homo.

Libertas ingenii humani ad bonum malumve flecti poteſt.

Virtutis via omnibus patet.

* Sen. conſol. ad Polyb. *Gratia divina omnibus præſto eſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

PROEMIUM.

Chriſtiana fortitudo ſeculi hujus victrix.

Is profecto rite ſe ipſum ſuumque auctorem, ſed & veram ſuam beatitatem & ejus conſequendæ viam novit: & hanc quidem inſuper tenet, terit preſſo pede, nihil blanditias iraſque ſeculi moratus,& cuncta inania tranſmittens. Is ſui-ipſius probe, quia excelſæ ſimul & originis & proſperitatis ſuæ memor, quemque fortunæ pullum de felicitate, & vel totum orbem virtuti adverſantem in certamen provocare non dubitat, indubitata ſpe victoriæ fretus. Is ille eſt, quo *nemo pluris æſtimat virtutem*, vel Philoſopho, ſed tamen Ethnicorum Chriſtianiſſimo teſtem, *dum malit boni Viri nomen perdere, quam conſcientiam lædere*, Is contra pravum ſeculi morem, *magis conſcientiam quam famam veretur*, & plus ſe auctori ſuo, quam omnibus reliquis & vel ſibi ipſi, plus æternæ quam perituræ gloriæ debere novit. *Nempe hic vel ipſi *vitæ* certo, & cum auctario quidem ac uſurâ æternorum gaudiorum incomparabili, *rediture parcere ignavum*, quod multum, ignobile, quod plus, perniciofum, quod plurimum eſt, judicat, nec immemor vivit illius moniti, à generoſa virtute profecti,

Seneca commendatur.
Plin. l. 3. ep.
Conſcientiæ ratio potior quam famæ ſit.
Chriſtiano major conſcientiæ quam famæ, Dei quam omnium ſuique ipſius cura eſt.
* *Vita æterna impendio hujus fragilis paranda eſt.*

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

† De illo Heröe, Chriſtiano ſcilicet, non tantum invicto, ſed mundi victore, optimo jure dixerit Phocylides:

† Heros Chriſtianus invictus, imo victor, & vere dives & Rex.

Βέλτερος ἀλκήεντος ἔφυ σεσοφισμένος ἀνήρ.
(Præſtantior eſt robuſto vir ſapientia præditus.)

Vel Horatius:

—— —— —— dives
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Chriſtiano mediocritatis fines ſervandi ſunt in vita civili.
(a) Neceſſitas & gravis fortuna Chriſtianum virtutis viam relinquere non facit.
(b) Vita civilis cum virtute tranſigenda eſt.
(c) Amicitiæ præferenda conſcientia.
(d) Modus in omnibus tenendus eſt.

At enim nos in terris viventes terrena occupent neceſſe eſt. Cedendum eſt, fateor, duræ neceſſitati, *(a)* diræque ſorti, non tamen de tramite recti. Indulgendum & naturæ, ignoſcendum humanæ fragilitati: conſulendum bonæ exiſtimationi. Dandum aliquid & commodæ vitæ rationi, imo & honeſtæ ac innoxiæ delectationi: tum neceſſariis amiciſque, *(b)* quantum tamen fas eſt. Hinc illa vetus regula: *Amicus ad aras uſque (c).* Sed & in omni vita tenenda illa norma, quam toties porrigit & commendat idem ille Phocylides, tum & Theognis & univerſus Sapientum Senatus:

Πάντων μέτρον ἄριστον - - -
(Omnium modus optimus (*d*)

(e) Libertas præſtantiſſima res in abuſum abit.
(f) Abuſus peſſimus rei optimæ eſt.
Divina permiſſio.
Humana libertas.

Inæſtimabile bonum eſt libertas (*e*), omnibus gemmis & gazis potior, verum & hæc in abuſum verti, & in licentiam abire ſolet.

— — in vitium libertas excidit & vim
Dignam lege regi. Horat. de arte Poët.

Cum itaque optimæ rei peſſimus ſit abuſus *(f)*, peſſima corruptio, libertas quoque cum modo habenda eſt. Hanc igitur, unaque permiſſionem divinam ſi ſpectes, verum eſt illud Theognideum

Οὐδεὶς ἀνθρώπων οὔτ' ὄλβιος οὔτε πενιχρὸς,
Οὔτε κακὸς, νόσφιν δαίμονος οὔτ' ἀγαθός.

(Nemo hominum neque dives, neque pauper,
Neque malus ſine numine, neque bonus eſt.)

Regulæ actionum humanarum eſt Ratio & Revelatio.
Gratia divina perficit Naturam & Rationem.

Unde patet libertate parce & moderate utendum eſſe, ex præſcripto ſcilicet Rationis & Revelationis. Nam ad utriuſque Luminis, Naturæ ſcilicet & Gratiæ, à Patre luminum cum omni bono dono & dato perfecto ſuperne venientis, conſpectum omnia noſtra nobis ſunt dirigenda. Naturam & Rationem vacillantem firmat, labentem fulcit, lapſam erigit, hærentem inſtruit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

PROEMIUM.

ſtruit, cæcutientem illuminat, deficientem complet: Verbo, perficit illa undique omnibus numeris abſoluta gratia. Itaque & in terris poſiti cæleſtia cernamus & curemus.

Cæleſtia in terris cogitanda abjectis ſeculi curis & remotis impedimentis.

Memores ſimus optimi illius moniti: Θυμὲ βλέψον ἄνω (*Anime cerne ſuperna:*) at

Non levis aſcenſus, ſi quis petit ardua, ſudor
Plurimus hunc tollit.

Eja ſudemus alacriter in hoc virtutis laudando, ſi quod unquam dari potuit, certamine, & curramus læti in hoc ſtadio à carceribus ad metam, ubi brabium æternæ gloriæ victoribus propoſitum eſſe novimus.

Virtutis certamen laudatiſſimum & utiliſſimum eſt.

Munditiæ mulieribus, labor Viris convenit, Mario Salluſtiano, *Amat victoria curam*, Catullo & Cicerone teſte, *Omnes omnino clari & nobilitati labores contemnendo fiunt etiam tolerabiles.* 2. Tuſc. Quiſque Chriſtianorum dictum ſibi putet, quod patruo meo magno, Aulæ & ſeculi illecebris relictis Chriſtum ſequenti, cui ſum cognominis, in anagrammate parænetico à Viro quodam docto & pio poſitum eſt:

Labores conveniunt Viris, & induſtria alacri, maximi quoque redduntur leviores.

I vinces: en tibi LAUS SALUS.

Victori corona in cælo parata.

Omnes igitur ſpe indubitata tanti præmii ſubnixi ſtrenue illud appetamus. Quamvis autem corporea hâc mole variiſque vitæ neceſſitatibus & impedimentis inevitabilibus prægravati ſimus, mentem tamen, quæ cælo ortum debet, in cælum ſemper efferamus, ejuſque poſſeſſionem intrepide capiamus. (*a*) Nunc quoque ſpectemus Cometam eumque inſignem, imo uno plures. Geminus enim minimum fuit. Nos juniores cumprimis oculorum & mentis aciem huc intendamus, quorum ætas non vidit hujus magnitudinis in cælo ſignum. Sed ita ſpectemus, ut non tantum originem ejus, qua licet, & motum & virtutem, ſi quæ illi ineſt, ſed & officium in toto vitæ curſu nobis, quibus rerum cognoſcere cauſas datum eſt, perpetuo incumbens intueamur. (*b*) Ita non tantum mente cælum è terra perluſtrabimus, ſed & olim hæreditatem in cælo adibimus. Atque in eo apex votorum & beatitatis noſtræ ſitus eſt

Mens è cælo data in cælum attollenda eſt.

(a) Cometæ duo nuper apparuerunt inſignes.

Officia virtutis perpetuò inculcanda & tenenda.

(b) Hæreditas piorum in cælo eſt.

—— nec virtus altius ire poteſt.

Illuc proinde omnis actio & cogitatio noſtra eſt dirigenda. Dum autem cæleſtia ſidera, cumprimis novos iſtos hoſpites, Cometas intelligo, contemplamur, cavendum, (*c*) ne, ſi in terra, ea quæ ante pedes ſunt non animadvertentes, labamur & in foveam calamitatis incidamus, deridendos nos cum Thalete, licet Aſtrologorum Coryphæo, quique facile primus, præſertim quod ad Philoſophiam Theoreticam attinet, inter 7. Græciæ Sapientes fuerat, propinemus, ut nos vel inſanos

Cometæ cum fructu contemplandi ratio in prudentia ſita eſt.

(c) Cæleſtia ſpectando, quæ ante pedes ſunt noxia, vitanda.

— — omnes pueri clamentque puellæ.

Huc facit egregium Plutarchi illius Scriptorum laudatiſſimi dictum: *Plato dixit, viſum in nobis accenſum eſſe, ut ſpectandis admirandiſque cæleſtium corporum motibus anima noſtra condocefacta decorum & ordinem, odium conciperet incompoſitorum & vagorum motuum, temeritatemque & caſui fidentem levitatem fugeret tanquam omnis vitii, & erroris originem.* 1. Comm. de his qui ſero à Numine puniuntur. Sed jam ad Cometam viſendum veniamus. Ex quo ſignum primum Cometæ in cælo viſum eſt, extemplo fama inſignis oſtenti ut orbem, ita & urbem hanc (in qua jam à triennio illud Teucri; *Patria eſt ubicunque eſt bene*, humanitatem * æquam Ampliſſimi Senatus totiuſque Inclytæ hujus Reip. ſingulari di-

Viſûs utilitas magna.

Ordo diſcendus homini eſt.

Temeritas fugienda homini.

Patria quivis locus commodus bono Viro eſt.

* *Hamburgenſium humanitatem commendat Auctor.*

Cometa prior die 3. 13. Dec. 1664. Hamburgi primum conſpectus Meridiem verſus.

Judicia de priori Cometa communia.

Cometæ nuperi cum illo anni 1618. comparatio vulgi.

vina, vere paterna providentia, experior) implevit. Die primum 3. 13. Decembris, Anno proxime elapſo, viſus eſt Cometa hac in urbe ſummo mane, à militibus excubias agentibus: ſequenti verò die à pluribus aliis. Omnes in plaga Orientali, propius tamen Meridiem attingente, & cum cauda quidem benè longa, ac primo decem, mox & plures pedes oculorum judicio adæquante, viderunt Cometam, quibus intueri eum libuit licuitque. Hæc enim & idiotarum quorumvis oculis patebant. Qui oculos mentis vel mediocri Aſtronomicæ diſciplinæ luce illuſtratos, & ſi inſtrumentis idoneis non armatos gerebant, iis Cometam ad ſidus, cui Corvi nomen inditum eſt, in dodecatemorio ſive ſigno Zodiaci quod Libra vocatur, apparuiſſe, & mox verſus Hydram progreſſum feciſſe notabilem, ac proprio quidem motu, præter illum qui cuncta vi primi mobilis ad occaſum rapit, verſus Meridiem proceſſiſſe, judicare obvium fuit. Illis porro qui Cometam anni 1618. viderunt illum cum iſto comparare, & iſtius caudam longe majorem (non ex fide tamen, niſi forte die $\frac{11}{21}$ Decembris obſervata cauda prælonga in comparationem hic venire poſſit) illum tamen ipſum magis lucidum & clarum obſervatum fuiſſe, aſſerere pronum. Sed ecce indies creſcentem & continuo per cælum, terras mariaque diſcurrentem, tum meam qualemcunque, tum Clariſſimorum Aſtronomorum & aliorum omni laudis genere Excellentiſſimorum & Illuſtriſſimorum Virorum induſtriam!

NAR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

NARRATIONES

Ex variis locis

HAMBURGUM

PERSCRIPTÆ

DE

COMETIS,

Anno 1664. & 1665. conſpectis.

Holmiæ Svecorum, die 4. Decemb. 1664.

COmeta horis matutinis antelucanis inter 4. & 5. dicti menſis hic viſus eſt verſus Auſtrum, ſed à nemine obſervatus eſt. Mox deinde factus eſt inconſpicuus, cum cælum nubibus obduceretur, nive etiam intercidente. Inter 5. & 6. dicti menſis non eſt viſus propter nubilum cælum. Inter 6. & 7. Cometa iterum viſus eſt ſicut ante, & rurſus à nemine obſervatus. Inter 7. & 8. ejuſd. non eſt rurſum viſus ob cælum nubilum. Inter 8. & 9. cælum erat ſerenum & clarum, horis antelucanis, eſtque Cometa dictus mane obſervatus circa horam 4. Corpus ejus erat à ſpica Virginis $29\frac{1}{2}$ grad. à cauda vero Leonis 41. grad. Et ita latitudo Cometæ Auſtralis eſt $25\frac{1}{2}$ gr. longitudo autem 182. gr. in Libra, & obſervatus eſt verſus Phænicium, magis tamen verſus Auſtrum. Cometæ cauda ſive radii erant 20. gr. id eſt ſecundum Aſtronomicam computationem 300. milliarium, 15. milliaribus in unum gradum computatis, & exhibuit Cometa in cælo caudam ſuam Borrho-Zephyrum verſus. Ortus ejus erat ſupra Holmienſem Horizontem tertia hora poſt mediam noctem.

Bremæ, die $\frac{7}{17}$ *Decemb.* 1664.

VErè nobis novus Cometa lucet, cauda ſatis lata & longa: colorem non adeo accurate obſervare licuit, ob nebuloſum circa Horizontem cælum. Hydram occupavit ſub & ante roſtrum Corvi Hydræ inſidentis. Ortus eſt ante horam 3. matutinam plaga inter Meridiem & Orientem media. Meridiem tenuit hora 6. matut. Sic ſubſequentibus diebus hora 4. aut 5. aut 6. videri cælo ſereno poterit. Vicinitas Horizontis, vix nimirum ultra 10 gradus aſcendit, efficit plerumque, ut nonniſi è nebulis eluceat. Locis quo Meridionalioribus, eo magis ſuper verticem elevatur.

Holmiæ Svecorum die 7.17. *Dec.* 1664.

A Triduo inſolitus Cometa hic ſe conſpiciendum præbuit, ſcilicet mane inter 3. uſque ad 6. horam, cum

Stockholm den 7.17. Decemb.

ES hat ſich ein 3. tagen her ein ungewöhnlicher Comet alhier ſehen laſſen / alß des morgens zwiſchen 3. biß 6. uh-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

longa cauda antrorſum in Zephyrum projecta, inſtar virgæ. Deus ſit nobis propitius!

ren mit einen langen ſchwantz vorn an ins Weſten zu / alß eine rutte. Gott ſey uns gnädig!

Anno 1664. die 9. Dec. Holmiæ.

HOra matutina Cometam verſus Libonotum $29\frac{1}{2}$ gr. à Spica Virginis, 41. gr. à cauda Leonis reperi. Hujus longitudo eſt 182. grad. in Libra: Latitudo vero $25\frac{1}{2}$ grad. ſcilicet in Tropico Capricorni, ubi etiam Sol pene eſt. Cauda, quoniam Sol Orientalis eſt, in Occidentem directa eſt, 20. gradus longa, hoc eſt milliaria 26772453. 31167 Semi diamet. $15083\frac{1}{2}$ Diamet. terræ.

Fridericus Hermanus Hoyer.

Anno 1664. den 9 Dec. in Stockholm.

ZU 4. uhr vor mittage / habe ich ein Comet ins Sud-Sudweſt $29\frac{1}{2}$ gr. von Spica Virginis, 41 gr. von Cauda Leonis befunden / deſſen Longitudo iſt 182. grad. in Libra: ſeine Latitudo iſt $25\frac{1}{2}$ grad. nehmlich in Tropico Capricorni: woſelbſt die Sonne auch ſchier iſt. Der ſchwantz / weilen die Sonne Oſtlich iſt nach dem Weſten gericht / 20 grad. lang / das iſt an Meilen 26772453. 31167. Semi Diamet. $15083\frac{1}{2}$ Diamet. Terræ.

Friedrick Herman Hoyer.

Obſervatio Roſtochiana facta die 10 Dec. Styl. Vet. 1664.

OBſervatus hic eſt Cometa in plaga cæli Auſtrali prope ſtellam roſtro Corvi & Hydræ communem, quæ ex ſententia Copernici tertiæ magnitudinis eſt. Color Cometæ notatus eſt magis lividus, quam candidus, & fere luridus.

MAn hat den Cometen alhier obſerviret in plaga cæli Auſtrali prope ſtellam roſtro Corvi & Hydræ communem, welche ex ſententia Copernici tertiæ magnit. Deſſen colorem hat man alhier notiret mehr lividum alß candidum und faſt Luridum.

Vratiſlaviæ die $\frac{10}{20}$ Dec. 1664.

Induciæ Cæſaris cum Turca vicenariæ.

PRæterito die Solis ſolemnes & feſtæ gratiarum actiones redditæ Deo ſunt in hac urbe ob indicias 20 annorum cum Ottomanica Porta conclusas. Nocte feſtum huncce diem proximè præcedente viſus hic primum eſt Cometa, duodecim ante diebus in Polonia, prout inde venientes Jeſuitæ referunt, conſpectus. Sidus ipſum in ſe eſt fere lucidum, cauda tamen (ſive ſcopæ) fermè obſcura (debilioris luminis) verſus plagam cæli inter Meridiem & Occidentem mediam directæ, occupando ſuum ſitum circa Hydram ad Craterem, eratque fere major quam ille Cometa, qui Anno 1618. apparuit. Ortus Cometæ hic eſt inter tertiam & quartam: occaſus vero inter quintam & ſextam matutinam obſervatus.

Cometa quando in Polonia conſpectus.

Cometa in Corvo major putatur illo Anni 1618.

Breſlau den 10. 20. Dec. 1664.

AM verwichenen Sontage iſt alhier daß Danckfeſt ob dem mit der Ottomaniſchen Porten geſchloſſenem 20 jährigen Stillſtand celebriret worden. In der nacht aber immediate vor dieſem Danckfeſt hat man alhier zum erſtenmahl einen Cometen geſehen / welchen man ſchon 12 tage zu vor in Pohlen / laut einiger von dannenhero angekommenen Jeſuiten bericht / geſehen ſolle haben. Der Stern an ihm ſelbſt faſt hell / der ſchwantz aber / oder beſen faſt dunckel / und gegen Sudweſt gewandt geweſen ſeyn / führende ſeinen ſitum circa Hydram bey dem Becher / und wäre faſt größer alß der jenige / ſo Anno 1618. zu ſehen geweſen. Deßen ortum habe man alhier zwiſchen 3. und 4. uhr / occaſum aber zwiſchen 5. und 6. uhr morgendts obſerviret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Romæ 20. *Dec.* 1664.

SUnt aliquot dies, ex quó in perpendiculo hujus Civitatis videtur Cometa bene grandis, & forſan major illis quorum hiſtoriæ meminerunt. Etſi opinio communis Meteorologorum ſit, quod ex ſolo effectu vaporum terreſtrium naſcantur Cometæ, non negligunt hic tamen bella ingenia formare ſupra hanc rem varios diſcurſus, ad quos referendos requirerentur volumina, unde relinquitur in libertate uniuſcujuſque adjungere eos pro ſuo arbitrio.

Heri mane ſe contulit ad viſitandas ſeptem Eccleſias S. S. quæ etſi de aliis maximè ſollicita, exivit tamen ex Palatio ante diem, & conjecto oculo in dictum Cometam (retulit hæc is qui oculis ſuis eam obſervavit) turbata eſt ſatis. Sed cum ſciat, *quod Spiritus triſtis exſiccat oſſa*, non jam devotioni illius itineris adjunxit alteram, quo jejunaret iſtis diebus.

Roma 20. Dec. 1664.

SOno alcuni giorni, che à perpendiculo di queſta Città ſi fà vedere una Cometa ben grande, & forſi la maggiore di queſte le hiſtorie menzonano. Benche l'opinione commune de i Meteoliſti ſia, che da ſolo effetto de vapori terreſtri, non mancano quà i belli ingegni di formarui ſopra varii diſcorſi, che à riferirli ſi richiederebbero volumi; onde ſi laſcia in liberta d'ognuno d'aggiungervene à ſuo arbitrio.

Romanorum Meteorologorum & aliorum virorum ingenioſorum judicia de Cometa varia.

Hieri mattina ſi trasferì in viſità delle ſette Chieſe la S. S. la quale benche per altro ſollecitiſſima uſcì di Palazzo auanti giorno, e dato l'occhio nella detta Cometa: (riferiſce che ocularmente la oſſervò) ſi turbò aſſai. Ma perche ſà, che Spiritus triſtis exſiccat oſſa, *non hà già alla devotione di quel viaggio accompagnato l'altra di digiunare in queſti giorni.*

Pontifex Max. Cometam Romæ conſpicit.

Antverpiæ 21. *Dec.* 1664.

ALlatus huc eſt nuncius, quod in quodam pago ante Brabantiam, aliquot diebus mane continuo, circa horam quartam viſa fuerit quædam ſingularis ſtella, ſimilis Cometæ, promovens curſum ab iſta regione, & finiens Hollandiam verſus. Apparet adeo lucida & clara, ac ſi pagus ille in flamma eſſet poſitus. Hoc tum Eccleſiaſticorum tum Politicorum narrationibus confirmatur. Quid hoc portendat, Deo notum eſt.

Antorff 21. Dec. 1664.

Alhier hat man advis / daß in einem Dorff vor Braband etzliche morgen nach ein ander umb 4. uhren / ein beſonderer Stern geſehen / gleich einem Comet / auffgehende von dieſen Landen / und endiget ſich gegen Holland: ſcheinet ſoo hell und klar / alß wann ſelbiges Dorff in fewersflamme ſtünde. Dieſes wird von Geiſt- und Weltlichen Perſonen confirmiret. Die bedeutung iſt Gott bekandt!

Bononiæ die 23. *Dec.* 1664.

DE rebus Polonicis nihil referre neceſſum puto, cum G. Veſtra vicinior me ſit ad omnia illa percipienda, quæ illic aguntur. Mihi quidem maximo animi mœrore prævidere videor (utinam falſus ſim prævisor) magnum incendium ibi exortum iri, quo vicinæ etiam Provinciæ conflagrari terra marique poſſint. Cui adſtipulatur quodam modo & noviter ortus Cometes, qui in ipſo ſui exordio, in ſigno ſe oſtendit Libræ, unde oppoſito radio Poloniam *(a)* feriebat. Et quamvis hæc ſint hominum commenta, caſualibus exhalationibus *(b)* in aërè accenſis, tantum tribuere ſolitorum, non ſunt tamen commentitiæ illæ offenſæ, quibus homines ſolent, etiam ſine præſignatione Cometarum, * Dei vel correctionem vel mulctam ſuper ſe attrahere.

Polonicarum rerum ſtatus periculoſus.

Polonicæ turbæ alias Reſp. involvere poſſunt calamitatibus.

(a) Cometa Poloniæ mala minari putatur.

(b) Cometis effectus nulli tribuendi.

* *Cometis non apparentibus multa mala hominibus à juſtitia divina immittuntur.*

Varſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Varſaviæ die 24. Dec. 1664.

Zoravii Mathematici Varſavienſis judicium de Cometa.

Diſſidia domeſtica Principi clementia ſunt ſopienda.

COmeta apparet hic jam à 15. hujus menſis die. Senex ille Zoravius, celebris Aſtrologus aperuit ſuam ſententiam ſuper hac re, quod iſte Cometa magnas mutationes & confuſiones poſt ſe ſit tracturus, niſi Sacr. Reg. Majeſtas ſimultates, quæ adhuc intervenerunt, gratia & clementia tegere & oblivioni tradere velit. Quapropter illius conſilium fert, ſua Regia Majeſtas velit laudabile exemplum ſui Patris Sigiſmundi ſequi, & per hoc pacare regnum, cum nullo alio meliori modo, quam per clementiam, id fieri queat. Verum parum inclinati ſunt animi ad ſequendum ejus judicium, & fieri poteſt jam ſententiam in Dominum Lubomirſcium latam eſſe.

Clementia Principis bello civili reducit Reip. pacem.

Lubomirſcii negotium quidam clementia Regia componi optant.

Warſchaw den 24. Dec. 1664.

DEr Comet beweiſet ſich alhier noch von 15. diß / und hat der alte Sternkücker Zorawski ſeine gedancken darüber dahin entdecket / daß er groſe veränderungen und confuſionen nach ſich ziehen würde / im fall ihre K. Maj: die bißhero vorgelauffene mißverſtändnüſſe nicht mit gnad und güte bedecken und vergeſſen würden: dahero ſein rath J. K. Maj. wolten dem löblichen exempel dero Herrn Vatern Königs Sigiſmundi folgen / und das Reich damit beruhigen / weil es durch keine beſſere mittel / alß die clementz geſchehen könte: man hat aber ſchlechte luſt ſeiner meinung zu folgen / und dorffte das Vrtheil dem Herrn Lubomirski bereits geſprochen ſeyn.

Viennæ den 24. Dec. 1664.

Cometa in ſui medio mortui hominis caput oſtentat.

Cometa Occidenti malum portendere putatur.

COmeta quo longius (durat) eo major cum longa cauda, in medio ſimilis mortuo capiti, & non, ſicut nuper nunciatum eſt, cum feretro, conſpicitur: qui nobis, cum ab Oriente in Occidentem progrediatur, nihil boni, quod avertat Deus, adferet.

Wien den 24. Dec. 1664.

DEr Comet läſt ſich je länger je gröſſer / mit einem langen ſchweiff in der mitte gleich einen Tooten kopff / und nicht wie jüngſt gemeldet / nebenſt einer Tootenbahr ſehen / welcher uns / weilen er von Orient gegen Occident gehet / davor Gott ſeyn wolle / nichts gutes bringen wird.

Holmiæ die 14. Dec. 1664. Styl. Vet.

PRæterea mitto ſpecialem & genuinam conſtitutionem Cometæ, qui nunc conſpicitur, quemadmodum eum quidam officio militari fungens, & Aſtronomus in Collegio Admiralitatis, beneficio tubi dimenſus eſt.

Anno 1664. die 9. Dec. Styl. Vet. Cometa obſervatus eſt Holmiæ hora quarta ante meridiem, & deprehenſa eſt ejus diſtantia à Spica Virginis $29\frac{1}{2}$ grad. & à cauda Leonis 41. gr. habens $35\frac{1}{2}$ grad. Auſtralem latitudinem & 182 grad. longitudinem, id eſt hærens ad 2dum grad. in Libra, in plaga cæli Leuconotia. Cujus cauda ſe ad 20. gradus extendit: eſtque milliarium 31167. Ortus eſt die ſupra dicto circa tertiam.

Frider. Herm. Hoyer.

Stockholm den $\frac{14}{24}$. Dec. 1664.

HIebey ſchicke die eigentliche beſchaffenheit des izo ſich ſehen laſſenden Cometen / wie ihn ein Officirer und Aſtronomus unter der Admiralität / beneficio Tubi, abgemeſſen.

Anno 1664. den 9. Decemb. S. V. iſt ein Comet obſerviret in Stockholm / klocke 4. vor Mittag / und iſt befunden von Spica Virginis $29\frac{1}{2}$ gr. und von Cauda Leonis 41. gr. habend $25\frac{1}{2}$ gr. Süden Latitudo, und 182 grad. longitudo. Daß iſt 2 gr. in Libra in Sud-Sud-Oſt; deſſen Cauda ſich 20 gr. lang erſtrecket: und iſt an Meilen 31167. und iſt klocke 3. die, ut ſupra, aufgangen.

Frider. Herm. Hoyer.

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Anno 1664. *die* 9. *Decembris.*

MAne circa horam 4. Holmiæ Cometa viſus eſt, qui à Spica Virg. $22\frac{1}{2}$ gr. & à Cauda Leonis 41. in plaga Meridionali conſtitit, cujus latit. 25. gr. longit. vero 182. grad. quæ eſt 2. grad. Libræ. Hujus ortus verſus Phœnicium, ſed hic Holmiæ verſus Notapoliotem fuit. Cauda ejus eſt 200. grad. longa, primæ magnitudinis. Sol eſt in 27. gr. Sagittarii. Iſte Cometa habet 31000. ille anni 1618. 28000. milliaria.

Anno 1664. den 9. Decemb.

ZU morgens umb 4. uhr iſt in Stockholm ein Comet geſehen / welcher von Spica Virginis $29\frac{1}{2}$ gr. und von Cauda Leonis 41. in Suden geſtanden. Deſſen Latit. 25. gr. und Longit. 181. gr. welche iſt 2. grad. Libræ. Deſſen auffgang Sud-Sud-Ooſt / hier in Stockholm aber Sud-Ooſt geweſen. Deſſelben Cauda iſt 20. gr. lang / primæ magnitudinis. Die Sonne iſt in den 27. grad. Sagittarii. Dieſer Comet hat 31000. der Anno 1618. geſehen iſt / 28000. meylen.

Venetiis 26. *Dec.* 1664.

SUnt aliquot noctes elapſæ, ex quo Cometa crinitus videtur poſt mediam noctem verſus Eurum (Notapelioten) & durans uſque ad diem, diſparet poſtea verſus Notum (Auſtrum)

Venezia 26. *Decemb.* 1664.

SOno alcune notti, che una Cometa crinita ſi laſcia vedere doppo la mezza notte verſo Scirocco, edurando ſino al giorno ſi perde poi in Oſtro.

Pariſiis 26. *Dec.* 1665.

PEr 14. circiter dies horis matutinis Cometa cum cauda ſatis magna hic viſus eſt, de quo quidem ante diſceſſum proximi tabellionis audiveram, verum nihil prius perſcribere volui, quam aliquoties mille teſtes nactus eſſem. Quoniam nubila quoque tempeſtas varie impedimento fuit, quominus dictum Cometam viſu aſſequi poſſemus, non poſſum illas differentes relationes de ortu & ſitu ſideris iſtius ſimul conferre & jungere. Sed mihi ipſi exſpectandum eſt, uſquequo Aſtronomi Gallici aliquid de eo prodant, & tum officio meo non deero, quin Tibi particularia communicem. Dico vero hac vice facile conjici, quod quamdiu Chriſtianus orbis veræ caritati in Spiritu non ſtudebit, tamdiu diſputandi & traducendi pruritus nullum finem habebit: ſed potentior pars ſemper victoriam obtinebit, donec Deus tandem, ſicut tempore Hiobi, quæſtionem ipſe decidat, & cuilibet indicet, utrum vere an falſo de eo locutus fuerit. Rectum tamen interim rectum, & verum manebit verum, & huic omnia proba corda accedent, ab ejuſque partibus ſtabunt. Deus det, ne in ingreſſu hujus epiſtolæ memoratus Cometa uni

Paris vom 26. Dec. 1665.

ES hat ſich nun bey die 14. tage her in der morgenſtunden ein Comet-ſtern / mit einem zimlichen groſſen ſchweiff ſehen laſſen / wovon ich zwar beym abgehen voriger Poſt gehöret / aber es nicht eher von mich ſchreiben wollen / biß ich etzliche tauſend zeigen bekommen. Weil daß trübe wetter auch unterſchiedliche mahl verhindert / gemeldten Cometen ins geſicht zu bekommen / kan ich die differente relationes de ortu & ſitu Sideris iſtius nicht wohl zuſammen reimen. Sondern muß ſelbſt warten / biß die Aſtronomi Gallici etwas davon herauß geben / da ich dann nicht ermangeln werde meinen hochgeehrten Herrn die particularia zu communiciren. Ich ſage aber vor dißmahl daß zu vermuthen ſtehet / ſo lang die Chriſtenheit ſich nicht der wahren liebe im geiſt befleiſſiget / werde es mit dem diſputiren und hacquetiren nimmer ein ende haben. Sondern die ſtärckeſte partey allzeit obſiegen / biß Gott dermahls eins / wie zur zeit Hiob, die quæſtion ſelbſt decidiren / und einem jeeweden ſagen werde / ob er recht oder unrecht von ihm geredet habe. Recht wird doch immittelſt recht / und wahr / wahr bleiben / und dem werden alle frommen hertzen zufallen. Gott gebe / daß der im eingang dieſes ſchreibens erwehnte Comet nicht einer oder ander Nation viel übeles bedeuten / ſondern verleyhe in gnaden / daß die

Caritatis ſtudium à diſputationibus & contentionibus abducat oportet omnes Chriſtianos.

Potentior viribus putat ſe cauſa ſuperiorem eſſe.

Deus ipſe controverſias de fide decidet.

Veritas habet ſuos aſſeclas.

Votum Chriſtianum apparente Cometa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

vel alteri nationi multum mali præſagiat, ſed largiatur gratioſe, ut Chriſtiani ſuam iram vera pœnitentia avertere, & omni ſanguinis effuſioni fraterna caritate occurrere poſſint.

Chriſtenheit ſeinen zorn durch wahre buſſe abwenden / und allen blutvergieſſen durch brüderliche liebe zu vorkommen möge.

Viennæ 28. *Dec.* 1664.

PRopter continuas nubes Cometa, cujus ſæpius mentio facta eſt, jam non amplius cernitur: Utrum autem ille hoc frigore & gelu ingruente impoſterum conſpectui reddatur, exſpectandum erit.

Wien vom 28. Dec. 1664.

WEſen continuirlichen duncklen wetters / iſt vom den Cometen / wor von zu mehrmahlen von hierauß gemeldet worden / zur zeit nichts mehr zuſehen: ob aber derſelbe bey eingefallener kälte und froſt künfftig wird wieder zu ſehen ſeyn / ſtehet hiernechſt zu erwarten.

Holmiæ Svecorum die 21. 31. *Dec.* 1664.

COmeta per 10. circiter dies viſus non eſt.

Stockholm 21. 31. Dec. 1664.

DEr Comet hat ſich nun bey etwa 10. tagen hero nicht mehr ſehen laſſen.

Dantiſci die 31. *Decemb.* 1664.

Hevelius commendatur ut Aſtronomus, non ut Aſtrologus.

AMpliſſimus D. Hevelius continuat ſine ceſſatione ſuas obſervationes Cometæ. Eſt ille Magnus Aſtronomus, ſed non Aſtrologus, non amans prædictiones illas, quas Aſtrologi, & qui componunt Calendarios libros, faciunt ordinaria conſuetudine. Ecce verſus, quos Cl. Dominus Titius, Profeſſor Collegii urbis hujus, homo doctiſſimus, fecit paulò ante de Cometa:

Titius Prof. Gedan. commendatur.

De Dantzic 31. Decemb. 1664.

M*Onſieur Hevelius continue inceſſamment ſes obſervations de la Comete. Il eſt Grand Aſtronome, mais non pas un Aſtrologue, n'aimant pas les prædictions, que les Aſtrologues & faiſeurs des Calendriers font ordinairement. Voici les vers que Monſ. Titius Profeſſeur du College de cette ville ici, homme tres docte, à fait depuis peu touchant la Comete:*

In Cometen Anno CIↃ IↃC LXIV. *m. ult. conſpectum.*

Titii verſus de Cometa 1664.

TErga colubriferæ per lurida panditur Hydræ.
Et rubet ardenti triſte Cometa face.
Fallimur an peſtem mortalibus ille minatur.
Damnaque Lernæis non leviora malis?
Augurium facile eſt, & quid denunciet æther
Jam terræ poſſunt Oceanuſque loqui.

Joan. Petr. Titius.

Pariſiis 2. *Januarii* 1665.

LIteræ datæ Genua, Colonia, Soluduro, Geneva & ex aliis locis, loquuntur omnes de apparitione Cometæ, qui facit, ut ab integro menſe occupati ſint ſpeculabundi illi, & teneantur metu quodam populi: De quo videtur hic libellus impreſſus Lugduni Celtarum, qui per ſuas obſervationes

A Paris le 2. Jan. 1665.

L*Es Lettres de Gennes, de Cologne, Solurre, Geneve, & autres lieux parlent toutes de l'apparition de la Comete, qui fait ici depuis un mois l'occupation des ſpeculatifs & l'apprehenſion des peuples: ſur la quelle on voit ici un imprimé à Lion, qui par ſes obſervations aſſeure, que la ſituation de ce phenomene eſtant au deſſus de la Lune, &*

aſſerit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

aſſerit (certos reddit) quod cum ſitus iſtius phœnomeni ſit ſupra Lunam, & ejus materia tracta à Sole, debeat ſe reſolvere in illa ipſa regione, nec penetrare uſque ad nos.

ſa matiere tirée du Soleil, il ſe doit reſoudre dans la meſme region ſans paſſer juſqu' a nous.

Cometa ſupra Lunam ponitur.

Pariſiis 2. Jan. 1665.

QUod ad Cometam attinet, videris jam quæ de hac re Tibi nunciavi eo, ipſo tempore quo Tu in exquirendis his eras curioſus, ut de illis ſcires aliquid ex noſtris oris. Ego non animadverto valde homines de eo ſollicitos eſſe hic loci. Nam multi ſunt, qui non habent quo ſe conferant, qui vellent libenter, ut exactionibus & aliis rebus, quæ ſibi minantur vel afferunt afflictionem, minas intentaret hocce aſtrum. Secundum deſcriptionem, quam Tu mihi facis de itinere quod (Cometa) tenuit, Germania inde poſſet pati aliquid, ſicut & nonnullæ aliæ regiones.

A Paris le 2. Jan. 1665.

POur ce qu'il eſt du Comete, vous aurez veu ce que je vous en ay mande juſteiment, dans ce temps la, ou vous avez eu la curioſité, d'en izavoir quelque choſe de nos quartiers. Je ne trouve pas qu'on s'en mette grandement en ſoucy en ce pais. Car il y en à tant de ceux qui n'ont à quoy s'employer, qui voudroyent bien que les exactions, & autres choſes qui les menazent ou tourmentent, fuſſent menazeés par cet aſtre là. Selon la deſcription, que vous me faites de la route qu'il a tenu, l'Allemagne en pourroit patir auſſy bien que quelques autres pais.

Gallos non percellit metus Cometæ.

Tributa populo inviſa.

Cometa Germaniæ malum portendere putatur.

Venetiis 2. Januarii 1665.

MUltis noctibus hucuſque præbet ſe videndum Cometa, ſupra iſtud cælum (hunc horizontem) qui eſt ſituatus inter duas configurationes, Corvi & Crateris, ſupra triangulum caudæ Hydræ, diſtans à roſtro Corvi gradibus 7. & ab Auſtraliori Crateris gradibus 10. cum latitudine Meridionali graduum 28. m. 4. & quandoque extendendo radios ſuæ caudæ uſque ad dictam Auſtraliorem Crateris, quandoque verò tranſeundo uſque ad duas ultimas Septentrionales, quæ faciunt gradus 15. & interdum amplius in longitudine. Color ejus eſt Saturninus & Mercurialis pallidus ſatis, cum motu ab Oriente verſus Occidentem, ſimili illi motui aliarum ſtellarum.

Venezia 2. Gennaro 1665.

DA molte notti in qua ſi fà vedere una Cometa ſopra queſto cielo, la quale ſtà ſituata trà le due configurationi del Corvo & del Cratere, ſopra il triangolo della coda dell' Idra, diſtante dal roſtro del Corvo gradi 7. & dalla più Auſtrale del Cratere gradi 10. con latitudine Meridionale gradi 28. m. 4. e tal ora ſtendendo li raggi della ſua coda ſino alla detta più Auſtrale del Cratere, & tal' ora paſſando fino alle due ultime Settentrionali, che vengono ad eſſere gradi 15. & alle volte piu di longhezza. Il ſuo colore è Saturnino & Mercuriale pallido aſſai, con il moto da Oriente verſo Occidente, ſimile à quello dell' altre ſtelle.

Norinberga 3. Jan. 1665.

DE Cometa, qui Strigonii, Budæ, Albæ Regali, & circa hæc territoria ſimili modo videtur, jam quædam exinde referuntur. Diciturque quod tempore Bethlemi Gabrielis iſtiuſmodi (Cometa) ſe oſtenderit variè.

Nürnberg 3. Jan. 1665.

VOn dem Comet/ der ſich zu Graan/ Offen/ Stuhl-Weiſſenburg/ und ſelbige revier herumb ebenmäßig ſehen läßt/ iſt dito bericht von dannen. Und daß ſich eben zu des Bethlem Gabors zeiten/ dergleichen gezeiget unterſchiedlich.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Viſmaria $\frac{26.\ Dec.\ 1664.}{5.\ Jan.\ 1665.}$

JAm inde à veſpera diei Jovis vidimus his in locis novum Cometam, quem die Sabbathi veſperi primò caudatum obſervavimus. Deus cæli avertat tam hujus quam prioris mala omina!

De ſupra dicto Cometa nunc quoque ex omnibus locis Pomeraniæ ſcribitur, cerni eum ori ab Euronoto, & occidere ad Africum ſeu Libem, ſæpius radios verſus Orientem jaculari, & præcedere verſus Africum: habere eundem adeo celerem motum, ut vel momento ſitum mutet & progrediatur. Colorem ejus ex Mathematicorum judicio perpallidum & debilem eſſe. Hos quoque exiſtimare, quod ille noviter conſpectus alter Cometa in firmamento jam combuſtus ſit.

Wißmar $\frac{26.\ Dec.\ 1664.}{5.\ Jan.\ 1665.}$

WJe haben nun ſiedert Donnerſtag abend / dieſer orten einen newen Comet-ſtern geſehen / welchen man am Sontag abend zum erſtenmahl geſchwantzet erkennen können. Gott vom Himmel wende doch dieſes / und des vorigen böſe deutungen!

Von oben erwehntem Cometſtern wird nun auch von allen orten auß Pommern geſchrieben / läſſet ſich ſehen aus Ooſt-Sud-Ooſt kommend/und gehe Weſt-Sud-Weſt unter / lieſſe offter ſtrahlen verſus Orientem ſchieſſen / und vorgehe Weſt-Zud-Weſt. Er hatte ſo einen geſchwinden gang / daß er auch faſt zu ſehens ſeinen ſtand verändert und fort gehet. An farben wäre er der Mathematicorum judicio nach/gantz bleich und auch ſchwach. Dieſe hielten auch dafür/daß der newlichſt geſehene andere Comet am firmament ſchon verbrandt wäre.

Lubecæ $\frac{26.\ Dec.\ 1664.}{5.\ Jan.\ 1665.}$

COmeta nudiuſtertius & hac nocte tum mihi, tum aliis quod ſciam, non amplius hic ſe conſpiciendum præbet: unde nonnulli concludunt, quod materia combuſtibilis non amplius in aëris regione præſto ſit. Eſt alioqui Hafniæ quoque à multis obſervatus.

Lübeck den $\frac{26\ Dec.\ 1664.}{5.\ Jan.\ 1665.}$

DEr Comet hat vorgeſtern und in dieſer nacht/ mir und andern wiſſentlich/ nicht mehr alhier ſich ſehen laſſen: worauß einige ſchlieſſen / daß materia combuſtibilis nicht mehr in aëris regione verhanden ſey. Iſt ſonſten zu Coppenhaguen auch von vielen obſerviret worden.

Viennæ 7. Jan. 1665.

COmeta, de quo nuper dictum eſt, præbet ſe nunc hîc ſub initium noctis cum cauda haſtæ longitudinem æquante, inter Hungariam & Moraviam protenſa, & quidem variabili, conſpiciendum. Deus ejus ſignificationem Chriſtiano orbi in bonum convertere velit! Qui hodie huc advenêre Claudiopoli, narrant, quod ſimiliter in Tranſſylvania Cometa ſuam caudam verſus Germaniam dirigere conſpiciatur. Ut & quod ad montes Hagatenſes die 12. præteriti menſis Dec. magnus gladius & ignitus globus cum Solis ortu viſus fuerit. Ex Croatiæ variis locis varia & mira perſcribuntur, quod die 18. Dec. inter Caniſiam & Novam Seriniam ipſo die inter 2. & 3. pomeridianam duo magni ignes, inſtar duorum manipu-

Portenta Anno 1665. viſa in ditionibus Cæſaris.

Wien vom 7. Jan. 1665.

DEr newlich bemeldte Comet läßt ſich anitzo gleich zu anbruch der nacht/mit einem Picken lang zwiſchen Ungarn und Mähren wendenden ſchweiff / und zwar variabel ſehen. Gott deſſen bedeutung der Chriſtenheit zum beſten wenden wolle! Die heut anhero kommene Clauſenbürger vermelden/ daß ingleichen/ in Siebenbürgen ein Comet ſeinen ſchweiff gegen Teutſchlandt wenden geſehen. Und iſt an den Hagatiſchen Gebürgen den 12. abgewiechenen monadts Dec. ein groſſes ſchwerd und fewrige kugel mit der Sonnen auffgang geſehen worden. Aus Croaten wird von unterſchiedlichen orten wunder ſeltzames werck geſchrieben / das ſich den 18. Decemb. zwiſchen Caniſa und New Serin bey hellem tage zwiſchen 2. und 3. uhr/ 2. groſſe fewer / gleich zweyer ſchübſtroh am himmel præſentiret, und plötzlich auff die erden gefallen / und mit auffwerffung groſſer

lorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

lorum ſtraminis in cælo ſeſe oſtentarint, & ſubito in terram delapſi ſint, & cum ejectione magnarum flammarum uſque in noctem horrendum ediderint murmur; Dehinc per integram horam terribiles fragores auditi ſunt, & illico per quadrantem horæ circiter vehemens tonitru terruit tam Turcas, quam Chriſtianos, ut interitum mundi præſto eſſe exiſtimaverint. Die 19. poſthæc fragor ille ulterius verſus Hungariam & Thraciam auditus eſt. Die 20. ſequente mane duabus horis ante ortum Solis ignitus globus cum Triangulo, cujus ſingulis apicibus inhæſerunt manipuli ferularum magnarum, ab Eccleſiaſticis & ſecularibus hominibus viſus eſt. Simili modo Erphordiæ, ſicut huc perſcriptum eſt, ingens ignis de cælo in aquam delapſus eſt, qui ſe deinde ex aqua ſuper urbem in aërem extulit & diſparuit. Tum deinceps machinarum bellicarum magna exploſio, & plures aliæ res viſæ & auditæ ſunt.

flammen / biß in die nacht mit grauſamen geſchnacke gebrumelt; darauff iſt eine gantze ſtund ein erſchräckliches knallen gehört worden / und gleich alſobalden hat ſich bey einer viertheil ſtunde ein ſtarckes donner ereignet / daß ſo wohl die Türcken alß Chriſten den untergang der Welt verhanden zu ſeyn vermeinten. Den 19. darauff hat ſich das knallen ferners gegen Ungarn und Turken hören laſſen. Den 20. folgenden morgen iſt 2. ſtund vor auffgang der Sonnen eine fewrige kugel mit einem Triangel auff jeden ſpitz eine hand groſſe vruthen voll / von Geiſt- und Weltlichen geſehen worden. Deßgleichen in Erfuhrt / wie anhero berichtet worden / ein groſſes fewer vom Himmel in das waſſer gefallen; welches ſich aus dem waſſer über die Stadt in die lufft erhoben und geſchwunden. Darauff iſt ein groſſes ſchieſſen / und mehr andere ſachen geſehen und gehöret worden.

Portenta ad Erphordiam.

Holmiæ die 28. Dec. S. V. 1664.

POſtquam Cometa, ſicut nuper perſcriptum eſt, ſe his in oris aliquanto tempore amplius videri paſſus non eſt, idem proxime præterito die Natalitiorum Chriſti, id eſt die 25. hujus, atque ſic etiam per omnes Natalitiorum ferias veſperi poſt occaſum Solis, inter alias ſtellas, non longe à ſeptem ſtellis (ante genua Tauri) quæ alias Plejades vocantur, comparuit: & ſuum curſum fere per medium cæli verſus Zephyrum direxit: ubi etiam poſt mediam noctem circa horam 1. vel 2. occidit. Quod forte diutius durabit. A multis non exiſtimatur idem eſſe qui prior, ſed plane novus Cometa, ſive ſtella mira: cum vix credibile videatur, ut Cometa tam brevi tempore integrum Zodiacum percurrere, & ita, cum ante 14. dies Solem anteverterit, jam eundem ſequi potuerit. Forma & magnitudine eſt priori ſimilis & æqualis, niſi quod ille caudam ſive radios ſuos antrorſum verſus Zephyrum vibraverit, hic vero illam poſt ſe trahat, ſive verſus Apeliotem protendat; quod quidem vulgò Soli adſcribitur, quem ſcilicet ille à ter-

Stockholm den 28. Dec. Styl. Vet. 1665.

NAch dem der Comet / wie jüngſt gemeldet iſt / ſich hieſiges orts eine gute zeit nicht mehr ſehen laſſen; ſo iſt er am nechſt verſchiedenen Heyligen Chriſt-abend / war der 25. hujus, und alſo auch nun dieſe gantze Weynacht-feyertage über / des abendts nach untergang der Sonnen / ſo bald ſich andere ſtern / nicht weit von den Siebengeſtiern / ſonſt Plejades genandt / erſchienen / und hatt ſeinen lauff faſt mitten durch den himmel nach Weſtenzu genommen: woſelbſt er nach Mitter nacht etwa umb 1. uhr oder 2. untergangen. Welches dann vermüthlich noch länger alſo wehren wird. Und wird von vielen dafür gehalten / daß es nicht der vorige / ſondern ein gantz newer Comet / oder wunderſtern ſey: wie in dem es faſt nicht wohl gläublich ſcheinet / daß ein Comet / in ſo kurtzer zeit den gantzen Zodiacum durchſtreichen / und alſo da er vor 14. tagen vor der Sonnen hergangen / izo derſelben nachgehen ſol. An geſtalt und gröſſe iſt er dem vorigen gleich / auſſer / daß jener den ſchwantz oder ſtrahlen vor ſich her nach Weſten zu geworffen / dieſer aber nach ſich zeücht / oder nach Ooſten zu ſtrecket: welches zwar ins gemein der Sonnen beygemeſſen wird / alß welche jener hinter ſich gehabt: dieſer aber vorwerts hat / oder derſelben folget. Es gibt izo

Plejades.

Cometa in Lepore à priori diverſus putatur.

 go ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

go habuit: hic vero à fronte habet, ſive eundem ſequitur. Dantur jam hic ſuper eo non paucæ ſpeculatorum conſiderationes. Dominus Deus omnia benigne vertat!

hierüber alhier billich nicht wenig ſpeculationes. Gott der Herz wende alles in gnaden!

Pariſiis die 9. Jan. 1665.

Portenta Anno 1665. in Galliis viſa.

VIſæ ſunt volitare & inter ſe pugnare ſupra montes Galliæ Narbonenſis phantaſmata ſine capitibus, & tota ignea. Duo dracones ignei etiam apparuerunt ſupra Ligerim prope Salmurium. Marſiliæ pariter viſa eſt navis tota ignea, ſupra quam machinâ bellicâ exploſa illa ſe ſeparavit (diviſit) in duas partes, & fuit portata in diverſas oras. Quidam autem ſcribunt ex Normandia, ſe obſervaſſe novum Cometam, differentem à præcedenti per ſuum ſitum.

Cometa in lepore à priori diverſus putatur.

A Paris le 9. Janv. 1665.

ON a veu voltiger & s'entrebatre ſur les montagnes de Languedoc des fantoſmes ſans teſtes & tout de feu. Deux dragons en feu ont auſſy paru ſur la Loire pres de Saumur. A Marſeille on a pareillement veu un vaiſſeau tout en feu, ſur lequelle Canon ayant eſté tiré, il ſe ſepara en deux, & fut porté de divers coſtez, & quelques uns eſcrivent de Normandie, avoir remarque un nouveau Comete, different du precedent par ſa ſituation.

Varſaviæ 9. Januarÿ 1665.

Varſaviæ Conventus Regni in Jan. 1665. irrito eventu ſolvitur.

SEptimus hujus menſis dies erat terminus exſpirationis Conventus Regni, & poſt multas controverſias tandem Nunciorum Terreſtrium ſententiæ eò iverunt, ut cum nonnulli è medio eorum proteſtando inde abiiſſent, Regni Conventus ſuum progreſſum habere nequeat: Cui proinde Nunciorum Terreſtrium Marſchallus variis conſiliis occurrere & obſiſtere conabatur. Poſtquam vero ejus conatus irritus eſſet, & Nuncii Terrarum in eorum ſententia conſtanter manerent, permiſit tandem Regia Majeſtas, licet invita, ut vale ſibi dicerent, quod etiam factum eſt: & ita ille Regni Conventus per illam longe prædictam rupturam tandem irrito eventu ſolutus eſt. Ubi præcipuè hoc notandum erat, quod hac ipſa die veſperi, cum hæc ita agerentur, ſe de novo Cometa, qui per feneſtram ex Senatorum Camera aliquot horis continuis videbatur, conſpiciendum dederit, & quemadmodum prior, qui die 14. Decembr. primum ſupra hunc horizontem ſe videndum præbuerat, ſuos radios verſus Meridiem jaculabatur, ita hujus cauda erat verſus Septentrionem directa. Ab omnipotentia Altiſſimi exſpectandum eſt, quid hæc cæli ſigna poſt ſe tractura ſint.

Cometa Varſaviæ conſpiciebatur ex Camera in qua conventus Regni ſolvebatur nullo eventu.

Warſchaw den 9. Januar. 1665.

DEn 7. dieſes war der terminus exſpirationis Comitiorum, und gieng nach vielen controverſien endlich der Landbothen ſchluß dahin / daß weilen etliche auß ihren mittel proteſtando davon gangen wären / der Reichstag ſeinen fortgang nit haben könte: deme dan der Landbothen Marſchall durch allerhand anſchläge vorzukommen und zu begegnen trachtete. Nach dem aber ſeine mühe vergebens / und die Nuncii Terrarum auff ihrer meinung beſtändig blieben / bewilligten endlich Ihro Maj. wiewohl ungern / daß sie von deroſelben abſcheid nehmen möchten / welches auch geſchahe / und alſo der Reichstag durch den lang beſagten riß endlich unverrichteter ſachen getrennet würde. Und war beſonders zu mercken / daß eben an den heütigen tag abend / da dieſes alſo voraienge / ſich aufs newe ein Comet / der durch das fenſter auß der Senatoren ſtuben / etzliche ſtunde nach ein ander zuſehen war / bewieſe / und wie der vorige / ſo am 14. Decemb. ſich zum erſtenmahl über dieſen Horizont ſehen laſſen / ſeine ſtrahlen gegen mittag ſchoſſen / alſo war deß izigen ſein ſchwantz gegen mitternacht gerichtet. Und ſtehet von der Almacht des höchſten zu erwarten / was dieſe Himmelszeichen nach ziehen ſich werden.

Bremæ

Bremæ 3. Februarii 1665.

COmetas non ſine cauſa è cæli theatro hominibus juſſu, Supremi rerum Præſidis, conſpiciendos exhiberi, vix quiſquam eſt qui dubitet. Colores nubium matutinos, veſpertinos ſuos habere ſignificatus, proprio approbat ſuffragio Chriſtus, os veritatis. Quidni ergo extraordinariæ tremendæque faces terricolis novi quid præſignificarent, portenderent? Quin ſi omnem hiſtoriam evolvamus, incendia Cometarum nunquam abſque ingenti terrore illuxiſſe perſpectum atque exploratum erit. Quanquam vero ſunt, quibus arrideat illud Ariſtotelis: *Novus quivis Cometes mortalibus ipſis aut proſperrimum fortunæ ſucceſſum, aut ſummum aliquod detrimentum portendit.* Plerique tamen Sapientum, experientia fulti, non niſi in prodigiis ingentium malorum, & jam inſtantium calamitatum, has crinitas barbataſve ſtellas habuerunt. Claudianus, eloquentiæ Romanæ fulgor ait, *Et nunquam in cælo ſpectatum impunè Cometam.* Ipſe Tullius author, ſi quiſquam, gravis; *Ab ultima*, inquit, *antiquitatis memoriâ notatum eſt, Cometas ſemper calamitatum prænuncios eſſe.* Et earum quidem non vulgarium aut levium, ſed maximarum, ſed horribiliſſimarum, quarum irâ in Iſraëlem æſtuans Deus optionem dat Davidi, famis videlicet, belli & peſtis, juxta illud vulgare: *Funera, bella famemque ferunt ventoſque Cometæ.* Quæ cum ita ſint, pertinaciæ, imo barbariei cuidam adſcribendum æſtimamus, Cometam, qui nobis atque univerſæ inhabitatoribus terræ, hiſce ſex integris ab initio Decembris anni nuper elapſi ſeptimanis fulſit, velut inſtantium malorum monitorem temerè aſpernari ac præfractè contemnere velle. Etſi vero mortalium nemo certò definire queat, quid præciſè mali ille prædixerit, nec vanis Aſtrologorum judiciis facilè ſit adſtipulandum: Si quid tamen conjectare licet, non videntur multum à ſcopo aberrare, qui è ſignis ſive picturis cæleſtibus, quas percurrit, bellum navale idque vehemens atque diuturnum prædicere audent. Ante quadriennium nova ſtella in gutture aquilæ cæleſtis viſa, triſti eventu docuit Romanæ guttur aquilæ Turcicis, Tartariciſque armis impetendum fuiſſe. Hæcce verò noſtra hydram primam aquaticam occupavit, inde per Orionem, virum pugnacem, perque Eridanum Fluvium, ad ipſas balænæ fauces, denique ad cornupetas Taurum atque Arietem permeavit. Quanquam in iſthoc præſagio non multum artificii locamus, ubi mutuis armis ſeſe jam invaſere Angli & Belgæ, gens utraque animoſa, ſuiſque adeò intonuere tormentis, ut Atlanticus paveat Oceanus, *Collaque turbatis Neptunus ſubtrahat undis.* Neque tamen nos extra teli jactum conſtitutos putabimus: quam enim facile eſt rerum Domino, panis (quo ſuſtentamur) baculo, ut ipſe apud Ezechielem loquitur, fracto, aut peſte nondum ſopita, ſed ſub brumali nive quaſi deliteſcente, nos caſtigare? Cætera relinquenda Deo ſunt, nobiſque id unice agendum, ut iratum Numen precibus placemus, miſſis hominum delicatorum curioſulis indagationibus, quos hic metus tenet anxios, ne ſi novum hoc Aſtrum luem quandam interminetur, ipſis brevi moriendum ſit, quaſi vero à morte tutiores ſint ſi pauci, quam ſi multi moriantur.

Pariſiis die 20. Febr. 1665.

LIteræ Madritio referunt, quod Cometa, qui ibi apparuit, præſagiat morbos in Regno Hiſpaniæ: ſupra quem Author quidam Hiſpanus obſervavit, quod apparitionem ſimilis Cometæ Anno 1580. fuerit ſecuta mors Reginæ Hiſpaniæ, & alter, qui ſe dederit conſpiciendum Anno 1618. præſagierit mortem Papæ, Imperatoris & Regis Hiſpaniæ.

De Paris le 20. Fevr. 1665.

Cometa Hiſpaniæ mala portendere putatur.

LEs *advis de Madrit diſent, que la Comete, qui y aparu, preſage des maladies dans le Royaume d'Eſpagne: ſur la quelle un Autheur Eſpagnol a fait remarquer, que l'apparition d'une ſemblable en* 1580. *fut ſuivie de la mort d'une Royne d'Eſpagne, & une autre, qui ſe fit voir en* 1618. *preſagea la mort du Pape, de l'Empereur, & du Roy d'Eſpagne.*

Cometam 1618. ſecutæ mortes Principum.

Cuſtrino

Cuſtrino die 14. *Martii* 1665.

QUod attinet ad ſententiam noſtri Mathematici Domini Doctoris Mulleri, ille de hoc argumento nil imprimi facit, dicens quod malit eſſe ultimus quam primus in ſuo judicio. Præterea habentur hîc diverſi tractatus de Cometa nuperrimè viſo, ſed non concordant ſimul. Non dubito quin omnes habeantur Hamburgi.

De Cuſtrin le 14. Mars 1665.

QUant à ce, qui touche ici le ſentiment de noſtre Mathematicien Monſieur le Docteur Muller, n'en fait rien imprimer, diſant qu'il aime mieux eſtre le dernier, que le premier de ſon jugement. Outre cela l'on a de divers traictéz ici de la Comete dernierement veüe, mais ils ne s'accordent pas enſemble. Je ne doute point qu'on les aura tous enſemble à Hambourg.

Mediolani 1. *Apr.* 1665.

Monſtrum in Hiſpania horrendum.

HAbemus ex Hiſpania, quod in Caſtilia veteri fuerit occiſum monſtrum, quod cum terrore habitantium illîc voraverit homines integros. Tenuit à parte anteriori ſimilitudinem Crocodili, & à poſteriori, jumenti: habuit quatuor brachia & quatuor manus, & à latere dextro formam Cometæ, in qua viſæ ſunt quatuor literæ, ſcilicet. A. G. B. I.

Milano 1. Aprile 1665.

ABbiamo di Spagna, che nella Caſtiglia vecchia era ſtato ucciſo un Monſtro, che con terrore di quegl' abitanti mangiava gli huomini intieri. Teneva della parte davanti ſembianza de Cocodrillo & di dietro di giumento: aueua quatro braccia è quatro mani, e nel fianco deſtro la forma d'una Cometa, dentro la quale ſi vedevano quattro lettere cive A. G. B. J.

Regiomonti die 10. *April.* 1665.

Concius Auctori reſponſum per Amicum promiſit.

Concius diſſentit ab Hevelio.

Soles tres Regiomonti viſi.

Prodigia Berolini viſa.

Votum Chriſtianum apparentibus Cometis & aliis ſignis cæleſtibus.

Auctori Amicorum quidam diſſuadebat initio inſtitutum, poſtea in illud conſenſit.

CLariſ. Dominus Concius tibi promittit reſponſum: quod habuit jam paratum. Sed correxit in eo aliqua. Audio ſcribere eum aliquid de Cometa, & non concordare cum Ampliſſimo Domino Hevelio. Nos admiramur hic novum Cometam, & tres Soles, (quos vidimus in ſpeculo:) & ſtellam, quæ eſt viſa verſus Meridiem prope Lunam ſpacio aliquot horarum. Et accepimus nova ſimilia ex aliis partibus mundi, ſicut inter cætera, quod viſus fuerit Berolini ignis de cælo lapſus. Hæc omnia faciunt ut precemur, quo bonus Deus miſereatur noſtri, ut condonet nobis omnia noſtra delicta, & longe à nobis eſſe velit ſuas caſtigationes, quas nobis minatur. Reſtat ut dicam quod attinet ad tuum opus de Cometis. Agnoſco me habuiſſe quaſdam conſiderationes è contrario reſpectu unius & alterius circumſtantiæ & modi agendi. Sed nolo retinere tuas bonas cogitationes & curſum tuorum propoſitorum conſecratorum bono publico. Imo vero potius in toto inſtituto, in quo te vis monſtrare amatorem boni publici, adjungo libenter antiquum votum:

I bone, quo virtus tua te vocat: i pede fauſto
Grandia laturus meritorum præmia — —

A Cönigsberg 10. Avril 1665.

MOnſr. Concius vous promet la reſponce: la quelle il avoit deja preſte: mais il y a corige quelque choſe. J'entens qu'il eſcrit quelque choſe de la Comete, & ne s'accorde gueres avec Monſr. Hevelius. Nous admirons ici une nouvelle Comete & trois Soleils (que nous avons veu dans le miroir) & une eſtoille, la quelle a eſté veüe environ le Midi aupres de la Lune l'eſpace de quelques heures. Et avons appris des nouvelles ſemblables d'autres parts, comme entre autres, qu'on a veu à Berlin, le feu tombé du ciel. Tout cela nous fait ſouhaiter, que le bon Dieu ait pitie de nous, pour nous pardonner toutes nous fautes, & eſloigner de nous ſes chaſtimens, dont il nous menace. Au reſte pource qui eſt de voſtre œuvre des Cometes, j'advoüe d'avoir eu quelques conſiderations à l'encontre, au regard de l'une & de l'autre circonſtance, & la maniere d'agir. Mais je ne veux pas arreſter vos bonnes penſeés ni le cours de vos deſſeins conſacréz au bien public. Et plutôſt en tout ce en quoy vous voulez vous monſtrer amateur du bien public, j'adjoins volontiers l'ancien vœu:

I bone, quo virtus tua te vocat: i pede fauſto
Grandia laturus meritorum præmia — —

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Regiomonti die 12. *Aprilis S. N.* 1665.

COmeta qui circa medium Decembris proximè præteriti anni primum ſe videndum exhibuit, die 18. Februarii hujus anni circa veſperam nudis oculis hic adhuc viſus eſt. Poſthæc incipiebat ſe crepuſculo, & abhinc prorſus radiis Solis occultare, quoniam propter ſuum curſum ocyor illo (Sole) ab Oriente verſus Zephyrum proceſſit, cumque tandem conſecutus eſt. Propterea etiam per aliquod tempus inviſibilis factus eſt, quia circa tellurem ad latus Solis, atque ita interdiu decurrit. Quandoquidem autem eum jam præteriit, & præcedit, oritur mane ſtatim poſt primam, & quidem in Pegaſo, quod ſidus Aſtrologi iis qui ſincere ſtudiis incumbunt præpoſuerunt. Accedit ad Cycnum ſubinde propius, qui etiam his addicitur. Deus faxit, ut terreſtria lumina cum Deo illos irradient! Tendit modo ſuam caudam iterum verſus zephyrum, attamen in Auſtralem angulum, quoniam Solem à Borrhapeliote habet, & Cometarum natura eſt, à Sole ſuos radios avertere. Claritate ſua parum vel nihil diminutus eſt. Ab illo tempore, quo nobis viſibilis factus, per rectiſſimam viam, diſceſſit ab aſtro, juxta quod primum apparuit, ad 210. gradus, vel 7. ejuſmodi partes, in quarum 12. maxima peripheria totius cæli poſſet dividi. Deus avertat iſtud malum à nobis, quod iſtiuſmodi portenta mundo annunciare ſolent!

Königsberg den 12. April 1665.

DEr Comet ſo umb das mittel des Decembris nechſt verwichenen Jahres zu erſt ſich hat ſehen laſſen/ iſt den 18. Febr. dieſes Jahres umb den abend/ mit bloſen Augen allhie annoch geſehen worden. Nach dieſem begůnt er ſich in die abends-dåmerung/ und denn hernach gar in die Stralen der Sonnen zu verſtecken/ weil er vermöge ſeines lauffs/ ſchneller als ſie von Ooſten in der Schråge gegen Weſten fort gegangen/ auch endlich dieſelbe erholet. Darumb er dan auch eine zeitlang unſichtbahr geworden/ angeſehen er umb die erde an der ſeiten der Sonnen/ und alſo des tages über gelauffen. Alldieweil er aber dieſelbe nunmehro fürbey gangen/ und ihr vorlåufft/ gehet er des morgens kurtz nach glock eins auff/ und zwar in dem Pegaſo, welches geſtirn die auß dem Himmel Glůks-verkůndiger denen mit auffrichtigen ſtudirten umbgehenden vorgeſetzt haben. Er tridt dem Schwan immer nåher und nåher/ welcher auch dieſem vorgeſtellet wird. Gott aber gebe/ daß die Irrdiſchen Lichter/ nebſt Gott/ ſie wohl anſtralen möge! Er ſtråckt anitzo ſeinen ſchweiff wieder gegen Weſten/ doch nach dem Sůdlichen winckel zu/ weil er die Sonne von Noord-Ooſten hat/ und der Cometen natur ſey/ von der Sonnen ab/ ihre ſtrahlen zu werffen. Er hat an ſeiner klarheit wenig oder nichts abgenommen. Von der zeit an/ alß er uns ſichtbahr geworden/ iſtr (den geradeſten weg zu måſſen) verrůcket von dem geſtirn/ bey dem er zu erſt erſchienen/ auff 210. grad oder 7. ſolcher theil in deren 12. der gröſte umbzirckel des gantzen himmels möchte getheilet werden. Gott wende daſſelbe übel von uns ab/ welches dergleichen portenta der Welt zuverkůndigen pflegen.

Cometam in Corvo, Lepore & Pegaſo viſum, unum eundemque eſſe Regiomontanus obſervator putat.

Pegaſi ſidus ſtudioſis humaniorum literarum præponitur.

Vienna 12. *April.* 1665.

PRæterea ſupra hunc Horizontem novum Cometæ ſidus videtur, quod à Mathematico P. Mullero Jeſuita obſervatum eſt, nempe quod ejus magnitudo ad 20. grad. id eſt 300. milliaria ſe extendat. Habet concitatiſſimum motum, & vertit ſe ab Oriente ad Occidentem verſus.

Wien den 12. April. 1665.

SOnſten wird über dieſem Horizont ein newer Cometſtern geſehen/ welcher von einem Mathematico nahmens P. Mullerus Jeſuita obſerviret worden. Daß deſſen gröſſe in die 20. grad. daß iſt/ 300. meil weges ſich erſtrecke/ habe gar einen ſchnellen lauff/ und wende ſich ab Oriente ad Occidentem verſus.

Viennæ die 12. *April.* 1665.

NOvus iterum Cometa ſecundum oculorum judicium decuplo major priori, qui ante paucos menſes in

Wien den 12. April. 1665.

ES hat ſich dieſer orten wiederumb ein newer Cometſtern dem augenſchein nach zehenmahl gröſſer/ alß der

Cometa in Pegaſo major priori decuplo putatur.

cælo conſtitit, videndum ſeſe præbuit.

vorige/ ſo vor wenig monathen am Himmel geſtanden/ſehen laſſen.

Helſinoriæ die $\frac{18}{8}$ *April.* 1665.

PRæterea ante aliquot dies Cometa hic viſus eſt, qui major & clarior eſt priore. Initio hora ſecunda matutina verſus Borrhapeliotem ortus eſt, ſed jam non prius ſe quam poſt tertiam matutinam præbet conſpiciendum, & tam diu quidem uſquequo ipſum diurna lux ex oculis auferat. Habet valde magnam & longam caudam, quæ in Noto-Zephyrum dirigitur. Significatio talium differentium Cometarum, qui tam brevi temporis ſpatio identidem apparuerunt, Deo Opt. Max. optimè nota eſt, qui omnia imminentia mala avertere propitius velit!

Helſinger den $\frac{18}{8}$ April 1665.

SOnſten hat man alhier wieder etzliche tage hero einen Cometſtern geſehen/ welcher gröſſer und heller iſt dan der vorige. Iſt anfänglich des morgens glock 2. in Nord-Oſten auffgangen/anitzo aber läſſet er ſich nicht eher dan des morgens nacher glock 3. ſehen/auch ſo lange biß ihme der tag ſeinen ſchein benimet. Hat einen ſehr groſſen und langen ſchwantz/welcher ſich recht nacher Sud-Weſten ſtrecket. Die bedeutung ſolcher unterſchiedlichen Cometen/ſo ſich in ſo kurtzer zeit auff ein ander ſehen laſſen/ iſt dem lieben Gott am beſten bekandt/ welcher aller bevorſtehende übel in gnaden abwenden wolle.

Pariſiis 18. *Aprilis* 1665.

QUod reliquum eſt, præbet ſe hîc ab octo diebus conſpiciendum novus Cometa, verſus Notapelioten prope Horizontem: de quo mox varios diſcurſus percipiemus.

Paris den 18. April 1665.

Schließlich läſſt ſich alhie ſiedert 8. oder 10. tage ein newer Comet in Sud-Ooſt ſehen/ dem Horizont gar nahe/ von welchem man hiernechſt allerhand diſcurſe vernehmen wird.

Pariſiis 18. *April.* 1665.

Prodigia ad urbem Romam viſa.

LIteræ Romanæ dicunt, quod terra ibi fuerit aperta in vicinia urbis illius, magnitudine 800. pedum longitudinis & 200. pedum latitudinis, quà excuſſa eſt grandis quantitas cinerum & ignis: quod plura alia prodigia ibi evenerint, inter alia unius hominis, qui apparuerit cuidam opilioni, qui illi dixerit acciperet ex grege quod ſibi placeret. Ideo hicce homo illi dixit, iret ad ſuum dominum, eique diceret, quò ſibi mitteret aliquid optimum ex grege. Dominus verò ille videns uſum linguæ rediiſſe iſti muto, totus præ gaudio geſtiens, juſſit illum adire hominem, eique dicere, ut accipiat non ſolummodò optimum ex grege, ſed totum gregem, quem ſibi offerat; quemque ſi accipiat, magno beneficio ſe obligatum iri. Atque hæc opilio retulit illi homini, qui illi reſpondit, ſe gratias domino ejus agere, nec hoc quod ſibi offeratur deſiderare, ſed id ſolummodò ſe rogare, ut ſe emendet,

A Paris 18. Avril 1665.

Les lettres de Rome diſent, que la terre s'y eſt ouverte aux envorons de cette ville, de la grandeur de 800. *pieds de longueur, & de* 200. *pieds de largeur, par où eſt forti grande quantité de cendres & de feu: que pluſieurs autres prodiges y ſont arrivéz: entre autres d'un homme qui s'eſt apparu à un Berger, luy dit de prendre ce qu'il luy plairoit: dont cet homme luy dit d'aller dire à Son Maiſtre, de luy envoyer le meilleur du trouppeau, ou ce Maiſtre voyeant la parole revenüe à ce muet, tout ravi qu'il fuſt, dit à ce valet de luy dire qu'il ne prit non ſeulement le meilleur, mais de luy offrir le tout & qu'en les prenant il l'obligeroit, ce que le Berger rapporta a cet homme, le quel luy reſpondit, qu'il le remeruoit mais ſeulement qu'il prioit de s'amender, & ainſi de meſme tout le peuple, & luy dit, que les Cometes cy-devant apparues dans ces lieux n'eſtojent autres marques, que grandes famines, peſtes qui devoyent ariver bientoſt & en ſvite diſparut. Les nouvelles ou eſté*

&pa-

& pariter omnis populus; Dixit etiam illi, quod Cometæ qui nuper apparuerint in illis locis, nil aliud ſignificaverint, quam grandes fames, peſteſque, quæ debeant venire brevi. Poſthæc diſparuit. Hæc nova dicta fuêre in arce Lupara & in Aula Archiepiſcopali.

rapportées au louvre comm' auſſy a l'Archeveſché.

Cometas nuperos mala ſignificare ſpectrum prædixiſſe fertur.

Vienna die 23. *Aprilis* 1665.

QUi die quinta hujus menſis hic apparuit Cometa, uſque ad 14. ejuſdem, ab illo autem tempore non amplius viſus eſt: hujus ſicut & prioris apparitiones maxima ex parte naturalibus rationibus adſcribuntur. Qua de re paulo poſt aliquid typis impreſſum conſpicietur.

Wien den 23. April 1665.

DEr den 5. dies alhier erſchienene Comet iſt biß auff den 14. ejuſdem, ſeit hero aber nicht mehr geſehen worden/ und ſollen dieſes/ wie auch des vorher gangenen erſcheinungen mehrentheils der natürlichen rationibus zugeeignet werden: davon nechſtens was in den druck kommen ſoll.

Cometæ naturalibus cauſſis adſcribuntur.

Pariſiis die 24. *April* 1665.

IN his oris apparet adhuc novus Cometa, grandior & rubicundior præcedentibus, cum diverſis aliis prodigiis. Quod facit credere quoſdam quod finis mundi appropinquet. Supra quod factum eſt tetraſtichon, quod quidam volunt venditare pro antiqua centuria Noſtradami. Sed ſemper certiſſimum eſt, quod ira Dei videatur in diverſi generis ſignis, quorum maximum eſt injuſtitia, quæ regnat per orbem univerſum

Tum cum acumen teli ſuſtentatum duobus palis
Inveniet ſex creſcentes Lunas ſequentes continua ſerie:
Et cum ſex cruces præcedent bis tria,
Mala erunt completa, & omne balſamum inutile.

M CCCCCC XXXXXXVI.

De Paris 24. Avril 1665.

D*Ans ce pais-ici paroiſt encor une nouvelle Comete bien plus grande & plus rouge que ne l'ont eſté les precedentes avec divers autres prodiges, ce qui fait croire à quelques uns que la fin du monde s'approche, ſurquoy on à fait un quatrin, qu'on veut faire paſſer pour une vieille centurie de Noſtradamus. Mais toûjours eſt-il bien certain, que l'ire de Dieu ſe fait voir dans diverſes ſortes de ſignes, dont le plus grand eſt l'injuſtice ce qui regne par tout l'Univers*

Alors qu'un bout de dard ſoûtenu de deux pieux
Trouvera ſix croiſſans de ſvivant à la file
Et que ſix croix devançant trois fois deux
Les maux ſeront au comble & tout baume inutile.

M CCCCCC XXXXXX*VI*.

Cometa nuperus finem mundi proxime præcedere putatur.

Noſtradami celebris Aſtrologi Galli prophetia venditatur.

Injuſtitia ubique regnans certiſſimum iræ divinæ ſignum eſt.

Varſovie die 24. *Aprilis* 1665.

MAgnus Dux Moſcoviæ deſiderat pacem cum Repub. Sed ut dicam verum, noſtris quoque rebus illa valdè conduceret. Propterea mandatum eſt ut homines jejunent & precentur Deum publicè, quo nobis faciat iſtam gratiam, ut nobis donet pacem deſideratam, & longe à nobis omnia hæcce mala, quæ tot Cometæ præſagiunt & nobis minantur, avertat.

à Varſovie 24. Avril 1665.

L*E Grand Duc de Moſcovie deſire la paix avec la Republ. Mais pour dire vray, elle nous viendroit auſſi fort à propos. C'eſt pourquoy on à commandé de jeûner & prier Dieu publiquement de nous faire cette grace, que de nous donner la paix deſirée, & eſloigner de nous tous ces maux, que tant de Cometes preſagent & nous en menaçent.*

Poloniæ commoda foret pax cum Moſco.

Jejunia & preces in Polonia indicuntur.

Vratiſlaviæ 1. *May* 1665.

QUidam bonus Amicus ſcribit ex Hungaria inferiori in literis die 21. April. S. N. datis, quod ibi quoque viderint Cometam, qui verſus Orientem conſpicuus ad Auſtrum progrediebatur, comam ſurſum ſpargens: qui hic à Patre Jeſuita *Moreto* obſervatus eſt.

Breſlau 1. May 1665.

EJn guter freünd ſchreibet auß Nieder-Ungarn / unterm dato den 21. April. S. N. daß ſie hetten auch alda den gegen Oſten ſichtbahren / und Sudwerts lauffenden / auch den ſtrauß über ſich führenden Comet geſehen: welcher hier auch von dem Patre Jeſuita Moreto ſo obſerviret iſt.

Varſoviæ 1. *May* 1665.

Ovum gallinæ portentoſum Varſoviam allatum.

Signa cœleſtia & terreſtria pœnitentiam urgent.

Poloni variis ſignis ad pœnitentiam agendam urgentur.

ANte aliquot dies apportatum eſt in hanc urbem ovum gallinæ, ſupra quod conſpiciuntur evidenter figuræ gladii, crucis flammeæ, virgæ & arcus intenſi. Ita habemus Cometas, & tot alia præſagia in cælo & ſuprà terram, quæ nobis prædicant pœnitentiam, cujus adhuc exigua apparent indicia.

A Varſovie le 1. May, 1665.

CEs jours paſſéz on a apporté en cette ville ici un oeuf de poule, ſur le quel on voit evidement les figures d'une eſpée, d'une croix flamboyante, d'une verge & d'un arc bandé. Ainſi nous avons des Cometes & tant d'autres preſages au ciel & ſur la terre, qui nous preſchent la repentance, à la quelle il y a encor peu d'apparence.

Viennæ 2. *May* 1665.

Monſtrum in Hiſpania repertum.

NUnciatum eſt huc præterea ex Hiſpania, in Caſtilia Veteri, in montanis monſtrum inventum eſſe 30. pedes longum, 4. altum, cujus ſpecies inſtar ſemihominis, Crocodilis & Satyri cornuti erat Cometâ, & 4. literis, ſcil. A. G. B. I. inſignitum, cujus delineatio proxime ſequetur. Referunt etiam extra ordinem ſcriptæ literæ Græcio, die 24. Aprilis ibidem viſum eſſe luce media in cælo coruſcantem inſignem acinacem.

Prodigium in Styria viſum.

Wien vom 2. May 1665.

ES iſt ſonſten auß Spanien anhero aviſiret worden / das man in Caſtilia la Viega in den gebürgen / daſelbſt ein monſtrum gefunden von 30. ſchue lang / und 4. hoch / deſſen geſtalt / wie ein halber menſch / Crocodil und Satyr, mit hörner geweſen / mit einem Comet und 4. Buchſtaben / alß A. G. B. I. gezeichnetes / worvon mit nechſten ein abriß erfolgen ſolle. So melden auch die extraordinarii eingekoffene brieffe von Grätz / daß den 24. April. daſelbſten ein ſchöner Sabel im hellen tag am himmel geſehen worden.

Dantiſci die 6. *May* 1665.

Globus igneus ad Dantiſcum è cælo labi viſus.

HEri mane albeſcente die ſub auroram ingens globus igneus è cælo eadem via, qua antea Cometa ſuum curſum direxerat, prope hanc urbem in (vulgo Nährung) in terram decidit, & magnum ſonum ſclopi inſtar edidit, quod vigiles in vallis, ut & qui in propugnaculo, ad quod Viſtula exonerat ſe in mare excubias agebant, pariter & adveniens tabellarius uno animo & ore confeſſi ſunt.

Prognoſticon Italicum Cæſari exhibitum eventibus rerum adhuc refellitur.

Italicum Prognoſticon Sacræ Cæſareæ Maj. ſuper Anno 1665. & ſub initium ejus conſpecti Cometæ efficacia communicatum

Dantzig 6. May 1665.

GEſtern morgens gegen anbrechendem tage in der morgen röthe / iſt eine groſſe fewer-kugel vom himmel / des ſtrichs wie der Comet ſeinen lauff gerichtet / nahe bey dieſer Stadt in der Nährung / auff die erde gefallen / und einen groſſen ſchlag gethan / welches die wachten auff den wällen / wie auch der Weichſſelmunde / imgleichen der inkommende poſtillion, alle einmüthiglich und einſtimmig außgeſaget.

Welches Prognoſticon ſo ihrer Käyſerl Majeſt. über das 1665. Jahr / und deſſen in anfang ſcheinenden Cometen würckung mitgetheilet worden

per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

per
A. S. I. V. & M. D.
in linguam Germanicam verſum.

Quando Sol in Cancro erit, & ratione conjunctionis in cauda Draconis, tunc meliorem ſcientiam futuri miri ſtatûs conſequemur.

Primò diffundent ſeſe aquæ ſupernaturalem in modum exundantes, multaque loca inundabunt: poſtea multæ pravæ humiditates cum ventis vehementibus orientur. Quocirca omnibus in locis percipientur res nunquam antehac auditæ: prout quoque terræ motus terribiles cum magnis fragoribus & ſtrepitu fient. Homines præ timore & deſperatione angentur: ſylvæ horrendum in modum perſtrepent: multæque arbores è locis ſuis transferentur: multæ ditiones, urbes & arces funditus corruent: antea verò prodigia quædam conſpicienda ſe præbebunt: Sol & Luna lumen ſuum amittent, eodemque mane conſpicietur arcus dimidiatus ruber, qui bellum denunciabit, ut & terræ motus ſentietur, qui ab Oriente uſque in Occidentem ſubſequetur.

Circa hoc tempus Illuſtriſſimus quidam Princeps huic mundo vale dicet, & dicto terræ motu multi homines omninò mortui concident: alii verò præ timore & horrore haud exiguo tempore vagi palabuntur. Initium hujus calamitatis dabit S. Laurentii nox. Cætera Deo nota ſunt. Noſtrum eſt Sacræ Cæſareæ Majeſtati Veſtræ potiùs bona prædicere, & omnia proſpera ac ſalutaria vovere, inprimis verò illa portenta, quæ ejus populos, regiones & ditiones concernunt, probè conſiderare ac declarare, quò tempeſtivè & ſeriò homines reſipiſcant. Suademus igitur Sacræ Cæſareæ Majeſtati Veſtræ pro ſui cura, ut diſpiciat ſolidè ac firmiter exſtructum aliquod palatium, in valle tenebroſa ſitum, & circumcirca montibus cinctum, ubi circiter 20. diebus commoretur.

Hoc Prognoſticon ſimiliter à Sereniſſimo Electoris Saxoniæ Aſtrologo, & aliis Præſtantiſſimis Viris probè examinatum & pro vero agnitum eſt.

Die 15. Maji magnæ bellorum expeditiones ſuſcipientur.

durch
A. S. I. V. & M. D.
in Teütſch gebracht.

Wann die Sonne im Krebs ſeyn wird / und der zuſammenkunfft nach in Drachen Schwantz / alßdann wird man von künfftigen wunderlichen zuſtand beſſere wiſſenſchafft erlangen.

Erſtlich werden ſich die wäſſer übernatürlich ergieſſen / und ſehr viel örter uberſchwemmen: nach ſolchen werden viel böſe feuchtigkeiten ſich erheben / mit groſſen winde. Dabey wird man an allen orten ſachen vernehmen / dergleichen vor dieſem nicht erhöret worden: maſſen ſich auch ſchreckliche erdbeben mit groſſen krachen und brechen herfür thun werden / die menſchen in furcht und zagen ſich ſehr vertieſſen: die wälder grauſam brauſen / und viel bäume von ihren ſtellen weichen: viele herſchafften / Sädte und ſchlöſſer untergehen: Vorhero aber ſich etliche zeichen ſehen laſſen / Sonn und Mond ihren ſchein verliehren / und ſelbigen morgen wird man einen halben rothen bogen ſehen / der krieg bedeüten ſol / wie auch erdbeben / welches von auffgang biß zum niedergang erfolgen wird.

Umb dieſe zeit wird ein hohes haubt dieſe Welt geſegnen / und zu erwehnten Erdbeben werden viel leüte gar todt bleiben: andere aber von furcht und ſchrecken eine geraume zeit herumb wandern. Der anfang ſolches ungemachs wird ſeyn St. Laurentii nacht. Das übrige iſt Gott bewuſt. Unſers orts wil ſichs gebühren Ewer Maj. viel mehr guts zuſagen / und alles glück und heyl zuwünſchen / bevorab aber die wunderbegäbnüſſen / die ſeinen Völckern / Landen und Herrſchafften betreffen möchten / in gewiſſe betrachtung zu zihen / damit ſie in zeiten eine ernſt buſſe thäten: rathen demnach Ehre Maj. für dero vorſorge / ſie wolten ſich nach einem wohl gebawten ſtarcken Pallaſt oder Reſidentz umbthun / in einem finſtern thal gelegen / allenthalben mit bergen umbgeben / etwan 20. tage aldar ſich zu enthalten.

Diß Prognoſticon iſt gleicher geſtalt von dem Chur Sächſiſchen Aſtrologo und anderen vornehmen Leuten reifflich überleget / und vor wahr erkandt worden.

Den 15. May werden groſſe Kriegs-verfaſſungen zu hand genommen werden.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Die 29. Junii duo Illuſtriſſimi Principum mortem obibunt.

Die 10. Julii Princeps quidam ſua de quibus diu contendit, recuperabit.

Die 12. Julii magna portenta & miracula conſpicientur.

Die 19. Julii recipit & alius Princeps ſua.

Die 21. Julii ſeditiones magnæ oborientur.

Die 19. Auguſti magnus & intolerabilis æſtus ingruet.

Die 19. Octobris nova lex novumque imperium prorumpet.

Die 12. Novembris per univerſum orbem magna ſanguinis profuſio dabitur.

Die 15. Novembris Dimidia pars hominum deſiderabitur.

Die 20. Novembris Mira miris augebuntur.

29. Juny gegen 2. hohe häubter mit tode ab.

10. July wird ein groſſer Herr ſeine ſtreitigkeit / und daß ſeinige wieder erhalten.

12. July wird man groſſe zeichen und wunder ſehen.

19. July bekomt ein ander Fürſt das ſeine wieder.

21. July werden ſich empörungen anfangen.

19. Auguſti wird groſſe unleidliche hitze einfallen.

19. Octob. wird ein new Geſetz und Regiment herfürbrechen.

12. Nov. wird durch die gantze Welt ein groſſes blut vergieſſen entſtehen.

15. Nov. wird man die helffte der Leute miſſen.

20. Nov. wird man wunder über wunder hören.

Viſmariæ die $\frac{8}{18}$. May 1665.

Prodigia ad Colbergam viſa.

RUmor ſpargitur Colbergæ ignem de cælo lapſum eſſe, & vocem Væ exclamantem auditam eſſe. Deo notum eſt, quid iſtud ſignificaturum ſit.

Contentiones Concionatorum Proteſtantium in Marchia.

In Marchia inter Euangelicorum & Reformatorum Concionatores contentiones & diſſidia acerba intercedere ajunt. Videtur (proh dolor!) operationes Cometarum jam jam manifeſto ſeſe exſerere.

Wißmar vom 8. May 1665.

ES gehet eine rede / daß zu Colberg fewer vom himmel gefallen wäre / und darauff eine ſtimme Wehe ſchreyende / gehört worden ſey. Gott iſt es bekand / was es wil bedeüten!

In der Marck / ſollen zwiſchen den Ewangeliſchen und Reformirten Predigern viel wiederwertigkeiten fürlauffen. Es ſcheinet leider! die Operationes der Cometen laſſen ſich handgreifflich ſpüren.

Exempla literarum, argumenti Cometici occaſione, inter Auctorem & Viros quoſdam Præſtantiſſ. qui juſtis de cauſſis nominari noluerunt, commutatarum.

Ex Marchia Hamburgum die 28. *Martii* 1665.

Elector Brandenb. commendatur.

FRequentes, imo aſſiduæ de rebus, quæ in Comitiis Ratisbonenſibus agitantur, literæ in aulam Sereniſſimi Electoris noſtri, qui aliis omnibus laudibus, & hanc cognitionis & dijudicationis rerum quæ ubique geruntur, addit, perferuntur. Ex quibus quæ ſcitu digna fuerint, Te id poſtulante & orante, non invitus ad Te perſcribam. Scito itaque, ſtatum rerum in illis Comitiis fere eundem ſemper manere, id eſt confuſum, perturbatum, ita ut nihil quam Comitiorum ac conſiliorum tam diuturnorum abruptionem, cùm magna animorum exacerbatione & diviſione, minetur. * Scilicet dum in Collegio Principum id agitur, ut poſſit concipi certa & conſtans Capitulatio Cæſarea

Ratisbonenſis Conventus Imperii res dubiæ.

** Ratisbonæ ortæ de jure & ratione ſuffragii controverſiæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cæſarea (vos Pacta Conventa vocaretis) qualis octavo Inſtrum: Pacis articulo ſancita eſt, Directorque Auſtriacus cum Magdeburgico Delegato de ratione ſuffragii altercatur, gravis caſu, an ſtudio non facile dixerim, controverſia orta eſt, quæ omnium fere conſiliorum negotiorumque ſtitit curſum. Dum enim multi pro libertate ſuffragii, quod citra controverſiam omnemque contradictionem, præſertim in Comitiis, Ordinibus Imperii competit, cum hoc certant alii, cum iſto ſimul communem libertatem tuentur, non ſolum tot hebdomadas controverſia iſta conſumpſit, ſed & Comitiis triſtem abruptionem adferre velle videtur. Fruſtra hucuſque in componendis iſtis controverſiis tam Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus Salisburgenſis, quam alii laborarunt, & tanto morbo commoda adhibuerunt remedia. Itaque multi verentur, ne paulò poſt triſtem Comitiorum eventum, vel potius ſolutionem abſque eventu proſpero videamus, magno certe cum dolore omnium boni publici amantium. Quidquid autem de eo futurum ſit, me hac de re brevi certiorem Te reddere poſſe ſpero. Utinam mihi tam beato eſſe liceat, quo aliquid læti ad Te perſcribam! Sereniſſimus quidem noſter per ſuos rem fortiter agit, ut Comitia proſperrimum conſequantur eventum. Interim vellem, ut & Veſtra Comitia Polonica optatum ſortiantur eventum, utque ea de re quamprimum ad Te perſcribere aliquid queam. Certe iſtis quoque Comitiis (a) pariter ac prioribus infauſtum eventum multi augurantur ex eo, quod aliquot Comitiola Provincialia fuerint rupta. Dolendum profecto eſt res Europæas (b) nunc adeo infirmo, ut ſic dicam, talo, & lubrico ſtare loco. (c) Polonia veſtra, noſtra vicina, multiplici & graviſſimo bello tam diu agitata & vexata, non tantum priſtinum ſtatum non recuperat, ſed magis magiſque novis periculis & motibus concutitur. Imo res ibi ad aperta diſſidia & motus civiles vergunt. Quò eas forte & exterorum quorundam ſtudia impellunt. In eadem, ut ſic dicam, navi navigat Germania noſtra (d). Nam quod ſperabamus nos magno pretio pacis Monaſter. obtinuiſſe, ſcilicet animorum concordiam & publicam tranquillitatem, nunc iterum de eadem periclitamur. (e) Hiſpanica Monarchia tam vaſta & præpotens non ſatis ſibi conſtat, dum mortem Regis ſenio confecti & imbecillis infantis metuit. (f) Britanni & Batavi acerrimum parant bellum, alioſque in ſocietatem ejus trahere contendunt. Si nunc Gallos, Svecos, Danos alioſque adſpicias, illos quoque arma parare videas, vel ſe defenſura vel alios offenſura. Nonne ex his omnibus concludendum ſit, Cometam nuperum (g) non impune nos vidiſſe, imo eundem tot mala prænunciaſſe, iiſque orbis Chriſtiani ſalutem aggredientibus præluxiſſe. Velim ſententiam Tuam hic mihi exponas. Idque ſincerè pro amicitiæ jure, quod ſicut à mea parte diligenter & ſummo ſtudio teneo & colo, ita itidem Te facturum non dubito. Vale.

Hamburgo in Marchiam die 3. Aprilis 1665.

Literas Tuas decurrente menſe elapſo ſcriptas rectè accepi, multis de cauſis mihi acceptiſſimas. Ita multam eruditionem rerumque civilium ſcientiam, & non erga me tantum & patriam meam, ſed & erga univerſum orbem Chriſtianum ſinceram ſpirant benevolentiam. (h) Nimirum & Amici & Viri Optimi officium fungeris, dum tantum boni publici ſtudium teſtaris. Gratias Tibi ago de eo, quod me de rebus, quæ in Conventu Imperii Ratiſbonæ aguntur, certiorem reddideris: quod Amicus, aliàs in illa luce verſans, & mihi faventiſſimus, vel per aſſidua & gravia negocia, vel per infirmam valetudinem non fecit. (i) Luceat illîc bonus Genius, & ut virtutis, ita & publicæ utilitatis amor, & ſi nullus amplius in cælo Cometes, nullum novum ſidus, vel phænomenon luceat. Cum autem Tu Tuis illis literis non minori judicio quam candore ſtatum Conventûs illius & Imperii, ſed & totius ferè orbis Chriſtiani egregia brevitate, nullam obſcuritatis umbram

Libertas ſuffragii Ordinibus Imperii omnibus, præſertim in Comitiis competit.

Archiepiſcopus Salisburg. in promovendis Comitiis Ratisb. induſtrie laborat.

Elector Brandenb. in concludendo feliciter conventu Imperii Ratisb. ſtrenue per ſuos Delegatos laborat.

(a) Varſavienſis conventus Regni prior m. Jan. 1665. ruptus: poſteriori m. Martii habito infeliciter præluſerunt aliqui Conventus Provinciales.

(b) Europæ facies 1665. m. Mart. delineata.

(c) Polonicarum rerum ſtatus periculoſus.

(d) Germanica res diſſidiis agitatur.

(e) Hiſpanica ſalus à ſalute Senis Regis & imbecilli infantis pendet.

(f) Bellum inter Anglos & Hollandos periculoſum.

(g) Cometa tot malis & motibus Europæ præluſiſſe putatur.

(h) Officium boni & viri & amici.

(i) Ratisbonenſium rerum notitiam Auctor ab Amico Marchiaco habet aliquam, iiſque optime auguratur. *(k) Brevitas ſolet eſſe obſcura. Brevitas clara commendatur.*

ſpargente,

(a) *Ratiſbonenſi Conventui quidam malè controverſiæ de voto Magdeburgico cauſſâ auguruntur.*
(b) *Antiquis legibus inſiſtendum.*
(c) *Reſp. antiquis inſtitutis conſervanda.*
(d) *Leges æquæ, caro emtæ & ſemel ſancitæ, perpetuò tenendæ.*
(e) *Pax Germanica multo pretio emta.*
(f) *Legum violatores, novatores Deo & hominibus inviſi.*
(g) [illegible]
(h) *Deus injuſta auſa deſerit & punit.*
(i) [illegible]
[illegible]

ſpargente, deſcripſeris: Ego certè miror doleoque vehementer eum tamdiu & tantum pavore quodam confuſum & perturbatum eſſe. (a) Nempe enim inteſtinorum quoque motuum periculum quoddam providenter à nonnullis metuebatur nuper, impediti voti Magdeburgenſis occaſione, dum formari firmarique partium ſtudia, & concipi hoſtilia propè odia viderentur. (b) *Moribus antiquis ſtet res Romana viriſque.* Nec (c) Romana tantum, eaque undique, ſed & Polona, imo & univerſa Chriſtiana. (d) Nimirum à legibus æquis, præſertim vero multo non ſolum labore, ſed & ære & cruore emtis ac legitime ſancitis: (quod certe de pace Germanica (e) pluſquam verum eſt) nequaquam vel tranſverſum unguem diſcedendum eſt. Tales (f) enim audaces conatus, antiquis inſtitutis rite latis adverſantes, omnium cordatorum prudentia abominatur, & induſtria viribus à Deo conceſſis inſtructa rejicit; (g) & quod præcipuum eſt, licet initio, vel etiam aliquo temporis tractu feliciter illi procedant, ad ultimum non ſuccedunt, nec optatos effectus conſequuntur. (h) Nempe quia à Deo juſtitiæ cuſtode & innocentiæ vindice deſtituuntur, & infelici exitu damnata poſteris in exemplum proponuntur, ut alienis (i) malis ſapiant diſcantque difficiles & periculoſos rerum eſſe tranſitus, ubi ab æquitate diſceditur. Atque hæc me nuper impulerunt, ut ad eximium quendam tam Amicum quam virum hæc verba, ut juſtæ libertatis patriæ indicia, darem: *Si vel favente Regum Rege Regi Poloniæ ſuperſtiti Gallus ſuccedat, æquitati tamen conſentaneum foret, (k) ut lex de libertate electionis, id eſt de ſucceſſore, nonniſi defuncto Principe & communibus ſuffragiis eligendo, ab Ordinibus Reip. Polonæ Gallum Henricum Valeſium eligentibus lata, nunc etiam inviolata conſervaretur. (l) Atque id ipſum de Generoſiſſimo & Magnanimo Principe Rege Gallorum feliciter imperante, nemo non promittere ſibi poteſt. Niſi quis fortè dicat, vel cogitet, legem illam omnis hereditarii juris exſortem, (m) quæ Gallicæ electioni debeatur, ſaltem Gallicâ electione ſancitam, per eandem rebus ita ferentibus & volentibus fatis antiquandam eſſe. Sed ego ad hæc dicere non vererer, (n) divinam voluntatem, quæ eſt ſemper omnium inſtitutorum noſtrum norma una inſtar & vice omnium, in Legum rite ab Ordinibus Reip. (quod de illa lege verum eſſe nemo negaverit) latarum præſcripto & recto rerum progreſſu, tum vero & exitu certo & tuto ac optime intelligi. E contrario (o) nova inſtituta legibus illis nota repugnantia, (p) ſi vel prima ſpecie læta videantur, progreſſu dura, Reip. periculoſa, ſæpe & triſtia eventu eſſe. (q) Quin & de Ludovico XIV. Rege Chriſtianiſſimo, in quo Caroli M. magnanimitatem, & Ludovici ejus filii Pietatem, tum Avi ſui Henrici M. fortitudinem & Patris juſtitiam maximo orbis Chriſtiani bono concurriſſe gaudemus, quique tanto ſtudio commoda Reip. Polonæ promovet, nihil ſiniſtri cogitandum eſſe.* Hæc ego tum ad illum. Tuus autem in gentem meam, vobis vicinam, animus benevolentiæ plenus, (r) ut & inſtituta alioqui methodus honeſta, æquaque & juſta, occaſione nuperi, & inſignis quidem ac multis de cauſis mirandi Cometæ, in medium dandi, me, ut paulum his excutiendis, & quidem apud Te, qui id fieri poſtulas, immorer, efficit. Sicut Tu in Tuis literis, (s) Cometam multis malis orbi Chriſtiani, non tantum quietem, ſed ſalutem ipſam appetentibus præluxiſſe dixiſti, ita ego, quæ ſint illa Poloniæ mala ſive vitia, tot externorum & inteſtinorum (t) motuum & metuum cauſſa, ob oculos pro jure amicitiæ Tibi, & omnibus Rempub. Polonam periclitantem juvare cupientibus, ob oculos ponam. Ante omnia dico, (u) Poloniæ quod à tot ſeculis adhuc invictum gratiâ divinâ orbis Chriſtiani propugnaculum contra furorem Ottomanicæ potentiæ arrogantiam extiterit, (w) cujus ideo in ſalute magna ſalutis Chriſtiani orbis poſita pars ſit, vel maximè optandum eſſe, ut pœnitentiâ ſeriâ & correctione tot injuſtè commiſſorum divini auxilii, (x) contra tot pericula graviter intus & foris [illegible], gratiam mereatur. Quod ſi vel proſperâ [illegible] (ut fieri [illegible] videmus) (y) poſt Cometam in Polonia apparuit, (z) officii

[illegible]

Chriſtiani

Chriſtiani gens noſtra commonenda eſt. Demonſtrandum enim ei eſt, (*a*) illa ſecunda inter experimenta probitatis eſſe ducenda. Notum nempe eſt cunctis optimè, tot exemplis obviis id docentibus, (*b*) Deum non tantum meritam differre pœnam ſapienter (prout egregia in hanc rem libellus à Plutarcho factus multa continet) (*c*) ſed & novis ſubinde beneficiis tentare humani arbitrii vel ingenii potius libertatem, & ad pœnitentiam peccatores allicere, ac niſi hæc ſubſequatur, (*d*) in teſtimonia & auctoramenta juſtæ vindictæ vertere. Quod adeò clarum & tot omnium (*e*) Sapientum, non tantùm Piorum ſed & Impiorum conſenſu, ac innumeris exemplis teſtatum eſt, ut ſi ea de re verbum amplius addam, meritò quis dicere mihi illud notum verbum poſſet: *Ubi rerum teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis?* Utinam & Tibi, in vicinia Poloniæ agenti, occaſio detur Amicis demonſtrandi, vel minimum proponendi, omnia iſta mala, (*f*) quæ Remp. ad terram deprimunt & ſubvertere tentant, ex bello Coſacico, (quod inter levia pacis inſidæ ſpiramenta (*g*) hoc menſe Aprili non minus provincias Ruſſiæ, quam totam quaquaverſum Remp. tot bellorum ex ſe ortorum malis annis 17. implet) hoc vero potiſſimum ex (*h*) violata religionis libertate, omni meliori modo in tam libero æqualitatis ſtatu munita, provenire. *Quæ enim hic reliqua ſpes libertatis manet*, (*i*) poſtquam Regis Jagellonis lex in hæreticos Anno 1424. lata, ſed non obſcurè ab illo ipſo, & ſucceſſoribus ejus, ante ſtabilitam quoque plenam electione Henriciana libertatem abrogata, ac tum demum publico fœdere, juramento Regio, & nova lege ac fide publica toties abolita, velut ab Orco 1658. revocata eſt? Latere nempe neminem populariuum meorum poterit, in fœderatione Regni Generali, pone (*k*) Legem de libera electione, poſitam eſſe illam de libera religione, omnibus ſcilicet fœderationem illam ritè & publicè ineuntibus conceſſa, & cauta. (*l*) Sublata itaque Statuto illo Jagellonio, Reip. liberæ ſtatum funditus ſubruente, religionis libertate, non mirum eſt & illam electionis è veſtigio appetitam eſſe.

(*m*) Unde provenientia mala, quis vel in ſolo Lubomirſciano negotio non videt? Atque hoc acerbum diſſidium, Viro in Repub. Eminentiſſimo oppreſſo, ſi unquam, nunc certe rebus patriæ non dicam dubiis, ſed proh dolor! ruentibus vel maxime cavendum erat. (*n*) Ruentibus dico rebus. Quid enim aliud motus Coſacici, belli Turcici metus, (*o*) Tartarorum ſocietas ſuſpecta, ac utilis magis dubium an damnoſa, (*p*) domeſtici militis tamdiu gratuita ſtipendia merentis & precario imperio, ſæpe ſpreto, gaudentis animus in novum fœdus pronus, bellum cum Moſco hoſte potenti periculoſum, monetariæ rei mala & exterorum ambitioſa vota, alia ut ſileam, dicunt? (*q*) Notum quippe eſt ita de ſalute periclitari poſſe bene quoque ordinatam & firmiter conſtitutam Remp. nedum convulſam, ſtatu ſuo motam & nutantem, ac jam fere ruentem. Memini ego ante annos 20. me juvene (*r*) Lucam illum Opalinium, Curiæ Regni Mareſchallum, nuper defunctum, tunc Poſnanienſem Archicamerarium, cum Cameræ Equeſtris Directorem in Comitio ageret, & maximi illius Conventus irrito eventu ſoluti, ac ſuæ operæ induſtriæ infelicitatem in Senatus ipſiuſque Regis Vladiſlai IV. illius Glorioſiſſimi oculis auribuſque oratione Valedictoria (cui nulla movendi affectus, quo Vir ille erat multa & eruditionis & eloquentiæ laude, deerat vis) deploraret, dixiſſe inter alia: *[illegible] Comitiorum [illegible] [illegible] gentis libertatis de ſui conſervatione [illegible]* (*s*) *& fateri ſe quidem hanc gentis ſuæ libertatem eſſe [illegible], magis tamen ſibi hanc placere, quam aliis bene ordinatam ſervitutem.* Cæterum nec hic tacuerat, ſummopere dolendum eſſe quod *Reip. & multis laborare morbis [illegible], & deſperatorum remedia.* (*t*) Sed ſi nunc Vir ille in Rep. Præſtantiſſimus quem de moribus & ſtudiis Remp. concutientibus putat, longe melius jure nunc [illegible]

(a) Secundæ res ſunt experimenta virtutis.
(b) Dei longanimitas ad pœnitentiam invitat.
(c) Libertatem humanam [illegible] beneficiis Deus ad obedientiam invitat.
(d) Patientia læſa graviores infligit pœnas.
(e) Cura & omnium conſenſu approbata [illegible] non [illegible] probanda.
(f) Poloniæ mala cuncta ex bello Coſacico, hoc vero è violata conſcientiarum libertate [illegible].
(g) Bellum Coſacicum annos 17. durat magno Reip. malo.
(h) Libertas conſcientiarum violata plurima mala Poloniæ attulit.
(i) Jagellonis lex de hæreticis [illegible], [illegible] in Rep. Polona [illegible].
(k) Libertas Polona circa electionem & religionem [illegible].
[illegible]

(p) [illegible] (q) [illegible] (r) [illegible] (s) [illegible] (t) [illegible]

D [illegible]

de iiſdem queri poteſt candor avitæ libertatis amans, dum hanc quaſſatam videt, & ne mox proſtratam ac ſublatam videat, merito veretur. (*a*) Nempe in tanta humani ingenii fragilitate & libertatem ſicut

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Cum ſcil. tum demum bona noſtra intelligimus, cum quæ habuimus, amiſimus. Memini quoſdam prudentiores & aviti moris retinentiores, dum corrupta jura & violatam libertatem jam diu ante nuperos bellicos motus animadverterent, judicaſſe populares noſtros *nec totam libertatem*, *nec totam ſervitutem ferre poſſe.* Sed poſthæc (*b*) violata magis magiſque, obtentu religionis illo in vulgus ſpecioſo, avita libertate, ſciunt Amici me, conditioni præſentis ſtatus Reip. illa (*c*) Graviſſimi Hiſtorici verba aliquando accommodaſſe: *Sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate eſſet, ita (d) nos quid in ſervitute, adempto per inquiſitiones & loquendi audiendique commercio.* Cæterum hic metus, & jam paulo ante Coſacici belli procellam animos prudentiorum invaſerat: cum & *in bonos auctores, & in libros quoque eorum ſævitum eſſet*, ita ut *monumenta Clariſſimorum ingeniorum in Comitio ac foro urerentur*, ut paulo ante (*e*) Hiſtoricus ille, nunquam ſine laude loquendus, narrat. *Quibus omnibus id ſolum deerat*, ut compleretur inſolens in Repub. (*f*) libera iniquitas, *expulſis inſuper ſapientiæ* (cæleſtis illius) *profeſſoribus*, *atque omni bona arte* (pietatis Chriſtianæ) *in exilium acta*, ſicut ibidem Tacitus ſubdit.

Prudentiſſimè itaque nonnemo præſtantium Virorum, in literis ad me nuper datis judicat, (*g*) res in patria noſtra à ſumma libertate, ad ſummam ſervitutem tendere. (*h*) Quas inter nec in civitate Lacedæmoniorum, annotante Plutarcho, erat medium.

Atque idem Romæ eveniſſe Tacitus docet, ſed & aliorum ſcriptorum fida induſtria. Ego quidem, (*i*) quem nunc peregrina tenet tellus, & qui patriæ teneor nec legibus ullis, caritate tamen ejus, quæ omnes caritates in ſe complectitur, ut vetus Sapientia docet, teneri me libenter meritoque fateor. Adeoque dulciſſimæ patriæ optima quæque ex animo precor. Dico tamen, ſi quod ſentio dicere licet, (*k*)me vix dubitare has libertatis reliquias Deo non tantum permittente, ſed & ingratum plurium & iniquum animum præfracte exercitum meritò caſtigante, (*l*) ablatum & Rempub. diviſum, ac in aliam formam, quæ ſcilicet amplius orbi ſpecie libertatis non illudat, & majeſtatem reverentius habeat, converſum iri. Sed Deus meliora! Aderit is vocatus, & reſtituta æquitate placatus. Alioqui (*m*) Reſpub. in tuto poſita dici nequit, (*n*) cum ſtatus ejus inſtar Lunæ mutetur: Ac proinde fidenter & firmiter dico & aſſero, (*o*) fore in Polonia noſtra fulgidum & conſtans proſperitatis Plenilunium, ſi Bonæ mentis præceſſerit Novilunium, ita ſcilicet ut populares noſtri novam vitam, excuſſis vitiis agere, & cuncta in priorem ſtatum, ſaltem qui ante bellum Suecicum fuit ((*p*) quo quid quæſo tam poſtulantibus Suecis, quam aſſentientibus Polonis convenientius dari poteſt?) reſtituere, & Majorum ritu æquis juribus vivere velint. Hoc niſi fiat, vereor ne brevi horrrenda quædam (*q*) Eclipſis & triſtis orbis Poloni converſio, ac demum ſiniſtri Cometæ auctoramentum magna extremorum malorum congerie ſtipatum eveniat. Qua non malorum infamia Cometa nuperus tunc laboraret, (*r*) cum tamen hæc effugere cuivis Deum reverenti & invocanti in expedito ſit, dummodo amplius juſtiſſimum illud Numen iniquitate contumaci non irritetur, (*s*) & *remedia* (quæ *natura infirmitatis humanæ tardiora quam mala ſunt*, ut idem ille Tacitus teſte experientia ait) ſine longiori mora ſanandis morbis & vulneribus adhibeantur? Ecce mira profecto (*t*) divina & ſapientia & potentia & juſtitia & bonitate (nec enim alius Deus eſt) res in patria inter ſpem & metum tamdiu hærent: (*v*) imo modo ad optatorum ſucceſſuum gaudia, modo ad triſtium geſtorum luctus delabuntur! Cur autem? Credo ut hinc impendentium pœnarum metu, illinc appropinquantium, imo præſentium

(*a*) *Præſentia bona odimus, ablata demùm appetimus.*
(*b*) *Libertas conſcientiarum violata, multa mala attulit Poloniæ.*
(*c*) *Tacitus laudatur.*
(*d*) *Servitus in Poloniam, violata conſcientiarum libertate introduci cœpta* 1647.
(*e*) *Tacitus laudatur.*
(*f*) *Perſecutio in Polonia ob religionem invija & inſolens.*
(*g*) *Libertatem ſummam ſervitus ſumma ſequi ſolet.*
(*h*) *Libertas Polona Spartanæ ſimilis.*
(*i*) *In Lycurgo.*
(*k*) *Patriæ debita pietas etiam ab exule.*
(*l*) *Polonia de tota libertate periclitatur.*
(*m*) *Poloniæ diviſio & diſtractio ac converſio metuenda, niſi juſtitia redintegretur.*
(*n*) *Reſp. eſt in tuto, cum ſtatus ejus eſt certus.*
(*o*) *Statûs mutatio crebra in*[illegible]*tam Remp. facit.*
(*p*) *Novilunium in re civili Plenilunio prius.*
(*q*) *Sueci reſtitutionem Reip. in priorem ſtatum obtineant, à Polonis par eſt.*
(*r*) *Poloniæ Eclipſis metuenda.*
(*s*) *Cometis prænunciata mala ſolerti prudentiâ vitanda & amovenda ſunt.*
(*t*) *Remedia malis tardiora, iiſdem ſanandis quamprimùm adhibenda.*
(*v*) *Dei optima deſcriptio.*
(*w*) *Mixtur abonorum & malorum providentiam Dei Opt. Max. docet*

bonorum

bonorum ſpe guſtuque ad emendandam vitam & Rempub. incitentur, invitentur civium animi avitæ libertatis, de qua tamen tantopere gloriantur (a), parum memores, & ad exercendam iniquitatem valide obſtinati. Cæteroqui conſtitutione Reip. (b) noſtræ à parentibus omni ſacro & profano reſpectu prudenti (c) æqualitate vel ſublato vel temperato, peracta, (d) nihil publice vel privatim optabilius & magis ſalutare excogitari poteſt. Hæc quidem ego, avitæ libertatis tenax. Sed (e) Anacharſis, ocellus olim Scythiæ, ipſo Solone plus vidit, dum (f) leges aranearum telas appellavit. Vertuntur (g) nempe cuncta humana, velut rota figularis: (h) agitatur & navis ventis, iiſque ludibrium debet, & de ſalute periclitatur, (i) niſi anchoram habeat bicipitem, quam ſicut & illam (k) cum tam ſalubri monito, juſtæ dominationis & legum executiones indice (ut (l) exſuſcitatores ignis folles prætereams) eidem Anacharſidi debemus. Hìc me & nupera & priſca exempla inſtigant, & (m) cæleſtis ille monitor, triſtium lætorumque prænunciùs vel invitum impellit, ut dicam optandum eſſe, quò & (n) imperantes & parentes intra fines officii conſiſtant. (o) Illis juſti & moderati imperii, (p) his promti & patientis obſequii gloria competit. Quam ſi omnes & per omnia quærerent, retinerentque, longe melius, imo optime cum rebus mortalium comparatum eſſet. Sed nunc in tanta humani (q) ingenii non tantum hic fragilitate, ſed & illic pervicacia, magis hoc optandum quam ſperandum eſt. Hoc nempe eſt optare (dico, ut omnes & per omnia ita ſe gerant) quo (r) cælum in terra habeamus. Quod certe plus quam (ſ) Politia Platonis, Utopia Mori, Nova Atlantis Verulamii, vel alia aliqua feliciſſimi ingenii idea foret. Aſt eheu! quam vere ille dixit, *nihil eſt ab omni parte beatum.* Horat. Verum tamen (t) Deus longe plura quam quæ nos ſperare, vel etiam cogitare poſſumus, præſtare poteſt. (v) Eſt enim non tantum bonus, ſapiens, omnipotens, ſed ipſa bonitas, ſapientia, omnipotentia, ſicut (w) Scaliger Senior alicubi docet. Quod etiam non omnem me omnino ſpem de emendanda Polona (quo de argumento (x) And. ille Fricius Modrevius, Regi Sigiſmundo Auguſto à Secretis, præclarum opus reliquit) imo & Chriſtiana Repub. abjicere facit: licet illa adhuc tot difficultatibus, his inſuper accedente diſcordiâ, (y) quâ & maximæ res, nedum tamdiu & tantum attritæ ac concuſſæ dilabuntur, implicita ſit, ut eas eluctari citra ſingulare Dei auxilium humanæ non ſit opis.

At verò longè meliùs cum Veſtris & Comitiis (ut hac voce nota de Veſtro illo Imperii conventu utar) & negotiis comparatum eſt. Ideò etiam de componendis illis veſtris controverſiis melior ſpes affulget. Tam enim multi ſunt Principes & Status, (z) quorum pacem Weſtphalicam maximo, ſi quæ unquam, (a) impendio triginta annorum (maximum mortalis qui ſpatium, ſi judice (b) Tacito, grande eſt ejus dimidium) partam ſervari intereſt, ut ſi vel hic vel ille, ſicut. (c)

Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno,

Eam labefactari, negligi & vel aboleri cupiverit, facilè aliorum auctoritate coërceri poſſit. (d) Hiſpania ſatis bene & providenter ac firmiter in ſe compoſita, (e) nutat tamen inter Regis cum morboſa ſenectute & Regii infantis cum imbecilla pueritia conflictantis dubiam valetudinem: quam diu vegetam & firmam optare, publicæ intereſt rei. (f) Angli & (g) Hollandi acre (h) parant bellum, ſummam rei in ancipiti belli & maris alea collocaturi, &, ut verendum eſt, alios quoque Principes in ſocietatem belli tracturi. Cavebit tamen ſibi credo Anglia, (i) quæ foris externa bella quærit, cum domi & velut in ſinu interni belli faces fomiteſque, tantam & Regali & Epiſcopali dominationi capitali odio infenſorum multitudinem foveat. (k) Gallia ad invidiam pace opibuſque florentiſſima, arbitrium controverſiæ iſtius, ut & illius Hiſpanum inter & Portugallum decidendæ, ut ſpes eſt, conſequetur. Quod tanto magis optandum venit,

(a) Contumaces ſui ipſorum obliviſcuntur.
(b) Reip. Polonæ conſtitutio antiqua eſt optima.
(c) Æqualitas in Rep. Polona.
(d) Polonæ Reip. conſtitutio optima.
(e) Anacharſis Philoſophus Solone oculatior.
(f) Leges aranearum telis ſimiles.
(g) Rota figularis humanarum rerum ſymbolum.
(h) Navigatio periculoſa.
(i) Anchora Anacharſidis inventum.
(k) Leges non ſunt aranearum telis ſimiles, ſi à Magiſtratu juſto executioni dentur.
(l) Follis Anacharſidis inventum.
(m) Cometa cæleſtis monitor & nuncius.
(n) Politicæ diſciplinæ compendium.
(o) Gloria Principum in juſtitia.
(p) Subjectorum gloria in obſequio.
(q) Perfectionem virtutis impedit humana tum imbecillitas, tum contumacia.
(r) Cælum in terra dari optandum eſt.
(ſ) Reſp. perfectiſſima in terris non datur.
(t) Deus Omnipotens.
(v) Dei deſcriptio optima.
(w) Exerc. 365.
(x) Fricius de Rep. emend. egregium opus reliquit. *(y) Diſcordiâ maximæ & firmiſſimæ res delabuntur.* *(z) Pax Weſtphalica cara, ideo tenenda.* *(a) Bellum Germ. 30 ann.* *(b) Quindecim annorum ſpatium.* *(c) Voluntates hominum diverſæ.* *(d) Chriſtiani orbis ineunte [illegible] 1665. facies delineata.* *(e) Hiſpaniæ conſtitutio.* *(f) Angli.* *(g) Hollandi.* *(h) Bellum inter Anglos & Hollandos periculoſum.* *(i) Angliæ ſalubre monitum.* *(k) Gallica florentiſſima pacis & belli arbitrium conſequitur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quantò ardentius, alii bella contra humanitatis naturam cupientes, (*b*) militiæ neceſſitatem, (*c*) quam juſti limitibus, præ cæteris Magnus ille Grotius, circumſcribere conatus eſt, in (*d*) voluntariam vitæ, per omne luxuriæ & vitii genus, agendæ rationem convertere ſolent. Ipſe Deus tot malis remedium adferat efficax! Sed quid cunctamur? (*e*) Adfert Deus ecce tam illuſtre, quod nuper fulſit in cælo Cometæ ſidus! (*f*) Hunc ego tam bonorum quam malorum nuncium duco, & quod felix fauſtumque ſit! orbi Chriſtiano in medium profero. Verum enim verò etiam citra hoc phænomenon, (*g*) Deus nos arbitrii libertate, vi ingenii, acumine judicii, aliiſque naturæ, tum verò potiſſimùm revelationis donis inſtructos, & aſſiduis pietatis exercitiis ſubactos, (*h*) ad conſequendam æternæ beatitatis via virtutis metam (quod & Romanorum vetus ſuperſtitio rationem ſecuta adumbravit per templum Virtutis ad templum Honoris ducens) invitat. (*i*) Sed ſi nos nobis ipſis deeſſe, & ſpes ejus ac vota & gratiæ ejus conatus noſtraque commoda deſtituere, nos in ſaxa & lapides vel truncos convertere velimus, Deum ipſi abſolvimus, noſmet autem condemnamus. At hic dicendi finis eſto: ſi unum dico, nihil certius eſſe, (*k*) quam mentem Deo confiſam, nunquam reddi confuſam pudore vel metu, etſi non tantum (*l*) Sol defectu laboret, (*m*) & Cometes longam projiciat caudam, ſed commoveatur imis ſedibus mare, (*n*) ipſeque terræ orbis, imò ſi vel furat ruatve mundus. Nota enim ſunt illa tam vera quam quæ veriſſima: (*o*) *Turris fortiſſima nomen Domini. Hæc eſt arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum munimento non egere:* (*p*) *tranquillâ* nempe *conſcientiâ* fretum: qua *nihil beatius excogitari poteſt.* Atque hæc eſt (*q*) univerſæ ſapientiæ Sacræ & Profanæ, ideo & votorum meorum publicè privatimque ſumma. His addo illud pro ſalute & proſperitate omnium bonorum Tui ſimilium.

Tuus omni ſtudio, officioque.

Staniſlaus Lubienietzki.

(a) Bellorum appetentes inhumani.
(b) Bella neceſſaria & juſta ſola Grotius probat.
(c) Grotius laudatur.
(d) Militaris vita plerumque licentioſa.
(e) Dei bonitas in genus humanum.
(f) Cometa bonorum malorumque nuncius.
(g) Divina dona hominibus conceſſa.
(h) Virtus ſola ad gloriam ducit.
(i) Homines proprii exitii ſunt auctores.
(k) Deo confiſus nunquam confuſus.
(l) Eclipſes Solis.
(m) Cometæ non terrent pios.
(n) Pium de conſtantia mentis nil dejicere poteſt.
(o) Fortitudo Chriſtiana in fide & conſcientia bona.
(p) Pax conſcientiæ optima.
(q) Sapientiæ univerſæ caput.

Ex Marchia Hamburgum die 9. Aprilis 1665.

CUm tam grata Tibi eſſe intelligam, quæ de rebus Comitiorum Ratiſbonenſium ad Te hac, veluti per circuitum quendam pervenire meâ operâ ad bene de Te merendum prompta, poſſint, faxo ut ſubinde quædam ſingularia Tibi ſubmittam. Nuper quidam ex Amicis pro veteri confidentia ita ad me ſcribit: (*r*) Nos hic fere nihil agimus. Ego quo res tendant, cum oculatioribus quibuſque prævideo; adeoque conſtantibus exemplis muniendum eſſe omnibus boni publici amantibus animum proſpicio. Scilicet & nos non impune videbimus Cometam. Ita judico: Animadverto enim non pauca mala in publicum ex illo diſſidio acri, ratione voti Magdeburgici enato, redundatura. Hæc ille: quæ ideo quoque Tibi communicare volui, quòd ad materiam Tibi de Cometis propoſitam faciant. Videbimus quid in illis Comitiis nunc poſt peractas ferias Paſchales agetur? (*s*) A Cometis ſibi metuunt. Sed prius ab aliis metuant ſibi neceſſe eſt. Tua de Cometis ſententia, quod ſcilicet & bona præſagiant, mihi non diſplicet. Ulterius tamen diſcutienda & examinanda eſt. Quid vero ſibi vult (de quo jam ante rogare Te volui:) ille (*t*) Principis Palatini Adolphi Joannis ex Suecia diſceſſus & in Germaniam profectio? Numquid aliud quam curam valetudinis ſuæ, quam publica fert fama, in Germania intendit? Hujus morbos certe non ſanabit, etiamſi ipſum Avunculum (*v*) Guſtavum Adolphum, tot rebus præclare geſtis, ipſi hoſtili invidiæ debitam laudem extorquentibus, cognomen Magni adeptum, ſuperet. (*x*) Sed & res Veſtræ Polonicæ indicant multis & gravibus internis morbis Remp. laborare. Quorum originem magna ſui parte, quod ad meam notitiam attinet, latentem, quod in lucem protrahere & ſtudium juvandæ patriæ teſtari mihi volueris, gratias Tibi ago maximas. Vere dicere poſſum (*y*) Sereniſſimum quoque Electorem pro virili

conari,

(r) Ratiſbonenſis Conventûs res dubiæ.
(s) Cometæ metuendi non ſunt metuentibus Deum & prudenter agentibus.
(t) Adolphi Joannis Principis Palatini ex Suecia profectio in Germaniam.
(v) Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ laudatur.
(x) Poloniæ ſtatus periculoſus.
(y) Elector Brandenbur. Reipubl. Polonæ benè cupit & conſulere vult.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

conari, ut florentiſſimam illam & ut vicinam ita & amicam ac ſociam Remp. adjuvet ad priſtinam quietem & felicitatem recuperandam. Totaque adeo Aula hæc libenter pacem ibi videret. Sed impoſſibile hactenus fuit morbos Reipub. illius vel tempeſtiva prudentia avertere, vel benevola induſtria curare (*a*), iſtiſque nuper exortis internis motibus obviare. Habent autem profecto & illi & reliqui, habemus, inquam, omnes & (*b*) tot divina dona ad virtutem nos excitantia & juvantia, & tot monita per apparitionem Cometarum & aliorum ſignorum cælitùs data: prout lepidè Tua epiſtola, nec non ſtatum univerſi orbis Chriſtiani docet, quæ res mihi longè gratiſſima extitit. Ac proinde ſcito gratum mihi fore, ſi ita perrexeris me literis tuis proba ſemente refertis beare: quibus ego, ſicut & Tuo affectui ſemper reſpondebo. Vale.

(a) Dei bonitas excitat ad officia pietatis.

(b) Cometæ & alia ſigna cæleſtia officii nos admonent.

Hamburgo in Marchiam die 14. *April.* 1665.

QUid ni grata mihi ſint quæ à tam amica & candida manu veniunt, non tantum (*c*) terſè, ſed & liberè ſcripta? Demonſtras ſubinde, quam optimè Tuæ meæque patriæ, univerſæque adeo Reip. Chriſtianæ cupias. Atque hoc eſt cujuſque Probi & Laudati Viri officium. (*d*) Omnes enim orbis incolæ velut in una patria degimus communi civitatis jure donati. Ideo antiqua Sapientia, duce Socrate, totum terrarum orbem unam urbem ducendum eſſe, (*e*) ac proinde exſilium ipſum non moleſtè, ſed modeſtè potius & æquo animo ferendum, ſuadet. Quod egregiè Plutarchus L. de exſulio docet. Ego rebus Conventus Veſtri Ratiſbonenſis optime auguror. (*f*) Atque id etiam ex Amico meo, qui illuſtri Legati munere ibi fungens, magna illorum quæ ibi geruntur pars eſt, habeo, etſi & ille nonnunquam de optato eventu addubitare prudenter videatur. (*g*) Tot enim Viri totius Germaniæ Præſtantiſſimi & Illuſtriſſimi, qui boni publici ſtudio nulli cedunt, illuc convenerunt, ut ita nonniſi optima quæque ab illis exſpectanda ſint. (*h*) Quod ad Cometam, etiam nuperrimé videri cœptum attinet, omnes eum, quod firmiter credo, impune videbunt, qui rite officii partes impleverint. Adeoque perſto in mea ſententia, (*i*) Cometas bonis bona, mala malis ex perpetua divinæ juſtitiæ lege ſignificare. Pluribus id aliquando, ſi Deus volet, probatum dabo. (*k*) Sereniſſimus Princeps Palatinus ex Suecia in Germaniam valetudinis curandæ cauſſa profectus eſt. Decrevit (&, ut accepi, perfecit) per Hollandiam acidulas adire Spadanas, de quarum uſu hic cum Clar. Doct. Huſwedelio locutus eſt. Non aliud ex ore ipſius Principis habeo, quem ante XVI. annos Juliomagi Andium in Galliis notum, in Polonia, Pomerania & hac in urbe benignum expertus ſum Patronum. Et ita quidem ſermo nobis de hoc habitus eſt, ut coram me, qua Princeps ille eſt humanitate & in me benevolentia multa, de multorum hominum ſuſpicionibus inſtitutum ſuum petentibus, quæſtus fuerit. Princeps profecto eſt non ſolum bellica laude Inclytus, ſed & alias Magnanimus, & cui generoſo incaluit pectus honeſto. (*l*) Singularis in eo elucet humanitas: quæ ſi auctoritatem rite retineat, maxime Virum Principem decet. Sicut vero ille Germaniæ multis Principibus, ſanguinis vinculo ſecum junctis, eſt gratioſus, & alias ad magna quæque natus, ita conſilio & opera multum res Germaniæ Veſtræ juvare, ubi commodum erit, poterit. Sed Tu, qui omnia ad perfectionis leges exigis, morbos patrios inſanabiles judicas. Faciam Te certiorem, ſi quid Tuo ſcitu dignum de rebus dicti Principis accepero. Laudes jure meritoque etiam ἐν παρόδῳ (in tranſitu) attingis Avunculi ejus (*m*) Guſtavi Adolphi, cui & rerum geſtarum veritas & conſentiens fama cognomen Magni indidit. Non video cui meliori jure quam Principi iſti Palatino aptari illud Virgilianum poſſit Æneid. 12.

(c) Officium boni & Amici & Viri.

(d) Patria communis nobis eſt totus orbis.

(e) Exilium æquo animo ferendum.

(f) Ratiſbonenſibus rebus Auctor optimè auguratur.

(g) Ratiſbonenſis conventus viris totius Germaniæ excellentiſſimis gaudet.

(h) Cometæ metuendi non ſunt metuentibus Deum & prudentèr agentibus.

(i) Cometæ bona malaque ſignificando divinam juſtitiam demonſtrant.

(k) Adolphi Joannis Principis Palatini in Germaniam profectio, & laus.

(l) Humanitas maximè Viro Principi convenit.

Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ laudatur.

— — — te animo repetentem exempla Tuorum
Et Pater Æneas & avunculus excitet Hector.

Auctor pietate in patriam & dolore juſto permotus liberè morbos ejus monſtrat.

Polonicarum rerum ſtatus periculoſus.

Libertas conſcientiarum violata plurima mala Poloniæ attulit.

Grata Tibi fuiſſe, quæ nuper pietate in patriam & juſto dolore permotus ad Te de origine malorum Poloniæ noſtræ ſcripſi, libenter intelligo.

Non ſum divinus: ſed ſcio quid faciam Martial. l. 3.

quidve hic dicendum ſit non vatis vel conjectoris, ſed cordati Viri more, & ex officii quaquaverſum faciendi ratione. Ex his quæ adhuc vel geruntur vel decernuntur, palàm eſt magnam mutationem Reip. imminere. Dum vero cuncta penſito, cauſſas ſcil. tantorum judiciorum divinorum, quæ in patria exercentur, dicere aliter non poſſum, quam Deum genti noſtræ ab Anno 1647. quo libertas conſcientiarum ſingulari & majori quam unquam antehac injuſtitia violata infenſum, tot continuis bellis eandem exercuiſſe & ad pœnitentiam perducere voluiſſe; quod me ſuperioribus literis demonſtraſſe Tibi memini: ut & Deum nunc omni libertate religionis machinâ legis Jagellonicæ Anno 1658. ſubverſa magis magiſque iratum vindictam continuo augere. Si itaque mentis oculos in longè remota conjiciamus ſecula, ſimile quid in Sacra Hiſtoria legimus.

Polonica violatæ fidei publicæ iniquitas illi Iſraëlitarum in Gabaonitas exercitæ comparatur.

(a) Fœderatio Ordinum Regni lex eſt publica.

(b) Inæqualitas libertati Polonæ contraria.

(c) Elector Brandenburg laudatur.

(d) Polonæ Reip. reſtituendæ ratio commendatur.

(e) Fidei publicæ violatio Deum vindicem ſeverum experitur.

(f) Gabaonitarum exemplum aſſeritur, & diſcrimen inter eos & exules Polonos demonſtratur.

Notum enim eſt quam graviter Deus fidem Gabaonitis impiis advenis fraude quidem obtentam; ſed publice à Joſua datam, à Saule vero violatam, etiam in poſteris ultus fuerit, quamque non ante quieverit, uſquedum meritas de contemptoribus nominis ſui & violatoribus juratæ fidei pœnas ſumeret. At quanto gravius hic peccatum eſt, dum in (*a*) Rep. libera pares paribus publicam fœderis legem toties & ab Ordinibus Regni & à quinque Regibus juratam, Conventuum Regni Sanctionibus munitam, & jure præſcriptionis, integri amplius ſeculi uſûs confirmatam frangunt, & (*b*) tantam inæqualitatem, libertatis avitæ peſtem inferunt! Conveniens pietati in Deum patriamque, ſed & ipſi humanitati judico, ut Tibi id quod publicè utile eſt, commendem. Nempe ut in Aula Sereniſſimi Electoris ((*c*) cujus ut Juſtitiam, Clementiam, Prudentiam, aliaſque Principe Viro dignas virtutes, ita in curandis & promovendis quaqua verſus commodis publicis ſtudia novit orbis & poſtera memorabit ætas) tum & in Polonia (*d*) per Amicos Aulæ & Ordinibus Regni gratioſos redintegrationem legis fideique publicæ, æquitatis & libertatis communis, qua datur, cures. Nam citra hanc divinæ vindictæ non ſatiſfactum iri, ipſa juſtitiæ docet ratio. Quam in rem ut tot Cometarum apparitiones aliaque portenta merito adferes, ita & illud Gabaonitarum exemplum. Mala enim malis in Rep. cumulari pluſquam notum eſt. (*e*) Unde vero hæc niſi ex violata fœderis publicæ fide & jurisjurandi Sacroſancti religione? Non immerito, ſaltem quodammodo, referendum huc eſt illud vetus Lyrici Poëtæ.

Dî multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

g] Fœderationem eſſe legitimè obtentam & mutuò ab Ordinibus ſervandam demonſtratur.

h] Tolerantiam religionis in Polonia ſancitam Ordines mutuò dant & accipiunt, ut in æquali Reip. ſtatu.

Scio non omnes in gente noſtra horum eſſe capaces. Non tamen & tales deſunt, præſertim ſi cum cura quærantur & ſeligantur. Ponendum illis ob oculos eſt (*f*) illud exemplum ſacris monumentis proditum. Tanto vero magis, quod nos non per ullam fraudem, ſed tempore, loco & modo debito (*g*), quia Rep. mortuo Sigiſmundo Auguſto in ſummo libertatis faſtigio poſita, in Comitio & foro & attractis in aſſenſum Ordinibus Reip. (Maſovios & Clerum Romanum ſi excipias, quanquam Legi fœderis illius Craſſinius, Myſcovius & Goſlicius Epiſcopi ſubſcripſerunt) (*h*) æqui fœderis & libertatis legem, non ut alienigenæ vel advenæ & inquilini, ſed ut reliquis per omnia pares, indigenæ, cives à civibus obtinuerimus, & quantum in nobis erat, mutuo conceſſerimus. Tolerantiam enim illam non uni vel alteri parti indultam, ſed mutuam, communem & perpetuam eſſe debere verba legis expreſſa, *Quod nos qui ſumus diſſidentes de religione* (puta tam Romano-Catholici quam ab eis diſſidentes, hi enim ab illis, & illi ab iſtis mutuo diſſident) *pacem inter nos conſervabimus &c.* ut & illa: *Hæc omnia ſpondemus nobis mutuo & pro poſteritate noſtra ſervare conſtanter, & tenere ſub fide, honore & conſcientiis noſtris:* docent & ad oculum demonſtrant. Non quidem nos conterranei noſtri trucidarunt,

(*a*) ſicut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

(a) ſicut Iſraëlitæ Gabaonitas (licet & hoc crudelitatis genus quidam experti ſint) ſed ſufficit nos ab eis nullo jure communi patriâ pulſos, imo communi patriæ libertatis jure & uſu privatos eſſe. Neque etiam nos, ut Gabaonitæ, vindictæ cupidine in violatores fidei flagramus, Deus à nobis tantum avertat crimen! Verum nobis quoque tacentibus & optima quæque patriæ & conterraneis precantibus, (b) ipſa iniquitas & injuſtitia, liberrimæ Reip. inviſa, juſtam Dei vindictam provocat, & ad horrendam converſionem, quod ex juſtitiæ & experientiæ ratione meritò vereor, Reip. inducendam ad ultimum provocabit. Nam quod ad nos attinet (c), crede mihi, illa exſilii, quæ toleramus, incommoda non ſunt cum illis comparanda, quæ popularium plurimi à Moſcis, Tartaris, Coſacis propriiſque civibus in fraterna viſcera, jam jam ferrum expedituris, perferunt. Imo vero quidam eorum nos felices dicunt, quod tot malis nos divina ſubduxerit (d) providentia, calamitatem in ſalutem (e) nobis vertens, ſicut olìm Chriſtianis, qui Nazaræi dicti ſunt (f), urbe Jeroſolymitana ante urbis & civitatis Judaicæ everſionem (abſit omen!) pulſis & in Syriam trans Jordanem confugientibus. Quapropter quidam Amicorum, tam periculoſum & calamitoſum patriæ ſtatum deſcribens cum dolore, illa Lucretiana addidit (g).

(a) Gabaonitas inter & exules Polonos diſcrimen ulterius demonſtratur.
(b) Injuſtitia ipſa vel tacentibus oppreſſis Dei vindictam provocat.
(c) Exſules malis patriæ ingruentibus ſubtracti.
(d) Divina providentia admiranda.
(e) Mala cedunt in bonum bonis.
(f) Chriſtiani Jeruſalem pulſi.
(g) Fluctus de litore adſpicere jucundum.

Suave mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem.
Non quia vexari quenquam eſt jucunda voluptas,
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.
Suave etiam belli certamina magna tueri,
Per campos inſtructa tua ſine parte pericli. L. 2.

Ac profecto hoc eſt quod mitigat, imo tollit omnem acerbitatem ex patria amiſſa provenientem: quæ magna eſt profecto, etſi illud Euripideum (h) *carere patriâ malum eſt maximum & re majus quam dici queat*, non uſquequaque verum ſit, ut docet Plutarchus lib. de exſulio. Scilicet ſi (ut fieri plerumque ſolet, quod ille Themiſtoclis, Thucydidis, Xenophontis & aliorum exemplis docet) (i) adſit alia commoda & quieta ſedes liberali idonea otio, & exercendæ virtutis ingeniique occaſio. Sed de his ſatis, in præſentia quidem. Vale.

(h) Patriâ ejici non ſemper malum eſt.
(i) Seceſſus ſtudiis aptus.

Ex Marchia Hamburgum die 24. Aprilis 1665.

Accepi ante aliquot dies Tuas literas die 14. hujus ſcriptas, mihi multis de cauſis gratiſſimas. Nam ut multam bonam frugem in ſe continebant, ita plurima de rebus Polonicis notabilia & egregia, quædam etiam mihi hactenus ignorata. Ego ſemper dolui doleoque triſtem Tuum omniumque veſtratium caſum (k). Religionis diverſæ negotium ſeorſim pono. Nunc civilia nobis tractanda ſunt. In his tantam commiſſam eſſe iniquitatem (l) ſtatui Reip. Veſtræ, quæ non alia re magis, quam libertate per orbem claruit, prorſus contrariam, vehementèr doleo, (m) & veſtræ non tantum parti, ſed & Reip. univerſæ compatior. Nam id à quolibet ipſam humanitatem exigere credo. (n) Utinam aliquis tam felix reperiatur, qui illos incurabiles morbos Reip. Veſtræ, qui & nobis aliiſque vicinis multa mala cauſari poſſunt, adhibita manu medica fideli, prudentia & induſtria ſuperare valeat! (o) Ego partibus meis hic non deero, ne & veſtræ parti, quantum æquitas & ſalus Reip. & veſtræ & noſtræ & generatim Chriſtianæ expoſcit, deſim, communeque Status, quod vulgo vocamus, intereſſe, quod mihi ſemper commendatum eſt, qua ratione potero juvabo. In hoc etiam (p) Aulam Electoralem omni ſtudio incubituram, certus eſto. Ut recta & æqua perſuadeamus, advocabimus & Cometam in auxilium, non tantum in Veſtro, ſed & in noſtro negotio. Ecce enim quæ nuperrimè ad nos Ratiſbona ſunt præſcripta: quæ quia Tibi grata ſunt, &

(k) Religionis diverſitas toleranda.
(l) Polonæ Reip. ſtatui nupera converſio adverſa.
(m) Miſericordia hominem maximè decet.
(n) Poloniæ in ſalute magna ſalutis Reip. Chriſtianæ pars ſita eſt.
(o) Poloniæ conſervationem orbis Chriſtianus ſingulari ratione curet oportet.
(p) Brandenburgica Electoralis Aula rem Polonam reſtitui cupit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

& occaſionem ingenuè & prudentèr de rebus judicandi præbent, libenter Tibi communico. Ità igitur illinc Vir quidam Præſtantiſſimus ſcribit (a): *Nos hîc in negotio Capitulationis Cæſarea & Naſſovico progredimur lentis paſſibus, ita tamen ut aliquid lucremur, & ſint qui adhuc ſperent exitum bonum. Ego meum judicium ſuſpendo, donec videam ulteriorem magnæ hujus machinæ motum, quem felicem opto magis quam ſpero, ut & nos dicere poſſimus.*

Tantæ molis erat conſtantem condere legem! Hactenus ille. Aliunde accepimus (b) Principem Palatinum Sultzbacenſem Philippum, quem noris Marſchalcum Campi à Cæſare eſſe creatum, locutum eſſe cum *Lubomirſcio* (c). Valde laudat hominem omnibus numeris abſolutum, nec miror (talem enim eum & ego novi) (d) licet & ipſe inter laudatiſſimos ætatis noſtræ Principes merito ſit ponendus, ideoque ut ſpero, favore & ſtudio (e) Principis Lobcowitzii, quem eximiæ dotes prudenti Cæſaris benignitate in Porciæ locum ſupremum Aulæ Marſchalcum reddiderunt, utpote Affinis, & paterno prope affectu ſe proſequentis, ad altiora mox evehendus. Atque hoc libenter ſane ego viderem. (f) Eſſet enim hoc bonis ſalutare ſidus, & velut novus Cometa, ſiquidem & hic fauſta adferre multis creditur. Cæterum ego in tanta rerum Veſtrarum varietate & caligine, quid judicare debeam ignoro. Sed ſi quid tamen video, animadverto Veſtros nova Comitia circa initium æſtatis parturire, omni autem anni parte infelices eſſe (g), quia ab alieno arbitrio dependent: uti evenire ſolet exterorum oculis videntibus. Deus à ſimili malo nos liberet! Ego enim, quantum ex literis Ratisbonenſibus video (h), de noſtris quoque rebus illîc ambigo, modo bonam ſpem de ſe præbentibus modo exiguam. Utinam & iſte Cometa aliquid conferat ad feliciter concludenda noſtra Comitia! tàm bonum publicum negligentes minis adverſorum terrendo, quam illud pro virili promoventes promiſſionibus ſecundorum animando. Vale.

Hamburgo in Marchiam ult. Aprilis 1665.

NOn minus mihi gratæ fuerunt Tuæ poſtremæ, imo longe gratiſſimæ. Documento enim ſunt nos jura (i) amicitiæ, & ſtudio quidem virtutis ac publicæ utilitatis, ſtrenue colere, dum literarum commercium colimus diligenter. In argumentum melioris amicitiæ Tuæque humanitatis & probitatis duco, quod res noſtras adverſas moleſtè feras & (k) miſericordia tot nobilium & honeſtarum familiarum in exilium ejectarum capiaris. Eadem æquitate ego in omnes utor, & hoc humanitatis officium cuique præſto, (l) ſalva ſententia in rebus fidei diverſa, quam ſolidè ſcio libertati conſcientiæ & omniſcientiæ ac omnipotentiæ divinæ prorſus eſſe relinquendam. (m) Itaque cum omnibus Viris doctis & virtutis amantibus, quamcunque in religione Chriſtiana teneant ſententiam, & literas frequenter commuto & jura amicitiæ exerceo. (n) Morbos Reip. Polonæ ſanabiles fore ſpero, ſi externa aliqua manus Medica efficacia remedia attulerit. Quod ni fiat, exſpectandum erit, (o) uſquedum Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς (Deus quiſpiam tragicus, qui improviſo oſtendi ſolet) accurrat. In tot Regni Conventibus (p) populares mei agunt agentque magno conatu actum, niſi reſtituatur juſtitia: cujus (q) violatio alias non condonatur. Nempè ipſi quoque fatentur & docent Pontifices, *non remitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Quid autem majus auferri poterat, quam (r) integra libertas? inæſtimabile bonum, nec ulla purpura venale nec auro. Atque ea quidem cum patrii aëris & paternarum fortunarum uſura. Certum eſt à promiſſis, largitionibus & minis (s) exterorum eos dependere. Utinam nos omnes poſt tot alia & (t) Cometæ juvent ad id quod placet eorum & noſtrûm omnium conditori! (v) Veſtrates in Conventu Imperii, lentiore quamvis gradu procedere & optato fini appropinquare, omnes qui publico bono favent, gratulentur. Vobis reique publicæ neceſſe eſt. Quibus & læ-

(a) Ratisbonenſis conventûs eventus dubius.
(b) Princeps Palatinus Sultzbacenſis Philippus laudat Lubomirſcium.
(c) Lubomirſcius laudatur.
(d) Princeps Palatinus Sultzbac. commendatur.
(e) Lobcovitzius Princeps meritò Porciæ in locum ſuffectus.
(f) Princeps laudatus, inſtar ſalutaris ſideris eſt.
(g) Exteri ab arcanis Reip. & gubernatione arcendi.
(h) Ratisbonenſis Conventûs eventus dubius.
(i) Amicitiæ jura & literarum commercia cum uſu publico colenda.
(k) Miſericordia hominem maximè decet.
(l) Religionis diverſitas toleranda.
(m) Auctor ſalva ſua & cujuſque conſcientiæ libertate cum diverſæ religionis hominibus amicitiam & literarum commercium colit.
n] Poloniæ morbos externæ auctoritatis interventu tolli oportet.
o] Auxilium inexſpectatum è cælo obtingit.
p] Poloni per omnia fruſtrà ſunt, niſi reſtituant juſtitiam.
q] Juſtitiæ violatio non condonatur, niſi fiat ablatorum reſtitutio. [r] *Libertas ablata neceſſariò reſtituenda.* [s] *Exteri multum in Polonia agunt.* [t] *Cometa virtutis incitamentum.* [v] *Ratisbonenſi conventui eventum proſperum omnes boni precantur.*

tum

tùm conſiliorum eventum Viris illis Illuſtriſſimis & Egregiis, pro egregio publico laborantibus, ex animo precari officium incumbet. Magnum vero operæ pretium facturi ſunt, poſtquam legem illam Capitulationis Cæſareæ condiderint, tot eluctati (a) difficultates, quarum in omni negotio acerbitatem edulcat ſpes illa gaudii præceptio (b).

Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat honeſtum.

(c) Lubomirſcium, Virum ſine exemplo, in univerſa Polonia Maximum, tantopere Celſiſſimo Principi Palatino Sultzbacenſi placuiſſe facile credo. Similis ſimili gaudet. Ex animo opto (d) Principi iſti Magnanimo, & Regiis virtutibus prædito, proſperrima quæque, ut Luceat novi inſtar ſideris in Aula Viennenſi & ſalutiferi Cometæ. Novi eſſe Principem ad maxima quæque natum, & favore tanti affinis digniſſimum. Vale.

(a) Difficultates lenit ſpes futuræ delectationis.
(b) Ardua quæ pulchra. Lætiora quæ multo ſudore parantur.
(c) Lubomirſcius laudatur.
(d) Princeps Palatinus Sultzbacenſis commendatur.

Ex Marchia Hamburgum die 9. *Maji* 1665.

NUperrimis Tuis ex tempore, ideoque breviter reſpondeo, doleoque me gratiſſimo literarum Tuarum commercio diutiùs, nunc quidem, graviſſima de cauſa frui non poſſe: ita ut Tibi ad tempus valedicere neceſſe habeam. Ratisbona nihil habeo præter paucula hæc, quibus Vir ille Eximius ſignificat, ſe de rebus (e) Comitialibus necdum certi quid ſtatuere potuiſſe, & prorſus quid eſſet ſperandum neſcire: cum nonnulli valdè confuſè & artificioſè agant. Deus Tuis ſtudiis adſit! Vale.

(e) Ratisbonenſis Conventûs eventus dubius.

Hamburgo in Marchiam die 16. *Maji* 1665.

PRivari me tam jucundo & utili literarum Tuarum commercio & ego valdè doleo & moleſtè fero. Fateor enim me hæc (f) ſtudia & officia inter gratiſſima & utiliſſima publice privatimque ponere, iiſque valde delectari. Utinam poſſet graviſſimum illud (g) impedimentum removeri, ne Tibi obſtet tam bene & tanta cum ſinceritatis & libertatis laude currenti! Harum enim utraque (h) Rerumpublicarum commoda maxime promovent. Ideò utramque aliàs pariter cum Viris Præſtantiſſimis, & omni laudis genere Ornatiſſimis, per literas exerceo argumenti de Cometis ampliſſimi & illuſtriſſimi occaſione. (i) Hæc aliquando in faſcem collecta, urgentibus Amicis, in lucem, volente Deo, proferentur. Erunt verò illic amicæ confabulationes, ut voce Plauti & Gellii utar, & quales in conviviis iſte haberi vult (k), ſermones jucundi atque invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles, eaque potiſſimum quæ ſimul ſint βιωφελῆ (vitæ utilia) & delectent, ſicut idem ex Varrone addit, Noct. Attic. *l.* 13. *c.* 11. Talia nempe erunt, qualia inter nos ſociavimus colloquia, à quibus ægrè abſtrahor. Inerunt tamen operi & illa quæ Philoſophicam exercebunt induſtriam. Vale.

(f) Literarum commercia cum uſu publico colenda.
(g) Impedimenta candori proborum objiciuntur.
(h) Reip. uſus maximè promoventur ſinceritate & libertate proborum.
(i) Auctor methodum operis explicat & commendat.
(k) Voluptas honeſta cum utilitate juncta, omnes felicitatis partes implet.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 27. *Martii* 1665.

SUnt hîc diverſi diſcurſus & tractatus de Cometa: & inter alios ille Patris Jacobi Grandamici Jeſuitæ, dedicatus Sereniſſimo Principi (Condæo) eſt bene politus. Sed qui eſt valdè grandis, ut mittatur per tabellarium.

Nondum eum vidi, niſi in tranſitu. Sed video ibi, quod * aſſeclæ iſtius Societatis non metuant hæc, quæ cælum

IL y a ici divers diſcours & Traictéz de la Comete: & entr' autres celui du Pere Jacques Grandamy Jeſuite, dedié à Monſieur le Prince, eſt bien poli. Mais qui eſt trop grand pour eſtre envoyé à la poſte.

Je ne l' ay veu encore qu'en paſſant. Mais j'y voy, que ceux de cette Societé là ne craignent pas ce, dont le ciel nous

Grandamici Jeſuitæ liber de Cometa commendatur.
** Jeſuitæ ſecuri & parum ſoliciti de ſignis cæleſtibus, res ſuas in terra firmant.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nobis minatur, dummodo illi per ſuam ſubtilitatem & per ſuas factiones & artes ſtabiliant quæ illorum intereſt conſequi deorſum in terra. Autor quoque unus eſt ex illis, qui aſſerunt Franciæ, quod illa hîc nihil habeat metus apprehendendum, quod concordat cum maximis (regulis) aliquorum Politicorum ſine ſcrupulo (religione).

Politicorum nonnulli religione liberi.

Oxonienſis Aſtronomi liber de Tri-Cometa: obſervatio Cometæ à die 22. Novemb. & novum inſtrumentum parallaſtium.

Eſt hîc etiam tractatus de Tri-Cometa, obſervato Oxoniæ in Anglia à die 22. Novembris uſque ad 28. Januarij 1665. cum inſtrumento parallactico novæ inventionis, ſecundum veram doctrinam antiquorum Chaldæorum & Arabum, uſque adhuc non evolutam nec intellectam. Sed hoc non valet etiam multum, cum ſit ſolummodo pro Mathematicis & Algebræ peritis more Chaldaico. Nam ecce experimentum ſubtilitatis iſtius artis, quando ponit hæc verba ſine ulla explicatione. *Pavo qui habet caput luminoſum & caudam obſcuram, eſt, ſicut dicunt infantes* (filii) *Ur-thiarim, perturbatio regularis Scataeletorum, Camaeletorum & Zadkieletorum, & deſcenſio retrograda Primordialis per medium circulorum mixtorum cum Quadrangulo. Hæcce pauca verba*, inquit, *continent formationem, motum & durationem hujuſce Tri-Cometæ.* Scribit dehinc: *Non loquor quidquam de effectis, quæ judicia ex aſtris ferre docti illi attribuunt; nam hæc eſt diſquiſitio, quæ non pertinet quidquam ad Aſtronomiam, & cujus explicatio (ſi tamen illa habet aliquam veritatem) non poteſt fieri quam per Cabalam, cujus neſcio plures duobus hominibus in mundo, qui habeant veram clavem* &c. Quod attinet ad titulum de Tri-Cometa, notat ille Autor, quod *hocce phænomenon 17. primis diebus fuerit Tri-Cometa, & quod poſthac evaſerit Di-Cometa, & quod antequam finem conſequatur ſit reducendum in Mono-Cometam.* Promittit nobis de hinc mirabilia, irridendo omnes reliquos Mathematicos. *Hocce eſt quod non probabimus* (inquit) *per rationes convenientiæ, moralis diſciplinæ & Metaphyſices: ſed per veſtigia Alimudiæ Aſtronomicæ extracta ex Algebra Chaldaica, quæ eſt ultima & ſuprema ratio ſpecioſæ. De qua in præſentia ſubjeci tractatum prelo ita clarum quales ſunt radii Solis, & qui demonſtrabit noſtræ ætatis ho-*

Oxonienſis Aſtronomus commenta Chaldaica proponit, quæ intelligi nequeunt.

Prædictiones Aſtrologicas in dubium vocat.

Cabalæ multum tribuit.

Opinionem de Tri-Cometa, Di-Cometa & Mono-Cometa explicat.

Mirabilia promittit, reliquos Mathematicos non ſine jactantia deſpicit.

Algebræ Chaldaicæ fidit, eam commendat & aſſerit.

menace, pourveu que par leur ſubtilité & par leurs menées ils ayent, eſtablis leurs intereſts ici bàs dans la terre. L'Auteur en eſt auſſy de ceux la, qui aſſeurent la France, qu'elle n'y a rien à apprehender, & cela s'accorde avec les maximes de quelques Politiques ſans ſcrupule.

Il y a auſſy un Traicté du Tri-Comete, obſervé à Oxfort en Angleterre, depuis le 22. Novembre juſqu'au 28. Janv. 1665. avec un Inſtrument parallactique de nouvelle invention, & ſuivant la vraye doctrine des anciens Caldéens & Arabes, juſques ici non developée ny entendüe. Mais cela ne vaut auſſy gueres, eſtant ſeulement pour les Mathematiciens & Algebriſtes à la Caldaique. Car voici une eſpreuve de la ſubtilité de cette art, quand il met ce paſſage ſans aucune explication. Le Paon qui a la teſte lumineuſe & la queüe obſcure, eſt, comme diſent les enfants de l'Ur-thiarim, une perturbation reguliere des Scataelets, Camaelets & Zadkielets, & une deſcenſion retrograde du Primordial par le moyen des cercles meſléz avec le Quadrangulaire. Ce peu de mots (dit-il) contient la formation, les mouvemens & la durée de ce Tri-Comete. *Il eſcrit enſuite:* Je ne parle point des effets, que les Judiciacies luy attribuent, car c'eſt une diſquiſition, qui n'apartient point à l'Aſtronomie, & dont le dechifrement (ſi pourtant elle a quelque verité) ne ſe peut faire que par la cabale: dont je ne ſçache, que deux hommes au monde, qui ayent la veritable clef &c. *Pour ce qui eſt du Tiltre du Tri-Comete, il remarque, que* ce phenomene les 17. premiers jours il a eſté Tri-Comete, & que depuis il eſtoit devenu Di-Comete, & qu'avant que de finir il ſe reduiroit à Mono-Comete. *Il nous promet apres des merveilles en ſe mocquant de tout le reſte des Mathematiciens.* Ce que nous ne prouverons point (dit-il) par des raiſons de convenance, de morale & de Metaphyſique: mais par les veſtiges de l'Alimudie Aſtronomique extraite de l'Algebre Caldeenne, qui eſt la derniere & ſupreme raiſon de la ſpecieuſe. De laquelle j'ay mis præſentement un traicté ſous la preſ-

mines,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mines, qui crediderunt addere ſe aliquid iſti ſcientiæ, ſint infra illa divina ingenia antiquitatis, ut ita dicam, plus mille diametris terræ.

Ecce promiſſa valdè ampla & verba ſatis elata: ſicut etiam quando appellat ſuum inſtrumentum mirabile, per quod omnes alii poterunt convinci ſecretorum, quæ ille ſit revelaturus, & habebunt ſuos ſenſus ipſos pro teſtibus irreprehenſibilibus iſtius doctrinæ.

Dicam adhuc (inquit) *per occaſionem quod illud* (inſtrumentum) *etiam habeam ad commodè obſervandum phœnomena, & quidem per tranſverſarias* (mediaſque) *nubes, dummodo aër non ſit repletus nebulis. Nam certum eſt, quòd nubes habeant vacua ſpatia ſive hiatus, & quod tum cum poſſunt trajici, aſtra videantur clare per illas: hoc autem eſt quod ego feliciter reperi.*

Ut veniam ad rem, ſicut in Algebra uſitata in præſentia inveniuntur per generationem potentiarum quadrato-quadrata, cubo-cubi, ſolido-ſolida &c, ita etiam in illa antiquorum, quæ ſe extendit bene longius quam facit altera (ſicut hoc monſtrabo clarè in meo tractatu de Analyſi rediviva, qui videbit lucem proximo menſe Aprili) inveniuntur generationes potentiarum, quæ ſuperant infinitis modis omnes reliquas. Atque hoc eam reddit ſublimiorem, & facit, ut illi Soli conveniat hocce faſtuoſum problema nullum non problema ſolvere. *Hocce vero eſt medium per quod inveni verum ſyſtema mundi, vel ut melius dicam, perfectiſſimam & completam theoriam Planetarum, quæ fando audita eſt uſque adhuc. Et hocce ipſum eſt per quod cognovi viam omnium phœnomenorum Tri-Cometæ, de quo ut amplius dicam, me reſervo in meum Syſtema, quod jungam cum meo tractatu de Analyſi Rediviva*, &c. Poſtea ſcribit ita: *Nunc opus eſt dicere, quænam ſit cauſa materialis & cauſa efficiens Cometarum. Scimus ſatis omnes opiniones vulgares de hoc argumento. Quidam dicunt eſſe collectionem ſtellarum: alii eſſe exhalationes exeuntes ex terra & aliis planetis: quidam eſſe eructationes Solis, qui qui-*

ſe auſſy clair que les rayons du Soleil, & qui fera voir, que les modernes qui ont crû ajouter à cette ſcience, ſont demeuréz au deſſous de ces divins eſprits de l'antiquité, pour ainſi dire, plus de mille diametres de la terre.

Plus in eo antiquis quam novitiis ſcriptoribus tribuens.

Voici des promeſſes fort amples & des paroles aſſez hautaines: comm' auſſy, quand il appelle ſon inſtrument miraculeux, par lequel tous les autres pourront eſtre convaincus des ſecrets qu'il revelera, & auront leurs ſens meſme pour teſmoins irreprochables de cette doctrine.

Je diray *(dit-il)* per occaſion, que j'en ay auſſy pour obſerver les phenomenes, meſmes au travers des nuages, pourveu que l'air ne ſoit point remply de brouillars. Car il eſt certain, que les nuages ont des vuides ou trous, & que quand on les peut enfiler on voit clairement au de la: or c'eſt ce que j'ay heureuſement rencontré.

Inſtrumentum ſuum parallacticum laudat, eoque factas per medias nubes phænomenorum obſervationes.

Pour venir au faict, comme dans l'Algebre uſitée preſentement, on trouve par la generation des puiſſancez des carrez-carrez, des cubes-cubes, des ſolides-ſolides &c. De meſme auſſy dans celle des anciens, laquelle s'eſtend bien plus loin que ne fait pas l'autre (comme je le monſtreray clairement dans mon traicté de Analyſi rediviva, qui verra le jour à ce prochain mois d'Avril) on trouve des generations des puiſſances, qui ſurpaſſent infiniment toutes les autres. Ce qui la rend plus ſublime, & qui fait, qu'à elle ſeule convient ce faſtueux probleme *nullum non problema ſolvere.* Or c'eſt par ſon moyen, que j'ay trouvé le vray Syſteme du monde, ou pour mieux dire la plus parfaicte & la plus accomplie theorie des planettes, dont on ait oüe parler juſqu'à preſent. Et c'eſt par là, que je connu le chemin de tous les phenomenes du Tri-Comete, dont je me reſerve à parler amplement dans mon Syſteme, que je joindray à mon traicté de Analyſi Rediviva &c. *En apres il eſcrit ainſi:* Maintenant il faut dire, qu'elle eſt la cauſe materielle & la cauſe efficiente des Cometes. On ſçait aſſez toutes les opinions vulgaires ſur ce ſuject. Les uns dicent, que c'eſt un ramas d'eſtoilles: les autres, que

Algebram novam cum veteri confert, & hanc illi præfert.

Librum de Analyſi rediviva pollicetur.

Eamque non ſine faſtu prædicat.

Seque perfectiſſimam & conſummatiſſimam Planetarum theoriam inveniſſe ait.

Nec non exploraſſe viam phænomenorum Tri-Cometæ.

Varias de Cometarum origine ſententias perſtringit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dem revera nullas habet maculas, quando apparent Cometæ. Alii ſibi imaginantur, quod ſit avulſio cujuſdam Sphæræ integræ: plures eſſe aliquod aſtrum irregulare, quod tranſeat de Sphæra in Sphæram, & quod ſe moveat in linea directa per ſe ipſum, & ſit abreptum in linea Sphærica per motum extraneum. Sed ut dicam quod verum eſt, omnes iſtæ opiniones & aliæ quæ cum plauſu manuum excipiuntur in Collegiis, ita etiam ſunt extra oleam vagantes, ſicut apparet motus Cometarum, quem uſque adhuc nemo potuit aſſequi, ſi non poſt factum, ſicut cum aliquis divinat res quæ ſunt factæ. Sed rejicit hæc omnia, & facit diſcurſum ſupra hoc argumentum ſumptum ex doctrina Chaldaica, qui nulli ſervit uſui, niſi forte Maximis Mathematicis & Subtiliſſimis Aſtronomis.

ce ſont des eructations du Soleil, lequel en effect n'a point de taches, quand il y a des Cometes: les autres s'imaginent, que c'eſt le debris d'une Sphere toute entiere: pluſieurs que c'eſt un aſtre irregulier qui paſſe de Sphere en Sphere, & qui ſe meut en ligne droicte par ſoy meſme, & eſt entraiſné en ligne Spherique par un mouvement eſtranger. Mais à dire le vray, toutes ces opinions, & les autres qui font battre des mains dans les Colleges, ſont auſſy extravagantes que le paroiſt le mouvement des Cometes, que juſques ici perſonne n'a ſçeu attraper, ſi non apres coup, comme l'on devine les choſes qui ſont arriveés. *Mais il rejette tout cela & fait un diſcours là deſſus tiré de la doctrine Caldéenne, qui ne ſert à rien ſi non aux plus grands Mathematiciens, & aux plus ſubtils Aſtronomes.*

Hamburgo Lutetiam die 23. Maji 1665.

FAcilè per me ipſum conjicere potui, cum & alibi (*a*) permultos de Cometis nuper viſis libros prodiiſſe acceperim, & hic loci quoque non paucos viderim, in illa urbe, in qua adhuc agis, plurimos ejuſdem generis reperiri. Novi enim (*b*) nobiliſſimæ gentis illius genium curioſum, diſcendi pariterque docendi cupidum, induſtria ingenioſa nulli cedentem, ita ut hactenus etiam, ſicut & rerum geſtarum gloria ſit.

(*c*) Gallus & Heſperiis & Gallus notus Eois: ut accommodem meo propoſito illa Virgilii verba. * Novi præterea Urbis illius ſtatum, in qua, velut in amplo quodam mundi theatro, omnia quæ ubique gerantur compendio videas. Nempe quod ſit granditate & populorum, ac ut crebra Aulæ, ita & aſſiduâ hominum Doctiſſimorum & Excellentiſſimorum frequentiâ inter omnes Europæ urbes facilè prima. Quam ob cauſam bono jure (*d*) Glorioſiſſimus & Sapientiſſimus Imperator Carolus V. etſi (*e*) Franciſci I. Regum illius ſeculi Illuſtriſſimi æmulus, dixerit ſe (*f*) *quatuor in Galliis vidiſſe memoranda, pagum, hortum, urbem & orbem*, cum Pictavium, Turonium, Aureliam, & Lutetiam Pariſiorum intelligeret. Quibus ſi nunc viveret, adderet quintum, (*g*) vivum Europæ miraculum, illis quatuor dictis, non ſolius Galliæ, ſed omnium orbis regionum, in quibus ſuus bonis artibus conſtat honos, reſpectu, longe majus & pretioſius Auguſtiſſimum (*h*) Regem, Principem Magnanimum, & ad maxima quæque natum, qui amorem literarum (*i*) exemplo & munificentiâ ſuâ infundit in civitatem. Quis etiam ignoret, ut alios feliciſſimæ (*k*) Galliæ Principes Viros, ita ante omnes illum (*l*) Condæum, maximum literariæ & bellicæ rei ornamentum, atque ſic verum utriuſque Palladis alumnum, omnium literatorum & literas amantium excitare induſtriam? Non vidi Tractatum illum J. Grandamici ipſi dedicatum. Qui cum politus ſit & doctus, ut judicas, libenter eum viderem. (*m*) Ego enim ex induſtria ab omnibus quod verum & æquum eſt, diſcere ſum paratus. Agnoſco etiam me in re literaria Societatis illius curioſitati & induſtriæ incomparabili cum multis Viris Doctis, multum tribuere. Quod vero attinet ad judicium illius Viri de Cometis ſcilicet, (*n*) quod non ſolum mala minentur, ſed & bona promittant tantum, abeſt ut illud rejiciam, ut potius

(a) Cometas nuperos plurimi deſcripſerunt editis in vulgus libellis.
(b) Gallica gens laudatur.
(c) Galli rerum geſtarum gloriâ Orientem & Occidentem implent.
** Lutetia Pariſiorum laudatur.*
(d) Carolus V. laudatur.
(e) Franciſcus I. laudatur.
(f) Galliæ quatuor memoranda.
(g) Galliæ quintum, idque vivum & majus miraculum, eſt Rex ipſe.
(h) Rex Galliæ laudatur.
(i) Exemplum Regis multum in civitate præſtare poteſt.
(k) Gallia abundat Principibus Generoſiſſimis literas & literatos amantibus.
(l) Condæus Princeps laudatur.
(m) Auctor profitetur ſe quod rectum eſt ab omnibus diſcere velle, & ſocietatis ſeſe aſſeclis multas in re literaria promovenda laudes tribuere.
(n) Cometæ non tantum mala ſed & bona portendunt: hanc ſententiam eſſe piam & rectam affirmatur.

potius ei ſubſcribam, illudque rationibus & exemplis perquam multis firmare
me parem. Neque vero quidquam pietati ab hac ſententia metuendum,
quæ, ſi rem recte ſpectes, ut libertatis ita & pietatis humanæ, ac divinæ
juſtitiæ indubitata præbet documenta. (a) Galliæ non magis quam aliis rebus
publicis, officium ſi per omnia fecerit, Cometæ iſti verendi ſunt. Venio ad
tractatum illum Oxonienſis Mathematici, quem de Tricometa inſcripſit.
(b) Gratulor illi de novo iſto inſtrumento parallactico, cujus beneficio Cometam
obſervare feliciter potuerit, & quod ei, ſi ad rem Mathematicam juvandam,
ut is promittit, fuerit idoneum & conveniens, multam adfert laudem. Gra-
tulor & de obſervatione Cometæ facta die 22. Novemb. St. Juliano ut puto,
quem Angli ſequuntur ut plurimum. (c) Qua ratione obſervatio hæc conveniret
cum Lugduno-Batava, quæ St. Gregor. in diem 2. Decemb. incidit, à Clariſſi-
mo Kechelio facta. Quod ſi illa Oxonienſis ad diem 22. Novemb. S. N. refe-
renda fuerit, tanto plus obſervatori gratulabimur. (d) Kecheliana enim obſer-
vatione priorem habemus nullam. Gratulabuntur eidem plurimum omnes
Matheſeos ſtudioſi, (e) ſi promiſſorum menſuram impleverit, rebus nondum
à quoquam perſpectis, clare in Analyſi ſua redivivâ demonſtratis. Mathe-
matici noſtræ ætatis, qui debitâ laude inventionis ingenioſæ & indefeſſæ in-
duſtriæ (f) fraudandi non ſunt, pluſculum jactantiæ Auctorem indulgere, & ſe
ipſum extollendo reliquos omnes deprimere dicent. (g) Ego ab illo quoque, ſi-
cut à quovis, paratus ſum ea quæ captum meum mediocrem non excedent,
diſcere. Quod ſi verò ille ita contemplationibus ſublimibus & inventis Chal-
daicis, Cabaliſticis ac rationibus Algebricis ſit deditus, ut reliquas diſci-
plinas, ipſamque illam de Moribus humano generi utiliſſimam deſpiciat, ego
illi nubes relinquam, ipſe verò cum aliis humano generi bene cupientibus
hanc Junonem pulcherrimam perſequar, Deoque juvante aſſequar. (h) Neque
tamen ulla laborabo invidia, ſi vel ibi Auctor, vel alius alibi deſiderata ob-
tinere poſſit. (i) Utinam omnes pro virili commoda Reip. literariæ & ſimul hu-
mani generis promoveamus, & votorum ſummam aſſequamur! (k) Quod materia
& cauſa efficiens Cometarum nondum ſit perfecte cognita, mirandum non
eſt. (l) Ipſe Socrates maximi nominis Philoſophus, aut parum aut nihil homi-
nes ſcire dixit. Sententias aliorum de hoc argumento alto ſupercilio deſpicit
Auctor. Modeſtiùs hîc ſe (m) Ammianus Marcellinus gerit, dum ſic ſcribit:
*Super Cometarum natura ratiocinantes Phyſici variant. Quidam enim eos hoc nomine
ideò exiſtimant appellari, quod per tortos ignes ſparguntur crines, in unum ſtellis multi-
plicibus congregatis. Alii eos arbitrantur ex halitu ſicciore terrarum igneſcere, pau-
latim in ſublimiora ſurgente. Quidam currentes radios Solis, denſiore nube objecta di-
ctam, mortalium conſpectui monſtrare. Sedit quorundam animis opinio, hanc ſpeciem
tunc apparere quum tracta ſolito celſiùs nubes æternorum ignium vicinitate colluceat.
Vel certè ſtellas eſſe quaſdam cæteris ſimiles, quarum ortus obituſque quibus ſint tempo-
ribus præſtituti, humanis mentibus ignorari.* L. 25.

(n) Sed & Aventinus Ann. Bojor. p. 304: *Variæ ſunt de Cometa Philoſophantium
opiniones. Democritus & Anaxagoras errantium ſiderum, dum coëunt, fulgorem con-
volutum eſſe arbitrati ſunt. Hippocrates ſtellam errantem eſſe tradit, paſci, atque ali
humore terreno: in hoc repercuſſu radios reddi, qui comæ, barbæve videantur. Sunt qui
& hæc ſidera perpetua eſſe credant, quemadmodum (o) Pythagorici, ſuoque ambitu ire, ſed
nonniſi relicta à Sole cerni. Alii vero, ſicuti (p) Ariſtoteles, docent igneam vim eſſe, tra-
cto alimento humoris, & moveri cum aëre, naſci nimirum ex humore fortuito, atque
halitu radiis Solis adſumpto, raptoque ex terris in ſupremam aëris partem, proximam
igni, alimento tellure ſubinde tracto.* Alios ut taceam,

Ego meam ſententiam pro jure amicitiæ Tibi proponam. (q) Quicquid de Co-
metis diſputamus, ſalva conditoris eorum & noſtri debita reverentia citra male-

(a) *Cometæ non ſunt metuendi Deum metuentibus & prudenter agentibus.*

(b) *Oxonienſi Mathematico inſtrumentum parallacticum noviter inventum Auctor gratulatur.*

(c) *Oxonienſis Mathematici obſervatio confertur cum Leydenſi.*

(d) *Kecheliana obſervatio Cometæ die 2. Dec. St. N. eſt omnium prima.*

(e) *Oxonienſis Mathematicus ampla promiſſa facit.*

(f) *Se ipſum laudando reliquis detrahere velle exiſtimabitur.*

(g) *Auctorem habet æquum judicem, qui ab eo diſcere velit, quæ capere poſſit, & quæ ad publicam utilitatem moreſque corrigendos faciant.*

(h) *Auctor nulli laudem debitam invidet.*

(i) *Et publica commoda promoveri cupit.*

(k) *Difficultates in doctrina de Cometis reliquas non miratur.*

(l) *Socrates laudatur à modeſtia.*

(m) *Ammianus Marcellinus de Cometis varias ſententias recenſet.*

(n) *Aventinus varias de Cometis ſententias recenſet.*

(o) *Pythagoricorum de Cometis ſententia.*

(p) *Ariſtotelis de Cometis ſententia.* (q) *Auctor ſobriè de Cometis philoſophandum eſſe cenſet.*

Cæleſtis ſchola omnia abſtruſa nos docebit.

** Seneca modeſtè de Cometis philoſophatur.*

volæ & temerariæ curioſitatis notam faciamus, & dicamus oportet, in cæleſti ſchola, paterna ejus juvante gratia, melius hæc, ut & omnia, cognituri, cum hæc Deo qui ſolus eſt ſapiens, ex ſe ſcilicet cognita ſint optimè. Nam & *Seneca poſtquam multa de Cometis diſputavit, ſubdit: *Hæc an vera ſint, Dii ſciunt, quibus eſt ſcientia veri. Nobis rimari illa & conjecturare in occulto tantum licet, nec cum fiducia inveniendi, nec ſine ſpe.* l. 7. nat. qu. c. 29. & infra: *Nec miremur tàm tardè erui quæ tam altè jacent.* Quod vero inferius ait: *Multa venientis ævi populus ignota nobis ſciet,* hoc uſque ad Excellentiſſimi Aſtronomi Hevelii induſtriam verum eſt, & ſequentibus ſeculis verum fiet. †Quod denique de Tri-Cometa, Di-Cometa & Mono-Cometa argutatur Auctor, fateor me non intelligere. Nec ego tantum, ſed & Viri, ut in omni literarum genere, ita & in Mathematicis exercitatiſſimi. Liceat mihi tamen meam conjecturam prodere. Obſervavi in lectione Almageſti à Ricciolo compoſiti, D. Iſaacum Habrechtum Argentorati in Cometa 1618. 30. Nov. notaſſe triplicem ſtellam, & intimum ejus nucleum fulgentem inſtar auri in teſta liquati inter violentiſſimos ignes capellæ, ſed illum nucleum circumdatum fuiſſe circulo remiſſioris claritatis, & hunc iterum alio Circulo inconſtanti & ſcintillante: Cyſatum vero Ingolſtadii itidem vidiſſe in medio capitis nucleum lucis conſtipatioris rotundum, quem ambibat circumfuſum aliud lumen pallidius, duplo ferè latiori limbo quam fuerit nuclei diameter, tanquam juba vel halo. Poſtea die 8. Decembris nucleum ſeorſum ſumptum apparuiſſe duplo majorem Arcturo, nec amplius rotundum ſed diffiſſum in 3. vel 4. irregularis figuræ globulos inter ſe cohærentes: & die 17. & 18. Decembris pro nucleo illo jam aliquot minutiſſimas ſtellulas lumine obtuſiſſimo illis interfuſo & circumfuſo: die verò 20. manifeſtius apparuiſſe in ſtellulas multas diſſolutum, quarum tres diſtinctius viderentur. Sed die 24. Decembris ſtellulas nuclei magis diſſipatas & multo tenuiori lumine apparuiſſe, & ex tribus illis inſignibus unicam tantum viſam: poſtea non potuiſſe Tubo ſpectari diſſipatis jam illis ſtellulis. An aliquid tale in nupero Cometa Oxonienſis Mathematicus obſervârit, an vero aliud, velim ex Viris doctis in illa Urbe viventibus reſciſcas, ſi tamen ibi tamdiu ſubſiſtere poſſis. Ego quidem ex Cometæ 1618. obſervationibus illis nec Di-Cometam nec Tri-Cometam nec Poly-Cometam, illam nucleorum & ſtellarum congeriem dici poſſe puto. Simile quid & ad rem hanc pertinens inter Obſervationes Hevelianas, quas Prodromo ſuo Cometico nuperrimè ad me miſſo attexuit, reperio, nempe diebus 29. 30. & 31. Decembris, & aliquot diebus menſis Januarii in Cometæ corpore modo nucleum in formam diſci compactum, modo particulas diſgregatas beneficio inſtrumentorum eum inveſtigaſſe. Nemo tamen, opinor, propterea phœnomenon illud Di-Cometam vel Poly-Cometam dixerit. Sed hæc ſufficiant, quæ velim boni & æqui, utpote boni publici ſtudio dicta, conſulas. Vale.

Hevelius commendatur.

† Oxonienſis Mathematici ſententiam de Tri-Cometa non intelligit Auctor, conjectat tamen fuiſſe corpus ex tribus veluti partibus compoſitum, idque obſervationibus Cometarum 1618. & nuperi probat.

Tri-Cometam Di-Cometam vel Poly-Cometam dici non poſſe Auctor putat.

Hamburgi die 24. Maji 1665.

QUod perſpecta quodammodo inſtituti mei ratione & operis methodo ac perlectis nonnullis, quæ velut prima ſpecimina Tibi exhibui, judicium de his tuleris, gratum mihi eveniſſe ſcito. Nam qui magno ſtudio illa antiquæ Sapientiæ oracula: (*a*) Noſce Te ipſum, & Ne quid nimis, aliis commendo & inculco, exemplo eadem refutare nequaquam, imò vel maximè ſtabilire omnibuſque perſuadere vellem. Vetus etiam eſt veræ amicitiæ lex & ratio, ut (*b*) monita ſincera hinc dentur, illinc accipiantur æquo & modeſto animo. Hoc ſi à Tua parte verum eſſe noſti, quod & ego agnoſco, à mea quoque certò Tibi polliceare. Mones itaque pro veteri & melioris amicitiæ jure, cavendum mihi eſſe, ne toto hoc inſtituto aliena agere, & (*c*) Μετεωρίζειν (in ſublime efferri) ſecus quam (*d*) Chriſtus, vivum & perfectiſſimum omnis modeſtiæ & manſuetudinis ac ſanctimoniæ exemplar, monet Luc. XII. tum etiam paulò liberius de alio-

(a) Noſce te ipſum. Ne quid nimis.

(b) Amicorum monita æquo animo ferenda.

(c) Μετεωρίζειν quid Luc. xij. ſignificet.

(d) Chriſtus omnis ſanctimoniæ exemplar.

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

rum ſententiis, erroribus vitiiſque, præcipuè vero de rebus patriæ, inſtar divinatoris, occaſione injuriæ nobis illatæ, nec ſine invidiæ, forte in plures redundaturæ, periculo, loqui alicui videar. Æquo animo, ut par eſt, Te monitorem fero. De modeſtia & libertate, adeoque de toto inſtituto convenienter ſuſcepto, tractato & peracto, hæc pauca habeto. (*a*) Scio illa Chriſti verba non propriè ad tumorem elationemque animi (*b*) (quanquam ab hoc vitio per Dei gratiam prorſus alieno ſim animo) referri, monentibus Magnis Viris Eraſmo, Grotio, aliiſq; qui in Sacras literas commentati ſunt. (*c*) Temeritatem potius illis notari ex aſtrorum curſu procul in futurum conſulentem, & inter (*d*) ſpem ac trepidationem ſuſpenſam, & ab alterutra incerto motu huc atque illuc agitatam, inque ſublime ita elatam, ut quis ex meteoris & ſignis cæleſtibus futuri anni conditionem, id eſt fertilitatem vel ſterilitatem, quod cum inſtituto Chriſti optimè convenit, colligat, magiſque ab (*e*) aſtrorum poſitu quam à Dei providentia dependeat ac miſere diſtrahatur & fluctuet anxius animi, iidem illi Viri Doctiſſimi affirmant. Atque hoc perinde eſt ac ſi ille ex vento aut aëre paſtum quærat, ut aptè Grotianis addit ætatis noſtræ Theophylactus (*f*) Daniel Brenius, in ſuis ad locum illum Lucæ notis doctiſſimis nuperrime editis. Atqui (*g*) hæc temeritas toto, quod dicitur, cælo à mea ſententia differt, qui nil magis, quam parce & ſobrie, & ad vitam quidem emendandam, philoſophandum eſſe, tum divinæ providentiæ fidendum, officia libertatis humanæ nulli aſtrorum neceſſitati, & vel poteſtati ſubjectæ ritè exequenda, & virtutem ſectandam eſſe omnibus immobili, invicta certè conſtantiâ & modeſtiâ animi præditis urgeo, ac proprio exemplo, quod ſine ambitione dictum velim, ex viri boni officio commendo. Ita vides, Optime & Integerrime Amicorum, me nec aliena, nec elato ac in varia fluctuante animo agere. (*h*) Libertate me ubique uti fateor. Sed hæc ut ſit non tantum juſta, ſed & modeſta, omni conatu ago. (*i*) Eandem me cuique relinquere integram, quoties opus eſt, teſtor ex animo: & ita quidem ut eam in quolibet ferre, eique quantum per conſcientiam licebit, me ſubmittere ſim paratus. Hoc enim nil æquius & civili ſocietati humanique generis ſaluti convenientius eſſe puto. In notandis patriæ rebus pari libertate utor. Id enim mihi omni ex parte, nullo bonæ exiſtimationis vel quietis meæ, tantominus Fratrum meorum, qui cuncta meo non illorum nomine ago, periculo, licere credo. (*k*) Conjectorem vel divinatorem agere nolo. Sed tamen quæ ex juſtitiæ divinæ immobili lege & prudentiæ ratione imminentia mala prævideri & denunciari poſſunt debentque aliquando profero. Par enim injuria nemini eorum, qui unquam religionis cauſſa in exſilium miſſi ſunt illata fuit. Illi nempe in regnis hæreditariis & abſoluto imperio ſubjectis talia paſſi ſunt. At nos in Republica libera, & æquali ſtatu (*l*) in quo nil in nos ſine nobis ferri poterat, ejecto per vim è Camera Equeſtri antiquæ nobilitatis Viro (*m*) Tobia Ivanicio Prodapifero Czernihovienſi, ſimulque ad Conventum Regni Varſavienſem Delegato, nec non Viro Illuſtri (*n*) Staniſlao Chrzanſtovio Subjudice Cracovienſi, tot Legationibus ad Conventus Regni, ut perpetuus Dictator vulgo diceretur, Clariſſimo, contra legem in nos latam proteſtante, vel, ut magis Latinè dicam, ei intercedente.

Quis verò neſcit (*o*) nos æquè ut reliquos & integro ampliùs ſeculo fuiſſe, & ſalvâ Rep. perpetuò eſſe debere Regum Noſtrorum Electores, & ſummorum quorumvis Magiſtratuum capaces? Sed de his aliàs plura, ſi Deus volet. Nunc unum addo. (*p*) Non meliùs me pietatem patriæ debitam teſtari potuiſſe credo, quam tantæ injuriæ & impendentium ideo malorum atrocitatem, Magnorum Virorum Reip. Polonæ optimè cupientium exemplo, imo & hortatu ob oculos ponendo, ut populares noſtri in ſe deſcendant, tot fœderum, juramentorum & jurium violationem agnoſcant; ad ſe redeant, & nos in patriam æquè communem redire permittant, qui tam acerba patiendo & injuria nos longè omnium graviſſima affectos eſſe palàm teſtando, cunctaque divina humanaque, fidem publicam,

(a) Auctor ſui operis rationem, modeſtiam probando, libertatem juſtam aſſerendo defendit.

(b) Elatio animi ab Auctoris mente aliena.

(c) Aſtrologiæ addicta temeritas divitum futura ex aſtris inquirentium.

(d) Temeritas tumida & timida.

(e) Inania captando multi diſtrahuntur.

(f) Brenii Annotat. in V. & N. Teſt. commendantur.

(g) Auctor temeritatem omnem ab ſe removet, ſtudium ſe virtutis inculcare teſtatur:

(h) Libertate ſe juſta & modeſta uti demonſtrat: præſertim

(i) ubi de rebus patriæ & Fratrum ſuorum agit, ſuo non illorum nomine:

(k) conjectorem vel divinatorem agere non vult, ſed quæ juſta ſunt denunciat: injuria graviſſima ſe & ſuos in Rep. liberrima affectos eſſe docet:

(l) legem nuperam 1658. de eorum exſilio latam, juſtum valorem non habere affirmat.

(m) Tobias Ivanicius.

(n) Stan. Chrzanſtovius.

(o) Poloni Equites Regum ſuorum Electores.

(p) Auctor ſe libertate ſua optime pietatem in patriam teſtari aſſerit;

blicam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

** Se ſuoſque ſpem de reditu in patriam fovere, & quamvis hæc fruſtrà fuerit, tamen virtutis tramitem & pietatem in patriam non deſerturos unquam teſtatur, Regis bonitatem commendat, patriæ optima quæque precatur.*

blicam, manes communium parentum ſub vinculo juramenti, fide, honore & conſcientiis fœdus mutuo pangentium, & irrevocabilem de libertate religionis æqua legem ſancientium, ſe & poſteros in perpetuum obligantium appellando, dicimus cum Veteri Poëta Tragico Euripide:

> Ἡ πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν
> Αὐτόχθονες δ' ἔφυμεν.

> Primum nec inquilinus nos populus ſumus,
> Sed indigenæ, natique in hoc adeo Solo.

Cæterum iſtis quæ de rebus patriæ hîc & alibi loquor, unum Tui cauſſâ addo, * nos quidem reſtitutionis noſtrûm omnium in integrum ſpem habere, verum tamen etſi hæc decollaret, ita ut omnibus amiſſis hæc etiam amittenda foret, debitam tamen æquanimitatem, patientiam, modeſtiam, pietatem in patriam nunquam amiſſuros, imo ad extremum conſervaturos, Deumque ut cuncta mala à Rege, cujus bonitatem hîc quoque novimus, & Rep. avertat, & popularium animos ad æquitatem flectat, aſſiduo precaturos. Qua ratione nec de me, qui tanquam privatus hic loquor, nec tanto minus de meis Fratribus, quibus hic nihil negotii eſt, mecum ex animi ſententia privatim loquente, quiſquam popularium queri merito poterit.

(a) Gravi viro in notandis vitiis & monendis officii junioribus convenit libertas.
(b) Parcendum eſt imbecillis & pœnitentibus.
(c) Veniam eſſe dandam negant Stoici.
(d) Stoici ignoſcendum eſſe negant.
(e) Monendi ſunt delinquentes.
(f) Ignoſcendum non eſt ſed parcendum ex mente Senecæ.
(g) Chriſtianis ſenioribus incumbit officium monendi juniores.
(h) Patris officium in monendo filio.
(i) Adulterium vitandum eſſe gentiles ipſi docuerunt.
(k) Veritas ſola facit divites & beatos.
(l) Aulæ jam olim defectu veritatis laborant.
(m) Magiſtratuum vitia & officia.
(n) Bella non neceſſaria & injuſta ex privatis cupiditatibus proficiſcuntur.
(o) Supplicia ſontibus cum judicio & modo irroganda.

Hamburgi die 25. Maji 1665.

FAteor (*a*) Te multa cum libertate ampliſſimæ dignationi conveniente, multaque cum candoris laude acta & vitia, quæ occurrunt, notare. Et (*b*) parcendum quidem, (nam (*c*) veniam dandam & ignoſcendum eſſe qui (*d*) parcendum eſſe admiſit, negat Seneca l. 2. de Clem. c. 7.) fateor, eſt errantibus & peccantibus, ſed ex infirmitate, tum pravè factum agnoſcentibus, cum dolore, ideoque vera pœnitentia emendantibus; tum verò & (*e*) melioris vitæ ratio ipſis ob oculos ponenda eſt. Philoſophus ibidem brevibus, more ſuo, id docens effert: *Parcit ſapiens, conſulit & porrigit. Idem facit quod ſi ignoſceret, nec ignoſcit: quoniam qui ignoſcit, fatetur aliquid ſe, quod fieri debuit, omiſiſſe. Aliquem verbis tantummodo admonebit, pœnâ non afficiet, ætatem ejus emendabilem intuens.* Tantò magis (*g*) homo Chriſtianus, præſertim annis, dignitate & pietate gravis, (quo in cenſu & Te meritò pono) junioribus, qui non tam ex deſtinato, quam forte impelluntur, & quos ætatis ſæpè ab orbita recti aufert error, aut aliena nequitia, ſalutaria monita det oportet, illius (*h*) patris inſtar, qui filio ea dabat, ut vitia fugeret, & inter alia, referente Horatio.

> — — — (*i*) A turpi meretricis amore
> Quum deterreret, Sectani diſſimilis ſis.
> Ne ſequerer mœchas, conceſſâ quum Venere uti
> Poſſem. Deprenſi non bella eſt fama Treboni,
> Ajebat. Satyr. l. 1. Sat. 4.

Dummodo genius ſeculi ſit (*k*) veritati fèrendæ par, citra quam, ut nemo eſt dives, nemo beatus, ita noſti (*l*) ejus defectu Aulas jam olim laboraſſe, & ſi omnium rerum copiâ ad luxuriam, invidiam & ipſam nauſeam affluant, ſeque per omnia beatas jactent. (*m*) Magiſtratus ut ad (*n*) bella non neceſſaria, ſæpe & injuſta, privatarum ſolummodo cupiditatum cauſſa, non ullo publicæ, & vel ſubjectorum ſuorum utilitatis habita ratione, ita ad (*o*) ſumendum de ſontibus ultimum ſupplicium, ſæpe aliam pœnam, quamvis acerbiorem & graviorem, utpote facinori reſpondentem meritis, (qualis illa eſt (*p*) ergaſtuli operoſi pro ignavis furibus) properare, eidem illi veritati conſentaneum eſt. Utinam legant Magiſtratus & perpendant, quantumque Chriſtiano fas eſt, moribus exprimant, inter alia illum egregium (*q*) Plutarchi, gravis & prudentis profectò Scriptoris tra-

(p) Furibus ignavis pœna ergaſtuli convenit. (q) Plutarchus Magiſtratibus prudenter doctrinam de pœnarum tarditate proponit.

ctatum

ctatum de his qui ſerò à Numine puniuntur, ut ſcilicet debita patientia, moderatione & (*a*) manſuetudine, illa dico affectuum habena, ubi opus eſt, utantur. Nempe, ut nonnemo ſævienti ſæpenumerò furori frenos injicere volens dixit:

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Quid magis Chriſtianum dici potuit quam illud à Plutarcho in citato commentario? (*b*) *Deus* (inquit) *malis interpoſitâ morâ ac tardè pœnas infligit, non quod vereatur, ne accelerando ſupplicio erret, ac committat cujus pœnitentiâ aliquando ducatur: ſed ut in vindicandis aliorum peccatis ſævitiam & vehementiam nobis ſui eximat exemplo.* Et quæ ſunt plura talia in hanc rem dicta, & cedro, ut dici ſolet, digna, quæ ſtudio omitto, niſi illa coronidis loco apponam, quibus ille hoc argumentum inter alia firmat: *Manſuetudinem graviumque læſionum* (*c*) *tolerantiam pro divina virtutis parte habere decet. Deus cito puniendo paucos emendat, tardè puniendo multos juvat atque corrigit.* Omnino itaque Principes & Magiſtratus meminiſſe oporteret illius regulæ Politicæ: (*d*) Clementiam Principi convenientiſſimam eſſe in ſumma potentia, ejuſque cuſtodem fideliſſimam, quam docet ſapienter & utiliter (*e*) Chriſtianæ pietati proximus Philoſophorum Seneca lib. 1. de Clementia c. 3. 5. 12. & aliàs. Quem quidem, ut & alterum, ſed & illos tres de ira, maxime neceſſariis monitis huc ſpectantibus optimo conſilio infarſit, inter quæ (*f*) (adeo multa & præclara ſunt, dubiamque eligendi curam faciunt) neſcias quid magis placere debeat. Eſt quidem (*g*) legitimo Magiſtratui in manum traditus gladius, quodque eum non fruſtra gerat, monet vox divina. Sed eadem docet, (*h*) illum Dei miniſtrum malis debere eſſe timori, bonis vero laudi & præſidio, cum tamen ſæpe contrarium fiat. Atqui non tantum (*i*) inter bonos & malos, ſed & inter hos diſcrimen faciendum eſſe, & ſanabilia ingenia à deploratis diſtinguenda, ut confuſio & vitiorum eruptio vitetur, tum (*k*) *nec cito nec nimis ſontes puniendos, ne vel libenter vel iniquè punire*, ſed potius (*l*) ultima neceſſitate boni publici vi impulſos invitos ad ſeveriora remedia accedere videamur, docet ibidem Seneca. Sed neque hoc contentus, (*m*) demonſtrat *etiam improbandis civibus parcendum, non aliter quam membris languentibus, &* (*n*) *ſervare proprium eſſe excellentis fortunæ: quæ nunquam magis ſuſpici debet, quam cum illi contingit idem poſſe quod Diis, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni quam mali.* (*o*) *Deorum itaque ſibi animum aſſerens, Princeps alios ex civibus ſuis, quia utiles bonique ſunt, libens videat, alios in numerum relinquat, quoſdam eſſe gaudeat, quoſdam patiatur* l. 1. de clem. c. 5. ſed & l. 2. c. 7. Ubi etiam inter alia ſapientis officia ponit: (*p*) *Hoſtes dimittet ſalvos, aliquando etiam laudatos, ſi honeſtis cauſis pro fide, pro fœdere, pro libertate in bellum accincti ſunt.* Anne hæc à nobis Chriſtianis ſervantur & in uſum deducuntur? Quid vero etiam ad illam, licet ab impio, ſanam tamen rationem ſecuto, prolatam vocem dicemus?

Τὸ ξίφος ἀμφιζωννῦ μὴ πρὸς φόνον ἀλλ' ἐς ἄμυναν,
Εἴθε δὲ μὴ χρήζοις, μήτ' ἔννομα, μήτ' ἀδίκως γε
Ἢν γὰρ ἀποκτείνῃς ἐχθρὸν, σέο χεῖρα μιαίνεις.

Phocylid.
(*q*) (Gladium accinge non ad cædem, ſed ad ultionem.
Utinam vero non indigeas hoc, neque legitimè, neque injuſtè
(*r*) Nam etiamſi hoſtem occideris, manum tuam polluis.)

Nempe eheu! (*s*) nos qui Chriſtiano cenſemur nomine, non tantum Chriſtianum, levi ſæpe & nunquam cum (*t*) humani ſanguinis impendio comparanda de cauſſa, (*v*) hoſtem nobis facimus & interficimus cum gloria & oſtentatione, eumque ejuſdem religionis vinculo nobiſcum junctum, ruptis ſcilicet omnibus ſacris, naturalibus & civilibus vinculis: ſed & in innocentes haud raro, (*x*) ſolius conſcientiæ, licet ſoli Deo, utpote Omnipotenti & Omniſcienti ac

(*a*) *Manſuetudo affectus frænat.*
(*b*) *Longanimitas Divina eſt utilis & hominibus imitanda.*
(*c*) *Tolerantia etiam nocentum juvat.*
(*d*) *Clementia Principi eſt convenientiſſima & utiliſſima.*
(*e*) *Seneca laudatur.*
(*f*) *Electio difficilis inter multa præclara.*
(*g*) *Gladius Magiſtratui in manum datus.*
(*h*) *Magiſtratus juſtitia in tuendis bonis & coërcendis malis elucet.*
(*i*) *Diſtinguendi non tantum boni à malis, ſed & mali à malis.*
(*k*) *Puniendi ſontes nec cito, nec nimis.*
(*l*) *Neceſſitas pœnæ publicæ utilitate excuſatur.*
(*m*) *Parcendum etiam delinquentibus.*
(*n*) *Servare cives, etiam delinquentes, Principi conveniens eſt.*
(*o*) *Princeps Dei patientiam imitetur.*
(*p*) *Hoſtes dimittendi ſalvi, quandoque & laudandi.*
(*q*) *Gladium manibus hominum excutit Phocylides.*
(*r*) *Bella, juſta quoque damnat Phocylides.*
(*s*) *Chriſtiani depravati communiter.*
(*t*) *Sanguis humanus in pretio ſit oportet.* (*v*) *Chriſtiani Chriſtianos bello delent, omnium vinculorum obliti.* (*x*) *Conſcientiæ cauſſa nemo perſequendus, tanto minus occidendus.*

in-

Placentini Prof. & Rect. Francofurt. mexitum Magiſtratibus datum.

Deus per ſigna cœleſtia admonet omnes, etiam Principes, officii.

incorrupto Judici ſubjectæ cauſſa decretorium ſtilum imo gladium ſtringimus. Quibus rationibus innixus Clar. Joan. Placentinus Math. in Acad. Francofurto-Viadrina Prof. & nuper in Rectorem ejus Magnificum electus, nuperum Cometam maximè ſummis Principibus Eccleſiaſticis & Civilibus mala, niſi reſipuerint, portendere dicat, illi & artis Aſtrologicæ peritis relinquo. Quicquid autem de eo ſit, ſatis aperte Deus ipſe ſiderum conditor & univerſi tot ſignis in cælo poſitis, officii admonet, ut omnes mortales, ita & viros Principes, non minus rerum quam Lunæ viciſſitudini & ultimi judicii legi ſubjectos. Sed hæc hactenus, quæ dum tibi repono, velim grato animo excipias. Vale.

COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

COMMUNICATIO
RATISBONA-
RAUTENSTEINIANA.

HAMBURGO RATISBONAM
die 17. Decembris S. N. 1664.

Illuſtriſſime Domine Legate

COmmercium literarum, quod cum Illuſtriſſima D. Veſtra ab aliquot annis diligenter colo, mihi eſt longè gratiſſimum. Argumento enim eſt me tantæ dignationis tantorumque meritorum Virum habere amicum, & quidem eximium, quod apud homines, ſi Ciceroni non tantum Oratori, ſed & Politico, ac in colendis amicitiis eximio credimus, cariſſimum, & *optima ac pulcherrima vitæ ſupellex eſt*. Ego ſane omnes induſtriæ nervos intendam, ut hoc præſtantiſſimum bonum candore benevolentiæ, & promta diligentia officiorum conſervem. Proximè præterito die Dominico, qui erat $\frac{4}{14}$ Decembris ad narrationem vigilum, nocte antecedente Cometam ſe vidiſſe affirmantium, inſigne, & illuſtre cæli phœnomenon obſervari hac in urbe cæpit. De quo non dubito, me paulò poſt Illuſtriſſimæ D. Veſtræ miſſurum varia ſcitu & conſideratione digna, quæ hinc inde ad me perferentur. Interim P. Curtius, illuſtre illud Aulæ & Scholæ Neoburgenſis decus, vel ſua ſponte vel ab Illuſtriſſima D. Veſtra requiſitus, pariterque alii Amici, ad eandem de hoc argumento perſcribent ſcitu, ideò & communicatione mutua digna, quæ exſpecto. Benè valeat Illuſtriſſima D. Veſtra cum dilectiſſimis ſuis, qui etiam non nominati, à nobis ſemper ſalveant.

N. 99. *Amicus, præſertim eximius, magni faciendus.* *Cicero commendatur.* *Curtius Jeſuita laudatur.*

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omnibus ſtudiis, & officiis

Addictiſſimus

STAN. LUBIENIETZKI.

Ad Illuſtriſſimum Dominum Joannem de Rautenſtein, Dominum de Dietel-dorfect. Miniſtrum Status & Conſilii Sanctioris Sereniſſimi Ducis Neoburgo Palatini, & ad Conventum Imperii Legatum.

Ratisbonâ Hamburgum die 29. Dec. 1665. N. 100. *ad* 99.

COmetam etiam hîc viderunt aliqui: non ego. Puto quod ex variis Europæ partibus legemus relationes de eo varias, & judicia. Inter quæ videre geſtio Hevelii & Bullialdi. Utrumque facile exquirere poterit G. V. illud per communem Amicum: hoc per ſe ipſam. Curtianum ipſe exquiram cras, & mittam. Quod reliquum eſt, opto, ut plagas illas, quas Cometa hic minatur, miſericors Numen avertat, aut nobis veram pœnitentiam largiatur. Bene valeat G. D. Veſtra & faveat

Votum Chriſtianum Cometâ apparente.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimo Servitori

DE RAUTENSTEIN.

Ham-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 2. ad 100.

Hamburgo Ratisbonam die 7. Ianuarii 1665.

(a) Conſcientia virtuti ſufficit. Cic.
(b) Hevelius commendatur.
(c) Bullialdus commendatur.
(d) Votum Chriſtianum apparente Cometa.
(e) Cometam minari mala Ethicè, non Phyſicè intelligendum eſt.
(f) Mentes humanæ à ſolo Deo pendent.
(g) Pœnitentiam Deus largitur volentibus.
(h) Libertas arbitrii media.
(i) Gratia auxilii divini humanæ libertati eſt pernèceſſaria.
(k) Libertas arbitrii, rationis, uſus, induſtriæ conatus Deo ſoli debentur.

SÆpius, & ego video Cometam, & quidem ex feneſtris domus meæ libero aëri expoſitæ eum intueri poſſum. Veniunt in manus meas ex diverſis mundi plagis variæ Obſervationes, & narrationes de hoc phænomeno. Has futuro uſui diligenter aſſervo, qui vel ſi nullus foret, tamen mihi facti conſtaret ratio, rectæ intentionis conſcio. At hoc omnibus in omnibus ſatiſfacit.

Nullum majus theatrum (a) virtuti conſcientiâ eſſe, dixit nonnemo. Et verè. Docet id enim ratio, & omnium ſapientum teſtatur conſenſus. (*b*) Hevelii & (*c*) Bullialdi, Magnorum in re Aſtronomica virorum, obſervationes exſpecto. Provocavi enim utrumque literis & diligentia officii præveni. (*d*) Voto pio Illuſtriſſimæ D. Veſtræ meum adjungo. Utinam Clementiſſimus Deus avertat pro ſua miſericordia (*e*) omnes plagas, quas Cometes iſte minatur (quod tamen Ethicè Illuſtriſſimam D. Veſtram intelligere puto, cum Phyſicè nullos effectus Cometis, & nullum in (*f*) mentes hominum à ſola divina directione dependentes imperium tribuendum cenſeam) aut nobis (*g*) veram pœnitentiam largiatur; volentibus ſcil. & (*h*) libertatem arbitrii, quæ ſe indeterminatè ad utramque contradictionis partem, ut loqui Scholæ ſolent, habeat, ad bonum flectentibus, & (*i*) auxilii divini, ſine quo nihil hic induſtria noſtra valet, certis. Ita enim & (*k*) juſtitiæ, ſapientiæ & bonitati divinæ, & noſtræ libertati, rationi, induſtriæ (quæ tamen cuncta rerum auctori ſolidè tribuenda ſunt) ita laudi & vituperio, præmio & pœnæ locus relinquitur. His me favori conſtanti Illuſtriſſimæ D. Veſtræ diligenter commendo, eandemque cum omnibus ſuis dilectiſſimis benè valere, & feliciter agere cupio ex animo,

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu & ſtudio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. I.

Ratisbonâ Hamburgum die 1. Ian. 1665.

Pœnitentes & pii nec Cometas, nec Prophetas novos & nihil prorſus metuunt.

QUæ à G. D. Veſtra de Cometa habui, ad P. Curtium miſi, cujus reſponſum exſpecto, & G. V. ſtatim communicabo. Dubium non eſt, quin brevì viſuri ſimus multa de hoc Cometa judicia, & relationes. Felices illi, qui in tempore pœnitentiam agunt, & ſe divinæ voluntati ita conformant, ut Cometas, prophetas novos ipſaſque inferorum portas non metuant. Cæterum maneo conſtanter

G. D. Veſtræ

Paratiſſ. Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 3. ad 1.

Hamburgo Ratisbonam die 10. Ian. 1665.

(a) Conſcientia virtuti ſufficit.
(b) Liberorum cura parentibus incumbit.
(c) Parentum exempla multum poſſunt.

ACcreſcunt mihi quoque obſervationes, judicia & relationes de Cometa, quæ undique in manus meas perveniunt, & à me, ut nuper ſcripſi, cum cura aſſervantur. Nam, ut tunc dixi, (*a*) ſuffecerit hic mihi vel ſola rectè facti conſcientia: tum verò (*b*) liberorum meorum, honeſte educandorum, & ad virtutem erudiendorum debita, & à cæleſti parente parentibus impoſita cura. Nam vel maximè (*c*) parentum exempla bona poſteros ad virtutis imitationem accendere par eſt, idque etiam fieri aſſolet. Omnino vero felices, qui, ut tunc dixi, liberam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

liberam voluntatem ad bonum inclinant, & in (*d*) divinam voluntatem, illam bonam, placentem & perfectam, oculos mentis ſemper, quoties aliquid agunt cogitantve, convertunt, & ſe ad conſpectum illius infallibilis ſpeculi conformant. Certè enim iſti (*e*) nulla ſigna cæleſtia, nulla prodigia, nulla præſagia hominum ſæpè fanaticorum, quandoque & fallacium, Pſeudo-prophetis & impoſtoribus ſupparium, ((*f*) quales & noſtro ſeculo, ut & Luciani, ſacrorum irriſores, non deſunt) nec ipſum orcum, omni licet virtuti & veritati adverſum, extimeſcunt. Tales nos Deus Opt. Max. hîc & olìm felices reddat! Benè valeat Illuſtriſſima D. Veſtra, & favere pergat ei qui eſt

(d) Divina voluntas ſemper ſpectanda & ſectanda.

(e) Piorum fortitudo invicta, intrepida.

(f) Pſeudo-prophetæ & Athei noſtro ſeculo non deſunt.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 5. *Ian.* 1665.

N. 2. ad 100.

ITa eſt, abſolvimus cum elapſo anno integram epiſtolarum Centuriam; de quo ſicut ſibi G. Veſtra multum poſtremis ſuis literis die Decemb. 27. elapſi anni, in ordine centeſimis, brevibus quidem, mihi gratis tamen, gratulatur, ita & ego viciſſim mihi gratulor. An eundem numerum aſſecuturi ſimus hoc, quem modo auſpicamur, anno, in manu eſt Altiſſimi, in qua omnia, à qua omnia, & ad quam omnia. Is vota noſtra exaudiat, ſi id nobis conducere arbitretur. Sin, concedat nobis ea, quæ animæ corporique ſalutaria, contentis pleniſſimè, ſi voluntas Sua fiat, ſola ſancta, juſta, recta & fallere neſcia! Mitto excerptum literarum R. P. Curtii ad me cum figura Cometæ & judicio * Magni illius Viri, licet valdè conciſo & abrupto. Nos quoque Cometam illum nunc aliquoties heîc vidimus, cum & ſine cauda, pro diverſo cæli poſitu & aëris conſtitutione. Heſternâ autem verſperâ poſt 7. clariſſimè & cum admiratione eum conſpeximus. Vellem judicium alicujus artis periti audire, non ſolum de Cometa, ſed & de omnibus in genere. Sed hic nullos tales novi. Fortè aliundè prodibunt. Benè valeat G. Veſtra cum ſuis, & ſalveat quamplurimùm.

Divina voluntas ſemper ſpectanda & ſectanda.

Vid. commun. proxima Neoburgo-Curtiana.

** Curtius Jeſuita laudatur.*

Generoſitatis Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 14. Jan. 1665.

N. 4. ad 2.

MUltum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ debeo de communicatione horum ſingularium, quæ de Cometa à P. Curtio ipſa acceperat. Cometa quod aliquando ſinè cauda à Vobis aliiſque videatur, vicinitati Lunæ, majori lumine minus illud abſorbentis, tribuendum eſt. Cum tempore, Deo volente, habebimus varia Doctorum Virorum de hoc judicia. En jam Illuſtriſſimæ D. Veſtræ Bullialdianum aliaque, quæ ſpero grata futura, cum veniant à manu ejus, qui eſt ſincerè

Cometa quare ſine cauda menſe Januarii appa[...]t?

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 3. ad 1.

Ratisbonâ Hamburgum die 8. *Ian.* 1665.

MIſi nuper, quæ de Cometa ad me pervenerant. Eum hic amplius non conſpicimus, forte ob nubilum ſemper cælum. Non dubito autem Viros Præſtantiſſimos Hevelium, Bullialdum alioſque plura de eo ſcripturos, quæ ſi ad G. Veſtram perferantur, exſpecto. Audio Kircherum non pauca lectu digna in ſuis admirandis operibus notaſſe: nec non Gaſſendum ac alios. Benè valeat.

Kircherus Jeſuita laudatur.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N. 5. ad 3.

Hamburgo Ratisbonam die 17. *Ian.* 1665.

ET ego, qui in amicitia re mortalibus maximè neceſſaria, (unde Cicero, *Solem è mundo tollere* judicat eos, *qui amicitiam tollunt*) omni ſtudio & candore certandum eſſe judico, miſi plurima quæ de Cometa ſcripta à variis accepi, vel ad varios ſcripſi. Kircheriana ab Illuſtriſſima D. Veſtra exſpecto. Sed & ipſe Virum illum, rerum Philoſophicarum ſcientia celeberrimum, aliquando ſuper hac re compellabo & conſulam, vera ab omnibus diſcere paratus. Aurum enim eſt aurum, cujuſcunque manu tractetur. Ecce autem, quæ à Clariſſimo Hevelio heri accepi! quæ libenter mitto, ſemper grata officia Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ex animo præſtiturus, prout ſum ad tumulum uſque

Amicitia inſtar Solis in mundo eſt.

Kircherus laudatur.

Veritas, ut aurum, ab omnibus accipienda.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu, ſtudio & officio addictiſſimus.

Stanislaus Lubienietzki.

N. 4. ad 2.

Ratisbonâ Hamburgum die 12. *Ian.* 1665.

UNum penè oblitus eram, nempe duos in his regionibus nunc Cometas videri, quorum alter Auſtriacis favere dicitur. Ego videre aveo judicia Clariſſimorum Virorum Hevelii, Bartholini, Bullialdi, aliorumque artis peritorum, dum meum ſuſpendo. Dicam interim quod certum eſſe credo. *(a)* Pericula nempè undique in Orbe Chriſtiano magis atque magis ſe exſerentia meritò apprehendimus. Cumque eos *(b)* quorum potiſſimum intereſt, idonea ad depulſionem illorum remedia non accipere, imo & contemnere planè videamus, facile auguramur, quæ ſint tandem ſecutura. Scilicet *(c)* quos perdere conſtituit Deus, eorum prius conſilia corrumpit & mentes obfuſcat; ita etiam, ut videant aliquando meliora probentque, deteriora ſequantur. *(d)* Sapiens tali rerum poſitu quid faciat? Suæ ſe virtuti involvet, *(e)* voluntatem divinam, unicam illam & optimam Cynoſuram, ſequetur, & magno animo exſpectabit, quæ vult Deus, quæque mutare non poteſt homo. Talem, etiamſi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. His G. Veſtram benè valere cupio, maneoque conſtantèr

(a) Pericula plus pluſque orbi Chriſtiano imminent.
(b) Pertinaces omnium miſerrimi.
(c) Excæcatio mentis præcedit ruinam.
(d) Sapiens ſemper ſibi conſtat, officiumque facit.
(e) Divina voluntas ſemper ſpectanda & ſectanda.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Ratisbonam die 21. Ian. 1665.

N. 6. ad 4.

(a) DUos diſtinctos Cometas viſos eadem nocte eſſe, non pauci diverſis è locis referunt, de quibus certiora exſpecto. Interim (b) Clariſſimus Hevelius, Vir profectò in re Aſtronomica Magnus, unum eundemque eſſe aſſerit. Sed & alii Viri docti, ac ſiderum notitia præſtantes hic & alibi idem dicunt, & aſſeverant. (c) Clariſſimus Bullialdus, cujus, utpote Viri omnigenâ eruditione inſtructiſſimi & Mathematici eximii judicium magni itidem hic faciendum eſt, nondum mihi ſententiam ſuam ſuper hoc argumento aperuit. A Clariſſimo Bartholino necdum quidquam reſponſi accepi. Cæterum ita omnino eſt, quod tot & tanta exempla loquuntur, (d) Deum quos punire decrevit, eis mentem, & rei vel ſervandæ vel reſtituendæ idonea media ſubtrahere. *Manum injicientibus fatis hebetari & obtundi ſenſus hominum*, inquit ille. (e) Qua in re non tantum invicta Dei potentia, & ſapientia inimitabilis, ſed & inculpata juſtitia elucet. Hac enim pœna (f) refractarii, & præfractè ſalubria conſilia ſpernentes, (g) omnino digni ſunt, digni futuri miſericordiâ, niſi & omnem miſericordiæ ſenſum exuiſſent, & ſe miſeros eſſe vellent. (h) *Invitum qui ſervat idem facit occidenti* Horat. Omnino tamen miſerrimi cenſendi ſunt, qui omnem miſericordiam comſumſerunt, & tum artibus Satanæ, tum (i) propriâ malitiâ in præceps dejecti ruunt. Verè aurea illa Pythagorica carmina:

Γνώσῃ δ' ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας
Τλήμονας οἵτ' ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὐκ ἐσορῶσιν,
Οὔτε κλύουσι. λύσιν δὲ κακῶν παῦροι συνίσασι.

(Cognoſces quoque homines ſua ſponte accerſita mala habere.
Miſeri, qui bona cum propè ſunt, non inſpiciunt
Neque audiunt. Malorum verò ſolutionem pauci intelligunt:)

Sed quid agas, ſi rem habeas cum perditis, & profligati pudoris hominibus, qui aut ob perverſitatem, & ſtudium nocendi aliis, eoſque allatrandi (k) canes, aut ob impuritatem voluptatum, quibus immerſi cœno pro cælo gaudent, (l) porci dici poſſunt, quemadmodum Sacra pagina eos appellat, & cavendos eſſe docet. Tali rerum articulo tutiſſimum omninò eſt (m) virtuti propriæ ſe involvere, & vel pauperiem, lætam tamen & ſecuram, ſine dote quærere, at benè non tantum vivendo, ſed &, ubi opus eſt, latendo, (n) voluntati divinæ, certiſſimæ actionum & votorum noſtrorum regulæ, ſe commodare. Benè valeat, & cum ſuis ſalveat ab eo qui ſum

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu & ſtudio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

(a) *Duo diſtincti Cometæ an unà viſi?*
(b) *Hevelius laudatur, unum Cometam, non duos appa-ruiſſe aſſerit.*
(c) *Bullialdus laudatur.*
(d) *Excæcatio mentis præcedit ruinam.*
(e) *Amm. Marcell.*
(f) *Pertinaces ſoli excæcantur.*
(g) *Pertinaces omnium miſerrimi.*
(h) *Inviti non ſervandi.*
(i) *Culpâ propriâ homines accerſunt ſibi mala.*
(k) *Canes vocandi impudentiæ & malitiæ dediti.*
(l) *Porci dicendi voluptatibus immerſi, & in eis ſe volutantes.*
(m) *Sapiens ſemper ſibi conſtat, officiumque facit.*
(n) *Divina voluntas ſemper ſpectanda & ſectanda.*

Ratisbonâ Hamburgum die 22. Ian. 1665.

N. 5. ad 3.

REſponſum ad epiſtolam Amici Hafnienſis, die 30. Dec. datam magnam auctoris doctrinam, & lectionem ſapit, mihique hac ratione gratiſſimum eſt, qui id etiam inter cætera, quæ de Cometa hoc, cujus adhuc veſtigia tenuia videmus, collegi, diligenter aſſervabo. P. Curtius, utpote aliis nunc occupatiſſimus, nihil mihi ampliùs de eo ſcripſit, putoque eum etiam Aſtronomiam potius quam Aſtrologiam æſtimare. Ingolſtadienſes verò Mathematici promiſerunt editionem Obſervationum ſuarum, quas à nonnullis talium peritis audivi laudari. A Clariſſimo Bullialdo cum tædio reſponſum exſpecto. Amo enim Virum illum, ob animi probitatem, & multam eruditionem. Vale.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Ingolſtadienſes obſervationes laudantur. Bullialdus laudatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Ratisbonam die 31. *Ian. Anno* 1665.

MAgni facio, ut de omnibus Illuſtriſſimæ D. Veſtræ judicium, magna rerum ſcientia magnoque uſu ſubactum; ita & de illa epiſtola ad Amicum Hafnienſem ſcripta. Quæ quod ſit prolixior, Amici deſiderium & poſtulatum effecit. Non ſum enim parcus in hoc officii genere: quo (*a*) amicitiam, vitæ ſalem, mentes & actiones humanas à putredine ſimultatum, & odiorum conſervantem, & rem in vita civili ſummè neceſſariam, conſervari & foveri ſentio. Multum porrò humanitati & benevolentiæ Viri illius præſtantiſſimi debeo. P. Curtium (*b*) Aſtronomiam pluris quam Aſtrologiam æſtimare, & ſententia hic cum Clariſſimis Aſtronomis Hevelio, Bullialdo, Kirchero aliiſque conſpirare libenter intelligo. (*c*) Illam ſublimioris Philoſophiæ, hanc curioſarum artium ſtudioſis deputo. Qua in (*d*) vocum harum ſignificatione ſequor commune judicium, etiam doctorum. Utramque tamen accipio cum grano ſalis, ut & (*e*) amicitia, quæ & ipſa, ut jam jam dixi, ſal vitæ vocatur, doctorum Virorum, qui eam diſtinctionem in literis ad me ſuis adhibent, & potiſſimum veritas, (*f*) qua nihil magis amicum homini cordato eſt, ſalva ſit. Novi enim, (*g*) Cicerone judice, Aſtrologiam, quod & ipſa vox denotare videtur, loqui de ſiderum poſitu & motu l. 1. de Orat. & 2. de divinat. Ideò & 1. de officiis C. Sulpitium laudat, quod Aſtrologiæ incumbens in veri inveſtigatione verſatus fuerit. Cæterum palmarius eſt hic ille 2. de divinat. locus, qui (*h*) Aſtrologos olim præſtantiſſimos non tantum ſine prædictionibus ex aſtris conſiſtere, & Principum Aſtrologorum dignitatem tueri, ſed & eaſdem ſtudio neglexiſſe, vel etiam deteſtatos fuiſſe docet. Quem merito hic adſcribo, quia & Aſtrologiam eo nomine male audire, & quoſdam ſuas illas prædictiones oſtentare cæpiſſe animadverto. Sic igitur ille: (*i*) *Ad Chaldæorum monſtra veniamus: de quibus* (*k*) *Eudoxus, Platonis auditor, in Aſtrologia judicio Doctiſſimorum hominum facilè princeps ſic opinatur, id quod ſcriptum reliquit: Chaldæis in prædictione & in notatione cujuſque* (*l*) *vita ex natali die minime eſſe credendum. Nominat &* (*m*) *Panætius, qui unus è Stoicis Aſtrologorum prædicta rejecit,* (*n*) *Archelaum & Caſſandrum ſummos Aſtrologos illius ætatis, quâ erat ipſe, cum in cæteris Aſtrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis gnere non uſos.* (*o*) *Scylax Halicarnaſſeus familiaris Panætii, excellens in Aſtrologia, idemque in regenda ſua civitate, princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiavit.* l. 2. de divinat. Atque id deinceps rationibus refutat, & contra defenſores illorum commentorum diſputat. (*p*) Ridet vim Zodiaco adſcriptam & Planetis, & illa eorum triangula & quadrata, quæ *deliramenta* vocat. Attamen hæc (*q*) poſteriorum ſeculorum curioſitas magis magiſque auxit, imò etiamnum auget: & multos videas, qui hæc pro oraculis fere non tantum obtrudant, ſed & accipiant. Scio quidem (*r*) nonnullos hanc artem cum modo habere; quorum ego inſtituta & agendi rationem in medio relinquo. Sed illud reprehenſione dignum judico, quod quidam non ceſſent (*s*) ſpei vel metus vanitate orbem commovere, & non tantum cæleſtium corporum in terram deductorum, ſed & conſcientiarum humanarum circulos, ut ſic dicam, turbare. Ecce verò iterum Cicero: (*t*) *Quàm multa ego Pompejo, quàm multa Craſſo, quàm multa huic ipſi Cæſari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi in claritate eſſe moriturum? ut mihi permirum videatur quenquam exſtare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re & eventis refelli.* 2. de div. Neque vero vel neſcius ſum vel etiam diffiteor, omnes eos qui Aſtronomiam & Aſtrologiam, tanquam inſtitutiones multum diſcrepantes, illam quidem de aſtrorum ſitu & motu, hanc vero de illorum influente vi & efficacia dividunt, auctoritate Ptolomæi ſe tueri. (*u*) Sed novi etiam ab àliis diſcrimen illud tolli. Hoc inprimis (*w*) Theodorus Majus in (*x*) Aſtro-

Rautenſteiniantis meritis debitum teſtimonium dåtur.
(*a*) *Amicitia ſal vitæ, mutuis ſtudiis conſervanda.*
(*b*) *Aſtronomiam pluris quam Aſtrologiam faciunt viri docti.*
(*c*) *Judicium de Aſtronomia & Aſtrologia.*
(*d*) *Aſtronomiam inter & Aſtrologiam quæ olim fuerit & nunc ſit differentia?*
(*e*) *Amicitia colenda illæſa veritate.*
(*f*) *Veritas maximè amica homini eſt.*
(*g*) *Aſtrologia* Ciceroni *idem quod nobis nunc Aſtronomia eſt.*
(*h*) *Aſtrologi præſtantiſſimi olim prædictiones ex aſtris vel negligebant, vel etiam repudiabant.*
(*i*) *Prædictiones ex aſtris à Chaldæis inventæ.*
(*k*) Eudoxus *laudatur.*
(*l*) *Genethliaci olim rejecti.*
(*m*) *Panætius Phil. Stoicus.*
(*n*) *Archelaus Aſtrologus Caſſander Aſtrologus.*
(*o*) *Scylax Halicarnaſſeus laudatur.*
(*p*) *Cicero prædictiones Aſtrologicas refutat.*
(*q*) *Secula poſteriora magis magiſque à primæva integritate diſceſſerunt.* (*r*) *Aſtrologiæ uſus modicus non omnino, ſed immodicus, planè rejiciendus eſt.* (*s*) *Prædictiones Aſtrologicæ orbem turbant, & ſæpiſſimè vanæ deprehenduntur.* (*t*) *Cicero quotidianam prædictionum Aſtrologicarum vanitatem agnoſcit, & quoſdam ei fidem dare miratur.* (*u*) *Aſtronomiam inter & Aſtrologiam quæ fuerit olim & nunc ſit differentia?* (*w*) Theod. Majus. (*x*) *Aſtrologia vindicata.*

logia

logia vindicata facere conatur, ubi probare ſtudet utramque ſcientiam indiſſolubili nexu conjungi. Quod quidem contra Ciceronis mentem eſt. (a) Is enim, ut, vidimus, Aſtrologos circa *ſtellarum curſus*, *progreſſiones*, *inſtitutiones*, & ita in vero indigando ac honeſtate ſectanda occupari docet, alibi inter *Viros Magnos* ponit, ac *animum eorum divinum* fuiſſe ait, & ſuo exemplo ſtudia eorum approbat. 2. de divin. 1. Tuſcul. & 1. de Nat. Deor. Illo autem de divin. libro, ut jam jam loquentem audivimus, (b) prædictiones illas Chaldaicas ab Aſtrologia reſecat, ac prorſus rejicit. Plinius quoque auctor eſt l. 18. c 25. (c) Heſiodi carmina de motu ſiderum Aſtrologiam fuiſſe dictam. E contrario video quoſdam viros doctos, ſicut (d) Aſtrologicam ſcientiam de ſiderum poſitu & curſu, ita (e) Aſtronomiam ſcientiam, de judiciis ad vitam fortunamque pertinentibus, ex aſtrorum poſitu & operatione petitis, definire: quibus & Græca etymologia favet. Sed de his (f) quæ natura ſua media ſunt, ſervabo regulam, quæ docet *ſentiendum eſſe cum doctis*, *loquendum cum vulgo*, & (g) uſum, qui valorem verbis ſicut nummis, dat, ſequendum

(h) Quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi. Horat. de Arte Poët.

Nam & ipſe (i) Cicero in illo de divin. libro Aſtrologos Chaldæis, licet illos laudet, hos damnet, accenſet, nempe quod illi Vates vel appellationem hanc ſibi arrogarent, vel à vulgo ſibi delatam acciperent. Neque verò (k) omnibus, vel in omnibus, omnive tempore, ac loco, abuſus, illos præſertim diuturna conſuetudine firmatos, tollere libet vel licet. Mihi libet, licet & par eſt bona fide dicere quod ſim

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio cultu & obſequio

Staniſlaus Lubienietzki de Lubienietz.

(a) *Aſtrologia Ciceroni idem eſt, quod nobis nunc Aſtronomia.*
(b) *& Conſiſtere ſine Chaldaicis commentis poteſt.*
(c) *Heſiodi Aſtrologia.*
(d) *Valla in Raud.*
(e) *Aſtronomia quibuſdam idem eſt quod vulgo nunc Aſtrologia.*
(f) *Adiaphora in medio, ſicut à natura poſita ſunt, relinquenda.*
(g) *Uſus ſequendus in loquendo.*
(h) *Verba valent uſu.*
(i) *Cicero quare Aſtrologos Chaldæis accenſet?*
(k) *Abuſus non omnes, nec ab omnibus, nec ſemper tolli poſſunt.*

Ratisbona Hamburgum die 26. Ian. 1665.

N. 6. ad. 4.

CL. Bullialdus quæ ſcripſit, cum R. P. Curtio cras communicabo, & poſt octiduum reſpondebo. Is mihi heri ſcribit, quæ ſeorſim mitto de die 21. Januarii. Ille verò in litteris ſuo more conciſus. Quæ autem ad me porrò mittet, Generoſitati Veſtræ ſtatim communicabo

Vid. communicatione proxima.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 12. Febr. 1665.

N. 8 ad. 6.

IN itinere Holſatico inter cætera magna (a) gratia Sereniſſimi Ducis, Principis profecto Egregii, & ut colloquiorum de rebus Polonicis aliiſque ſuavitate, ita & tot ſingularium in (b) Bibliotheca Ducali ad miraculum inſtructa adſpectus voluptate fruitum me eſſe, gratus dicam oportet. Inde redux feliciter per Dei gratiam factus, redeo ad officium, præcipue erga Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, (c) quem inter Principes Amicorum merito loco. Minimè miror Clariſſimum P. Curtium aſſerere velle, (d) alterum in Corvo, alterum in Lepore Cometam à nobis fuiſſe conſpectum. Id enim ſuadet diverſum apparitionis, illius ſcil. ante ortum, hujus poſt occaſum ſolis, tempus, tum & diverſus motus, illo ad Auſtrum, hoc ad Boream anhelante, aliaque. Sed ex-

(a) *Chriſtianus Albertus Dux Holſatiæ laudatur.*
(b) *Bibliotheca Gottorpienſis inſtructiſſima,*
(c) *Rauteniſteinium quo loco habeat Auctor.*
(d) *Cometa in Corvo & Lepore in. Dec. 1664, viſus, quod geminus fuerit judicatus, non eſt mirandum.*

ſpectan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſpectandum eſt, quid ſit dicturus, poſtquam Magnorum Mathematicorum Hevelii, & Bullialdi, (quorum ecce literas novas!) ſententiam cognoverit. Bene Valeat Illuſtriſſima D. Veſtra, & favere porro pergat ei qui eſt ſincere.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omnibus officiis & ſtudiis addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 7. ad 5.

Ratisbona Hamburgum die 2. Febr. 1665.

Mala incumbunt Rebuspubl. Chriſtiani orbis.

SUperioribus ſubmitto alia Cometam ſpectantia: quæ communicari poterunt Amicis, inprimis Hevelio & Bullialdo ad elicienda plura. Vereor autem, ne Cometarum effectus prius ſentiamus, antequam naturam, & vires eorum Philoſophicis conjecturis aſſequamur. Ita undique apparent magnorum motuum ſemina & fructus ultimorum temporum. Ideo & rebus noſtris prudentiores metuunt. A quibus nec ego diſſentire poſſum. Verum tamen optima voveo; & conſtanter maneo

G.D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 9. ad 7

Hamburgo Ratisbonam die 14. Febr. 1665.

(a) Cometis an & quomodo tribuendi effectus?
(b) Ethicè & Politicè monita ſalutaria colligit.
(c) Jul. Scaliger laudatur.
(d) Cometas nec cauſſas, nec ſigna rerum eſſe voluit Scaliger.
(e) Cometas eſſe ſigna quodammodo dici poteſt.
(f) Cæleſtium ſtudiorum ſectatores modeſtia & magnanimitas ſimul decet.
(g) Temporum noſtrorum depravatorum facies mala minatur.
(h) Ambitio & avaritia orbem confundit.
(i) Satanæ ſtrategematis, non ſideribus mala adſcribenda ſunt.
(k) Acontii liber de Strateg. Satanæ commendatur. *(l) Eraſmi Eccleſ.*

NOn negligam ea, quæ mecum Illuſt. D. Veſtra communicavit cum Clar. Mathematicis, cumprimis Hevelio & Bullialdo, quibuſcum ſuper hac re aliquoties per literas contuli, communicare, ut plura eliciam. *(a)* Cometis Illuſtriſſimam D. Veſtram tribuere effectus puto vel ſecundum receptam à pluribus ſententiam, vel ſecundum *(b)* Ethices & Politices mentem. Utraque enim ſalubria monita undique ad ſe trahit, & in uſum vertit. *(c)* Julius Cæſar Scaliger, Vir in Repub. literaria Illuſtriſſimus, *(d)* Cometas non tantum nihil operari, ſed nec quicquam ſignificare, *(e)* niſi certo reſpectu, ob rerum ſcilicet cohærentiam aſſerit, Exerc. 79. Hoc ego ſalva veritate, & ſuadente Ethices inſtitutione admittendum, ſed illud prius rejiciendum quoque exiſtimo. Valeat hic illud Tullianum. *(f) Modeſtiam quandem cognitio rerum cæleſtium adfert iis, qui vident, quanta ſit etiam apud Deos moderatio, quantus ordo: & magnitudinem animi Deorum opera & facta cernentibus.* libro 4. de Fin.

Omnino autem apparent *(g)* indicia magnorum motuum, & fructus ultimorum temporum, vere ferreorum, dum ubique cuncta *(h)* ambitio & avaritia multis motibus ambiguis pavidiſque metibus confundit, & ſimultates, odia, inimicitiæ, hoſtiles minæ iræque flagrant, ita ut meritò verendum ſit, ne magna Orbis Chriſtiani pars iniquitatis incendio conſumatur. Hæc tamen *(i)* non influenti vi vel efficaciæ ſiderum, ſed artibus Satanæ jurati humanæ ſalutis hoſtis & malitiæ hominum adſcribenda ſunt. Merito itaque technas Satanæ cavere debent Chriſtiana pectora, ne ab eo illaqueentur, &, ut illas earumque vitandarum rationem pernoſcant, *(k)* commendatum ſibi habere egregium Jacobi Acontii de ſtratagematis Satanæ librum, quo Chriſtianum ad peitatem, ut illo *(l)* Eraſmiano Eccleſiaſte ad concionandi artem ſingulariter & eximie juvari dixit Vir quidam pius, doctus & eloquens. Bene valeat Illuſtriſſima D. Veſtra & faveat conſtanter ei qui eſt æternum,

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ


Omni cultu & ſtudio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47


Figura obſervat. Cometicar. Coloniæ Agripp. a d. 13 Dec. 1664 ad d. 5 Ianua. 1665 fac
Status, et ad Conventum Ratis
Septentrio
5
5 Ianuarii
4
3 Ian.
3
2 Ian.
Oriens
Occid.
2
30, 31 Dec.
1 Ian.
1
13, 27 Decem.
Merid.
Leo
Æquinoctialis
Crater
Corvus
Navis
13 Decemb.
27 Decemb.
Gallus
Cometa A° 1664. Nucleus eius conſtans ſtellulis ſeu ſcin, tillulis 27 Dec. Coloniæ obſervatus habere diametrum 3 digitorum, ut confuſe cum lumine 2 palmarum

…665. factar. ad Communicat. Illuſtriſs. D. Ioan. Ern. de Rautenſtein, Miniſtri
…tum Ratisb. Legati Neoburgici pertinens.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ratisbona Hamburgum die 12. Febr. 1665.

N. 8. ad 6.

QUod G. Veſtra Clariſſimorum Mathematicorum judicia, & Obſervationes de Cometa, qui amplius nobis non apparet, induſtriè exquirat, mihi valde gratum eſt: cui etiam maximas gratias ago, quod mei apud. D. Hevelium tam honorificam mentionem facere voluerit, à quo Viro tanto & tam celebri, beneque de Repub. litteraria merito, noſci & amari non minus cupio, quam à cæteris ejuſdem ſimilibus. Spero autem has G. Veſtram Gottorpio reducem felicitur domi ſua excepturas, reditumque gratulaturas. Quid tandem ſtatuturi ſint de ſua libertate Veſtri Poloni, vel quid Deus potius de ipſis, tempus docebit. Id me nunc deficit, ut de illo negotio longius diſſerere & philoſophari nequeam. Omnes enim nunc Bachanalia hìc occupant, meque hodie inviſent plus quam 50. hoſpites, more patriæ frontem exporrecturi, ſaltaturi &c. *(a)* His omnibus adeſſe & de his participare, etiam contra voluntatem, neceſſe habebo, ne non tantum ſeverus, ſed & inhumanus, vel etiam cinicus habear. *(b)* Adjungo Obſervationem Cometæ Coloniæ factam & editam, tum R. P. Alberti Curtii ad me literas, pro noſtra confidentia, de die 30. Januarii, & 5. Februarii. Equidem doctè ſunt ſcriptæ, prudenter & nervoſe, uti *(c)* ille Vir profecto eſt raræ doctrinæ, conſummatæ prudentiæ & ſummi ingenii. Bene valeat & amare me pergat

Laudes nonniſi à Laudatis accipiendæ. Hevelius laudatur.

(a) Bacchanalia Viris alioquin Illuſtribus, ſed ſimul & probis, diſplicent, licet iis intereſſe aliquando cogantur.

(b) Colonienſem obſervationem Rautenſteinius, Auctori mittit.

(c) Curtius Jeſuita laudatur.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimum Servitorem

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 21. Febr. 1665.

N. 10. ad 8.

Illuſtriſſime Domine Legate.

DIcerem cum tot aliis, ſi adhuc negligentior officii in ſcribendo fuiſſem, me *(a)* feſtum Bacchi agitando, extra oleas paulum evagatum fuiſſe, nunc autem ad orbitam redire. Sed non ſoleo ita feſta agere, *(b)* quæ credo hominem Chriſtianum quotidie agitare debere. Certe & gentilis olim dixit, & *(c)* gravis quidem Scriptor, Thucydides, *(d) feſtum nihil aliud eſſe, quam agere ea quæ deceant.* Id quotidie eſſe vitâ monſtrandum quis negare auſit? Memini autem me aliquando & inter Conciliorum Canones Concilii Laodiceni (quamvis *(e)* magis magiſque jam degenerante Apoſtolicæ, illius piſcatoriæ, ſimplicitatis & Chriſtianæ pietatis integritate 4. Seculo habiti) canonem legere talem: *(f) Chriſtianos non oportere ballare & ſaltare, ſed caſte prandere & cænare, ſicut competit Chriſtianis.* Sed neque Cometæ, quem P. Curtius ex letheis humoribus coaluiſſe argute dicit, *(g)* meditatio & ſtudium, cui incumbo crebro, de hoc phœnomeno literas ad Viros doctos, & cæleſtium orbium notitiâ claros, huc illuc exarans, & judicia eorum exquirens, me officii mei obliviſci fecit. Fateor tamen me hoc epiſtolæ exordium proxime præteritæ præmittere oportuiſſe. Sed tunc alia, quæ differri non poterant ad Illuſtriſſimam D. Veſtram perſcripſi. Nunc vero acceſſit Curtiana arguta epiſtola, quæ mihi quoque hìc argutandi paulum & ſobrie anſam præbet. *(h)* Fateor utramque doctè & nervoſe ſcriptam eſſe. Cognoſco ex ungue Leonem. Gratias itaque ago pro utraque. Mitto, quæ occaſione Hevelianorum ad Amicos ſcripſi, & quæ hic illic mala fiunt: & conſtanter maneo

(a) Bacchanalia ſcriptiones & alia officia impediunt.

(b) Feſta quotidie agitanda.

(c) Thucydides commendatur.

(d) Feſtum agere eſt agere quod decet.

(e) Quartum poſt Apoſtolos ſeculum à primæva integritate longe abeſt.

(f) Concilium Laodicenſe circa Annum 364. damnat ſaltationes & omnem epularum luxuriam.

(g) Curtii Jeſuitæ de Cometa argutè dictum.

(h) Curtius Jeſuita laudatur.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omnibus ſtudiis & officiis deditiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 9. ad 7.

Diſſenſiones in Comitiis Ratisbonenſibus.

Ratisbona Hamburgum die 23. Febr. 1665.

SEmper quidem de Rep. benè ſpero, & nunquam male ominari volo. Neſcio tamen num effectus Cometæ, num quid aliud ſit, quod hic ita diſſentimus, ut redire in viam concordiamve adhuc nequeamus. Interea perditur tempus, & undique timetur, ne hæc mala in deterius erumpant, paucis eoque magis laudandis, aquam, pluribus oleum affundentibus. Videntur in Polonia & alibi omnino inſtare magnæ mutationes. Deus nobis adſit? Ego conſtanter maneo

G. D. Veſtræ

Paratiſſ. Servitor

De Rautenstein.

N. 11. ad 9.

Hamburgo Ratisbonam die 4. Martii 1665.

(a) Diſſidia in Polonia & in Comitiis Imperii dolenda.
(b) Tempore dubio maxime vitanda, & conſtanti legum obſervatione præcavenda ſunt domeſtica diſſidia;
(c) Legum conſtans obſervantia maximè Chriſtianos decet.
(d) Regula ſtudiorum ſit lex, non libido.
(e) Circumſtantiæ addunt pondus rei.
(f) Æqua & ſemel ſancita tenenda.
(g) Precioſa cuſtodienda.
(h) Antiqua ſervanda.
i] Præſcriptio temporis valida.
k] Novatores aſtuti.
l] Liberi arbitrii abuſus.
m] Fati, Cometarum, vel etiam ſyderum neceſſitas nulla eſt, qualis vulgò creditur.
n] Cometas nuperos anteceſſerunt multa diſſidia, motus bellici &c.

QUicunque res Polonicas (*a*), & Conventum illum Imperii acri oculo introſpicit, fateatur neceſſe eſt, maximopere dolendum eſſe tot acerbas controverſias & triſtia diſſidia hìc illic, & nunc noviſſimè in Comitio veſtro oriri, de quibus plura aliunde vel ex publicis narrationibus, vel ex Amicis accipio. Ego credo omnibus illis Statui periculoſis diſceptationibus, ſemper quidem, maxime tamen (*b*) dubio tempore cavendis, non aliter occurri poſſe, quàm ut legitimè ſancita, & poſt ſuperatas multas difficultates communi Ordinum conſenſu firmata, decreta & jurata bona fide ſerventur illæſa, intemerata, intacta. Cur enim & potentiori quod ſemel placuit diſpliceat? (*c*) Nonne iidem poſt, qui antè Meridiem ſumus? nonne quod antè annos plures paucioreſvè ſtatuimus, & omni meliori modo approbavimus, etiam poſteri poſteris quoquomodo contrahentium partium, præſtare tenemur? O miſeram rerum & Chriſtianæ noſtræ profeſſionis ſortem, ſi non (*d*) æquitatis, ſed potentiæ, non legis ſed libidinis regulâ, vota & ſtudia noſtra metiamur, & jura temerariè figamus refigamuſque! Nonne enim gentilis probitas, & prudentia ante noſtram eſt? Et cum hæc firmè ſibi conſtent, fateor hìc (*e*) magnum rei veritati ex circumſtantiis accedere momentum. Nam vel (*f*) quæ æquitati congrua fide publica ſancita ſunt ab adverſa factione, vel etiam à privatis præfractè violantur, vel (*g*) quæ carè, magno ſcilicet non tantum temporis & laboris, ſed æris & cruoris impendio emta ſunt, levi aliquo privati commodi pretio venduntur; vel denique (*h*) quæ firmiter diuturno uſu potenter adverſus omnem (*i*) novitatem ubique præſcribente approbata ſunt, ab illis, qui novandis rebus ſtudent, & (*k*) verſatili ingenio leoninam pellem cum vulpina alternis induere docti ſunt, licenter antiquantur. Atque in eo (*l*) abuſus humani arbitrii, divinitus ſoli ratione præditæ rei creatæ conceſſi, non ulla (*m*) fatorum vel Cometarum, vel etiam ſiderum vis & neceſſitas perſpicitur. Quid enim? nonne (*n*) ante viſum Cometam valida ſtudia ambitione & avaritia armata, graves contentiones, pertinaces iræ & acria diſſidia in apertam bellorum, licet minorum & breviorum, tempeſtatem erumpentia, hic illic apparuêre & viguêre? Nonne in ipſo Comitio Imperii tot tantique animorum motus, & triſtem maximi illius & ſplendidiſſimi Conventûs irrito eventu ſolutionem minantes controverſiæ, antè phænomenon conſpectum conſpectæ fuêre? Equidem (*o*) aſtris, Cometis & Eclipſibus nulla vis.

Nullum numen adeſt, ſi ſit prudentia & virtus. Sed prava opinio, pravaque rerum diſpoſitio, quæ à liberrima hominis pendet voluntate, divinitatem quandam, imo & cogendi facultatem illis rebus creatis conciliat. At (*p*) hæ ratione carentes, nec noſtrarum rerum conſciæ, motum ſuum à Creatore, & Rectore

o] Cometis & Eclipſibus vim cogendi prava dat opinio. *p] Aſtra non dominantur Sapientibus, ſed hi potius illis, & licet inclinent, nullam tamen neceſſitatem vel vim inferunt.*

uni-

univerſi præſcriptum abſolvunt. Non illæ ad ciendos animorum, armorumque motus obtinent imperium. Nam ut inclinent, nullam nobis virtutis arduæ viam deſerendi, vel adverſam illam vitii ineundi neceſſitatem imponere poſſunt. Unde & qui magnam illis efficaciam tribuunt, impediri & eludi eam piâ induſtria, & itâ *ſapientem aſtris dominari* poſſe fatentur: niſi quod & multum publicæ interſit rei, ne ulla (*a*) cogendi poteſtas aſtris tribuatur, hominibuſque rerum novarum avidis inſolentia & iniqua tentandi, ſeque ut neceſſitatis cæleſtis Miniſtros & inſuperabilis fati ſatellites judicandi, occaſio detur. Occaſione ſignorum cæleſtium, quæ nuper percurrit vel attigit Cometes, (*b*) nonnulli, dum alii genio, indulgent ingenio, & ad prædicendum jam antè à prudentioribus prævisum, imo & ab omnibus in ejus, ut ſic dicam, incunabulis viſum, bellum inter Anglos & Hollandos exortum navale ſigna cæleſtia adhibent.

Adferunt hi in medium Libram, ut (*c*) bellum religionis, quàm Libræ ingenioſa Aſtrologorum curioſitas ſubjecit, præſagiant. Atqui (*d*) bellum illud de regione aurifera, non de religione, quæ vel maximè utramque nationem in mutua fœdera pellicere deberet, geri cœptum eſt, Batavis parta tueri, Britannis hæc illis eripere volentibus. Adducunt alii Taurum & Arietem cornupetas, (*e*) Hydram aquaticam, navim Jaſonis, Orionem virum armatum & ad pugnam paratum, quin & ipſum Cetum fluviumque Eridanum è cælo, & ita bellum navale divinando in orbem terræ deducunt. Prima ſpecie videntur hæc affabrè veritati congrua: & ſunt quidem fateor ingenioſa, ſed nullo ſtabili fundamento innixa. Nempe & ipſi (*f*) Aſtroſophi aſtris inclinationem, nullam neceſſitatem adſcribunt, & ab iis quidem homines, ſed eadem à Deo regi fatentur. Verum enim verò & aliàs illa argutè dicta plus ingenii quàm certæ veritatis in ſe habere facile probamus. (*g*) Cur non enim producunt in medium alia ſigna cæleſtia, quæ pariter vel tranſivit vel attigit Cometa? Qualia ſunt Virginis, Leonis, Cancri, Geminorum? tum Crateris, Corvi, Galli (quanquam hunc & illum quidam venari argutiis conantur) Canis Majoris & Leporis? Nempe quòd hæc parum ad eorum inſtitutum faciant. Verumtamen (*h*) Leo vel maximè utrique aptari poterat genti, quod & ſcuta & res eorum fortiter geſtæ loquuntur. Sed quid reliqua ad rhombum? Non enim ad bella, ſaltem ex præſcripto Sapientum gerenda, (*i*) idonei ſunt Duces vel milites molles, ut fœminæ, tardi & retrocedentes, ut Cancri: teneri, ut gemelli: bibaces, amphoræ doliaque dicendi, qui ſcilicet,

Crateros magnos ſtatuant & vina coronent.

loquaces & rapaces, ut Corvi: pavidi ut galli gallinacei, urgente vi majore: (*k*) impudentes ut canes, quos illos Homericos κυνῶπας & Heſychianos κυνοδλῶπας (canino aſpectu præditos) merito dixeris: vel denique meticulos, ut Lepores. Et ſi iſti per hæc & illa diverſos, imo adverſos Duces militeſque & bina caſtra victorum victorumque deſignari dicunt, multum profectò (*l*) repugnantes operationes uni eidemque phænomeno tribuant neceſſe eſt.

Sed & ex eorum mente quid præter (*m*) Arietem, cui Angliam, quid præter Cancrum, cui Hollandiam Selandiamque ſubjectam eſſe volunt, reliqua ſigna ad hos populos, ſed & tot alios, qui licet ſub illis poſiti, omni tamen pacis felicitate gaudent? Denique cur in Anglos & Hollandos potius Aries & Cancer, quam Leo, quem, ut dixi, inſignia & res eorum geſtæ orbi, ſummo cum gloriæ certamine exhibent, vel alia ſigna, quæ in Cometæ itinere ſpectantur, agant? Et quis neſcit nullo jure tantam vim ſignis illis, taliaque ſigna aſtris tribui? Sed ut finem dicendi faciam, quod ſæpe dicere ſoleo, hic etiam merito dicam, (*n*) multa ſcilicet adverſa ante, multa itidem proſpera poſt Cometarum apparitionem, quæ mortalibus à Deo præmia pænaſque cuique pro meritis diſtribuente immiſſa fuerint, in omnium Annalium ſcriniis reperiri. Quod

(a) Aſtra homines ad ſcelera non cogere, ut nemo credat, publicæ intereſt rei.

(b) Aſtrologicæ prædictiones argutæ ex nupero Cometa deductæ refutantur.

(c) Bellum religionis ex nupero Cometa quidam prædicere volebant.

(d) Bellum inter Anglos & Hollandos non eſt de religione, ſed de regione.

(e) Bellum navale ex aquaticis ſignis, quæ Cometa percurrit, ſtructura fundamento caret.

(f) Aſtroſophi quoque ſolam inclinationem aſtris, nullam neceſſitatem tribuunt, eaque Dei regimini ſubjiciunt.

(g) Prædictiones ex ſignis aquaticis reliquorum ſignorum oppoſitu retunduntur.

(h) Leones Anglorum & Hollandorum, inſignia fortitudinis ſunt.

(i) Bellis gerendis inepti molles, tardi, retrocedentes, teneri, bibaces, loquaces, rapaces, pavidi.

(k) impudentes & meticuloſi.

(l) Prædictiones illæ adverſas Cometis operationes tribuunt.

(m) Signum Arietis & Cancri non operari in Anglos & Hollandos exemplis aliarum gentium iiſdem ſignis ſubjectarum, & aliorum ſignorum demonſtratione refellitur. *(n) Cometas multa & adverſa præcedunt & proſpera ſequuntur, per Dei ſupplicia & præmia diſpenſantis juſtitiam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

(a) Libertas conſcientiæ ductum ſequens & modeſta, cuique relinquenda.
(b) Rautenſteinio meritum teſtimonium tribuitur.
(c) Sapienti è cælo conceſſa privilegia.
(d) Menſura rerum prudens & vis rationis pluris facienda eſt quam prædictiones Aſtrologicæ.

reliquum eſt, (*a*) cuique dictante conſcientiâ & ratione, quod verum eſſe in ſacris & civilibus credat, modeſtè pronuncianti & defendenti integram libertatem relinquo, eandemque lege æquitatis ut mutuam officii vicem ab eo exigo. Tu tamen, (*b*) Vir Magne, & inter excellentiſſimos ac illuſtriſſimos Reip. literariæ tuis meritis ponende, ſcribis & illuſtri exemplo aſſeris (*c*) privilegium dominatûs in vaga aſtra ſapienti è cælo conceſſum, quo fretus, (*d*) pluris menſuram rerum & vim rationum quam aſpectus ſiderum, & omina ex cæleſtibus ſignis petita facit, nec unquam prudentiæ futuri, intellectu & experientiâ duce, haud prorſus ignaræ, divinationes curioſorum,

Viliaque aſtriloquæ præfert commenta puellæ,

& ut proſpera modeſtiæ, ita adverſa conſtantiæ invictæ ſemper ſubjicit, ut vel

Si fractus illabatur orbis
Impavidum feriant ruinæ.

His Te Illuſtriſſime Domine Legate, benè valere & feliciter agere cupio ex animo

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio & officio deditiſſ.

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N.10. ad 8.

Hevelius laudatur.
Hevelii Cometographia & ejus Prodromus.
(b) Cometæ apparitione mala Europæ ingruentia ſignificantur.
(c) Prædictiones Chriſti, Apoſtolorum & ſanctorum de temporibus ultimis.
(d) Conſtantia in adverſis maxime Chriſtianos decet.

Ratisbonâ Hamburgum die 2. Martij 1665.

QUanti Dn. Hevelium in Aſtronomicis faciam, ſæpius teſtatus ſum, & in eo cum G. V. & multis aliis idem ſentio, ac proinde me ei quavis occaſione commendari cupio. Cometographiam ejus, quod opus mole & multa eruditione inſigne fore non dubito, libenter quamprimum viderem, ſi fieri poſſet. Interim quæ nobis inſtar Prodromi ejus promittit, libenter quoque videbo, & multum humanitati & benevolentiæ ejus debebo, quod poſtulatis noſtris tantum tribuerit, ut in præmittendo Prodromo laborem, procul dubio non levem, ſubire voluerit. Quod ei cum officiorum meorum oblatione multaque ſalute indicari velim. Cometæ an & quæ, bona an mala, ſeorſim an ſimul ſignificent? tum an illa efficiant? acriter inter eruditos diſputari video. Quod etſi in medio relinquo, ſatis tamen evidens eſſe puto, (*b*) mala, quæ ille portendat vel ſignificet, jam, proh dolor! hîc illic in Europa ſurgentium inſtar flammarum emicare.

Conſurgit enim gens in gentem, & regnum in regnum, ut ipſe Chriſtus Dominus prædixit. Et tempora, de quibus alia, & diſcipuli ejus poſt ipſum (*c*) vaticinati ſunt, illa ſcilicet extrema, quia extremæ malitiæ & perverſitatis ac injuſtitiæ ubique graſſantis plena, ante fores ſunt. Præparemus nos, (*d*) ut Chriſtianos decet, & firmemus animum fortibus exemplis, ut licet fractus illabatur orbis, impavidos feriant ruinæ. Qua in re tot ſancti & veri Domini Jeſu Chriſti imitatores non tantum dictis egregiis & piis monitis, ſed & præclaris exemplis nobis prælucent, qui etiam hæc tempora prædicendo vel caſtigando notarunt. Plura ſcibere parabam, ut reſponderem veſtris, ſicut par eſt. Sed intervênere impedimenta, quæ me non ſinunt ritè officio meo defungi. Fiet id proximè, volente Deo. Bene valeat G. Veſtra, & favere pergat ei, qui eſt & manet conſtanter

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Ham-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Ratisbonam die 11. *Martii* 1665.

N. 12. *ad* 10.

QUòd circà Heveliana conſentiamus ambo, quodque (*a*) Vir ille in arte ſua Excellentiſſimus tantum precibus noſtris dederit, ut nobis brevi (*b*) Prodromum Cometographiæ ſuæ ſtiturum ſe eſſe promiſerit, plurimum gaudeo. Commendare ei Illuſtriſſimam D. Veſtram non negligam, licet ſatis ei per ſe commendatum, & cui non, (*c*) qui literarum & virtutum ſtudia ac publica commoda curat amatque? Cometis ille & aſtris nullam efficaciam, & in mentes humanas operationem, quod ſciam, tribuit. (*d*) Aſtrologicas prædictiones eum parvi facere, in literis ejus ad me, ſed & in libris editis pervideo. Meam quod attinet ſententiam, vero ſimile mihi eſt, (*e*) aſtra quidem agere per vim de cælo influentem in hæc inferiora, ſed non regere humanas voluntates, atque ita nec Cometas dominari mentibus hominum, vel eſſe ſigna, quæ ut cauſa aliqua efficiens deſignent bona malave. Singulare quidpiam me hìc allaturum ſpero, idque non tantum ad inſtitutum bene quadrans, ſed & verba Chriſti Domini & Servatoris noſtri (quæ Illuſtriſſima D. Veſtra, ut & illas poſteriora & extrema tempora notantes Apoſtolorum & aliorum ſanctorum prædictiones allegavit) reſpiciens. Annotat Funccius ex Palmerio, Alſtedius, Ricciolus aliique Scriptores, in hiſtoria ut aliarum rerum memorabilium, ita & (*f*) Cometarum Anno Chriſti 594. vel, ut Carolus Sigonius putat, initio Anni 595, apparuiſſe Cometam. Hunc & proſpera & triſtia ſecuta eſſe, in hiſtoria legimus (*g*) Proſpera, quorum notabiliora tantum annotare placuit, hæc fuère. (*h*) Gothi, qui à duobus amplius tunc Seculis Imperio Romano & orbi Chriſtiano, quam graves felicitate armorum fuerint, nemo non novit, & (*i*) Franci in mutua pacis fœdera, ſorore Childeberti Mediomatricum in Francia Regis, Regi Gothorum Reccando matrimoniali fœdere juncta, iverunt. Priſcus Dux Mauritii Imperatoris Sclavinos, multis annis Imperium vexantes, & ipſa quandoque Conſtantinopoleos mænia adequitantes, Thraciâ ejecit, (*k*) Regem eorum à temulentia prius, quam ab hoſte victum, trucidavit. Quod quidem Anno 594. factum eſſe traditur. Mox anno ſequenti idem Dux victoriam proſequens, ſuperato hoſte & (*l*) Iſtro, omnium Europæ fluviorum maximo, ex regionibus Sclavinorum plurimam prædam cæpit, eaque milites ſuos ditavit, potiore parte, ad Mauritium Imperatorem miſſa. Tum & trophæa victoriæ trans Iſtrum, diſpoſitis per commoda loca in hyberna copiis fixit, & rem ex voto peregit. Eodem 595 anno & Thaſſillo rex Bavarorum ab Chilperico Francorum Rege conſtitutus Sclavos Sorabos, qui nunc (*m*) Bohemi ſunt, vicit. Agilulphus Rex Longobardorum fraude ſibi per Romanum Exarchum erepta recuperavit. Mox cum ejus ſucceſſore Gallicano (qui & Callinicus) pacem inivit. Secuta eſt & inter Chajanum ſive Cacanum Hunnorum Regem & Agilulphum pax: ac paulo poſt, (*n*) Anno ſcilicet 597. Britannorum converſio. Triſtia vero ſecuta ſunt multa, teſte Alſtedio, qui tamen nonniſi ſiccitatem, annonæ caritatem, bellum Longobardorum in Italia; & agmina locuſtarum ibidem: Ricciolus ſolam famem & ſiccitatem ponit. Adjiciemus nos plura, quæ ex variis Hiſtoricis & Chronologis colligere potuimus notabiliora, quæ tamen cum prioribus in contentionem venire non poſſunt. Nempe tunc (*o*) Avares Venetiarum fines invaſerunt, Foro Julianum caſtrum igni deleverunt proditione captum, quæ è veſtigio in caput auctoris recidens, illud ſcitum: (*p*) *Proditionem amo, proditorem odi*, exemplo confirmavit. Tunc etiam (*q*) Longobardi regiones Imperatoris in Italia vaſtarunt: (*r*) Mahometes vero, peſtis illa Orientis Anno 597. natus eſt. Inter hæc ingentes inter (*s*) Gregorium, illum ſanctum & Magnum Epiſcopum Romanum & Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum contentiones ortæ ſunt, poſtquam iſte favore Aulæ & Oleri ſibi addictiones uſus, titulum Oecumenici Patriarchæ (quem ille omnibus modis deteſtatur, & tot epiſtolis ad Imperatorem, Imperatricem, Patriarcham Alexandrinum

(a) Hevelius laudatur.
(b) Hevelii Cometographia & Prodromus ejus.
(c) Rautenſteinio meritum teſtimonium tribuitur.
(d) Hevelius Aſtrologicis prædictionibus non favet.
(e) Aſtra & Cometæ an & quomodo in hæc inferiora agant?
(f) Cometam Anni 594. bona malaque ſecuta.
(g) Synopſis hiſtorica præcipuorum in orbe geſtorum ab Anno 594, ad 597.
(h) Gothi.
(i) Matrimonium dirimit bellum.
(k) Temulentia Regi exitioſa.
(l) Iſter.
(m) Bohemi.
(n) Britannorum converſio.
(o) Avarum irruptio in Italiam.
(p) Proditio amatur, proditor punitur.
(q) Longobardi Italiam vaſtant.
(r) Mahometes naſcitur.
(s) Gregorius Epiſc. Rom. qui & ſanctus & Magnus vocatur, titulum Oecumenici Papæ damnat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

num & Antiochenum, tum & ad hunc ipſum Conſtantinopolitanum alioſque ſcriptis rejicit & refellit) arroganter aſſumpſit. Et ad hunc quidem Patriarcham, quem novum nomen erroris arripuiſſe, nefandum elationis vocabulum, ſtultum, ſuperbum, perverſum, temerarium uſurpaſſe in os dicit, * inter alia prædicit inſtantia Antichriſti tempora, & eadem Chriſti Domini quæ Illuſtriſſima D. Veſtra adducit verba: *Secundum quod veritas prædixit: peſtilentia & gladius per mundum ſævit: gentes inſurgunt in gentes: terræ concutitur orbis cum habitatoribus ſuis: terræ dehiſcentes ſolvuntur: omnia quæ prædicta ſunt fiunt. Rex ſuperbiæ prope eſt, & quod dici nefas eſt, Sacerdotum ei præparatur exercitus: quia cervici militant elationis, qui poſiti fuerant, ut ducatum præberent humilitatis.* Atque ex his omnibus facile Illuſtriſſima D. Veſtra & quivis, qui ſeriem rerum conſiderare velit, videre ad oculum poteſt, Cometam illum, qui in Ann. 593. refertur, non tantum hæc triſtia, ſed & illa læta (quanquam & ibi *(a)* lætitiæ & hic triſtitiæ mixtura rurſum tranſlucet) fuiſſe ſecuta. Et ne longe abeam, ponit Calviſius Cometam in Ann. 599. qui forte idem erit cum illo, (*b*) quem alii Chronologi in Ann. 602. Funccius in 603. refert. Poſt hujus apparitionem ſueta (*c*) bonorum malorumque mixtura in hiſtoria cernitur. (*d*) Childebertus Francorum Rex non ſine ſucceſſu bellum contra (*e*) Longobardos orditur. Chaianus Dalmatiam invadit, diripit, mox præda à Priſci illius militibus exuitur. Gallicanus ille Exarchus generum & filiam Regis Agilulphi intercipit. Hinc inter Romanos & Longobardos bellum reſumtum: quod Imperator cum Chaiano gerit non ſatis feliciter: ideo de pace cum eo agit. Res inter ſpem & metum relinquitur. Religio Chriſtiana in Anglia creſcit. *(f)* Bellum cum Chaiano recrudeſcit. Priſcus ille tranſit Danubium, hoſtium quartum delet, altera die 8000. tertia filios Chaiani in Danubio ſubmergit, & ipſum Chaianum vincit. Arnulphus vero Dux Beneventanus Romanos. Ingens fit in Imperio mutatio, (*g*) cæſo Mauritio, qui 5. filios in ſuis oculis cæſos adſpiciens, nil niſi illud pium, *(h) Iuſtus es Domine & rectum judicium tuum* (memor ſcilicet ſe (*i*) magnam multitudinem captivorum ab Chaiano leve pretium, unius nummi pro ſingulis, poſtulante, (*k*) non redemtorum, & ab eo occiſorum, cum ſervare eam potuiſſet, trucidaſſe) ingeminabat. (*l*) Phocas tyrannidem invadit, (*m*) à Coſröe Rege Perſarum bello appetitus, duobus præliis vincitur, imperium à Perſis & Avaribus miſerè vaſtari dolet, (*n*) pacem cum Chaiano firmat. Eadem inter Romanos & Longobardos inita. Mox inter eoſdem & Francos. *(o)* Pannonia Imperio adjungitur: (*p*) Anglo Saxones occupata Britannia nomen dant Inſulæ, ſed & Chriſto, ac vincunt Scotos. (*q*) Phocas imperium malè partum peſſimè adminiſtrans furit in Mauritii amicos, ſed & uxorum ejus cum tribus filiabus tandem ex Monaſterio extrahit & trucidat, Proceres aggreditur, plurimos dat carceri, multos etiam exitio: At (*r*) Bonifacio III°. titulum illum Oecumenici Patriarchæ, & mox Bonifacio IV. (*s*) Pantheon B. Virginis & omnium SS. memoriæ conſecrandum. Sed hæc de apparente poſt Cometas bonorum malorumque mixtura pluribus aliàs, volente Deo, dabo. Nec iſthæc ſat multa dediſſem nunc, niſi mihi occaſionem epiſtola Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, cauſam vero genius ejuſdem bonarum literarum appetens amansque, ſed & res ipſa dediſſet. Jam ad alia epiſtolæ Veſtræ argumenta, quæ profectò magni ſunt momenti, accedo. (*t*) Nondum Vos in viam concordiæ ad promovendas conſultationes publicas, non tantum ad Imperii Veſtri, ſed & totius orbis emolumentum directas rediiſſe, qua de re non pauca aliunde nuper accepi, omnes cordati doleant inter vota & ſpes, neceſſe eſt. Ita enim (*v*) nos humanæ conditionis, præcipuè autem Chriſtianæ profeſſionis jungit vinculum (ut taceam illos ejuſdem patriæ & religionis vel ſanguinis & amicitiæ nexus) ut unius corporis, hoc vel illo reſpectu, membra ducendi ſimus. Sed heu! quanta in hoc corpore re-

** Antichriſti tempora inſtantia Gregorius prædicit.*

(a) Triſtia aliquid lætum, & læta aliquid triſte in ſe habent.

(*b*) Bucholzer. Alſted.

(c) Mixtura rerum. Cometam 602. anni bona malaque ſecuta.

(d) Synopſis Hiſtorica præcipuorum in orbe geſtorum ab anno 599. ad 607.

(e) Bellum Romanorum contra Longobardos & Avares Hunnos.

(f) Priſci Ducis Mauritii res feliciter contra Avares geſtæ.

(g) Mauritius Imper. cum ſuis cæſus.

(h) Patientia pia in adverſis.

(i) Captivi redimendi.

(k) Servare miſeros qui non vult, cum poſſit, ſanguinis eorum reus eſt.

(l) Phocas.

(m) Tyrannus infelix.

(n) Pax in Imperio Rom. & Galliis.

(o) Pannonia Imperio juncta.

(o) Angli Britanniæ occupatæ & Chriſto nomen dant.

(p) Phocas furit.

(q) Tyranni malè partum imperium non melius adminiſtrant.

(r) Epiſcopus Rom. conſtituitur Oecumenicus Papa.

(s) Pantheon B. Virgini & omnibus SS. dicatur.

(*t*) *Diſſenſiones in Conventu Imperii Ratisb. dolendæ vota & ſpes cordatorum excitant.* (*v*) *Homines, præſertim Chriſtiani, ut membra unius corporis, concordes ſint oportet.*

gnat

gnat diſcordia. Major equidem quam illa à prudentiſſimò (a) Menenio Agrippa plebis Romanæ, quæ à Patribus ſeceſſionem fecerat, ferociam ad officii & concordiæ gyrum reducente, propoſita & ſimilitudine membrorum in corpore diſcordantium alimentaque neceſſaria ventri negantium, facundè & efficaciter adumbrata. (b) Neque enim neceſſaria tantum alii aliis ſubtrahimus, & commodis votiſque alienis (ſæpè ex vano metu & ſuſpicione, ſaltem leviore de cauſſa) malignum pedem opponimus, ſed & in mutuam ruimus perniciem, vitam alii aliis eripimus, nullo vel pacis publicæ utilitatiſque, vel ejuſdem religionis habito reſpectu. Neque vero in quandam (c) fati neceſſitatem ineluctabilem, quæ ad Stoicos & Chaldæos Aſtrologoſque, à Chriſtianis releganda eſt, vel in (d) aſtrorum vim in hæc inferiora influentem, & præcipuè noviſſimi Cometæ efficaciam horum motuum, quos in Europa videmus, & majores ſubindè meritò metuimus, culpa conjicienda eſt. Quinpotius hæc nobis ipſis agnoſcenda, & citra moram (e) pœnitentia ſeria (quæ non ſera ſit oportet ſi tuta eſſe velit) ad uſque copioſum lachrymarum imbrem, eluenda eſt. O quam verum, hac præcipuè tempeſtate, eſt illud Poëtæ!

— —(f) Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

(g) Nempe hæc ex Africa & India ſudantibus aurum, ferrum in Europam detulit, illudque, quod meritò mireris, mari ſupernatare, & ſupra illud tot triſtia, copioſo ſanguine Chriſtiano fuſo, & tot hominum millibus peremtis, patrare facit. *Omnes illi opulentiæ exitus* (dum ſcilicet aurum è viſceribus terræ eruitur latens) *ad ſcelera cædesque & bella tendunt*: ſicut olim ingenioſiſſimus ille naturæ index (h) Plinius. lib. 2. c. 63. (i) mortalibus immortalia illa odio bellaque ex avaritia vel ambitione provenientia exprobrat. Poſt hæc queritur nos non tantum manifeſto ingrati animi erga terram, *cui uni rerum naturæ partium eximia propter merita*, quæ ibi eloquentiſſimè recenſet, *cognomen indidimus* (k) *maternæ venerationis*, indicio, *naturam ejus ignorare, ſed & ſanguine noſtro irrigare, inſepultis oſſibus tegere, quibus tamen velut exprobrato furore, tandem ipſa ſe obducat & ſcelera quoque mortalium occultet*. Ita nempe (l) benigna illa & munifica parens, (m) *omnibus cruciatur horis, multoque plus, ut deliciis, quam ut alimentis, famuletur noſtris*, ſicut ibidem dicit, imò docet Plinius: ut meritò magnus ille magni dolii inhabitator (n) Diogenes, linguam eruditam ruſtica vita inviſam reddens, bonamque inſtitutionem abſurda methodo ſæpè corrumpens dixerit, (o) *bella ſuſcipi non pro victu olerum & pomorum, ſed pro epularum deliciis.* Ubi quis non videt, (p) extremè nos ingratos eſſe in ipſam naturam, quæ Seneca & experientia teſte, (q) ſemper nos, ſi ad eam, non ad (r) opinionem (quod immenſum hæc, exiguum illa deſideret) vixerimus, divites reddit, & in terram, (s) quæ abundè neceſſaria, non tantum gnavis, & temporis frugumque parcis ſui cultoribus, ſed & ignavis ſui incolis, otii bonorumque ſuorum prodigis, ſuppeditat, quæque licet totis irritata, (t) tandem tamen *à reliqua natura abdicatos, tum maximè ut mater operit*, & occiſorum cadavera ſævitiæ auctoramenta, condit: ſed ita, ut in eam (u) ex qua formati ſunt, tanquam in ſuum principium redeant. Quod quidem meritò & ad (w) genitorem undarum Oceanum, tot uſibus nobilem, traſſerendum eſt, nunc præcipuè, cum indignabundi moerenteſque & alienis culpæ pœnæque malis ingemiſcentes, videmus (x) *opes verè irritamenta malorum*, terra marique quæri, & propter aurum mare cælo miſceri, ſanguine Chriſtiano tingi, cadaveribus tot millium, (y) licet reluctans & rejiciens impleri, & aliàs (z) ſævum & aſperum humana ſævitia & avaritia exaſperari. Quod tandem, ſicut illa terra, velut exprobratò furore * hauriet quidem & abſorbebit ſanguinem totque cadaverum millia, & ſic ſcelera quoque

(a) *Diſcordantem à Senatu plebem Rom. ad concordiam & officium Menenius reducit.*
(b) *Iniquitas Chriſtianorum plerorumque crudelis omnia concordiæ vincula rumpens.*
(c) *Fatum Stoicum & Aſtrologicum rejiciendum.*
(d) *Aſtra & Cometæ bona vel etiam mala in animis noſtris non efficiunt.*
(e) *Pœnitentia qualis Chriſtianum deceat?*
(f) *Avaritia bellorum cauſſa.*
(g) *Aurum appetitur.*
(h) *Plinius terram eloquentiſſimè commendat & hominum ingratum in eam animum arguit.*
(i) *Ingrati ſunt in terram benignam parentem avari, ambitioſi, luxurioſi & crudeles.*
(k) *Terra mater benefica.*
(l) *Terra mater benefica.*
(m) *Terra aſſiduò cruciatur cupiditatum potiùs quam neceſſitatum noſtrarum cauſſâ.*
(n) *Diogenes Cynicus bella luxuriei adſcribit.*
(o) *Luxuria avara bellorum cauſſa.*
(p) *Ingratus mortalium animus in naturam.* (q) *Natura nos divites facit.* (r) *Opinio pauperes reddit.* (s) *Terra mater benigna, etiam ignavis & bonorum ſuorum profuſis.* (t) *Terra mortuos à reliqua natura veluti ejectos in ſinum maternum recipit.* (u) *Terra hominis principium & finis.* (w) *Maris multifaria eſt utilitas.* (x) *Avaritia bellorum cauſa.* (y) *Ingratus hominum in mare animus abuſu ejus multiplici demonſtratur.* (z) *Avaritia & ſævitia mare exaſperat.* * *Mare tegit abſorbendo, detegit ejiciendo cadavera hominum ſævitiam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

(a) Plinius Secundus nulli ſecundus.
(b) Terra incognita longe cognitâ major.
(c) Terra mundi punctum exiguum tot vaſtæ ambitionis & latæ avaritiæ fert certamina.

mortalium occultabit, ſed & illis ejectis cadaveribus eadem deteget, & in propatulo ponet. Meritò hîc iterum ſiſtam teſtem (a) Plinium illum Secundum, ingenio & induſtria nulli ſecundum, qui l. c. 68. *Hæ*, inquit, *tot portiones terræ* ((b) incognitis ſcilicet longè minores, ideo ſuperius dixerat, *adde quod ex relicto plus abſtulit cœlum*; unde & alibi cap. ſcilicet 108. *ulteriorem menſuram inhabitabilis plagæ multo majorem* eſſe ponunciat) *imò verò, ut plures tradidêre*, (c) *mundi punctus, neque enim aliud eſt terra in univerſo: hæc eſt materia gloriæ noſtræ, hæc ſedes: hîc honores quærimus*, (gerimus) *hîc exercemus imperia, hîc opes cupimus, hîc tumultuatur humanum genus, hîc inſtauramus bella, etiam civilia, mutuiſque cædibus laxiorem facimus terram; & ut publicos gentium furores tranſeam, hæc in qua conterminos pellimus, furtoque vicini ceſpitem noſtro ſolo affodimus, ut qui latiſſimè rura metatus fuerit, ultraquè fines exegerit accolas, quotâ terrarum parte gaudeat? vel cum ad menſuram avaritiæ ſuæ propagaverit, quam tandem portionem ejus defunctus obtineat?* Quibus quid magis verum piumque & tot avaris vel ambitioſis Chriſtianorum motibus bellicis accomodatum ab impio exſpectes? Quæ etiam propalam docent, tot funeſtorum bellorum, quæ terra marique geruntur, (d) non eſſe ex aſtris & Cometis derivandas in terram cauſſas, ſed in terra quærendas. Quanquam nec longe diuque quærendæ ſunt. Omnium enim Sapientum vox conſentiens jam olim multum latentes in lucem protraxit, & avaritiæ ac ambitioni deputavit. (e) Hæ duæ tot nequam filiarum (ſcelera intelligò) matres eaſdem per orbem diſperſerunt, iiſdemque terras mariaque complerunt. Adſpice (f) infauſtos illos fetus, Deo adverſo genitos fatoque ſiniſtro, videbis ibi oculos Argi, manus ventreſque Briarei, Sphyngis ungues, pedes Polypi, Hydræ Lerneæ caput, os Sinonis fallax, Ulyſſis argutias, Laomedontis perjuria, Polymneſtoris perfidiam, Polyphæmi ſævitiam & quid non? verbo (g) mare vitiorum, hiſque ſemper affluentium calamitatum in media continente, & medio mari, ipſiſque Alpibus caput inter nubila condentibus perſpicies, ubi illa perdita & indomita regnat ſoboles. (h) Quid autem juvat, etſi hæc utramque Indiam & Africam auriferam ſub ſua jura trahat & ſibi prorſus ſubjuget? Impius ad hoc dixerit, imo dixit Venuſinus Vates, ut notum eſt

Bellorum cauſæ non in cœlo, ſed in terra quærendæ, nec ſunt aſtris & Cometis, ſed avaritiæ & ambitioni humanæ adſcribendæ.
[e] Avaritia & ambitio matres ſcelerum.
[f] Monſtra avaritiæ & ambitionis.
[g] Avaritia & ambitio mare vitiorum.
[h] Regnat qui liberè vivit citra avaritiam & ambitionem, quibus qui ſervit, non eſt liber.

Lætius regnes avidum domando
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus jungas & uterque Pœnus
Serviat uni.

Quin etiam Phocyllides in capite Poëmatis ſui Admonitorii ponit:

Μήτε δόλους ῥάπτειν, μήθ' αἵματι χεῖρα μιαίνειν.
Μὴ πλουτεῖν ἀδίκως, ἀλλ' ἐξ ὁσίων βιοτεύειν
Ἀρκεῖσθαι παρεοῦσι, καὶ ἀλλοτρίων ἀπέχεσθαι.

(Ne fraudes necte, neque ſanguine manus pollue,
Ne diteſcas injuſtè, ſed ex juſtè partis vive.
Eſto contentus præſentibus, & ab alienis abſtine.)

Et rurſus:

Ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης
Χρυσὸς ἀεὶ δόλος ἐστὶ καὶ ἄργυρος ἀνθρώποισι,
Χρυσὲ κακῶν ἀρχηγὲ, βιοφθόρε, πάντα χαλέπτων.
Εἴθέ σε μὴ θνητοῖσι γένεσθαι πῆμα ποθεινόν
Σοῦ γὰρ ἕκητι μάχαι τε λεηλασίαι τε φόνοι τε,
Ἐχθρὰ δὲ τέκνα γονεῦσιν, ἀδελφειοί τε συναίμοις.

Avaritia mater omnium malorum.
** Avaritia ſæva in omnes, etiam neceſſarios.*

(Avaritia mater eſt mali omnis,
Aurum ſemper ineſcatio eſt & argentum hominibus.
O aurum malorum dux, vitæ corruptela, omnia convellens
* Utinam non eſſes mortalibus malum deſiderabile!

Tuà

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tuâ enim cauſſâ pugnæ, prædæ, cædeſque ſunt,
Infenſi parentibus liberique fratreſque conſanguineis)

Tum Pythagoras:

οὐ πάνυ τοῖς ἀγαθοῖς ἴςτων πολὺ μοῖρα δίδωσι.

(a) (Non admodum bonis Viris harum (pecuniarum) multum
Fortuna tribuit)

Pius cum Sapientiſſimo Salomone pronunciare non dubitaverit: (b) *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*: cum (c) Chriſto verò, qui longè Sapientior Salomone fuit: (d) *Nolite theſaurum vobis congerere in terra* &c. vel: (e) *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum capiat?* cum Jacobo Apoſtolo porrò: *Unde (f) bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* denique cum Paulo: (g) *Noſtra converſatio in cælis eſt* &c. *Eſt magnus quæſtus, pietas cum ſufficientia (h)* (animo ſua ſorte contento) *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quòd nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus. (i) Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli*, & alia plurima ejus generis. Hæc tàm ſalutaria, cum homines terreæ iſti glebæ dediti & affixi parum vel nihil curent, fit ut tot bella, confuſiones & calamitates ex eorum avaritia & ambitione naſcantur. (k) Deus verò, qui ut Sanctiſſimus Creator & Dominus univerſi, nec tentare nec tentari in malum poteſt, extrà culpam omnem eſt. Sed & creatæ ab eo res eâdem vacant (licet aliquis eam imputare illis poſſet) ipſæ quoque divitiæ, (l) quibus, ut acuto cultro, abutimur: nec non (m) aſtra & orbes cæleſtes, quorum influente vi & adſpectu Deus pro immenſa potentia, ſapientia & bonitate, noſtræ mortali conditioni ſubvenire voluit, nullum eis in nos dominatum, & ad hoc vel illud cogendi poteſtatem concedens. Vidimus jam antè illas de (n) Tauro, Ariete, Hydra aquatica, navi aliiſque cæleſtibus ſignis argutias, affines illis, quas recenſet Plinius ſupra memoratus l. 2. cap. 25.

Referre, inquit, *arbitrantur in quas partes ſeſe jaculetur* (Cometes) *aut cujus ſtellæ vires accipiat, quaſque ſimilitudines reddat, & quibus in locis emicet, (o) tibiarum ſpecie, Muſicæ arti portendere. Obſcænis autem moribus in verendis partibus ſignorum. Ingeniis & eruditioni ſi triquetram figuram quadratamve paribus angulis ad aliquos perennium ſtellarum ſitus edat. Venena fundere in capite Septentrionalis Auſtrinæve ſerpentis.* (p) Scaliger certè, at quantus Vir in omni literarum genere! Cometas nec ſigna nec cauſſas eſſe, ut antehac innui, cenſet. *Etenim*, inquit, *exiſtimare à Cometa Regem interfici, ridiculæ dementiæ eſt. Tantominus everti provinciam. Sed ne ſigna quidem ſunt, ut fumus ignis: Verum ſicuti aliquis affectus eſt alterius ſignum propter cohærentiam, veluti ſignum, quod gallina peperit, cantû. Nam gallina utriuſque & partûs & cantûs auctor eſt. Neutrum verò ab altero pendet neceſſariò. (q) Multi itaque ſunt à nobis Cometæ viſi, quos nulla uſquam tota in Europa ſubſecuta eſt pernicies mortalium. (r) Et multi Clariſſimi Viri ſuo fato functi ſunt: multi everſi principatus, peſſumdatæ familiæ illuſtres, ſine ullo Cometarum indicio.* Hæc etiam ille*. Ego tamen quod aliquando dixi, etiamnum puto ad mentem moralis diſciplinæ & pietatis Chriſtianæ, nec invitâ Philoſophiâ, (s) Cometas dici poſſe ſigna & indicia juſtitiæ divinæ præmia & ſupplicia pro meritis cujuſque diviſuræ ab ipſo Deo, naturæ auctore, hominibus, quo nuncio vitiis miſſo virtutem ſectentur, in cælo exhibita, nullius cauſſæ efficientes rationem in humanam voluntatem habentia. Quod ſi illæ (t) ex via Cometæ petitæ argutiæ, & ex aſtrorum aſpectu facta præſagia certa eſſent & infallibilis veritatis, tum quæ novitii Scriptores literarum monumentis prodidêre, tum quæ recenſuit Plinius, ego cum illo ipſo dicerem: *Hæc ſi vera ſunt, quantum à Deo tandem videri poſſunt tales diſtare dum vivant?* l. 2. c. 79.

(a) *Boni plerumque pauperes.*
(b) *Terrena vana deſpicienda.*
(c) *Chriſtus.*
(d) *Cæleſtia, quia æterna, appetenda.*
(e) *Salus æterna omnibus bonis anteferenda.*
(f) *Bella ex cupiditatibus naſcuntur.*
(g) *Reſp. piorum in cælis.*
(h) *Autarkeja dives.*
(i) *Divitiarum cupido pernicioſa.*
(k) *Deus nec tentare nec tentari poteſt, nec auctor peccatorum & perditionis hominum dici.*
(l) *Divitiis aliiſque bonis, ut acuto cultro, abutimur.*
(m) *Aſtrorum uſus homini à Deo datus.*
(n) *Prædictiones ex Cometa argutæ nec Plinio ignotæ nec approbatæ.*
(o) *Alluſiones Aſtrologorum ex ſitu & figura Cometæ ſunt meræ conjecturæ, aliquando vanitatis plenæ.*
(p) *Julius Cæſar Scaliger laudatur. Cometas nec cauſas nec ſigna eſſe voluit.*
(q) *Cometæ multi viſi, quos nulla triſtia ſecuta fuêre.*
(r) *Cometis non apparentibus multa triſtia evenêre.*
* *Exerc. 79.*
(s) *Cometas eſſe ſigna quatenus dici poteſt.*
(t) *Aſtrologicæ prædictiones ſi eſſent infallibiles, auctores ſuos Deo ſuppares facerent.*

(a) Deus cum homine, ut creatura rationali agit juſtè, non aſtris, ſed Rationi & Revelationi cum uſu liberi arbitrii eum ſubjiciens.
(b) Dei juſtitia in præmiis & pœnis diſtribuendis enitet.

Ita manet (a) Deum & ſapientiæ & juſtitiæ & omnis boni auctorem, cum homine tanquam cum eo quem ornavit ratione egiſſe agereque, nec eum aſtrorum potentiæ, ſed vi rationis & revelationis, relicto ei liberæ voluntatis uſu, ſubjeciſſe. Ideò ille excellentiſſimâ & perfectiſſimâ ratione. (b)

Offenſus pravis dat palmam & præmia rectis.

Atque hæc erant, quæ occaſione poſtremarum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ literarum, quæ multa paucis dicunt, & reſponſum cum cura aliqua datum requirunt, tum & inſtituti de Cometa argumenti, dicenda mihi hîc eſſe duxi, qui Veſtrum genium, libertatis & virtutis amantem novi.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omnibus ſtudiis & officiis addictiſſimus.

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N 11 ad 8. & 9.

Ratisbonâ Hamburgum die 5. Martij 1665.

(a) Votum Chriſtianum apparente Cometâ.
(b) Bacchanaliorum reprehenſio probis placet.
(c) Bacchanalium, licet magna fœditas, minima eſt malorum, quæ nunc orbem Chriſtianum premunt.
(d) Seculo noſtro vix fidem, ſi veniret jam, Filius hominis inveniret.

DE Cometa nihil amplius accepi. Obſervationes & judicia aliorum de eo avidè exſpecto. (a) Utinam talia quamprimùm, nulla autem Cometam comitari vel ſubſequi ſolita mala in orbe videamus! in quo ſatis ſuperque malorum eſt & viſitur. (b) De Bacchanalibus mihi perplacent, quæ Generoſitas Veſtra non minus doctè quàm piè in priori epiſtola ſcribit.

Optem autem ut ſaltem hæc, quæ in iis peccantur, (c) orbem Chriſtianum premerent, & penè deteſtabilem redderent, (licet fœdiſſima ſint, & antiquis Chriſtianis horrorem incutere poſſent) nec aliqui ſemper Bacchanalia viverent, eaque committerent, quæ nec audita inter gentes nec tolerata.

(d) Sed vivimus in eo Seculo, quo ſi rediturus eſſet Filius hominis, vix fidem inveniret, ne dicam, fidelem piumque Chriſtianum. Quod R. P. Curtii literæ, quibus de Cometa egregia quædam, & ut ingenioſa, ita & pia inſeruit, placuerint, gaudeo, ſemper ea quæ G. Veſtræ placitura ſint, libenter facturus, tanquam

G.D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N.13. ad 11.

Hamburgo Ratisbonam die 14. Martii 1665.

(a) Eligendum minus inter duo mala: neutrum quantum fieri poteſt.
(b) Mali fugiendi.
(c) Hominem vel nunquam natum, vel natum ſtatim mortuum fuiſſe qui & qua de cauſſa optarunt?
(d) Malis humanæ ſortis quærenda remedia.
(e) Virtus ex neceſſitate facienda eſt.

(a) SEmper quidem inter duo, vel aliquot mala minus eligendum eſſe dictat prudentia: ſed tamen ut omni malorum electione abſtineamus, eaque prorſus ὥστε κακὸν λιμένα ((b) tanquam malum portum, ſicut de malo viro fugiendo Theognis ait) fugiamus, docet pietas. Utrumque inter veterum Græcorum Poëtarum ſententias, quarum permultæ ad Chriſtianæ inſtitutionis perfectionem accedunt, legendo obſervavi. Nam Poſidippi quidem eſt:

Ἦν ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς αἵρησις — — —

(E duobus ergò alterum erat eligendum.)

Metrodori autem ἐκ τοῦ ἐναντίου (è contrario)

Οὐκ ἄρα τῶν δισσῶν ἑνὸς αἵρησις — — —

(Non ergo alterutrum è duobus eligendum eſt.)

Ille ſola vitæ humanæ mala contemplatus cum Theognide alterum ex iſtis, ut (c) aut nunquam homo naſceretur, aut natus confeſtim moreretur, eligendum eſſe, ſubſcribente Auſonio, putabat. Hic (d) malis remedia applicans & (e) ex neceſſi-

neceſſitate, ut dici ſolet, virtutem faciens, neutrius, utpote mali arte & induſtriâ corrigendi, electionem admittebat. Equidem & Cicero alicubi *levius malum eligendum eſſe* ait. Ubique tamen virtuti omni conatu & ope incumbendum eſſe docet. Certum autem eſt longè plura gravioraque eſſe, quæ orbem Chriſtianum premant, *quam quæ in Bacchanalibus peccantur. Cæterum ut & hæc tollantur penitus, meritò omnes, hi curare, illi optare, & ut dictis ita & factis illam petulantem levitatem refutare debent. Nam ne nunc dicam voce divina (*a*) ſub inevitabili ſalutis æternæ jactura prohiberi κώμους, quæ ſunt Comeſſationes & convivia luxurioſa, in quibus (*b*) choreæ celebrantur, ita dicta à Como, (*c*) qui gentilibus nocturnarum ſaltationum Deus erat, præcipuè verò cum epulæ poſt epulas inſtaurantur, cumque per noctem diſcurritur, (*d*) Cereri primum & Libero, deinde Veneri, utriuſque ſociæ, litando: (*e*) ipſa Romana gravitas hæc vitia notæ Græcorum levitati deputabat, eademque deteſtabatur. Quanto verò cenſet Illuſtriſſima D. Veſtra (*f*) pietate morumque gravitate præſtare gentilibus oportere Chriſtianos, quos (*g*) atrociſſima Redemptoris mors ſervituti Diaboli & mortis æternæ ereptos, & Chriſto, vero & legitimo Domino, mancipatos ad moriendum peccato, vivendum autem juſtitiæ, & legibus Domini noſtri obſtringit? Quos dico tanta Dei & Chriſti charitas, (*h*) non tantum certa ſpe, ſed & dulci melioris vitæ, verè vitæ (nam hæc, quam ducimus, umbra vel

— — — (*i*) Via vitæ eſt. Vivere quando
Incipimus? quando vivere deſinimus)

guſtu ad deſpicienda & vel (*k*) pedibus calcanda hujus ſeculi fallacis & perituri inania, & ſectandam omnem virtutem potenter, licet leniter & ſvaviter impellit. Nonne (*l*) veteres illi Romani, qui Bacchanalia, qui choreas & omnem luxuriam aliaque Chriſtianæ genti, proh dolor! perquam familiaria vitia non tantum abominabantur, ſed & in ea animadvertebant, (*m*) Chriſtianis in judicium ſurgent, eoſque condemnabunt? (*n*) *Severitatem majorum*, inquit Cicero, *Senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus & Conſulum exercitu adhibito, quæſtio animadverſioque declarat.* 2. de leg. cujus etiam nota ſunt illa (*o*) *Saltat nemo ferè ſobrius, aut fortè inſanit.* Orat. pro Muræna: ubi etiam paulò ante ait: *Saltatorem appellat L. Murænam Cato. Maledictum eſt, ſi verè objicitur, vehementis accuſatoris: ſin falſò, maledici convitiatoris.* Quia vero Illuſtriſſimæ D. Veſtræ placere, eamque aſſenſu gravi firmare video illa pauca, quæ contra ſaltationem ex puriore antiquitate protuli, addam hic nonnulla in hanc rem, (*p*) choreas nempe damnari ab antiquis Eccleſiæ Doctoribus, nec ullâ ratione concedi Chriſtianis. Chryſoſtomum ſolum teſtum nunc ſiſtam. Is cum homil. 48. in Gen. 24. & homil. 69. in Matth. 21. & alibi *Choreas Satanicas* appellaſſet, & cum perditis cantibus, ſcommatibus omni obſcænitate plenis, immodica pompa, & conviviis luxu diffluentibus ad infernum relegaſſet, orat. Kal. habita, ſic (*q*) Demoſtheniano & verè aureo detonat ore: (*r*) *Diabolicæ pernoctationes quæ hodie fiunt*, (*s*) *& caveæ ludorum & convivia & ſaltationes nocturnæ & explodendæ comediæ quovis hoſte deterius civitatem noſtram expugnant.*

Et hom. in dictum Apoſtoli, Utinam toleraſſetis &c. *Ut omnem impietatem diſſipatam eſſe, ita intemperantia ſacra, ut Bacchanalia & id genus exploſa, abdicata templa, obmutuiſſe dæmones*, gratulatur. Alios allegaſſe ſufficiat, Ambros. in Matt. 14. & l. 3. de virg. vel. & l. de helia & jejunio c. 18. Hieron. con. Helvid. Baſil. Orat. contra ebrioſos. Eſt autem non tantum ille antehac à me allegatus Concilii Laodiceni Anno 364. habiti canon inſigne documentum, quantum antiqua Eccleſia à ſaltationibus abhorruerit, ſed & alterius (*t*) Concilii, Agathæ ſcilicet Anno 506. habiti canon, quo (*v*) vetitum erat Sacrorum Miniſtris etiam intereſſe nuptiis, in quibus chorearum tripudia fierent. diſt. 35. C. Presbyteri. Certè & Chryſoſt. hom. 12. in Col. 4. hortatur Chriſtianos, *ut* (*w*) *nec nuptias, nec*

** Bacchanalia meritò rejicienda.*
(*a*) *Comeſſationes prohibitæ. Rom. xiij. Gal. v. 1 Pet. iv.*
(*b*) *Choreas damnat Scriptura, damnavit & in Græculis levibus Romana gravitas.*
(*c*) *Κῶμος quid Græcis ſignificet?*
(*d*) *Venus ſine cibo & vino friget.*
(*e*) *Græci cum Romanis comparantur.*
(*f*) *Chriſtiani pietate ante gentiles longè ſint oportet.*
(*g*) *Chriſti mors fideles ad moriendum peccato & vivendum juſtitiæ adducat, neceſſe eſt.*
(*h*) *Chriſtianorum ſpes certa.*
(*i*) *Vita æterna verè vita, hæc quam vivimus, umbra vel via vitæ eſt.*
(*k*) *Chriſtianos docet calcare terram, ſpectare cælum.*
(*l*) *Romani veteres gravitatis omniſque honeſtatis ſtudioſi.*
(*m*) *Gentiles ſurgent multis Chriſtianis luxuriei deditis in judicium.*
(*n*) *Romani animadvertebant in Bacchanalia.*
(*o*) *Saltare olim Romæ probroſum fuit.*
(*p*) *Choreæ damnantur ab antiquis Eccleſiæ Doctoribus.*
(*q*) *Chryſoſtomi eloquentia laudata.*

(*r*) *Nocturnæ comeſſationes maximè improbandæ.* (*s*) *Luxuria hoſte pejus civitatem expugnat.* (*t*) *Concilium Agathenſe.* (*v*) *Miniſtri ſacrorum olim prohibebantur intereſſe nuptiis.* (*w*) *Nuptias luxurioſas non tantum Miniſtri verbi, ſed & omnes Chriſtiani vitent oportet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſaltationes, *nec choreas accedant Satanicas.* Tanta nempe Chriſtianæ gravitatis, præcipuè vero (*a*) ſacri ordinis erat quondam veneratio, ut eam nec ſolo oculorum adſpectu contaminari primitivæ integritatis memores paterenter. Quæ, ut cuncta ferè, illam primævam integritatem redolentia, (*b*) poſteriorum ſeculorum licentia antiquavit, nec tantum hæc, ſed & longè plura ejuſdem generis, quin & illa, quæ Illuſtriſſima D. Veſtra deteriora judicat, & orbem Chriſtianum premere meritò queritur, ipſis (*c*) Eccleſiarum Rectoribus iiſque primariis permiſit. Illa tamen & ſimilia antiquorum dicta factaque pietatis ſtudioſiores permoverunt, ut magis magiſque degenerantibus & in præceps ruentibus ſeculis tot tantaſque corruptelas exprobrando hanc regulam conderent: (*d*) *Chorea eſt circulus*, *cujus centrum diabolus*, *& circumferentia omnes Angeli ejus.* Hos, ſed & (*e*) ipſos gentiles probitatis amantes, ebrietatis vitium, ut hominis naturæ & præſtantiæ, ſilentio & rebus gerendis, certè omni virtuti inimicum fugiſſe & damnaſſe in aperto eſt. Seneca. Ep. 83. docet exemplo Alexandri & Antonii utriusque Magni, (*f*) tantos quoquè Viros, alioquin Victores & invictos ab ebrietate vinci, imo &, quamvis ſuperſtites toti convivio fuerint, omneſque virtute magnificâ vicerint, à dolio. Tum (*g*) per ebrietatem creſcere inſolenti ſuperbiam, crudelitatem ſævo, malignitatem livido, omne vitium detegi & prodi: eamque publicè noxiam eſſe, verbo: voluntariam eſſe inſaniam. Reliqua prætereo, utpote Illuſtriſſimæ D. Veſtræ nota, & cuique obvia. Pergo itaque ulterius. In lectione veterum illorum Græcorum Poëtarum ſingulare hoc obſervavi, nonniſi pauculos verſus Eratoſthenis & Panyaſidis haberi, qui ebrietatem homini noxiam damnent, ſive illi (*h*) tam paucis memoriam ſui commendare volentes, hujus vitii obliviſci noluerint, idque ſigillatim reprehenderint, ſive, quod vero ſimilius videtur, cum cætera eorum perierint, hæc ſingulari felicitate ad noſtra pervenerint tempora, quibus impletum eſt illud, quod nonnemo Veterum prædixerat: (*i*) *Erit aliquando ebrietati honos*, *& plus meri bibiſſe*, *in laude ponetur.* Quæ quidem omnia (*k*) in teſtimonium noſtris temporibus divina conſervat & in memoriam revocat juſtitia. (*l*) Nec ſine graviſſima exprobratione & indignatione Cometam ut gratiæ ita & vindictæ ſignum oſtentans agit hoc *Magnificus ille Parens*, *virtutum non levis exactor Deus*, ſicut eum Seneca vocat. Et certe maximè ingrati, ſed & indigni præſtantiſſimis cæleſtibus donis comperiuntur, qui tam turpiter cum ſalutis ſuæ & temporariæ & æternæ jactura & proximi injuria ad nauſeam uſque iis abutuntur. (*m*) Dum autem adeò fœdam in oculis Dei cuncta, etiam occultiſſima quæque flammea vi penetrantibus vitam agunt, eumque irritant, (*n*) tum & inter pocula fere de Rep. vel Eccleſia ipſa tractant, nonnulli non tam (*o*) Piſones & Coſſi Tiberiani, quam Scordali, qualis ille Tillius Cimber apud Senecam, qui ut vinum ita & neminem ferre poſſunt, nulla profectò legitima ratio, nec ullus optatus ſucceſſus publicis conciliis & conſiliis eorum obtingere poteſt. Et tamen dum ſperato eorum fructu excidunt, (*p*) Deum, qui eſt ipſiſſima bonitas & juſtitia, pluſquam temerario auſu accuſant, inque ejus æterna & irrevocabilia decreta, Cometarum apparitionem & aſtrorum vim influentem culpam propriam conjiciunt. (*q*) Quaſi verò Deus impietate vel impio, cui graviſſimè ubique reſiſtit, cuique ignis æterni ſupplicium deſtinavit, opus habeat, delecteturve, (*r*) vel Cometa aliudve aſtrum curſûs menſuram in cælo abſolvens, libertati humanæ vim inferre eamque tollere poſſit. Audiamus vel Solonem: (*s*)

Ἐι δὲ πεπόνθατε λυγρὰ δὶ ὑμετέρην κακότητα
Μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε.

(Si vero mala paſſi eſtis ob malitiam veſtram,
Ne Diis horum cauſam aliquam imputetis.)

Sed quid amplius dicam? (*t*) Deus ſcelerum noſtrorum oblitus, nos omnes

(a) Miniſtri verbi ſanctitatem ſuam nec viſu fœdo conſpurcent.
(b) Poſteriora ſecula magis magiſque depravata uſque adhuc in tollenda prorſus primæva integritate laborant.
(c) Eccleſiæ Rectorum primariorum licentia.
(d) Choreas Recentiorum quoque multi damnant.
(e) Ebrietatem damnant ipſorum gentilium multi.
(f) Magni viri ab ebrietate & affectibus vincuntur, alioquin invicti.
(g) Ebrietas auget vitia, & publicè nocet, eſtque voluntaria inſania.
(h) Veterum fragmenta quoque ipſa ebrietatem damnant.
(i) Ebrietatis vitium his extremis temporibus immenſum excrevit.
(k) Teſtimonia veritatis inquirenda & conſideranda.
(l) Deus exprobrat vitia mortalibus, & iis ſe indignari Cometæ ſigno indicat.
(m) Deus omnia videns & ſciens non eſt irritandus.
(n) Conſilia ebrioſorum infelicia.
(o) Ebrioſi quidam negocioſi.
(p) Deum homines carni dediti accuſare & culpam propriam in ejus decreta, Cometas & aſtra conjicere audent. *(q) Dei ſanctitas & juſtitia.* *(r) Aſtra & Cometæ hominem non cogunt ad malum.* *(s) Solon homini non Deo culpam vitiorum imputat.* *(t) Votum Chriſtianum pro emendatione & ſalute orbis Chriſtiani.*

emendet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

emendet, & ad imaginem ſuam conditos, ratione & imperio in creatas reliquas res præditos, ac (*a*) inæſtimabili pretio innoxii ſanguinis Filii ſui unici redemtos æternæ perniciei eripiat, inque veram beatitatem, & incorruptionis libertatem aſſerat! Hoc voto non tantum epiſtolam ſed & vitam hanc finio, cum hac ſolemni formula quod ſim

Chriſti mortis beneficium maximum.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu & ſtudio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 19. *Martii* 1665.

N. 15. *ad* 12.

UTinam tantum mihi nunc ſuppetat otii, ut facundiſſimæ & cum ſingulari diligentia ſcriptæ die 11. currentis menſis epiſtolæ G. Veſtræ reſpondere poſſim! (*a*) Sed novit Eadem continua negotia, novit & virium imbecillitatem, quæ me proximè præcedentes *N.* 12. 13 & 14. ſignatas breves ſcribere coëgêre, quæque nunc potiſſimum, à ſcriptionibus præſertim, abſtinere me jubent. Nam necdum remiſit morbus. Interea perplacet Philoſophia Veſtra & animus rectus & ad meliora aſſurgens, ac magna libertate ad laudis faſtigium contendens. (*b*) Libenter itaque viderem, ſicut antè aliquoties innui, ſi G. Veſtra ſine ſuo incommodo vulgare poſſet, quæ ad manus habet. Non dubito & R. P. Curtium, ut ſua libro tali inſerantur, conſenſurum. Neque verò dubito G. Veſtram ita ſcripturam omnia, ut ſinè aliorum offenſa ad Laudem aſſurgat, ita ut me iiſdem planè conformem, nec dubitem, ſi ejuſmodi gemmis tractatum illum ſuum G. Veſtra de Cometis, quem præ manibus habet, exornet, fore ut erudito orbi is apprime & cum nominis Veſtri magna gloria probetur. Nos hîc tardius publica agendo tempus terimus. (*c*) Mihi interea ſufficit tempus, ut morbo Medicoque domi vacem, & libellos ſubinde excutiam liquidiſſima voluptate, qua utinam aliquando ſolida gaudere poſſim! (*d*) Sed nolo, quod volo, ac nihil malo quam quod vult Deus: conſtanter autem maneo

(a) Brevitatem literarum turba negotiorum & imbecilla valetudo excuſat.

(b) Conſilium Rautenſteinii de opere hoc edendo.

(c) Subciſivæ horæ ſtudiis dandæ.

(d) Divina voluntas ſemper ſpectanda ſectandaque.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 28. *Martii Anno* 1665.

N. 17. *ad* 15.

DEdiſſe me adhuc operam, ut cum aliqua cura (quantam & tenues ingenii vires & ſpiſſa negotia, quibus non quidem me dedi, quod nec (*a*) libertas Philoſophica patitur, ſed commodavi, permittunt) (*b*) literas ad Viros Doctos in diverſis mundi plagis agentes, darem, quo feliciori cura ſcriptas & (*c*) mutuam officii vicem ab illis referrem, non diffiteor, Harum exempla cum Illuſtriſſima D. Veſtra communicare volui, debui. Mediocres iſti conatus mei & argumenti cæleſtis ſublimitate, & excelſo Illuſtriſſimæ D. Veſtræ judicio, (*d*) maximi ubique æſtimando, in novas ſpes erigi gaudent, nec dubitant, admoto tam acri, & tam amica & ſimul docta & excellenti manu, (*e*) gloriæ calcari, longius proferre gradum. Quin imo & majorem indies ſumunt fiduciam, ut & in cælo cum Viris ſiderum ſcientia clariſſimis, & aliàs propria libertate induſtriave in ſalo ſoloque viſa & explorata cum orbe literato communicent, poſtquam illud ipſum calcar (*f*) modeſtiæ, quæ tenuitatis nativæ conſcia uſque adhuc reluctatur publicæ utilitatis ratio & amicorum monita admoverint. (*g*) Creſcit illa potens

(a) Libertas Philoſophica, tanto magis Chriſtiana, ut nos negotiis commodemus, non demus, docet.

(b) Induſtria induſtriam provocat.

(c) Humanitas humanitate excitatur.

(d) Laudata virtus creſcit.

(e) Gloria immenſum calcar habet.

(f) Modeſti ad edendos libros non properant, ſed nonniſi publici commodi ſtudio & monitis efficacibus excitati animum ad ſcribendum appellunt. (*g*) *Veritas rerum diſcenda eſt ab earum peritis.*

veritatis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

veritatis fiducia Magnorum Virorum inſtitutione, à quibus per Epiſtolas doceri (cum vivæ vocis auditum magna locorum diſtantia neget) geſtio. Literas cum mediocri diligentia die 11. menſis hujus ſcriptas, Illuſtriſſima D. Veſtra inter gemmas reponit. (a). Tribuo id affectui benevoli ſyncerè Amici, qui benigno judicio, maturo & ſalubri conſilio, fideli operâ, atque ita omni auro & gemma precioſioribus ſolatiis ditat amicum, ideoque tanto in pretio habendus, ut de eo illud Theognideum meritò ſit pronunciandum:

Πιστὸς ἀνὴρ χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ἀντερύσασθαι
Ἄξιος.

(Fidelis vir auroque & argento rependi
Dignus eſt.)

Inter ea, quæ nuper in manus meas devenerunt, ſunt nonnulla de Vacuo, quod ſtatuit & propugnat Vir Ampliſſimus (b) D. Otto Gerichius Conſul Magdeburg. cujus iſta inventa, ut admiranda Magdeburg. ſicut & admirandum (c) Socii ſui Kircheri Pentametri novi, protulit in medium laudibuſque (d) extulit in cælum P. Caſparus Schottus S. J. Math. in Acad. Herbipol. Profeſſor, de quo Illuſtriſſimæ D. Veſtræ conſtabit, ſpero. Hinc venio ad alia. (e) Quartùm me jam monet Illuſtriſſima D. Veſtra, ut quæ ab initio de Cometa collegi, edam in publicum. Ita me officii ſimul commonet. Scio enim quantum tanto Amico debeam. Monent autem & alii Amici ad idem faciendum, ſed & Sapientes monent, (f) cautè in talibus quæ publico orbis judicio exponuntur, eſſe procedendum. Theognis ille Cyrnum ſuum ſcitè inſtruens, monet quidem cum improbo Viro de re ſeria nunquam fidenter eſſe conſultandum, ſed addit (g) probum, ſi vel longius diſtet, eſſe adeundum & conſulendum. Pythagoras autem (placet aurea carmina, aurea munera promenti tantæ notæ Amico retribuere) prudentiam ſic docet:

Βουλεύου δὲ πρὸ ἔργου, ὅπως μὴ μωρὰ πέληται·
Δειλοῦ τοι πρήσσειν τε λέγειν τ' ἀνόητα πρὸς ἀνδρός.
Ἀλλὰ τάδ' ἐκτελέειν, ἅ σε μὴ μετέπειτ' ἀνιήσῃ·
Πρᾶσσε δὲ μηδὲν, τῶν μὴ ἐπίστασαι, ἀλλὰ διδάσκευ
Ὅσσα χρεών, καὶ τερπνότατον βίον ὧδε διάξεις.

(h) (Conſulta ante tempus, ut nè ſtulta inde exiſtant,
Stolidi utique eſt viri & facere & dicere inconſiderata.
(i) Verùm ea perage, quæ te poſtea non moleſtent,
(k) Nihil autem illorum age, quæ ignoras, ſed diſce
Quæcunque opus eſt: atque ita jucundiſſimam vitam exiges:)

(l) Solon quoque (ut congeram inæſtimabiles iſtas gemmas earum avido) prudenter inſtruit, & ſuo exemplo monet etiam ſeneſcentes oportere quotidie aliquid diſcere. Itaque cum & ego in parte felicitatis, quæ mihi divino obtigit munere, (m) ponam, me in numero diſcentium eſſe, ſi vel iſta, quæ colligi edam, illo me nequaquam eximam. (n) Utinam verò omnes addiſcamus ante ſenectutem *benè vivere*, ut in ea ſciamus *benè mori*: memores dati moniti in hanc rem à Seneca (o) rigido illo virtutis magiſtro Ep. 61. & illius dicti, quod neſcio quis non minus prudenter & piè, quàm ingenioſe protulit: (p) *Nihil eſſe turpius quam cùm eruditam linguam ruſtica redarguit vita.* Multum hîc vidit & (q) Marius ille, qui apud Salluſtium doctam & probam, at ruſticâ vitâ, ut erat ruſticanæ originis, refutatam, protulit vocem: (r) *Parum mihi placent eæ literæ, quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.* At plus (s) Seneca jam jam nominatus, qui in ingenioſiſſima illa epiſtola octageſima octava docet; *nihil in ſtudiis liberalibus eſſe boni, quorum profeſſores turpiſſimi omnium ac flagitioſiſſimi cernantur*, ubi nec Aſtronomis parcit, id pro merito refellens, quod omnes *diligentius ſciant loqui quàm vivere*, cunctaque ad mores referenda eſſe epiſtola octogeſima nona ex inſtituto docens, ſed & paſſim idem inculcans: quæ compendio epiſt. 106. profert, colophonis loco optimo jure hic addenda: *Laterunculis ludimus: (t) in ſupervacuis ſubtilitas teritur.*

[a] *Amicitia dives bonorum omnibus gemmis & opibus pretioſiorum.*
[b] *Vacuum in natura dari ſtatuit Gerichius Conſul Magdeburgenſis.*
[c] *Kircheri Pentametrum à Schotto in lucem prolatum.*
[d] *Schottus ſententiam Gerichianam de Vacuo divulgavit.*
[e] *Conſultatio de hoc opere edendo.*
[f] *Libri magna cum cautione edendi.*
[g] *Probus vir vel longè adeundus eſt, ut conſilium ejus exquiras.*
[h] *Conſultandum tempeſtivè.*
[i] *Temeritas moleſta.*
[k] *Diſce quæ neſcis & opus eſt.*
[l] *Senes quoque quotidie diſcant Solonis exemplo.*
[m] *Diſcunt & illi qui libros edendo alios docere conantur.*
[n] *Diſcendum præ omnibus benè vivere & benè mori.*
[o] *Seneca commendatur.*
[p] *Lingua concordet cum vita.*
[q] *Marius, ut origine ita & moribus ruſticus.*
[r] *Literæ ad virtutem proſint oportet.*
[s] *Seneca Stoico ſupercilio deſpicit literas, quaſi nihil ad virtutis ſtudium pertinentes.*
[t] *Subtilitas inutilis in ſuperfluis occupata.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

teritur. Non faciunt bonos iſta, ſed doctos. Apertior res eſt ſapere, imò ſimplicior. Paucis opus eſt ad mentem bonam litteris. Sed nos ut cætera in ſupervacuum diffundimus, ita Philoſophiam ipſam. Quemadmodum omnium rerum, ſic literarum quoquè intemperantiâ laboramus. Non vitæ ſed Scholæ diſcimus. Ego ſanè ſi librum illum meum edere me oporteret, talia quoque ad morum probitatem inculcandam ſpectantia vel Theologica vel Theologicis vicina attingerem, præſertim ubi mihi anſa à quopiam fuerit porrecta; ne ſcilicet cuivis virtutis ſectatori incumbens officium neglexiſſe viderer. Omnem verò acerbitatem, in qua, & quidem ubi de rebus vel non revelatis, vel captum humanum excedentibus, agitur, zeli apicem multi ſtatuunt, caverem, & quàm modeſtiſſimè agerem. Sed jam deſino ſcriptionis, & excuſari peto ſolemnem mihi feré loquendi per literas fidas mentis internuncias cum Illuſtriſſima D. Veſtra prolixitatem, quæ dulcedine ſuâ longius me provehit, tùm & farraginem hanc ſententiarum ex antiquis Philoſophis depromtarum. Quod libenter meritoque facio, quia & Illuſtriſſimam D. Veſtram talibus delectari novi, & nunquam alioqui ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. Benè valere & feliciter agere Illuſtriſſimam D. Veſtram cum ſuis dilectiſſimis cupio ex animo,

Simplices ſapiunt, qui benè vivere ſciunt.

Scholaſtica eruditio, quæ in mores non exit, laudanda non eſt

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omnibus officiis & ſtudiis deditiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 23. *Martii* 1665.

N. 16. *ad* 13.

SPero omnes meas rectè ad Generoſitatem Veſtram perveniſſe licet tardè. Nam ſemper ſcripſi non obſtante graviſſimarum occupationum Comitialium, quæ ſemper me circumſtant, multitudine & invaletudine, quæ etiamnum durat, fortè meliorem & firmiorem, ut fit, valetudinem effectura. Ego libenter pro re nata, etiam quædam de Cometa literis meis inſerere ſoleo, utpote quæ Politica & Ethica philoſophandi ratio Generoſit. Veſtr. adamata dictat. Epiſtola Generoſitatis Veſtræ poſtrema die 14. hujus menſis exarata bonitate ſtyli & materiæ, proximæ illi die 11. ejuſdem ſcriptæ non cedit. Optandum ſanè eſt, ut omnes id, quod cum virtute & laude conjunctum eſt, eligamus, * abjectis Bacchanalium & aliis vitioſis inſtitutis. De quibus proximè plura ſcribere potero, nunc occupatiſſimus. Illa quoque Generoſitatis Veſtræ epiſtola ad Profeſſ. Matheſ. Regiomontanum mihi perplacet. Reſponſum ejus libenter videbo. Ut autem Generoſitas Veſtra opus ſuum de Cometa quamprimum in lucem mittat, etiam atque etiam rogo: Eandemque benè valere cupio

Occaſiones ſalutrium monitorum captandæ.

Electio boni omnibus convenit & optanda eſt.

** Mala averſanda.*

Rautenſteinii monitum de opere hoc quamprimùm edendo.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam Kalendis Aprilibus Gregorianis 1665.

N. 18. *ad* 16.

OMnes literæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ rectè ad me perlatæ ſunt, & gratulor noſtras ultro citroque tutò commeare, licet quandoque tardiùs. Itaque ſicut ſuperiores omnes, quod Rationarium noſtrum indicat, ita & poſtremas Illuſtriſſimæ D. Veſtræ literas rectè accepi. Gratias quantas poſſum mente concipere ago maximas de iſta ſingulari in me benevolentia, & ex ea proveniente (*a*) literarum aſſiduitate, nec multitudine negotiorum, eorumque publicorum & gra-

(a) Literæ frequentes, tanto magis aſſiduæ, præſertim ab homine negociis dedito & infirmæ valetudinis, ſunt ſingularis amicitiæ indices.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Morbi etiam magni quiete & inedia curantur.

graviſſimorum, nec imbecillitate valetudinis obſtante. Ut hæc toties morbis tentata valetudo magis magiſque præcipuè quiete & abſtinentiâ, quibus magnos quoque morbos curari ſcimus firmetur, ſicut de proceris arboribus ſcribunt, eas quanto magis agitantur ventis, tantò magis radices agere, ex animo opto. Gratulor non tantum Reip. Chriſtianæ, ſed & Illuſtriſſimæ D. Veſtræ quod in curandis ejus commodis eadem omnibus hîc ſuo exemplo præluceat, ſtrenuam una cum tot aliis Viris totius Germaniæ præſtantiſſimis, & in Comitio Imperii Magnorum Principum, & loca occupare & negotia tractare dignis, dans operam. (*a*) Viros enim tantâ dignatione Illuſtriſſimos decet navare operam publice bono ac ex animo conſulere patriæ.

Legati Principum Viri Præſtantiſſimi ſint oportet.

(a) Illuſtriſſimos Viros decet Remp. tractare.

(b) Publicæ utilitatis amantium ſtudia & laus.

(c) Virtus ſemper commendanda & exercenda.

- - - - - - - - (*b*) dare
orbi quietem ſeculo pacem ſuo
Hæc ſumma virtus, petitur hâc cælum viâ.

De iis quæ Illuſtriſſima D. Veſtra literis ſuis inſerere de Cometis Politica & Ethica ſolet, gratias itidem debitas ago. Fateor me nullam non, (*c*) ut commendandæ, ita & exercendæ virtutis, (abſit jactantia verbo) amplecti occaſionem, & hanc philoſophandi rationem unicè mihi commendatam eſſe. Hæc mihi vel ſola ab Illuſtriſſima D. Veſtra tot negotiis graviſſimis impedita ſufficient, etſi nihil de rebus Veſtris ab eadem obtineam, de quibus tamen ut, quantum licet, reddar certior, oro. Ego officii mutui partes ſtrenuè peragam, daboque operam ut cum meæ, illæ quoque verboſiores, epiſtolæ Illuſtriſſimam D. Veſtram delectent, ſubinde eas pro ratione temporis & rei ſubmittam: & ita in opere meo componendo peragam. Cum autem Illuſtriſſima D. Veſtra tantum induſtriæ meæ tribuat, ut illa in privatum primo uſum collecta & conjecta, privato liberari carcere & in publicum prodire velit: Dabo, juvante Deo, magis magiſque operam, ut aliquid proferam, quod Illuſtriſſimæ D. Veſtræ & omnibus bonarum literarum & virtutis cultoribus meritò placere poſſit. Reſponſum à Profeſſ. Regiomontano, poſtquam obtinuero, confeſtim ad Illuſtr. D. V. mittam B. V.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N.17. ad 13.&14.

Ratisbonâ Hamburgum die 26. *Mart.* 1665.

OMninò approbo G. V. inſtitutum & agendi rationem, dum ſubinde occaſione tùm Cometæ, tùm mearum literarum non minus terſo quàm pio ſtylo tractat ea quæ ad mores corrigendos, ac proinde ad publicam utilitatem promovendam faciunt. Argumento eſt & poſtrema epiſtola die 14. hujus menſis ſcripta, quâ mihi exponit G. V. ſententiam ſuam circa Bacchanalia, choreas, compotationes, & id genus peccata, quibus immundus hodie Chriſtianus mundus etiam Ethnicos priſcæ & noſtræ ætatis longè ſuperat. Hanc credo omninò piam & menti SS. Patrum conformem eſſe, mirorque in G. V. inter tot jactationes & occupationes tantam lectionem. Sed ſi hodiernos mores ad amuſſim illam examinare velimus, quis inter eos, qui quidem in ſæculo verſantur, & ſe mundo non ſubduxerunt, innocens erit? Scio quòd Aula Cæſarea, quod ad cultum pietatis ac religionis multis aliis antecellat. Novi etiam plures alias in noſtra Germania Aulas, puta Bavaricam, Neoburgicam, alias ubi vulgare alioqui vitium ebrietatis penè ignominioſum & planè abrogatum eſt. Sed quando ad Bacchanalia venitur, omnes genio indulgere videas. Nec deſunt tamen illis Aulis graves Theologi, Confeſſionarii, Concionatores aliique animarum cuſtodes, qui talia vident & tolerant. De Aulis Proteſtantium, quas pariter novi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

novi, ſi quis ſcribere libere velit; quam non ſylvam inveniret ſeu carnis, ſeu gulæ, ſeu alia vitia perſtringere placeat? Sed hæc pro jure amicitiæ noſtræ dicta ſunto, qui ſcimus quemque ſuos patier manes:

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt
Qui minimis urgetur.

Vitia omnibus innata.

Et: — — nihil eſt ab omni
Parte beatum,

Perfectum in mundo nihil eſt.

ut Horatius canit: & alibi propterea nævos in pulchro corpore non reprehendendos, ſed ferendos tàm prudenter quàm humaniter ſtatuit; memor ſcilicet fragilitatis, quâ nihil frequentius in vita humana occurrit. Multos vitæ genus, occaſio, etiam uſus ſæculi & incogitantia, vel ignorantia ad peccata inducit: ut de aliis occaſionibus nunc taceam. Orandus proinde eſt bonus Deus, qui alioqui per Cometas quoque & alia ſigna cæleſtia inobedientibus triſtria quæque minatur, ut nos ab omni peccato & peccandi occaſione ipſe cuſtodiat regatque. Nam ſi ille manum ſubducit, actum eſt, periimus. Sed Philoſophari mihi jam necdum licet, adhuc ægroto ſimul & occupatiſſimo: Qui redamari conſtanter peto: ſicut conſtanter maneo

Deus orandus, ut nos à peccatis cuſtodiat.

Dei auxilium in negotio pietatis maxime neceſſarium.

G.D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 4. *Aprilis* 1665.

N. 19. *ad* 17.

SEntentiam meam de Bacchanalibus & id genus vitiis Scripturæ Sacræ, Rationi Sanæ & Antiquitati Piæ (quod eſt triplex Catholicæ veritatis Privilegium) conformem Illuſtriſſimæ D. Veſtræ placuiſſe multum mihi gratulor. Optandam foret ut eadem locum in orbe Chriſtiano inveniret & moribus exprimeretur. Nam ut & antiqua Sapientia docet: *Optimus ille Ethicus eſt qui verba vertit in opera, (a) tantum ſe ſcire ratus, quantum vitâ expreſſerit. Perfectus autem, quem cum videas & audias idem eſt.* Ebrietatis vitium in tot Aulis, & Germanicis quidem, damnatum eſſe, tantamque in illis gravitatem, & temperantiam vigere lubens intelligo. (*b*) Et certe *ſi omnis turpitudo omneque vitium eſt contrà naturam*, ut eadem illa Sapientia docuit (*c*) certe ebrietas talis vel maxime erit. Nam & naturam ſive valetudinem hominis & fortunas lædit. Sed quod præcipuum eſt, mentem de regia rationis ſede dejicit

Veritatis privilegium triplex, Sriptura, Ratio, Antiquitas.

Ethicus optimus qui benè docet & vivit.

(*a*) *Scimus tantum quantum moribus exprimimus.*

(*b*) *Vitium omne naturæ adverſum eſt.*

(*c*) *Ebrietas maximè contraria naturæ eſt.*

Atque affligit humo divinæ particulam auræ. Horat. l. 2. Sat. 2.

Et non tantum miſcet, (*d*) ſed & ſubjicit pecudibus ad naturæ neceſſitatem viventibus. Veriſſimè itàque Græcus Poëta Theognis, vitium hoc perſtringens in hæc verba ſe diffundit:

(d) Ebrietas pecude deterior.

Ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκ ἔτι κεῖνος
Τῆς αὐτοῦ γλώσσης κρατερὸς, οὐδὲ νόου.
Μυθεῖται δ' ἀπάλαμνα τὰ νήφουσ' εἴδεται αἰσχρά,
Αἰδεῖται δ' ἔρδων οὐδὲν, ὅταν μεθύῃ
Τὸ πρὶν ἐὼν σώφρων, τότε νήπιος. - -

[Quiſquis autem præterierit potûs modum, non amplius ille
Suæ ipſius linguæ compos eſt, neque mentis:
Loquitur autem infinita, quæ ſobriis videntur turpia:
Veretur verò faciens nihil, quando ebrius fuerit:
Ante qui erat ſapiens, tunc ſtultus. - -]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Sed ſi hæc parva & deſpicienda videntur, plus ait Chriſtiana inſtitutio. Inde Philip. Melanchton, referente Keckermanno Syſt. Log. l. 3. c. 25. *Nos Germani*, inquit, *accerſimus nobis crapulâ & helluationibus noſtris primùm paupertatem: deinde morbos corporis, poſtremò æternam damnationem.* Hieron. verò Drexelius inimitabilis in legendo & in excerpendo diligentiæ Vir, ut multa culpæ & pœnæ mala in linguam Baccheam congerit, ita illa egregia reliquit: *Suidas „ Sapienti tres ait meri caliculos permitti, & primum quidem eſſe valetudinis, alterum „ voluptatis, tertium ſomni. Eodem penè modo bibendi vices diſtinguens Anacharſis: „ Primus caliculus*, inquit, *neceſſitatis eſt ſedandæ ſiti: Alter ſobriæ hilaritatis: „ Tertius voluptatis: Atque hìc jubet Plato quieſcere. Nam quartus calix ebrietatis eſt & contumeliæ: Quintus clamoris & ſtultiſſimæ garrulitatis: Sextus com„ meſſationum, etenim quò plus potantur uvæ, plus ſitiuntur: Septimus libidinis & la„ ſciviæ: Octavus bilis eſt & pugnæ: Nonus vulnerum & cædis: Decimus furoris „ & inſaniæ.* Ideo ſi quovis homine ratione prædito & honeſtatis amante rebuſque gerendis intento, multò magis Viro Principe & in dignitate conſtituto ac tot ſubjectorum curam, patris inſtar, gerente, nihil indignius & nocentius ebrietate dari poteſt, nempe

Sapiens ſobrius ſit oportet.

Sobria hilaritas ſapienti permiſſa.

Ebrietatis ultimus gradus inſania.

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Principis dignitas, ut alba veſtis, minimam prodit labem.

Candida veſtis vel minimas prodit maculas. Equidem ebrietas, ut & ſaltatio, Regibus olim indecora prorſus fuit. Quamobrem Cicero, optimus ſui ſeculi non tantum Orator ſed & Politicus, *Dejotarum Regem*, *Virum* ejus judicio *graviſſimum & ſanctiſſimum cunctaque Regio & animo & more facien„ tem* de utroque illo vitio accuſatum defendens: *Dejotarum*, inquit, *ſaltan„ tem quiſquam aut ebrium vidit unquam? omnes ſunt in illo Regiæ virtutes.* Quâ etiam occaſione frugalitatem, id eſt, modeſtiam & temperantiam virtutem eſſe maximam judicat, cæteriſque Regiis laudibus ſcilicet fortitudini, juſtitiæ, ſeveritati, gravitati, magnanimitati, largæ beneficentiæ & liberalitati accenſet. Et certè illa ut fortitudinis & manſuetudinis, juſtitiæ & clementiæ, ſeveritatis & comitatis, gravitatis & blandiloquentiæ, magnanimitatis & modeſtiæ, ita & largæ beneficentiæ liberalitatiſque & parſimoniæ, qualis illa priſcorum Romanorum Imperatorum fuit, (*e*) aliarumque virtutum temperamenta, virtutis artibus facta & cuſtodita (*f*) (alioquin in vitium ducit culpæ fuga ſi caret arte) maximè ut Viro Principi conveniunt, ita & Reipub. proſunt. Et qui hæc perſuadet Principi, (*g*) quem pro multis procurare videt, & qui debet multis ſæpè philoſophari ac juſtitiam colere à Plutarcho illo non minus fido quàm doctrinæ & felicium ſimilitudinum pleno Scriptore, comparatur Medico laude digno, (*h*) oculum qui pro multis videat multoſque cuſtodiat, curanti in illo egregio tractatu cum præcipuis Viris Philoſopho eſſe diſputandum, quo rectam inſtitutionem ſi in Principem Virum ac in Repub. verſantem rebuſque gerendis deditum, illabatur, eumque ſtudio virtutis impleat, multis per unum prodeſſe, & vim legis adipiſci, bono publico docet. Laudandi itaque omnes qui ſobrii non tantùm ad tractandam Remp. accedunt, ſed & ſemper & ad ultimum tractant. Utinam nec tùm ullam reprehenſionem & cenſoriam ſeveritatem incurrant, dum Bacchi feſta celebrando diſcurrere & inſanire pleriſque ſolenne & volupe eſt. Illud maximoperè dolendum impunè talia patrari, obſolefacta illa vera & ſancta (*i*) cenſura Eccleſiaſtica, quæ eſt anima pietatis, & ſine (*k*) quâ nihil vel ipſæ doctiſſimæ & cæleſtiſſimo ore prolatæ conciones valent. Ideò dicere ſoleo, Duces exercituum prudentiores hîc eſſe in ſuo vitæ inſtituto Ducibus Eccleſiarum, quòd mandatis jungant diſciplinam. Quod verbum non diſplicuiſſe Incomparabili illi Heroi Vrangelio, Sveciæ Archiſtratego, probè memini. Sed quid agamus, & cur talia vel memoramus, gnari artibus Satanæ

(e) Virtutum temperamenta & Principem decent & Reip. proſunt.

(f) Virtutem in medio locat prudentia.

(g) Principis officium eſt publica commoda curare, omnes veram ſapientiam docere & juſtitiam colere.

(h) Princeps inſtar oculi eſt in corpore Reipublicæ.

(i) Diſciplina Eccleſiaſtica, res utiliſſima, poſtliminio revocanda.

(k) Conciones, etiam optimæ, ſine diſciplina nil valent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tanæ & perverſitate *(a)* ingenii multitudinis, hæc etiam, licet optima, vel in deſvetudinem, vel in abuſum abiiſſe, ut & plura ejuſdem generis? Cæterum piè & prudenter ut ſolet, Illuſtriſſima D. Veſtra dicit, *quemque ſuos pati manes, neminemque ſinè vitiis naſci, & nihil eſſe ab omni parte beatum.* Hæc enim ipſa nos ad omnem *(b)* modeſtiam, imò *(c)* humilitatem in foro Theologico receptam virtutem, id eſt animum demiſſum & pœnitudinem coram Deo, tum verò ad appetendam *(d)* fide vivâ & efficaci veram beatitatem impellere poſſunt. Melius enim longè gentilibus norunt Chriſtiani quæ ſolida, quæ fluxa, quævè ſequenda vel fugienda ſunt. Et ſunt, fateor, pauci tamen, qui ſe id noſſe moribus teſtantur. Sed & de horum unoquoque, & de quavis civitate dici poteſt illud, quod in Hiſtoria Batavorum Gerhardus Liſtrius Rhenenſis de Ultrajecto, quæ illi Roma minor eſt, ad illorum Horatianorum ab Illuſtriſſima D. Veſtra allegatorum imitationem dicit:

(a) Multitudo corrumpit optima quæque.
(b) Modeſtia Chriſtianos decet.
(c) Humilitas Theologicè virtus eſt.
(d) Fides viva juſtificat & ſalvat.

(*e*) Verùm ut ſub rapidi nihil eſt curvamine cæli
Parte quod ex omni perfectum vivat agatque:
Sic ſunt nævorum quædam veſtigia, corpus
Tam benè compoſitum malè quàm decuiſſe videntur.

(e) Perfectum in orbe nihil.

Omninò itaque Deus, *(f)* qui nos propter gloriam nominis ſui condidit, & propter eandem *(g)* æternùm ſervare vivâ fide eum colentes decrevit, *(h)* orandus eſt, ut nos ab omni peccato & ejus occaſionibus ac illecebris præſtet immunes. Nam *(i)* abſque auxilio ejus nihil, hìc præcipue, in re maxime omnium ardua, ubi cum Satana mille fraudum artifice, cum mundo pellaci, qui ſupra eum poſitus eſt, cum carne domeſtica inimica & indiſcreta hoſte, omni externo hoſte nocentiore luctandum & pugnandum jugiter homini eſt, præſtare poſſumus. Sed perplacet tamen illud piæ antiquitatis monitum: *(k) Totum ex Deo, non tamen quaſi dormientes: non quaſi ut non conemur. Sine voluntate tua non erit in Te juſtitia Dei. Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te.* Auguſt. ſerm. 15. de verb. Ap. Gratiam autem divini auxilii mereri (ut ex ſenſu veterum hac voce utar pro conſequi) *(l)* nonniſi debitâ mandatis ejus obedientiâ præſtitâ poſſumus. Atque *(m)* hæ etiam ſunt ejus conſervandæ, quæ & parandæ artes. Quas qui tenet & cuſtodit, tutus Cometam, *(n)* licet tot prodigiis vulgò tremendum, intrepido adſpicit oculo, & animo invicto cuncta inania ſeculi, licet carni magnum vel terrorem incutientia vel appetitum irritantia, vincit & temnit. Alioqui quis, præſertim vaticiniis illis Aſtrologicis credulus, & longam deletorum exercituum, everſorum regnorum, ſublatorum Principum, graſſantium elementorum ſeriem Cometæ adſcriptam, cernens, non paveat terrificum illud ſidus

(f) Gloria Dei ſcopus unicus omnium rerum.
(g) Fides viva ſalvat.
(h) Preces in ſalutis æternæ negotio neceſſariæ.
(i) Gratia opis divinæ in negotio ſalutis perneceſſaria.
(k) Gratia auxilii divini conatus noſtros provehit.
(l) Obedientia noſtra Deo grata.
(m) Gratia divina paratur & conſervatur obſequio.
(n) Heros Chriſtianus invictus, imò victor.

— — — Crinemque trimendi
Sideris & terris mutantem regna Cometem?

Quæ de hoc argumento ego hùc illùc ſcripſi talia ſunt, ut Illuſtriſſima D. Veſtra videt, imò ut fatear ad eandem pleraque ſcripſi, utpotè talium avidam, manifeſto probæ mentis indicio. Poſſunt tamen quædam emolliri, nonnulla verò & omitti. Ecce enim illa Pythagorica monita.

Καὶ πεφύλαξό γε ταῦτα ποιεῖν ὁπόσα φθόνον ἔχει.

(Et cave ea facere quæcunque invidiam habent.)

Invidioſa cavenda.

Et mox:

Πρῆσσε δὲ ταῦθ' ἅ σε μὴ βλάψῃ, λόγισαι δὲ πρὸ ἔργου.

(Fac † ea quæ tibi non noceant, & * ante opus delibera.)

† Noxia fugienda.
** Deliberandum tempeſtivè.*

Interſerit autem & gnomen, quæ unà cum his in meo inſtituto apprime mihi eſt obſervanda,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Μὴ δαπανᾶν παρὰ καιρόν - -

Nec ſumtus importunè facias.

Magnum enim profectò eſt temeritatis inconſultæ & injuſtitiæ in cariſſima pignora,

Natos natorum, & qui naſcentur ex illis,

argumentum, ita rem familiarem tractare, ut ſumtus contrà temporis & conditionis ac ſtatûs rationem, & (quod Plutarchus inter mala garrulitatis poſuit) nullo cum lucro facias. Faciunt id nonniſi qui ſeipſos ſuaſque non norunt vires, & immodica appetunt, ita patrimonium dilapidant (quod quidem multi lapidem illum philoſophicum quærentes aurumque potabile excoquere volentes inconſideratè & iniquè faciunt) & decoquunt patrimonium, (a) decoquunt creditoribus ſuis, bonæque ſpei imò quandoquè & totius familiæ ac civitatis (b) (ſponſiones vel præſtando vel importunè quærendo) utilitatem. O præpoſteram Oeconomiæ Philoſophicæ, quæ tandem nec cœnæ philoſophicæ nec prandio abſtemio & tenui, quale illud Epaminondæ proditionis non capax fuit, ſufficiat, rationem, publicis privatiſque rationibus inimicam! Obliviſcuntur omnes hi illorum neceſſariorum per omnem vitam monitorum: (c) *Noſſe ſe quenquam*, & (d) *nihil nimium cupere*, (e) *comitemque æris alieni atque litium eſſe ſponſionem*, quæ (f) tria præcepta Chilonis Lacedæmonii, ut auctor eſt Plinius l. 7. mortales Delphis conſecrando aureis literis oraculorum ſocietatem ei dederunt. (g) Si quod tamen damnum ſubeundum eſt, virtutis & publicæ utilitatis cauſſâ ſubeundum eſt, ſpe indubitata juſtæ mercedis quæ quemque dignum manet. Sed non amplius protraham ſcriptionem, quæ ſi importuna quandoque eſt Illuſtriſſimæ D. Veſtræ publica tractanti, merebitur, ut ſpero, veniam, quia illa quoque publico commodo conſulere ſtudet, & Illuſtriſſimam D. Veſtram hiſce meis collectaneis commentariolis gaudere, & favere novit. Bene valeat, & favorem continuet ei, qui eſt mente manuque candida

(a) Decoctorum mala in Remp. quoque redundant.
(b) Sponſiones fallaces ingenuo homine indignæ, perdito conveniunt.
(c) Noſce teipſum.
(d) Ne quid nimis.
(e) Sponde, præſto noxa eſt.
(f) Chilonis Laced. tres ſententiæ vice oraculorum habitæ.
(g) Merces dignos manet.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu, ſtudio & officio deditiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 18. *ad* 15.

Ratisbonâ Hamburgum die 30. *Martii* 1665.

DE argumento Cometico nihil nunc accepi, ideò nec quidquam hac vice Generoſitati Veſtræ communicare poſſum. Cujus laudabile hac in parte inſtitutum bonum publicum omni ex parte ſpectans libenter adjuvarem, ut & res hoc rerum ſtatu attenuatas. Sed facultate deficiente ſola voluntas reſtat. Res Polonicæ omninò in criſi & ſummo periculo videntur eſſe. Graſſatur ibi exterorum ambitus aurumque. Sed & graſſabitur amplius. Nam

- - - Quid non mortalia pectora cogit
Auri ſacra fames?

Benè valeat Generoſitas Veſtra & redamare pergat

Voluntas ſola ſufficit, ubi facultas deeſt.

Avaritia perdit Rempublicam.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimum Servum

DE RAUTENSTEIN.

N. 18. *ad* 20.

Hamburgo Ratisbonam die 8. *Aprilis* 1665.

GRatiſſimum mihi ſemper eſt, quicquid à tam candida & amica manu Illuſtriſſimæ D. Veſtræ venit. Cui pro hac ſingulari, ad inſtitutum meum bono publico

publico conſecratum & rem meam, quæ, fateor, per præterita bella tenuis mihi & exſucta eſt, juvandum promto ſtudio maximas ago gratias, idque ita accipio, quaſi effectum datum eſſet, ex illa jam olìm recepta æquitatis lege:

Voluntas ſola ſufficit ubi facultas deeſt.

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.

Deus ipſe in rationes benè & malè factorum refert noſtra propoſita ad exequendum firmata, etiamſi in opera non exeant, dum quod volumus conſtanter, perficere non valemus. Certus autem ſum Illuſtriſſimam D. Veſtram mecum communicaturam omnia, quæ de argumento Cometico aliunde acceperit. Vellem enim opus meum, quod ſub manu, & tot Præclarorum Virorum meaque tenui induſtriâ creſcit, ita adornare, ut placeat omnibus, cognitionem rerum, & caſtimoniam morum appetentibus, ipſiſque adeò Viris Principibus, quibus vel maximè debitum ut reſpectum cultumque ſubmiſſum, ita & ſtudium officiumque teſtari & præſtare volo. Hoc enim ut in ſe ipſum eſt honeſtum, unde illud

Principibus placuiſſe viris non poſtrema laus eſt,

ita ſpero eorum munificentiam, temporis iniquitate dejectam rem meam, ſublevaturam.

Principum munificentia bonarum artium ſtudioſis in re tenui neceſſaria.

Ego quippe illam bonæ mentis ſororem, * Divam Peniam, onus quoquè bonæ mentis eſſe reputo. Nam profectò non ſine ratione vetus Poëta Græcus Theognis in hæc erumpit verba:

** Paupertas probis familiaris & prægravis.*

Ἄνδρ' ἀγαθὸν πενίη πάντων δάμνησι μάλιστα.

(Virum bonum paupertas omnium domat maximè)

& quæ ſunt alia, quibus id, aliquantùm tamen juſto plus, exaggerat, mortem ipſam paupertati præferens. Cujus incommodum Juvenalis eleganter & magis cum veritate illis effert verbis:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res auguſta domi.

Quanquam illud Theognideum monitum honeſta induſtria meritò ad ſe refert:

Χρὴ γὰρ ὁμῶς ἐπὶ γῆν τε καὶ εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Δίζεσθαι χαλεπῆς Κύρνε λύσιν πενίης.

(Oportet igitur ſimul ſuper terram & lata dorſa maris
Quærere gravis, Cyrne, liberationem paupertatis)

Paupertatem vir induſtrius, quantum licet, fugit.

Verumtamen Autarkeja illa ſive *animus ſuâ ſorte contentus cum pietate magnus eſt quæſtus*, ut Apoſtolus docet. Ideò & Publius Syrus inter tot ſelectas ſententias & hanc poſuit: *Is minimo eget mortalis qui minimum cupit.* Sed & omnes ſapientes divitem pronunciant eum, qui ſuâ ſorte contentus eſt, licet mediocri & tenui, ſicut avarum inter medias opes inopem, cum ei tàm deſit id quod habet, quàm quod non habet.

Autarkeja dives.

Dives eſt qui cupit nihil. Avarus ſemper pauper.

De rebus Polonicis optimè, id eſt, more ſuo, judicat Illuſtriſſima D. Veſtra. Exercet ibi vires externa ambitio, cui patent animi eorum, * qui privatis rebus ſtudent, hiſque publicas aptant, maximo earum detrimento. Sed † nos in tanta rerum viciſſitudine, & hominum iniquitate conſtantem & æquam ſervemus mentem. Ego maneo

Avaritia perdit Remp.

** Privatæ res ſemper officiunt publicis.*

† Æquo animo omnia, etiam adverſa, excipienda.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu ſtudioquè

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratiſbonâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ratisbonâ Hamburgum die 2. Aprilis 1665.

N.19. ad 16.

EXcerpta Literarum mearum ad G. Veſtram occaſione Cometæ familiariter ſcriptarum paulùm correcta, remitto, & obſervatis iis quæ jam antè monui, edi poſſe puto. Hæc augere vel aliquid commentari in hac fertiliſſima alioqui materia nunc non poſſum, non ſolum propter morbum adhuc continuantem, & me ſemper ferè in lectulo vel ſella detinentem, ſed & propter alias occupationes varias, præcipuè publicas, quas provinciæ mihi demandatæ ratio affert, vix ſano & benè valenti perferendas. Non dubito autem G. Veſtram pro eruditione ingenioque ac otio ſuo facilè inventuram quæ opus iſtud belle exornent, & nomen ſuum undequaque celebrius reddant. Id verò caveat, ne nimias forte impenſas in id faciat, & ſe magis oneret. Quod pro candido affectu meo monenti vitio non vertet ſpero. Reſponſum à R. P. Curtio, ad quem in negotio Cometæ ſcripſi, exſpecto. Plura in hanc rem non ſuppetunt. Sed & alia quæ ſcribam, habeo pauca. Feriamur enim iterum. Heri tamen ipſis ſcil. Kalendis Aprilis Electorales Brandenb. ad fœdus Rhenanum acceſſêre, prout & Marchiones Culmbacen. & Anſpacen. nec non Epiſcopus Argentinenſis accedunt, ſuperatis omnibus difficultatibus. Ita federa ac leges publico bono pangimus, Deo nos toties è cælo officii monente. Poſt ferias Paſchatis videbimus, quid tandem de puncto Capitulationis deque aliis materiis heîc futurum, vel an rebus deſperatis abeundum ſit? Interea undique materiæ conquiruntur ad novas flammas, quibus totus orbis Chriſtianus conflagrare & comburi queat. Deus nos ab hoc & æterno igne cuſtodiat! Næ his quoque raris Cometarum facibus in cælo accenſis, nobis ſat efficaciter, ſi voluntati ejus nos conformare velimus, officia noſtra in memoriam revocat, & media iræ ſuæ vitandæ ob oculos ponit. Benè Valeat & ſalveat plurimùm cum ſuis à

Fœdera Deo præſente panguntur.

Divina voluntas ubiquè ſpectanda & ſectanda.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimo Servitore

RAUTENSTEINIO.

Hamburgo Ratisbonam die 11. Aprilis 1665.

N.21. ad 19.

MUltum certè ſplendoris operi meo Illuſtriſſimum nomen Rautenſteinianum, quod Heinſii, Hevelii, Fabricii, Paſtorii, Bullialdi, Titii, Poemeri, Gruteri, Kircheri, Schotti, Curtii, & tot alii Viri in Repub. literaria Clariſſimi ſuſpiciunt & colunt, addet. Quod autem Illuſtriſſima D. Veſtra mecum de argumento Cometico, aliiſque hâc occaſione communicata diuturniore curâ expolire, & divite ingenii venâ locupletare nequeat, eſt quod operis mei reſpectu doleam. Sed minimè miror eandem inter tot, & affectæ valetudinis, & publicorum negotiorum tàm amplæ provinciæ incumbentium impedimenta, præſtare id non potuiſſe. Ego ſemper & ubiquè amicitiæ fidem integram Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ſervabo. Ut exornem opus meum cunctis, quæ à me coacervari (inter multa quoque negotia, me ſemper circumſtantia urgentiaquè) tùm ad aſtrorum, ac Cometarum nominatim cognitionem, tum ad vitam jucundè & honeſtè tranſigendam, & ipſam beatarum mentium ſedem aſtris ſublimiorem ſcandendam facientia poſſunt, omnem do operam. * Vanam gloriam & ventum illum favoris vulgi non capto. † Veram tamen gloriam, quæ ex ſapientiæ ac virtutis ſtudio provenit, quaquè optimus quiſque tangitur & ducitur, non negligo, ago, ut me vixiſſe induſtriè & honeſtè, ac publicæ utilitati intentum, poſteritati teſter. Sive itàque aliquando in patriam, ex qua conſcientiæ causâ pulſus ſum, redeam, ſive in quieta & commoda ſede, qualem Deus mihi in hac urbe, omni ex parte præſtantiſſima, & ad exercenda literarum commercia toto orbe commodiſſima

Vita jucunda, honeſta, in terris, in cælo beata ducenda eſt.

** Ambitio fugienda.*

† Gloriam veram honeſta induſtria quærit & conſequitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

diſſima paravit, vitam honeſtis laboribus tranſigam, tamen illa Ciceronis verba, quæ exactis in exilio ſedecim menſibus poſt reditum in Urbem ad Quirites protulit, uſurpare non verebor, ex ipſis Philoſophiæ penetralibus deſumpta.

Sic verò tunc ille: *Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumquè deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ: quâ quidem detractâ,* * *quid eſt, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Certè ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas: nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis vigiliiſquè angeretur, neque toties de vita ipſa dimicaret. Nunc inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam.*

Virtus induſtria gloriam quærit & invenit.

** Laborum merces gloria.*

Gloria incendimur ad ſtudia & omnes labores.

Quæ verba tantò libentius hîc adſcribere volui, quia Illuſtriſſima D. Veſtra tot præclaris de Republica literaria, & Germanica meritis, quanto ſudore paranda ſit vera illa gloria æternum manſura, èxemplo ſuo docet. Degeneres & abjectas animas, quas moleſtia laboris à ſtudio veræ gloriæ, ad extremum dulci deterret! Eleganter & verè Seneca: *Si quid feceris honeſtum cum labore, labor abit, voluptas manet:* * *ſi quid turpe cum voluptate, voluptas abit, dolor manet.* Cæterùm & magno conſtet gloria neceſſe eſt, magno dico, non tantum labore, ſed quandoquè & ære. Ego tamen hîc candidorum monitorum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ memor ſum, & hæc benevolentiæ ejus annumero. Novi autem etiam bonarum artium virtutumquè cultoribus cavendam & fugiendam eſſe, quantum licet, paupertatem; in quam rem ea quæ vetus ille Poëta Græcus Theognis prodidit, aliaque attuli, ideoquè faventiorum fortunam omnibus Viris probis, & de genere humano bene mereri volentibus, quò induſtria eorum non tantum non deprimatur, ſed etiam in altum provehatur, apprecor. Alioqui ſæpenumerò

Virtus laborioſa parit voluptatem.

** Vitium iners parit dolorem.*

Paupertatem vir induſtrius, quantum licet, fugit.

Stultitiam patiuntur opes, patiuntur honores.

Fœdus veſtrum Rhenanum acceſſione Sereniſſimi Electoris Brandenburgici, Principis ut inter cunctos Germaniæ Principes Potentiſſimi, ita & præclaris animi dotibus Cumulatiſſimi, & magnis meritis Clariſſimi, tum & Agnatorum ejus Marchionum Culmbacen. & Anſpacen: nec non Epiſcopi Argentoratenſis augeri & firmari, multum eſt. Ad res enim Imperii conſtituendas facit, ſi tamen fœdus conſtanter ſervetur & rite ſemper adhibeatur, nec obtentui ſit novandis ac vi gerendis rebus, qua de re plurimos jam queri audio. Sed non dubito vos in illo Auguſto Comitio congregatos, & hanc & illam Capitulationis Cæſareæ materiam ita tractaturos, ut exinde non tantùm in Imperium Romanum, ſed & in univerſum orbem Chriſtianum inſignis redundet utilitas. Certe & Vos, ut omnes mortales in tanta rerum confuſione novus Cometes, velut face accenſa in tenebris, ad rite faciendum officium ducere debet, ut vel maxime dicti illius ſat pii, licet ab impio prolati, memores, uno ore unoque animo dicatis:

Cometæ officii admonent mortales.

Duc me Parens Celſique dominator poli
Quocunque libuit, nulla parendi mora eſt.

Divina voluntas ubique ſpectanda & ſectanda.

Quod reliquum eſt, adjungo quæ ad manum ſunt ſcitu digna & abjungo, urgente tabellario, ac favori Illuſtriſſimæ D. Veſtræ incluſas ad P. Curtium, tùm me meoſque meaque commendo, dilectiſſimis Illuſtriſſimæ D. Veſtræ una cum eadem bene valere juſſis

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omnio ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N.20. ad 17.

Ratisbonâ Hamburgum die 6. Aprilis 1665.

QUid de editione Cometologiæ G. Veſtræ ejuſdemque acceſſoriis ſentiam, jam aliquoties & nuper etiam ſcripſi. R.P.Curtius per Amicum ſpem mihi fecit reſponſi ad meas, quod itaque proxima Dominica expecto, & ſic G. Veſtræ poſt octo demum dies ejus tenorem communicare potero. Cæterùm me ita obruunt morbi, negocia, publica, privata aliaque faſtidia, ut ſcribere aliquid ſolidi, & quod ætatem ferre ac lucem mereri poſſit, non valeam. Imò vix ſufficio reſponſis ad Amicorum literas, ità ut aſſeverare G. Veſtræ poſſim, me nemini toties ſcribere, quàm ſibi. Imo ferè intermitto omne literarum commercium, quo frequenti & illuſtri uti ſolebam, contentus ſi interdum unum vel alterum librum, quales raros certè collegi, inſpicere, & ſic animum paulliſper relaxare liceat. R. P. Caſparum Schottum benè novi. Miror autem, quod ille ſententiæ illi de Vacuo accedat, quam tamen ante paucos annos ſocios ejuſdem Viennæ & alibi in P. Valeriano, illo gente & mente Magno (quem quanti fecerim, verſiculi antehac miſſi, quos Anno 1654. Viennæ deproperaveram, teſtantur) penè damnaſſe memini. Quod verò Generoſitas Veſtra in ſcripto illo ſuo, ſi fortè Theologica attingat, ſicut in litteris die 28. Martii datis ſcribit, modeſtè procedere conſtituerit, libens intelligo, utpote qui illas horrendas quorundam ſententias de ſervo hominis Chriſtiani arbitrio, de impoſſibilitate & non neceſſitate bonorum operum, (imò de neceſſitate vel coactione malorum operum) de abſoluto decreto æternæ condemnationis & ſimilia jam diu deteſtor, optoque contrà, ut omiſſis inutilibus & noxiis ſæpè diſputationibus, *alii alios ad bona excitemus ſcriptis & factis. Nam non qui dicunt vel ſcribunt, † ſed qui faciunt, cæleſtis regni poſſeſſionem aſſequentur. Ego conſtanter maneo

Lectio, etiam brevis & curſoria, delectat.

Theologia Polemica pluribus faſtidio eſt.
** Theologia Practica permultis arridet.*
† Pietas in cœlum ducit.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N.22. ad 20.

Hamburgo Ratisbonam die 15. Aprilis 1665.

COmetologiæ meæ, prout librum illum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ vocare placuit, acceſſoria, (ut liceat commodam vocem è foro hùc mihi transferre) adjungam, cum Deo, quæ non ſolùm res & occaſio præbebit, ſed & publice privatimque utilia erunt, ideoque Cometis mortales officii commonefacientibus à me ſalvâ pietate taceri nequeunt. Omni verò acerbitate verborum, quam in monitis, ſatis alioquin (ſi vel melle modeſtiæ ſinceræ condiantur) vulgò ingratis fugiendam eſſe & Plutarchus & alii Sapientes me docuerunt. Theologica, quæ mihi quandoque præbentur, leviter tangenda erunt, quantum quidem morum pietati & publicæ utilitati expedit. Scio aliàs vel ex Syro illo: *nimium altercando amitti veritatem:* magis verò ex Apoſtolo † *heterodoxos & non acquieſcentes ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac * ei, quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ, ſuperbos eſſe, nihil ſcientes, (a) ſed languentes circà quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriantur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt:* quos devitandos, & illa eorum *dogmata vana & inutilia, adque ſubverſionem potiùs audientium ac profectum impietatis ac rixoſas quæſtiones, quàm ad ædificationem Dei facientia*, fugienda eſſe, toties docet.

Monita, ſemper alioquin moleſta, omni verborum aſperitate careant.

Controverſiis nimiis veritas perit.
† Sobriam Theologiam Scriptura commendat.
** Chriſti vox ſequenda in via ſalutis.*
(a) Chriſtiana inſtitutio pietatis eſt magiſtra.

Dogmata illa, quæ Illuſtriſſima D. Veſtra recenſet, utinam non ex hoc cenſu forent! Sed quàm intemperantiæ omnibuſque vitiis fibulam laxent, vel nobis tacentibus aſſidua experientia docet clamatque. Soleo ego, dum has pietatem con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

convellentes diſputationes, quæ tantâ animorum (utinam non armorum!) commotione fiunt, ſub judicii liberi incudem revoco, recordari ſententiæ, profundâ cogitatione digniſſimæ, ab Eruditiſſimo illo Veterum Clemente Stromatæo latæ: *Diabolus cauſas peccatorum ſervis Dei ſuggerit, atque aſtutè hoc molitur, ut ipſi quoquè ſecum cadant* l. 2. Strom.

Equidem, ſi ſacra & profana omnia recto ſtare debeant talo, omninò ut divina juſtitia, ſapientia & bonitas immòbilis; ita & * humanæ voluntati, † nulli aſtrorum Cometarumvè vel fati Caldaici, Stoici Aſtrologicique neceſſitati ſubjectæ, libertatiquè ſuæ relictæ, & ut virtutum vitiorumquè ſtudio, ita & præmiorum ac pœnarum juſtitiæ locus relinquatur neceſſe eſt. Acutè verò & verè Italus quidam, Aulæ Illuſtriſſimi illius Herois Staniſlai Lubomirſcii Palatini Cracovienſis Senatoris Graviſſimi, familiaris ad Adamum Goſlavium, ſcriptis ſat clarum, Philoſophum inter gentis noſtræ Equites acutiſſimum (quo Avunculo meritò glorior) dixit aliquando: *Contrà omnia diſputari poteſt, contra bona opera non poteſt.* Video autem non paucos dogmatum illorum patronos mollius de his ſtatuere, & ſententiam ſuam magis in piam ſimplicitatem, quam illam minimè neceſſariam in theoria, maximè verò damnoſam in praxi curioſitatem flectere. Atque utinam omnes, voce divina monente, ad ſobrietatem ſapiamus, iis quæ ſcripta ſunt contenti, quæque facienda & tenenda præcepta ſunt, conſtanter adhærentes! Profectò enim veriſſimum eſt, quod Illuſtriſſima D. Veſtra ſcribendo indicat, non eos qui dicunt, vel ſcribunt, ſed qui faciunt (alias contrà vocem Chriſti multi forent, imò omnes electi, quia, Seneca, & experientiâ teſte, *omnes malunt diſputare, quàm vivere)* ſalvatum iri. Miſerum profecto, qui quum benè doceat, malè verò vivat, ex ore ſuo judicabitur, & (liceat ita dicere) Deum quomodo eum condemnare debeat, inſtruit. O hominem ſui immemorem, imo oſorem!

Divina perfectio abſolutiſſima.

** Libertas humani ingenii ſalvâ juſtitiâ negari nequit.*

† Neceſſitate hominis voluntas non agitur.

Pietas in cælum ducit.

Electi, pietatis veræ cultores, pauci ſunt.

Qui bona ritè docet ſed malè vivit:
Eſt ſtulti ſimilis, cui bona nota eſt
Semita, quam monſtrat: ſed miſer hæret
Sordibus obſcœnis, invia ſectans.

Vidi autem jam olim hunc in navim Stultiferam Jodoci Badii ex invento Sebaſt. Brand. (uterque vir omnigena eruditione, 15. ſeculo exeunte, claruit, & ſcripto illo tam jucundo quàm utili de genere humano benèmeruit) fabricatam compactum, in Tartara ferri. Quis vero illo pejus tùm ſibi tùm aliis conſulit? Contrà ſemet ipſum enim verè αὐτοκατάκριτος ſententiam tulit, & multos, quos ſervare debuerat ceu bonus ductor, perdit peſſimus ſeductor. Hunc vel maximè, inprimis certè Cometa noſter novus, tanquam cæleſtis Concionator ſive Præco potius monet de officio. Utinam Doctores Chriſtiani non ſurdis auribus, ſaltem non contemptu piæ veritatis, & ſtudio rerum terrenarum obturatis, hæc fidelia & ſalutaria monita excipiant! Non equidem debent. Terreſtres enim Concionatores iſti cæleſti obedire ante omnes par eſt. Quod ſi verò ego talia ſæpius repeto, & inpoſterum repetam, dum Illuſtriſſimam D. Veſtram aliosquè talium amantes alloquor, præbita mihi præſertim occaſione ac veluti data facultate loquendi, ſi vel iiſdem verbis id fiat; ſpero me veniam apud æquum judicem conſecuturum. Mallem certè vel tautologus quàm officii in publicum deſertor ulla ex parte haberi. At verò poſſum me magno quoquè tueri auctore. Nam in diligenti quondam Quinti Curtii (qui Matthæo Radero, Viro Doctiſſimo, eſt ab ordine primus & Attica apis ac Siren) lectione obſervavi, eum ſui ipſius eſſe imitatorem. Nonnunquam enim res, aliquando ſententias, immutatis verbis, ſenſu tamen retento, repetit, ſæpius phraſes eaſdem adhibet. Sed venio ad alia. Et à Curtio quidem ad Curtium veſtrum. A quo etiam aliquid Curtianum exſpecto, quod commendet ſtyli nitor & elegantia verborum ac ſententiarum, quæ in illo elucent, velut elegantiſſimæ gemmulæ inſertæ auro, vi-

Cometa officii monet inprimis verbi divini præcones.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

brantes ſcintillas teneras & ſemina flammæ. Socium ejus Schottum de fama nominis novi, & aliquando volente Deo, compellabo de argumento Cometico, tùm & de Vacuo. Utinam modò plurium corda, quod vita teſtatur, non eſſent metûs divini vacua! Quod reliquum eſt Illuſtriſſimæ D. Veſtræ de aſſiduo, & quidem inter tot morborum & occupationum impedimenta, literarum commercio, maximas ago gratias, eandemque diu ac feliciter benèque valere cupio ex animo

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 21. *ad* 18.

Ratisbonâ Hamburgum die 9. Aprilis 1665.

Sapiens ſemper ſibi conſtat, officiumquè facit.

NOs brevi multas mutationes viſuros autumo, quas Cometæ iſti præcurrunt. Sed quî fieri poteſt aliter in hac ſublunari ſcena, cujus theatrum quaſi perpetuum mobile ſemper circumrotatur? Sapiens hæc videt & ridet, Deo ſuo ac Virtuti innixus, & quaſi in excelſo tutoquè poſitus, unde impune adſpicere poteſt iſtas fabulas. Ab aliquot diebus hîc denuò novus Cometa videtur circa tertiam matutinam, tenui quidem & breviori quàm prior cauda, quæ ex Oriente in Occidentem porrigitur: ſed non minoris tamen de cætero magnitudinis, ut ab Amicis audivi, qui illum ipſi viderunt. Non dubito & Vos de eo jam notitiam habere. Dicitur non procul à Pegaſo hîc viſus. A nonnullis autem ille ipſe Cometa eſſe putatur, quem ante paucos menſes vidimus. De quo peritiorum ſententiam cognoſcere malo. Si quid autem porrò reſcivero, cum G. V. commmunicabo. Accepi M. Abdiam Treu/ Mathematicum Altorfienſem, his nundinis Francofurtenſibus emiſiſſe ſatis ſpiſſum de Cometis tractatum, qui lectionem omninò mereatur. Hunc & alios hujus generis G. V. apud Bibliopolas Hamburgenſes invenire ac perluſtrare, ſi libuerit licueritque, poterit, antequam opus ſuum emittat omnigena eruditione ditandum: de quo judiciolum meum jam dixi, ita ut nihil quod addam, habeam. Cæterùm ſperamus cras iterum nos materiam Capitulationis in Senatu Principum aggreſſuros. Utinam felici ſidere, & læta nobis omnibuſque ferente novo iſto Cometa! Sed de his aliàs plura. Ego interea maneo, ut ſemper

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 23. *ad* 21.

Hamburgo Ratisbonam die 18. Aprilis S. N. 1665.

Dolor juſtus ex præviſis malis oritur.

Miſericordia homines decet.

BRevi nos multas & magnas mutationes viſuros prudentiſſime jam ante Illuſtriſſima D. Veſtra conjecit, quod etiamnum facit juſto dolore percita, qui profectò jam in cordati cujuſque & publici boni amantis Viri animo oriatur neceſſe eſt. Humanum quippe eſt humanis tangi & ad miſerationem flecti calamitatibus. Quâ quidem multi indignos ſe faciunt, dum miſeriam contumacia, velut proprio jumento ſibi accerſunt, imo in hac perſiſtentes miſeriæ ſublevandæ media reſpuunt, & auctores eorum repellunt, & quidem non ſine ignominia & injuria. De his vere Pythagoras:

Γνώσῃ δ' ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας,
Τλήμονες, οἵτ' ἀγαθῶν, πέλας ὄντων, οὐκ ἐσορῶσιν,
Οὔτε κλύουσι. Λύσιν δὲ κακῶν παῦροι συνίσασι.

Cogno-

Cognoſces quoque homines ſua ſponte accerſita mala habere
Miſeri, quia bona cum propé ſunt, non inſpiciunt
Neque audiunt. Malorum verò ſolutionem pauci intelligunt.

Illi verò omnium ſunt deterrimi, quin & teterrimi, dum non tantùm ſalutaria conſilia rejiciunt, calcant, ſed & eos qui illa benevolo animo porrigunt, ferociter proſternunt, pedibus proterunt, mordent. Hos tauris indomitis, & cornupetis bobus, fœnum in cornu gerentibus, æquales & longe fugiendos eſſe clamat Satyricus. Sed & ipſa vox divina, ut aliàs innui, cavendos eſſe, nec veritatem, qua nihil ſub Sole ſanctius, nihil pretioſius datur, objiciendam eſſe, velut inæſtimabiles margaritas porcis cœnò voluptatum immerſis eaſque conculcaturis, vel rabidis canibus malitiæ & ſtudio aliis nocendi deditis, admonet, prudentiam ſerpentinam columbinæ ſimplicitati individuam adjungens ſociam. Mutationibus eadem quæ Lunæ ſubjecta eſſe, & Scenæ mundi hujus theatrum quaſi perpetuum mobile ſemper circumrotari, itidem prudenter Illuſtriſſima D. Veſtra judicat. Vere profectò infeliciſſimi ingenii Poëta Ovenus, quem Martiali comparare ſoleo, canit:

Horat. Sat. 4. l. 1.

Veritas ſimplici corde profitenda.

In mundo nil conſtat: in orbem vertitur orbis
Quid mirum recti quod ſit in orbe nihil?

Mutationibus terrena obnoxia.

Cum autem omnia humana in circulo (quod & Græci Symboli vice τ᾽ ἀνθρώπινα ἐν κύκλῳ uſurpant) eſſe comperiantur, danda viro Sapienti, quem Illuſtriſſima D. Veſtra deſcribit & ſimul refert, opera eſt, ut e cælo monitus é mundo, in quo nihil mundum, & tanquam in orbe nihil rectum, exeat, non pedibus quidem, ſed corde & vita, ac in illo quod Illuſtriſſima D. Veſtra indicat excelſo, tutoque bonæ conſcientiæ & beatæ ſpei faſtigio, & ita extra omnem periculi aleam poſitus, mortalia videndo ridendoque temnat, & hæc quidem poſt tergum relinquat, ad cæleſtia verò etiam per avia, ut melius vulgò dici, quàm effectum dari ſolet, *per anguſta ad anguſta, per aſpera ad aſtra*, ſummo niſu contendat. Huic nullus adverſorum ſtrepitus & impetus, nulla adverſantium virtuti vis ferox & effrenis, nec ipſe mundi ruentis fragor vel tumultuans Orcus metum incutere poteſt, tantùm abeſt, ut gentili more ſidus aliquod novum, aliudve ſignum cæli Cometamve metuat. Talis in ſuo genere fuit Aſa Rex Judæ, primus à Davide viro ſanctiſſimo, inter laudatæ pietatis (quanquam mixturæ vitiorum, ſine quibus nemo naſcitur, optimus ille qui minimis urgetur, non expertis) Principes ponendus, innumeras Æthiopum copias animo intrepido, nempe quia fiducia in Deum armato, aggreſſus & ſuperans. Talis & filius ejus Joſaphatus paternæ pietatis veſtigia, raro inter Principes exemplo, ſecutus, remque pari virtute & proſperitate contra Moabitarum, Ammonitarum aliorumque ſociorum vim immenſam agens. Nec mirum: cum invictam virtutem in viis Domini fuerit conſecutus, ſicut Chronicon Sacrum ait. Atque hi cum ſequentibus dehinc Ezechia & Joſia illorum laudatorum Principum explent numerum, & à 17. Regibus, quorum vitia, imprimis apoſtaſia idololatrica, longam ex adverſo ſeriem ſtatuunt, diſcreti, docent longe pauciores probos, in illa præſertim ſumma fortuna, tot illecebris expoſitâ, dari. Utinam & Principes Viri & cuncti illis ſubducti hôc novi Cometæ, & à priore, Magno Hevelio judice, diverſi phænomenô officii admoneantur, quaſi id cunctos Mercurii cujuſdam vel Camilli (ita enim olim vocatum eſſe & Mercurium & templi Jovis miniſtrum Plutarchus in Numa teſtis eſt) vice numium monitumquè ferendo impellet:

Sapiens ſemper ſibi conſtat officiumque facit.

Piorum fortitudo invicta, intrepida.

Pius hoſtium victor.

Regum Judæ 17. vix quinque pii.

Cometa officii admonet mortales.

Diſcite juſtitiam moniti & non temnere numen.

Sed jam ad Polonica venio, de quibus non ſine debita parrheſia, illa tamen modeſta, & boni, ut patriæ meæ cariſſimæ, ita & publici, ſtudioſa, loqui ſoleo. Tandem appetit tempus, quòd ſemper veritus ſum, fore ut Reſpubl. Polona

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

altè conceptam iniquitatem deſerere præfractè nolens, acerrimis partium ſtudiis & odiis hoſtilibus commiſſa, exterorum ambitioſis armis concuſſa, in partes diſtrahatur. Dividi enim ab exteris non poteſt, niſi prius in ſe ipſa fuerit diviſa. *Videant iſta qui exſulare non poſſunt*, ut Seneca l. de providentia c. 3. occaſione exilii Rutiliani & malorum urbis Romæ, ex qua vir ille fortiſſimus à Syllanis pulſus erat, exclamat. At plura hîc mihi dicenda ſunt, quæ pietas in patriam dictat. Bis tàm exiguo tempore interjecto fruſtrà tentatus Conventus Regni, irritoquè eventu ſolutus, Tot & tanti Proceres ac Equites Aulæ exoſi & infeſti. Miles tandiu retenta ſtipendia fruſtra adhuc exſpectans, inito novò fœdere imperium exuet, diſciplinam temnet, bona Regalia & Eccleſiaſtica occupabit, ſtipendia quoquo modo exſolvenda extorquebit, gratuitâ interim bonorum illorum poſſeſſione & uſufructu potiturus. Tartarus quoque donativum plurium annorum cum tædio exſpectans, ne fœnoris vice excurſiones in Podoliam & Ruſſiam inſtituat, verendum. Coſaci in rebellione non tantùm perſiſtent, ſed firmabuntur, & audentiores, imò fortiores reddentur. Cum Moſcho bellum difficile durat. Univerſum regnum probâ monetâ poſt tot & tàm atrocia multorum annorum bella exhauſtum, adulterinâ vero repletum, nervum rerum gerendarum amiſit. Lubomirſcius, ut ſcribitur, magnam nobilitatis partem (quid ſi & militiam? vel Coſacos) in ſuas partes pertraxit, & reſtitutionem ſui artibus pacis, incolarum & exterorum precibus fruſtrà quæſitam, armis perficere volet. Quid ad ſummam malorum deeſt? ô quam res Polona in præcipitio poſita! niſi Deus ipſe velut è machina adſit, qui ruentem invictâ dextrâ retineat, & in ſtatu priſtinæ proſperitatis locet. Sed invitaturne humili & ſeriâ pœnitentia divina gratia? & non * potiùs irritatur, elatâ & indomitâ contumacia ſevera & ignis inſtar conſumens, ejus ira? Conculcantur non tantùm leges juſtitiæ, (§) quæ ſolæ pacem Rebuſpublicis ut formant firmantque tutò, ita & reſtituere poſſunt, ſed & qui tàm ſalubria conſilia porrigunt. Et cur tandem ſileat mens in conſpectu Benedicti Creatoris candida ac bonum publicum unicè ſpirans? Audi, ſi ſapis, mea quondam Polonia, quid de Gallo Imperatore Annalium Sacrorum prodant monumenta: ‡ *Pios Viros, qui pro ſalute Regni ejus ſummo Deo ſupplicabant, perſecutus eſt, & unà cum eis proſperitatem regni ſui juxtà & pacem fugavit.* Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 1. Verè Amicus ex Pruſſia Electorali nuperis literis ſcribit ad me, Deum ex Polonia, ſaltem in Polonia triſte theatrum facturum eſſe, in quo Vir probitatis & quietis amans tutius ſpectatorem quàm perſonam egerit. Quod quidem prudenter illic monet, belli civilis furores prævidens. Atque hæc ſunt noſtra præſagia Politica, quæ ſolidiori rerum & recti fundamento ſuperſtruuntur, quàm illa ex mobilibus orbibus & erraticis ſideribus ac brevi diſparentibus Cometarum phœnomenis deſumta, & tàm audacter determinata ac deciſa. Ideò noſtra potius dicenda ſunt judicia, quæ dictat prudentiæ & æqui ratio. De novo iſto in cælo hoſpite nihil his diebus à quoquam accepi. Nec ipſe eum, fateor, his tribus præteritis noctibus vidi. Cum enim labores meos in medias ſæpenumerò producam noctes, ægerrimè à me impetrare poſſum, ut ante lucem ſurgam, vel potius expergeſiam, nulla juſta & debita ſomni menſura (quam antehac ſeptem horarum, juveniquè ſeniquè tributam, quoſdam nuperos Phyſicos denario horarum implere accepi) refectis viribus, quas aſſidui & haud leves labores laſſant & conficere tentant. Interim pergo in inſtituto opere, paulatim tamen imo teſtudineo fermè (ut inter plura negotia & longa terrarum, marium, morarumque ſpatia emetienda ſit) gradu, quem tamen grandibit, ut cum Comico loquar, quod firmiter ſpero, divina clementia, & melior genius meliori fortuna gaudens. Quamvis itaque benè ſciam Illuſtriſſimam D. Veſtram in votis habere, ut hæc, quæ premo, quamprimùm publico orbis judicio committam: Tamen ſubinde Horatii epiſtolam de arte Poëtica ad Piſones, & Jacobi Acontii ad Wolfium ſuper hoc argumento, qua ratione ſcilicet quavè cautela aliquid ſit edendum, lego & mecum penſito, ut ſumam materiam meis viribus æquam, mihiquè omni ex parte convenientem, ac verſa diù

Exſules quandoquè iis à quibus in exilium mittuntur, feliciores.

Pœnitentes ritè divinam vindictam avertunt.

* *Contumaces Deo iram ejus incurrunt ſuo exitio.*

(§) *Juſtitia pacem format firmatquè publicam, eandemque reſtituit.*

‡ *Piorum patriâ ejectio ſemper Deo inviſa proſperitatem & pacem Rerumpublicarum aufert.*

Quid

- - - - - - Quid ferre recuſent
Quid valeant humeri - - - -

Atque id ſpem mihi facit haud dubiam Illuſtriſſimam D. Veſtram mihi vitio non daturam, quòd tàm tardè & ſuſpenſo gradu progrediar, cum aggrediar periculoſæ plenum opus aleæ, & hîc quoque incedam per ignes ſuppoſitos cineri, doloſo. Imò fortè mirabitur eadem, me de his quoque non pauca profectò ſcribere poſſe inter tot curas totquè labores. Accepi verò heri Cl. Nicolai Heinſii, Belgarum Fœderatorum in Aula Svecica Oratoris Ordinarii, literas, quibus teſtatur ſibi propoſitum meum vehementer placere, velleque ſe plura ab Ubſalienſibus de hoc argumento poſtulare ac mecum communicare pollicetur. Atque hujus Viri Præclari & undique ornatiſſimi judicium, ſtudium & benevolentiam meritò magni facio: ac maneo

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni officio & ſtudio

Stanislaus Lubienietzki.

Ratisbona Hamburgum die 13. *Aprilis* 1665.

N. 22. *ad* 19.

PHiloſophatur occaſione Cometæ egregie S. V. & Chriſtiane, inprimis circa vitia ſeculi: præſertim contra ebrietatem. Quæ meæ genti forte tam frequens & conſueta non foret, ſi ſcelus reputaretur, & non abiiſſet quaſi in mores. Sed dum vitia corrigimus vitam amittimus. Utinam non æternam! Eccleſiaſticas vero cenſuras nobis abſtulit inter alias cauſas Schiſma & ſeceſſus in Eccleſia Catholica Romana obortus. Sed de his aliàs. Nam mihi nunc occupatiſſimo plura non licent, qui ſemper opto ut uni ſimus in fide, ſicut & pater noſter in cælo unus eſt in Trinitate.

Quod ad Cometam attinet, R. P. Curtzius de die 10. hujus Neoburgo ſcribit mihi, illis quoque denuo Cometam eſſe viſum mane ex Solis radiis emergentem, ſtetiſſeque non longe abjunctum à Quadrilatero volantis Pegaſi. Cæterum hoc quoque ſcribit, collecturum ſe ex ſchedis ſingularia quædam de Cometa, quæ Generoſitati Veſtræ mittere velit operi Generoſitati Veſtræ inſerenda, quod nollem nimis extendi, & quam primùm edi poſſe optarem, cum audiam multos de eadem jam materia multa edidiſſe & plura parare. Heîc denuo incipimus de Capitulatione Cæſarea deliberare, non nullis bonum exitum Comitiorum ſperantibus. Ego ut ante timeo, non ſine cauſa, meliora vovens & G. V. quæ libet fauſta, tanquam

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 22. *Aprilis* 1665.

N. 24. *ad* 22.

TAm luculentâ Cometarum præbente mihi ſe occaſione Philoſophiam non tantùm Chriſtianam, ſed & naturalem ſector, dum inſector ebrietatem naturæ, valetudini, fortunis, negotiis, tranquillæ menti, conſcientiæ, tandemque æternæ ſaluti hominis cordati, & quod vere bonum eſt appetentis inimicam. Quod deterrimum vitium, tot ſemper flagitia poſt ſe trahens, non foret profectò tàm frequens, ſi pro merito caſtigaretur ab iis quibus id officii in choro, foro & toro incumbit. Sed eheu! cuncti privatis commodis ſtudentes, non ut quàm

Philoſophia Chriſtiana & naturalis ebrietati adverſatur.

Multitudo pietatis hoſtis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ut quàm optimas, ſed ut quàm maximas regant familias, metu diſciplinæ nonniſi quantum rationi ſtatûs & privatis eorum rationibus expedit, adſtrictas, cæteroqui naturâ corrupta, inſtitutione molli, diſciplina laxata, imo luxata, robore exemplorum undique tàm obſtrepentium quàm illicientium luxuriante in omne nefas ſolutas, unice agunt. Qui vero non Placentini, ſed Veronenſes eſſe volunt, partim veræ pietatis & rectæ diſciplinæ naturam, illa in vanas ſuperſtitiones, hac in arrogantem dominationem detorta ignorant: * partim capacia veritatis pectora, eo quo ad rem tam arduam reſtituendam & tuendam neceſſum foret numero, in eminentiori fortuna & numeroſa, vitiiſque jam olim innutrita & aſſueta, ideoque virtuti inimica, multitudine invenire nequeunt. Nam non ſine cauſſa oraculi vice vetus illud habetur: *Eſt turba ſemper argumentum peſſimi.* Novit Illuſtriſſima D. Veſtra quid de hac bellua multorum capitum ſugienda ad Mæcenatem ſuum ſcribat Horatius. Ideo male ſibi conſulit, qui ibi inter aſſidua vitiorum certamina veritatem quærit, & imitanda laudum exempla, quæ non ſine delectu & judicii cura in ipſa quoque ſelecta paucitate laudatorum capienda ſunt. Quippe in eum actu tum vires ſuas exerit longe lateque furens prava converſatio, ubi quis non

Diſciplina recta in arrogantiam degeneravit.
** Principum pauci reſtituendæ & tuendæ diſciplinæ Eccleſ. dediti.*

Acclinis falſis animus meliora recuſat? Horat. Sat. l. 2. Sat. 2.

Cum autem ita cum multitudine comparatum eſſe omnis ævi memoria teſtetur, non mirum eam & in partes ſcindi, & contrariis ſtudiis vitiiſque tranſvorſum rapi, & hùc illùc ferri. Sed tot ſeculorum uſu firmatas corruptelas, non niſi ipſe Deus corrigere & † orbem Chriſtianum undique depravatum reficere, &, ut cum Poëta loquar, ſecula rurſus formare meliore metallo poteſt. * Is itaque, prout Deus pacis & auctor concordiæ aſſiduò orandus eſt, ut cunctis potentes igniculos virtutis, & illabente animis pœnitentia † purgatis cæleſti illo divini ſpiritus igne exſtinguendis vitiorum flammis pares (quales ſunt & iſti oculis omnium, quos non fugit ratio, & animus non deficit æquus, in cælo iterum iterumque exhibiti Cometæ) indat, eoſque ad pacem & concordiam non tantùm civilem, ſed & Sacram, quam continuis ambit Illuſtriſſima D. Veſtra. & quis non bonorum! votis, perducat. ‡ Id quidem ille vult, intendit & curat, quantùm ſalva juſtitia & libertate poteſt. Sed utinam nos extra ordinem quadam ſingulari gratia & virtute (cui & iſtos Cometas deputare non dubito) permoveat ut velimus nos, quæ etiam eſt votorum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ toties me teſte nuncupatorum ſumma, * conformare ad voluntatem ejus, tanquam perfectiſſimam regulam, quæ fert noſque docet † *unum corpus, unum ſpiritum* (id eſt *unum* Eccleſiæ *corpus* unius ſpiritûs divini virtute, ſicut illud imperii apud Tacitum *unius animo regendum*) *unam ſpem vocationis, unum Dominum, unam fidem, unum baptiſma, unum Deum & Patrem omnium, qui ſit ſuper omnes & in omnibus nobis.* Docet autem ore Doctoris gentium. Sed & ego hîc pedem ſiſto. Proteſtor enim me cuncta hîc agere ſalva mea & cujuſque conſcientia. Aliàs plurium dicendorum hìc, ſaltem quæ commode dici poſſent,

Corruptelæ Eccleſiæ diuturnæ à ſolo Deo tolli poſſunt.
† Reformatio orbis Chriſtiani à ſolo Deo exſpectanda eſt.
** Pax & concordia Chriſtianorum à Deo eſt exoranda.*
† Spiritus S. non ingreditur cor impurum
‡ Deus vult & curat concordiam
** Divina voluntas ubique ſpectanda & ſectanda.*
† Una Fides, una Eccleſia, unum baptiſmus, unus Dominus, unus Deus & Pater in Scriptura docetur.

- - - - - - Memini bene. Sed meliori
Tempore dicam - - - - -

Licet ſatis ad talia & cuncta virtutem ſpirantia proferenda accendant prodigioſi iſti, ut ſic dicam, Cometici ignes, cælum noſtrum circulari quodam curſu pervagantes, & ſatis potenter niſi repugnamus, ad pœnitentiam incendentes. Hos me in meditato opere, favente Deo, ita indicaturum ſpero, ut quiſque gloriâ præmioque virtutis ad eam ſectandam & tenendam conſtanter accendatur, & ex adverſo vituperio & pænâ vitiorum ab iis abſterreatur, ac præterea multa in vita civili honeſte & quiete tranſigenda ſcitu jucunda & utilia, velut in penariam cellulam congeſta habeat ad manum, iiſque fruatur. Atque hoc tam citò perfici nequit, nec raptim ac tumultuarie perfici debet, accedente præſertim & accendente Illuſtriſ-

Cometæ homines ad pœnitentiam inflammant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ aliorumquè ejus ſimilium, id eſt, ad omnem honeſtatem laudemquè natorum, induſtriâ, meam qualemcunque, quæ non invita, fateor, congerit, diligenter & in penarium refert, quod ex uſu ſiet. Neque verò id intendo, ut multa ſcribam, & grande volumen componam. Scio enim copiam multam parere faſtidium, & ancipitem curam eligendi, &, ſi quis multa ſimul, idquè juſto plus ingerat, nauſeam & id quod dicere nolo, *Abundantia quandoquè ingrata & inutilis.*

> \- - - - - - Mala copia quando
> Ægrum ſollicitat ſtomachum.

Novit tamen Illuſtriſſima D. Veſtra quoſdam etiam delectari varietate & copiâ ciborum, quoſdam & Tranſalpina & Tranſmarina appetere, ægrè laturos, ſi velis domeſtica & ſimplicia promere, & menſam cibis onerare inemtis, etſi dubio procul ſaluti magis conducentibus, qualibus melior & vivacior uſa quondam ætas. Itaque his & illis juſtâ quadam copiâ & varietate, quæ reficere animos creditur, gratificari decrevi, debitam ſemper ſervaturus mediocritatem & curam, & pro modulo ingenii, toleraturus impiger *Frugalitas non omnium palato arridet.* *Varietas rerum delectat & reparat animum.*

> \- - - - - - - Laborem
> Scribendi rectè. Nam ut multum, nil moror

& ipſe, niſi tamen multum non multa & ſcribenda & legenda quis dicat. Ideo Illuſtriſſima D. Veſtra videt me huic fini non ſine cura evolvere Satyras & epiſtolas Horatii, quæ monita in hanc rem neceſſaria continent. Nam profectò *Multum non multa ſcribenda & legenda.*

> \- - - - - Hæc ego mecum
> Compreſſis agito labris; ubi quid datur otî
> Illudo chartis, hoc eſt mediocribus illis
> Ex vitiis unum: cui ſi concedere nolis
> Multa Poëtarum veniat manus, auxilio quæ
> Sit mihi - - - - - - - - - - -

Horat. Sat. l. 1. Sat. 4.

Nec Poëtarum tantùm, ſed & in omni ſcientiarum genere Scriptorum, etiam illorum ipſorum qui nunc de Cometis ſua in publicum proferunt, quorum nonnullos ſcio & video, ſi quid video,

> \- - - - quos & præſens & poſtera reſpuet ætas.

Quanquam ego nulli debitam laudem invideo, de mea ſingulari methodo certus, quæ vel ob ſolam induſtriam liberalem, & boni publici promovendi voluntatem diſplicere æquis rerum æſtimatoribus, virtutiquè amicis non poterit, etſi poſt alios multos ventura ſit, ſecundum illud vetus Catonis & vulgatum verbum: *Sat citò ſi ſat benè.* Nam nihil prohibet, imò omnia invitant, ut hoc conſequi ſtudeam, & me, Deo annuente & juvante, conſecuturum ſperem. Sed eſt adhuc unum de quo Illuſtriſſimam D. Veſtram compellare debeo, occaſione præſertim mihi à R. P. Curtio præbitâ, dum per Illuſtriſſimam D. Veſtram promittit ſe quædam mei cauſâ collecturum operi meo inſerenda. Velim Illuſtriſſima D. Veſtra pro jure ſuo ſingularis, quam cum eo colit, amicitiæ, poſtulet ab eo, ne inter ea, quæ in meum uſum parat, obliviſcatur eorum, quæ Te illuſtriſſimo parario ab eo merui, correctum mihi mittere exemplum, præſertim verò Obſervationis Ingolſtadienſis, in qua circa numeros etiam Cl. Mullerus Prof. Math. in hoc Gymnaſio alicubi hæret. Ne mihi contingat idem, quod olim Keplerò, Clariſſimo aliàs & Præſtantiſſimo Mathematico, qui incorrectas P. Cyſati Prof. Matheſ. Ingolſtadienſis Obſervationes de Cometa anni 1616. ſub nomine Obſervatoris Ingolſtadienſis vulgavit, parùm provido conſilio & dolente auctore, nactus eaſdem à Nobiliſſimo Viro Joanne Georgio Hervarto, Ducis Bavariæ

 Conſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Conſiliario, ſicut Ricciolus auctor & eruditiſſimus & diligentiſſimus notat. Cavendum itaquè nobis, ne mutato nomine de nobis fabula narretur. Literarum ad Cl. Hevelium datarum exemplum adjungo, ut per omnia probem fidem & diligentiam optimæ notæ Amicis. Heri demùm accepi Concium adhuc Prof. Matheſ. in Academia Regiomontana fuiſſe. Quod ad ſtatum rerum boni illius Viri N. N. attinet, ſcio cohabitare illi bonæ mentis ſororem, vel potiùs bonæ mentis onus eum premere. Gravis enim profectò & importuna cordatis quoquè Viris eſt paupertas in tanta virium humanarum fragilitate. Sed jam dudum exceſſit epiſtola modum, nondum tamen æquavit meum ſemper & in omnibus gratificandi Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ſtudium. Cogit me nihilominus in ordinem tempus & res ipſa, ac prudentia, æqua rerum æſtimatrix, in aurem illud. *Ne quid nimis, apprimè in vita utile, inſuſurrat. Meritò equidem tenendum, ubi nobis in angulo umbraticam vitam agentibus, cum iſtis qui in luce verſantur & publica tractant, res eſt, ne in eorum valetudinem, quos perdius & pernox fatigat & atterit labor improbus, ut *eorum vigilantia omnium ſomnos complectatur, omnium otium illorum labor, omnium delicias illorum induſtria, omnium vocationem illorum occupatio*, ut Seneca alicubi ait, ſed & in tempora ſanctiſſimis & graviſſimis dicata curis, ſimus injurii. Itaque præeunte & monente Lyricorum anteſignano & Tu Vir Illuſtriſſime, Magni Principis Legate,

Paupertas cordatis quoquè viris eſt gravis.

Prudentèr in rebus procedendum.

** Modus in rebus ſervandus.*

Brevitati ſtudendum, ubi cum Viris Rempublicam dies noctesque tractantibus privato homini res eſt.

Quum tot ſuſtineas & tanta negotia
Finio epiſtolam: nam - - - in publica commoda peccem
Si longo ſermone morer tua tempora.

Vel potius longiore. Sat enim verboſa eſt epiſtola. Quam, quàm ægrè finiam, videt Illuſtriſſima D. Veſtra. Nempe ægerrimè avellor à tàm caro pectore. Sed jam tandem finio

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu & ſtudio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 23. ad 20.

Ratisbonâ Hamburgum die 16. *Aprilis* 1665.

ETiam lucente Cometâ novo, permulta quæ Deo diſplicent, elucent. Hic illic varia fiunt, tractantur & parantur, plura quæ avaritiam vel ambitum ſpirant. Fortè quæ nuper conceſſa legibus pactorum ſunt vel adhuc concedentur, olìm vindicabuntur, ut mutabiles ſunt rerum vices, animus verò dominandi avidus, & libidine regnandi corruptus, omnium repagulorum obliviſci, omnia ſuſquè dequè habere ſolet, dummodo quod ambit, conſequatur. Quæ fata Poloniam Veſtram manſura ſint, unde multa alia dependent, in ſolo æternæ Providentiæ libro reperiri poſſe puto: ita confuſa nunc ibi ſunt & corrupta omnia. Neque verò puto Proceres Regni continuò meditari de ſucceſſore, fortè nec eligendo via ordinaria, ſed per extraordinariam intrudendo. Sed quicquid exteri cupiant moliunturvè, Polonorum erit ſedulò agere, ne quid damni Reſpublica eorum vel libertas avita, qua tamdiu per orbem univerſum claruerunt, detrimenti capiat. Quod tanto magis Nobiliſſimæ genti veſtræ opto, quia illud ſine noſtro non fieret incommodo.

Ambitio pacta & leges violat.

Quæ de negotio Cometico ad R. P. Curtium ante biduum ſcripſi adjungo. Sunt autem hæc: *Heic quoquè, ut alibi, denuò Cometa conſpicitur, qualem R. Veſtra deſcribit: mortalibus ideò magis anxiis & perplexis, quod hic annus talium inſolitorum ſiderum tàm ferax eſt præ aliis: quin & prudentiores timent, non tàm ob ſiderum, quàm eorum conſiliorum poſitum, quæ hic illic nunc per Europam agitantur, ac nil niſi bella magnaſque rerum mutationes & revolutiones portendunt. Inter hæc omnia tamen meâ in ſenten-*

Cometarum ferax hæc tempeſtas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

in ſententiâ perſto, quod ſcilicet nos in divinam voluntatem ac manum abſolutè reſignare, & tunc nequè aſtra nec aſpera formidare debeamus. Spero autem brevi me habiturum, quæ Hevelius Cometologiæ, quam parat, nunc præmittit. Tùm quæ Hamburgenſis Amicus meditatur, qui avidè expectat ea à favore R. Veſtræ quorum nuper mentionem, & ipſa nunc ſpem facit. Proindequè rogo, ut ea quamprimùm ad me veniant, ſimulquè ſi quid fortè reliquum eſt à me communicatum &c. Hevelio autem gratiſſima erit cæleſtis hiſtoria, quam ſtatim atque accepero, tranſmittam, non dubitans ipſum gratum futurum, & R. Veſtræ aliquod ἀντίδωρον miſſurum. Porrò verum eſt, quod Generoſitas Veſtra ex Theognide ſcribit, magnis cum difficultatibus luctandum eſſe ſapientibus & bonis in paupertate, quæ ſæpe bonæ mentis ſoror, conſtitutis. Sed & illud verum eſt, quòd & hi divites ſint, quibus quod habent, ſufficit. Cæterùm ex nuperis aliquot Generoſitatis Veſtræ conjicio eam Græcas etiam literas reſumere, fortè occaſione liberorum, quorum liberalem educationem dum ſibi incumbere meminit, eoſdem eruditos fore non cenſet, niſi & Græcè ſciant, uti omninò etiam ita eſt. Nam non approbo illum ſatis notum veſiculum:

Divina voluntas ubique ſpectanda & ſectanda.

Paupertas etiam ſapienti & probo viro gravis.

Autarkeja dives.

Quid mihi cum Græcis? Sapiens Auſonius inquit,
Sat facere poteſt Latina lingua Virum.

Placet mihi hæc ratio ſtudiorum, ſed & modus ea quæ ad mores formandos pertinent, occaſione Cometæ percurrendi. Sed ſubinde pro nota benevolentia & ſinceritate moneo, ut ſumtus circumſpectè faciat, ipſe enim in ſimili expertus ſum, cautè hìc eſſe agendum: &, uti ſemper, maneo

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Ratisbonâ Hamburgum die 20. *Aprilis* 1665.

N. 24. *ad* 21.

PArùm adhuc mortales curant etiam hunc novum Cometam. De priore Reverendiſſimus quidam Epiſcopus Vir Graviſſimus menſe Martio ità ad me ſcribit: *Cometes in tota Europa viſus, toti portendere aliquid mali videtur. Quidam Mathematici civitatibus maritimis præſagiunt adverſa &c.* Et certè tot ſigna in cælo data non ſunt de nihilo. Utinam in animis omnium ſint efficacia, quo ſcilicet divinæ juſtitiæ & officii admoniti, faciant ea quæ divinæ ſunt convenienta voluntati! Bene autem fiet, ſi Generoſitas Veſtra in exornando ſuo opere Lipſium imitetur, qui ferè omnes alios in hoc genere vicit, aptatis in ſuam ſententiam veterum dictis præſtantiſſimis, & inter hos potiſſimùm, Senecæ, Taciti, Plutarchi. Sed quid ego noctuas Athenas? Salmones Hamburgum? Benè valeat Generoſitas Veſtra & conſtantèr redamet

Signa cæleſtia non ſunt contemnenda: quin potiùs homines ad virtutis officia excitent, par eſt.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimum Servitorem

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 29. *Aprilis* 1665.

N. 25. *ad* 23, & 24.

PIè profectò & ſapienter ab Illuſtriſſima D. Veſtra in prioribus die 16. hujus menſis ſcriptis, quas unà cum poſterioribus accepi, dicitur, etiam illis prodigioſis, ut ſic nunc quoquè dicam, Cometarum ignibus lucentibus multa in hoc inferiori mundo, quamvis verâ miſeriarum convalli (quæ perpetuâ rerum viciſſitudine & omnimodâ imperfectione nos ad appetendam hæreditatem, adeundamquè in cælo, & conſequendam æternam illam & fixam ac perfectam beatita-

Vita præſentis conditio miſera nos ad appetendam & capiendam hæreditatem cæleſtem excitare debet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tem meritò incendere deberet) elucere permulta divinæ menti prorſus adverſantia. Ardet enim orbis variis cupiditatibus, non tantùm ambitionis & avaritiæ, quamvis iſtæ ſint tot ſcelerum & bellorum, orbem terrâ marique committentium matres, ab omnibus ſapientiæ & virtutis ſtudioſis jam olim in exſilium miſſæ, ſed etiam nefandis illis Sodomiticis. Atqui has multò minus quàm ſcortationem & omnem immunditiam vel avaritiam (quæ idololatriæ, quòd in nummis vice Dei fiduciam collocet eaſque velut ſacrum, etiam ubi neceſſe eſt, contingere non audeat, æquiparatur) tùm obſcœnitatem, ſtultiloquium, facetias, ſaltem ſcurrilitatem, quæ vel in laude ponuntur, vel per ludum & jocum fiunt, ac τὰ οὐκ ἀνήκοντα [non convenientia, ſanctæ ſcilicet filiorum Dei vocationi] divinâ voce pronunciantur, inter ſanctos, qui Chriſtiani ſint oportet, vel nominari fas foret. Siquidem regula diſciplinæ Chriſtianæ nobis retinenda, & vita noſtra ad eam componenda eſt. Dum hîc paulùm ſiſto gradum, & nimis inter Chriſtianos furentem, vagum & omni legi repugnantem concubitum, ac illam vel impiis judicibus illicitam Venerem conſidero, miror rem adeò fœdam & indignam à tot magnis alioqui & primæ notæ hominibus perpetrari. Et quidni mirer, imò doleam, imò indigner & abominer rem & rectæ rationi & ipſi naturæ adverſantem? Ecce enìm teſtem adduco Phocylidem, qui magnam Ethicæ & Oeconomiæ diſciplinæ partem, leges certè in contrahendis colendiſquè conjugiis, memorabilibus complexus eſt verbis, quæ meritò hîc inſeram:

Chriſtianos decet ſanctitas.

Concubitus impurus, etiam ille neſandus, ipſis impiis damnatus, qui fit cum maſculis, à multis Chriſtianis committitur.

Μὴ προαγωγεύσῃς ἄλοχον, σέο τέκνα μιαίνων.
Οὐ γὰρ τίκτει παῖδας ὁμοίους μοιχικὰ λέκτρα.
Μητρυιῆς μὴ ψαῦε γε δεύτερα λέκτρα γονῆος.
Μητέρα δ' ὡς τίμα, τὴν μητέρος ἴχνια βᾶσαν.
Μὴ δὲ κασιγνήτης ἐς ἀποτρόπον ἐλθέμεν εὐνάς.
Μηδ' ἐπὶ παλλακίδεσσι πατρὸς λεχέεσσι μιγείης.
Μηδὲ γυνὴ φθείρῃ βρέφος ἔμβρυον ἔνδοθι γαστρός.
Μηδὲ τεκοῦσα κυσὶ ῥίψῃ καὶ γυψὶν ἕλωρα.
Μηδέ τις ᾗ ἀλόχῳ ἐγκύμονι χεῖρα βάλητοι.
Μηδ' αὖ παιδογόνον ποτὲ τέμνειν ἄρσενα κοῦρον.
Μηδ' ἀλόγοις ζώοισι βατήριον ἐς λέχος ἐλθεῖν.
Μηδ' ὕβριζε γυναῖκα ἐπ' αἰσχυντοῖς λεχέεσσι.
Μὴ παραβῇς εὐνὰς φύσεως εἰς Κύπριν ἄθεσμον.
Οὐδ' αὐτοῖς θήρεσσι συνεύαδον ἄρσενες εὐναί,
Μηδέ τι θηλύτεραι λέχος ἀνδρῶν μιμήσαιντο,
Μηδ' ἐς ἔρωτα γυναικὸς ἅπας ῥεύσῃς ἀκάθεκτον.
Οὐ γὰρ ἔρως θεός ἐστι, πάθος δ' ἀΐδηλον ἁπάντων.
Μηδὲ κασιγνήτων ἀλόχων ἐπὶ δέμνια βαίνειν.
Στέργε τεὴν ἄλοχον. Τί γὰρ ἡδύτερον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέῃ φίλα γῆρας ἄχρι,
Καὶ πόσις ᾗ ἀλόχῳ, μηδ' ἐμπίσῃ ἄνδιχα νεῖκος;
Μηδέ τις ἀμνήστευτα βίῃ κούρῃσι μιγείη.

** al. θηρέσσ' ἄρσην συνέυαδεν ἐς εὐνήν.*

Ne proſtituas uxorem, liberis tuis maculam aſpergens
Non enim ſimiles progignunt filios adulterini lecti.
Novercæ ne attinge ſecundos parentis lectos;
Sed ut matrem cole, quæ matris veſtigia inſiſtit.
Nequè in averſandum ſororis cubile venias:
Nequè pellicum patris lecta commiſcearis.
Nequè mulier conceptum fœtum corrumpat in ventre;
Nequè poſt partum canibus projiciat aut vulturibus lacerandum.
Nequè ullus ſuæ conjugi gravidæ manum afferat.
Nec item generationi aptum puerum marem unquam exſeca.
Nec cum brutis animalibus initorum in torum venias.
Nec petulanter mulierem viola ob pudendum concubitum.
Ne naturæ toros tranſilias ad Venerem nefariam:

Ne

Ne ipſis quidem feris maſculi complacuerunt tori.
Nec item fœminæ maſculorum concubitus imitentur.
Nequè amore mulieris totus diffluas effreni:
Non enim amor Deus eſt, ſed affectus occultus omnium.
Nequè fratrum uxorum conſcende cubilia:
Tuam ama conjugem. Quid enim ſuavius & præſtantius,
Quàm ſi viro conſentit caro uxor uſquè ad ſenectam,
Et maritus ſuæ uxori, neque inter eos incidit contentio?
Nequè quis ſinè deſponſatione violenter puellis miſceatur.

Gentiles multa Chriſtianæ pietati conformia tradiderunt.

Quis virtutis ſtudioſus non libenter hæc, proxima pietati Chriſtianæ monita, utpote à recta ratione dictata legat? At ſunt pluria ejuſdem generis, de non ducenda mala uxore, de ducenda potius probâ quàm pecunioſâ. Quàm verò egregium illud de non committendo divortio? quod proh dolor! citrà adulterii crimen, voce divinâ exceptum, levibus quandòquè de cauſſis fit inter Chriſtianos, cum pulchrè *& docerè omnibus conjugii juribus à Legiſlatore Numa Romæ poſitis.* Anno demùm ab V. C. 230. Sp. Carbilium primum uxori nuncium ob ſterilitatem miſiſſe notet Plutarchus, ità ut cenſoribus facinoris inſolentis rationem reddiderit, & hoc Nævii Poëtæ dicacitatem mordacem ad loquendum coram populo permoverit. Quàm pulchra & illa, de non inducendo nuptias nuptiis, de leniter tractandis & caſtigandis liberis, de cavenda pæderaſtiâ rabidâ, ibidem rurſùs, ut & aliàs in brevi illo carmine monitorio acri ſtylo notatâ, deque cuſtodienda anxiè antè nuptias virgine! Quæ cuncta profectò cunctis Chriſtianis in agenda vita & regenda familia ſunt diligentèr obſervanda, cum inter eos frequentia, proh dolor! occurrant exempla eorum, quos deteſtatur Plutarchus, eò quòd *vel unam illicitam voluptatem quæ vel dolore emta noceat, morte redimendam putent.* Lib. de lib. educ. Atquè ego nefandum illud crimen, quod olim nonniſi igne ſulphureo deſuper demiſſo in Sodomitis divina juſtitia expiavit, meritò hìc acuto ſtilo confodio; nam dum hunc teneo, Romæ id nuper Virum Principem alterum Profani, alterum Sacri ordinis perpetraſſe, teſte publicâ hìc & alibi gentium famâ notatis omnibus circumſtantiis accepi.

Polygamia à gentilibus damnata.

Voluptas cum dolore juncta fugienda.

Sed paululùm evagati in viam redeamus. His dico, ut & ebrietatis, comeſſationum, quæ diuturnâ conſuetudine legis naturam induerunt, tùm & vanæ oſtentationis ac faſtûs cupiditatibus ardet mundus, etſi ardere in cælo Cometam, unum poſt alium videat. Videt nimirùm talia portenta, ſed ridet. Videbit fortè & ridebit hæc quoquè noſtra, licet ſaluberrima, monita, & inepta ac intempeſtiva dicet, & in illa impii Apoſtatæ Juliani (quem Deus ſeveritatis ſuæ exemplum omnibus ſeculis propoſuit) verba erumpet; *Vidi hæc, legi, contempſi.* Quibus ille de Sacra Scriptura uti auſus eſt, qualia impia dicta & facta ficta eſſe præſtiterit, ut de talibus gravem ſententiam Plutarchus pronunciat. Sed enim firmiter ſpero multos quoquè libenter hæc lecturos, & in præſidium vitæ honeſtæ beatæquè, grato non ſolum vultu (qui ſæpè cum fronte, oculis & ore mentitur, & facilè vel ab infimis adulatoribus induitur decorus) ſed & animo accepturos. Tùm verò mihi quoquè ſuffecerit, ut *mihi canam, & Muſis*, quod olim Antalcidas dixit, ego autem addo, cunctis bonis, cumprimis autem Meo, liceat confidentèr dicere, Rautenſteinio, talia à me jure requirenti, tùm & liberis meis cariſſimis. Alioqui ſi vel dicere neceſſum foret: *Satis ſunt mihi pauci Lectores, ſatis unus, ſatis nullus*, operæ tamen pretium, quia boni Viri bonum publicum amantis officium ſimul facerem, nec eam oleumque, quod, etiam Illuſtriſſimâ D. Veſtrâ prudentèr & amicè ut hìc cautè agam, identidem monente, impendo, perderem, quippe pro virili viros Chriſtianos ab æterna perditione revocare ſtuderem. Atquè hæc etiam cauſſa eſt, quæ me impellit, ut non tantùm coràm aliis, ſed & coràm ipſis popularibus meis, iiſque Viris illuſtribus teſter, me metuere & veluti prævidere ſiniſtra patriæ fata, ni juſtitiam poſtliminiò revocet, & leges ac

Cometas & alia ſigna cæleſtia nil curant impii.

Julianus Apoſtata ſeverè à Deo punitus.

Conſcientia ſola operæ pretium facit probo ſcriptori.

 mores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mores emendet, ac Deo ſe ſubmittat. Nam quiſque noſtrûm ex libera Republica conſcientiæ cauſſâ contrà tot Majorum fœdera, ſub vinculo juramenti, ſub fide, honore & conſcientiis ſancita, & Regum quinquè juramenta toties circà electionis & coronationis actus ſolemnitèr repetita, contrà tot leges publicas regni, quæ cunctis de libertate religionis abundè cavent, pulſorum, clamat cum Nævio debitâ incolumi modeſtiâ: *indignè exigor patriâ innocens.* Sed non mirum quòd id Lubieniecius vel alius aliquis civis, cum idem Lubomirſcius, primi ſubſellii Senator dicat. Nempe hîc veriſſimum eſſe patet illud antiquæ

Exempla mala latè ſerpunt.

prudentiæ monitum: *Mala exempla non ibi conſiſtunt, ubi cæperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſimè evagandi ſibi viam faciunt: & ubi ſemel recto deerratum eſt, in præceps pervenitur.* Paterc. l. 2. hiſtor. c. 3. Tàm gravi utpote ab excelſo dignitatis & fortunæ gradu, caſui tanti Viri indoleo. Licet autem litem ejus nolim facere meam, eventum tamen lætum difficillimo iſti negotio opto, ſed & ſpero. Nec deſpero talem & noſtrûm exſilium habiturum:

Deus ſuos caſtigat eorumquè miſeretur.

Exſilii ſors patienter ferenda ſpe melioris.

quorum tandem Deus, qui ob peccata noſtra tantum in nos malevolìs permiſit, quantum ſatis & opus eſt caſtigatorum miſerebitur. Ita nempe ſemper verum fuit, quod docet Plutarchus libro de exſilio, patienter tolerandam eſſe hanc ſortem, licet acerbam, ſpe melioris. Ibidem allegat vetus dictum Euripidis ſalvâ Autarkejâ tenendum:

Αἱ δ᾽ ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας

(Spes paſcunt exſules)

Spes adverſa condit.

Exſulum Polonorum innocentia, pietas in patriam, modeſtia & ſpes.

Patriæ amor ab exſule quoque debetur.

Nam ſi unquam, in adverſis certè, ſpes eſt dulce miſeriarum condimentum, & ſinè hâc miſerrimi forent mortales, qui dum ſpirant, libenter ſperant. Hanc nobis ingenerat conſcientia innocentiæ, tùm pietatis in patriam indeſinentis & incorruptæ modeſtiæ, quæ vel magni illius Camilli, qui alter Romulus, Imperii conditor dictus eſt, exemplo, *magis nos patriæ quàm injuriæ meminiſſe* jubet. Nimirum vel ipſâ ratione ſobriâ docente diſcimus, & *Athenis olim optimo cuique, ut in exilium pelleretur, accidere ſolitum fuiſſe*, ut Cicero 2. de Orat. occaſione Thucydidis ſummi apud Athenienſes Viri patriâ ejecti teſtatur. Legimus Romæ eandem ſubiiſſe ſortem Camillum illum, Cæſonem Quintium, M. Servilium Ahalam, & ipſum M. Tullium, Viros Præſtantiſſimos, & de Republica optimè meritos, ſed tamen, teſte eodem Tullio, rurſus ab eodem placato populo in ſuam priſtinam dignitatem fuiſſe reſtitutos. Orat. pro domo ſua ad Pontif. Quod etiamſi abſit, Philoſophia Tullii, & longè ante eum Socratis, (qui ei Pa-

Patria forti Viro totus orbis eſt; ſed Chriſtiano ſolum cælum.

rens eſt Philoſophiæ) omniumque ſui cultorum docet, Viro forti totum terrarum orbem urbem unam, eidemquè omne ſolum patriam eſſe, niſi quòd tamen Chriſtiana Philoſophia longè illâ perfectior addat, *Chriſtiano ſolum cælum patriam eſſe.* Sed hæc pauca in defenſionem & ſolatium cauſæ noſtræ coram notæ probitatis perſpectæque fidei Amico dixiſſe ſufficiat. Quid autem ego Illuſtriſſimam D. Veſtram, & morbis & negotiis gravibus onuſtam, cælum, terras mariaquè mecum pererrare, & exilii acerbam ſortem ſenſu humanitatis deguſtare

Amicorum omnia communia, læta triſtiaquè.

facio, ſaltem hùc illùc mecum circumduco? Habet hoc amicitiæ fides, ut amicorum cuncta proſpera adverſaquè faciat communia. Ego verò dum Cometam intueri volens cælum & terram obeo, comitem itineris mihi meum (patiatur velim Illuſtriſſima D. Veſtra ut indulgeam tantùm amicitiæ & affectui) Rauten-

Comes itineris facundus multum juvat.

ſteinium adjungo. Nempè enim facundus comes in itinere pro vehiculo eſt. Inter hæc confabulamur, & invicem aliquid diſcimus, & vel nos vel alios quod ex uſu ſit, docemus, non ſinè mutua oblectatione & utilitate publicè privatimquè ſe ubertim diffundente. Itaquè propoſitum iter proſequamur. Ego Illuſtriſſimæ D. Veſtræ veſtigia legam. Verendum eſt profectò ne multi, iique rerum

Ambitio orbem commovet.

in ſeculo potientes, libidine ambitionis, inveterato illo malo, ad novandas & confundendas res, ipſis quoque fœderibus ac publicâ juratâque fide ſancitas, impellantur. Nam ſi carnis ſuſurris faciles præbent aures, ſicut adhuc, ſi libidi-

nibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nibus obediunt, multiplici illecebrarum paratu pectora fraudibus patentia appetentibus, ſi oculos animi corporiſquè ad tot vanas mundi oſtentationes convertunt, minimè mirandum eſt eos vel non animadvertere vel ſpernere Cometas, aliaquè ſigna & portenta cæleſtia, quæ improbitati triſtia portendere dubitandum non eſt. Soleo ego dicere (ſi tamen in re tàm ſeria ita quoquè jocari & ridendo dicere verum licet) nos pluſquam æternos eſſe, cum non uni æternæ paci, ut noſtrâ ætate, ita jurata fide conventæ ſuperſtites ſimus. Patitur & Polonia noſtra violatæ à Moſcis, fluxæ fidei gente, pacis mala. Nec mirum, quia & ipſa tot vinculis, paulò antè recenſitis, publicæ fidei adſtrictam diſſidentium de religione pacem violavit, Deo pœnæ ſeveritatem criminum rationi nunquam non juſtè attemperante. Ita verò eſt, nonniſi in æternæ providentiæ libro, quæ fata Poloniam maneant, reperiri poſſe. Sed ut merito aſſerendum eſt, tot præcedentes multiplicis iniquitatis noxas, nonniſi tritâ rigoris juſtitiæ divinæ viâ triſtia ſupplicia ſubſecutura, ita & verendum eſt ne à pluribus ſimul initæ pacis corruptoribus Reſpublica illa florentiſſima diſtrahatur & in partes diſcerpatur. Atquè hoc quidem me ab aliquot annis vereri, & Illuſtriſſima D. Veſtra & multi alii norunt. Verumtamen optima quæquè precor cariſſimæ patriæ, licet tantum novercanti, & verè dicere poſſum nec me, nec Fratres meos illius pietatis debitæ in patriam oblitos eſſe, imò pro ea reſtituenda & conſervanda ardenter Deum orare, *in exilio patientes, ut in honorum curſu temperantes Philoſophiæ beneficio*, ut ait Cicero in Conſolat. quod de illa cæleſti Chriſtianis tradita longè meliori jure dicendum eſt. Habet autem & patria noſtra vel in his Cometis ſat efficacia juſtitiæ monita, niſi animum in vitia obfirmare velit. Alioqui vix fieri aliter poteſt, quàm ut altera fundamentali Reipublicæ lege de libertate religionis ſublatâ, illa quoquè prior de libertate electionis, haud leviter adhuc convulſa, tollatur. Qua ratione ne tota libertas Polona, tot ſeculis totquè nationibus celebrata & expetita, rueret, meritò metuendum eſt. Non enim ullum ejus certius & præſentius experimentum, quàm libertas religionis erat. Ideò antequam hæc ſtabilita eſſet, Pontifices in Republicâ magnam juriſdictionem, ab improvida pietate ſibi conceſſam, nec non illorum arrogantiâ facilitatem Nobilitatis ſuperante auctum, obtinuerant: ita nempe, ut de fortunis, honore & capite Equitum, obtentu hæreſeos, ſententiam dicerent, juris Regii conſortes. Atquè hæc iniqua juriſdictio in cauſa Orichovii, honeſtum matrimonium, legis divinæ & antiquæ praxeos Eccleſiaſticæ auctoritate, cum Sacerdotali munere copulantis, infracta, legibus Conventuum Regni Petricoviæ Anno 1562. & 1565. habitorum, tandem ſublata eſt. Sed nunc iterum ſtabilita eſt, reductâ in perniciem libertatis lege Jagelloniâ, quæ hæreticos, aut hæreſi infectos vel ſuſpectos de eadem, fautores eorum vel directores, Epiſcoporum & aliorum Sacerdotum examini, aut Magiſtrorum hæreticæ pravitatis ad hoc à ſede Apoſtolica deputatorum vel deputandorum ſubjicit. Ita tota libertas ruit. Sed de his ſatis.

Libidines multiplicibus artibus homines ſeducunt.

Deus pœnas meritis accommodat.

Exſulum Polonorum pietas in patriam, patientia, modeſtia.

Libertate religionis violatâ libertas electionis ſalva eſſe non poteſt.

Libertatis civilis certiſſimum experimentum libertas religionis.

Quæ Illuſtriſſima D. Veſtra ad R. P. Curtium de Cometa ſcripſit, mihi pergrata ſunt, tùm quia à prudentia boni publici ſtudioſâ, tùm quia à manu mihi quoquè ſpeciatim benevolâ & favente profecta eſſe comperio. Hiſtoria Viri illius Doctiſſimi cæleſtis, ſicut Mundus ſubterraneus R. P. Kircheri, erunt bina opera præſtantiſſima, quæ Cometographiæ Clariſſimi Hevelii aſſociata, plurimum lucis in cognitione rerum cæleſtium & terreſtrium ac ſubterranearum orbi erudito adferent. Et ego ſpero Hevelianam humanitatem notam ἀντίδωρον ἀντάξιον Curtianæ non negaturam. Habet enim quo rependat acceptum officium, omnigenis divitiis, illis præcipuè ingenii præſtantiſſimis, abundans. Sed & hæ non ſemper fateor ad præſtandum quod laude dignum velis, ſufficiunt, ſi nimirùm dura ſors animum ad terram deprimat. Quamvis enim is ad excelſa contendat, eamque vincere teneatur, nec raro vincat, fit tamen, quæ eſt humanæ naturæ fragilitas, aliquando ut adverſantis fortunæ machinis excelſa & fortis alioqui

Paupertas etiam ſapienti & probo Viro gravis.

mens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

- - - mens expugnata fatiſcat.

Paupertatem Vir fortis fert præclarè.

Non quivis cum Ælio *Tuberone*, Viro optimo, & quo *nemo Romanorum paupertatem præclarius tulit*, teſte Plutarcho, invictæ fortitudinis laudem conſequi poteſt. Nec quivis Ariſtidis, illius cognomento Juſti,

- - - quem mirabantur Athenæ;

imò tota Græcia, animum heroicum & ſui ipſius victorem induere poteſt, ut *in imperio quoquè poſitus perpetuò non minoris paupertatis quàm trophæorum gloriam faciat*, quod de Ariſtide prodit Plutarchus, ita ut *ejus paupertatem lætam ac conſtantem Judices ſibi, quàm divitias anxias & avaras Calliæ Athenienſium ditiſſimi, obtingere maluerint*. Nec tamen paupertas hominem ſapientem, præſertim verò

Chriſtianus fortis Vir, Victor mundi paupertate ad inhoneſta non cogitur.

Chriſtianum, mundi & omnium quæ in mundo ſunt vel victorem, vel certè contemptorem, ad ea quæ per ſe inhoneſta ſunt, adducere poteſt. Nec audiendus hîc Horatius:

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere & pati,
Virtutiſquè viam deſerit arduæ.

Quin potius Plutarchus: *Pauperies enim per ſe turpis non eſt, ſed indicium ſi ſit ſocordiæ, intemperantiæ, prodigalitatis, imprudentiæ. Viro autem temperanti, laborioſo, juſto, forti, & qui omnibus virtutibus præditus in publico verſatur, magni animi teſtimonium præbet. Non enim poteſt magnas res gerere, qui parva curat, nequè multis indigentibus auxilium ferre, qui ipſe multis opus habet.* Quæ licet vera ſint & à generoſa virtute profecta, tamen & hîc valet illud Horatii:

Modus in omnibus tenendus eſt.

Eſt modus in rebus: - - - - - -

Paupertas Viro honeſto, quantum licet, vitanda.

cum facilius iſta dicantur quàm ſiant: nec præcludendus eſt vel ſufflaminandus innocuæ induſtriæ rem honeſtis artibus parare & augere, citrà virtutis neglectum contendentis curſus. Ideo optima eſt illa ſapientia, quæ novit abundare & deficere, ſatiari & eſurire, quam illuſtri ſuo exemplo docet Heros ille Apoſtolorum Paulus, qui & avaritiam deteſtatur, & autarkejan commendat, quam Illuſtriſſima D. Veſtra divitem jurè pronunciat, nam in avaris, quod mirum & monſtro affine, copia parit inopiam &

Avaritia ſemper inops.

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit,

Temporis avaritia laudanda.

ac ut in hydrope ſitis ipſo augetur potu. *Solius* autem *temporis honeſtam eſſe avaritiam*, rectè judicat Seneca. Hoc ego & nunc quantum per alias occupationes licet, impendo ſtudiis, etiam Græcis. Illi enim genti non tantùm eloquentiæ & Mathematicarum artium, ſed & totius Philoſophiæ, Romanis autem virtutis gloriam toties adſcribit

Romani maximus auctor
Tullius eloquii,

qui etiam Græca Latinis jungenda eſſe verbis & exemplo probat, quod & tot alii Viri docti faciunt. Liberorum educatio & inſtitutio quàm curæ & cara ſit oportet, docet præ cæteris Plutarchus ſpeciali libello (qui cunctis non tantum cariſſima pignora, ſed & bonum publicum amantibus ſingulariter commendatus ſit oportet) docet recta ratio, ſed & ipſa natura: tùm demùm omnium perfectiſſimè Scriptura divina, omnis perfectionis magiſtra. Has virtutes laudeſque omnes in memoriam cunctis revocat iſte quoquè novus Cometa, fidelis Conſiliarii & Concionatoris cæleſtiſſimo ore nos ad eas ſectandas monentis vice. Qui alioqui multa mala portendit, illis nempè officii negligentibus; non ſolùm maris accolis, ſicut ex relatione quorundam Mathematicorum Reverendiſſimus ille

Epiſcopus

Epiſcopus putat, ſed in media quoquè continenti habitantibus & iniquitati operantibus. Utinam & ille & alii ipſi ſimiles his tot cæleſtibus ſignis prælucentibus in viam redeant rectam! Legant & expendant inter alia S. Bernhardi libros 5. de Conſideratione ad Eugenium Papam: & parietibus non tantùm Palatiorum, ſed & cordium inſcribant illa S. Gregorii verba: *Quid dicturi ſumus nos Epiſcopi, qui honoris locum ex Redemptoris noſtri humilitate ſuſcepimus, & tamen ſuperbiam hoſtis ipſius imitamur?* Epiſt. ad Joan. Patriarcham Conſtantinopolitanum. Lipſium imitari meum non eſt. Vir fuit ſummæ eruditionis & inter Decem-viros (ne dicam Trium-viros) Reipublicæ literariæ cenſendus. Sed quiſque facit in ordine ſuo, ac ſphæra activitatis ſuæ, ut in Scholis loqui amant, quod poteſt. Utinam omnes bono publico! Meum certè non eſt aliud inſtitutum. Huic fini ex conſilio & voluntate Illuſtriſſimæ D. Veſtræ aliorumquè Amicorum, quorum magna eſt apud me auctoritas, ſeligo & accumulo identidem egregias Præſtantiſſimorum Auctorum ſententias. Hæ enim, allucente præſertim exempli face, viam ad virtutem monſtrabunt iis qui eam non tantùm quærere, quod rarum, ſed & ingredi, quod rarius, tum & eam preſſo & ſtabili pede, quod rariſſimum eſt, voluerint. Atquè hoc virtutis & publicæ utilitatis ſtudium, tùm & efficax Illuſtriſſimæ D. Veſtræ exemplum excuſabit, ut ſpero, genii mei impetum, qui me ſæpius abripit, ut longiores ſcribam epiſtolas. Qua in re ſi in leges epiſtolæ pecco, non tamen in illas commendandæ virtutis, promovendæ utilitatis publicæ & fovendæ noſtræ amicitiæ. Tantò plus cum ſciam Illuſtriſſimam D. Veſtram tales epiſtolas à me exſpectare, & jure ſuo exigere. B. V.

Quiſque agat quod poteſt.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 23. Aprilis 1665.

N. 25. ad 22.

NOvum Cometam & hìc obſervatum, jam antè ſcripſi. Neſcio quid ille & mihi minetur, quamvis non viſus: nam valetudinem labaſcere ſentio non parùm. Et licet aliquando reſpirem, vereor tamen, ne tàm crebræ recidivæ tandem abrumpant vitæ filum, ſatis fortaſſe tenue & attritum. Uti lucernas videmus paulò poſt interituras radios interdum majores ſpargere, & velut novas flammas projicere, mox uno ictu & improviſo exſtinguendas. Ita homines ſumus, quales graphicè nos deſcripſit divinus Lipſius, olim meus, dum libris vacare licebat, in Epigrammate Generoſitatis Veſtræ proculdubio noto, ubi nos bullæ, vitro & nihilo comparat. Qualis & ipſe fuit quoad corpuſculum, quod tenue ipſi ac infirmum conceſſerat natura parens: animo verò verè Philoſophico & Chriſtiano, quemquè inter alios P. Drexelius in Patientia ſua & Aurifodina valdè commendat, neſcio annon ſuperârit omnes cæteros; vivido certè, robuſto & uſque ad extremum halitum conſtanti. Sed philoſophari mihi nunc non licet, qui vix hæc pauca effundo, & gallinarum in morem exaro, præter etiam priſtinum meum morem, quo nihil magis oderam, quàm characteres illegibiles, qualibus doctuli quidam, ſed inſcitè, jactare ſe aſſolent. Ex quo verò paralytica peſtis in Polonia me afflavit, neque manus, neque pedes, nec ullum ferè membrum officium facit. Sed in viam. R. P. Curtio nudius-tertius omnia communicanda communicavi. Quicquid reſponſurus eſt, nam ad nuperas ſiluit, fideliter tranſmittam Generoſitati Veſtræ. Præguſtus ſcripti hujus, quem mihi iterum præbet Generoſitas Veſtra, appetitum mihi majorem excitat, illud videndi, tùm quia à manu tàm amica proficiſcitur, tùm quia ab ingenio tàm docto & perito. Licet mihi aliàs omnis quaſi decedat voluptas ſcribendi legendivè libros, quorum antehac quaſi helluo fueram, nec

Homo lucernæ inſtar mox exſtinguendæ radios induſtriæ & probitatis ſpargit.

Homo bulla, vitrum, nihil.

M ſatiare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Rautenſteinii diligentia in comparandis & legendis libris.

ſatiare famem poteram, ita ut hæc voluptas carò mihi conſtiterit, dum aliquot M. Florenos coëmendis libris prodegi, qui poſt mortem meam fortè magis blattas tineaſquè, quàm hæredes meos paſcent, qui alia amare prò libris poterunt, quos ego inter primaria vitæ oblectamenta ſemper habui. Spero autem quamprimùm perfectum erit opus veſtrum, ad me quoquè exemplar aliquod commeaturum, ſi vivo. Polonicarum autem rerum quæ facies, quæ confuſio? Si Lithuani illum eligerent quem nollent Poloni, quid facerent iſti? Fieretne Aquila veſtra biceps, ut noſtra? Faxit Deus ne multiceps etiam fiat, & præda plurium vulturum ipſi inſidiantium. Ego exitum illarum rerum cum deſiderio expecto. Infelices gentes, quæ exteros in ſinum tanquam angues ita recipiunt, ut deinde ex arbitrio eorum dependere cogantur, velut nervis alienis mobile lignum. Id nunc præ cæteris experiuntur Germania, Polonia Italiaquè. Benè Valeat.

Polonicarum rerum ſtatus dubius.

Peregrinis ſumma rerum non eſt concedenda.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N.26. ad 25.

Hamburgo Ratisbonam die 2. Maji 1665.

QUibus potius verbis in fronte epiſtolæ hujus utar quàm illis Horatianis:

Cur me querelis exanimas Tuis?

quibus ægrotum compellat Mæcenatem ſuarum Grande decus columenque rerum. Cum enim & ego Illuſtriſſimam D. Veſtram ſtudio, affectu & munificentiâ in literas earumque cultores Mæcenati ſupparem eſſe ſciam, eandemque pluribus nominibus ſibi me devinxiſſe & devincere continuò, agnoſcam, ſine magna animi commotione & cordolio non legi illa, quibus Illuſtriſſima D. Veſtra morbi ſui pertinaciam & in viſceribus radicatam vim malignam, ideoquè labaſcentem tanto ſub pondere valetudinem patheticè deſcribit. Cæterùm apparitio Cometarum ne terreat eam. Novit enim optimè Viri Sapientis in ipſa quoquè aſtra, quam docto ſuffragio hocce quod adjungo, Clariſſimus D. Buſmannus Med. & Phil. Doct. aſſerit, dominandi & cuncta in uſus ſuos convertendi facultatem. Novit & officium Viri Sapientis, fortis & Chriſtiani cuncta modeſtè ferre, & ſeſe divinæ voluntati per omnia ſubmittere. Quod quidem ſæpè in tot Illuſtriſſimæ D. Veſtræ literis teſtatum habui. Ita ut niſi aliter, hoc certè reſpectu dicere de utroque noſtrûm cum eodem illò Horatio poſſim:

Rautenſteinius Mæcenati æqualis.

Cometa non terret Sapientem.

Sapiens dominatur aſtris.

Modeſtia Chriſtianum maximè decet.

Rautenſteinii & Auctoris animorum conſenſus, & amor ſingularis.

Utrumque noſtrûm incredibili modo
Conſentit aſtrum.

Cæterùm cum utrumquè noſtrûm humanæ conditioni & legibus mortalitatis ſubjectum eſſe meminerim, nollem Illuſtriſſimam D. Veſtram ad metam fatalem me prævenire, vel me Eandem, niſi poſt plura annorum luſtra illùc ſequi: Verumtamen, ſi ita immutabilis divina tulerit voluntas, ut Illuſtriſſima D. Veſtra quod veretur ipſa, præcedat, dicendum cum eodem Horatio mihi erit, aliiſque Amicis, ſincero ſtudio Illuſtriſſimæ D. Veſtræ addictiſſimis

Mortalitatis legi omnes ſumus ſubjecti.

- - - - ibimus, ibimus
Utcunque præcedes ſupremum
Carpere iter comites parati,

cum ſcilicet ordo ſequendi ſerius, citius nos tetigerit. Hâc enim lege lucis hujus uſura nobis eſt conceſſa. Ita novimus, videmus & ſentimus in nobis aliiſque quotidie * nos eſſe imbecillitatis exemplum, arboris folium, temporis ſpolium,

** Homo fragilitatis exemplum, inconſtantiæ imago, flos, umbra, umbræ ſomnium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

lium, fortunæ pilam, tenerrimum & breviuſculum floſculum agri, inconſtantiæ imaginem, calamitatis trutinam, umbræ ſomnium, ſicut inter alios Pindarus canit, velut ex Lipſio (cui nuperis literis principem quoquè in Republica literaria locum tribui, ita hîc quoquè conſpiramus ſententiis) Illuſtriſſima D. Veſtra adfert, vitrum, bullam, nihil. Nempe & humana cnncta nihil, vel certè fumus aut fimus aut funus ſunt. * Atquè ita ſatis amplum exercendæ patientiæ & conſtantiæ, in tanta rerum humanarum inconſtantia, & adverſorum nos undiquè prementium turba, habet campum induſtria. ‡ Quæ meritò Lipſium alioſque Viros egregios imitandos ubi opus eſt, ſibi proponit. Non ſinè debita tamen circumſpectione id facere eam convenit. Nam & magni quique Viri magna habuerunt vitia. Certè in Lipſio (quod non animo obtrectandi, cùm tàm ignobile & fœdum vitium non tantum virtuti & æquitati, ſed & humanitati ipſiquè civili ſocietati inimicum prorſus à me alienum ſit, ſed rei literariæ commodis undiquè providens, monere debeo) Henricus Stephanus, Vir & ſimùl Typographus Doctiſſimus, lib. de ſuſpecta Lipſii latinitate, multa, & Gerardus Joan. Voſſius, noſtri ſeculi Varro & alter Ariſtarchus, quædam notat. Quod tantopere experimenta meæ induſtriæ in opere illo ſeſe exſerturæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ placeant mihi gratulor. In quam rem hodiè quoquè Clariſſimi & Nobiliſſimi Heinſii literas accepi. Non quidem ullo ambitionis pruritu laboro. Sentio tamen à Viris laudatis laudari pulchrum eſſe virtutis præmium. Hæc profectò laus omnes ingenii & induſtriæ meæ nervos intendet, ne eâ planè indignus inveniar. Adſcribo autem ſingulari Illuſtriſſimæ D. Veſtræ favori, quòd cum publicæ occupationes & imbecilliores corporis vires multorum, alioquin egregiorum virorum, commercium literarum linquere imperârint, mecum id aſſiduò, & ſuâ quidem manu, exerceat. Quæ quidem etiamnum bonitate characterum, non tantùm illâ ſtili eximiâ, ſe commendat. Atquè illa quidem fateor eſt non infimum literati hominis placere in vita civili ſtudentis, ornamentum: quicquid dicant illi, quos ignavia quædam propria vel parentum ac præceptorum in malè pingendis literis accuſat, ita ut ſæpiùs ego optare neceſſe habeam, ut ipſi ad me literas deferant & perlegant. Nequè verò dubito hîc quoquè naturale vitium inhabilium meliori curâ & induſtriâ exercitatione, ſicut aliàs fieri videmus, facilè emendari poſſe. Adeò inſtructam ſupellectilem librariam præclaris & precioſis ingenii monumentis refertam, ſed & Clariſſimum Rautenſteinianum nomen genuino carere ſucceſſore ac hærede, eſt quod publicè privatimquè doleam. Sed ferenda nobis ſunt quæ deſuper veniunt, quæquè mutare non licet, æquo animo, ne impatientiâ, & Deum, quo, ut & Seneca teſtatur, auctore cuncta eveniunt, irritemus, cùm murmure & gemitu, mali militis ritu, ductum ejus ſequentes, & ſortem exaſperemus. Verè enim ſecundùm rationem Horatius dixit, occaſione Quinctilii mortis vi abrepti:

Humana cuncta nihil, vel plena ſunt vanitatis, ſordium, doloris.

** Patientia & conſtantia mortalibus pernecеſſaria.*

‡ Imitandi Viri laudati cum delectu & prudentia.

Laudari à laudatis pulchrum.

Laudis vera amor excitat induſtriam.

Naturæ vitia ars & exercitatio corrigit.

Modeſtia Chriſtianum maximè decet.

Æquo animo omnis ſors ferenda.

> Durum. Sed levius fit patientiâ
> Quicquid corrigere eſt nefas.

Atque hæc eſt illa nobiliſſima & generoſiſſima virtus, quâ pectus incaleſcens, plus quam Spartano ſtomacho, qui Catoni & Ciceroni ſpeciatim inter Romanos inditus erat, cuncta dura concoquere poteſt. Hæc illa in omnibus malis adhibenda potens Panacea, quam Illuſtriſſima D. Veſtra non minus dicto quàm facto commendare ſolet. Sed

Patientia aſperam ſortem reddit leviorem & leviorem.

> - - - dabit Deus his quoquè finem

quando nos olim ſupra Lunam, illuſtrem mutationis filiam, & matrem, & Cometas tantarum, mutationum prænuncios, ipſaque aſtra, viciſſitudini quoquè ſubjecta evectos, in cæleſti Regia collocabit. Fiat! Hoc voto finio epi-

Mors ultima linea rerum & tranſitus ad vitam meliorem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſtolam & omnem cogitationem, ac finiam, ubi Deo viſum fuerit, vitam ipſam

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu & ſtudio,

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 26. ad 23.

Ratisbonâ Hamburgum die 27. Aprilis 1665.

QUæ Generoſitas Veſtra de Cometis componit, libenter aliquando video, & non dubito quò diutius hoc opus protrahitur, eò melius illud & perfectius fore. Cæteroquin in hac materia cum Generoſitate Veſtra conſentio, quemadmodum jam antè ſententiam meam de his Generoſitati Veſtræ expoſui. A R. P. Curtio accepi literas die 24. hujus datas, quas adjungo. Nihil præterea reſponſi loco ab eo accepi. Si quid accepero ſine mora mittam, & moneo conſtanter

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Neoburgi die 24. Aprilis 1665.

Bonus & induſtrius Vir, inſtar candelæ, aliis inſerviendo conſumitur.

** Patientiâ in Republica tractanda opus eſt.*

EX literis Illuſtriſſimæ D. Veſtræ id unum diſplicuit intelligere de tentata valetudine. Scilicet hi fructus ſunt itinerum & faſtidiorum, quæ Principum & publici cauſâ ſuſcipiuntur. * Subit non rarò admirari tàm robuſtam patientiam & inveniri adhuc poſſe, qui hoc pretio licitari talia velint. Remitto quæcunquè reperi Cometographica. Eho quàm mox ad illam facem in mari Britannico concurretur? an forſitan etiam hæ proluſiones profundiora habent & arcaniora conſilia? ut hiſce claſſibus omnis infelicitas alios in orbes enaviget. Cæterùm res Sarmaticæ quàm triſtes, quàm perturbatæ! præſertim ſi ſe Lithuania abrumpit, & hic murus hactenus abſtitit, qui ruentes Barbaros arceret. Abrumpo, nec aliter tabellarius ſinit, & me Illuſtriſſimæ D. Veſtræ commendo.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Officioſiſſimus Servitor

A. CURTIUS.

N. 27. ad 26.

Hamburgo Ratisbonam die 6. Maji 1665.

LEntè progredi in inſtituto opere tot inter obſtacula cogor. Enitar autem pro virili moram penſare diligentiâ, quæ fructu ſuo non carebit, quamvis aliquid de gratia celeritatis decerpſerit. Cometam, licet jam diu eſt ex quo diſparuerit, oculis mentis intueri, & unà divinæ ſapientiæ & juſtitiæ indicia perſpicere poſſumus. Curtiana remitto, quæ licet paucula, perplacent. Referre ille mihi Venerem Hiſtoricorum Curtium videtur, niſi quòd aliquando tendat in arduum, ſi tamen ego humi ſerpens

- - - tutus nimium timiduſquè procellæ

Bellum inter Anglos & Hollandos funeſtum.

projectis in altum oculis pervidere aliquid in his poſſum. Ita verò eſt, jam jam velut ad conſpectum illius igniferæ facis Cometalis infeſtas Britanni & Belgæ concurrere claſſes. Optandum meritò eſt, ut hæ nullam advehant calamitatem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tem, ſed eam potius quanta quanta eſt evehant ex orbe noſtro, & deferant

Vitium Chriſtianum apparente Cometa.

> Ultra Sauromatas - - - - & glacialem
> Oceanum.

Sed hoc fieri nequit, quamdiu hic vel ille inexplebili avaritiâ

Avaritia & ambitio bellorum cauſſæ.

> - - - aut miſerâ ambitione laborat.
> Hunc capit argenti ſplendor. Stupet Albius ære:
> Hic mutat merces ſurgente à Sole, ad eum quo
> Veſpertina tepet regio; quin per mala præceps
> Fertur, uti pulvis collectus turbine: ne quid
> Summa deperdat metuens, aut ampliet ut rem.

Hæc tamen in avaros dicta laudatæ induſtriæ applicari nolim. Cogitare quis hîc poſſet duos illos populos, maris accolas, mariquè potentiſſimos, licet ejuſdem religionis nexu junctos, nil niſi ambitioſum maris imperium & auri ſitim committere. Et verum quidem eſt bellum hoc provenire ex ortis inter Societates Indiæ Orientalis & Occidentalis rei vagis commerciis ampliandæ intentas, controverſiis, quæ Ordine Fœderatæ Belgicæ, fruſtrà tentatis omnibus pacis ſervandæ artibus, velut reluctantes bello difficili involvant. Verum tamen Batavi publicè privatimquè ſcribunt & teſtantur, ſe ſolâ extremâ neceſſitate & vi Brittannorum, qui ſe priores aggrediantur, ad juſtam ſui ipſorum defenſionem impelli. Quod uti in medio mihi relinquendum eſt, ita pauca quædam publicè utilia futura, & ad univerſos æquè pertinentia, quin ex inſtituti & amicitiæ noſtræ ratione proferam, teneri non potui. Pallebit jam judicio Diogenis aurum Africanum & Indicum, dum Chriſtianos hic illic, ſacrorum & civilium vinculorum oblitos, non tantùm ſibi inſidiantes, ſed & pro adeptione ſui belligerantes videbit. Non tamen ita pallebit, quin fulgore ſuo aciem avaram eoquè excœcatam trahat & pellat in terras alio Sole calentes, per tot marium, ſaxorum, ſcopulorum, multorum oſſibus albicantium, & brevium impedimenta, ut quamvis oculis, illis animi fulgore aureo præſtrictis, captus hùc illùc currat homo lucrum & inania captans

Belli inter Anglos & Hollandos cauſſa & ratio.

Hollandi pacem cum Anglis optant & quærunt.

Auri ſitis in Chriſtianis notatur, ut bellorum cauſſa.

Mercatorum pleriquè avaritia laborant.

> Unde venit Titan, & nox ubi ſidera condit
> Quaquè dies melius flagrantibus æſtuat horis.
> Et quà bruma rigens ac neſcia ferè remitti,
> Aſtringit Scythicum glaciali frigore Pontum.

Fulgor iſte Cometæ ſive ſit ſimplex, ſive geminus, ſive trinus (hoc enim nunc in medio relinquo) poſſet illum auri, ſi ſe faciles divinis monitis mortalium mentes præbent, abſorbere. Sed ſi olim, teſte Plutarcho, non à Philippo (illo Macedone, qui nullam urbem arcemvè tàm munitam eſſe, in quam aſellus auro onuſtus intrare non poſſit, dixit & ſuo exemplo docuit) ſed auro ejus urbes Græciæ eſſe captas didicimus: vereor ut & noſtri, Chriſtiani licet, mercatores perſuaderi ſe patiantur, quominus blandientis auri amore capiantur. Adhuc quidem contrarium videmus. Nempe aureus ille imber (quem in ſinum Danaës tàm arctè cuſtoditum olim influxiſſe, & ex hoc Perſeum illum non minus aſtutum, quàm fortem, tot ſpoliorum raptorem & hoſtium victorem, Palladis & Mercurii ingenioſis artibus armatum, natum eſſe fabulantur Poëtæ, vim & fraudes avararum divitiarum adumbrantes) & Chriſtianorum populorum munitiſſimas urbes & arces, ſed tamen ſtudio magno deductus implevit, & tot excluſit Perſeos, cibiſi ſive pera avaræ cupidinis, & talaribus celeritatis, & Mercuriali gladio callidæ fortitudinis, & clypeo prudentiæ Palladio, & galeâ Plutoniâ raræ felicitatis inſtructos. Egregios Heroas! arma impenetrabilia & victricia animumquè virilem indutos, ſi pro veris gloriæ ex ſa-

Cometa officii admonet mortales.

Avaritia perdidit Græciam, perdit & alias Reſpublicas.

Aurum omnia penetrat.

Auri ſitis in Chriſtianis notatur, ut malorum cauſſa.

pientiæ ac virtutis ſtudio provenientis divitiis certarent, vel ſi etiam hæ iſtis artibus pararentur. Atqui tamen id hoc ferreo ſeculo agunt Præſules ipſi. Quanquam & olim id notavit candida induſtria. Ita enim legimus Cæleſtinum Papam, cum Epiſcopi Bellovacenſis, ab Anglis Gallias bello atroci invadentibus capti chlamys, ad ſe cum acerba quæſtione: *Vide an hæc filii tui tunica ſit?* miſſa eſſet, reſpondiſſe: *Nec meus, nec Eccleſiæ, ſed Martis iſte eſt filius.* Et quem latet tot olim Pontifices pios contra Pontificum vitia multa cum libertate laudeque dixiſſe & ſcripſiſſe multa? Hos etiamnum ut ſacrorum duces animarumque cuſtodes, ſed & omnes mortales officii ſui commonet, exhibitis tot Cometis & ſignis in cælo Deus, qui *non vult mortem peccatoris, ſed potiùs, ut convertatur & vivat*, utpote tùm Conditor, tùm Deus, tùm Servator omnium. Illa Cometæ delineatio nuperrimi à C. P. Curtio miſſa, perquam mihi grata eſt. Præſtolor reſponſum ejus, velut mutuam officii humanitatis vicem. Quæ tanto gratior erit, quanto illuſtriori parabitur parario, meo ſcilicet Rautenſteinio, cui ego æternùm ſum

Epiſcopus bellator infelix.

Deus omnes ad pœnitentiam & ſalutem æternam invitat.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & obſequio addictiſſimus

Stanislaus Lubienietzki.

N. 27. ad 24.

Ratisbonâ Hamburgum die 30. Aprilis 1665.

GRatulor Cometam Generoſitatis Veſtræ luculentam de variis rebus notitiâ dignis mecum conferendi præbuiſſe occaſionem. Ut id dicam, faciunt & poſtremæ ejus literæ die 22. hujus menſis ſcriptæ, ſatis, ut & aliæ hoc tempore, longæ & proinde gratæ. Vellem ut & vires mihi ſufficerent & tempus, quò ritè iis ſatiſfacere queam. Approbo autem omninò Generoſitatis Veſtræ philoſophandi modum, & video eandem magno niſu ad priſtina illa ſtudia juventutis redire, & in hac virili ætate majori cum judicio & fructu illa recoquere, quæ juvenes legimus & vix intelleximus. Quod eſt pleno greſſu ferri ad illa

Studia juvenilia repetenda, & maturo judicio recoquenda, inque uſum convertenda.

Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena.
Mihi idem animus eſſet, ſi tempus.

Nunc adſpicio quotidie libros: vix inſpicio. Dogmata autem olim ex iis hauſta ipſo vitæ uſu & experientiâ, gravi ſæpè & aſperâ magiſtrâ, jam comprobo. Utinam ad æternam ſalutem!

Experientia ſæpè moleſta magiſtra.

Dicam ebrietati in Germania ſcribere, arduum eſt, fateor: neceſſarium tamen. Atquè utinam omnes qui præſunt, eam ſeveris legibus proſcriberent, & ſub infamiæ pœna interdicerent! Sed hæc optanda tantùm ſunt, non ſperanda. Cum verò & apud alios populos increſcat ebrietas, eò magis perſequenda & eradicanda eſt. Librum autem Generoſitatis Veſtræ de Cometis, his & ejuſcemodi aliis aureis ſententiis refertum eſſe planè non dubito, eoquè magis eundem ſuo tempore videre geſtio, & meritò hæc & alia ejus generis virtutis amantibus proponi judico. Utinam verò in hoc depravato & perverſo ſeculo mercedem tot laboribus dignam Generoſitas Veſtra inveniat, & campum ubi occupet cum ſuo & publico fructu egregias animi & ſtyli dotes! P. Curtio nudiustertius ea denuò ſignificavi, quæ Generoſitas Veſtra deſiderat: quid mihi reſponſurus eſt, ſtatim communicabo. Vereor autem hominem ſenectute & aliis quæ interveniunt, reddi cunctabundum. De Ingolſtadienſibus Obſervationibus verò alibi quoquè inquiram, ut hoc etiam ad deſideratum Generoſitatis Veſtræ opus conferam

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Ratisbonam die 9. Maji 1665.

N. 28. ad 27.

CUm Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, quæ excellentiſſimâ humaniorum literarum & prudentiæ civilis laude pollet, tantoperè placeant illa quæ operi meo, civilem beatamquè vitam formantia, occaſione Cometarum, tàm illuſtrium non tantùm in cælo ſignorum, ſed & in terra Conſiliariorum ac monitorum inſerere conſtitui: non injuriâ mihi polliceor hæc & aliis ejus notæ Viris ad virtutem laudemquè contendentibus placitura. Imò verò hos non tantùm benignos lectores & æquos judices, ſed & approbatores primùm, dein & ſocios operis fore ſpero. Contrà cæteros magnis me Auctoribus, Rautenſteinio, Heinſio, Hevelio, Bullialdo, & aliis ſeculi noſtri luminibus, quibus inſtituti mei rationes patent, tuebor. Ecce verò Clariſſ. Bullialdi literas Kal. Majis ad me ea de re ſcriptas, hodie mihi redditas! qui poſtquam omnia, etiam Mathematica, ad me hinc inde his quoquè diebus (ut heri à Clariſſimis Viris Placentino & Bütnero ſingularia quædam accepi) miſſa, tùm quæ à variis viris doctis & rei Aſtronomicæ inſigni ſcientiâ præditis, in dies exſpecto, videbit, ſpero eum mihi de inſtituto opere gratulaturum, & nonnihil lucis, alienæ quidem, ſed à fulgentibus in cælo Mathematico ſideribus profectæ, rei Aſtronomicæ me attuliſſe agniturum. Cæterùm vel ob ſola Politica & Ethica inſtitutum meum illi non diſpliciturum in his literis animadverto. Atque hoc mihi ſuffecerit ſolum, paucis quoquè lectoribus, illis ſcilicet ob veræ ſapientiæ & virtutis ſtudium laude dignis, quiquè ſoli de rebus legitimum judicium ferre poſſunt debentquè, contento futuro. Quod etiam palàm in mea ad Lectores præfatione declaro. Quod quæ aliquando in juventute didici, reſumam, & ad uſum hâc maturiori ætate, tantorum cæleſtium ſignorum occaſione, transferam, multis impellor rationibus. Studio ſcilicet (quod mihi antè omnia eſt) boni publici promovendi, bonis cæteroqui laudatis Viris placendi, tùm verò etiam poſteritati meæ conſulendi, ſed & aliis exempla induſtriæ imitari volentibus. Dicam ebrietati ſive ea in Græcia, ſive in Germania, ſive in Gallia, ſive in Anglia, ſive in Polonia, ſive in Hungaria, ſive alibi terrarum inveniatur, impingere, ſi cuiquè virtutis, cumprimis * Sobrietatis (quam tantoperè & toties Cicero, Plutarchus aliiquè graviſſimi Auctores & Præſtantiſſimi Viri dictis & exemplis commendarunt) ſectatori convenit, nec mihi indecorum vel iniquum, licet peregrino, videri poteſt. † Vitio enim vertendum nulli eſt qui vitia excutere ſtudet, idque boni publici, in quod ebrietas infinitis peccat modis, reſpectu citrà omnem verborum acerbitatem (quâ, illa præſertim, quæ cum contumelia aliqua conjuncta eſt, monita ſatis per ſe gravia & ingrata, careant par eſt) agit. Ejuſcemodi ſalutaribus monitis, quæ nuſquam non apud virtutis ſtudioſos locum inveniunt, refertum erit opus meum, quod mihi nec labore (inter tot & tantos præſertim alios labores continuò exantlandos) nec ſumtu exiguo conſtabit. Spero autem illud non paucos Fautores, quoſdam etiam Patronos & Mæcenates inventurum. Certiſſimam tamen & optimam mercedem exſpecto à Deo, qui optimè cordis mei inſtituta novit, & conatus meos pervidet. Semper enim ſingularem ejus & verè paternam providentiam adhuc expertus ſum. Venio ad alia properante ad finem epiſtolâ. Apud R. P. Curtium velim Illuſtriſſima D. Veſtra reſponſum urgeat. Magni enim facio Virum illum ob eximiam eruditionem, quam in literis ejus, licet brevioribus, ad Illuſtriſſimam D. Veſtram ſcriptis, perſpicio. Senectus, quæ juventute ut prudentior ita & moroſior ſolet eſſe, ferenda eſt. Nam quod Horatius teſte quotidianâ experientiâ ait:

Auctor in judicio Rautenſteinii benigno idem ſe ab aliis obtenturum ſperat.

Studia juvenilia repetenda, & maturo judicio recoquenda, inquè uſum convertenda.

Ebrietas ubicunquè reperiatur, eradicanda eſt, & à quolibet quidem homine virtutis ſtudioſo.

** Sobrietatem gentilium multi dictis & factis commendarunt.*

† Virtutes quivis urgeat. Vitia quivis arguat.

Senectutis vitia ferenda æquo animo ſunt.

Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quòd
Quærit & inventis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quòd res omnes timidè gelidequè miniſtrat,
Dilator, ſpe longus - - - - - -

hoc

Senectuti multum indulgendum & reverentia reddenda eſt.

hoc & ad fruendas, promovendas & elargiendas ingenii divitias, tenaci reconditas circumſpectæ prudentiæ penu, meritò transfertur. Proinde tùm ob ætatis, canitie venerandæ reſpectum, tùm ob illa incommoda, quibuſcum ſenectus, quæ ipſa morbus & ſibi ipſi gravis eſt, conflictatur, multum ei indulgendum eſt ab illis, qui vel à Spartanis debitum ætati illi honorem reddere didicerunt. Ego certè Senis illius de argumento Cometico reſponſum, cui procul dubio multum inerit judicii, non ſine tædio exſpecto. Sed & Obſervationes Ingolſtadienſes, ob rationem juſtam antehac à me allatam: quibus non parùm opus meum ornabitur. Id autem, ut plurima alia, ſingulari Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ardenti in bonas literas ſtudio flagrantis, favori tribuam, & celebrabo gratus

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu, ſtudio & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 28. *aa* 25.

Ratisbonâ Hamburgum die 4. *Maji* 1665.

PErgratum mihi evenit, quòd Generoſitas Veſtra mecum à Clariſſimis Viris Nicolao Heinſio, Eraſmio Bartholino & Abrahamo de Grau ad ſe de argumento Cometico ſcripta communicare voluerit. Gratulor eidem de ſingulari tantorum Virorum amicitia: & rogo ne gravetur Cl. Heinſio memoriam mei refricare, quam puto Viros ingenii laudibus Clariſſimos Iſaacum Gruterum, Vincentium Fabricium, Joan. Petrum Titium, tùm verò noſtrum Pelſium, alioſque mihi amiciſſimos jam pridem ei commendaſſe. Ipſe certè & parentem ipſius, Virum noſtrâ ætate in Republica literaria Præſtantiſſimum, & illis Magnis ingenio accenſendum (quod adjunctum epigramma teſtabitur) ſed & illum magni ſemper feci, idquè omnibus occaſionibus teſtatus ſum. A P. Curtio heri literas accepi Kl. his ſcriptas, in quibus promittit ſe Generoſitati Veſtræ reſponſurum, nec non Romana & Ingolſtadienſia miſſurum. Sic ſpero me poſt octiduum reſponſum ejus Generoſitati Veſtræ mittere poſſe: atque id etiam inſtitutum opus promoturum eſſe. Quod cum deſiderio opperior, ut & quid interea Neptunus Britannicus, Mars Polonus, aliarum gentium Mercurius laturi ſint. Ego quicquid eveniat, conſtanter ſum & maneo

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Ad Illuſtriſſimum & Generoſum D. Maxim. Andream Fredronem Caſtellanum Leopolienſem.

Grammondus Gallis quod erat, Magnuſvè Thuanus,
Cuiquè dedit nomen Regia Villa ſuum:
Hiſpanis quod Pereſius, Quevedo, Savedra;
Strada, aut Bentivolus Davilavè Italiæ:
Heuterus quod erat Belgis, vel Lipſius ingens;
Quod Batavis Douſæ, Grotius, Heinſiades:
Et quod Orichovius quondam Veſterquè Cromerus,
Hoc nunc Sarmatiæ es, Maxime Fredro, Tuæ.

Leopoli m. Sept. 1660.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Ratisbonam die 13. Maji 1665.

N. 29. ad 28.

GRata Illuſtriſſimæ D. Veſtræ fuiſſe quæ à Viris Clariſſimis Heinſio, Bartholino & Gravio ad me ſcripta communicaveram, libenter intelligo: quia ſemper facio libenter, quæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ grata eſſe cognoſco vel conjicio, ſperoque. Cl. Heinſio Illuſtriſſimæ D. Veſtræ memoriam renovabo proximè. Nec dubito Virum, qui felici connubio humanitatem eruditioni junxit, gratam Inclyti nominis Rautenſteiniani, quod omnes literati cultu & favore proſequuntur ſervare memoriam. Ego profectò multùm mihi gratulor de Utriuſque Veſtrûm ſingulari amicitiâ, cùm non tantùm plurimâ eruditione, ſed & ampliſſimis muneribus publicis velut in excelſo theatro poſiti, emineatis. Danielem Heinſium, hujus Patrem, Virum in Repub. literaria Clariſſimum (quîcum mihi amicitia & converſatio ſuaviſſima, Lugduni Batavorum cum antè annos 16. ibi agerem, interceſſerat, & unà cum Filio tunc in domo paterna agente) & ego magni feci facioquè. Et quis Viri illius Eximii dotes ingenii & præclara monumenta ignorat? Non dubito autem Illuſtriſſimam D. Veſtram ea quoquè vidiſſe, quibus iſte quoquè paternis inſiſtens veſtigiis, divitem ingenii venam orbi literato in Sphæra Poëtica & Critica exhibuerit. Quæ etiam latiùs ſe diffunderet, niſi ſe ſanctioribus rei civilis ſpatiis arctaſſet. Non pauca & ille ad me de negotio Cometico tùm ſcripſit, tùm à Mathematicis Upſalienſibus ſecum communicata ad me miſit: qualia & plura mihi promiſit. Atque hæc ego in unum veluti faſcem collecta, titulo Communicationis Holmiâ Heinſianæ, utpote inter utrumque noſtrûm communicata, Deo volente, operi meo indam, uti & illa quæ inter utrumquè noſtrûm mutuò ſcripta fuêre, titulo Communicationis Ratisbonâ-Rautenſteinianæ, & juxtà hæc ſeorſùm illa Curtiana, titulo Communicationis Neoburgo-Curtianæ inſignita. Hâc enim Methodo, ne opus inſtitutum careat diligentiæ laude,

Communicationum titulum cur Auctor uſurpet?

— — deſerat hoc nec lucidus ordo,

uti decrevi. Atque ita in titulos partiar opus, ut illud commendent primo intuitu magna & Clariſſima nomina, quæ ſe jam olìm orbi literato doctæ artibus induſtriæ prodiderunt, Communicatio Hafnia Bartholiniana: Dantiſco Heveliana: Lutetia-Bullialdiana: Dantiſco-Büthneriana: Francofurto-Placentiniana: Franequera-Graviana: Hannovera Buſmanniana &c. Super qua re judicium Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, quod in omnibus maximi facio, libenter cognoſcam. Gratulor mihi de ſpe reſponſi Curtiani. Merita enim Viri illius in cultum ejus me trahunt. Multum verò momenti inſtituto meo Viri illius Doctiſſimi induſtria addet, & vota mea promovebit. Neptunus Britannicus cum Marte in clades utriuſque populi, hôc jura dare, iſtô parta retinere volentis conſpiravit, hoſtilibus claſſibus in conſpectu oſtii portus Texellenſis arma feralia mox expedituris. Mars Polonicus, utraque gente viribus acciſâ, oleam Minervæ, quaſi feſſus, imperat. Mercurius plurium nationum de Neptuni & Martis ſævitia pernicioſa queri ſatis non poteſt, licet de ſua pernici induſtria nihil remittat. His Illuſtriſſimam D. Veſtram benè valere & feliciter agere quàm diutiſſimè cupio ex animo

Belli inter Anglos & Hollandos cauſſæ & ratio.

** Fama per orbem atrocia bella circumfert.*

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio & cultu ac officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 7. Maji 1665.

N. 29. ad 26.

PHiloſophandi & cum mortuis ut plurimùm converſandi otium Generoſæ D. Veſtræ gratulor. De fortunæ adverſitate condoleo, cujus tamen nos ſæpè

 fabros

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

fabros eſſe docent antiqui, & ex recentioribus Verulamius. Dominos autem

Stoicorum placita ſpecioſa, ſæpè impoſſibilia.

ejus nos eſſe volunt Stoici. Quorum ſcita, ſcita quidem ſunt, & in ſpeciem glorioſa: reipſa non omnibus arrident, aut ab omnibus præſtari poſſunt. Græcam linguam, ut alias cultiores ſemper amavi. Doleo autem, quòd plagoſi

Diſcendi prava methodus cavenda.

Orbilii me puerum perverſâ methodo ab iſta abſterruêre penè, dum omnia ſimul me diſcere volebant. Quô effecerunt, ut Græca & Hebræa adſpernarer, quæ tamen & plura alia melius comprehendere potuiſſem, ſi tempeſtivè, modeſtè & ritè fuiſſent inculcata. Delatus dein à ſtudiis ad Aulas (nam vix 20. annorum in Livoniam ope & voluntate Patrui mei Henrici à Rautenſtein, Dominii Wendenſis, tunc Supremi Præfecti vel Capitanei, ad ſervitia Domini Oxenſternii Anno 1644. veni) ut ſunt adoleſcentes, alia tractavi. Linguam tamen Gallicam, Italicam, Hiſpanicamquè ex parte meopte ferè Marte inter alia addidici, ſaltem ut intelligere eas poſſem. Sed cur ego hîc talia? Nempe quia in his quæ mihi Generoſa D. Veſtra operis ſui de Cometis ſubinde mittit experimentis, video eandem variarum linguarum notitiam ſibi comparaſſe. Velim autem hoc maturari, ut quamprimum lucem videat, quod luce dignum eſt, præ-

Monitis ſalutaribus omnes, initio à Principibus facto opus habent.

cipuè ob tàm ſalutaria monita, quibus omnes, initio à Viris Principibus facto, maximè opus habent. Hîc quoquè talia non inutiliter commendari poſſent, ut id præſtarent quod cum virtute & laude conjunctum eſt, in animis eorum qui publica negotia tractant. Crediderim autem in nobis quoquè boni aliquid iſtos

Ratisbonenſis Conventûs res meliori loco ſita.

Cometas operari. Nam verum quidem eſt, quòd ante aliquot ſeptimanas eò hîc omnia inclinare videbantur, ut & hæc diuturna Comitia non ſolùm ſinè fructu ſed & magno Reipublicæ periculo & luctu diſſolverentur. Sed jam melior, laus Deo, ſpes affulgere cæpit. Cum enim potiſſimæ controverſiæ inter Collegia ſtatuum ſuprema (Electorum ſcil. ac Principum) verſentur, quando hi circa differentias ſuas, quod ad electionem & capitulationem Regum Romanorum attinet, conve-

Romani Imperii Ordinibus Concordia eſt neceſſaria.

nerint, reliqua omnia facilius ſeſe dabunt, ut membra Sacri Imperii cum capite ſuo & inter ſeſe arctius unita, omnibus externis machinationibus eò facilius fortiuſquè reſiſtere queant. Quod certè ſi unquam, nunc nobis neceſſarium erit ac ſalubre, cum videamus undiquè in vicino orbe Chriſtiano eas oboriri diſcordiarum & bellorum ſcintillas, quæ in maximam flammam univerſorumquè perniciem facilè erumpere poſſint, niſi divina miſericordia id ſingulariter avertat. Quam an ritè rectequè demulceant propitientquè, qui vano Chriſtianorum nomine hodie gaudent, re ſæpius carent, ambigendum eſt. Optandum verò, ut tandem omnes noſtro malo edocti ſapiamus, & meliora agendo meliorem quoquè ſortem opperiamur. *Suus* enim *cuiquè animus ex conſcientia ſpem præbet.*

Votum Chriſtianum apparente Cometâ.

Utinam & in veſtra Polonia Cometæ iſti id quod legibus antiquis, æquitati, & non tantùm illi Reipublicæ, ſed univerſæ Chriſtianæ ſalutare ſit, efficiant! Sed lucebat Cometa dum menſe Dec. & Jan. priora celebrarentur Comitia. Et tamen illa contentionum, factionum, diſcordiarum & periculoſarum ſententiarum plena erant, ad ultimum rupta. Nec iſte novus Cometa aliquid boni effecit. Ego certè maximoperè doleo cum bonis omnibus, necdum veſtros modum vel media invenire potuiſſe, tantopere agitatam Reip. navim poſt tot tempeſtates in qualemcunquè ſaltem portum adpellendi, præſertim interventu illius turbinis, quem Domini Lubomirſcii, tanti in Veſtra Republica Viri, triſtis caſus excitavit. Rebus autem eò extremitatis devolutis nihil ſupereſſe video, quàm ut propitium Numen reddatur animis ad majorem unitatem diſponendis, ut illis compoſitis,

Motus bellici, præſertim domeſtici, ſunt componendi.

tàm externi quàm interni, qui omnium periculoſiſſimi ſunt, motus compeſcantur. An ea quæ in Lithuania aliiſquè in locis nunc paſſim agitari perhibentur, illùc tendant, & an ſpes fovenda ſit, fore ut animi tantoperè diſtracti hâc ratione in priſtinum concordiæ vinculum coëant, meum judicare non eſt. Qui tamen ulteriorem rerum ſucceſſum, eumquè præterito feliciorem porrò intelligere aveo. Id autem firmiter tenendum cenſeo, Deum ſuo tempore adfuturum

Poloniæ,

Poloniæ, nec paſſurum, ut hoc eximium orbis Chriſtiani antemurale, ſuperbo aliquorum ambitu dilaceretur, aut corona ejuſdem in caput indignum cadat, cum nec pili ſine providentia ſua è noſtris decidere queant. Atquæ hæc ego ipſe nuper illuc ad quendam ex Amicis meis, magni nominis Virum ſcripſi, ut teſter ſincerum in nobiliſſimam Gentem Veſtram affectum. Eadem cum G. D. Veſtra communicare volui, quam ſcio talibus delectari, & in illud opus ſuum colligere. Quod inſtitutum ipſo quoquè facto approbo, dum quæ publicè profutura cupio, ſed & ſpero, libenter ſuppedito, & aliàs omnia officia offero maneoquè dum vivo

Providentia divina habet in numerato pilos capitum noſtrorum, tanto magis diademata ſacris capitibus debita.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 16. *Maji* 1665.

N. 30.
ad 29.

Literis, quæ ad virtutem ducunt, incumbendum.

EQuidem non diffiteor bonas literas, præſertim quæ rectà ad virtutem ducunt, mihi poſt ſacrorum & ſalutis æternæ curam valdè eſſe commendatas, & libenter me converſari cum mortuis illis conſiliariis & mutis magiſtris, quos fideliſſimos & optimos eſſe Glorioſiſſimus ille Arragonum Rex Alphonſus pronunciavit. Nunc verò dum opus hoc Cometicum molior, vel maximè lectionis auctorum mediocris fructum, ſtudioſis virtutis & artium liberalium præbere debeo. Et facio quidem hàc in parte aliquid. Sed tantum quantum licet per alias occupationes, non quantum libet. Fortunam gravem quandoquè Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, cujus ſinceritas & benevolentia in me ſingularis, ſed & humanitas in omnes, inquè colenda amicitiâ fides probè mihi perſpecta eſt, refero, ſed & apud me modeſtè & patienter fero. Melioris autem fortunæ faber fieri poſſem, ſi eam potiùs quàm mentem bonam animamque fingere vellem. Nos enim & bonorum in patria civium, & bonorum in ſeculo virorum nomina amiſimus, ne conſcientiam bonam, cujus quieti nihil in hac vita præferri poteſt, amitteremus. Amiſimus tamen apud iniquos rerum judices. Aliter enim profectò judicat

Fortuna gravis forti animo ferenda, nec melior cum jactura conſcientiæ quærenda.

Conſcientiæ potior quàm famæ ratio habenda eſt.

- - - quicunque oculis hæc aſpicit æquis.

Meritò perſcribam Illuſtriſſimæ D. Veſtræ pro amicitiæ noſtræ jure ea quæ aliquando ad quendam Magni nominis Principem juſtis de cauſſis protuli: *Vitæ & patriæ melioris indubitata ſpes facit, ut omnes non minùs minas, iras, procellas, quàm blanditias delicias, illecebras mundi, utpote tranſitorias, præ æternis contemnamus bonis. Hæc eadem non tantum iis, quæ nobis paterna Dei dextera ad victum & amictum neceſſaria ſuppeditat, ſed & omni ſorte, durâ quoquè & aſperâ, contentos nos eſſe jubet & facit. Hæc deniquè ubi opus eſt, ſingulari ſolatio, auxilio, conſilio & virtute mentes noſtras, cum adverſis & adverſariis fortiter depugnantes, recreat, inſtruit & munit, ac nos per Dei gratiam non tantùm fortes, ſed & invictos ac mundi victores reddit. Hac & ego animatus abeo pacatum aliquem receptum cum familia, exilii incommoda mecum abundè tolerante, quæſiturus, ubicunquè Deus eum monſtrare mihi voluerit.* * *Nam omne ſolum forti, Chriſtiano ſolum cælum patria eſt. Itaquè ſi mihi & Fratribus meis deerit terra in qua vivamus, non deerit, in qua, cum illa invicta ſpe, moriamur.* Hæc ego tunc. Nunc eadem repeto, ut demonſtrem † hominem Chriſtianum ſpe tàm certà non dejici, vel ſpe illâ ſuâ, vel gradu conſtantiæ & tranquillæ mentis, etſi videat apparentes Cometas, vel apparentes duros veritatis virtutiſque hoſtes, in cultores hujus ſæpè ſævientes, quia cupiditatibus carnis ſemper ſervientes. Atquè hæc eſt indoles & virtus Chriſtianæ Philoſophiæ, quæ multò melius robur pectori pio, mundum temnenti, ſaltem non amanti, indit

Spes vitæ æternæ certa contemptum rerum humanarum piis ingenerat.

Chriſtiani, etiam adverſis preſſi, invicti, imò Victores evadunt.

** Patria quivis locus commodus bono viro eſt: Chriſtiano tamen ſolum cælum.*

† Chriſtiana fortitudo immobilis ſpei vitæ æternæ innixa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

indit quàm Stoica illa diſciplina hominem evirare, imò eviſcerare, & in truncum immobilem convertere volens. Cujus tamen rigor animum hominis ad honeſta vadentis ad gravitatem componere, & conſtantibus exemplis firmare poteſt, ſi Chriſtianæ ſocietur fortitudini, verè Heroicæ. Aliàs talia qui Stoici porrigunt, fortiùs dicunt quàm præſtant, Illuſtriſſimæ D. Veſtræ prudenti judicio hîc quoquè enitente, ſicut quidam ex ſententia, neſcio cujus Romanorum, fortiùs ſentiunt quàm loquuntur. Imò verò judice Plutarcho, Stoici non ſua rebus accommodantes, ſed res ad decreta ſua, cum quibus conſentire eas natura non ſinit, detorquentes, multis difficultatibus Philoſophiam implent. lib. de ſent. virt. profectu. Quæ ad hanc invictam, imò victricem animi conſtantiam, tùm parandam, tùm tuendam faciunt, memini me aliquando multa in Lipſio & Verulamio (qui mihi videtur ſolus, vel certè cum pauciſſimis ſui ſimilibus, multum in re literaria proprio marte præſtitiſſe, & antiquæ Philoſophiæ de ſuo addidiſſe) obſervare, quæ hac præcipuè tempeſtate in uſum revoco, dum tot Cometas, aliaquè ſigna, non in cælo tantùm ſed in terra quoquè edita, ac portenta, tùm & præſagia contemplor. Nam ut taceam tot Erfordenſia & Dreſdenſia, & paulò ante in Gallia Narbonenſi, tum ad Maſſiliam, & in agro Salmurienſi, tùm ad Stralſundum prodigioſa ſpectra, Chaſmata Berolini & in Anglia ignem de cælo demittere viſa, cum tamen colores ſint, ac plures Soles in aëre viſos, quos nonnulli Cometas Solares vocant, aliaquè quorum fama nuper orbem implevit, portenta, hinc illincquè ſcribitur monſtrum in Caſtilia Veteri inventum terribile, Cometam & 4. literas A. G. B. I. ferens. Nudius quartus accepi, ad Dantiſcum globum ignitum (quales ex chaſmatibus nonnunquam demitti dicuntur) cum fragore poſt mediam noctem, quæ diem 5. Maji anteceſſit, in terram decidiſſe. Heri verò, Varſaviam delatum eſſe ovum gallinæ, in quo gladius Polonicus, ſive Turcicus & Tartaricus, crux flammea, virga & intenſus arcus conſpiciatur. Sed ecce horrendum prognoſticon ex Italico idiomate in Germanicum tranſlatum, & Auguſto Cæſari exhibitum, tot triſtes & horribiles nuncios orbi ferens. Ego quidem, quod ad me attinet, ſcio cautè talibus prædictionibus vel ancipiti qualis ille Delphicus quondam fuit ſtilo, vel poſt res jam factas, ut plurimùm compoſitis, fidem eſſe adhibendam. Verum tamen contemnendas eſſe, præſertim cum ad mores emendandos faciant, haud dixero. Quòd ſi verò certò quoquè ſcirem hæc eventura eſſe, & vel dicentem Cometam aliamve vocem audirem. * Hæc tunc *videbis*; ſanè intrepido, ſed Chriſtiano animo reſponderem: *Videbo hæc cuncta Deo, & Servatori meo confiſus.* Inter hæc à ſententia mea non recedo, ‡ Cometas & tot ſigna magiſtrorum divinorum vice nobis eſſe habenda. At verò danda nobis eſt opera, ut his ritè imbuamus & formemus ad virtutem † poſteros, quibus nonniſi ſalutaria monita & laudabilia exempla ad imitandum ſunt proponenda. Hoc autem Illuſtriſſima D. V. in ſe ipſa egregium exhibet, dum breviter vitæ & ſtudiorum ſuorum rationem proponit, Simul verò etiam quanto ardore literarum (de quibus nil elegantius quàm illud à Cicerone dici poteſt: * *Studia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur*) quemque à teneris, etiam inter Aulæ illecebras & ſeculi obſtacula, flagrare deceat, qui veræ gloriæ ardeat deſiderio, docet. Hîc autem ut incumbendum eſſe ſtudio cultiorum linguarum, quarum in vita civili uſus ſit frequens, ita præcipuè Viris ad ſolidam eruditionem, ſacram præſertim, contendentibus, ediſcendas eſſe linguas Hebræam & Græcam. Citrà quarum peritiam, ſicut Theologus fiduciam ſui plenam, quia certum Scripturæ Canonicæ intellectum, habere non poteſt, ita illius ſcientiam Auguſtus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, hujus Thomas Aquinas Doctor Angelicus, magno tandem redemiſſent. Quanquam Græcæ Linguæ notitia in omnibus Philoſophiæ partibus non tantùm utilis, ſed & neceſſaria eſt. Sæpè autem, ſicut ipſa Illuſtriſſima D. V. expertam ſe refert, accidit, ut abſterreant à ſtudiis diffi-

Chriſtianæ fortitudo verè Heroica.

Chriſtianum non terrent Cometæ & alia ſigna.

Prædictiones multæ vanitatis arguuntur, contemnendæ non ſunt, quæ ad morum correctionem faciunt.

* *Chriſtianus non timet Cometam aliaque ſigna.*

‡ *Cometæ & ſigna cæleſtia inſtar magiſtrorum & Monitorum ſunt habenda.*

† *Poſterorum magna cura habenda.*

* *Studia omni ætati, tempori, loco, ſtatui conveniunt.*

difficilioribus juventutem magnâ & variâ quidem pro varietate ſcilicet ingeniorum, ſemper tamen magis ad humanitatem quàm ſeveritatem compoſitâ arte regendam, plagoſi illi Orbilii, qui non tantùm humanitatis, ſed & ſui ipſorum, ſicut ille Horatianus, obliti, putant ſui officii eſſe ingenuos adoleſcentes reddere plagigeros & plagipatidas, ut cum Comico loquar. Ingenuos dico, ſive honeſto loco natos, quod pro fundamento procreationis, ut Magiſtrorum non tantùm doctrinam, ſed & mores compoſitos pro fundamento inſtitutionis liberorum ponit Magnus prudentiæ Magiſter Plutarchus lib. de liberis educandis. Sed & illa prava docendi methodus hîc multum noxia eſt, dum ſcilicet varia & multa ſimul ſine diſcrimine juventuti traduntur. Faceret idem medicus ſi homini teneræ conſtitutionis, ad firmam valetudinem perducendo, mandaret diverſos citrà delectum cibos ingerere, quos digerere ventriculi & hepatis imbecillitas nequeat

Juventus variè regenda, magis tamen placidè quàm ſeverè.

Plagis non afficiendi ingenui adoleſcentes.

Docendi prava methodus multum nocet.

- - - - nam variæ res
Ut noceant homini,

docet experientia: ut autem multitudo ciborum corpora diſtendat ac deprimat, proceramquè ſtaturam impediat, apud Plutarchum in Lycurgo videre eſt. Equidem fateor, aliquando ſtudiorum meorum, culpâ tamen docentium, ad illos ſcopulos alliſam eſſe navim: tum & Muſas meas in optimâ illa parte ævi primâ ac flore adoleſcentiæ ruſticatas, & aliquantò ſerius in amœnas urbes inter Thorunenſes, Pariſienſes, Andegavenſes & Leydenſes Camænas tranſlatas fuiſſe. Harum tamen potiorem partem, quod quàm ſit exiguum ſcio, tanquam tenuem bonæ mentis proventum, monita Præclarorum Virorum, cumprimis autem Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ſecutus, in hanc de Cometis Rhapſodiam confero, de genere humano quàm optimè mereri cupiens. Atque id fateor me ſingulari ſtudio agere in exponendis Principum officiis & exemplis tàm imitandis, quàm fugiendis. Hos enim ut virtutes, ita & vitia efficaci exemplo in civitatem infundere, & ut vitâ ad virtutis normam compoſitâ, quæ recta & ſalutaria ſint, docere, ita moribus virtutis tramitem deſerentibus plurimum nocere jam olim notum & notatum eſt. Quamobrem verè dicere poſſum me libentèr id facere, etſi ortu & ingenio ſim agricola, unde & ab armis gentilitiis tres vomeres aratri anteambulones cum roſa ferentibus Rolitzius appellari gaudeo. Non enim tàm alacritèr carpentarius aratrum currumvè conſtruet, ut axonas, in quos Solon ſuas ſit inſcripturus leges: ita non ita alacritèr informabitur plebejus quàm Princeps. Nempe doctrina Philoſophica, ubi in animum Principis ac civilis viri inſcripta hæſit, vim legis adipiſcitur, prudenter docente Plutarcho T. 2. Moral. lib. maximè cum Principibus Philoſopho eſſe diſputandum. Ideo & Principibus, quos non tantùm dignitate & poteſtate, ſed & ſapientiæ ac virtutis ſtudiis præſtare & eminere par eſt, hæc mea ut utilia fore nullus dubito, ita fore grata ſpero. Quamprimùm opus in quo deſudo perfectum erit, auxiliante Deo, faxo ut ad vos quamprimum exemplaria deferantur. Sed adhuc in carceribus hæreo, & procul à meta abſum. Ad eam tamen omni niſu contendo, ne intra privatorum parietum cuſtodiam diu retineatur, quod in lucem emiſſum publicæ utilitati famulabitur. Malo enim id communis juris, etſi nondum ad Gratiarum leges expolitum, facere, quam domeſtico carcere coërcere. Quod legeret tereretque viritìm publicus uſus, me quoquè, ut omnes non degeneres incolas mundi urgente, & tot Cometis aliiſque oſtentis commonente officii Deo, cujus voluntati, nemo niſi perditè impius & infelix reſiſtere volet. Si veſtros Conventus Cometa ad optatam metam promovet, eſt profectò quod ſibi multum gratuletur cæleſtis ille virtutis magiſter, vitiorum oſor, ideoquè bonorum quàm malorum nuncius miſſus à Deo.

Principum exempla in utramque partem multum poſſunt.

Principem publico profuturum, libentius, & meritò quidem, inſtruit Vir prudens quàm privatum.

Principem decet ſapientia & virtute præire.

Divina voluntas ubique ſpectanda & ſectanda.

Cometa officii admonet mortales.

- - - pravos qui punit & odit,
Virtutemquè polum tandem deducit in altum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Et certè in indicendis quoque publicis, iiſque Auguſtis, conventibus, qualis & iſte veſter eſt, illud Caſſianum, *Cui bono?* ante oculos habendum. Cur enim magno non tantùm conatu, ſed & temporis & argenti & operæ diſpendio, Ordines Reip. longè diſſitos, & ſuis rebus intentos, convocemus, & ſuavem eorum, quietem ac induſtriam alibi ſe exerentem turbemus, ut actum agamus, conventibus ſolemnibus, ſicut nuper in Polonia noſtra bis (& menſe quidem Decemb. & Januarij lucente Cometâ) factum eſt, irrito eventu ſolutis? Quanquam quid & leges aranearum telis ſimiles (ſicut olim Anacharſis Scytha, Cimmerias tenebras Philoſophicâ illuſtrans, ſapientiſſimo alioquin Athenienſium Legislatori Poloni, ſuffragante poſthac eventu, dixit) texere juvat, niſi eas uſu comprobemus confirmemuſquè?

Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt? Horat. l. 3. Od. 24.

Cometa non deſpiciendus, ut admonitor officii.

inquit Horatius: & Publius Syrus. *Ibi poteſt valere populus ubi valent leges.* Benè proinde res ſe habet, quod Cometas aliaquè ſigna non ſolùm non deſpicitis, ſed ita ſuſpicitis, ut per hæc ad promovenda conſilia & ritè tractandam Remp. excitemini. Quibus verò magis in hoc & omni laudis genere reliquis omnibus ut præeant, ac veluti illuſtres exemplorum faces ad virtutem præferant convenit, quàm viris Principibus (ut & qui vices eorum gerunt) qui nonniſi tunc laudabiliter aliis cum ſibi ipſis prius imperant? Quos item magis etiam

Imperat aliis dignè qui priùs ſibi.

Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.

- - - parvis dives concordia rebus

Principes domi & foris maximè decet concordia.

firmiſſimum illud Reip. fulcrum, & immobilis tranquillitatis communis columna, decet, quam eos qui reliquis cum imperio præſunt, & quorum maximè intereſt, ut ſubjecti concordiæ vinculo juncti, & omni poteſtate ad unum relatâ, nil niſi obſequii gloriam quærant, nec unquam diſcordiâ cariorem concordiam reddant? Itaque & Vos in illo Auguſto Principum Senatu feliciſſimè optimis legibus electionem & capitulationem illam Veſtram adſtringetis, ubi priùs ipſimet vos concorditer, imò, ut cum Cicerone loquar, concordiſſimè, unoquè animo ad præſcriptum antiquarum legum compoſueritis. Hac certè non aliâ aliquâ viâ poteritis illam quietis & utilitatis publicæ

- - - optatam curſu contingere metam

Concordia Reipublicæ tempore dubio maximè neceſſaria.

&, ut membrà unius corporis, Sacri ſcilicet Imperii Romani, in capite Auguſtiſſimo ac mutuò juncta, omnibus exteris machinationibus eò facilius & fortius reſiſtere. Prudentiſſimè vero Illuſtriſſima Dominatio Veſtra judicat hoc maximè neceſſarium eſſe hôc dubio tempore, obortis diſcordiarum ſcintillis, imò & bellorum flammas in medio mari concipientibus, grande & periculoſum orbi Chriſtiano incendium minitantibus. Quas meritò extinguere ac veluti abſorbere deberet majus hocce Cometæ lumen, quod ipſum etiam à majori ſæpè abſorbetur, ita ut ſine cauda vel juba appareat. Cæterùm iniquitas omnis pietati inimica, licet nomen Chriſtianorum, imo & ſpeciem pietatis præferat, & cacozeliâ ardeat, ignibus extinguet ipſa ſeſe ſuis, vel certè æterno illo delebitur igni. Illud autem Illuſtriſſimæ D. Veſtræ votum quomodò non obviis amplectar ulnis & exoſculer quod fert, ut tandem omnes malis noſtris edocti ſapiamus, & meliora agendo meliorem quoquè ſortem opperiamur? Illud enim magnam prudentiæ & felicis (ſecundario tamen, nam primariò ille

Iniquitas doloſa peribit.

Nocumenta documenta. Παθήματα μαθήματα.

Spes bona ex virtute proficiſcitur.

Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit

Sapiens ex alieno malo emendat ſuum.

Vita beata in virtute & ſpe conſiſtit.

ut Decima Muſa Plautus ait) experientiæ partem, hoc totam vitæ beatæ rationem complexum eſt. Hic meritò Illuſtriſſima D. Veſtra exemplum noſtræ Poloniæ attulit, quia tritum eſt uſu proverbium *Polonos poſt damnum ſapere*, quaſi,

quaſi, nòvi Phryges & piſcatores plagis emendandi eſſemus. Sed aliud, idquè deterius veritus eſt Joannes Cochanovius, Homerus ille Sarmaticus

- - - à quo ceu fonte perenni
Vatum Caſtaliis ora rigantur aquis

quod ita ex eo noſter Horatius Sarbierius, qui duos regnum Lyricum ferre exemplo ſuo docuit, effert;

Me priſca lactat fabula: creſcere
Per ipſa Lechum damna; ſed heu! recens
Ne me refellat fama, Lechum
Damna ſuis cumulare damnis. Lyric. l. 4.

Necdum enim populares mei, licet violatâ religionis libertate, de illa quoquè electionis, & ſic de integra libertate periclitentur, ſapere tot malis, quæ iniquitatem antiquis legibus adverſantem ſequuntur, edocti volunt. Scribitur tamen eos apparitionibus illis Cometarum perculſos, ideoque publicis jejuniis & precibus certos feſtos & ab omni opere ceſſantes dies indictos eſſe. Sed ad propitiandum Deum illud ante omnia agendum eſt, ut * feſta & Sabbatiſmos agamus à malis operibus, utquè ocioſi ab iiſdem ſimus, & nihil agamus illorum quorum opus eſt vitium, nec non vitiis abſtineamus, à malitia jejunemus, rerumquè alienarum cupiditatem cohibeamus, ſicut paſſim Gregorius Nyſſenus, Pater ille Patrum Græcis dictus, docet. Tum illud hîc quoquè adſit neceſſe eſt, ut juſtitia & æquitas in tot nobiliſſimis familiis religionis cauſſâ communi patriâ, in qua omnes nos pares eſſe avita Reipublicæ conſtitutio voluit pulſis, violata, & veluti cum illis in exſilium miſſa poſtliminio revocetur, & parentum fœdus toties de libertate religionis ſervanda ex æquo ineuntium inſtitutum, ſine ullius noxa conſervetur. Ideò, ut alias legum & juſtitiæ corruptelas præteream, non mirum eſt alliſam ad hos ſcopulos Reipublicæ navim, variis externorum & domeſticorum motuum agitari ventis, & cum procellis ad naufragii periculum luctari. Imò verò & mihi ex officio debitæ in patriam pietatis, & cuiquè juſtitiæ boniquè publici ſtudioſo, dum tenebricoſæ procellæ illi incumbunt mari, faces ardentium admonitionum; facibus Cometarum proſpera & adverſa orbi illaturis prælucentibus inferendæ ſunt, & Reſpublica in extremum conjecta diſcrimen illis Horatianis compellanda verbis

Libertate religionis violatâ libertas Polona periclitatur.

Jejunare à vitiis & feſta agere ociando ab iiſdem optimum jejunium & feſtum.

** Feſta optimè agitantur agendo quod rectum eſt.*

O navis referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? fortitèr occupa
Portum. Od. l. 1. Od. 14.

Conventus ille Lithuanicus, avito inſtituto multis aviti moris retinentioribus videtur eſſe contrarius, & ad avellendam à corpore Reipublicæ ampliſſimam provinciarum aptus. Quo ſucceſſu & eventu inſtituetur, mox viſuri ſumus. Certè multi jam eum in dubio ponunt. Apparet verò & hîc Illuſtriſſimæ D. Veſtræ eximia in gentem noſtram benevolentia, dum ei meliora precatur & auguratur. Utinam Reſpublica noſtra, fortiſſimum Reipublicæ Chriſtianæ propugnaculum, divinam providentiam & tutelam reſtitutâ juſtitiâ recuperet, inquè ea tuta & illæſa permaneat! Cæterùm quod Illuſtriſſima D. Veſtra hæc ſingularia optimi genii & ingenii ſui ſpecimina mecum communicare, eâ ſcilicet fini, ut opus meum illuſtrent, voluerit, eſt de quo eidem ingentes agam gratias. Cui pariter fauſta quæquè apprecor

Eidem Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 30. ad 27.

Ratisbonâ Hamburgum die 11. Maji 1665.

Lectio veterum auctorum jucunda.

VIdeo G. V. continuò & nocturnâ diurnaquè, quod ajunt, manu verſare Horatium, Senecam, Plutarchum, alioſquè prudentiæ & Philoſophiæ humanæ Magiſtros, cumquè iis aſſiduè verſari, ita ut cum Tuas ad me literas lego, cum iiſdem illis me confabulari, inque vetus Latium delatum eſſe exiſtimem. Mihi à negotiis aliis tantum otii non eſt, ut cum mortuis converſari, & veteres amores repetere poſſim. Ideòque eò libentiùs ejuſmodi flores gratum, non tantùm politioris eruditionis, ſed & virtutis odorem, mox ſparſuros in gratiſſimis Tuis relegere ſoleo. Quod tamen iiſdem non ſemper ut vellem equidem, pari ratione reſpondere valeam, id ſolita Tua humanitas, ut ſpero, benignè excuſabit. Qui ſi videres, me & morbis obnoxium, & uſu ferè dextræ, ſaltem pro literis exarandis deſtitutum, laboribus autem publicis privatiſquè præ multis aliis tantùm non obrutum, mirareris forſitan, me inſuper tot literis per tot Europæ partes ſcribendis dictandiſvè, ſufficere poſſe. Id quod à me non dicitur jactantiæ causâ, ſed ſaltem excuſationis, quòd diligentiæ Tuæ in ſcribendo paria facere nequeam.

Cometæ non terrent probos.
Mortis contemtum ſpes vitæ melioris ingenerat.

Cometarum radiis me neutiquam terreri, nec ipſius orbis lapſu, jam ſæpiùs teſtatus fui: Domino Deo meo vivo, moriorque, ſtationem libenter mutaturus, cum ille, tanquam ſupremus Imperator, juſſerit: id eſt miſeram & laborioſam commutaturus cum beata, & ſinè fine tranquilla. Cujus contemplatione olim accenſus magnus ille, & notus Sanctus Domini, ſuum EVOLEMUS HINC, toties ingeminavit. Quod verò Tu Tuum in me affectum tantoperè exprimis, ut nec ſine me Te vivere velle aſſeras, id ſanè reciproco pariquè affectu rependo, quatenus id cum divina voluntate congruit, quæ nobis ſuprema lex eſſe debet.

Divina voluntas ubique ſpectanda & ſectanda eſt.

Lipſium ab adoleſcentia æſtimavi, præter ſummam ſtyli elegantiam, & qualis omnino convenit hominibus in luce & Republica verſaturis, omnigena virtutis & bonæ mentis documenta ita inculcantem & quaſi inſtillantem, ut neſcio quâ arcanâ ſympathiâ in animos meliori luto formatos, aut, ut magis Chriſtianè loquar, divini ſpiritûs radiis illuſtratos influant.

Grotium magni facit Rautenſteinius.

Lipſius certè, Barclajus & Grotius aſſidui mihi, & quaſi contubernales eſſe ſolebant ex Novitiis, cum libros tractare literaſque mihi dabatur. Nunc quoque ad Senatum Aulaſque tranſlatus, ſentio quàm mihi talium notitia & contubernium proficuum ſit ac ſalubre. Licet ultrò fatear, multa etiam alia requiri in homine ad hoc vitæ genus deſtinato, quàm literas libroſque. Sed quid agimus? De his & illis, ut in familiari colloquio (quod fit per literas quoquè, ut fidas mentium amicarum internuncias) fieri ſolet, confabulamur, & mutuò nobis materiam dicendi de rebus, ad virtutis ſtudium & bonum publicum pertinentibus, ſuppeditamus.

Occaſio nulla commendandæ virtutis eſt negligenda.

Quid non præſtat laudabile bona occaſio? qualis hîc argumentum de Cometa voluntatis divinæ luculento, quamvis muto prænuncio. Benè valeat, mequè perpetuò cenſeat

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimum Servitorem

DE RAUTENSTEIN.

N. 31. ad 30.

Hamburgo Ratisbonam die 20. Maji 1665.

Legendum & excerpendum futuro uſui.

NOn nego me operis mei occaſione repetere ea, quæ aliquando in Horatio, Seneca, Plutarcho, aliiſque prudentiæ Magiſtris didici, legi vel ex iis excerpſi, & iis uti libenter & ſtudio, dum ad Illuſtriſſimam D. Veſtram ſcribo. Tùm quia inſtitutum meum hoc publici boni ſtudio ſeſe commendaturum ſpero; tùm quia Illuſtriſſimam D. Veſtram talibus delectari ſcio. Quam amore horum aliorumquè non tantum Philoſophiæ Practicæ doctorum, ſed & in omni literarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

literarum humaniorum genere præcellentium auctorum ardere, neque in eo refrixiſſe, firmiter credo. Ideò tanto animi vigori parem corporis ex animo precor. Flores me ex his aliiſque ſcriptoribus excerpere ſelectos, & in unum conferre, non ſine aliqua laboris acerbitate, quam boni publici ſtudium ſemper edulcat, citrà jactantiam dicere poſſum. Imitor illum qui de ſe ipſo dixit:

Laboris amaritudinem boni publici ſtudium dulcem reddit.

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant.
Omnia nos itidem decerpſimus aurea dicta.

Hos feliciſſimorum ingeniorum flores gratum odorem, poſtquam in medium prolati fuerint, emunctæ naris & virtutis ſtudium redolentibus hominibus ſparſuros, tanto magis mihi polliceor, quanto magis hoſce Illuſtriſſimæ D. Veſtræ acuto mentis odoratui placere pervideo. In qua, ut vivo laudum exemplari, lego rapi ad ſimilitudinem ſuorum excellentem quamque naturam, & amorem optimè conciliari morum ſtudiorumque æqualitate. Me quod attinet, vidit nuper Illuſtriſſima D. Veſtra ex Bartholinianis, Bullialdianis & Heinſianis methodum operis mei eis non diſplicere, niſi quòd omnia ipſis exhibere non potuerim. Idem in Hevelianis literis, quarum capita quædam exſcribo, & ſimul meum ad eas reſponſum adjungo, nunc videbit. Quidni ergo vobis tantis auctoribus me præbeam facilem, qui recordor Antalcidem ſibi & Muſis ceciniſſe, & Horatium dicere non dubitaſſe:

Natura rapax ſimilium. Similitudo morum in concilianda amicitia efficax.

\- - - Satis eſt equitem mihi plaudere: ut audax
Contemtis aliis exploſa Arbuſcula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius? aut crucier, quòd
Vellicet abſentem Demetrius? aut quòd ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli,
Plotius & Varius; Mæcenas Virgiliuſque,
Valgius & probet hæc Octavius optimus, atque
Fuſcus: & hæ utinam Viſcorum laudet uterque
Ambitione relegata te dicere poſſum
Pollio, te Meſſalla, tuo cum fratre ſimulque
Vos Bibuli & Servi: ſimul his Te candide Furni:
Complures alios, doctos ego quos & amicos
Prudens prætereo: quibus hæc, ſint qualiacunque,
Arridere velim: doliturus ſi placeant ſpe
Deterius noſtra. Demetri teque Tigelli
Diſcipularum inter jubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus hæc ſubſcribe libello.

Laudatorum teſtimonia ſufficiunt Viro probo.

Placere laudatis laude dignum eſt.

Egregiis placuiſſe Viris non poſtrema laus eſt.

Imperiti & iniqui rerum æſtimatores pro nihilo ducendi.

Reipſa nunc quoquè teſtor imprimis mihi grata carmina Flacci, ut Sarbievius noſtras, alter Flaccus, alicubi canit, placere, dum tot nunc exſcribo. Sed quid ni ei, cui hæc placent, & cujus dives ingenii vena Poëticos campos feliciter irrigare ſolet, & cui non tantum amœnis urbibus & luce publica ſed &

\- - - annuerunt gaudentes rure Camœnæ?

Quàm verò mihi jucundum fuit in epiſtola Illuſtriſſimæ D. Veſtræ non tantum prolixi & candore nitentis in me affectûs, ſed & conſtantis patientiæ & modeſtæ pietatis expreſſiſſima legere veſtigia! O utinam illud Θύμε ἄνω βλέψε (anime ſuperna cerne) averſis à vanitate ſeculi hujus oculis, ſemper cogitemus! Quod qui facit, in occurſum Chriſti Servatoris paratus eſt. Imò vero ad illum properat, adamato illuſtriſſimo illo ejus adventu, gloriam Patris & Filii hominis & ſanctorum Angelorum piis, quos & Cometæ & cuncta cæleſtia monita ad virtutem permovent, lætiſſimam, impiis, qui illa ſpernunt, triſtiſſimam laturo. Huic illud **Evolemus* tum &, *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto* dicere

Rautenſteinii virtutes commendantur.

Cæleſtia cerne & cura. Terrena deſpice, calca.

** Pius ſemper ad moriendum paratus, ut ad Chriſtum tranſeat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Divina voluntas ubiquè ſpectanda & ſectanda.
Grotius commendatur.

licet. O beatum & terquè quaterquè beatum, qui voluntati divinæ, infallibili regulæ, per omnia adhæret! Sed venio ad alia. Quanti & ego Lipſium faciam, jam antè indicavi. Verbo: Hic eſt Seneca Belgicus, uti Grotius, vivum & pium Delphicum oraculum, Barclajus is

Romam Romano qui docet ore loqui

De horum trium-Virorum Reipublicæ literariæ familiaritate Illuſtriſſimæ D. Veſtræ plurimùm gratulor: Eidemque lagior plura requiri in homine Rempublicam tractante & conſilia Aulica temperante, quàm umbratilem ſive Scholaſticam illam eruditionem, quæ ut Magiſtralis in nonnullis Principibus notata eſt. Fecit id Lipſius ille in Notis ad 10. caput. 1. Politicorum, adductis Juliani Apoſtatæ, ſed & Hadriani, tùm verò & Michaëlis Ducæ filii, Imperatoris Conſtantinopolitani exemplis, licet alioqui Philoſophica ſtudia cum modo habita, & ad virtutem directa, prudenter commendet. Cumprimis verò Plutarchum illum toties à me laudatum & laudandum quoties occaſio datur, cujus ſcriptionem omnem cum prudentia & virtutem inſerere meritò cenſet, & aliquot Senecæ libros, tùm verò Jeſum Syracidem, ſed & integrum Sacrum Codicem, non tantùm pietatis ſalutiferæ, ſed & prudentiæ civilis canonem. Sed cur ego hæc ex Lipſio coram Illuſtriſſima D. Veſtra commemorem, quæ hæc non tantùm à teneris ex Lipſio hauſit, ſed & illuſtri exemplo docet? Quâ de cauſſa plurimùm gaudeo obtigiſſe mihi hanc felicitatem, ut aliàs tot epiſtolas familiares ſcribendi, ita has occaſione Cometæ paulùm elaborandi & bona fruge implendi, quò in lucem prolatæ, Philoſophiæ & virtutis ſementem ubique ſpargant. Fateor eruditam Illuſtriſſimæ D. Veſtræ probitatem luculentam mihi de his publicè, volente Deo, profuturis ſermocinandi præbere occaſionem. De qua mihi gratulor, eamque ambabus manibus amplector. Alioquin bona quoque occaſio tam facilè omittitur amittiturque, quàm ægrè offertur. Quod utinam nòn crebra confirmaret experientia, pleriſque doctrinæ virtutiſque conſequendæ ac rei feliciter gerendæ opportunitatem negligentibus. Valeat benè, diu feliciterque Illuſtriſſima D. Veſtra cum dilectiſſimis ſuis, & favere ne deſiſtat ei quem novit eſſe integrâ fide

Jeſus Syracides commendatur.
Scriptura Sacra commendatur.

Occaſio nulla virtutis commendandæ negligenda.

Occaſio commoda amplectenda, tenenda, fruenda.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu, ſtudio & obſequio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 31.

Ratisbonâ Hamburgum die 14. *Maji* 1665.

TAbellarius, qui nudius tertius ad nos venit, nihil mihi literarum à Generoſitate Veſtra attulit. Ita me cras geminas ejuſdem accepturum eſſe ſpero, ut & meas omnes rectè ad eam perlatas eſſe, quarum proximæ continebant in ſe faſciculum P. Curtii, qui egregia quædam, ut video, ad opus veſtrum exornandum conferet. In quo velim diligenter Generoſitas Veſtra pergat, mihique faveat, qui maneo æternùm

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 32. *ad* 31.

Hamburgo Ratisbonam die 23. *Maji* 1665.

DIes agitur tertius ex quo brevem epiſtolam Illuſtriſſimæ D. Veſtræ gratam tamen accepi: quæ, quòd tunc meæ literæ non erant, quod miror, perlatæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

latæ, nihil de argumento noſtro Cometico continebat. Sed penſabit id abundè, ut ſpero, hæc, quam hodierno veſpere ſerò, vel craſtina luce præſtolor, deſiderata epiſtola. Interim gratias ago de Curtiano reſponſo, quod cum ob adjuncta, quæ Vir ille Reverendus pro ſua humanitate ad me miſit, obſervata ſcilicet Romæ & Ingolſtadii, gratiſſimum ſit, tùm verò etiam propter doctam brevitatem gratum eſt. Multa enim paucis more ſuo complectitur. Nec ego contemno genium illius hominis, pleno curſu ad laudem contendentis, ſed nec illius *Contemnendus nemo. Brevitas docta & ſucci plena non culpanda.*

- - - rarò & perpauca loquentis,

dummodo ingenioſa illa & ſucci plena brevitas, qualis illa Curtiana eſt, ſitim lectoris reſtinguat, & hanc obſcuritate non acuat. Non enim amo, quod fateor ingenuè, orationem, tanto minus epiſtolam, quæ familiari ſermone vel ex integro, vel potiore ſaltem parte conſtet oportet, quæ Commentario opus habet. Nec tamen carpo etiam, quæ non capio. Hoſtimenti loco utriquè veſtrûm mitto, quæ nuper à Clariſſimo Hevelio & R. Ricciolo nudius-tertius, hodie verò à Nobiliſſimo Heinſio accepi. Quanto ſtudio & animi conatu urgeat iſte editionem Operis mei, quantaſvè de eo ſpes ſibi & aliis fecerit, ipſe eloquetur. Sed & Hevelius aliquid in hanc rem dicet. Ita mihi ad metam properandum eſt, propitio Deo, ne veſtrûm trium, nec non Bullialdi, tùm & aliorum Amicorum vota morer. Bene valeat Illuſtriſſima D. Veſtra, & faveat mihi qui ſum *Oratio facilis placet. Epiſtola facilis ſit.*

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu & ſtudio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 18. *Maji* 1665. *N.*32. *ad* 28.

PErgere Generoſam D. Veſtram diligenter in inſtituto de Cometis opere, multùm gratulor. Hujus editio ſi adhùc aliquantiſper retardatur, fortè & plura de iis judicia alioſquè effectus videbimus, quæ hactenus exſpectantur. Quam ad rem omnia magnis æmulationum, imò ambitionis & avaritiæ conatibus diſpoſita eſſe videntur, ut non immeritò univerſalis mutatio rerum ſit metuenda, quæ quidem tàm afflictis Chriſtianorum rebus valdè eſſet metuenda, ne ſcilicet res feſſas & diſcordiâ debilitatas, nobis vel non animadvertentibus, vel etiam invitis ad ruinam perduceret. Sed ſatis malorum hactenus vidimus & perpeſſi ſumus. Tempus foret bona & læta videre inquè iis gaudere. Quicquid porrò evenenerit, patientèr & fortiter ferendum eſt. Curtiana omnia de Cometis ad G. Veſtram jam delata eidemquè grata fuiſſe ſpero. Vir enim eſt doctus & talium peritus. Plura nunc ſcribere non licet occupato, materiâ & uſu dextræ deſtituto, quod vel ipſa ſcriptio incompta indicat. Maneo autem conſtanter *Æqua mens in rebus adverſis ſervanda.*

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 27. *Maji* 1665. *N.*33. *ad* 32.

EDitio operis mei moram aliquantam patiatur neceſſe eſt, uſquedum ſcilicet reſponſa neceſſaria obtineam, & cuncta in numeros redigam. Interim dubitandum non eſt multa de Cometis nuper viſis judicia, & longè plura mala bonaquè eos ſecutura. Ego enim pro hac mixtura ſto, quam in rebus omnibus video.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometas plura mala quàm bona ferè ſequuntur.

deo. Juvat me hîc non parum Obſervatoris Ingolſtadienſis ſententia, meæ conſona, quamvis plura mala Cometas ſequi ſolita fuiſſe dicat, de quo pertinaciter contendere nolim cum quopiam, præſertim cum ad probandam meam theſin ſufficiat, multa bona Cometarum apparitionem ſemper excepiſſe. Multùm itaquè de hoc munere aliiſquè P. Curtio debeo, cui reſponſum tantùm non perfectum, multis intervenientibus negotiis hodie impeditus, mittere non poſſum, proximè id Deo volente facturus. Jam ante cognovi virum eſſe, ut aliàs, ita & in Mathematicis eruditum. Scriptio Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, licet brevis & incompta, foris quidem, mihi tamen grata eſt, imò tantò gratior, quantò difficilior. Qua in re ſingularis benevolentia illuſtriſſimè elucet in me qui ſum quoad vivo

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu, ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N.33. *ad* 29.

Ratisbonâ Hamburgum die 21. *Maji* 1665.

Scriptori probatis Auctoribus ſtandum.

CAput illud operis Cometici, quod parat G. V. perlegi, & ſatis benè ſe habere mihi videntur principia, multaquè depromi ex omnivaria litteratura, quæ omnis generis eruditis non placere non poſſunt. Mihi quidem perplacet, quòd cuncta G.V. quæ viderim, authoritate juſta nitantur, quod cum ſemper, tùm verò præſertim in tali opere, quod ætatem ferre debet, fieri par & neceſſum eſt. Ideo nil niſi probatum & authoritate, præſertim antiquitatis, ſubnixum in eo poni velim. In nupera G. V. epiſtola, die 6. hujus ſcripta, ut & aliàs poſita, quæ contra aliquot Pontificum vitia dicuntur, tùm quia ab ipſis etiam Pontificibus prolata, tùm quia nemo ſanus neget, etiam hos, ut homines in moribus & vita labi & errare poſſe, non improbo. Licet in iiſdem, ut & aliis eminentioris gradûs mortalibus carpendis, ac cenſuræ ſubjiciendis, reliquo hominum, præſertim privatorum generi, modeſtè & debito cum reſpectu procedendum cenſeam. Neque enim difficile eſt Satyram ſcribere, & obvia quæque ſugillare: uti non facilè meliora quæquè imitari, aut eadem, quæ in aliis improbamus, evitare. De libidinibus Cardinalis illius, cujus ſacram purpuram apud vos & alibi terrarum fœdiſſimâ maculâ adſperſit fama Romana

Modeſta ſit parrheſia. Reprebendere quàm imitari facilius.

Fama ſæpè mendax.

Tàm ficti pravique tenax quàm nuncia veri,

nondum quidquam inaudiveram, ſcioque, Romæ præſertim, non deeſſe ingenia prava, quæ etiam bonis ſubinde Viris ea affingunt crimina, aut Paſquinis ſuis affigunt, de quibus ne quidem cogitarant. Omnes verò in Eccleſia & in Clero præſertim, defectus emendari & in melius reformari, jam dudum, uti & nunc, optimorum quorumquè votum eſt. Quid autem de reformatione aliquorum, qui ſe eadem jactant, cenſendum ſit, res ipſa loquitur. Sed de his hactenus pro amicitiæ jure P. Curtii reſponſum, cum aliis rectè perlatum ad Generoſitatem Veſtram ſpero. Clariſſimi Bullialdi noſtri literas, ipſis Kalendis Majis ſcriptas, ecce remitto: doctas certè, prudentes & amicas. Multa equidem in illo viro amo, & vellem illum nobis viciniorem. In rebus Mathematicis, ac proinde & in hoc de Cometa argumento, judicium ejus magni omninò faciendum eſt. Res Poloniæ veſtræ nondum certum & explicatum judicium de eventu pronunciare permittunt. Ego tamen cenſeo, ſi Dominus Lubomirſcius compoſitionem faciat, id aliam præſentibus in Polonia rebus faciem inducturum. Proximè plura. Intereà Generoſitas Veſtra benè valeat cum ſuis, mequè cenſeat eſſe & fore conſtantèr

Reformatio Eccleſiæ à multis expetita.

Lubomirſcianum negotium Reipublicæ Polonæ mutationem allaturum putatur.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimum Servitorem

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Ratiſbonam die 30. Maji Greg. 1665. *N.24. ad 33.*

OPeris mei caput Illuſtriſſimæ D. Veſtræ non diſplicuiſſe, libenter intellexi. Caput, à quo capiunt ſenſus & nervi initium, & in quo regiam ratio, totius corporis rectrix & domina, poſuit, quantum ſitu & præſtantiâ omnia corporis membra ſuperet, res ipſa, me tacente, loquitur. Itaquè ut ſe caput operis quàm maximè commendet, caput rei & votorum eſt, cum in eo artificis caput & exiſtimatio agatur. Dum autem Illuſtriſſima D. Veſtra cenſet in illo capite poſita, aliaquè ab ſe viſa non tantum politioris literaturæ amorem indicare, ſed & juſtâ niti authoritate, ſimulquè ut ei firmo pede inſiſtam, eâque præſertim antiquitatis, illius ſcilicet canæ, ſubnixa in opere meo ponam, monet, aurem mihi vellicat, ut illi juſtæ & pes & caput uni reddatur formæ, (quod & Horatius alicubi monet) tùm ut magis magiſquè mecum rationes ineam, quî tantum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ſtudium, niſi pari menſurâ penſare, ſaltem debito grati animi cultu proſequi poſſim. Enimverò

Caput ſummum & præcipuum corporis humani membrum.

Ratio corporis rectrix.

> *Quis deſiderio* (cultûs & ſtudiorum) ſit pudor aut modus
> Tam cari capitis?

quod mihi & Reipublicæ, tàm literariæ quàm Chriſtianæ, diu valetudinis & rerum omnium proſperitate florentiſſimum conſervet Univerſi caput, oro! Si quid autem de me tàm amico & dilecto capiti promittere poſſum, dabo operam, ut in hoc opere à capite ad calcem nonniſi legitima, honeſta, utilia, & ſtabili idoneorum ſcriptorum, præcipuè veterum, auctoritati omni ex parte ſubnixus, non ſubnixo tamen, ac potius modeſto animo, adferam, & fidam induſtriam ubiquè probem, non in principio ſolùm. Quod cum omni in re grave eſſe perpetua doceat experientia, ita ut jam olim Horatius dicere & monere non dubitaverit,

Induſtria in opere perficiendo ſit indefeſſa.

Principium omni in re eſt grave.

> Dimidium facti, qui benè cæpit, habet. Sapere aude.
> Incipe: Ep. l. 1. ep. 2.

non immeritò ad finem operi imponendum permoveor, dum principium ejus ſatis benè ſe habere judicio Illuſtriſſimæ D. Veſtræ certus ſum. Quod autem aliquoties, amicitiæ, ſed & ingenuæ libertatis jure uſus, vitia nonnullorum Pontificum, ut & aliorum hominum, notâ reprehenſionis debitæ ſignârim, feci occaſione non tantùm Cometarum, quos nuper vidimus, & in quibus omnes officia noſtra pervidere neceſſe habemus, ſed & vulgantis tunc nefandas illas libidines non tantùm Profani, ſed & Sacri Principis famæ. Summoperè enim dolendum eſt, ſi & Sacram purpuram infandum illud pœderaſtiæ ſcelus (quod nonnemo, in numerum poſthac relatus Antiſtitum, ſibi & aliis, ac publico quidem ſcripto, permiſit) labe indelebili etiamnum aſpergit. O turpitudinem, ipſâ turpitudine deteriorem, & in ipſam naturam ſævientem! Rubore maximo hîc ſuffundatur purpura, palleatquè ſimul divinæ vindictæ horrore, ſi conſcia eſt facti, aut certè fama, ſæpè ut candore commendata, ita & rubore ſuffuſa, ſi temerario auſu, & quidem Romæ, loco tàm celebri & conſpicuo, accendit

Fama ſæpè mendax.

> - - - ſacro delendos igne Gomorrhæ
> Et Sodomæ ſimiles. Pudeat meminiſſe pudenda,
> Forſitan & noceat.

Nos rectè ſub dio nunc agentes, & cæleſtia ſigna faceſquè Cometarum piâ corporis animiquè oculorum induſtriâ contemplantes, illæ nefariarum libidinum faces ad Tyberim accenſæ, non tantùm in adſpectum, ſed in ſtuporem ac indignatio-

Vitia arguenda, excutienda, eradicanda ex officio Viri boni.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

gnationem juſtam rapuerunt. Quis verò vel invitùs ad illud veluti commune incendium extinguendum frigidâ debitæ, ejuſque modeſtæ monitionis illuc non rapiatur? Imo quis gloriæ Conditoris & Servatoris & ſalutis proximi, ac officii in utramquè, ſed & in publicam exiſtimationem utilitatemquè memor, non promtus illùc deferatur, ac potiùs veluti ſubnixus alis ſe inferat, funeſtiſque ignibus opprimendis advolet? Videt autem Illuſtriſſima D. Veſtra quàm debitam in eo officii genere adhibuerim modeſtiam. Nam & nominibus illorum Virorum Principum, quibus

Minimùm decet libêre, quia nimiùm licet,

ideoquè & exiſtimationi peperci, & omni verborum contumeliâ, quæ ſugillantibus & cavillantibus, improbo hominum generi, familiaris eſt, abſtinui. Sed nec Satyram ſcribere propriè inſtitui. Quanquam hæc tàm ſunt fœda, atrocia, horrenda, deterrima teterrimaquè, ut

Urgerent Satyram deſcribere vel Cluvienum,

Loquacitas noxia.
Taciturnitas utilis.
Silentium intempeſtivum noxium.

& vel Lydii Principis naturæ iniquioris vinculis adſtrictam linguam, in inexſpectatam laxarent facundiam. Novi loquacitatem mala, taciturnitatem bona multa, docente priſco Catone, Simonide, Plutarcho, aliiſquè Sapientiæ magiſtris, ferre. Sed novi ſæpè quoquè intempeſtivum ſilentium, præſertim in paranda virtute & utilitate publica, eſſe noxium, & crudelem eſſe miſericordiam, quæ ex inſtituto, γυμνῇ κεφαλῇ (nudo capite ſive remoto omni pudoris tegmine) & præfractè peccantibus parcat. *Omnia ſuum habere tempus* tàm ſapienter quàm quod ſapientiſſimè dixit Salomon, ab ipſo Deo ſapientiâ incomparabili ditatus.

Ino Euripidea liberè ſeſe prædicans, ait ſe ſcire
Tacerequè in loco, & cum tutum eſt, eloqui.

Regia inſtitutio eſt diſcere primùm tacere, deinde loqui.

Qui enim generoſè, & re vera regio more inſtituuntur, primùm tacere, deinde loqui diſcunt, docente Plutarcho libello de garrulitate. Sed & ille, quiſquis eſt, nec ineptè, nec falſò pronunciavit:

Linguâ nil melius & nil deterius.

Nobile lingua bonum, ſi fari in tempore novit,
Nobile lingua malum, ſi fari in tempore neſcit.

Silentii bona ſunt multa.

Verum eſt quod Plutarchus docet libello illo de garrulitate, ſilentium eſſe tutum & utile, & lib. de utilit. ex inimic. capienda, *ubiquè eſſe impune, nequè tantùm, quod ait Hippocrates, contrà ſitim valere.* Sed hoc locum non habet, ubi officii ratio non tantùm loquendi, ſed & monendi, arguendi & objurgandi neceſſitatem imponit. Itaquè ſicut illud: *Tacere quiſquis neſcit, hic neſcit loqui*, ita & hoc, *Tacere idem neſcit, qui neſcit loqui*, pro diverſa rei, loci, temporis & perſonæ ratione veritati congruit. Hoc tacere nequeo, raram in terris avem eſſe verbi divini Præconem, qui Principi Viro, intra debitæ ut modeſtiæ, ita & fortitudinis cancellos veritatem dicere novit. His adulatio, illis avaritia os claudit: pleroſquè ſummæ illius fortunæ reverentia & metus pœnæ, mutos facit canes, ut divinum oraculum ait. Sed nequè capitis metus excuſabit eos olìm, ubi rationem reddituri ſunt de illis, quos ad cælum ducendos ſuſceperunt.

Muti canes ſunt Paſtores populi Dei, de tot & tantis vitiis tacentes.
Veritas non reticenda.
Vitia ad periculum, imò & cum impendio vitæ arguenda.

Summum etenim ſcelus eſt vitam præponere verò.

Cur autem nunc taceant, dum pro illis ipſe Deus Cometas, velut potentes Præcones, in cælo ſiſtit. Quæ ratio ita mihi videtur valida, ut me tueri ſatis poſſit contrà omnes, quibus parrheſia mea, illa tamen cum modeſta veritate juncta, diſpliceat, & reprehenſione digna videatur. Cæterùm libentiſſimè largior Illuſtriſſimæ D. Veſtræ nobis optima quæquè imitanda, & ut cuncta mala, ita præcipuè in aliis notata, omni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

omni niſu eſſe vitanda. Sat benè ſcio optimorum quorumque Catholico-Romanorum vota & ſtudia ac conatus pro Eccleſia reformanda fuiſſe. Quos Illuſtriſſimam D. Veſtram cum laude ſequi, ſemper vidi. Opus autem & noſtra Polonia habet reformatione, ſive antiquæ formæ libertatiſque æquæ & ſtabilis reſtitutione. Citrà quam quàm atrocia ibi gerantur, & longè atrociora metuantur, non ſine ſummo animi dolore videmus. Sed ego bonâ fide maneo

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu, ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 25. Maji 1665.

CLariſſimos Heinſios Patrem & Filium ſemper colui, & præſtantiſſima ſcripta illorum plurima legi, in Bibliotheca mea adhuc aſſervata. Methodus illa, quâ G. Veſtra uti conſtituit in publicandis Communicationibus variis mihi non diſplicet, oſtenſura utique ipſius cum diverſis Viris eruditis amicitiam & literarum commercium, & tot nomina æternitati conſecratura. In quibus quòd & meum reponere voluit, ſuumquè mihi affectum etiam in hoc teſtari, debitas Eidem gratias ago. Quod & R. P. Curtium ſuo tempore facturum non dubito. Cæterum adjungo quæ nunc ad manum, & interea nonnihil etiam de Cometis (quæ Viennâ nuper horribilia accepi) qualem in domo mea ſuburbana adhuc antè paucos dies 22. hujus circà undecimam noctis iterum vidi, procul-dubio ab aliis majori ſcientiâ Aſtronomicâ & inſtrumentis neceſſariis inſtructis accuratiùs obſervatum. Novit Deus quid tot portenta augurentur. Ejus nos voluntati ſubjiciamus, certi ſi nos benè agimus, præter ipſam nihil nobis mali contingere poſſe. Eidem nos diligenter commendo maneoquè conſtanter. *Pietas ſemper tuta.*

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Viennâ die 3. Maji 1665.

Prognoſticon Italicum horrendum in Germania à quibuſdam Aſtrologis approbatum & à multis creditum.

HOc anno quando Sol in Zodiaco ſignum Cancri ingredietur, & conjunctio Planetarum fiet in Domo Draconis, admirabiles, horrendi, inauditi hactenus, & nunquam viſi effectus exorientur: tùm enim ex hydriæ terribiles (ventus nimirum cum imbribus nubes perfringentes) aquarum inundationes tantæ enaſcentur, ut multæ provinciæ, arces & urbes eâ inundatione aut omninò aut ex parte obruantur. Tunc quoquè porrò horrendi terræ motus & concuſſiones fient, quibus firmiſſima plura ædificia, imò oppida, arces & urbes ſuis excuſſa fundamentis dejicientur, quando pariter potens quidam Orbis Monarcha vitam finiet. 21. Auguſti Sol & Luna ſanguineis circulis incingentur, ac tùm atrociſſima bella univerſum propè terrarum orbem conquaſſabunt, quæ ab Oriente in Occidentem uſque procedent ex obitu Monarchæ cujuſdam, quibus tertia mundi pars atteretur, omnia ubiquè horrore exitiali turbabuntur. Hæc verò ſingula initium capient in feſto Sancti Laurentii: quandò verò ſint deſitura, ſoli Deo liquet. Hactenus Saxoniæ Aſtrologus refert. Electoris porrò Bavari Aſtrologus refert. Die 15. Maji inuſitata graviſſimorum bellorum indicia apparebunt. 21. Junii Summus Monarcha vivis excedet. 10. Julii Magnatum aliquis litem ſuam jam dudum agitatam maximiquè momenti finiet. 28. Julii admiranda prodigia & terræ motus obſervabuntur. 21. Auguſti varii virulenti & contagioſi morbi invaleſcent. 19. Septembris diverſæ Confœderationes conflabuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſtabuntur. 20. ejuſdem tantùm ſanguinis humani fundetur, quantum à ſeculorum memoria nunquam effuſum fuit. 20. Novembris multa varia & potentoſa in cælo ſigna apparebunt.

N. 35. ad 34.

Hamburgo Ratisbonam die 3. Iunii Gregor. 1665.

Heinſii Nicolai laus & amicitia cum Auctore.

CLariſſimo Nicolao Heinſio, amore literatorum cunctorum ob amorem in eos ipſaſque literas digniſſimo, & digno laudum paternarum ſucceſſori, Illuſtriſſimam D. Veſtram favere libenter intelligo. Nam à XVI. amplius annis amicitiam & initam conſervavimus & nunc diligenter colimus. Legi & ego ejus Poëmata, ſuavia profectò & benè docta. Atque is etiam non parùm opus meum de Cometis (cujus bonam partem nuper in Hollandiam, Amicis id à me ardenter petentibus, miſi) fulgore eruditionis & dignitatis ſuæ illuſtrabit. Sed quis antè Illuſtriſſimum Rautenſteinium? Invitavi ad ſocietatem operis & illum celeberrimum Socium Jeſu Schottum, ac ſpero humanitatem reſponſi eum mihi non negaturum. Quam in rem exempla Sociorum ejus Riccioli, Kircheri & Curtii adduxi. Ecce verò pro hoc reſponſum! benè quidem longum, nondum tamen perfectum, quod ad prædictiones Aſtrologicas ex Cometarum apparitionibus deduci ſolitas, attinet. Quam materiam ut diligenter pertractem, inſtituti ratio requirit, ſed & publica quies, quam turbant haud leviter ſeveri illi vates, qui nil niſi ferrum & lapides loquuntur. Quo de genere eſt & iſta Viennenſis narratio, quam Germanico idiomate compoſitam, & nonnihil ab hac diſcrepantem nuper Illuſtriſſimæ D. Veſtræ miſi. In eadem illa ad R. P. Curtium epiſtola, ut me gratum exhibeam, de muneris loco miſſâ Theoria & tabula Uranographica Cometæ Ingolſtadienſis, exhibeo ipſi comparationem quandam illarum Ingolſtadienſium & Hevelianarum Obſervationum cum Prodromo præmiſſarum. Cujus exemplaria utriquè veſtrûm ab Auctore deſtinata noto Amico Schumachero tradidi & commendavi, nec dubito eum, quâ eſt humanitate, & in rebus gerendis dexteritate, rem probè curaturum. Mitto præloquium ad Lectores operi meo præmittendum, & de eo judicium Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ſemper & ubiquè æſtimandum, exſpecto. De Cometa novo, nuper ab Illuſtriſſima D. Veſtra viſo, nihil aliunde accepi. Invigilavimus jam ei. Sed nubibus cælum erat obductum. Colligendum eum plagâ inter Orientem & Septentrionem mediâ apparere. De quo plura ab Illuſtriſſima D. Veſtra exſpecto, Eandemquè diu validam virium & omnium proſperorum percupio

Aſtrologicas prædictiones Auctor publicæ quietis cauſſâ refellit.

Auctor præloquium ad Lectores judicio Rautenſteinii ſubjicit.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 35. ad 31.

Ratisbonâ Hamburgum 28. *Maji* 1665.

Rautenſteinius Aſtrologicis prædictionibus fidem non commodat.

NOvorum divinatorum ſive Aſtrologorum prophetias effectuum veritate comprobari, ejuſquè fundamento inniti, vel metuendas eſſe, minimè credo, & ſcit Generoſas D. Veſtra quid ego de talibus ſentiam, & quomodo me in talibus geram. Video interea res Polonicas magis magiſquè in-

Regenſpurg den 28. May 1665.

DAß der newer warſager/ oder Aſtrologorum propheceyung ſo juſt zu treffen fundament haben / oder zu fürchten ſeyn ſolten/ glaube ich nicht/ und weiß mein hochgeehrter Herr voran / was ich von dergleichen dingen / und wie ich mich darin halte. Sehe unterdeß/ daß die Pohlniſche ſachen je länger/ je mehr involviret, volvi,

volvi, & ita inextricabiles reddi, ut nihil de iis concludi queat. Ego verò ſum & maneo conſtanter

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

und gleichſamb inextricabel worden / alſo daß nichts davon zu ſchlieſſen. Ich aber beſtändig bin und verbleibe

Meines Hochgeehrten Herrn Dienſtwilligſter Diener

Von Rautenſtein.

Hamburgo Ratisbonam die 6. Iunii 1665.

N.36. ad 35.

ET ego in ea ſum ſententia, Aſtrologos, illos ſcilicet qui divinare & hariolari præſumunt, ſuaque oraculorum quorundam vice venditantes, nimium ſpei metûſve mentibus hominum ingenerant, certo deſtitui fundamento, & non parùm publicæ quieti officere. Vanitatis eos arguit crebra experientia, ab idiotis quoquè longo annorum tractu ex ordine rerum & viciſſitudinum comparata, quibus cælum ſideribus coruſcans, & natura rebus ipſis loquens docenſque, vice libri eſt, ſæpè & ipſorum auctorum propria, eaque efficaciſſima & certiſſima experientia, utpote fata ſua ignorantium, refutat. Quandoquè & vis terrena, major illâ quam iſti ſideribus & Cometis in homines adſcribunt: ut cum Princeps aliquis, Aſtrologum mortem ſibi prædicentem, vel de ſua propria divinare juſſum, refellere volens trucidat. Sed ô ſævos & in humanum genus injurios tyrannos, qui armamenta non argumenta & ad cædem uſquè nocendi non docendi artes in diſputando adhibent, pretioſi ſanguinis humani, illo Filii Dei pretioſiſſimo redemti, prodigi!

Idiotis experientia vice librorum eſt.

Princeps temerè ſanguinem humanum ne effundat.

Sanguis humanus pretioſus, Chriſti precioſiſſimo redemtus, temerè non fundendus.

Dum quæ Andreas Libavius, celeber ſeculo ſuperiori Philoſophus, de Cometa commentatus eſt perlegi nuper, obſervavi quoſdam hanc opinionem fovere, quaſi Cometæ calculo Aſtronomico prædici poſſint. Libavium verò *vanitatem vatibus illis objicere, quòd ſæpius denunciarint Cometas, qui tamen nulli apparuerint. Fortè itaquè accidiſſe, ut tanquam melancholici ſomniantes in verum inciderint, judicandum eſſe.* Et infrà diſertè ſcribit: *Quidam Calendographus extollit alterius vaticinium (ut mutuum muli) quia prædixerit aliquando Cometam, fortuitò ſcilicet, cum millies ſit mentitus aliàs.* Ubi tamen Libavius omnem difficultatem non exhaurire, & alicui dubitationi relinquere locum videtur. Verum-enim-verò, ut vel æquiſſimam & modeſtiſſimam ſententiam hîc feram, judico illa Aſtrologorum placita & vaticinia eſſe ſæpiſſimè incerta, quandoquè auctoribus & multis aliis noxia, ſemper curioſa magis quàm utilia, imò periculoſa, & ad ultimum multa in promtu eſſe ſolidiora & magis quàm certa tàm utilia, imò ſcitu noſtri aliorumquè reſpectu neceſſaria, in quibus ſatis mens bona exerceri poſſit. Inter quæ meritò pono ſtudium pro aliqua Republica conſtituenda vel reſtituenda, ut nunc Polona, quam Illuſtriſſima D. Veſtra commemorat, & prudenter magis magiſquè difficultatibus involvi inextricabilibus, iiſdemquè judicia prudentiſſimorum quorumvis involvere judicat. Næ ego dicere non dubito, divini humanique certus juris: *Juſtitiam ſolam hic Ariadnæi inſtar fili eſſe, & Labyrintheis flexibus plagiſque educere poſſe* quamvis Rempublicam. Multò verò magis adeò liberam, ſicut noſtra Polona eſt, æqualitatis legibus Duces, Principes, Comites Equiteſque, ſublatâ è medio *prærogativæ omnis & religionis invidiâ, connectens*, omnemque dignitatem ac honorem ſolâ Civis Poloni appellatione deſcribens. Hæc tamen illis quoquè debitum cultum non invidet, tantominus Regis, omnibus quidem benè, at nemini malefacere, & privatim nihil in publicum decernere, ſed cuncta exſequi, verbo, juſtarum virium validi, Majeſtatem, vel Senatûs auctoritatem, dummodo intrà legum cancellos ſe contineat, laceſſit. Difficultates illas inexplicabiles ex eo ortas in patria eſſe dico,

Neceſſaria vanis, imò & utilibus præferenda.

Publici boni ſtudium Aſtrologicis præſagiis anteponendum.

Juſtitia conſervat & reſtituit Reſpublicas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quòd avitam libertatem, quibus eam vel maxime tueri conveniebat, imò neceſſum erat, Equites, præcipuè verò Nuncii Terreſtres, (quos Tribunis plebis Romanorum non injuriâ comparavero) reductâ cum Statuto Jagellonio omnibus hæreticis ſic dictis pernicioſo, iniquitate ſacrâ, & illud quaſi fatale quoddam Reipublicæ Palladium Æqualitatem Diomedeis & Ulyſſeis artibus ſublegere paſſi, prodiderint & propè perdiderint. Ex eo namque verſa civitas & Democratiâ in Anarchiam flexâ, Majeſtas deſpoticum regimen, Senatoria verò auctoritas, ad pauciores redactam, & immodicam poteſtatem aſſumere cœpit, utraque iniquæ illius libertatis, quam lex Jagellonia attulit, exemplum prætendens, eandemquè confuſam dedignans, non paucis inſuper cupidine auri immenſâ, rebus tot bellorum iniquitate attritis, irritata, deforme illud & addictum ſervitium præſtantibus. Quæ tamen cuncta non tantum patriis inſtitutis & rationibus Reipub. ſed & orbis Chriſtiani bellis vel certe odiis, minimum ſimultatibus laborantis tranquillitati adverſantur, & patriam omni pietate proſequendam, omni gratiâ, imò ſpe privant virtutis divinæ. Nam ſi vel Plutarcho, prudentiſſimo ſanè & optimo Rempublicam tractantium Magiſtro credimus, *divina natura (cujus ſe Principes ſimiles efficere cupiunt*, utpote Potentiſſimi, præſertim qui Invictiſſimi appellari „ ſuſtinent amantquè) *tribus his excellere videtur, perpetuitate, vi & virtute: inter „ quæ ſumma certè majeſtas eſt & divinitas virtutis. Perpetuis enim, hoc eſt, interitûs „ expertibus eſſe, etiam Inani & elementis contigit: terræ motus, fulmina, ventorum „ turbines, fluviorum inundationes, vim habent magnam: juſtitiæ autem & æquitatis, „ quæ in Deo ſunt, nihil niſi quod ſapiat, & res divinas intelligat, fit particeps. Quam„ obrem cum tribus modis pleriquè erga Deos afficiantur, admirando, timendo, hono„ rando: mirari eos ſolent, & beatos prædicare ob æternitatem interituſquè immunitatem; „ reformidare autem & metuere propter eorum dominationem & potentiam: amare au„ tem, honorare & colere juſtitiæ cauſâ. Et tamen hoc modo afflicti homines, immor„ talitatem naturâ noſtrâ ſuperiorem, potentiamquè in fortuna majori ſui parte poſi„ tam appetunt: virtute, quod ſolùm de divinis bonis in nos cadit, poſt hæc poſita: tanto „ quidem ii ſtultius, quòd vitam potentiâ fortunâ & principatu præditam juſtitia qui„ dem divinam, belluinam verò injuſtitia reddit.* Hæc ille in Ariſtide, illo Juſto. Quæ certè omnibus Principibus, qui veri paſtores populorum & patriæ patres jure audire volunt, meritò commendata ſint oportet. Quod ſi fieret, quæ non exoptata rebuſpublicis rediret forma? Equidem dum hæc vota publico bono conſecro, magnas me hoc ſpes maximo Chriſtiani orbis bono concipere & parere facit, dum ut genium & mores Sereniſſimi Danorum Principis Chriſtiani, laudatiſſimum Magni Parentis exemplum feliciter ſequentis (experientiâ certâ fultus hæc dico) ita & ſymbolum verè Regale, ac Chriſtianum, quia regnandi & Chriſtianæ vitæ ſpeiquè ſummam complexum, & benè jam in ipſo ætatis flore redolens, PIETATE ET JUSTITIA mente repeto. Hæc eadem ſi populares mei, utpote boni publici ſtudio dicta, penitius in animum admittunt, certò promittere auſim, longè certius & ſalubrius fore conſilium hoc, *pietatis debitæ documentum, quàm aliquod ex aſtris vel Cometis petitum vaticinium. Illi enim nullum, huic maximum eſt à vanitate & fallacia periculum. A quo Illuſtriſſimam D. Veſtram ſecuram eſſe jubeo, dum Eandem benè valere & feliciter agere cupio, mequè pronuncio eſſe

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu, ſtudio & officio

STANISLAUM LUBIENIETZKI.

Exempla mala nocent & in auctores recurrunt.

Avaritia privatorum perdit Rempublicam.

Principes Deo ſimiles ſint virtute.

Juſtitia virtus divina.

Deum miramur ob æternitatem, timemus ob potentiam, colimus & amamus ob juſtitiam.

Juſtitia vitam Principis divinam, injuſtitia reddit belluinam.

** Principis maxima dignitas & officium.*

Principi duæ virtutes unicè commendatæ ſint, Pietas ſcilicet & juſtitia.

** Conſilium ſalubre vaticinio Aſtrologico præſtat.*

N. 36. ad 31. & 32.

Ratisbonâ Hamburgum die 1. Junii 1665.

QUòd Generoſitas Veſtra in opere incœpto tàm diligentèr pergat, libentèr intelligo, idquè ſuo tempore libentiſſimè videbo. Methodum autem

atque

atque inſtitutum, cum tot Magnis Viris, quos Generoſitas Veſtra in ſuis die 20. Maji ſcriptis nominaverat, iterum iterumquè approbo. Doleo interea, quòd ad tam copioſas atquè uberes veſtras tàm ſiccè & Laconicè reſpondere nunc cogar. Diſtractus ſcilicet variis variè, adeò ut quæ vos calamo & jugi meditatione elaboratis, mihi vix mente percurrere & contemplari liceat. Non renuo ut Generoſitatem Veſtram pro ſua benevolentia & dexteritate ex meis literis quædam, quæ ſcilicet ad rem faciunt, excerpat inquè ordinem digerat. Utinam illa tutò lucem ferre queant! Quam quidem ego, quò magis admoveor publicis, eò magis reformido, gnarus multùm ſcribi ſecurius ab iis, qui ſibi ac privatim vivunt, quàm qui aliis publicis negotiis implicati. Ampliſſimi Domini Hevelii, Viri in arte Aſtronomica noſtro ſeculo Præſtantiſſimi, Prodromum ſuo tempore libens videbo, qui mitti poſſet per Schumacherum, Virum ut humanum, ita & mihi peramicum Norinbergam & inde hùc cum curribus ordinariis. Vellem autem, ut etiam pro P. Curtio exemplar aliquod addi poſſet. Vidi hodie apud Reverendiſſimum D. Archi-epiſcopum Saliſburgenſem Mundum ſubterraneum P. Kircheri, & quædam curioſa opera Mathematica P. Schotti, Vobis etiam proculdubio jam viſa. Ad longiorem illam Generoſitatis Veſtræ epiſtolam die 16. Maji datam etiamnum reſpondere plura non poſſum, quàm quod illa per omnia mihi placeat, oſtendatquè inſignem Generoſitatis Veſtræ eruditionem, indefeſſum ſtudium, prudens judicium, & benè de publico merendi enixam voluntatem. Id unicum optem, quod ſæpiùs ingeminavi, ut talis cùm ſit, noſter ſit. Quod alicubi apud Verulamium legere me olim memini, &, ſi rectè, in Sermonibus fidelibus, ubi P. P. Societatis Jeſu laudat, futurus ſemper

Publica officia gerentes cautè ſcribunt.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 10. Iunii 1665. *N. 37. ad 36.*

NOn diffiteor mihi Illuſtriſſimæ D. Veſtræ literas, prout illa de meis dicere ſolet, eò gratiores eſſe quò longiores fuerint. Verumtamen agnoſco illas quoquè breves gratas eſſe. Habet enim & in dictione aliquando gratiam concisa, ornata tamen & rerum ferax brevitas, judicibus ipſis eloquentiæ Magiſtris Quintiliano & Cicerone, qui etiam ut aliàs in epiſtolis familiaribus ſæpè brevis eſt, ita apud Atticum alicubi fatetur: *Breviloquentem jam me tempus ipſum facit.* Si non tantùm Venuſino vati, ſed & Medicorum filiis, tùm morum Ephoris, illis ſcilicet corporis, his animi animæquè Medicis credimus, *cœna brevis juvat*, & laudandus ac publicè utilis Scriptor inter alia

Breviloquentia interdum grata eſt.

Medici cœnam brevem ſuadent.

**Ethici temperantiam commendant.*

- dapes laudet menſæ brevis - - -

Quidni ergò & mihi ſatiſfaciat tàm rerum fœcunda quâm facunda Illuſtriſſimæ D. Veſtræ brevitas? Sed nec hoc negandum eſt eam iſta reſtinguere, ut ſimul & acuat ſitim. De Cometico quidem argumento & opere meo ſive in breve coactæ, ſive latius diffuſæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ literæ, mihi acceptiſſimæ, quia ſemper à candida manu datæ ſunt. Mihi quoquè temporis quandoquè brevitas illam dicendi lege neceſſitatis imponit. Quia verò publici boni ſtudio breves quidem, ſed crebros ex orbita Cometæ in Philoſophiæ Theoreticæ & Practicæ latiſſimos campos excurſus facio, ſatis mihi fit, dummodo loquaces meæ epiſtolæ patulas Illuſtriſſimæ D. Veſtræ inveniant aures, circumſtantibus tot negotiis, iiſquè publicis, eaſdem longè potiori jure ſibi depoſcentibus. Excerpta ex literis Illuſtriſſimæ D. Veſtræ operi meo inſerenda lucem tutò, utpotè aquilinis prudentiæ ac virtutis oculis prædita, ferre poſſe, tutò credere & dicere

Cœna brevis valetudini conducit.

Brevitas grata reſtinguit, ſed & acuit ſitim.

 poſſum,

Libertas ingenua nemini ingrata, tantominus exoſa eſſe poteſt.

poſſum, paremquè ſortem meis opto. Nequè verò utriuſquè noſtrûm vel etiam aliorum libertas, quæ ingenuum quemquè & boni publici ſtudioſum decet, ingrata, multo minus exoſa eſſe poteſt. Eſt enim non tantùm modica modeſtaquè, tùm virtutis & publicæ utilitatis ſtudium ſpirans, ſed & tempeſtiva, auctis & mortalium ſceleribus, & ſignis divinæ juſtitiæ in cælo & in terra viſis. Magnoperè verò Reſpublica Chriſtiana doleat neceſſe eſt, ſi Viri eruditione, virtute meritorumquè optimâ exiſtimatione præſtantes, (quibus quis rerum gnarus earumquè judex æquus Illuſtriſſimam D. Veſtram non accenſeat, & vel inter præcipuos non ponat?) optatâ libertate dicendi publicè profuturâ, per rerum ſuarum rationem gaudere non poſſint. Veritas tamen & publicæ utilitatis ratio ante omnia ſit curæ oportet. Atque * hìc, ſi uſquam, nos juris noſtri eſſe, & genuinâ libertate uti omninò par eſt. Prodromum Hevelianum non immeritò videre cupit Illuſtriſſima D. Veſtra. Video enim & Viros Doctos ac rei Mathematicæ peritos ab eo non pauca, præcipuè verò orbitam, flexum, motum ſtationemque Cometæ didiciſſe, quod ex ore quorundam habeo. Alios jam, brevi licet tempore ab editione libri interjecto, curſum ad ſideris iſtius conſpectum dirigere perſpicio. Cæterùm omnia hìc ex voto Illuſtriſſimæ D. Veſtræ evenerunt. Nam & Ampliſſimus Dominus Hevelius, pro ea qua eſt humanitate eximiâ, P. Curtio exemplar, ut amicitiæ & obſervantiæ monumentum miſit, & Schumacherus noſter, quem & ego talem experior qualem Illuſtriſſima D. Veſtra dicit eſſe, faſciculum illum à me ſibi commendatum ritè curavit, per hominem Norinbergâ ad vos rectà, & quidem ſine longa cunctatione, iturum. *Mundum ſubterraneum P. Kircheri* & ego his diebus in Bibliopolio vidi. Miror Viri illius ingenium, quod reconditurum ſe ſub terra, ibique in perſcrutandis ejus viſceribus vires ſuas explicaturum putabam. Sed ecce terras mariaque feliciſſimâ pernicitate pervagatur. Et neque his coërceri ſe patitur: quin imò in cælum evolat, illudque explorat. Gratulor tàm felicis ingenii Viro de tantis tanti operis Patronis & Mæcenatibus Munificentiſſimis, Auguſtis ſcilicet Cæſaribus, Ferdinando III. Glorioſiſſimæ recordationis, & Leopoldo rerum jam feliciter, quia repreſſo Ottomanicæ arrogantiæ furore almâ altaquè pace potiente, tùm Auguſto illo Brunſvicenſi, Sene Incomparabili, nec non Eminentiſſimo Moguntino & Sereniſſimo Palatino Electoribus, Principibus ut aliarum laudum, ita & literarum fulgore ſupra communem mortalium ſortem longè Illuſtriſſimis. Mihi baud leve ſaxum volventi, ut robur opportunâ liberalitate aliqui tales Euergetæ indant, jurè meritoquè opto. Nam in exſilio, quod ſolius conſcientiæ Dei cauſâ cum familia tolero; rem mihi tenuem & exſuctam eſſe, ratio ipſa, vel me tacente, dicit. Non me tamen vel macilenta invidia, vel cœca timidaquè avaritia, vel tumida ambitio diſtringit. Rectè facti conſcientiæ bonam ſpem adjungo, & *ad illud*, ut ſic dicam, *Promontorium*, ex longa peregrinatione mare Atlanticum,

Veritas & bonum publicum omnibus rebus præferendum.

** Libertas in dicenda veritate & curanda publica utilitate omnibus recti amantibus ineſt.*

Virtutis ſtudium bonæ ſpes ſequitur.

- - - - ubi cælifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum

petens perveni. Fortunatas inſulas adibo, illàc enim navigationis curſus inſtituendus eſt domum reverſuro, ut juſtam referam mercedem, minimùm de illa bonæ conſcientiæ famæquè certus, &, ſi vel maximè minentur naufragium venti ſæviantquè procellæ, ad portum Gratiæ afflante divini favoris vela ſtudiorum implentis Favonio, appulſurus navim, quæ Syrtes multorum naufragio nobilitatas, Scyllam quoque & Charybdim &

Infames ſcopulos Acroceraunia

illæſis remigiis ſuperavit. Quod ſi tamen, ut ſunt humana, non omnia ex animi ſententia fluant, in promtu eſt efficaciſſima medicina, patientia, eaque modeſta, juncta cum pietate & autarkeja illâ, rerum omnium ditiſſimâ, in quam nihil

** Patientia efficax in morbis animi curandis medicina.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nihil caſui, nihil fortunæ, nihil invidiæ, nihil deniquè iniquitati licet. Hæc nullis opibus emi vendiquè poteſt. Nulla ei hominum libido pretium facit vel adimit. Res enim eſt omnium liberrima, nec ullius arbitrio ſubjecta, & propriâ vi conſiſtens prorſùs immobilis. Ex his, ſicut & ex ſuperioribus videt Illuſtriſſima D. Veſtra me antè oculos habere illud Perſianum:

Libertas incorrupta, inconcuſſa, invicta.

Scopum laudabilem quivis, ad quem collineet, habeat.

Eſt aliquid quo tendis?

& rectâ viâ ad laudabilem publicæ utilitatis, propriæ verò conſcientiæ & exiſtimationis bonæ metam pergere, contrà omnia adverſa infracto & intrepido præditum animo. Si Hevelium, ætatis noſtræ (abſit invidia verbo) Atlantem, alioſquè Aſtronomos celebres, & Viros eruditione diffuſa per omnia clariſſimos, Cometa nuperus multa docuit, ſanè & me, qui diſcendi ſtudio nemini cedere volo, idquè ex profeſſo meis conatibus ago. Quòd illa verboſior epiſtola die 16. menſis elapſi ſcripta tantum placuit Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, tribuo id ejuſdem non in me tantùm, ſed & in bonas literas, quas honos alit, & in publicam utilitatem ſtudio ſingulari. Eidem illi ſtudio in me propenſo frequens imputo votum, quo me Illuſtriſſima D. Veſtra Veſtrum eſſe cupit. Sed ſatiſfactum iri Eidem, imò omnibus ſpero, eo ipſo dum citrà Sectarum invidiam primitivam Chriſtiani appellationem, ut & ſententiam de fide, & quidem omnibus communem, Symbolo ſcilicet Apoſtolico comprehenſam, quam verba in ſe ipſis naturaliter poſita & clariſſima Scripturæ Sacræ, cuncta creditu & factu ad ſalutem neceſſaria complectentis, docent. Ita nulli moleſtus, non tantùm meis, ſed & omnibus, ad ſalutem quoquè, prodeſſe cupio. Sed quò deferor? ex orbe ſcilicet Aſtronomico in Theologicum prælucente Cometæ, ſed & voti Illuſtriſſimæ D. Veſtræ face. Itaquè redeo in orbitam, & bonâ fide dico, me ut omnibus, licet à me in rebus fidei diſſentientibus, virtutis bonarumquè artium ſtudiis ac Chriſtianæ inſtitutionis vinculis conjungi, ita ſingularibus nexibus obſtrictum eſſe ac magis magiſquè obſtringi, ut ſim

Diſcimus & diſcere debemus omnes quotidie.

Honos alit artes. Cic.

Occaſio nulla virtutis commendandæ negligenda.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio deditiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 4. Iunii 1665. *N.37. ad 33.*

ITerum ad me ſolito & debito tardius venerunt, aliàs gratiſſimæ Generoſitatis Veſtræ. Novit tamen, nova gratiam plerumquè amittere, cum fiunt vetera. Laconiſmus P. Curtii ſingulare Viri illius judicium indicat, quo ſanè præ multis aliis ipſe pollet: adeò ut multa mihi optem, quæ in illo admiror & colo. Pro communicatis tàm novis, quàm etiam Cometicis maximas ago gratias. Bullialdo, Heinſioquè ac Hevelio, Viris undiquaquè eximiis, commendari me quavis occaſione peto. Gaudeo autem, nos omnes in eo convenire, & quaſi coincidere, quòd maturanda ſit editio partûs, quem præſtantiſſimum ingenium Veſtrum jam parat. Niſi me continua negotia & tædia à ſuaviſſimo aliàs commercio Muſarum invitum abriperent, mox tentarem depoſitam chelym, ſi fortè Epigramma aliquod Operi tàm excellenti adnectere poſſem, quaſi corollam amicitiæ indicem, aut comitem libro per tot mundi regiones, inquè ſecula futura ituro. Nullus verò dubito, Generoſitatem Veſtram alios amicos, quibus felicior vena, aut majus ocium eſt, in partem vocaturam, curaturamquè, ne etiam hîc aliquid ornamenti venuſtiſſimo libro decedat. Quem conſpicere cum tot aliis aveo & conſtanter maneo

Nova recentiſſima gratiſſima.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N.38. ad 37.

Hamburgo Ratisbonam die 13. *Iunii* 1665.

OMni conatu & ſtudio in id intendo, ut per omnia votis Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ſatiſſiat. Ideo & nunc & multa & multum & ſolito citius mitto. P. Curtii elegantem eruditionem Laconiſmo gaudentem, & acre judicium indicantem, & ego agnoſco venerorquè. Sed Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ. Operam meam in communicandis illis de argumento Cometico aliiſque aſſiduò impendi ſolitam, Illuſtriſſimæ D. Veſtræ gratam eſſe, libenter intellexi, & curabo ſedulò, ut in poſterum quoquè idem officii Eidem præſtem, quò *neminem habeat diligentiorem & officioſiorem*, quam laudem neſcio cui Veſtorio alicubi Cicero admetitur. Si Illuſtriſſima D. Veſtra teſtudinem, urgentibus morbis negotiiſque publicis, de arbore tantiſper ſuſpenſam reſumere, & aliquod melos in perenne optimæ & fidiſſimæ amicitiæ μνημόσυνον edere ſuavi modulamine voluerit, hoc à libertate arbitrii & affectûs ejus pendet. Ego talia ambitioſè non quæro, nec capto, oblata tamen Cynico more non rejicio. Feliciſſimi ingenii Poëta Nicolaus Heinſius, in quo redivivum Patrem omnes agnoſcimus, & gratantes veneranteſquè complectimur, præſtare id optimè poſſet. Ego tamen eo nomine eum, licet alioquin, quod ſat benè ſcio, Amiciſſimum & optimè cupientiſſimum mihi, non compellabo, genuinæ induſtriæ & candoris conſcientiâ, etſi cætera abſint, contentus. Cum Illuſtriſſima D. Veſtra tamen, quæ de hac quærenda elogii corolla aurem mihi pro ſolita benevolentia & ſinceritate vulſit, paulò confidentiùs tanquam mecum ipſo hîc loquor. Ingenuis & honeſtis parentibus, priſcâ Sarmatarum αὐτοχθόνων (indigenarum) Nobilitate gaudentibus, editus, honeſtequè ab iis domi foriſquè educatus, honeſti matrimoniii fructum, ternam prolem maſculam, unam fœminam, ferens, olìm in patria Equitis modicum agellum, nunc in peregrino ſolo honeſti & induſtrii Viri ritu, ſtudia & media vitæ legitima colentis agens, in ſectanda virtute & artibus ſapientiæ paranda publicequè commendanda totus ſemper ſum, nec ſine laude mercedequè, Dei munere, honeſta æquis meritorum æſtimatoribus accepta officia præſto, nec non Amicis Viris omni laude digniſſimis, ac inter eos Tibi cumprimis Illuſtriſſime Dignitate, Eruditione, Virtute Meritiſquè Rautenſteini, in hoc vitæ meæ genere.

Diligens & officioſus amicus eſto.

Poëtica ſtudia depoſita reſumere.

Auctor modeſtiam debitam ſe ſervare affirmat, rectè facti conſcientiâ vel ſolâ, tùm generis, educationis, vitæ & ſtudiorum honeſtate contentus futurus.

Rautenſteinianis meritis debitum teſtimonium datur.

Diſſimile hoc illi eſt, quia non ut fors ſit, honorem
Jure mihi invideat quivis, ita Te quoquè amicum:
Præſertim cautum dignos aſſumere, prava
Ambitione procul:

quemadmodum olìm Flaccus, libertino patre natus, & poſterioris vitæ conditionis, priori longè modeſtioris, privatæ nempe, officioſâ illâ & ſplendidâ inferioris, ſed pacatioris & lætioris comparationem inſtituens, ad Mæcenatem ſuum ſcripſit. Sed, fateor, me illud, quod ſorte naſcendi obtigit, onus portare moleſtum, quod ille recuſabat. Namquè *me antiqua nobilitas premit & gloria Majorum*, quæ tanquam lumen nec bona nec mala poſterorum occultari patitur; tùm meritis omnibus viribuſquè major exiſtimatio, * ſed & exſpectatio tot Magnorum Virorum, quibus in reſpondendo votis, ſed & literis eorum de hoc argumento Cometico vix ac ne vix quidem ſufficio. Sed dabit Deus his quoquè finem moleſtis, ſaltem gravibus laboribus, cum laude, ut ſpero, conjunctum, & quia multo ſudore partum, ideò & lætiorem ſuavioremquè futurum. A Clariſſimo Heinſio nihil literarum hac vice accepi. Accepi verò heri egregias Symbolas Operi meo, cum Bono Deo, inſerendas à Clariſſimo Fratrum Bartholinorum pari Thoma & Eraſmio. Quæ à Clariſſimo Bullialdo hodie accepi, ipſum autographum docet. Abrumpendum tandem paulo poſt erit literarum de hocce argumento commercium. Alioquin opus in immenſum exceſceret, cui nec perficiendo nec edendo ad ultimum ſufficerem. Nec Illuſtriſſimæ

Nobilitas Majorumquè gloria oneri eſt, quòd ſit aſſiduo egregiis factis exornanda.

** Exiſtimatio meritis & viribus major gravis, ſed induſtriâ ſuperanda eſt.*

‡ Laborum merces gloria, eò gratior, quò illi graviores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſimæ D. Veſtræ in poſterum de hoc moleſtus ero, ut puto (niſi forte aliud res & tempus præter deſtinatum attulerit) poſtquam ad præcedentes meas & has præſentes, reſponſum & liberum de adjunctis judicium Ejuſdem fuero conſecutus. Quam ut bene diuquè valere, ita & quàm proſperrime agere cupio ex animo

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio & cultu

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 8. *Iunii* 1665. *N.* 38. *ad* 34. & 35.

BInæ Generoſitatis Veſtræ jam tandem nudius quartus ſimul hùc perlatæ ſpem mihi faciunt, ut & ſuccedentes ſtato impoſterum ac juſto tempore, ut antea, deferantur. Meas autem omnes ſingulis hebdomadibus bis ad Vos perveniſſe non ambigo. R. P. Curtio cras, Deo volente ſcribam, videboquè, ut per ipſum ea quæ deſiderat Generoſitas Veſtra typi Cometici Ingolſtadienſis exemplaria nanciſci, & per viam Norinbergenſem ad Vos mittere poſſim. Opus autem erit, ut numerus determinetur exemplarium, quo ſimul imprimi & aptari queant. Prodromum D. Hevelii ſummo cum deſiderio exſpecto, non dubitans illum multa rara & hactenus nobis incognita continere. Peto autem meo nomine inſigni illi Viro debitas pro munere iſto gratias agi, Eumque plurimùm ſalvere jubeo. Ut & Clariſſimos Viros, Heinſium & Bullialdum. Quorum illi optarem, ut ſe curis civilibus extricare poſſit & ſic melius vacare literis, quibus imbutus eſt variis. Ordo quem ſervare conſtituit Generoſitas Veſtra in editione operis ſui, mihi non improbatur. Interea exſpecto etiam reſponſum ipſius ad nuperas P. Curtii literas. Finio & Generoſitatem Veſtram optimé cum ſuis valere jubeo, maneoquè conſtanter

Hevelium Rautenſteinius magni æſtimat.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 17. *Iunii* 1665. *N.* 39. *aa* 38.

GRatulor multùm meas literas tunc cum poſtremas ſuas Illuſtriſſima D. Veſtra ad me daret, ſtato tempore illùc fuiſſe perlatas. Optarem omnibus meis in poſterum eandem fortunam, quò vota Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ritè implerentur, ſimul verò & mea, quo nullus lubentius facit ea quæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ grata ſunt. Commendabo meas literas iterum iterumquè præfecto tabellariorum, eaſdemquè tempeſtivè, quod etiam variis licet occupationibus diſtractus hactenus facere ſtudui. De promiſſis exemplaribus typi Cometici Ingolſtadienſis debitas Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ago gratias. Quam brevi Prodromum Hevelianum, egregium profectò opus, jucundum & rei Mathematicæ ſtudioſis perutile, accepturam ſpero. Clariſſimo Heinſio egregiè literis imbuto & ego literatum otium, quo nil dulcius eſſe Cicero literis in ſuo Tuſculano immerſus, ideoquè propriâ experientiâ edoctus aſſerit, optem. Poſſet enim Vir ille liberali præditus ingenio doctis & lepidis libris rem literariam ornare & ditare. Atquè hoc etiam Illuſtriſſimæ D. Veſtræ unaquè vitam longævam & conſtantem valetudinem, lætum deniquè rerum Succeſſum precor

Otium literatum dulce.

Eidem Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N.39. ad 36.

Ratisbonâ Hamburgum die 11. Iunii 1665.

Ratisbonenſis Conventûs res dubiæ.

PAuca nunc ſcribenda occurrunt, cum hîc omnia in antiquo ſint ſtatu, id eſt, inter ſpem & metum. Licet ut ſine ambitione, ita & ſine invidia dicere, nos quidem ſtrenuè in promovendo bono publico laborare & deſudare, ſed non pauca impedimenta conatibus noſtris hinc illinc objici. Verum tamen ſperamus nos ea ſuperaturos, & ad optatum Diætæ iſtius finem perventuros. Quod etiam Generoſitatis Veſtræ in ejus opere precor, & gaudeo Eandem illius editionem magno ſtudio promovere. Ego meis partibus, ut aliàs, ita & apud R. P. Curtium, non deero. Libenter enim opus illud quamprimùm viderem, quod ſpero multum delectationis & utilitatis ſecum allaturum. Plura nunc ſcribere non vacat variis impedito negotiis publicis. Hoc tamen unum ſilentio præterire non poſſum, nuper admodum Sponſalia inter Archiducem Auſtriæ Sigiſmundum Franciſcum, & maximam natu Principem Palatinam Sultzbacenſem celebrata eſſe, comparente illic nomine Sponſi cum pretioſis muneribus Comite Conigſeckio. Sperandum eſt haſce nuptias multum boni non tantùm Fratribus, ſed & Agnatis Sereniſſimis, totiquè adeò Inclytæ Domui Palatinæ allaturas. Proximè plura, volente Deo. Maneo nunc & ſemper

Archidux Auſtriæ Sigiſmundus Franciſcus Principem Palatinam Sultzbacenſem ſibi deſpondet.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N.40. ad 39.

Hamburgo Ratisbonam die 20. Iunii 1665.

POſtremæ literæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ die 11. hujus ſcriptæ, nil de re Cometica continebant. Itaquè non habeo, quod nunc Illuſtriſſimæ D. Veſtræ de hoc argumento reſpondeam. Dabo tamen quædam hùc ſpectantia, aliaquè Illuſtriſſimæ D. Veſtræ grata futura. Mira & triſtis rerum Polonicarum facies. Nulla pœnitentiæ, poſt tot & tanta in cælo & terra edita, apparent ſigna. Formantur caſtra, inſtruuntur acies, infeſtis ſignis concurritur. Si ſic pergunt, bellum civile atrox & funeſtum, quod abſit, præter illud cum Moſco externum & periculoſum, ac indomitam Coſacorum rebellionem habent. Ecce verò triſtem conflictum Britannos inter & Batavos, quo violata ſunt cuncta divina humanaquè. Ingratus dubio procul nuncius hic erit Heinſio & Pelſio, communibus noſtris Amicis, quia & nobis omnibus eſt. Quanto deſiderio ille ardeat operis mei, autographum ejus teſtatur. Miror autem quòd me Magno Hevelio componat. Sed exiſtimo cum intelligere illa, quæ operi meo præter Mathematica, inerunt Phyſica, Politica, Hiſtorica, Ethica, & id genus alia. Cæterùm ego Hevelio, tanquam Aſtronomorum noſtræ ætatis Homero, aſſurgo. Video & præſtantes alioquin Aſtronomos palmam ei porrigere. Cum verò quandoquè & bonus dormitet Homerus, tùm cumprimis

Anglos inter & Hollandos conflictus navalis.

- - opere in longo fas eſt obrepere ſomnum,

Errores in opere longo facilè ſubrepunt.

ſcio me æquè ut alios hominem eſſe & errare poſſe, in eo libertatem nobis communem competere cuiquè, & excuſatione me quoquè, ſicut quemquè dignum eſſe. Scimus & hanc veniam petimuſquè damuſquè viciſſim. Sed etſi de hac æquitate certus ſim, licenter tamen & negligenter ſcribere me non juvat, ut

Veniam erroribus mutuò ſibi debent mortales.

- - - tutus & intrà
Spem veniæ cautus - - -

mancam, hâc enim ratione effugi culpam, ſed non ſum aſſecutus laudem, cujus ſpe

Laudis ſpes præclarè facta parit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſpe ad præclarè facta optimus quiſquè invitatur. Multa me in hoc de Cometis argumento præteriturum ſilentio, imò multa me præterire ac ignorare, (quem enim vel ſapientiſſimum quemquè non prætereunt multa?) lubens meritoquè confiteor. Et quid miremur animum hæc vel illa circa Cometas, aliaquè, quæ in oculos noſtros incurrunt ignorare, cum ſeipſum adhuc ignoret, & quid ſit, quomodo oriatur, ubi ſit, docere necdum nos poſſit? Sed ſatis ſcimus, ſi Chriſtum ſcimus: aliàs nihil eſt quòd cætera diſcimus. Satis ſcimus, ſi ſcimus & facimus officium. Alioquin & Athenienſes ſciunt quæ recta ſunt, ſed facere nolunt: ſicut Cicero alicubi memorat. Inter officia verò noſtra perquam neceſſaria eſt, hâc quidem tempeſtate, modeſta patientia & imperturbata conſtantia. Næ * ſapientem, præcipuè in Schola Chriſti, ſapientiſſimi Magiſtri, exercitum, & præceptis invictæ virtutis munitum, *non verbis impulſæ fragor territat*, ut Seneca de Sapiente ep. 56. ait, nec orbis fracti ruina pavore concutit. Quid enim? ‡Spem vitæ melioris habemus, infallibili promiſſione divinâ ſancitam, ſanguine Filii ejus unici ſignatam, arrhabone inſuper Spiritus Sancti munitam: in quam nihil invidiæ, nihil fortunæ licet, & quæ ſemper, etiam in extrema penuria, eſurie, ſiti, alit, nunquam fallit. Hæc ego & in illo opere meo, prout res feret, commendare & inculcare non negligam, & ubivis notabo

Laudis ſpes præclarè facta parit.

Sapientiſſimos quoquè multa latent.

Patientia & conſtantia in adverſis Chriſtianos decet.

** Chriſtiana ſapientia fortis, invicta, immota.*

‡ Spes Chriſtiana certa, dives, infallibilis.

Occaſio commendandæ virtutis nulla negligenda.

- - - quo virtus quo ferat error.

Cæterùm finiam juvante Deo, brevi opus, ne amplius mihi & aliis moleſtus & gravis ſim; pertexam, utcunquè potero, telam, nec me longius dilatabo, nam &

Fabula quæ poſci vult & ſpectata reponi

in pretio habetur. Alioquin Illuſtriſſime Rautenſteini

Non me dimittes incaſtigatum, ubi plura
Cogere quàm ſatis eſt, ac non ceſſare videbor.

Modus in literis quoquè tractandis ſervandus.

Quanquam, ut dicam quod ex animo ſentio,

- - - - Magnum hoc ego duco
Quod placui Tibi, qui turpi ſecernis honeſtum.

Cui rei & hæc Heinſiana teſtimonium præbent quæ adjungo: Continuationem reſponſi, R. Curtio debiti, quamprimùm fieri poterit, mittam, juvante Deo. Reverà enim tot laboribus ſufficere vix poſſum. Velim autem ad meas nuperas obtinere reſponſum. Ejus enim communicatio proximè ſequetur Veſtram, cum divelli nequeant. Hanc verò Heinſiana, Gerrichiana, Bartholiniana: iſtam, ut puto, Bononienſis, demum Romana, tum Heveliana, à quo mihi nonnulla exſpectanda diutius erunt, interim impreſſionis labor retardaretur in ipſo curſu. Adhæc puto ſatius eſſe præmiſſis aliquot Communicationibus, & quas hæ continebunt, ſententiis & diſputationibus, ſententiam ejus tanquam decretoriam ſubjicere. Sed ſi hoc attendendum eſſet, poſtremo illa loco poni deberet, ut clauderet agmen. Itaquè cum deſiderio exſpectabo Illuſtriſſimæ D. Veſtræ tùm & Curtianum reſponſum, qui ſemper maneo

Communicationum ordo ab Auctore inſtitutus.

Hevelianam communicationem cur Auctor poſt aliquot demum alias ponat?

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu, ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 15. *Iunii* 1665. N.40. ad 37.

Literas Generoſitatis Veſtræ ad R. P. Curtium cras curabo, & ſimul præfationem operis veſtri tranſmittam. Utrumquè mihi, ut omnia Veſtra, perplacet.

 P. Schot-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

P. Schottum jam diu novi, Virum humaniſſimum & doctiſſimum. Non dubito illum Generoſitati Veſtræ reſponſurum: Ipſam autem vidiſſe, quæ ille nuper edidit, ſatis, ut mihi videtur, curioſa. Optem ſaltem plus mihi otii ſuppetere ad legenda talia, quibus magnoperè delector, bonorum librorum lectioni ab ineunte ætate aſſuetus. Qui cum nunc occupatiſſimus ſim & negotiis & interventu hoſpitum, abrumpere cogor, proximè, Deo volente, uberius ſcripturus, præſertim ſi materiam mihi ſuppeditet Generoſitas Veſtra. Cujus maneo conſtanter

Rautenſteinii amor in literas.

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N. 41. *ad* 40.

Hamburgo Ratisbonam die 24. *Iunii* 1665.

Libenter nunc miſiſſem continuationem reſponſi Curtiani, quod addixi, ut non tantùm ejus, ſed & Leinbererianum Ingolſtadio judicium, de illis quæ propoſui, obtinerem. Sed id præſtare per varia & inſuperabilia impedimenta non potui. Vellem autem illud tantò citius conſequi, quantò magis mihi, ut Amicorum, opus meum integrum priuſquam editionem ejus inchoaverint, videre cupientium, votis ſatisfaciam, ſi poſſim, totis viribus curandum eſt. Conſtitui verò, ſpe divini auxilii fultus, ex conſilio Amicorum Hollandorum, ut mille exemplaria libri mei imprimantur. Itaquè totidem exemplaribus Tabulæ illius Uranographicæ Ingolſtadienſis opus haberem. Qua in re, ut me Illuſtriſſima D. Veſtra validâ auctoritate apud P. Curtium, perquè eum apud P. Leinbererum juvet, officioſè rogo, & quanti ad id obtinendum ſumtus requirantur, certior reddi cupio. Utrique mitto hoc apographum Hevelianæ epiſtolæ die 17. Junii datæ, heri ad me perlatæ. Prodromi ejus Prodromum cum expedito tabellione hodie Bononiam ad P. Ricciolum, inde Romam ad P. Kircherum, mitto, opuſculum, ut ſpero, utile futurum, non tantùm ob compendii gratam brevitatem, ſed & ob operis ipſius quandam ab Auctore factam correctionem, quæ fortè cum tempore augebitur; tùm ob quædam ex literis Auctoris ad me datis, aliaquè mea additamenta Hiſtorica & Chronologica: ad quæ non tantùm Hevelianum ſed & Ricciolianum reſponſum aliquando exſpectabo. Quod mihi non tantùm ab humanitate P. Schotti (cujus opera egregia, in quibus de ſuo illo Clariſſimo Socio Kirchero ſingulariter meritus eſt, valdè laudari ſcio, & nonnulla me vidiſſe fateor) ſed & ab Illuſtriſſima D. Veſtra promitti, mihi gratulor, qui multorum Virorum ſcientiâ rerum Mathematicarum Præſtantiſſimorum, obſervationes & judicia de Cometis conquiro. Benè valeat & ſalveat Illuſtriſſima D. Veſtra ab eo, qui eſt ad uſque tumulum

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

Stanislaus Lubienietski.

N. 41. *ad* 38.

Ratisbonâ Hamburgum die 18. *Iunii* 1665.

Prodromum Cometicum Domini Hevelii ante triduum accepi, eoquè nomine non ſolùm Generoſitati Veſtræ ingentes ago gratias, ſed etiam rogo, ut eaſdem ipſi D. Hevelio tantiſper nomine meo referre velit, donec ipſe ad eum ſcribere & gratum ipſi animum declarare poſſim. Quod ideò ſaltem differo, ut prius R. P. Curtii reſponſum quoque unà cum promiſſo exemplari Hiſtoriæ cæleſtis accipiam, poſtquam ei & literas Veſtras, & exemplar Prodromi à D.

à D. Hevelio ipſi deſtinatum jam tranſmiſi. Alia quæ ſcribam, nunc vix ſunt, quàm quòd iterum hîc laboremus ſub manu, ut ajunt, an negotia noſtra, tanto tempore dilata, reaſſumere & finire aliquando poſſimus. Benè valeat cum ſuis Generoſitas Veſtra, & conſtanter redamet

G. D. Veſtræ

Paratiſſimum Servitorem

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 27. Iunii 1665.

N.42. ad 41.

MUltum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ & mihimet gratulor, quòd me per Schumacherum accurante, Cometicus Clariſſimi Hevelii Prodromus illùc jam ſit perlatus. Non dubito tàm egregium opus non tantùm corporis, ſed & animi oculos cujuſvis bonarum literarum amantis, præſertim verò rerum Aſtronomicarum gnari, mirè delectaturum. Non negligam ei proximâ occaſione, volente Deo, nomine Illuſtriſſimæ D. Veſtræ gratias agere; heri enim à me materiâ ſcribendi deſtituto, & multitudine gravium laborum preſſo, fieri id nequaquam potuit. Libenter alioquin & Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, & Viro illi ſingulari, rerum Aſtronomicarum ſcientiâ & humanitate ac in me benevolentia conſpicuo, id officii præſtitiſſem. In perficiendo quamprimùm opere meo, omnem adhibeo curam & diligentiam, quam inter tot laborum, quos mihi exantlandos rerum mearum ratio imponit, moles, tenuitas virium mearum præſtare poteſt. Libenter enim viderem ſi opus hoc ante inſtantes nundinas Francofurtenſes prodire poſſet, cum hoc rerum mearum valde interſit. Quâ de re heri literas ad Amicos Hollandos, qui hujus negocii curam in ſe ſuſceperunt, ſcripſi, eoſquè, ut ſinè omni mora opus cum Bono Deo inchoënt, inſtanter rogavi, me quoquè ſinè mora aliquot centenos Imperiales thaleros illis in hunc uſum tranſcripturum pollicitus. Sed monent illi, tùm verò & alii Amici hîc degentes, quod & Illuſtriſſima D. Veſtra jam ante monuerat, & mihi ſemper animo obverſatur, ne grandem hâc ratione rei familiaris fortunarumquè jacturam ſubeam. Suadent itaquè ut obtineam apprimè neceſſaria huic inſtituto ab Auguſtiſſimo Imperatore, nec non Rege Chriſtianiſſimo & Celſiſſimo & Fœderati Belgii Ordinibus privilegia. Quâ de re quid hodie ad Amicum quendam ſcripſerim, mitto, & excerpta quædam ex nuperrima ad P. Kircherum epiſtola ſubjicio. Propoſitionem illam de privilegiis ſubacto Illuſtriſſimæ D. Veſtræ judicio ſubmitto, & quid conſilii ſit capiendum, rogo. Certius certo etenim eſt maximè rerum mearum privatarum intereſſe, ne impenſis in editionem tanti operis haud modicis factis fructu, juſtæ & debitæ utilitatis per ſuppoſitam ab aliquo homine avaro & fraudulento, quales & noſtra fert ætas, operis editionem, prorſus excidam. Sed non pauca, quæ me tangunt, hîc in conſiderationem veniunt, quæ quia nec Illuſtriſſimam D. Veſtram latent, judicium hîc ejus anxiè præſtolabor: cui quantum hîc fidam, ipſa probè novit. Res Veſtræ, ſuperatis jam ferè diſſenſionum illarum difficultatibus, concordiam de ſe pollicentur. At Polonicæ nonniſi majorem, proh dolor! in dies diſcordiam, in apertum non tantùm diſſidium, ſed & bellum civile, quô, ſi unquam, nihil nunc periculoſius, imò exitiabilius dari poteſt, erumpentem. Adverſa namquè jam formantur caſtra, inſtruuntur hoſtiles civium copiæ, imo jam *cives cum civibus in media Republica, quaſi arena, gladiatorio more concurrere*, ut alicubi Florus ait, incipiunt, infeſta ſigna provincias terrore, ſed & gemitu ac lachrymis implent. Plura dicere pudor verat dolori mixtus. Deus miſereatur patriæ! Et is quidem miſerebitur, ſi illa prius iniquè oppreſſorum. B. V.

Editionibus librorum furtivis occurrendum.

Bello civili nil pejus.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio & cultu

Stanislaus Lubienietzki.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N.42. ad 39.

Ratisbonâ Hamburgum die 22. Iunii 1665.

PRo conſtanti erga me affectu & ſtudio Generoſitati Veſtræ debitas ago gratias, mequè viciſſim ſingulariter devinctum eſſe agnoſco & profiteor. De Cometa, vel potius veſtigio aut reliquiis ejus à me & Illuſtriſſimo Brunſvicenſi Legato, qui me tunc temporis die 22. Maji in villam meam comitabatur, obiter obſervato, nunc quoquè plura ſcribere non vacat. Subterranea P. Kircheri, ut & alia Doctiſſimi illius Viri, viſu certè digna ſunt. Mihi perplacet, quòd Generoſitas Veſtra & apud illum, & alibi tàm honorificam mei memoriam facere dignata fuit, cum à laudatis laudari amem, & placere iis qui aliis placent & mihi, qui manſurus ſum conſtanter

Cometa die 22. Maji ad Ratisbonam viſus.

Laudes à laudatis accipiendæ.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N43. ad 42.

Hamburgo Ratisbonam Kalendis Iuliis Gregorianis Anno Chriſtiano 1665.

NIhil de Cometa die illa 22. Maji, vel etiam menſe illo conſpecto, aliunde accepi. Nemo id affirmat; nemo etiam negat. Innuat velim Illuſtriſſima D. Veſtra verbo, annon medius inter verticem & horizontem, ad plagam inter Meridiem & Occaſum, aut circa horizontem inter Occaſum & Septentrionem, tunc à Vobis fuerit viſus? Ibi enim animadverti debuiſſet. Quod ſi ita eſt, habebimus novum Cometam Majum. Nondum Româ, Bononiâ, Franequerâ & Dantiſco accepi reſponſum, de illo phænomeno ad cingulum Andromedæ Septentrionalius, quod, ſi viſum eſt, novum fortaſſis Cometam, ab illo qui menſe Februario & Aprili fulſit, habebimus. Quod certè foret ſingulare divinæ juſtitiæ, tot Cometis nos à vitiis abſterrentis, ad virtutes autem incitantis, documentum. Pollicitatio Illuſtriſſimæ D. Veſtræ de humano P. Schotti reſponſo, ſpes meas non eſt fruſtrata. Accepi enim ante triduum ab eo multa curioſa & egregia: hodie illi reſpondeo. Ad Ricciolum quoquè ſcribo. Tùm & alteram operis mei partem, cras Deo volente in Hollandiam mittendam, illa ſcilicet inter Illuſtres quoſdam Præſtantiſſimoſquè Viros, qui nominari nolunt, & me ultrò citroquè ſcripta, ut & iconiſmos Cometicarum Obſervationum æri incidendos, paro. Itaquè hic finio, conſtanter manſurus

Cometa menſe Maji nuſquam viſus.

Phænomenon ad cingulum Andromedæ Septentrion.

Cometa officii admonet mortales.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu & ſtudio

Stanislaus Lubienietzki.

N43. ad 40.

Ratisbonâ Hamburgum die 25. Iunii 1665.

MIſſa ad me nuper à Generoſitate Veſtra circa Cometam, remiſi, nunc quoquè poſteriora remitto. Vellem ut & carmen addere poſſem, ſi per otium liceret. Sed ego ita obruor continuò publicis privatiſquè, ut vix caput ſcalpere, aut morbis vacare curandis liceat, ne dicam carmina ſcribere, quæ

Occupati ſibi ipſis vacare nequeunt.

- - ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

Quicquid ſit, videbo, an nihilominus aliquid extundere, vel invitâ Minervâ poſſim,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

poſſim, idquè maturè tranſmittere, antequam impreſſioni operis Veſtri colophon imponatur. Clariſſimus Heinſius proculdubio melius & libenter Generoſitati Veſtræ in hoc gratificaretur, dummodo id ipſi aperire vellet, quod meo quidem judicio dextrè & facilè fieri poſſet. Ego nunc brevibus ſcribo. Nam ſanè occupatiſſimus ſum, & tempore excluſus. Verbo tamen dico quod meritò dicendum eſt, quod ad infandum illud vitium Sodomiticum attinet. Credo neminem piorum Catholicorum illud approbare, multo minus Encomiaſten ipſius, qui fertur: quem tamen ipſe nunquam vidi nec videre vellem. Memini autem quid olim legerim in Bezæ poëmatibus de Candida & Audelbertulo, infandiſſima certè, & meritò à quamplurimis utriuſquè profeſſionis reprehenſa. Sed quiſquè ſuos patimur manes. Optimus ille eſt, qui minimis urgetur. Unum addo: Si Cometis adſcribenda ſunt, quæ in Polonia, in Mari Britannico & alibi contingunt, magnus profectò eorum effectus eſt, Sed ego ad altiora principia inniti ſoleo, non tamen ita, ut hæc inferiora deſpiciam, vel cauſas ſecundas negem. Quod ſupereſt, ad priores me refero, maneoquè conſtanter

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 4. *Iulii* 1665.

N.44. ad 43.

DE Carmine operi meo, vice ornamenti addendo, id repeto, quod antè dixi: me ſcilicet illud nec ambitioſè quæſiturum, nec indignè rejecturum. Illuſtriſſima D. Veſtra id ſi fecerit, appendet hederam vino vel invendibili (cui, ut Comicorum Princeps cum experientia ait, oportet ultrò emtorem adducere) vel certè in abſtruſo ſito: quanquam & talis, dummodo proba merx, qualem meam fore, juvante Deo, non deſpero, facilè emtorem invenit. Vel etiam amicitiæ noſtræ meliori perenne eriget monumentum. Itaquè id arbitrio Illuſtriſſimæ D. Veſtræ relinquo. Cujus conſilium & Amicum, id eſt, exomni parte ſincerum & prudens, utpote multo uſu ſubactum, ac proinde ſolidum, cui tutò inniti queam, hoc præſertim rerum mearum ſtatu, requiro & exſpecto. Non enim Illuſtriſſimam D. Veſtram latent ea quæ ad me pertinent, & hic ſub incudem judicii revocanda ſunt. Ita enim me gerere in hoc opere vellem, ut nonniſi bonarum artium virtutiquè inimicorum (quibus nemo niſi eorum per omnia ſimilis ſatiſfacere ex voto poteſt, quod eſt à mea natura prorſus alienum) invidiam, quam utinam, ſaltem per modeſtiam & humanitatem eorum vitare liceret! incurram: omnibus verò literarum & virtutis artes amantibus complaceam. Huic fini mitto nuper ad Amicum communem ſcripta, unà cum reſponſo ejus autentico, ut utriuſquè noſtrûm ingenuâ libertate perpenſâ, mihi id conſilii ſuggerat, quod publicè privatimquè ex uſu ſiet. Amicitiæ jura, quæ inter bonos ſacra ſunt, in præſidium & juvamen non adduco; ſatis de candore Illuſtriſſimæ D. Veſtræ certus, ejuſdemquè infinita argumenta in ſcrinio cordis mei aſſervans. Quanto cum deſiderio Nobiliſſimus Heinſius operis mei editionem præſtoletur, apographum epiſtolæ hodie mihi redditæ teſtabitur. Ita hinc inde monitis, votis, precibuſquè Amicorum ad opus illud prælo quàmprimùm committendum urgeor. Et miſi quidem nuper in Hollandiam omnes ferè typos obſervationum Cometicarum æri incidendos. Ex communicatione Illuſtriſſimæ D. Veſtræ necdum quicquam miſi. Nec mittam uſquequò reſponſum ad has accepero, & tempus mittendi opportunum videro. Ex illis enim menſuram capiam, quam viam, ſive potius juſtam libertatem & tutam prudentiam inter mediam ſemitam carpere debeam. Huic fini & harum epiſtolarum exempla, adjectis & marginalibus, ubiquè ità ponendis, quæ non tantùm Operis, ſed

Emptorem facile probæ merx invenit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſed & Philoſophiæ compendium, verum Enchiridion præbebunt, mitto, candorem meum per omnia Illuſtriſſimæ D. Veſtræ probare volens. Argumentis veſtri mutui candoris accenſeo nuperrimum de epiſtola mea nefandum pæderaſtiæ crimen indignanti ſtilo confodiente, judicium piâ & prudenti æquitate aſſiſtente datum. Ego tamen in illa circumſtantias & alia, quæ bilem movere fortè potuiſſent, omiſi, ut ita medicamentum ſalutiferum citrà omnem iniquæ & immodeſtæ acerbitatis odorem exquiſita cœnarum ingenia appetentibus delicatiorum palatis præbeam. Quod quidem hîc vel rigidi morum cenſores & virtutis cuſtodes non aſpernabuntur, qui aliàs magis efficacia & vitioſos humores potentius educenda vel expellentia jure exigere poſſent. Quod ad Bezam attinet, Vir, quod meritò fatendum eſt, multæ eruditionis, & ad nauſeam doctus fuit, ſicut de eo judicavit Vir quidam eximiè doctus, ſicut etiam Seneca Fabianum Papyrium vocat orationis, etiam ad noſtrum faſtidium, nitidæ auctorem. Fateor tamen famam ejus, nec non Calvini à Silveſtro Petra Sancta Romano Jeſuita, teterrimi illius vitii pæderaſtiæ labe adſperſam fuiſſe. Vidi autem quomodo Andreas Rivetus in ſuo Jeſuita Vapulante utrumque ab hac infamia purget, & adferat multa per retorſionem, ubi illius nefandi criminis encomiaſten nominat & reum peragit. Utinam tamen tàm Calvinus quàm Beza ab edendis de hæreticis capitali pœnâ afficiendis libris abſtinuiſſent, cum & contra ſe eo ipſo tulerint ſententiam, cum legibus Chriſtianæ charitatis pugnantem. Hîc certè excuſari non poſſunt, licet ibi innocentes pronuncientur. Scio verò nullum probum, cuicunquè ſectæ Chriſtianorum addictus ſit, abominandum illud Sodomitici vitii genus approbare poſſe. Omninò verum eſt quemquè noſtrûm ſuos pati manes, & in multis nos labi. Ideo prudens & acutum eſt illud dictum: *Nos foris eſſe lynces, intus talpas.* Nam *ſæpè non videmus manticæ quod in tergo eſt*: quæ eſt vetus querela, tot exemplis ab omni hominum memoria confirmata. Quod ad effectus Cometarum attinet, multa ante eorum apparitionem mala vidimus & ſenſimus. Multa etiam bona fieri videmus & videbimus, ſi Deus nos ſuperſtites eſſe velit. Minantur tamen illi nuntii Cæleſtes triſtia, ſed & pollicentur læta. Illo vero nihil certius eſt, quam diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Bellum, quod inter Anglos & Hollandos in mari acriter geritur, utinam quamprimùm & quàm æquiſſimis legibus componatur, & non orbem Chriſtianum ſtudiis dividat, nec, quod meritò verendum eſt, magnam ejus partem novis turbis involvat! Addere plura non vacat ei qui eſt

Monita modeſtè proponenda.

Epiſt. 85.

Conſcientiæ cauſſa nemo perſequendus.

Aliena vitia plerumque melius quàm noſtra pervidemus.

Bonis omnia in bonum cedunt.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, officio & cultu addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 44. ad 41.

Ratisbonâ Hamburgum die 29. *Iunii* 1665.

FRuſtrà eſt opera Generoſitatis Veſtræ. Nam ut videt, litteræ nonniſi decem diebus hùc perferuntur, quæ ſex diebus perferri debebant. Sed tentabimus, an hac via, quam monſtro, melius ſuccedere negotium velit &c. Quod opus veſtrum attinet, ad ſuperiores meas me refero, tempore nunc excluſus. Aliàs reponerem etiam nonnulla ad veſtras doctiſſimas die 6. Junii ſcriptas. De prælio navali jam habebitis particularia. Videbimus, quid nunc porrò poſſint Batavi, quid velint Angli, nec non Galli, Hiſpanique & alii. Is enim rerum Europæarum ſtatus videtur, ut velut uno catenæ annulo rupto, reliqui etiam convellantur vel involvantur. Avertat à nobis omnibus Deus omnia mala. Qui tamen orbem Chriſtianum amplius caſtigare velle videtur. Ecce verò fama fert

Chriſtiani orbis rerum ſtatus dubius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

fert nobis triſtem nuncium de ſubito deceſſu Archiducis Auſtriæ ultimi Sigiſmundi Franciſci, quæ etiam res mutationem aliquam adferet. Sed ego maneo conſtanter

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 8. *Iulii* 1665.

N.45. *ad* 44.

DE opere meo non habeo multa quæ ſcribam. Doleo me nihil accepiſſe heri de impreſſionis initio, quam omnibus modis accelerare ſtudeo, ſperatam moroſæ diligentiæ laudem ut publico uſui, ita & Illuſtriſſimæ D. Veſtræ aliorumquè Amicorum aſſiduis monitis poſthabens, ac utilitatem juvandi gratiæ placendi cum Plinio præferens. Vobis enim gratam, publico utilem rem facere *Votorum hæc ſumma meorum.* Commentariolos, ut ſic dicam, in epiſtolis prolixioribus diligenter quantum potui ornavi, eoſdem ad marginem in anguſtum coëgi, & ita utrumquè compoſui, ut quàm maximè proficiat & oratio ordinaria, & quæ jam olim Breviarium dicebatur, ævo Senecæ, qui ſubdit: *Olim cum Latinè loqueremur, Summarium vocabatur. Illa res diſcenti magis neceſſaria eſt, hæc ſcienti.* ep. 39. Cujus rei cum nuper periculum fecerim, & exemplum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ miſerim, exſpecto quid tandem hîc concludet

Publicæ utilitatis ſtudium commendatum nobis ſit oportet.

- - - - - - - liber Amicus,
Conſilium proprium, - - - -

& tùm tempori præcipitanti, tùm publicæ utilitati, maturatam editionem præcipienti, commodata induſtria. Ecce verò novum libertatis & conſilii, quorum utrumquè meritò ab Illuſtriſſima D. Veſtra exſpecto, tentamentum, ſimul verò antiquæ ſinceritatis & fidei auctoramentum: quod neſcio an antehac miſerim, vel cur non miſerim? Sive oblivione, ſive neglectu peccavi, id mihi condonari, & aſſiduis laborum impedimentis adſcribi velim. Alioquin enim verè dicere poſſum, me deliberatâ negligentiâ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ non feciſſe, utpote qui nullam grati officii Illuſtriſſimæ D. Veſtræ præſtandi occaſionem, ſine novo propenſæ meæ & devotæ benevolentiæ argumento elabi mihi, etiam incogitanti, vellem. An hic novus curandi èpiſtolas noſtras modus melius ſit ſucceſſurus, quod maximoperè opto, ſcire aliquando aveo. Non eſt mihi profectò neglectui ullum gratum optimæ notæ Amico officium: Ideo literas meas antehac ad ſolitam horam, nunc verò etiam citiùs deferri curans, eaſdemquè Magiſtro tabellariorum, Viro aliàs humano, & Illuſtriſſimæ D. Veſtræ amiciſſimo, commendans, quid amplius agendum mihi ſit, ignoro; ſed de hac infelicitate querendi juſtam cauſam habeo. Toties quoties à me ille monetur in Norimbergenſem culpam rejicit. Benè valeat Illuſtriſſima D. Veſtra, & favere porrò pergat ei qui eſt

Amicus erga Amicum officioſus eſto.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu, ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 2. *Iulii* 1665.

N45. *ad* 42. & 43.

STiterunt ſe tandem binæ Generoſitatis Veſtræ ſimul, pro quibus debitas gratias rependo, ſperopuè impoſterum rectius proceſſuras noſtras. Heinſianarum quoquè communicatio mihi fuit grata: quem inſignem Virum literis meis lubens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

lubens compellarem, & magnitudinem affectûs ipſe declararem, ſi per negocia & hanc adverſam valetudinem liceret, quæ me, ut novit Generoſitas Veſtra, impedit, quominus calamum ducam, ſed dictare cogor animi ſenſa. Id quod apud ignotos non ita commodè fieri ſolet, quàm apud Amicos, qui Amicorum imbecillitatibus indulgere ſolent. Gratum interea mihi eſt, imò gratiſſimum, quod beneficio Generoſitatis Veſtræ tanto Viro fruar Amico, quem quoties occaſio fert, toties meo nomine ſalvere, & reciproci affectûs certiorem reddi cupio. Operis Veſtri editionem juxtà cum Hevelio, Heinſioquè & aliis maximoperè deſidero, quò magis mihi ſalivam movent, quæ ſubinde ad me mittere dignatur humanitas veſtra, præludia eruditioniſquè raræ ſpecimina. Rectè autem fiet ſi maturè & opportunè colophon ei imponatur, tùm ne nimis fatigetur & ab aliis abſtrahatur Generoſitas Veſtra, tùm ne ſumptus nimis excreſcant, tùm etiam ne lectores deterreantur, delicatuli hodie ut plurimùm, & mole quâdam facilè deterrendi. In eo verò non errat Eadem Generoſitas Veſtra, quòd votum meum de ſuo ad nos reditu ex vero affectu profectum cenſet. Qui enim ex ſingulari divina gratia ad gremium matris Eccleſiæ mirabiliter reductus fui, mirum non eſt, ſi eandem felicitatem etiam amicis voveam, & reverſus in viam fratribus commonſtrare ſatagam.

Symboli Apoſtolici Confeſſio & Chriſtiani appellatio, an ſufficiat ut quis pro vero veræ Eccleſiæ membro habeatur?

Omnes verò, qui Symbolo Apoſtolico & Chriſtianorum appellatione utuntur, vera veræ Eccleſiæ membra reputari non poterunt, ſtante illo una fides, unum baptiſma &c. Alioquin & Quackerianam, & Anabaptiſticam & Arianam, & neſcio quot alias Sectas pro Eccleſia Dei ſumere deberemus, quod & verbo divino, & puræ Antiquitati, & ipſi rectæ rationi omninò adverſatur. Neſcio an legerit Generoſitas Veſtra opera veſtri Cardinalis Hoſii, Epiſcopi Varmienſis, duobus tomis comprehenſa, quæ dum nuper inter libros meos fortè mihi occurrerent, magnaquè tanti viri cum admiratione legerem, quæ de Eccleſia ſcripſit; optavi præſentem Generoſitatem Veſtram, ut coram audirem, quid ad argumenta tam clara reſponderet. Sed ad alia. R. P. Curtius d. 26. Jun. ad me quidem ſcripſit, ſed pro more curtiſſimas. Neſcio quid illum ita impediat, licet denuò promittat, ſe Generoſitati Veſtræ reſponſurum. Quòd ſi continuatio reſponſi veſtri interea adveniat, fortaſſè ad mutuum officium citius permoveretur. Ego verò quæ operi Cometico veſtro addam, non habeo, ſed priora repeto, cum voto felicis ſucceſſûs. Ad epiſtolam veſtram, die 10. Junii hùc exaratam, antehac dicere debui, nihil eſſe quod moneam, ſed ita ut ſcripta eſt, edi eam poſſe cenſeo, luce & lectione digniſſimam.

Cometa M. Iunii mortem Archiducis præſagiviſſe narratur.

De reliquo mitto triſte nuncium, Oeniponte nuperrimè ad nos perlatum, de obitu die 25. Junii Archiducis Sigiſmundi Franciſci, quem triduo ante Cometa ſupra urbem viſus præſagiviſſe fertur. Hevelianas literas P. Curtio communicabo, qui quòd & mei antehac in ſuis ad Generoſitatem Veſtram mentionem tàm honorificam fecerit, Eidem debeo, ſcripturus brevi ad Virum illum Præclariſſimum.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N. 46. ad 45.

Hamburgo Ratisbonam die 11. Iulii 1665.

GRatulor tandem meas, neſcio quo fato aliquoties retentas, tempeſtivè illùc fuiſſe perlatas. Dedi ſemper omnem operam, ut tempeſtivè meæ ad præfectum tabellariorum deferrentur, eidemquè ritè commendarentur. Idem ſtudium eandemquè diligentiam in poſterum quoquè polliceor. Clariſſimo Heinſio hæc quæ ad illum ſpectant proximè perſcribam, Deo volente. Id enim hodie fieri non poterat: cum plerumquè nunc diebus Martis ad eum ſcribere mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mihi ſit moris. Ecce verò quæ ille viciſſim ad me de Illuſtriſſima D. Veſtra ſcribit, hodie mihi reddita. Hæc docent quàm magnam exiſtimationem & ſpem ille de opere meo conceperit, cum tanto ſtudio ejus editionem urgeat, & deſiderium quo ipſe ejus videndi ardet, in me quoquè accendere conetur. Quâ quidem in re nihil à me adhuc neglectum eſt, quod ad eam ritè promovendam, quò utriuſquè veſtrûm, (quibus quantum debeam benè novi) aliorumquè Amicorum votis, & quod maximum eſt, publicæ utilitati, cui mea ſtudia & hos conatus devovi, ſatisfiat, facit. Neſcio verò quæ cauſſa ſit nihil me reſponſi ab Amicis ex Hollandia, quos, ut operi manus admoverent, jam pridem & inſtanter rogavi, adhuc accepiſſe: cum tamen illi ſatis habeant ad initium rei faciendum. Poſtquam ad unas atque alteras mearum literarum reſponſum ab Illuſtriſſima D. Veſtra accepero, mittam illis inter nos adhuc communicata, eo, quem nuper indicavi, modo in ordinem redacta. Quibus quia neceſſariò Curtiana ſubjungenda ſunt, dabit Illuſtriſſima D. Veſtra operam, ut ab eo reſponſum, non tantùm ad ſuperiora, ſed & ad hæc quæ adjungo, accipiam. Spero eum meam libertatem excuſaturum, ſed & ipſum Mathematicum Ingolſtadienſem, ſi vel ei horum copiam facere velit. Omnibus enim bonarum literarum ſtudioſis notum eſt, quibus legibus in Republica literaria vivatur, & tutam ubiquè eſſe libertatem, cui indiſcreta adſit pediſſequa modeſtia, ſicut illa apud Latinum-Pacatum, ni me libro deſtitutum à triginta annis lecta fugiunt, felicibus ſuperbia, ita nempe ut illo teſte nulli contigerit & abundare fortunâ, & indigere ſimul ſuperbiâ.

Libertas in Republica literaria ubiquè tuta, ſi ſit modeſta.

Opus meum mole non fore exiguum, prævideo. Convocabo enim Senatum Philoſophicum, auſpice Deo, qui ſolus Sapiens & Panſophus eſt (ita ut rectè cuidam Panſophiæ titulum affectanti, Theodorus Coſmius, præceptor olim meus, dixerit, relinqueret Deo Panſophiam, Angelis Sophiam, hominibus Philoſophiam) ferè triginta Virorum, qui Symbolas juſtorum Commentariorum menſuram, majorem minoremvè implentes adferent.

Panſophi titulus Deo ſoli competit.

Sed quid agam? Perficienda ſunt quæ tàm benè adfecta. Vos ô Amici additis animum, viſis toties experimentis. Studebo quidem ego, & omni mentis niſu conabor, ne exſpectationem, quam ipſi concepiſtis & aliis feciſtis deſtituam. Vos tamen ipſi videte & cavete ne minuat præſentia famam. Vos minimum experiar æquos & benevolos Lectores. Sed & alios Veſtri ſimiles adfore ſpero. Auferam verò hæc & illa, qui alicui bilem movere poſſint. Quod tamen ut prorſus evitem, non eſt mearum virium. Et quis hoc unquam ſub Sole habuit in ſua poteſtate? Quæ de Chriſtiana fide & appellatione ſcripſi, puto rectè ſe habere, ſi adſit vita: quæ in fide, ſed & in ipſa appellatione omninò includenda eſt. Reliqua civili potius quàm divinæ rei inſerviunt, & à me ſuo loco relinquuntur. Velle autem rem Chriſtianam ad priorum Seculorum formam reducere, humanæ non eſt, credo, opis. Imò verò ſoli illi Deo id in univerſum committendum eſſe dicere non dubito. Interim utinam omnes, ut in loco, quem Illuſt. D. Veſtra indicat, epiſt. ad Epheſios monemur, ſupportemus nos invicem in charitate, ſoliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Hoſii ſcripta non legi fateor, præter ea quæ de fide edidit. Sat ſcio quid illi libro inſit. Sed de his ſatis jam antehac mentem meam expoſui.

Chriſtianus cenſendus eſt qui fidem Symboli Apoſtolici profitetur, & vitam Chriſtiano homine dignam agit.

Tolerantia Chriſtianos decet, niſi concordia iniri poſſit.

In præſentia pauca addam ad ea quæ Illuſtriſſima D. Veſtra de Chriſtianorum appellatione, & reponam ad ea quæ Eadem de Eccleſia urget, quæquè optimo jure inter præcipua hominis Chriſtiani officia, occaſione & impulſu tàm illuſtrium Cometicorum phœnomenorum, nondum, ut videtur, ceſſantium, conſideranda & inculcanda reputari merentur. Chriſtiàni appellationem ad id, ut quis pro vero veræ Eccleſiæ membro & Chriſti diſcipulo habeatur, ac in regnum cælorum introeat, nequaquam ſufficere, toties dicit & docet Chriſtus; de quo illud αὐτὸς ἔφα jure meritoquè uſurpari poteſt. Idquè etiam Scriptores ſacri nobis inculcant, & Chriſtianum executione mandatorum Dei definiunt. Verè itaquè Gregorius Nyſſenus, veteribus Theologus dictus, epiſt. de profeſſ. Chriſt:

Chriſti auctoritas divina, omni exceptione major.

Chriſtianus eſt qui Chriſti mandata ſervat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Chriſtianiſmum, dicit *eſſe imitationem divinæ naturæ*, quæ & totius antiquitatis
una vox eſt. Meritò autem Bernhardus, Sancti titulo condecoratus, Serm. 33.
in Cantic. queritur: *Et nunc quod gravius eſt, ipſi Chriſtum perſequuntur, qui ab
eo utiquè Chriſtiani dicuntur. Amici tui, ô Deus, & proximi adverſum Te ſteterunt.
Conjuraſſe videtur contra Te univerſitas populi Chriſtiani, à minimo uſquè ad maxi-
mum &c.* Et ut pluria teſtimonia quæ cum his unum ſunt, prætercam, ſolum
Joann. Aventinum, laudatiſſimum Annalium Veſtrorum Bojorum Conditorem,
auctorem inter Optimos in Republica literaria collocandum, adducam. Is
enim l. 1. poſtquam gentium & populorum ac rerum mutationem in terris ma-
gnam piè & ſapienter docuiſſet, & Turcarum exemplum, libertati noſtræ inſi-
„ diantium, ac meritò metuendorum adduxiſſet, ſubjicit: *Nec eſt quod nobis blan-
„ diamur de Chriſto Servatore noſtro, cujus ſanctiſſimam religionem jam pridem pol-
„ luimus, ne dicam factis abnegamus. Non nos (ait Divus Ambroſius) nuda nomina,
„ inanes tituli, caſſæquè cærimoniæ fallant. Quamvis in Imperatoris noſtri verba ſacra-
„ mento rogati juraverimus, nihilo ſecius tamen authorem & principem noſtrum deſe-
„ ruimus, fidem datam frangimus, ad hoſtes deficimus, ſunt complura publica litera-
„ rum Gymnaſia, ſunt quoque complures omnis divini humaniquè Juriſconſulti. Verum-
„ enim verò magis lites quàm literas amant. Adeò & pecuniæ ſtudent, & ambitione
„ in præceps abeunt, Ventri Veneriquè veluti pecora ſerviunt. Nomine duntaxat Chri-
„ ſtiani, reipſa quidvis aliud. Chriſtiani fiunt, non naſcuntur, poteſt Pater Omni-
„ potens degeneres abdicare liberos, & adoptare atquè procreare novam ac germanam
„ ſibi ſobolem. Attamen ſiquidem noſtro ſeculo alii non contigerint mores, jam diu ita
„ vivitur, is ſtatus rerum eſt, ut nihil boni divinet animus. Vanus ſim precor augur,
„ ſi non noſtris premimur malis.*

Lites literatorum. Avaritia. Ambitio. Laſcivia.

Divinare Viro Politico licet, ex corruptis Chriſtianorum moribus, ſtudio inculcandæ virtutis.

Hæc ego meritò Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, ut alias ob cauſſas, ita quod Vir ille
judicio B. Rhenani & Magni Eraſmi diffuſiſſimæ eruditionis & reconditæ lectio-
nis, antiquitatumquè ſuo ſeculo indagator Incomparabilis, Ratisbonæ non tan-
tùm diu cælebs & poſtea cum familia vixerit; ſed & mortuus ac ſepultus ſit, ita
ut ipſi tanti Viri manes meritò Vobis hæc commendare poſſint: ut nihil dicam
de ingenua libertate, & ipſa vera commonitione his, ſi unquam, exulceratis
temporibus pernеceſſaria. Ex hoc verò auctore, cujus genius mihi perplacet,
etiam in illis quæ magnâ libertate admiſcet ad mores pertinentia, ita ut ejus
quoquè exemplum mihi imitandum propoſuerim, diſcet Illuſt. D. Veſtra quantum
Viro Politico ſatis eſt, quid de Eccleſia & ejus capite ac membris ſtatuendum
ſit, præſertim ſi & Epiſtolas illius Gregorii, tùm & Bernhardi (utriuſquè in nu-
merum Sanctorum relati) libros de Conſider. ad Eugen. Pontif. Rom. legere &
conſiderare, ſaltem illius temporis faciem Eccleſiæ & cum præſenti conferre velit.
Atque hinc facilè tutoquè judicium de eo, quid faciendum ſit, ferri poteſt.
Ego hoc argumentum verbis Chryſoſtomi concludo. *Publicum Eccleſiæ bonum
quærere, & aliorum ſalutem privato commodo anteponere, canon eſt Chriſtianiſmi per-
fectiſſimus.* Chryſoſt. in Cor. x. 33: niſi unum dico, me optare minus in orbe
Chriſtiano eſſe fidei, plus autem pietatis, id eſt, recidi enſe verbi divini plura,
quæ pro capitibus fidei habentur, inſeri verò mentibus hominum officia pieta-
tis. Quod quidem occaſione & impulſu nuperorum Cometarum meritò fieri con-
veniret & neceſſum foret, niſi divina monita in verbo ejus illis cæleſtibus lin-
guis igneis, partitionem Spiritus Sancti olìm ſignificantibus, & nunc è cæleſti ſug-
geſtu linguis illis luciditſſimis, triſtia lætaquè præſignificantibus, data, deſpicere ve-
limus, quod profanorum prorſus foret, & à mentibus Virorum Chriſtianorum
longè ſit oportet. Nam cum exceſſu ſubtilitatis, ſpecioſo in vulgus articulorum,
ſive potius capitum fidei nomine, commendatæ, & defectu pietatis ad clauſtra ferè
& ergaſtula ac ruſticitatem damnatæ communiter laboretur: quid aliud publici
boni ſtudioſiſſimo, qualem me eſſe toties, quoties res fert, dico & aſſero, di-
cendum eſt, quàm optandum eſſe contrahi fidem, dilatari verò pietatem? Mo-
net nos hîc res ipſa & religionis Chriſtianæ pro tot antiquis illis ſacrificiis &
cerimoniis

Publica anteponenda privatis.

Cometæ inſtar linguarum cæleſtium officii admonent mortales, læta triſtiaquè præoſtendendo.

Chriſtiana religio non ſacrificia aliaquè externa, ſed pietatem & charitatem exigit.

cerimoniis externis internam pietatem & charitatem præcipientis natura, ſed & Deus tot ſignis in cælo editis. Acerbum profectò & illud eſt monitum & Cometæ phœnomenon, morte ultimi Archiducis Auſtriæ (qui prius tumulum quàm thalamum inivit & clauſis ſopore mortis gelido oculis, oculos viventium aperit, vitæque humanæ fragilitatem jacens exhibet) immaturà ſancitum, quod ut mortiferum extitit, ita & ſalutiferum evadat privatim publiceque precor. Nec non ut Illuſtriſſima D. Veſtra cum ſuis benè & diu valeat ac proſperè agat. *Mortui vivos docent.*

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 6. *Iulii* 1665. N.46. ad 44.

INcipiunt nunc rectiori gradu incedere literæ Generoſitatis Veſtræ, quo nomine utrique noſtrùm gratulor. Quid de Hevelii Prodromo judicem, jam ante perſcripſi, mequè literis meis ipſi gratias pro eodem acturum, quamprimùm à R. P. Curtio reſponſum & librum illum obtinuero. Operis Veſtri editionem lubens equidem viderem: nollem autem, ut rem familiarem nimiis in id impenſis gravaret aut attereret, ut jam ante ſuaſiſſe me memini. Privilegia neceſſaria huic rei per Amicos impetrari poſſe cenſeam. Sed & in hoc ſumtus erunt faciendi. Ideoque mallem hæc omnia per typographos fieri poſſe. Pro communicatione excerptorum ex literis ad P. Kircherum aliosquè ſolitas ago gratias. In noſtris hìc negotiis ita procedimus, ut adhuc inter ſpem & metum hæreamus, ignari quo tandem exitu tædioſa hæc & diuturna Comitia finienda ſint. Mors Archiducis improviſa maturabit forſan adventum Sponſæ Cæſareæ. Benè valeat Generoſitas Veſtra. Ego maneo conſtanter

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 15. *Iulii* 1665. N.47. ad 46.

VEhementer gratulor meas ocyus illuc perferri. Sicut ſemper feci non minus libentèr quàm meritò, quòd votis Illuſtriſſimæ D. Veſtræ reſpondeat, ita & in poſterum faciam, juvante Deo. Verendum omnino eſt, ne Polona res magis magiſquè periclitetur, ſi, quod, avertat Deus, bellum civile exardeſcat. Cui ſalvis divinis humaniſquè legibus aliter obviam iri non poteſt, quàm avitæ libertatis redintegratione. Citra hanc enim fruſtrà ſunt reliqua, ſi vel ad tempus res ibi ex voto ſuccedere videantur; quod ſæpè Deus tentandis & ad pœnitentiam flectendis hominum animis facit. Operis mei editionem jàm aggrediuntur Amici: omnibus neceſſariis ritè præparatis, quantum per belli injurias licet. Figuras obſervationum Cometicarum jam habent. Hæ adhuc ad tricenarium numerum accedunt. Spero autem me plures habiturum, illiſquè non tantùm opus meum, ſed & palatium ſublimis Vrániæ egregiè illuſtratum iri. His omnibus ritè perficiendis ſumtus haud exigui requiruntur. Quos dum obedio Amicis, & publico gratificor, faciam ſolus, divino fretus auxilio. Nè tamen rem meam proſternam, conduceret neceſſaria illa privilegia obtinere, ſiquidem id fieri commodè poſſet. De quo reſponſa ab Amicis opperior, omni ut avaritiâ, ita & ambitione, quas innumerorum ſcelerum matres deteſtor, procul amotâ. Cæterum conſcientiæ ratio, libertas ingenua & publici commodi ſtudium hìc *Dei longanimitas homines ad pœnitentiam invitat.* *Avaritia & ambitio plurimorum ſcelerum cauſſæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mihi ante omnia ſunt. Quodſi verò Illuſtriſſima D. Veſtra aliquem mihi Mæcenatem Munificum, benevolentiâ & auctoritate ſua conciliarit, foret hoc rebus & votis meis commodum. Libenter autem ſcirem ſi quis dari poſſet, quò ei debitum grati animi teſtimonium publicè exhibeam: ſicut facere ſolent quotquot veteris illius dicti memores ſunt: *Ingrato homine nil alit terra pejus.*

Gratus animus publicè teſtandus.

Ingrato nil pejus.

Nullam hujus rei facerem mentionem, niſi præſens fortunarum mearum ſtatus id exigeret, ac nota Illuſtriſſimæ D. Veſtræ & toties probata mihi ſincera benevolentia ſuggereret. Hæc etiam me movet, ut petam, quò figuræ obſervationum Comet. Saliſburgi factarum totidem exemplaria, quot Ingolſtadienſis Illuſtriſſima D. Veſtra mei cauſſâ imprimi faciat. Benè valeat Illuſtriſſima D. Veſtra, ac me ſemper conſtanti proſequatur favore, qui ſum

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu & ſtudio

STANISLAUS LUBIENIETSKI.

N.47. ad 45.

Ratisbonâ Hamburgum die 9. Iulii 1665.

Cometæ ad Ratiſbonam M. Majo viſi ſitus.

DIligentius jam curantur Veſtræ, ut video gaudeoquè, ſperans, id porrò ita eventurum. De Cometa illo Dieteldorffii à me 22. Maji viſo, nihil amplius memorare poſſum, niſi quòd putem, orientem tunc nobis à tergo, occidentem circa faciem, & Cometam ad lævam, id eſt, ad Meridiem viſum fuiſſe. Qualis verò fuerit ille, qui Oeniponti ante obitum ultimi Archiducis conſpectus fertur, à Mathematicis eorum locorum diſcendum erit. Videmus Cometas, legimus Prophetas, deprehendimus ſeriem conſiliorum, & fatalem quaſi omnium rerum confuſionem. Et tamen vix ſunt, qui ad meliora ſe inflecti & à perverſis abduci patiuntur, ita ut nihil verius ſit, quàm illud vetus: *Vitia erunt, donec homines:* homines verò quò propiores fini mundi, eò pejores. *Optimi illi, qui minimis urgentur*, aut qui parvi moriuntur, antequam inquinentur pravitate ſeculi, & procreent ſobolem vitioſiorem. Id quod uti ſolatio mihi inter cætera fuit, cum primogenito meo orbarer, (cui quod poſui Epitaphium, neſcio an viderit Generoſitas Veſtra) ita etiam adhuc in hac orbitate mea ſolatio mihi eſt non poſtremo, qui neſcio, num felicior ſit is, qui qualeſcunquè à Natura ſibi conceſſos liberos, etiam peſſimè aliquando ſe dantes, retinere cogitur: quàm qui eligere poteſt maturo judicio, quos educet, & pro lubitu ſuo formet, abjiciendos, vel recuſandos, ſi indignos, vel ineptos ſe præbeant? De Opere repeto pariter, quæ ſcripſi, & id ſuo tempore videre geſtio: utinam cum commodo & utilitate Generoſitatis Veſtræ. Cui Famæ quidem & reputationis multum exinde accedet: neſcio an etiam Fortunæ? Utrumquè autem opto, utpote qui Generoſitatis Veſtræ nihil niſi optima quæquè ex animo voveo. Quæ inter Eandem & Amicos Romanos, Bononienſes, Gedanenſes, Herbipolenſes, alioſquè quàm plurimos, occaſione Cometæ ſcripta hinc inde & agitata ſunt, procul dubio doctiſſima & ſingularia orbi erudito non poterunt non placere: Quamvis putem nos hodie plus curioſitatis, vanitatis, oſtentationis & vanæ gloriæ reperire quàm veræ & ſolidæ Eruditionis ac Virtutis. De cætero ſum maneoquè conſtanter

Infantes qui moriuntur in innocentia, felices.

Liberis orbi quadam ratione felices.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Ratisbonam die 18. Iulii 1665.

N.48. *ad* 47.

MIhi quoquè longè gratiſſimum eſt audire meas nunc rectius curari: quod ſemper fieri poſſet, niſi iniquitas famulorum, qui vicariam operam Magiſtris tabellariorum præſtant, vota noſtra fruſtraretur. Quod me Illuſtriſſima D. Veſtra de illo Cometa ab ſe viſo amplius certiorem reddiderit, gratias ago. Exſpectandum nobis eſt, an circà idem tempus ab aliis fuerit obſervatum idem vel ſimile phœnomenon. Ego nudius tertius poſt horam decimam, cum nonnul-

Phænomenon ignitum menſe Iulii ab Auctore obſervatum, fortè meteoron quale capra ſaltans vocatur.

lis è familia mea, obſervavi etiam ad Occaſum ignitum phœnomenon. Duæ primùm faculæ ſcintillantes in linea recta, ovali ferè figurâ apparuerunt, nube in medio eas, cinguli inſtar, dividente. His paulò poſt tertia facula à latere partis inferioris lævo aſſiluit, & cum iis juncta corpus majus ardens, nube tamen ſpiſſiori in medio diviſum, conflavit. Id aliquanto tempore poſtquam luxiſſet, ad lævam inclinari & ad inſtar litui incurvari ac minui cæpit, uſquequò diſparuit. Puto meteoron fuiſſe de genere ignitarum impreſſionum, quæ ſunt

Meteora cito prætervolantia ſive trajectiones, Cometis ſuppares ex mente nonnullorum.

exhalationes ſulphureæ in aëre accenſæ, & Ptolemæo trajectiones vocantur, Cometis quodammodo ſimiles, quales ſunt trabes, lampades, bolides, ſtipulæ ardentes, fatuus ignis, capræ ſaltantes &c. Atque hæc vox iſti Epicaumati optimè convenit. Figuram hujus phœnomeni adjungo. Credo, eos quibus volupe eſt inſomnes magnâ ex parte, vel etiam totas trahere noctes, ac phœnomenis cæleſtibus invigilare, plura talia obſervaſſe, quantum per aëris inclementiam licuerit. Nondum videtur adeſſe portentorum finis: quæ etſi naturales ſuas habeant cauſſas, videntur tamen ea fini à Deo Rectore univerſi tanto numero exhiberi, ut homines ad veram pœnitentiam excitentur, non tantùm oculorum,

Pænitentia vera eſt dolere peccatis, & abſtinere.

ſed & cordium lachrymis, ac vitæ puræ aquâ præteritorum vitiorum fœdiſſimas maculas eluendo. Quæ nuperrimè in poſtremis ſuis ante octiduum datis Illuſtriſſima D. Veſtra, non minori prudentiæ quàm pietatis (quam improvidè ab illa diſcriminant delicatuli Coſmophili) exemplo perſcripſit, me permovent,

Pietas à prudentia non ſeparanda.

ut hoſtimenti vice mittam ea, quæ ante plures annos in lectione Gregorii illius Nyſſeni exſcripſi: *Nunc mihi vos*, inquit, *quibus in viam redeundum eſt,*
„ *ac reſipiſcendum, attendite. Si vultis diſcere, quomodo peccatis dolere & erroribus ve-*
„ *ſtris ingemiſcere debeatis, mulierem nobis à Luca deſcriptam VII. conſiderate. Illius*

Mulier pænitens Luc. VII. deſcripta, quæ pleriſque Maria Magdalena eſt.

„ *demiſſionem animi atquè prudentiam æmulamini, abſolutumquè in ea vobis pænitentiæ*
„ *exemplum conſtituite, quæ Phariſæi domum ingreſſa, nec convivarum multitudinem*
„ *erubuit, nec convivii tempus importunum exiſtimavit, quominus ad confeſſionem con-*
„ *fugeret: ſed dolore affecta, & peccata, quæ commiſerat, vehementer deteſtata, ne*
„ *momentum quidem temporis ſibi interponendum exiſtimavit, quominus ſtatim ad pec-*
„ *catorum Medicum accederet.* Et mox: *Ut breviter omnia complectar, ſenſibus &*
„ *membris omnibus, quibus peccaverat mulier, pænitentiam egit. Quantum autem po-*

Pænitentes non ſunt qui ad priora peccata redeunt.

„ *ſtea per otium peccata fuerit deteſtata, quæ publicè aperteque ea tantoperè luxit, con-*
„ *jicientibus licet intelligere. Nos autem verbis quidem pænitentiam pollicemur, factis*
„ *verò nihil ſtudii laboriſquè præſtamus, ſed eâdem vivendi conſuetudine utimur, qua*
„ *prius quàm peccata confitendo deteſtaremur, utebamur.* Orat. in eos, qui alios acerbè judicant. Egregiè profectò veram & ex corde contrito profectam pœnitentiam mulieris illius expreſſit, quod Euangelium eadem fermè die qua mea iſta leget, in templo explicari audiet, plenum profectò, ſi quod aliud, affectuum ad commovendum peccatoris animum aptiſſimorum. Quod quidem exemplum meritò hâc, ſi unquam, tempeſtate cogitandum foret, non verò illud Latronis in

Latronis de cruce ſuſpenſi exemplum vulgò male allegatur.

cruce ad pertinacis improbitatis præſidium detorqueri ſolitum, quod plerique non tantùm obvia, ſed & toto cælo diſſita, ad tuendam malitiam, rapere gaudent, ita ut meritò quiſpiam dixerit, *Latronem hunc plures poſt mortem, quàm in vita, occidiſſe.* Nullo tamen ſuo merito. Quod patheticis verbis exprimit Auguſtinus, celeberrimus Latinorum Eccleſiæ Doctorum, lib. de pœnit. dum ait:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

*Peccatis tunc renuncia cum peccare potes. *Peccata prius relinque quàm illa te.*

„ *Nullus exſpectet, quando peccare non poteſt: arbitrii enim quærat libertatem, ut delere poſſit commiſſa, non neceſſitatem.* * *Qui prius itaquè à peccatis relinquitur, quàm ipſe relinquit ea, non liberè, ſed quaſi neceſſitate condemnat. Licet enim Latro veniam meruiſſet in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi & perſeverandi auctoritatem. Tunc enim baptizatus eſt qui tunc primùm in cruce Chriſtum confeſſus eſt.* Hæc etiam ille. Tàm hæc quàm illa non fore Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, cujus perſpectam habeo mentis probitatem, ingrata, nec olim noſtra pro communi generis humani bono dicta lecturis inutilia, firmiter credo. Quamvis verò verum ſit illud vetus: *Vitia erunt, donec homines*: tamen & illud verum, ac in omni vita apprimè tenendum eſt, *excutienda non excuſanda eſſe vitia*, quod itidem vetus docuit Sapientia. Quanto verò id magis pietas inculcat Chriſtiana!

Signa cæleſtia officii admonent mortales, inſtar linguarum.

Sed ecce & Deus ipſe. Quid enim aliud tot ſigna cæleſtia, quæ idem ille Auguſtinus alicubi Linguas cæli vocat, loquuntur? Minantur, quod aſſero, triſtia. Sed & promittunt læta: illa improbis, hæc probis. Hic enim eſt perpetuus curſus, quem divina Juſtitia in Cometis quoquè, flammiferis nunciis ſuis, exhibendis ſervat: ut meritò Clemens, ille Stromateon Contextor ingenioſiſſimus Pædag. l. 1. dixerit,

Deus puniendo quoque prodeſt hominibus.

Deum in ipſa minarum intentione, requirendo pænitentiam, tacitè oſtendere ſuam in homines benevolentiam: ſed Diabolum cauſas peccatorum ſervis Dei ſuggerere, atquè aſtutè hoc moliri ut ipſi quoquè ſecum cadant. Strom. l. 2.

Diabolus blandiendo quoquè nocet.

Liberi parentibus ſunt decori & dedecori.

Quod de ſolatio ſuo in orbitate & multiplici dolore, quem ſæpè parentes ſolatii loco ex liberis capiunt, Illuſtriſſima D. Veſtra addit, verum eſſe docet triſtis experientia. Non ſolus Auguſtus doluit viſcerum ſuorum vomicas & carcinomata, tanti nominis opprobria. Nec ſolus Aurelius degenerem filium non eſſe ſuum dixit. Vidêre & ſequentia ſecula, vidit videtquè & noſtrum hocce Majorum ſuorum dehoneſtamenta, illuſtrium familiarum purgamenta, paternarum laudum & aviti nominis dedecora. Adeo ut lugenda in oculis noſtris exempla, veteri illi dicto fidem magis magiſquè adſtruant, quod *Heroum filios noxas* pronunciavit.

Hèroum filii noxæ. Maximorum plerumque Virorum liberi ſunt degeneres.

Mirum hoc certè eſt Maximis Viris, quod omnis notavit ætas, plerumquè id infortunii obtingere, ut degeneres maximo cum dolore videant filios (cum rectè dictum ſit: *In Principibus maximam divinitatis fidem eſſe bonum ſucceſſorem*) quaſi Natura in efformandis ad omnem perfectionis legem parentibus plurimùm laborans, velut viribus exhauſta in poſteris deficiat, tantoquè oneri ferendo amplius parem ſe non eſſe profiteatur. Nihil amplius hîc afferam præter ea quæ Ælius Spartianus, nobiliſſimus Auguſtæ Hiſtoriæ ſcriptor, in Severo, memoranda profectò reliquit. Sunt autem iſta:

Maximi quique Viri vel nullos vel indignos habuerunt liberos.

Et reputanti mihi, Diocletiane Auguſte, neminem propè magnorum virorum optimum & utilem filium reliquiſſe ſatis claret. Deniquè aut ſine liberis Viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, ut melius fuerit de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere. Et ut ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius quod utile eſſe poſſet Reipublicæ. Quid Camillus? num ſui ſimiles liberos habuit? Quid Scipio? Quid Catones qui magni fuerunt? Jam verò quid de Homero, Demoſthene, Vergilio, Criſpo & Terentio, Plauto cæteriſque aliis loquar? Quid de Cæſare? Quid de Tullio, cui ſoli melius fuerat liberos non habere? Quid de Auguſto, qui nec adoptivum bonum filium habuit, quum illi eligendi poteſtas fuiſſet ex omnibus? Falſus eſt etiam ipſe Trajanus in ſuo municipe ac nepote eligendo. Sed ut omittamus adoptivos, ne nobis Antonini Pius & Marcus numina Reipublicæ occurrant, veniamus ad genitos. Quid Marco felicius fuiſſet, ſi Commodum non reliquiſſet hæredem? Quid Severo Septimio, ſi Baſſianum non genuiſſet? Qui ſtatim inſimulatum fratrem inſidiarum contra ſe cogitatarum, parricidiali etiam figmento interemit, qui novercam, matrem quinimò, in cujus ſinu Getam filium ejus occiderat, uxorem duxit: qui Papinianum juris aſylum & doctrinæ legalis theſaurum, quod parricidium excuſare noluiſſet, occidit: & præfectum quidem ſuum, ne homini per ſe & per ſcientiam ſuam magno deeſſet & dignitas. Hæc ille. Quibus utinam Socratis exemplum addidiſſet, quem *non alio nomine magis Cato Major admirabatur, quàm quòd mulierem moroſam & liberos*

ſtupidos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſtupidos nactus, ad extremum æquanimitatem & manſuetudinem pertulerit: prout teſtatur Plutarchus in Catone Majori. Ego his nil amplius addo, niſi liberis orbos minus gaudere, minuſquè dolere: interea rectam liberorum educationem & in toro, & in choro, & in foro ſummoperè neceſſariam eſſe. Veriſſimè enim Plutarchus in Coriolano, eum tuliſſe teſtimonium iis, qui arbitrantur bonam naturam, ſi non rectè inſtituatur, inter bonos fructus multa etiam vitia proferre, perinde atquè bonum agrum, ſi non accuratè colatur. Et in Arato demonſtrat, quantam animi inæqualitatem in bonis naturis ignoratio Philoſophiæ efficiat, cum ſcilicet bona ingenia virtutem abſquè ſcientia, veluti fructum ſponte ſuâ & abſquè cultura enatum proferunt. Quantoperè ille inſtitutionem liberorum commendet & inculcet, teſtatur libellus ejus de hac re ſcriptus (in quo profectò ſolida Oeconomiæ & Politicæ diſciplinæ ponuntur fundamenta) & allata Spartanorum & Romanorum in Lycurgo, Numa & alibi exempla. Quæ utinam Chriſtiani in memoriam, ſimul autem ad divinæ legis perfectionem revocarent! Hoc enim ſi fieret, longè melius Chriſtianorum familiæ, urbes, civitates forent conſtitutæ. At nunc proh dolor! paſſim

Inſtitutio recta bonam naturam perficit, malam corrigit.

Oeconomiæ & Politicæ fundamenta in liberorum educatione poſita.

Neglectis urenda filix innaſcitur agris. Horat. Serm. l. 1. Sat. 3.

Hæc & alia omni Statui, conditioni, ætati ac utriquè ſexui convenientia officia, quæ docet Sana Ratio, illuſtrat & inculcat Sacra pagina, urgent & in memoriam revocant nupera Cometica phœnomena aliaquè portenta, ſi opere meo promoveo & ad optatam metam perduco, paratus ſum non tantùm æs editioni tribuendum, ſed & meipſum, ſaltem mei dimidiam partem, quò alterâ ſuperſtite de felici tanti laboris ſumtûſquè fructu læter, impendere. Atque id ex animo dico: qui plurimam Salutem omnimodâ proſperitate comitatam, & integram fidem Illuſtriſſimæ D. Veſtræ addico, utpote Eidem

Cometæ officii admonent mortales.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & obſequio deditiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 13. *Iulii* 1665.

Generoſiſſime Domine. N. 48. ad 46.

AN mihi tàm propitiæ futuræ ſint Camænæ, juveni aliquando amiciores, ut carmen aliquod operi Generoſitatis Veſtræ præfigere poſſim, neſcio. Cum enim à tot annis per graviora & magis ſeria negotia relinquere quaſi illas, & nuntium iis mittere coactus fuerim, non mirer, ſi me viciſſim derelinquant, nec audiant implorantem. Quidquid ſit, de affectu in Te meo ſatis conſtabit publicè ex epiſtolis, ſi quas luci hac occaſione committere placebit. Qua tamen in re cautè etiam & circumſpectè erit procedendum, ſicut & alter ille Amicus monet, qui etiam prudenter addit, cavendum eſſe, ne heterogenea & ad Cometicum opus minùs ſpectantia, illud nimis gravent, aut diſtendant, adeoquè homines plerumquè delicatos, & à lectione & ab emtione abſterreant. Ideoquè quantum fieri poteſt, ab illis abſtinendum: ea autem, quæ propriè ad Cometam ſpectant, majori cum diligentia & ſtudio tractanda & elaboranda cenſeam, manſurus conſtanter

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Ham-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 49. *ad* 48.

Hamburgo Ratisbonam die 22. *Iulii* 1665.

EGo, quemadmodum de præſtanti tàm ingenii quàm genii Illuſtriſſimæ D. Veſtræ bonitate & in me benevolentia certus ſum, ita carmen illud, cujus Ipſa mentionem primùm fecerat, Ejuſdem arbitrio etiamnum relinquo. Scio enim quàm multa & gravia ſint negotia Comitialia, quorum aſſiduâ

Urgeris turbâ circum te ſtante - - - Serm. l. 1. Sat. 3.

ut liceat hîc illis Horatianis uti. Quis dubitare de Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ erga me affectu & favore auſit, cujus tot publicè, non privatim tantùm, extant argumenta? Illa quæ de argumento Cometico, vel etiam alia hac occaſione ad me perſcripta, intrà privatorum parietum & ſilentii æterni ſepta continere, quid eſſet aliud quàm in publica tùm literariæ, tùm etiam Chriſtianæ rei commoda injurium eſſe? Libertas noſtra dicendi, quæ cum ingenuum & honeſtum ac probum quemquè deceat, & noſtrûm utriquè convenit, ac pro re nata uſurpanda erat, nemini ingrata erit, niſi non tantùm publici, ſed & privati ſui ipſius boni (quod candidâ officiorum commonitione ſingulariter juvatur) inimico. Tantò magis cum nunquam ut varietatis & æquitatis, ita & modeſtiæ fines tranſeat. Scio tamen *apprimè in vita utile eſſe, ne quid nimis & Modum in omnibus ſervandum eſſe.* Atque hunc etiam in talibus adhibeo: ſicut & in illis quæ hæterogenea, & ad Cometicum opus minus ſpectantia, videri poſſent. Qua tamen in re alia mihi mens eſt, alia ſtat ſententia, quâ ſtabunt credo omnes virtutis & publicæ utilitatis amantes, qui ſoli, aut ego vehementer fallor, ſunt Reipublicæ Statores. Nempe niſi meis, quæ de Cometis ab aliis accepi, vel ad alios dedi, Practicæ Philoſophiæ præcepta adjunxiſſem, & officia vitæ, & alioquin utilia in memoriam revocaſſem, hacquè ratione publicam utilitatem promoviſſem, cum Principe Philoſophorum Socrate (qui ſtellas de cælo in terram, quia Philoſophiam ad communem vitam deduxit) dixiſſem: *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Cato Major, licet in ſe ipſo laudando liberalis, nec laudari quidem ſe bonum civem pati debere putabat, niſi id bono publico fieret. Aratus Senior, Clariſſimus ille & Optimus Sicyoniorum Princeps, ſtudia ſua publico commodo metiebatur, teſte Plutarcho in Catone Majore & in Arato. Qui etiam perhibet Socratem primum oſtendiſſe vitæ omne tempus, partem, caſum & negotium omnino aptum eſſe ſtudioſo ſapientiæ, Libro an ſeni gerenda ſit Reſpublica. Et certè laudatus quiſquè in publicis commodis curandis ſemper deſudavit, & ſe exercuit dictis & factis, præeunte Tullio. Hoc tamen nihil prohibebit quominus argumentum de Cometis accuratè, quantum ego quidem poſſum, pertractetur. Hic enim deſudabit non tantùm mea tenuis & exigua, ſed & magna Præſtantiſſimorum Philoſophorum, cumprimis Mathematicorum, in orbe Literato Clariſſimorum, (quorum numerum nondum rectè inire poſſum, cum nondum ab omnibus reſponſum obtinuerim) induſtria. Et hæc quidem tùm ſententiarum varietate, tùm rationum vi, tum judiciorum de influxu, ut liceat cum Philoſophis ita loqui, Siderum & Cometarum libertate, ſe commendabit. Ac præterea diſquiſitionibus Hiſtorico-Chronologicis de numero, duratione & eventibus Cometarum. Quarum occaſione in eam ſententiam adducor, ut mantiſſæ loco adjiciam Hiſtoriam Cometarum, in qua ſpero, juvante Deo, me ſingulare quippiam præſtiturum. Nam Cometarum numerum adhuc à diligentibus Scriptoribus Lavatero, Keckermanno, Alſtedio & Ricciolo initum, integrâ Centuriâ augebo, & cum ſemeſtres Cometas alii duos, alii tres, alii quatuor tantùm annotârint, octo minimum in lucem producam, & ſingulis brevem tàm lætorum quàm triſtium eventuum catalogum ſubjiciam, ut tandem demonſtrem immeritò Cometas ſolorum triſtium invidiâ gravari, & non minus læta quàm læva præſagia homines ad pietatem ducere. Quod cum non paucis Amicis, tanquam gratum

Ne quid nimis Modus ubiquè ſervandus.

Boni Viri Reipublicæ Statores.

Privata commoda publicis poſtponenda. Philoſophari ſemper juvat & commodum eſt. Publica commoda quiſquè cordatus curat.

Cometæ non tantùm mala ſed & bona portendunt.

gratum & utilè publicè futurum placeat, cumprimis tamen Magnificò & Ampliſſimo D. Proconſuli Bartholdo Mollero, literarum, meoquè Fautori eximio, quo Reſpublica hæc meritò gaudet, ut & aliis nonnullis ei ſupparibus. Quibus etiam inſtituti mei ratio nota & grata eſt. Atquè id nec mihi ingratum, quia honeſtum eſt & ſimul utile. Prudentum enim & laudatorum judiciis & monitis ad egregia facinora excitamur. Erat verò quidam Amicorum, qui cum ex me audiret, velle me Hiſtoriam illam Cometarum addere, auctor mihi erat, ut ejus verſionem Germanicam adderem, quin imò & Gallicam ſuaſit, ſingulare id operis condimentum & ornamentum fore ſperans. Atque ſic adjuvante divinâ gratiâ, coronidem operi meo imponam. Quod ut quam primùm fiat, & hîc ipſe omnem, quantum tamen alii labores permittunt, operam do, & ut idem amici in Hollandia faciant, urgeo. Quæ etiam cauſſa eſt, ut Illuſtriſſimæ D. Veſtræ in memoriam reſponſum Curtianum, cum Curtiana, Veſtris primo loco ponendis, neceſſariò ſint adnectenda, revocem. Cupio inſuper certior reddi de illis figuris Ingolſtadii & Salisburgi obſervatorum Cometarum, an eo modo & pretio, ſicut antea dixi, haberi poſſint. Unum adhuc monendum mihi eſt reliquum, opus ſcilicet meum fore quidem haud exiguæ molis, ob tot Virorum Doctiſſimorum, non tantùm de Cometis & Sideribus, ſed & de aliis argumentis Phyſicis, Politicis, Ethicis, Hiſtoricis &c. Commentationes accuratas & meditatas, ſed nec exiguæ jucunditatis & utilitatis, quæ moli illi demet, ſaltem levabit, faſtidium, utinam & invidiam, quæ, umbræ inſtar, virtutem & liberam ejus inſtitutionem ſequi ſolet. Inſuper unum addo, quod nuper monendum erat, quòd de Cometa illo die 22. Maji viſo, ſecundùm Illuſtriſſimæ D. Veſtræ deſcriptionem, videatur affirmari poſſe, eundem eſſe illum, qui viſus fuerit poſtremò menſe Aprili antè Solis ortum; dum ſcilicet tranſivit ipſum Solem, & verſus plagam cæli, inter Meridiem & Occidentem, veſpertinus factus eſt. Benè valeat & faveat conſtanter ei qui eſt

Prudentum judicia & monita ad virtutem laudemque excitant.

Invidia, ut umbra, ſequitur virtutem & liberam ejus inſtitutionem.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio & officio cultuquè

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 20. Iulii 1665.

N. 49. ad 47. & 48.

ANte triduum Laconicè ſcripſi, quod nec in rationes referri meretur. Nunc itaquè binis Generoſitatis Veſtræ literis reſpondeo. Sylveſtri Petra Sanctæ ſcriptum contra Calvinum & Bezam non vidi: neque Riveti apologiam pro his. Diu autem eſt, quòd legerim obſcœniſſima Bezæ carmina in Audelbertulum & Candidam, quæ inter alia (Tibullum magis vel Naſonem, aut ſimiles inferni Titiones Ethnicos decentia, quàm Theologum Chriſtianum, qualis ipſe eſſe voluit) edidit, ſub nomine Adeodati Sebæ, ſanè nefanda & pudenda. Calvinum etiam intus & in cute novi. Notum & vulgo quomodo vixerit & habitus ſit. Jurè meritoquè Grotius, fide dignus auctor, quamvis alioqui modeſtus, ei objicicit, quòd malè tractarit Viros longè ſe meliores. Quam enim in Servetum, Ochinum & alios, ab ipſis in opinionibus diſcrepantes, ſævierint, quamquè multi exempla illorum ſecuti fuerint, non minùs in propatulo eſt. De quo rectè judicat Generoſitas Veſtra, quòd contra ſemet ipſos ſententiam tulerint, alteri facientes, quod ſibi fieri noluerunt. Quicquid ſit, ego in ſententia priori perſto, optimos eſſe, qui minimis urgentur malis vel vitiis. Quòd ſi inter nos Catholicos horum nonnulli reperiuntur, qui ſuccumbunt culpæ, non deſunt tamen, per gratiam Dei, etiam in hoc ſæculo, quos cum quovis comparere poſſimus. De opere veſtro ſpero nos brevi aliquid certius reſcituros. Cui quòd Breviarium ſeu Summarium aliquod adjungat, non improbo. Memini enim

Grotius laudatur.

Perſecutio ob religionem Euangelicis damnoſa.

S

Heinſium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Heinſium Patrem hæc talia, ut & indices librorum, præſertim recentium, valdè deſideraſſe. De figuris Cometicis & reliquis R. P. Curtii reſponſum exſpecto. Heinſiana mecum communicata fuère gratiſſima: cui paratiſſima mea obſequia & conſtantem affectum deferri rogo. P. Curtium ſæpius monui de reſponſo ad literas veſtras. Sed video, illum quò magis ſeneſcit, eò tardiorem fieri. Quamprimum autem aliquid accepero, ſtatim illud tranſmittam. Saliſburgenſis iconiſmi Cometici exemplaria, ut Generoſitati Veſtræ procurem, ſedulò operam dabo. Hoſii ſcripta reliqua, ut adhuc legat Generoſitas Veſtra optem. Multa enim bonæ frugis in illis inveniet. De fide ſententiam meam ſæpiùs explicavi, & vellem omnes ita credere & vivere, præſertim Amicos meos, ut vult Deus, cujus voluntas ex eo, quo religionem Chriſtianam & Eccleſiam inſtituit modo, incognita eſſe nequit nobis, qui antiquitatum & literarum cognitionem habemus. Fateor tamen cum Sancto Apoſtolo, veram fidem eſſe donum Dei, & non dari niſi invocantibus illum. Sed ad alia. Sunt qui ingentem Hiſpanorum in Portugallia factam cladem: nec deſunt, qui Regis Hiſpaniæ mortem divulgent. Ita tot Cometarum apparitiones triſtia nobis & læta attuliſſe viderentur. Triſtia illis, ad quos inde damna: læta iis ad quos gaudia & commoda redundant. Quod communiter in rebus ſublunaribus accidere ſolet, ubi unius generatio, alterius eſt corruptio, & reciprocè. Nimis ſunt manifeſtæ rerum mutationes in orbe, majoreſquè imminere videntur. Sed ego maneo ſemper

Fides donum Dei & res liberrima eſt.

Cometæ bona malaquè portendunt.

Viciſſitudo rerum eſt perpetua.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 50. ad 49.

Hamburgo Ratisbonam die 29. Iulii 1665.

OBſcœna illa Bezæ Rivetus ætati juvenili adſcribit, & alioqui Bezam & Calvinum acriter tuetur. Ego litem illam meam non faciam. Maximè tamen improbo utriuſquè ſententiam, & quidem publicis ſcriptis editam, de hæretis (quales illi ipſi vobis aliiſquè ſunt) capitali ſupplicio afficiendis. Nemo enim damnabitur ideo quòd neminem conſcientiæ cauſſâ ad rogum, vel alioquin ad necem damnet, imò ſi nec verbis eum damnet, charitatis Chriſtianæ memor, ſed & officii. Cujus ratio exigit, ut quæ ſoli Deo competunt, ei relinquamus, qualis eſt inſpectio, cura & dominium conſcientiarum. Ille enim eſt Omniſcius & Omnipotens. Summarium, Operi meo ad marginem addi cæptum, non diſplicere Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, ex animo gaudeo. Cupio etenim in omnibus pro virili cuncta ita peragere, ut ab Illuſtriſſima D. Veſtra approbentur. Ejus enim judicium maximi facio, in iſtis præſertim quæ ad Rempublicam & vitam civilem pertinent: tum etiam quæ ad ſtylum, de quo Illuſtriſſimam D. Veſtram ut & Clariſſimum Heinſium & Bullialdum, tanquam primi commatis amicos ſincerè conſului. Nec diffiteor veſtra monita mihi placuiſſe, hoc præſertim exulcerato ſeculo neceſſaria. Quod reliquum eſt, non dubito Deum libertatis meæ modeſtæ, & nil niſi publica commoda ſpirantis, fore patronum. Ei quoquè conſcientiæ meæ conſtat optimè, ut & uniuſcujuſquè mortalium, ratio. Ego teſtor, me cuique in Sacris integram conſcientiæ & religionis relinquere libertatem, & diverſitate ſacrorum ſuo loco poſitâ: hic nonniſi Philoſophica & civilia tractare: utpote bonarum literarum & boni publici amantiſſimum. Atquè hoc me apud omnes, quos appellavi, excuſandum jure meritoquè & ſat abundè excuſabit, dummodo æquitati locus ſit. Cometas non tantum triſtia, ſed & proſpera prænunciare, ſaltem antecedere, toties dixi, imò & probavi. Quam in rem egregia epiſtola, Vienna Kalendis Januariis hujus anni auſpicibus ſcripta, nuper in manus meas & conſpectum venit, meæ ſententiæ conveniens, ſed

Hæreticos eſſe capitali pœna mulctandos Beza poſt Calvinum male docuit.

Damnandus nemo conſcientiæ cauſſa.

Conſcientiarum imperium ſoli Deo relinquendum.

Libertas juſta à Deo defenditur.

Deus libertatis tutor & mentium inſpector.

Cometæ bona & mala portendunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſed & nuper ab Illuſtriſſima D. Veſtra expreſſam, triſtia (quæ Cometæ afferant, ſaltem præcedant) his, læta illis eſſe, confirmans. Ipſa enim natura & experientia jugis docet, unius generationem eſſe alterius corruptionem, & contrà, ſicut prudenter Illuſtriſſima D. Veſtra judicat. Quam benè & feliciter ac diu cum ſuis valere cupio.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 23. *Iulii* 1665. N. 50. ad 49.

GRatiſſimis Generoſitatis Veſtræ literis Laconicè reſpondeo, quia itineri accinctus, vel potius excurſioni in villam meam, quarto ſolùm lapide hinc diſtantem, ubi me, ut verum fatear, poſt moleſtas Curiæ nauſeas, recreare ſoleo, & nidum parare incipio, in quo quod reſtat vitæ, placidè exigam, Deo victurus & mihi, ſi quando ejus bonitas mihi hanc gratiam concedere dignabitur, ut pro genio meo vivere liceat, & dicere cum Poëta veteri:

Portus eſt in ſuburbano optimus.

Hîc portum inveni, ſpes & fortuna valete.
Ludite nunc alios.

Operis Veſtri editionem maturari, libens intelligo: haut lubens, quòd ſolus tot ſumtus facere intendit. Novi enim quantos ejuſcemodi opus requirat, & quàm rari hoc ævo reperiantur Mæcenates, præſertim munifici, & qualis celebris ille Virgilio & Horatio fuit. Dux Auguſtus hodie præ cæteris literarum patronus habetur. Videndum etiam erit, ſi fortè privilegia neceſſaria hic illîc obtineri poſſint. Literas Veſtras doctiſſimas R. P. Curtio jam tranſmiſi, exſpectans quid reſponſurus tandem ſit. Ante 5. dies autem nondum redierat Neoburgum. Proximè plura. Interea ſum maneoquè, ut ſemper

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam Kal. Aug. 1665. N. 51. ad 50.

BReviloquentes ſimus cum vel libet, vel aliter non licet. Hæc lex ex æquo utriquè noſtrûm, ſed & omnibus in colendis tàm juribus amicitiæ, quàm commerciis literarum, competit. Diverticulum in prædio ſuburbano Illuſtriſſimam D. Veſtram habere, ibiquè vitæ magis quietæ & tranquillæ ſedem, ac portum ocii, dubio procul literati, parare, gratulor ex animo. Hoc eſt fuitque ſemper votum eorum, qui *miſeram illam occupatorum, eorum autem, qui ne ſuis quidem occupationibus laborant, & ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, ad alienum dormiunt ſomnum, & amare ac odiſſe res omnium liberrimas jubentur*; cum Seneca conſiderant, & in ſe ipſis experiuntur. Ac proinde ad quietam illam vitam in otio pingui agendam perpetuò aſpirant, & commodos ejuſmodi nidos ſibi ſtruunt; illius Tragici memores:

Seceſſus ſuburbanus ſtudiis aptus. Vita tranquilla. Sedes quieta. Otium literatum. Libertatis amans ſui ſit juris, nec ex altero dependeat, opus eſt,

Me dulcis ſaturet quies,
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar ocio.

Talem quietam & beatam habitationem ruri MANERIAM multi recentiorum Scripto-

Scriptorum vocant: Celeberrimus verò ille Doctorum Scolaſticorum Bonaventura, in Itinerario mentis, ſeceſſum, intrinſecum ſpirituale & æternum, manerium. Optima Chriſtiani hominis vox, ſi bona Latinæ linguæ dictio intrinſecum manericum pateretur. Mihi nondum licet tàm beato eſſe. Utinam operis iſtius editio viam mihi ad ejuſmodi vitæ rationem paret! Sentio etenim continuos hoſce & graves labores nequaquam mihi conducere. Sumtus certè haud illiberales in tenui re in Operis hujus perfectionem faciam. Qua in re exempla Maximorum Virorum, Ariſtidæ, Epaminondæ & Platonis à Plutarcho commendatorum, & in paupertate ſumtus pro virili ſtudiis, quibus delectabantur, impendentium exempla me ad laudem excitant. Sed illis ultronea Amicorum munera laborantibus ſubveniebant, & cum precibus offerebantur dona ab iis, qui divitiis affluentes pro beneficio, ſaltem ſingulari benevolentia, ducebant, cum illi divitiarum contemtores earum portiones exiguas magnanimitate ſua dignas judicarent. Mihi nondum munificus obtigit Mæcenas, quales nec Seculo noſtro deſunt. Sed

Labores graves & aſſidui vires frangunt.

Contemtores divitiarum ditiſſimi ſunt.

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

ut liceat huc tranſferre illa Poëtæ. Nempe quia cæteris mari vitiorum & malorum merſis hi ſoli vivunt, & in littus laudis enatare feliciter contendunt. Sed hoc quoquè in manu eſt ejus, qui corda Principum pro arbitrio flectit. Ego verò Amicorum benevolentiæ fido, eatenus ſaltem, quod conatum meum publicæ utilitati dicatum commendaturi ſint Viris Principibus, apud quos gratiâ & auctoritate multum valent. Quod mihi ſufficiet ab eis, qui plura præſtare non valent: idquè Illuſtriſſimam D. Veſtram etiam facturam non dubito: cujus eximio & conſtanti favori me meaquè commendo, qui mihi ſat conſcius ſum, quòd optimo jure æſtimari & cenſeri debeam

Principum corda Deus regit.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & obſequio deditiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 51. ad 50.

Ratisbonâ Hamburgum die 27. *Iulii* 1665.

VEllem me fuſius doctiſſimis Generoſitatis Veſtræ literis reſpondere nunc poſſe. Sed reverà excludor tempore. Ergo per ſumma capita eundum eſt. Excerpta ex Nyſſeno & reliqua pietatis negotium tangentia, ut & quæ de Cometis Generoſitas Veſtra ſcribit, me non indelectant, dolentem ſaltem, quòd iis reponere, quæ vellem poſſemquè, per anguſtiam temporis non liceat. Argumentum illud, an adoptio liberorum ingenuorum præferenda ſit iis, quales ſors obtrudere ſolet, aliquando ineptiſſimos, fœcundum admodùm & latè patens cenſeo, ſi quis tempore abundet in hunc campum excurrendi & ſtilum exercendi. Quod me juvenem feciſſe memini ſuper noto illo adagio, *Heroum filii noxæ.* De Mæcenatibus eorumquè hodie raritate nuper mentem aperui, putoquè nos meritò dicere poſſe cum Oveno:

Liberi adoptitii an genitis præferendi.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Ipſe Celeberrimus P. Kircherus, cum quo mihi jam dudum amicitia & literarum commercium intercedit, haud modicam difficultatem in ejuſmodi occaſione expertus eſt. In quadam epiſtola Anno 1657. menſe Majo ſcripta, paulò poſt mortem Glorioſiſſimi Cæſaris Ferdinandi III. Munificentiſſimi literatorum Patroni, ita inter alia ad me ſcribit: *Certè in Sapientiſſimi Cæſaris obitu quantum Muſæ gemuerint, Roma teſtis eſſe poteſt. Sed ſi noſtra ſtudia Deo Opt. Max. beneplacita*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

placita fuerint, alium ſuſcitabit Mæcenatem, qui rerum noſtrarum ſatagat; Si non, noſtras vices hoc ipſo ſolabimur, quòd non mundo, ſed divæ gloriæ eâ quâ poſſumus ſollicitudine promovendæ invigilemus. In altera epiſtola ante biennium datâ de ſua Polygraphia ita ad me iterum: *Quemadmodum dictum opus continuis precibus diverſorum Principum (qui fidem vix adhibere videbantur, quæ de iis veluti paradoxis fama interdum ſparſerat) extortum fuit, ita quoquè ne malæ fidei & turpis jactantiæ notam dicamquè incurrerem, illud pro paupertate mea propriis expenſis, nonniſi exiguo exemplarium numero, excudi curavi, eo potiſſimum fine, ne ſtatim unicuiquè arcana in eo expoſita exemplarium multitudine innoteſcerent, ſed Principibus, quorum ea ſcire propriè convenit, offerrentur. Ego verò quæ fama de iis, veluti ἀδιάδεις, ferebat, vera eſſe ipſo facto fide data exolatus demonſtrarem. Habeo modo præ manibus complura nova, à me Dei gratiâ reperta, multò polygraphiâ excellentiora atquè admiratione digniora, quæ in gratiam novarum rerum inventionumquè cupidorum Principum prælo reſervo, ſi eorum liberalitate ut id poſſim adjuvor. Spero Tuam Excellentiam pro veteri ſuo in me affectu id acturam apud eos, qui polygraphiæ participes fient, in Veſtris Cæſareis Comitiis Principes: ut ſaltem de micis, quæ cadunt ſub menſa dominorum, ad magna præſtanda & in lucem educenda, ad Dei gloriam, & Germanicæ nationis exiſtimationem, quam in hoc mundi theatro, quà docendo, quà ſcribendo tueri non deſino, ſubveniant.* Hæc etiam tunc ille, quæ ego pro ſolita noſtra confidentia communico, ut exinde Generòſitas Veſtra videat, quanti & iſti tanto Viro editio ſuorum operum conſtiterit, & quid ſibi faciendum ſit, menſuram prudenter capiat. Ecce verò in eandem rem Clariſſimus Iſaacus Gruterus, Vir non tantùm mihi Amiciſſimus, ſed & eximiâ eruditione & humanitate ornatiſſimus: *An libri moles & impenſarum neget Reineſiano Inſcriptionum operi typographum, an aliunde præclaræ molitioni naſcatur obex, non facilè diſpicio. Metus eſt, ne laudatiſſimæ induſtriæ & diligentiæ indefeſſæ fructum videat Senex, annos & fortunam nimium ingraveſcentem expertus. Si tamen extremam accepit manum iſte labor, non intercciderent per mortem authoris operoſa illuſtrandæ antiquitatis præſidia: quibus res literaria omnium temporum effloreſcet lætiſſimè. Heveliana commendari audio, eorum nonnulla meis propiora ſtudiis, quà in Philoſophiam excurrant, avidè quæſiturus. Erit in his Cometologiæ Prodromus, non argumento magis æſtimandus, de quo multa exſtant pervulgata, quædam & à tritis communium Scholarum placitis remota, quàm ſoliditate Viri in Aſtronomicis verſatiſſimi. Nequè alio mihi loco erit Cometographia Staniſlai Lubieniecii, Equitis Poloni, ſi quando lucem adſpexerit, variæ eruditionis præbitura theatrum. Vale. Roterodami ex Eraſmiano XIV. Julii prid. Idus.* Hæc tantò libentius Generoſitati Veſtræ communicare volui, quantò magis Eandem in edendo ſuo opere informare, & honeſta ſui mentione à Viro iſto Præclaro factâ grata eſſe poterunt. Revertor ad Kircherum, qui, ut Generoſitas Veſtra vidit, me etiam tùm compellavit de conciliandis ſibi Patronis. Sed fruſtrà ubiquè fui, cauſantibus his ærarii inopiam, aliis magis neceſſarias impenſas, aliis alia. Licet fatear, multa profundi in ſumtus planè non neceſſarios, imò noxios aut indecentes. Sed quid facias? Non corriguntur Aulæ ad regulas noſtras, ſed nos illis accommodare nos cogimur. Et ſic doleo, me vix videre, quomodo Generoſitatis Veſtræ laudabilia aliàs deſideria juvare poſſim. R. P. Curtius mihi necdum reſpondit, licet Neoburgum redierit. Cras illi iterum aurem vellam, & de cætero maneo, ut ſemper

Sumtus multi ſunt inutiles, imò noxii & inhoneſti.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 52. ad 51.

Hamburgo Ratisbonam die 5. Auguſtii 1665.

MUltùm dolet mihi, privari me identidem exoptatâ utrinquè reſponſi Illuſtriſſimæ D. Veſtræ vice per turbam publicorum negotiorum. Quæ dum in ſeriem non divellendam complicata Clariſſimus Gruterus (cui quòd Illuſtriſſima D. Veſtra commendare adeò liberaliter exiguos meos conatus voluerit, debitas ago gratias, eiquè heri hac epiſtola, cujus apographum mitto, reſpondi) jam diu animadvertit, propoſitam in ſeceſſu parando operam, otii abundantiam & ſolitudinis tranquillitatem commendavit, quod me in literis ejus, antehac ab Illuſtriſſima D. Veſtra ad me miſſis, legere memini. Interim æquo animo ferenda ſunt, quæ mutari non poſſunt. Illa Gruteriana, quæ de Generoſiſſimi & Doctiſſimi Baronis Boineburgii vitâ privata & otio, radios laudum habituro, ex libris feliciter tractatis ſcribit, penſo his quæ Amicus Francofurto ad Mænum de Viro illo Excellentiſſimo & ſimul de Illuſtriſſima D. Veſtra ad me nuper ſcripſit: *Generoſiſſimus Baro Boineburgius in hac urbe vivit. Sæpè mihi obtingit felicitas eum videndi & compellandi. Magnus eſt Amicus Illuſtriſſimi Domini Rautenſteinii, quem fama conſentiens prædicat Virum doctum & bellè curioſum. Exſpectabo cum tædio uſquequo Tuum opus lucem videat, deſiderans in illo videre ea, quæ Illuſtriſſimus D. Rautenſteinius & Ampliſſimus D. Guerichius dicturi ſunt nobis de iſto poſtremo Cometa. Libenter voluiſſem Te vidiſſe librum Gallicum: cujus author noluit aliter nomen ſuum exprimere quàm initialibus literis I. D. P. M. Non amplius eum habeo. Eſt autem compoſitus ſecundùm principia Magni illius ſeculo noſtro Philoſophi Carteſii. Ex omnibus quos de hoc argumento vidi, maximè mihi iſte placet. Ideò etiam meritus eſt approbationem omnium Virorum Doctorum. Diarium Sapientum factum à Domino de Hedwille, quod fortè ibi videris, nullam ejus facit mentionem, licet non fuerit Author ille oblitus judicium ferre de libris in hanc rem à Domino Fortfiſchero & Patre Grandami editis. Qui etiam non pauca continent curioſa, lectu & conſideratione digna, qualia ab ingeniis Galliæ felicis feliciſſimis proficiſci ſolent, quæ Te vidiſſe ſpero.* Hæc ille. Sed redeo ad orbitam epiſtolæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, Hamburgo Ratisbonam quantâ poſſum celeritate contendens.

Seceſſus Viris literatis & probis optandus.

Utinam nobis tàm beatis eſſe liceat, quò ab illa turba negotiorum & ſtrepitu fori & curis ſeculi longè remoti, ſecundum illum Horatianum Epodum occinamus læti ovanteſquè

Agricolarum vita priſca beata.

Beatus ille qui procul negotiis
(Ut priſca gens mortalium)
Paterna rura bobus exercet ſuis &c.

Otium literatum etiam inter negotia datur.

Sed benè nobiſcum adhuc eſt comparatum, quòd negotia, licet ſpiſſiora, non obſtent nobis ad ſtudia literaria, quodque hæc nos ad virtutem ducant, quod utrumquè ille merito dicendus virtutis veræ cuſtos ridiguſquè ſatelles Seneca urget, dum nos ſcilicet, eodem monente, *rebus non tradimus, ſed commodamus.* Negotiis, gravioribus præſertim & civilibus publiciſquè diſtractos, non ſemper in colendo literarum commercio & reſpondendo ſuis amicorumquè votis ſatisfacere poſſe

Veniam det alteri, qui ea indiget ipſe.

Scimus & hanc veniam petimuſquè damuſquè viciſſim.

Poſtremæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ literæ, etſi breves, mihi tamen, ut omnes reliquæ, ſunt gratiſſimæ. Libenter in illis legi meos conatus in Opere Cometico & promovendis publicis commodis eidem placere. De Mæcenatibus proſpiciet mihi is cui ſervio toto & puro pectore, Deus, qui videt me ad cultum

Gloria Dei unicus ſcopus actionum noſtrorum eſto.

juſtitiæ & Sacro-ſancti nominis ejus, velut ad omnium actionum noſtrarum ſcopum, collineare, hacquè etiam fini rei literariæ pro virili juvandæ operam dare. Meritò hîc in memoriam revoco mihi ſacrum illud Symbolum, Inclyto Danorum Regi Friderico III. feliciter imperanti, Munifico certè Mæcenati, adama-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

adamatum, Dominus Providebit. Ob juſtas cauſas nondum Mæcenas meùs comparet. Inter hæc, monente illo Philoſopho, promtus ſum hilaris accipere beneficium, & profiteri gaudium, ut id danti manifeſtum ſit, quò is fructum præſentem capiat. *Juſta enim cauſſa lætitiæ eſt lætum amicum* (clientem) *videre*, *juſtior feciſſe*. Sen. ep. 22. Paratus quoquè ſum, eodem monitore, publicum teſtimonium grati animi prodere, ne furtivè agam gratias & in angulo, & ad aurum, quod non verecundiam, ſed infitiandi genus ducit, & ingratum dicit, qui remotis arbitris agit gratias. Ego interim omnem fortunæ meæ tenuitatem operi, & ſic publico bono promovendo devovi. Verumtamen illa Kircheriana (de quibus ut & Gruterianis gratias ago, & quæ ad iſtum, ut & ad Heinſium heri ſcripſi, ut & quæ ab Joan. Nærano, Viro Doctiſſimo, accepi, hoſtimenti vice mitto) prudentiæ utilis regulam probatam velut digito oſtendunt. A Socio ejus Ricciolo ante aliquot dies me literas periculoſiſſimi morbi & deſperatæ propè valetudinis indices accepiſſe, vereor ut nuper Illuſtriſſimæ D. Veſtræ nunciarim. Cujus commentationem ſuprà illud vetus verbum, *Heroum filii noxæ*, libens videbo, & ſi ad manus ſit, copiam ejus fieri mihi peto. Ego argumentum hoc attigi, quantum ſatis eſt in tranſitu. Auguſtum feliciſſimum alioqui Principem, non tantum in ſuſcipiendis, ſed & in adoptandis liberis infelicem fuiſſe, prodidit Suetonius & Spartianus. De primogeniti & unici filioli Illuſtriſſimæ D. Veſtræ obitu necdum quicquam mihi conſtitit. Utinam Deus Pater Patrum, hanc jacturam reparet! Quod ſincero affectu precatur, & ſimul conſtantem valetudinem & rerum ſucceſſum

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

Stanislaus Lubienietzki.

Ratisbonâ Hamburgum die 30. *Iulii* 1665. *N.* 52. *ad* 51.

VIx credo opus Generoſitatis Veſtræ hôc autumno prodire poſſe, propter motus in Batavia, & diffuſam ejus molem. R. P. Curtium nudius tertius iterum deligentèr monui de reſponſo Generoſitati Veſtræ debito. A me certè non ſtabit, quominus Generoſitatis Veſtræ deſideriis undecunquè ſatisfiat. Proinde & promiſſi ultrò carminis memor ſum. Ad quod fabricandum an aptus nunc ſit Genius meus, ignoro. Diu enim eſt, quòd non ſomniavi in bicipiti Parnaſſo, & Poëticam ſuſpendi chelym. Si quid tamen naſcatur, id ſat citò veniet, ſi ſat benè. Quæ commentata eſt Generoſitas Veſtra circa liberos adoptivos vel naturales, mihi perplacent, & magnam ejus variamque lectionem oſtendunt. Puto illud argumentum tàm uber eſſe ac ferax, ut aliquis latè ſe in eo diffundere poſſit, ſi tempore abundet, quo ego ſanè nunc, ſi unquam, deſtituor, accedente præſertim corporis imbecillitate, & morbis ſæpè recurrentibus, qui & animi tandem labefactant vigorem. Quod reliquum eſt, præſens rerum ſtatus, me monet, ut dicam, Deus det meliora! Nam undiquè omnia plena periculis & magnis revolutionibus videntur. B. V.

Morbi recurrentes corporis animique vigorem labefactant,

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 8. *Auguſti* 1665.

ITa eſt, operis mei editionem impedimenta quædam, Bataviâ bellicis motibus concuſſâ, ſubiiſſe & pati. Verùm ſperamus, juvante Deo, nos ea feliciter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

citer remoturos, & in propoſito perrecturos. Novum autem impedimentum objectum mihi eſt ab Amicis editionem libri curantibus. Verſio nempè narrationum de Cometis Germanicarum, Suecicarum, Gallicarum & Italicarum. Tentaverat hanc quidam ex Amicis; ſed cum eam ſibi parùm proſperè ſuccedere putaret, nec alium aliquem, qui eandem ex voto perficere poſſet, inveniret, tandem rem ad me deferendam decrevit. Jam itaquè in eo ſum, ut conſultis hic illic amicis, linguæ Germanicæ (nam Italicam & Gallicam quantum ſatis eſt, divinâ gratiâ, calleo, Suecicam prorſus ignoro) melius me gnaris, verſionem adornarem. Procedit autem opus non infelicitèr, & ſpero me in verſione Galllicorum & Italicorum radices eorum in lingua Latina (quæ mater earum, ut & Hiſpanicæ, & Valachicæ, & ex parte Anglicæ & Lithuanicæ cenſenda eſt) quantum tamen euphonia & ſtili ratio permittit, rem linguarum illarum ſtudioſis non inutilem præſtare volens, velut è regione demonſtrare. Et fiet quidem id datâ occaſione, ac velut in tranſitu, ſtudio tamen boni publici: quod promovetur, cum bonarum literarum cultores in ſpem, non tantum paternarum familiarum, ſed & patriarum civitatum creſcentes, in laudabilibus conatibus ſuis quacunquè ratione & parte juvantur. Spero autem me intra paucos dies bonam narrationum illarum in linguam Latinam verſarum partem in Hollandiam, volente & favente Deo, miſſurum. Ibi interim præla, quæ ſtrenuè ſudabunt, parata ſunt, & figuræ obſervationum Cometicarum æri inciduntur. Spero etiam opus hoc anno, adjuvante divinâ gratiâ, abſolutum iri, ut ſtrenæ loco cum uberrimis feliciſſimi novi anni auſpiciis quaquaverſum mitti poſſit. Qua in re omnem promitto operam & induſtriam, memor moniti à Sapientiſſimo mortalium dati: *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus.* Prov. 16. 10. Accepi heri ſingularia quædam ab Ampliſſimo Guerichio Conſule Magdeburgenſi, & Clariſſimo Gravio Profeſſore Matheſ. Franequer. quæ opus meum augebunt & ornabunt. Ecce verò Bullialdiana oppidò doctiſſima, octavo ab hinc die ſcripta, hodie mihi reddita. Qualia & à Nobiliſſimo Heinſio hodie accepi de egregiis Rudbeckianis, tùm quod ad Commentarium de Cometis, tùm quod ad figuras ei adjungendas, attinet. Itaquè jam in ordinandis ritè omnibus & prælo ſubjiciendis occupor. Ita tamen, ne ullas officii partes erga Amicos (quos inter Illuſtriſſima D. Veſtra primo mihi ponenda eſt loco) negligam. Curtianum reſponſum exſpecto, & niſi miſſum fuerit, in memoriam revoco. Tempeſtivè enim providendum, ne quid induſtriam Typographi, poſtquam ſemel manum operi admoverit, remoretur. Quod quidem non fiet, etſi mihi tarda reſponſa, quæ à tardis noctibus ad citiores menſtrui amplius ſpatio jam properant, ad calcem operis, appendicis loco, fuerint addenda. De argumento uberrimo, filiorum tàm naturalium quàm adoptivorum, credo me Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ſatisfeciſſe. Cujus votis cuncta mea ſtudia libenter per omnia pro virili attemperabo. Quòd ultronei illius carminis Illuſtriſſima D. Veſtra mentionem ſubindè faciat, ſingulari benevolentiæ ejus imputo, Eidemquè maximas, quantas mente concipere debita modeſtia permittit, gratias ago, tanto favori convenientes, quaſque is jure ſuo depoſcit. Qua in re virum honeſtum & probum, multo magis Chriſtianum, partem officii ſibi incumbentis, ponere decet. Quod mihi nunc in mentem venit occaſione cujuſdam epiſtolæ, non ita pridem ab Illuſtriſſima D. Veſtra ad me ſcriptæ, Principes quandoquè melius ſilentio & admiratione, quam intempeſtivâ vel iniquâ eloquentia coli. Novi quidem etiam gratias Principibus agendas (quod me apud aliquem Panegyriſten, aliquando legiſſe probè memini) ut apud Deos fieri amat, ſentiendo copioſius quàm loquendo. Nollem tamen à quoquam Virorum Principum & Illuſtrium, qui me variis affecerunt & afficiunt beneficiis, vel minimam grati animi partem in me deſiderari, quaſi nunquam inſpexiſſem doctiſſimos & optimos, ut omnia, Senecæ de beneficiis libros, neſciamquè quid ſana ratiò & moralis diſciplina de præſtanti omni virtute, & imprimis illa grati animi (ut Seneca l. 4. c. 24. ait)

Publica commoda omni ratione juvanda.

Studioſi bonarum artium omni modo juvandi.

Modeſtia debita ſervanda.

Gratus animus exhibendus.

Gratus animus præſtans virtus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ait) doceat. Vel quaſi memoriâ exciderit illud ejuſdem Philoſophi: *Nihil magis præſtandum eſt, quàm ut memoria nobis meritorum hæreat, quæ ſubinde refricanda eſt: quia nec referre poteſt gratiam, niſi qui meminit: & qui meminit jam refert.* l. 2. c. 24. ubi etiam docet loquendum pro magnitudine rei impenſius, & paulò antè, gratias de acceptis beneficiis publicè agendas, nec opinionem Clientium timendam, ne graviorem ingratorum ſubeamus. Vel denique quaſi locum in me inexplebilis avaritia vel ambitio & invidia, grati animi peſtes, invenerint, ut ſuſtineam vel ſuſpicione ingrati animi laborare, qui potius cum illo Ebutio Liberali Senecæ laborem *affectu verentis & æſtuantis* (quod notat & improbat Stoica Philoſophia) *ne in ullo officio ſim tardior.* Sed me amplius in hoc patenti & læto campo dilatare nolo. Res in orbe Chriſtiano hinc illinc exaſperari, & deteriores potius quàm meliores reddi maximoperè dolendum eſt. Quid ni ergo Deum ſupplices oremus, ut det meliora? Fortè & illud B. Polycarpi, primævæ quidem integritati Apoſtolicæ proximi, imo & ejuſdem participi, ſed initio ſecundi ſeculi (quo nemine amplius ex Apoſtolis ſuperſtite, hæreſes nudo vertice Eccleſiam Domini, perſecutiones foris graviſſimè concutiebant) cum tot adverſis luctanti, uſurpandum nunc veniet: *In quæ nos, ô Deus, reſervaſti tempora!* Sed ut *inſtruenda eſt vita illuſtribus*, ita *firmandus animus conſtantibus exemplis*, monente Senecâ & Tacito. Benè Valeat Illuſtriſſima D. Veſtra, & favere pergat, ut Clariſſimo Heinſio (qui ecce Eam ipſe in ſuis ad me compellat literis) ita & mihi, qui ſum

Officioſus eſto.

Deus orandus, ut meliorem formam rebus Chriſtianis reddat.

Exempla bona multum proſunt.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 6. *Auguſti* 1665.

N. 53. *ad* 52.

SPero brevi proceſſurum tandem diu deſideratum Generoſitatis Veſtræ opus, quod famam augebit, & Generoſitati Veſtræ commodum non adferre non poterit. A P. Curtio reſponſum obtinere necdum potui, cauſæ ignarus. Si taceat porrò, edi tamen meo judicio poterunt, quæ Generoſitas Veſtra ad illum exaravit, addendo, quòd reſponſum emanſerit. Jlla Nærani epiſtola mihi perplacuit, veluti magno cum judicio, ornatu & cultu ſcripta, & index, quòd auctor illius omnium eruditorum amore & æſtimatione dignus ſit, cujus illum, quod ad me attinet, licet ignotum, certiorem fieri rogo, inprimis verò, ut credere pergat Generoſitas Veſtra quòd ſim maneamquè conſtanter

Ejuſdem

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 15. *Auguſti* 1665.

N. 54. *ad* 53.

ESſe rerum vices, & modo nos copiâ, modo defectu affici, teſtes binæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ literæ ineunte Auguſto datæ, quæ non auxerunt (unde iſti menſi Sextili & primò Octavio Cæſari nomen) opus meum notabiliter. Quod quia jam in juſtum volumen auctum eſt, niſi & excefferit, commodùm accidit. Nempe iſte menſis & Commodi Cæſaris appellationem accepit olim ab ignobili adulatorum grege, qui novum illum Syllam, optimi Parentis peſſimum filium, & ſancti Antoninorum æquè ac Auguſtorum nominis dedecus, hoc impudenti mendacio decorare ſtudebant. Næ, niſi res & tempus aliud

 velint,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

velint, commodæ literæ hoc menſe & aliquot ſequentibus à me non dabuntur niſi breves, utpote in ordinem redigendis & prelo ſubjiciendis meis intento. Accipio lætum omen & augurium nuperrimis Veſtris expreſſum, opus hoc famam *auctrum* & *commodum* allaturum. Utrumquè opto & curo, quantum citra ambitionis & avaritiæ periculum, imò ſuſpicionem licet. Adhuc me tenet illa moleſta verſio, cui tamen jamjam coronidem, juvante Deo, imponam. Nequè hunc, tenuem licet, laborem ſtudioſis linguarum, Latinæ præſertim, Italicæ & Gallicæ, ut ante dixi, inutilem fore ſpero. Hæc in linguam Latinam verſa, unà cum bona eorum, quæ inter nos communicata publicæ luci, Deo propitio, exponentur, parte, cum prima occaſione in Hollandiam mittam. Ubi interim in affabrè & ingenioſè incidendis æri figuris ſtrenuè laboratur. Has & P. Kircherus, miſſo obſervati Romæ Saturni & Jovis, paulo diverſà quàm Clariſſimus Hevelius fecit ratione, Schemate, ſed & opus ipſum doctiſſimis hiſce literis auxit. Fecit utrumquè Clariſſimus Gravius Profeſſ. Franequeranus. Sed & Clariſſimus Rudbekius per Nobiliſſimum Heinſium idem facere cæpit. Ita Auguſtus auctum & augurium adhuc dedit, dabitquè ſpero plura ejuſdem generis. De reſponſis tardis jam ante ſatiſfeci: Me enim ea vel ſeorſum, niſi in tempore veniant, impreſſurum, ne editio libri impediatur, firma mihi ſtat ſententia. Interim non deſpero P. Curtium vel ſponte, vel hortatu Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ad meas binas reſponſurum. Nærani granditas & multùm anxia verborum cura, ideoquè terſus & ſublimis ſtilus, mihi ſingulariter placet. Rarò hæc duo concurrunt ut aliàs, ita & hìc, venuſtas & caſtitas. Heri ad eum ſcripſi, & quæ illi Illuſtriſſima D. Veſtra ſignificari juſſit, miſi. Memini ejus, adhuc ignoti & anonymi, literarum excerpta jam ante Illuſtriſſimæ D. Veſtræ placuiſſe. Muſæ ejus ad Veterem amnem Harlemo vicinum ruſticantur. Quid non præſtarent, ſi commoditate & cultu urbis gauderent? Sed amant hæ & ſeceſſum & pingue otium, divitem ingenii venam pro re nata exſerentes. Benè valeat Illuſtriſſima D. Veſtra cum ſuis dilectiſſimis, agat feliciter & conſtanter mihi faveat, qui ſum

Induſtria Viri probi ab omni ambitione & avaritia procul eſto.

Obſervatio Saturni & Jovis Romæ facta ab Heveliana differt.

Stilus pulcher & purus perrarus.

Venuſtas & caſtitas rarò conveniunt.

Muſæ ruſticari quandoquè gaudent, & ſeceſſum ſcribentis ac otia quærunt.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 54.
ad 53.

Ratisbonâ Hamburgum die 7. Auguſti 1665.

BReviter ſcribo in iter me conjiciens inexpectatum, intra triduum vel quatriduum abſolvendum. Optarem & Generoſitati Veſtræ ſeceſſum & quietam habitationem ruri, quæ mihi magis magiſquè placet. Magnum commodum Generoſitatem Veſtram ex diſtractione exemplarium ſui operis, poſtquam fuerit perfectum, laturam, non ſpero. Opto potiùs, ne inde detrimentum ſubeat. Loquor autem expertus, & gnarus temporum, quæ longè diſtant ab illis, quibus Plutarchi, Marones & Flacci vixerunt. Multa ſæpè inutilibus, vanis, vel etiam noxiis rebus impenduntur; non item utilibus, honeſtis & cum fructu conjunctis. Cavendi etiam ingrati, quod hominum genus omnes probi meritò deteſtantur. Benè valeat & credat me ſemper manſurum

G. D. Veſtræ

Paratiſſimum Servitorem

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Ratisbonam die 19. Auguſti 1665. *N. 55. ad 54.*

MIhi quoquè breviloquentiam imponit rerum ſcribendarum inopiâ, ſed & operis ſuſcepti ingens & aſſidua cura. Adeoquè ſicut nuper ſcripſi, ita nunc ago, & brevem epiſtolam ſcribo. Dolendum eſt nos in talia incidiſſe tempora, quibus paſſim jaceant bonarum artium ſtudia, & criſtas magis magiſquè erigant & animos ſumant vitia. Ego tamen nihilominus inſto operi & inſtituto, boni publici amore (quod reverà non temerè toties repeto) & fiduciâ opis divinæ. Amici Hollandi pergunt feliciter ſaltem in æri incidendis & imprimendis figuris Cometicis. Ego qui non quidem majora, prægravia tamen viribus audeo, ſpero me munificentiâ aliquorum Patronorum adjutum iri. Ingratos caveo & cavebo ſemper. Sed utinam non noſtro malo, quinam iſti ſint, diſcamus. Indignum profectò eſt honeſtis, tantò magis præclaris Viris hoc ingrati animi (quod malorum peſſimum vix meliore quàm ingratitudinis vocabulo dignum eſt) vitium: quod multas etiam laudes & claras alioqui dotes aliquando obfuſcat. Ex adverſo autem

Vitiorum amor plerumquè mentes occupat.

Ingratus animus Viro honeſto quàm maximè fugiendus.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus:
Nec ſumit aut ponit Secures
Arbitrio popularis auræ.

Virtus recludens immeritis mori
Cælum, negata tentat iter viâ.
Cœtuſquè vulgares & undam
Spernit humum fugiente pennâ.

Virtus per ſe ſplendida favorem populi non captat, aperit cælum immortalitatem meritis, tendit per arduâ in cælum, omnibus terrenis ſpretis.

Quæ Horatiana, felici illo Auguſti ſeculo nata, nota, quamvis Illuſtriſſimæ D. Veſtræ hîc ponere memorati ab Eadem Horatii occaſione volui, ut extet iſthoc honeſtæ meæ induſtriæ & juſtæ ſpei monumentum ære perennius. Simul verò & dulcis recordationis. Nam hanc tertii libri Carminum odam, ſecundam felici ſidere & omine, de ferenda patienter anguſta pauperie, inſtituendis in virtute liberis, teſtanda pietate in patriam, gloria virtute paranda, vitanda multitudine, ſervanda ſilentii fide, colendo numine & vindictâ ejus juſtâ, improbos tardius licet aſſequente, fugiendâ (quæ eſt vitæ meæ & votorum ſumma cum omnibus bonis communis mihi) primùm memoriæ mandavi. Factum id autem eſt ante 26. annos me ferè puero, cum prima vice in celebri illa Schola Racoviana, Anno 1638. quæſito prætextu diſturbatâ, Horatianas Odas diſcerem memoriter: quod & alibi paulò poſt mihi obtigit. Finio, multis aliis, ſed & literis ad Kircherum, Ricciolum & Schottum de argumento Cometico ſcribendis occupatus. Hoc etiam teſtatur, quanti Societatem illam in re literaria faciam. Quâ occaſione reſponſum Curtii in memoriam revoco. Benè valeat Illuſtriſſima D. Veſtra, mequè continuâ benevolentâ proſequatur, qui ſum ex animo

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ.

Omni cultu, ſtudio & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum 13. die Auguſti 1665. *N. 55. ad 54.*

GRatiſſimis Veſtris atquè uberibus reſpondere nunc paucioribus cogor, feſſus itinere. Coactus enim fui per equos diſpoſitos Neoburgum ire & redire; ut taceam alia impedimenta. Mæcenatem Generoſitati Veſtræ opto, aut

Mæcenates potiùs, quales Ipſa deſiderat. Raros autem hoc tempore inveniri ſcio. Quidquid ſit, Generoſitatis Veſtræ felicem ſucceſſum Operis, quod molitur, iterum iterumquè voveo & auguror ex animo. Pro communicatione literarum ſuarum ad Heinſium Gruterumquè debitas gratias ago. Utraquè perplacet, non tàm ob nimis honorificam mei mentionem, ſed ob variam doctrinam & ſtyli nitorem. Non dubito utriquè illas futuras gratiſſimas, nec reſponſis reciprocis carituras. Si mea id ratio ferret, nihil quoquè gratius mihi foret ejuſmodi commercio. Sed ita exerceor aliis, ut talium facilè obliviſcar, neſcio quid in futurum fortè licebit, ſi pinguius otium nanciſcar, quod opto ſanè & quæro. Schediaſmata mea juvenilia per tot errores, quibus jactatus fui, ferè interierunt, aut ita confuſa ſunt, ut vix ſpes ſit eadem recolligendi. Ideoquè & illud de Heroum filiis fortè periit. P. Riccioli ſcripta me vidiſſe non memini. Neſcio an P. Curtius illum noverit, qui proinde jacturam ipſius haud libenter ferret. Locutus fui cum ipſo ante quatriduum de reſponſo Generoſitati Veſtræ debito: quod promiſit ſe proxima Dominica certò miſſurum. Id ſi fiat, ſtatim curabitur. Video bonum illum Patrem, tot negotiis publicis privatiſquè diſtractum, tardiorem in dies fieri, & magna cum difficultate ad exarandas literas permoveri. Multa interea in illo miror, non facilè fortaſſis in uno ejus ordinis atque generis ſimul invenienda. Mihi certè de parta ipſius amicitia & notitia plurimùm gratulor. Quis vero ille amicus veſter Francofurtenſis, qui mei tam honorificam mentionem fecit? Peto eum datâ occaſione meo nomine quam plurimùm ſalutari. Qui ſum & maneo conſtanter

Publicis negotiis occupati ſibi & Amicis vacare non poſſunt

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N. 56. ad 55.

Hamburgo Ratisbonam die 22. *Auguſti* 1665.

ANtè triduum cum tribus diffuſiſſima eruditione celeberrimis Viris, Ricciolo, Kirchero & Schotto, quibus Societas Jeſu meritò gloriatur, locutus ſum familiariter. Eos enim per epiſtolam adii de argumento Cometico. Vix ab eorum colloquio digreſſus fui, & ecce Illuſtriſſima D. Veſtra ſtitit mihi quartum ejuſdem Societatis aſſeclam, Virum itidem vaſtâ eruditione Clariſſimum, Curtium nuper à ſe compellatum, & ab eo reſponſum diu deſideratum promiſit. De eodem Illuſtriſſima D. Veſtra apud me amicè & in laudem ejus locuta, Riccioli quoquè, Heinſii & Gruteri meminit, nec Bullialdi oblita, quem ſemper in pectore gerit & nunquam non plurimâ ſalute impertire jubet. Ecce verò hodie apud me de Illuſtriſſima D. Veſtra Clariſſimi illi Viri Heinſius & Bullialdus (quorum exhibeo literas) tàm amicè loquuntur. Uterquè etiam de Reverendiſſimo Menagio, amœniſſimi genii & ingenii Viro: ille tandem de Bullialdo, hic verò de Ricciolo. Ita videt Illuſtriſſima D. Veſtra quanto fruar gaudio in tanto Virorum doctorum & præclarorum concurſu & conſortio aſſiduo. Addidêre multùm delectationis Amici hinc atque illinc officio humanitatis defuncti, licet taceant illi, quos neſcio an juſta cauſſa, quòd toties à me provocati ab orbita recedant, & Scholæ Pythagoricæ appropinquent, excuſare poſſit. Addidit pondus die heſternâ ille Amicus Hollandus, addidit hodierna Illuſtriſſimus Marchio Ruvignius, nuperâ Legatione in Angliam, & nuper in Aula Gallica Commiſſarii nomine cauſſam Hugonotarum agentis, aliiſquè meritis Clariſſimus, de cujus favore meritò gloriari poſſum. Ille enim privilegii ab Ordinibus, hic in Aula Regia obtinendi ſpem non levem facit. Hic verò etiam quâ eſt humanitate ac pollet auctoritate, ſtudia mea favore ſuo promoturum ſeſe pollicetur. Quis novit quid ſerus veſper ſit allaturus? Exſpecto hinc inde

literas,

literas, præcipuè ab Illuſtriſſima D. Veſtra. Fieri poteſt illas, has non dubito multum cumulo Cometico adjecturas. Inter hæc Amicos Hollandos in ſuſcepto Opere progredi feliciter gaudeo, poſtquam narrationum illarum de Cometis ferè omnium (quatuor aut quinquè, ſi ſit latiſſima computatio, ſi excipias) verſionem abſolvi. Quod in verſionibus adornandis, tot Magni & Præſtantes Viri olìm & hac tempeſtate experti ſunt, rem ſcilicet eſſe difficilem & periculoſum opus, ac obtrectatorum latratibus patens, aut ut Hieronymus, propria experientiâ edoctus, (de quo queritur epiſtolâ ad Damaſum Deſiderium & alibi paſſim) id omne præcepi,

- - atquè animo mecum ante peregi

Sed ſatis mihi eſt me feciſſe tantum quantum potui, & hac etiam ratione commoda publica juvare voluiſſe. Jam ante decrevi, tot exemplis edoctus, eum qui vel nemini placeret, recurrere debere ad propriæ conſcientiæ gaudium, & ſecundum Iſmeniam dicere: *Mihi & meis cano, ſi aures ſurdæ ſunt cæterorum.* At malè mihi nequaquam ominor, nec ulli alii. Imò verò ſemper optima ſpero, *tùm & precor non mihi ſolùm, ſed & omni ad laudem viâ virtutis tendenti. Qua in re ita animo ſum obfirmato, †ut me nec ullus ſacrorum diſſenſus ab hac æquitate dimoveat. Parem ideò mihi de aliis jure promitto. Nempe enim hîc publicæ utilitati & literariæ rei prodeſſe cupimus, & in eo conſentimus omnes, licet aliàs ſententiis de fide diſſentiamus. Nuſquam liberior mens hominis eſſe poteſt, ut docent ipſi Veteres Patres, Lactantius Hilarius Auguſtinus & alii. Sed de his ſatis. Et ego conſtanter maneo

Conſcientiæ propriæ gaudium viro bono ſufficit.

Conſcientia ſat amplum virtuti theatrum.

**Precare bona cuiquè bono: malo etiam ut emendet vitam.*

† Religionis diſcordia ne tollat æquitatem.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 17. *Auguſti* 1665. *N.* 56. *ad* 55.

OPus Generoſitatis Veſtræ tàm bellè ſuccedere, libens audio. Vellem quam primùm illud finiri poſſe. Nihil nunc ſcriptione dignum occurrit. Clariſſimi Heinſii affectum erga me, licet indignum & immerentem exoſculor, gratulaturus mihi, ſi ipſi & ſimilibus Viris Præſtantibus aliquando inſervire potero, aut eorum commercio frui, majus otium nactus, quò remis veliſquè contendo. De cætero Generoſitatem Veſtram unà cum ſuis benè valere & feliciter agere opto, manſurus dum vivo

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 26. *Auguſti* 1665. *N.* 57. *ad* 56.

FElicius, volente Deo, opus meum procedet, poſtquam ſuetas principii difficultates fuerit eluctatum. Atque hoc omni conatu ago. Figuræ æneæ multo conſtabunt labore & ære, ſi cuncta in eis ſpectentur, inciſio, impreſſio & in quibuſdam exemplaribus illuminatio, Sed necdum omnes habeo, illas præſertim Rudbeckianas, quas Heinſiana induſtria benevolentia mihi pollicetur. Ad hunc heri perſcripſi ea quæ Illuſtriſſima D. Veſtra ad eum perſcribenda literis ad me ſuis inſeruerat. Illud verò quòd tàm tardè hinc inde ad me mittantur figuræ æri incidendæ, vel etiam reſponſa, complendis communicationibus neceſſa-

Principium omne grave.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

neceſſaria, ordinem à me inſtitutum turbabit. Adeoquè cum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ & Curtianæ Comunicatione Heinſianam, utpote tempore priorem, & unà Fornelianam & Rudbeckianam ſubjicere voluerim, niſi illæ figuræ, quas identidem literis urgeo, tempeſtivè mittantur, alias communicationes, quibus ſuæ jam figuræ adſunt, præmittere neceſſe habebo, ne ſcilicet turbetur numerus, quem figuris addendum eſſe, Amici Hollandi omninò volunt, niſi fortè figuris numerus, non ſervato Communicationum ordine apponatur, de quo Bibliopœgi & Lectores ſeorſum moneri poſſent. *Converſatio docta & proba appetenda.* Optare Illuſtriſſimam D. Veſtram cum deſiderio converſationem cum Viris Doctis & Præſtantibus facilè credo. *Natura enim rapax eſt ſimilium, ſicut Naturalium rerum ſcrutatores experientiâ edocti dicere ſolent. **Similis ſimili gaudet.* Otium abundans & uberem quietem promovendis non tantùm ſtudiis humanioribus, ſed & uſibus publicis Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ex animo precor: & maneo ad tumulum uſquè

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu, officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 57. ad 56.

Dieteldorffiò Hamburgum die 19. Auguſti 1665.

RUſticantem me hîc inveniunt gratiſſimæ Veſtræ, & proinde Laconicum. Ego me quotieſcunquè licet ac datur, tædioſis Comitiorum negotiis ſubduco & huc confugio, parando mihi ſeceſſui & quaſi portui, pro tempeſtatibus, quas prævideo non unas. Deus faxit, ut falſus ſim vates! Sed facilè fieri poſſe video, ut maximæ paſſim turbæ orbem Chriſtianum confundant. *Otium literatum ſapienti appetendum.* Ego utinam extra eas & quaſi jam in cælo vivere poſſim, meæ me virtuti & libris involvens; Quæ hinc ſcribam, non habeo, niſi quòd ferricudina rectè procedat, *Ruſticantium ſtudia innoxia.* quòd meſſis utcunquè feliciter colligatur, quòd domus hæc in dies perficiatur, quam ruinoſam inveni, commodam tamen, Deo volente, meis relinquam: quod ille de Roma lateritia olim, ut noſti, dixit, ſi parva magnis componere licet. Quod Generoſa D. Veſtra apud Clariſſimum Heinſium denuò tàm benignam tamquè honorificam mei mentionem facere voluerit, pro eo maximas quas poſſum gratias ago. Licet enim tantis laudibus me planè imparem agnoſcam, & omnia inferiora in me deprehendam profitearquè, novit tamen Generoſitas Veſtra quantoperè laudatorum hominum laudibus & amicitiâ delecter. Ipſi autem D. Heinſio faxo, ut aliquando conſtet, quanti eum faciam, quovè affectu proſequar. Proximè ex urbè plura. Interea maneo ut ſemper

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 58. ad 57.

Hamburgo Ratisbonam die 29. Auguſti 1665.

QUòd aliquando me ad Illuſtriſſimam D. Veſtram ſcribere memini, ſtudia nobiſcum, ut domi delectant, non impediunt foris, ità & peregrinari ac *Muſæ quandoquè ruſticari amant.* ruſticari, ex Tullio deſumtum, id jam eandem exemplo ſuo comprobare poſtremæ literæ, in ſuburbano datæ, loquuntur. Animadverto Illuſtriſſimam D. Veſtram magis magiſquè vitæ illius ruſticæ oblectationum, & utilitatum fœcundæ matris, & otii liberalis, ac ſtudiorum altricis dulcedine capi, ut de ſeceſſu quieto ſeriam cogitationem ſuſcipere videatur, turbarum forenſium pertæſam, & futuri (ſed abſit omen) providam. In memoriam mihi revocavi hâc occaſione ea, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quæ Plutarchus egregio Commentariolo de exſulio Philoſophicâ facundiâ com-
plexus eſt. Et meritò quidem, quia hæc ad utrumquè noſtrum pertinent. Agunt
enim de exſulio neceſſario, quale mihi & tot aliis ſubeundum erat, & volun-
tario, cujus ſpecies foret, relicto magiſtratu & foro tumultuoſo, locum eligere
commodum in quem ſecedas, ut libertate Tua fruaris, & *quod eſt potiſſimum,*
inquit, *quietem, cujus ſitis pleroſquè tenet, plerumquè in manu Tua habeas.* Illud
exemplis præclariſſimis Theſei Athenarum, Camilli Imperii conditorum, The-
miſtoclis & Ciceronis, patriæ Servatorum, aliiſquè mitigat & edulcat. Hoc Xe-
nophontis, Thucydidis & aliorum multorum præſtantiſſimorum Virorum exem-
plis & rebus optimè in exſulio geſtis commendat. Et utrumquè quidem ita tra-
ctat, ut quivis non immeritò & illud æquiſſimo animo ferre & hoc ultrò am-
plecti debere videatur. Sed quàm benè illa ad rem quadrant! *Urbem, inquit,
delige optimam & Tibi jucundiſſimam, patriam eam Tibi tempus faciet, & quidem
patriam, quæ Te non diſtrahat occupationibus, non moleſta ſit interpellando, non jubeat
modò Romam ire Legatum, excipere modo præfectum, aliàs publica obire miniſteria.*
Mox Alcmæonem Eumenides fugientem putat † civiles quoquè fugiſſe magiſtra-
tus & ſeditiones furioſaſquè calumnias, ac ſibi delegiſſe exiguam ſedem, ubi
in otio tranquillè viveret. Paulò poſt gratias agendas docet fortunæ, ſi cui mo-
leſtias multas, vagoſquè errores & jactationes peregrinationum, periculaquè
navigationum, tumultuſque forenſes adimens, ſtabilem & quietam otioſamquè
& ſuaviſſimam reverà vitam dederit, ‡ rerum neceſſariarum menſuram veluti
circino deſcribens. Et ut unum amplius ex eo adferam verbum, in inſulam ſe-
cedendum, ibiquè illuſtrium Virorum Æoli Diis cariſſimi, Ulyſſis Sapientiſſi-
mi, Ajacis fortiſſimi, & Alcinoi hoſpitalitatis laude clariſſimi exemplis vi-
tam agendam docens: *In inſulam,* inquit, *nemo interpellandi, petendi, æs alie-
num contrahendi, aut ad fidejuſſionem exorandi, vel ad Comitia pro ipſo obeundum
petendi gratiâ navigat, ſed hoc faciunt neceſſariorum & familiarium optimus quiſquè
benevolentiâ & deſiderio impulſus, reliquum vitæ tanquam in aſylo conſtituti, & Sa-
cro-ſancti eſt ei, qui velit & didicerit liberali otio frui.* Atque hæc ille inter pluria
ejuſdem notæ. Cur verò ego hæc Illuſtriſſimæ D. Veſtræ optimè nota profero?
Nempe ut Illa in Suburbanum otio poſt publica negotia graviſſima indultura
ſeceſſit, ita ego poſt meas haud leves profectò occupationes, negotioſo otio frui
volens, ſeceſſi paululùm in inſulam, in urbem, in orbem, quia illa quietam ſe-
dem præbere, iſta verò Herculi, ut iſte Socrati patriæ loco eſſe poteſt. Ad-
hæc fateor, me his & ultronei exſulii uſus commendare, & coacti acerbitatem
mitigare, & ſic utriuſquè noſtrûm genio ſatiſfacere voluiſſe. Sed jam domum
redeamus, quæ ſi Viro cordato ubiquè eſt, ad inſtituti cancellos revertamur,
qui ſi ubiquè figi à liberrima induſtria poſſunt, ad alia veniamus. Turbas
omnes Deus ab Imperio, ſed & ab Orbe Chriſtiano longè eſſe velit! At videt
Illuſtriſſima Dominatio Veſtra quid hîc illîc agatur. Nemo incuſet cælum, ne-
mo criminetur Cometam, nemo in fatum culpam rejiciat ſuam. Eſt alia vis
ambitionis ſcilicet, & avaritiæ, quæ homines per abrupta præcipites agit. Cla-
riſſimo Heinſio quòd Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram commendarim,
officii exegit ratio. Ecce verò & ille affectui Veſtro reſpondet. Quod his ad-
dam, hoc unum eſt; heri mediâ luce verſus Auſtrum viſam eſſe fulgidam ſtel-
lam, quæ Venus eſſe putetur. Portenta ſileo, de ſulphure, igne, tela è cælo
lapſis, aliaquè quorum ferax eſt hæc tempeſtas. Bene valeat.

Exſulium eſt vel coactum, vel voluntarium, utrumquè valdè utile.

Exſulium coactum æquo animo ferendum, voluntarium appetendum Philoſopho eſt.

**Patria electa plus tibi concedet quietus & otii.*

† Magiſtratus civileſquè curas fuge, ſi plena libertate frui velis.

‡ Neceſſariis contentus eſto ſi liberam & tranquillam vitam agere velis.

Otium liberale & literatum ſapientis maximus theſaurus.

Inſula quieta ſedes.

Urbs quævis forti patria.

Orbis Viro forti patria.

Domus forti ubiquè eſt.

Cometæ, aſtra & ſigna cæleſtia nemo, ſed quiſque ſeipſum accuſet.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratis-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 58. ad 57.

Ratisbonâ Hamburgum die 24. Auguſti 1665.

EXtorſi tandem R. P. Curtio reſponſum illud, licet curtum, & quale timueram. Video enim, & nuper ipſe deprehendi, bonum iſtum Senem in dies flacceſcere & graviorem reddi, præſertim cum ipſi interea non parcatur, ſed diverſis laboribus publicis privatiſquè oneretur. Contenti ergo eſſe debebimus hoc Catone. Addidit tamen ille, quod à ſe non potuit aut voluit alterius (Joan. Nicolai Maralti de ſignificatione Cometarum, deque Aſtrologia univerſa ex prælectionibus R. P. Euſebii Truchſes S. I. Phil. Prof. in Univerſ. Ingolſtad.) ſcriptum, mihi quantum per temporis anguſtias inſpicere licuit, non indignum viſum quod veredario tradatur: licet id primò per aurigas mittere conſtituerim, parcendo ſumtui. Sed quia modus ille & longinquus & incertus eſt, viſum fuit hunc præferre, ſperanti id Generoſitati Veſtræ non diſpliciturum. Quæ ſi Curtio forſan reſpondere velit, meo quidem judicio paucis id facere, & ſic tentare poſſet, an ſuperioribus Veſtris adhuc latiùs reſpondere velit, ſi fortè impetus aliquis illum, ut ſolet, capiat rapiatvè. Tale quid neſcio an mihi quoquè his diebus contigerit. Cum enim in villa mea, unde nudius demùm tertius redii, ruſticarer, natum eſt incogitanti, & omnia alia agenti, hoc quaſi carmen (nam carminis nomen apud artis peritos non merebitur aut ſuſtinebit) quod ſi ita videbitur Generoſitati Veſtræ aliiſquè Amicis, operi veſtro præfigi queat. Quod quidem fieri opto, & boni ac æqui conſuli oro. Scripſi enim id quicquid eſt, planè ex tempore, ſine omnibus librorum aut aliis adminiculis, inter domeſticas & ruſticas curas, à quibus tamen publicas nunquam ſejungo. P. Kircheri epiſtola mihi perplacuit. Rogo ſi fortè Generoſitas Veſtra ad illum denuò ſcribat, ne gravetur memoriam mei ipſi refricare, & veterem amicitiam mihi conſervare. D. Nærani ſtylus ita meo palato arridet, ut vellem me plura ab eo habere poſſe. Similis valdè videtur meo quondam Balth. Venatori, cujus quamplurimas ad me epiſtolas aſſervo inter rariora, ut Gryphi ſuum aurum. B. V.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N. 59. ad 58.

Hamburgo Ratisbonam die 2. Sept. 1665.

GRatum quidem mihi eſt iſtud curtum R. P. Curtii reſponſum. Sed tamen, ut quod res eſt dicam, non, ut nomini ejus, meæ exſpectationi, ipſiuſquè argumenti, quod tractandum mihi cum illo ſuſcepi, dignitati reſpondet. Dabo operam ut illi paulò poſt reſcribam, impediente animum meum, aliàs promtum, negotiorum multitudine & levi quadam virium imbecillitate. Interim illi plurimam ſalutem adſcribo & de libro illo doctiſſimo, de ſignificatione Cometarum dequè Aſtrologia univerſa, (quem evolvi, quantum per alias occupationes licuit, & multum pro me facere animadverti) gratias ago, ut & ipſi Auctori de amica ſalutatione, exſpectans avidè literas, quas ad me ſcripturum ſe eſſe promiſit. Ampliſſimas verò Illuſtriſſimæ D. Veſtræ gratias ago de Carmine gratulatorio, quod quidem ut ſolidæ noſtræ amicitiæ monumentum, & ſingularis benevolentiæ veſtræ erga me documentum, perplacet. Sed hoc unicum ad illud dicendum habeo, quod immodicas laudes mihi Illuſtriſſima D. Veſtra tribuat, quæ meam tenuitatem ex ſua magnitudine æſtimat. Itaquè ſi fieri poſſet, temperari illa elogia vellem, ut cum debita modeſtia mea convenirent. Non tamen propterea ingratum eſt Illuſtriſſimæ D. Veſtræ in me ſtudium, niſi quòd ea mihi, quæ in me non ſentio, nec agnoſco, admetiatur. Utinam mihi dives, ſaltem benigna ingenii vena obtigiſſet, quo carmine digno laudes Illu-

ſtriſſimæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſtriſſimæ D. Veſtræ complecti poſſem! Sed quî poſt Venatores, Gruteros, Titios, Sprengeros, alioſquè feliciſſimos Poëtas, anſeris ritu poſt cycnos ſtrepere hîc auderem? Aliàs tamen, ſi quid noſtra valebunt, præclara Rautenſteiniana merita memoriæ poſterorum commendabunt. In heſternis meis ad Clariſſimum Heinſium literis mentionem Illuſtriſſimæ D. Veſtræ feci, ut par erat, facturus idem, ubi me ad P. Kircherum ſcribere contigerit. A doctiſſimo Nærano, cujus ſtilum tantum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ placere gaudeo, nihil literarum ab illo tempore accepi. Poſtquam aliquid accepero, deſiderio Illuſtriſſimæ D. Veſtræ meoquè officio non deero. Cui enim non placerent talia? Stilus ejus, ſi quid ego judicare poſſum, eſt purus, exercitatus & potens, qualem Cicero formans Oratorem, optimum & præſtantiſſimum dicendi effectorem & magiſtrum eſſe dixit. Venatoris, qui quantum ex illis quæ ab Illuſtriſſima D. Veſtra miſſa vidi, lepôrem quendam dicendi admirabilem & ſalem eſt conſecutus, ut idem ille Cicero alibi ait, ſimilem quòd eum Illuſtriſſima D. Veſtra pronunciet, acuit ſitim & exſpectationem ſymbolæ ejus, quam ut in medium afferat, ab eo quàm maximè poſtulo. Verùm adhuc renitentem per modeſtiam, invenio. Qui paritèr ſum & maneo conſtanter

Stilus caſtus & potens optimus dicendi effector.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 27. *Auguſti* 1665.

N. 59. ad 58.

EA eſt rerum in Europa facies ut materiam brevi habituri videamur uberius ſcribendi: vellemquè ut Generoſitas Veſtra ſe non nimis fatigaret opere illo ſuo, præſertim cum tanti in id ſumptus erogandi ſint, ad quorum, in ingreſſu editionis factorum, conſpectum, ſanè cohorrui. Quod tamen non ſcribo, ut Generoſitatem Veſtram ab incæpto deterream, ſed ſolum, ut pro jure amicitiæ noſtræ, proquè amore & more meo liberè ſuadeam, ut ſimul rationibus ſuis & ſuorum conſulere velit. Mæcenates pauci profectò reperiuntur hac ætate, præſertim belli metu nunc undiquaquè increſcente. Cautè prætereà agendum & cum illis qui favorem teſtantur verbis & ſpes faciunt amplas. Scio quid dicam. Non crediſſem tàm perverſè agi tamquè iniquè, niſi id meopte malo jam ſæpius experirer, adeò ut tædium me capiat iſtarum rerum, optemquè ut cochleæ inſtar meæ me domui ac virtuti involvere aliquando queam. De rebus Polonicis jam certiora habebitis. Lubomirſcianas res inclinare & ita omnes ad Regem (uti quò fortuna, eò hominum quoquè favor inclinat) confluere multi ſcribunt, referunt, credunt. Quicquid ſit, hic & alibi diverſæ potentiæ in orbe Chriſtiano prævalentes concurrent, adſcitis in partem reliquis, prout cujuſquè rationes requirunt, inquè hac velut ſtatera bilancem librabunt ejus, quem porrò in Europa habituri ſumus, Statùs. Sed aderit ſupremus librator, ſuorum ſemper liberator, & ita omnia diriget, ut ſibi placet & juſtum eſt. Placere autem ipſi, niſi quod juſtum eſt, non poteſt. Affectuum moderationem multi docuerunt, & recentèr quidam Galli, Senault & de la Chambre: pauci calluerunt, & non tàm ex libris, quàm uſu rerum ac ætate deferveſcente. Næraneana mihi ſemper erunt gratiſſima, utpote à tam erudita manu profecta. De cætero maneo ſemper

Perverſi probos & rectos ſæpè fallunt.

Seceſſus probo viro appetendus.

Deus rerum arbiter, tutor fidelium, per omnia juſtus.

Affectuum moderationem uſus & ætas magis quàm libri docent.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 60. ad 59.

Hamburgo Ratisbonam die 5. Septembris 1665.

Prudentes Viri, qui in luce verſantur reliquis abſtruſa perVident.

EO plurium conſilia tendunt, quantum talia homini in umbra ſedenti pervidere licet, ut potior Chriſtiani orbis pars imis commoveatur ſedibus. Sed hæc longè melius perſpicit Illuſtriſſima D. Veſtra, & omnis Vir prudens & cordatus, qui in luce verſatur, quiquè in his

> \- - - - - - - tàm cernit acutum
> Quàm aut aquila aut ſerpens Epidaurius,

Conſtantia bonum virum decet.

Prudentia cum conſtantia jungenda, utraque ſit induſtria.

Deo tandem omnia commendanda.

Secunda hominum probitatem explorant.

Deus juſtè regna cenſet, librat, dividit, tranſfert.

Cometas, aſtra, & ſigna cæleſtia nemo, ſed ſemetipſum quivis accuſet.

**Affectus ſæpè evagantur, ſemper coërcendi.*

Bonus Vir erga Amicos officioſus ſit oportet.

ut cum Horatio dicam. Ego inter hæc mea ago agamquè, divino fretus auxilio, quod aderit vocanti & virtuti commendandæ unicè intento. Credo etiam inter hos metus, imò motus belli antipites Deum Opt. Max. mihi daturum aliquem Auguſtum & Mæcenatem, qui ſortis meæ tenuitatem excedentes conatus fulciat munificentiâ, ne immodicis ſumtibus ſuccumbam. Quippe nil deſperandum eſt duce & auſpice Deo, cujus voluntati omnia mea commodo & commendo. De hoc bonæ mentis ſtatu me dejici non patiar, ſi vel cum ſorte adverſa vel invidia luctandum foret. Hîc etiam illud *non moveri* valet. Relinquetur tamen ſuus prudentiæ circumſpectæ locus, & intendendi omnes induſtriæ nervi, ne quid temerè ſuſceptum à me videatur. *Cætera Deo curæ ſunto. De rebus Polonicis variat fama. Ego credere, quod & videre malo, diſſidium Lubomirſcianum auctoritate Procerum Sacrorum compoſitum iri, vel jam eſſe, ſicut à quopiam heri accepi. Qua de re certiora exſpecto. Quod ſi ita ſe res habet, tentationem eam futuram eſſe credo prudentiæ & æquitatis popularium meorum, an reſtitutâ pace juſtitiam reſtitui & libertatem ſervari velint? Omninò verò illic quoquè libra ſuſpenſa eſt. Utinam illa Critolai, quæ monſtret tantum ibi propendere boni & æqui lancem, ut terram & maria deprimat! non verò illa Babylonica, Balſaſari exhibita, levitatis & diviſionis index! Sed ominari nolo, niſi proſpera, quæ patriæ precor. Eſto & hoc meæ in eam debitæ pietatis argumentum. Adſpiciat illa, & quævis alia Reſpublica, divinam voluntatem, in ſanctione legum juſtarum, & earum longo temporis ſpatio obſervatarum, confirmatione, ut ad eam vota ſtudiaquè ſua componat. Secus ſi fecerit, nec Deum, nec cælum, nec aſtra, nec Cometas pluſquam temerario incuſet auſu. En & hic latiſſimum campum, *in quo affectus laxatis habenis licentius evagari ſolent, & finibus recti & æqui coërceri debent. Egregius eſt ille, doctus & pius de uſu paſſionum, ſive affectuum potius liber Senaltii, quem Incomparabilis ille Politices Magiſter Cardinalis Richelius Ciceronem Gallicum, ut accepi, vocabat. Et ego quidem audivi eum aliquando concionantem eloquentiæ maxima cum laude. Non tamen mihi crederem, niſi hanc ei conſentiens doctorum Virorum judicium vivæ vocis & ſtili teſtimoniis innixum tribueret. Hîc quoquè ritè temperatus & fruendus affectus me officii, quod Amicis debeo, admonet, cumprimis verò ut non tantùm nomine, ſed & re ipſa ſim conſtanter

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 60. ad 59.

Ratisbonâ Hamburgum die 31. Auguſti 1665.

PLacere Generoſitati Veſtræ commercium illud literarium, cum tot egregiis per Orbem Chriſtianum Viris, non dubito. Quantum mihi illud placiturum eſſet, ſat ſcio, ſi per otium liceret. Sed non licet eſſe nobis tam beatis:

tis: quiſque tamen ſuâ ſorte contenti eſſe debemus. Pro communicatis Heinſianis & Bullialdianis maximas ago gratias, rogoquè mihi utriuſquè affectum porrò ne gravetur conſervare Generoſitas Veſtra. Menagii ſcripta aliquot me legiſſe memini, ſed neſcio qualis Vir ſit, & quo in vitæ genere degat. Verſionis laborem & tædium ipſe quoquè non ſemel expertus fui, præſertim in Paræneſi Barclaji, quem libellum ante paucos annos in gratiam amicorum quorundam Germanicè edidi. Sed nihil abſque labore, nec fugiendus eſt ullus, dummodo proximo inſerviamus. De cætero conſtanter ſum & maneo

Autarkeſa virum bonum decet.

Labor publici boni cauſſa non fugiendus, ſed ſubeundus.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 9. Septembris 1665. *N 61. ad 60.*

NOvi probè quantoperè Illuſtriſſima D. Veſtra literarum commercium aſſiduum cum præſtantiſſimis totius Europæ viris coluerit, antequam tot publicorum negotiorum laboribus diſtraheretur. Me quòd, tot aliis longè me præſtantioribus relictis, dignetur Eadem ſuis gratiſſimis & aſſiduis literis, eſt quo nomine ſingulariter gaudeam. Quotieſcunquè ad Clariſſimos Viros Heinſium & Bullialdum do literas (quod fit ſingulis hebdomadis, cum hoc lectiſſimum par Amicorum habeam ſingulari cultu & benevolentiâ proſequendum) toties Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ apud eos memini. Clariſſimus Ægidius Menagius, patritiâ Andium familiâ ortus, ſacro ordini nomen dedit, Vir non minus ingenio quàm genio amæniſſimo, quod & Poëmata ejus teſtantur. Paræneſin Barclajanam in linguam Germanicam verſam nondum vidi. Experior & ego magis magiſquè, in minutioribus licet, non exiguos labores devorandos eſſe ei, qui aliquam verſionem tàm comptam quàm utilem adornare velit. Omninò verò gratiora ſunt quæ magno emta ſunt labore, quàm quæ nullo vel levi. Ego certè inter tot occupationes continuas maximum ſubivi tanti operis edendi. In quo ſtrenuè hîc & Amſterodami deſudamus. Horatius alicubi canit

Labor quò major eſt, eò majorem parit delectationem, in hoc quoque opere edendo ſubeundus.

- - - - - - - - ſudavit & alſit
Qui cupit optatam curſu contingere metam.

Sudandum in perficiendo honeſto inſtituto.

At ego hyeme quoquè, ſi vivo, ſudabo, ut ſudet prelum, nec algebo, ne algeat opus, quod nec minimum frigere vellem, qui mihi ex illis Comici, *Tu vel ſuda, vel peri algu*, prius elegi, & maneo quamdiu vivo

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

Stanislaus Lubienietzki.

Ratisbonâ Hamburgum die 7. Septembris 1665. *N 61. ad 60.*

OPus Generoſitatis Veſtræ feliciter progredi, libenter intelligo, idquè ſuo tempore videre geſtio. De figuris Ingolſtadienſi & Saliſburgenſi, non eſt quòd ſollicita amplius ſit Generoſitas Veſtra, jam enim ſatis providi, ne imprimantur. Quæ Dieteldorffio nuper ad Generoſitatem Veſtram ſcripſi, ſi ita videtur, imprimi poſſunt: quamvis jejuna admodum & vix digna ſint, quæ publicè conſpiciantur. Quæ verò illis repoſuit Generoſitas Veſtra, tam erudita & elaborata ſunt, ut crimen foret ea publico ſubducere. * De Cometis rectè quoque judicat Generoſitas Veſtra. Nos certè, nos ipſi Cometæ & Prophetæ nobis

** Cometæ & Prophetæ ſunt ipſi homines, dum ea committunt peccata, quæ ſignificant & prædicunt juſtam & ſolemnem Dei vindictam.*

Pœna vel claudicans antecedentem ſceleſtum aſſequitur.

Deus minando, imò & caſtigando, benefacit, homines ad pœnitentiam ducens.

bis ſumus; ea committendo, quæ pœnas & flagella neceſſariò poſt ſe trahunt. Nec criminum modus eſt, & ſic nequè pœnarum. Hinc bella, hinc peſtis fameſque, quorum deinde culpam fruſtrà adſcribunt aſtris inepti mortales, ſine pœnis futuri, ſi ſine vitiis eſſent, quicquid aſtrà minentur. Quæ tamen ut ſubinde minentur, ipſa DEI Bonitas facit, monendis mortalibus, ut ſe emendent, & cælum laceſſere deſinant, nunquam ſine cauſſa iraſcens. Nobiliſſimo D. Heinſio, quoties id occaſio fert, me quàm diligentiſſimè commendari rogo. Et hîc mediâ luce heri verſus Meridiem conſpecta eſt Luna, ac non procul ab illa ſtella quædam non ita magna, nec lucida, orbem tamen quendam oſtendens. Ipſe cum multis aliis in medio foro eam conſpexi. Scribitur etiam Neoburgo ibidem conſpectam eſſe inſolitam ſtellam, quam aliqui Cometam putarunt: Noſter autem P. Curtius novam ſtellam eſſe negavit. Si quæ porro de his inaudiam ad Generoſitatem Veſtram perſcribam. Prodiit nuper libellus Herbipoli hoc titulo: SENECA CHRISTIANUS, cujus initium mitto. Is qui Generoſitati Veſtræ placeat, ſcire aveo. Eſt etiam alius ejus argumenti, MANUDUCTIO AD COELUM, ſed grandior. Quem quære quæſo & lege. Meretur enim ſi ullus. Valere Vos omnes felicitèr, ex animo cupio, maneoquè conſtanter

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 62. ad 61.

Hamburgo Ratisbonam die 16. Septembris 1665.

Hollandi in omnibus, præcipue verò in libris edendis induſtrii.

Æquitati ubique opera danda.

Amicitia æquitate colenda.

MAgnum & arduum ſatis opus præ manibus habeo, cujus editionem perfectam ne grandis copia figurarum æri incidendarum & typis exſcribendarum retardet, Amici Hollandi verentur. At ego eorum induſtriam, quæ quidem in omnibus, præcipuè tamen in editione promta, comta & accurata librorum, genti Batavæ ſingularis meritò tribuenda eſt, majorem in modum urgeo, ut omnes illi ſculptores, typographi & editionis curatores ac adminiſtri ſudent, ſicut ego. Plus ab illis non exigo, eoſquè pro virili rem impigrè acturos, ſpero. Quæ, tunc Dieteldorffio Illuſtriſſima D. Veſtra ad me ſcripſit, luce digna mihi è veſtigio viſa ſunt, tanquam ab homine Illuſtriſſima dignitate, literis & prudentiâ probitatequè ornatiſſimo & cordato profecta. Malui tamen prius judicium Illuſtriſſimæ D. Veſtræ exquirere, quàm inconſulta Eâdem hæc quæ libertatem egregiam ſapiant, publicæ luci committenda operi inſerere. Æquitati enim convenit, ne quid in talibus agam inſcio, tanto minùs invito Amico, eoquè primi, ut ſic dicam, ſubſellii. Quæ ad illa tunc Illuſtriſſimæ D. Veſtræ reſpondi quòd ita placeant, tribuo ejus ſingulari ergà me & publica commoda ſtudio. Perplacet mihi etiam, quod ad hæc attinet, genius Illuſtriſſimæ D. Veſtræ, ad magna quæquè magis magiſquè aſſurgens, & juſta, imo debitâ libertate omnia æſtimans. O miſerum qui invidiam, vel

Libertas non deſerenda invidiæ, nec vendenda paupertatis metu.

--- pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret,

& quod pro virtute commendanda & bono publico promovendo cenſet & credit facere, eloqui non audet! Ille profecto fortunâ melior, qui ſui ſemper, ubiquè & per omnia compos, auream obtinet libertatem, & ſuæ virtuti inſiſtit immobilis. Talis Marcus Cato illi Uticenſis, *homo*, ſi Vellejo credimus, *virtuti ſimillimus & per omnia ingenio, diis quam hominibus propior, qui nunquam rectè fecit, ut facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat: cuique id ſolum viſum eſt rationem habere, quòd haberet juſtitiam, omnibus humanis vitiis immunis ſemper fortunam*

Impoſſibile eſt peccare Viro ad virtutem obfirmato & peccare nolenti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tunam in ſua poteſtate habuit Talis Quintus Metellus Numidicus, qui *nec triumphis honoribuſque quam aut cauſſâ exſilii aut reditu clarior fuit*, eodem Vellejo teſte. Talis M. Cicero patriæ pater, lumen & ſalus, qui etiam quamvis *Vir optimè meritus de Repub. conſervatæ patriæ pretium calamitatem exſilii tulit, ſed poſt Numidici exſilium aut reditum quiſquam aut expulſus invidioſius aut receptus eſt lætius*, eodem illo Paterculo judice l. 2. c. 45. Talis P. Rutilius, Senecæ toties laudatus, quòd damnationem ſuam patienter & generoſè exceperit, ita ſcilicet ut cum *Metellus* ille *exſilium fortiter tulerit, is etiam libenter. Sorti enim ſuæ gratias egit, & exſilium ſuum complexus eſt*, ita quidem, ut dicere non dubitaverit: *Malo ut patria exſilio meo erubeſcat, quàm reditu mœreat.* Sen. ep. 24. & 79. & lib. 6. de beneficiis cap. 37. Sed enim his virtuti & ſapientiæ tenaciter adhærentibus, & popularem viam vitantibus, etiam Romæ exſulare jus fuit & placuit, imò his ab urbe diſcedentibus Reſpub. ipſa exſulabat, ſicut ille ipſe Cicero loquitur, libertate Philoſophicâ uſus. Optimè Seneca de hoc hominum genere: **Sapiens omnes virtutes ſuas undiquè expandat, ut ubicunquè infeſti aliquid oritur, illic parata præſidia ſint, & ad nutum regentis ſine tumultu reſpondeant.* ep. 59. & alibi: *modò latius virtus funditur, regna, urbes, provincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos libero ſquè diſpenſat officia: modo arcto fine circumdatur paupertatis, exſilii, orbitatis: non tamen minor eſt, ſi ex altiore faſtigio in privatum, ex regio in humilem ſubducitur, ex publico & ſpatioſo jure in anguſtias domûs vel anguli coit. Æquè magna eſt etiamſi in ſe receſſit, undiquè excluſa.* ep. 76. Et quid quæſo frequentius Seneca paſſim inculcat? Sed ego hîc Senecam Chriſtianum dare non decrevi. Et quid eum dem quem illa nuper induſtria manus, quæcunquè illa ſit, nobis dedit? Ampliſſimas de hoc exiguo, mole non precio, munere gratias ago. Sed ubi ſunt reliqua? Omninò mihi placet hæc, ſicut omnis, commendandæ virtutis ratio. Placebit dubio procul & illa in commendato ſingulariter Manuductionis ad cælum libro, quem fruſtrà apud Bibliopolas hodie quæſivi. Sed ad alia. Ut Luna ipſâ meridianâ luce in Meridie non ſolet videri, ſed aliquot demum diebus à Novilunio interjectis, plus pluſquè creſcens tempore pomeridiano præbet ſe conſpiciendam: ita plenâ ejus luce magis magiſquè decreſcente, & ad mutuandam novam à Sole, ut tunc die 6. Septembris properans, pomeridiano maximè tempore præſente Sole & cælo favente cernitur. Nos quoquè illis diebus Lunam antè meridiem vidimus, & ſtellam illam. Quam alii Cor Leonis, alii Canem Majorem, alii, cumprimis ipſe Hevelius, Venerem eſſe putant. Stellam novam & Cometam novum viſum eſſe vel etiam videri, hinc inde jam ante perſcriptum erat. Heſternæ quoquè literæ Amſterodamenſes Cometam novum mihi attulerunt. Nempe ita jam imagines Cometarum mentibus populi obverſantur; ex illa ſcilicet aſſidua & diuturna priorum contemplatione, ut facilè, ſi Jupiter vel Venus ſplendidiora reliquis ſidera, ſubeunte nubeculâ, radios longiùs latiuſquè ſolito ſpargant, pro Cometa, ſaltem barbato, facilè habeantur. At habent profectò mortales in ſemetipſis Cometas malorum prænuncios, cupiditates ſcilicet avaras & ambitioſas, aliaquè inveterata vitia, quæ nil niſi ſubſecutura portendunt ſupplicia, divinæ juſtitiæ ſolemnia documenta, ſicut non minus prudentèr quàm piè Illuſtriſſima D. Veſtra judicat. Quam ego diu benequè valere & feliciter agere cupio ex animo Eidem

Exſul glorioſe in patriam revertit.

Exſul magnanimus fortem duram fert libenter, & in patriam redire non vult.

Exſulantibus à patria probis illa ipſa exſulat.

**Sapiens undique munitus, ad omnia paratus, ubique idem eſt.*

Manuductio ad cælum commendata, & vel ſolo nomine placet.

Cometa apparere quandoque videtur diſtentis nube Jovis vel Veneris radiis.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ.

Omni cultu, ſtudio & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 62.
ad 61.

Ratisbonâ Hamburgum die 10. *Septembris* 1665.

DE curto Curtii reſponſo idem cum Generoſitate Veſtra ſentio. Sed quid faciamus? Relinquendus eſt quiſquè ſuo genio. Et mihi raro reſpondet, variè diſtractus alioqui bonus ſenex, & plerumquè conciſè. Itaquè parcius eum nunc provoco. Salutatione tamen proximè perfungar. Vires autem Veſtras nimiis laboribus frangi nollem. Quis ſcit, ubi in majoribus aliquando exerceendas? Epigramma illud meum non diſplicere Vobis, gaudeo. Artem in eo non ſpectavi, neque curavi: ſed hoc præcipuè, ut candor & integritas ubiquè eluceant, animuſquè ita ſe conſpiciendum præbeat, qualis reverà eſt. Hoc ſi aſſequar in meis ſcriptis, ſufficit. Demere verò aliqua vel minuere quomodo poſſim in metro, non video. Etſi modeſtia Veſtra recuſat, ſcio tamen quid virtus mereatur. Nec improbaturos id puto meliores quoſquè, præſertim nunc in tanta bonorum ſterilitate. Reliquos non moror. Vellem itaquè carmen ita ut eſt imprimi. Aliâ vice fuſior ero. Nunc abrumpere cogor, rus iturus. Semper autem & ubiquè maneo

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 63.
ad 62.

Hamburgo Ratisbonam die 19. *Septembris* 1665.

Publicæ utilitatis ſtudio nil ſit antiquius.

Dei gloria ſemper & ubiquè quærenda.

Libertas cuique integra relinquenda.

NUlla alia cauſſa me, ut reſponſa ab Amicis de argumento Cometico aliiſque hac occaſione in vita utilibus poſtulem, impellit, quàm publica utilitas, quâ mihi nil antiquius eſt. Hîc enim immenſam divinarum ſanctionum ſapientiam & juſtitiam, tùm actionum potentiam & bonitatem doceri; hîc etiam rei literariæ, & unà generis humani commoda veritatis diſquiſitione ſobriâ, inventione felici, conſtitutione firmâ, & virtutis inſtitutione fideli promoveri cupio. Sed qui vel maximè pro libertate ſto, nemini hîc vim inferre poſſum, & nec moleſtiam adferre volo. Imò nec unquam hæc cogitatio animum ſubiit meum. At quiſque in Senatu & Concilio, ut ſic dicam, à me coactò ita videbitur, ſicut locutus fuerit. Ego ſpero, volente Deo, me inſtanti hebdomadâ aliquid literarum ad Curtium daturum, ut ejus induſtriam provocem. Vires meæ munere divino adhuc tot & tantis laboribus ſufficiunt. Quibus non facilè quiſpiam vel ſe ſubjiceret, vel parem, abſit jactantia verbo, ſedulitatem, patientem ſcilicet & ſolidam commodaret. Æquam tamen valetudinis rationem habeo, memor neceſſarii ab Optimo Parente beatæ memoriæ ſæpius dati: *Valetudinem tuam cura diligenter, & memor eſto, hanc eſſe non poſtremam antiquæ Sapientiæ partem, non temerè toties à Cicerone neceſſariis inculcatam.* De epigrammate Illuſtriſſimæ D. Veſtræ nondum cum Amicis contuli. Sperabam enim Eam aliquid elogiis maximis mediocritati meæ tributis (niſi ea prorſus tollere vellet) ſaltem demturam, & modeſtiæ meæ hîc gratificaturam. Sed cum alia ſit Veſtra mens & voluntas, quam me ſequi convenit, rem judicio quorundam Amicorum & artis Poëticæ peritorum & mihi conjunctiorum ſubjiciam. Utinam omnes ita in laude proficiamus, ut in dies & momenta non tàm doctiores quàm meliores evadamus, & non tantùm imitari bona volentibus tales appareamus, ſed & reipſa in oculis Dei Opt. Max. cuncta, etiam maximè abſtruſa perſpicientis, ſimus! Placet multum in hoc genere liber ille *Manuductio ad cælum, medullam Sacro-ſanctorum Patrum & veterum Philoſophorum continens*, meritò ab Illuſtriſſima Dominatione Veſtra ſingulariter commendatus. Quem nudius tertius inveni, comparavi, evolvi, magnaquè parte perlegi. Multum

Boni non tantùm videamur, ſed ſimus.

profecto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

profecto bonæ frugis, Sacræ ſcilicet & profanæ eruditionis, paucæ illæ pagellæ complectuntur. Ita nempe verum eſt illud Senecæ: *Paucis ad mentem bonam opus eſſe literis.* Ex cap. libri illius XXVI. non pauca me de paranda & colenda amicitia didiciſſe fateor, & *vivum* me theſaurum, magnâ ſervandum curâ, inveniſſe & poſſidere, dum meum Rautenſteinium (liceat affectui paulùm indulgere) & paucos alios ejuſdem notæ habeo, gratans agnoſco. In cap. XXXIII. quo de modeſtia agit, non diſplicet illud inſtituto meo & epigrammati Illuſtriſſimæ D. Veſtræ aptum: *At hoc quàm bonum eſt videri & prodeſſe!* Quicquid enim hîc facio, vel fieri permitto, illud totum uſibus publicis & poſteritatis cedat. Quo vel ſolo ſufficientem tot laborum & ſumtuum feram fructum. Sed de his aliàs plura. Liber enim nondum eſt compactus, ideoquè commodè legi nequit, formâ præſertim minori Coloniæ impreſſus. Alia quoquè tempus ſibi dari poſtulant. Res Polonicæ, de quibus Illuſtriſſima D. Veſtra certior reddi vult, nondum periculum funeſtiſſimi belli civilis, ſicut nuper creditum fuerat, evaſerunt, ſed potius, dum de pace agitur, inter ſpem & metum pendent, poſtquam præſentia & preces Lubomirſcii Junioris, & Niemiricii Tribuni præcipui, ſingulari ſtudio afflictiſſimæ patriæ pacem promovere cupientis, in Aula Varſavienſi fruſtrà fuere. Jam in dies exſpectandus erit Procerum Sacrorum interceſſionis, & ſtudii pro pace & Republica reſtituenda eventus, & Deus ardenter orandus, ut utriuſquè partis animos ad honeſtam, juſtam & ſic ſtabilem pacem flectat. Hujus inter Anglos & Hollandos redintegrandæ ſpes nondum affulget. At affulgere novum Cometam Amſterodamo nuper, hodie Holmiâ die 30. Auguſti Jul. ſcriptum accepi. Illinc nullæ notantur circumſtantiæ: hinc aliquæ. Scribitur enim Licöpingia die 25. Auguſti S. V. illùc nunciatum eſſe, videri ibi ſingulis noctibus magnum Cometam, qui duabus poſt mediam noctem horis oriatur. At Holmiæ aliquoties jam tunc ſidus tale viſum fuiſſe, quod poſt primam horam mediæ noctis verſus Borrhapeliotem, ſive plagâ inter Septentrionem & Orientem mediâ, inſigni magnitudine oriatur, nullâ quidem caudâ conſpicuum, ſed radios circumcirca acutos ſpargens, celeri motu verſus Notapelioten, ſive plagam cæli inter Orientem & Meridiem mediam contendens. Quod an verum ſit nec ne, non habeo dicere. Clariſſimus Heinſius de his ne gry quidem. Quod tamen non mirarer, etſi verum illud foret, cum vix pauca hæc, quæ adjungo, ægrâ manu nobis dederit. Sed etſi res ita ſe haberet, non tamen inde aliud quid eliciendum erit, quàm ut bonos maloſquè in orbe eſſe, ita Deum Cometarum aliorumquè ſignorum oſtenſione cunctos mortales officii commonere, & his quidem pœnas graviſſimas in hac & futura vita infligendas minari, illis verò præmia largiſſima, hic & ibi diſtribuenda polliceri. Nam ut Deus unius vel alterius belli jam diu orti vel prævisi, & vel plurium malorum orbi impendentium cauſſas vel neceſſaria ſigna Cometas plures eſſe velit, quaſi ad illa mala efficienda & neceſſariò prænuncianda pluribus Cometis opus habeat, non facilè quis dixerit. Quippe unus Cometa ad id præſtandum ſufficeret. At ut Deus admonendis officii magis magiſquè hominibus per plurium Cometarum oſtenſionem, minas & promiſſiones repetat, ſapientiæ & bonitati ejus conveniens videtur. Benè profectò Rebuſpublicis conſulitur, dum ita populus metu numinis, conſideratione prudenti, meditatione pia & diſcurſu libero ad virtutem inſtruitur. Atque hoc eſſe in toto iſto opere meum inſtitutum & ſtudium bonâ fide teſtor, ut & me eſſe quoad vivo

Paucis literis ad virtutem opus eſt.

Amicus vivus theſaurus.

Videare ut proſis publico.

Cometa novus apparere in Suecia m. Auguſt, ſcribitur.

Mixtura bonorum malorumquè in orbe.

Cometæ officii admonent mortales, nihil verò efficiunt, vel neceſſariò deſignant.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratis-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 64.

Hamburgo Ratisbonam die 13. *Septembris* 1665.

Confœderatio Moſcovitica 1612.

QUod nec motus ille civilis Anno hujus Seculi ſexto cæptus, & intrà biennium, levi ad Guzovum conflictu facto finitus, nec ille alter militaris 1612. ex bellis Moſcicis ortus, itidem intrà biennium ſopitus, ille Rokoſch, hic confœderatio Moſcovitica vulgò dictus, Reipublicæ attulit, attulit acerbum iſtud Lubomirſcianum diſſidium, & adjunctum ei fœdus militare. Nam, ut certa fide

Czenſtochoviana agminis Regii clades luctuoſa à Lubomirſcianis illata.

ſcribitur, die 4. currentis menſis ingens & cruentum ad Czenſtochovienſe fanum inter diviſos cives commiſſum prælium, bis mille 500. Regiorum militum internecione & 1700. (inter quos Lithvanici exercitus Dux Polubinſcius & tot alii Viri Illuſtres) captivitate nobilitatum. Quis non videt, temerè nimis illum, ac publicè quidem triumphum egiſſe, quaſi civibus patriá ejectis melior Reipublicæ redierit facies? imò quis non agnoſcit, nos tali rerum articulo felices eſſe, qui è litore ſpectamus fluctus? Dubio autem procul hæc & alia multa adverſa

Polonica aliaquè mala non Cometis, ſed cupiditatibus & vitiis hominum adſcribenda ſunt.

Cometis multi adſcribent, ſicut jam hodie quendam Amicorum dicentem audivi. Hæc enim ſententiæ communis indoles, ut omnium calamitatum invidiam in Cometas conjiciat. Sed quis ignorat, dummodo omnium ſeculorúm rationes conferat, tot extrà Cometas bella externa & civilia hîc & illic geſta eſſe? Ipſi homines ſive eorum cupiditates & vitia ſunt Cometæ, inſtantium calamitatum prænuncii, ſed & domeſtici hoſtes indomiti, ſolâ virtute Heroica, quàm Chriſti Spiritus ingenerat, vincendi. Adeoquè meritò hùc illud egregium cujuſdam Vi-

Peccatum ſævus eſt tyrannus, conſcientia mala carnifex.

ri boni dictum refero: ***Tua cupiditas tuus eſt Decius, tuus timor tibi eſt Nero, tua tentatio tibi eſt Julianus.*** Horrenda tamen fateor illa ſunt Polonica, quibus nil tetrius nilvè deterius ab hominum memoria in Republica accidit, ſed & quæ

Mala non ridenda, ſed potiùs deflenda.

alibi terrâ marique fiunt, quibus ulciſcendis nunquam Democritum, ſed certè Heraclitum libenter adhiberem. Ubi enim pietas? ubi religio? ubi juſtitia? ubi charitas? Hæ ſi nos regerent, non terrerent Cometæ. Sed de his hîc loci parcius.

Pietas in orbe exſulat.

Plura dicet adjuncta ad Curtium epiſtola, quam commendo, ut & reſponſi curam, quod cum tædio exſpectabo, omnibus jam quæ inter Illuſtriſſimam D. Veſtram & me communicata hucuſquè fuerant, in Hollandiam miſſis, & cum Bono Deo paulò poſt prelo ſubjiciendis. Ab his verò Curtiana avelli nolo. Reſponſum hoc meum credo intra fines modeſtæ libertatis conſtitiſſe, & juſto candore virtutis ſtudium commendaſſe, citra ullius offenſam

- - niſi quid tu docte Trebati
Diſſentis.

Multa verò in hoc ſtudii genere utilia, imò & neceſſaria revocavit mihi in memoriam illa *Manuductio ad cælum*, quæ profectò magis magiſquè placet. Ta-

Chriſtianos ſcriptores decet modeſtia.

lia deberent eſſe Chriſtianorum ſcripta, conſilia, monita, ſine omni acerbitate & amaritudine cacozeliæ. Et cum Auctor ille librorum multitudinem, magnitudinem & conditionem graviter perſtringat, indignos, vanos, imperitos, noxios reſpuat, non neceſſarios vix à primo limine non arceat, omnes equidem virtutis ſtudioſos, ut ei de hoc egregio libello non minus doctè quàm piè

Philautia cavenda.

compoſito gratias agant, admonet. Quàm verò illud neceſſarium, quo hortatur, ut noſtra potiùs quàm aliena vitia caſtigemus & corrigamus, & probi quàm docti non tantùm appareamus, ſed & ſimus. Nec minus, ut ſemper no-

Virtus ita diligenda, ut in ea quotidie proficiamus.

biſcum ſit virtus, ut vitia ſeriò tollamus antequam nos opprimant, ut in bono proficiamus, omnes affectus opprimamus, iiſquè ſub arbitrium adductis, glorioſè

Vitia, hoſtes domeſticos, vince.

vincamus acerrimos illos, quos in ſinu fovemus & nobiſcum circumferimus, hoſtes, avaritiam, ambitionem, metum mortis, qui victores gentium vicit.

Metum mortis excute.

Sed hæc ſunt Senecæ illius Chriſtiani, de cujus reliqua particula gratias Illu-

Libros bonos te legere moribus teſtare.

ſtriſſimæ D. Veſtræ ago. Utinam modo vitâ monſtremus nos talia legere, ad animum admittere, & in ſuccum ac ſanguinem convertere! Multa enim talia, alioquin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

alioquin utilia, quædam etiam neceſſaria vel non leguntur, vel non intelliguntur, vel licet lecta & intellecta negliguntur, hoc præſertim verè ferreo ſeculo. Sed philoſophari amplius non vacat. Satis enim, hac quoquè vice, impetu amicitiæ & virtutis, ſemper quàm maximè colendæ, abreptus, produxi epiſtolam, quamvis proximè breviſſimam ab Illuſtriſſima D. Veſtra negotiis majoribus diſtractâ acceperim, quæ ideò operi meo cum aliis non inſerenda, intra privatos amicitiæ parietes manebit. Gruterianum autographum, quod heri accepi, adjungo, & Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram cum ſuis benè valere cupio.

Lege, intellige, fac laudanda.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ.

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 17. *Septembris* 1665.

N. 62. *ad* 61.

PRoximè brevibus Generoſitatem Veſtram compellavi. Nunc deberem prolixus eſſe reſpondendo binis Veſtris. Sed & nunc paucis id me facere oportet. Sum enim accinctus excurſioni in villam meam, & variè diſtractus. Quamvis optem gratiſſimis Veſtris reſpondere me poſſe, magno cum judicio & ſinceritate ſcriptis. Interea rogo, ut quæ porrò adferentur, diligenter mecum communicentur, præſertim de rebus Polonicis, fortè brevi aliam faciem induturis. Sicut & cæteræ Europeæ. Nam omnium rerum quendam velut orbem eſſe, experientia teſtatur. Sapientiſſimus ille, qui per omnia ſuam voluntatem divinæ, ſequè ad regulam hanc unicè conformat. Sed philoſophari nunc non licet. De mea apud Clariſſimum Heinſium & Bullialdum crebra mentione, maximas ago gratias. Doleo ſanè quòd mihi non liceat ejuſmodi inſignes Viros, ut animo, ſic & calamo ſæpiùs venerari. Sed excuſabunt me publica privataque. Nam & hæc eò gnavius nunc curo, ut iſtis aliquando eò commodius ſubducere me poſſim. Paræneſin Barclai à me in maternam linguam tranſlatam (neſcio quàm feliciter, licet nonnullis valdè placuerit) videbo, ut proximè tranſmittere poſſim Generoſitati Veſtræ. Promiſi Amicis idem me præſtiturum in præſcriptionibus Tertulliani, Commonitorio Lyrinenſis, Richeliacis quibuſdam, Perronianis & aliis quibuſdam ſimilibus. Sed neſcio an ſtare verbis poſſim. Nam hæc talia otium & alia nonnulla requirunt, quæ mihi deſunt. Sed abrumpere cogor, maneoquè

Viciſſitudo rerum eſt perpetua.

Divina voluntas ubiquè ſpectanda & ſectanda.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 26. *Septembris* 1665.

N. 65. *ad* 64.

QUæ nuper de acri cruentoquè conflictu ſcripſi, confirmantur proh dolor! narrationibus, ex variis locis ad me miſſis. Variant quidem eorum auctores ſtudiis partium obnoxii, & ut ſuam cladem extenuantes, ita hoſtilem exaggerantes: (nam Varſavia 1500. ex Lubomirſcianis, ex Sileſia iterum 2500. ex Regiis cecidiſſe ſcribitur) ſed qui citrà affectum rem referunt, majori clade Regios affectos eſſe, & 2000. eorum occubuſſe, 1700. captos eſſe fatentur. Sed aliter me de his certiorem reddidit Tribunus ille Niemiericius, qui cum Juniore Lubomirſcio re infectâ Varſavia profectus feſtinatis itineribus, per media ferè caſtra Regia, poſt illum conflictum non ſine periculo, noctu tranſiverat, & in caſtra Lubomirſciana reverterat. Nempe agmen illud Regium fuſum

Niemiricius Tribunus diſſidio Lubomirſciano componendo ſtudet.

 fugatum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

fugatumquè, & 1580. captos eſſe, ac inter eos Duces ipſos, Tribunos, præfectos equitum, primipili centuriones, alioſquè anteſignanos, cum 400. amplius commilitonibus nobilibus, ſed 200. tantum circiter in prælio cæſos, qui ne unum quidem civem à cive occidi volebat, attamen non ſine dolore ſcribit.

Pius erga patriam, etiam novercali odio te proſequentem, eſto.

Ille enim nil magis in votis habuit habetquè, quàm reſtitutam pacem & priſtinam Reipublicæ faciem videre, & ſtudiis ac conſiliis ſuis promovere. Sed quæ Lubomirſcii, qui & invitus ad decernendum ferro conſenſit, & inclinante Regiorum fortunâ, militem, ferro parceret civiliquè ſanguini (alioquin pauci cladis nuncii evaſiſſent) juſſit, benignitas & generoſitas, omnes captivos dimittere liberos, & tam moderatè victoriâ uti!

Victoriâ moderatè utendum.

**Captivi Sacramento adacti arma contra victorem ſumere non debent.*

† Jusjurandum omne Sacroſanctum eſto divini nominis reſpectu.

* Quod verò omnes ſacramento ſuo adegerit, eos contra ſe arma non ſumturos, juvare poterit plurium pro pace inſtauranda conatus, dummodo illi libertatis & fidei vinculo adſtricti jurisjurandi ſint memores, † niſi DEI iram incurrere velint ad vindicandum perjuria, & nomen ſuum ſanctiſſimum temeratum parati. Quis in hoc etiam exemplo non videt illam rerum viciſſitudinem, quæ ut Cometas ſequi, ita & præcedere ſolet? Fateor quidem, vix ab hominum memoria luctuoſius quidquam in chariſſima patria noſtra, quam, poſt & inter tot externa & domeſtica mala, bellum iſtud civile ſatis jam funeſtum, viſum eſſe. Sed hujus & plurium calamitatum, quas divina juſtitia Reipublicæ minatur, non jam, poſtquam res eventum habet teſtem & indicem, ad Cometæ apparitionem referenda origo, & anſa præſagii captanda eſt. At vero potius ad illud violatorum tot fœderum, juramentorum & legum publicarum crimen, velut ad longè certius ſecutorum malorum omen, & prænuncium tot experimentorum fide munitum, recurrendum eſt, ſicut jam diu quidam boni publici ſtudio impulſi fecerunt. Ille vero conflictus, qui tot civium ſanguine ſtetit, etſi utriquè parti damnoſus & Reipublicæ pernicioſus, alteri tamen parti lætior eſt, ſi tamen fuſo popularium & neceſſariorum ſanguine lætitiæ ſpeciem pietas patitur.

Triſtia ſæpiùs eventus reddit læta.

Juſtitiam ſi cuſtodis, pacem nullo ſanguinis impendio emis.

Erit tandem lætus, ſi reſtitutâ juſtitiâ pacem Reipublicæ reducet, niſi quod longè melius fuiſſet eam tanti non emere. Emi illa potuiſſet nullo civilis ſanguinis, cui parcendum eſſe natura & ratio docet, impendio, ſi æquitas civilis ſervata fuiſſet. Pax verò magis nunc, ut & cura amorquè civilis, tàm dubio, tàm arcto, tàm periculoſo undiquè tempore, quàm diſſidium, bellum & buſtum civile è Republica foret. Sed præterita magis corripi quàm corrigi poſſunt.

Prudentia futuris malis occurrit dum ea augurat & fugienda eſſe docet.

Idquè ſolidè ſatis.

Dei longanimitas hominibus ſalutaris eſſe debet,

Corripienda tamen jure meritoquè ſunt, ut ortus ex præterito in animis civium juſtus dolor majoribus malis in futurum occurrat. Hæc enim metuenda ſunt, ſi, ut Cicero alicubi loquitur, prognoſtica noſtra vera ſunt, illa ſcilicet quæ dictat prudentia boni publici ſtudioſa, immobili juſtitiæ divinæ fundamento ſuperſtructa. Quæ idèo nunquam fallunt, niſi cum Deus pro ſua immenſa & patienti miſericordia vel avertit vel differt paratam pœnam, ut tandem homines ad ſe & ad frugem redeant. Sed jam hîc philoſophari deſino: quamvis talia Illuſtriſſimæ D. Veſtræ placere ſatis ſciam. Amici Hollandi in operis mei editione pergunt diligenter. Huic promiſſum ab Illuſtriſſimo Marchione Ruvignio, ſicut nuperæ ejus literæ heri mihi redditæ docent, privilegium in Aula Gallica obtinendum, in promtu foret, ſi librum ibi imprimendum curarem. Quod fieri nequit, poſtquam Operis editio in Hollandia inchoata eſt.

Divina vel voluntas vel permiſſio ubiquè cernitur.

Gratus animus Deo exhibendus.

Nec Viennenſis Amicus aliquid literarum ad me dat, ne de hac re mihi reſpondeat. Nil ſine divina, ut voluntate, ita & permiſſione agitur. Ego ſanè paternam ejus providentiam, ut ſemper & ubiquè, ita nunc in hoc quoquè negotio experior. Animadverto enim magis rebus meis expedire, ne hæc privilegia habeam, non tàm mei quàm Amicorum reſpectu. Contra furtivam editionem ſatis me, ut ſpero, tuebitur libri moles, juſta libertas, & figurarum ænearum (quæ ſi Rudbeckianarum rationes rectè ducere poſſum 50. erunt numero) copia. Exſpectabam hodie literas ab Illuſtriſſimo Bruſſello, Parlamenti Pariſienſis Senatore & Amico Graviſſimo, quò mihi ſententiam ſuam amplius de illis, quæ inter nos communicavimus, operi inſerendis declararet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

raret. Sed has non accepi, In nuperis tamen mihi aſſenſit, quod jam Illuſtriſſimæ D. Veſtræ indicare poſſum.

Quod ſi ille in tempore mihi reſpondet, faxo ut ejus Communicatio Veſtram & Curtianam ſequatur, ob continuum à tot annis literarum commercium, quod invicem colimus. Eſt autem Vir ille non tantùm ampliſſima dignitate conſpicuus, ſed, ut verbo dicam, probus & doctus liberaliter, ac verus Parentis Optimi & Laudatiſſimi filius. Si ille in viventium numero (quanquam & mortui Deo vivunt) nunc eſſet, egregiè nominis ſui ad invidiam Clariſſimi ſplendore opus meum illuſtraret, pro eximia ſua humanitate & erga me benevolentia. Is, ut paucis expediam qualis ipſe fuerit, non tantùm vivus apud populum Pariſienſem divinum obtinuerat nomen, ſed & reipſâ poſt funera maximas meruit laudes. Judicio enim prudentum juſtitiâ Ariſtidem, conſtantiâ Phocionem, paupertatis patientiâ Epaminondam, ſapientiâ Lælium, parrheſiâ Catonem, fortitudine Metellum, firmitudine animi Thraſeam, exſilii honeſtate Rutilium æquavit. Atquè hoc non ineleganti epigrammate, quod adjungo, Vir apud Pariſienſes Doctiſſimus J. - - Tar - - Regius eloquentiæ Græcæ Profeſſor 15. plus minus abhinc annis ad illum ipſum miſſo, felici ſtilo deſcripſit:

Mortui Deo vivunt.

Exempla virtutum imitare.

Quod tibi Bruſſelli nomen? Cato? Phocio? Pætus?
  Juſtus Ariſtides? majus & his melius.
Nam cadit enſe Cato, tu ſtas ſterniſque potentes;
  Eſt plebi adverſus Phocio, tu pater es.
Eſquè, ut Ariſtides, juſtus, tamen ille ſecundas,
  Uſquè tulit, primas major ubiquè refers.
Virtutis nomen Thraſeas ſit, at huic dedit unus,
  Gallia, quin virtus hoc dedit ipſa tibi.

Sed contenti erimus & iſto Catone, qui paternam dignitatem & exiſtimationem, omneſquè laudes in ſe nobis refert. Imò verò multum mihi gratulor tàm Illuſtrem Senatorem una cum Illuſtriſſima D. Veſtra in Senatum noſtrum Philoſophicum venturum, & in medium huic & omnibus ſeculis grata & utilia allaturum, ibiquè perpetuò manſura relicturum. Adjungo ecce quæ hodie à Clariſſimis Viris Heinſio & Bulliado accepi. Parænesin Barclai Germanicam lubens videbo: etſi ab æſtu ſacrarum diſputationum tantum remotus, quantum Philoſophiæ activæ promovendæ deditus. Sat verò certus ſum nullam antiquiorem adverſus hæreticos ipſo Tertulliano judice dari poſſe præſcriptionem quàm à Chriſto & Apoſtolis. Sed finire cogor, & maneo quoad vivo

Filius paternæ virtutis ſucceſſor laudandus.

Theologia Moralis præſtat Polemicæ.

Antiquitas certa à Chriſto ſumenda.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 21. *Septembris* 1665. *N.* 65.

REverendiſſimus P. Curtius heri ad me ſcripſit, ſe reperiſſe totam ſtruem Cometographicorum. Omnia ſtudioſè ſubmiſſurum. Sed per otium majus, quàm quòd nunc habeat. Cras ipſum rogabo, ut id faciat. Et ſi quid in iis pretio dignum invenero, ad Generoſitatem Veſtram mittam. Manſurus etiam de cætero ut ſemper.

Curtius plura de Cometis promittit.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 66. ad 65.

Hamburgo Ratisbonam die 30. Septembris 1665.

Cometæ novi nuncius m. Sept. ex Hollandia allatus.

Compendia neceſſaria non negligenda.

Cometas nuperos præceſſerunt mala.

Czenſtochoviana clades, licet minuatur, deteſtanda tamen eſt.

Anglorum Mathematicorum diverſæ de Cometis ſententiæ.

QUæ Reverendiſſimus D. Pater Curtius de argumento Cometico promiſit, grata erunt, præſertim ſi tempeſtivè mittantur, quò commodè cæteris adjungantur. Heſternæ literæ Amſtelodamo iterum nuncium de novo Cometa attulerunt, ſed ſine ulla circumſtantia. Exſpectandum eſt an aliquid veri tot de novo in cælo hoſpite rumoribus ſubſit. Mihi quidem priores illi ſat negotii faceſſunt, variis impedimentis ſubindè ſe mediocri induſtriæ meæ opponentibus. Quæ alioquin libenter & longè faciliùs labores iſtos Philoſophicos ſubiret. Hiſtoriæ meæ Cometicæ verſionem Germanicam & Gallicam Amici Hollandi graviter diſſuadent, quò ſcilicet compendium fiat laboris, temporis, operis & ſumtûs. Quorum ideo monitis cedo, & ſic citiùs librum impreſſum iri credo. Hodie cum diverſis Amicis habiti mihi ſunt ſermones de rebus, quæ in orbe geruntur, præſertim cum Magnifico & Ampliſſimo Viro Domino Proconſule Möllero, Viro multâ ut eruditione, ita & experientiâ politiſſimo. Dixi occaſione tot adverſorum, quæ terrâ mariquè fieri videmus, multos repertum iri, qui illa Cometis imputaturi ſint. Sed immeritò. Nempe ante apparitionem Cometarum habuiſſe nos in Polonia bellum Moſcoviticum, rebellionem Coſacicam, & belli iſtius civilis vidiſſe initia, ſaltem ſemina, ejuſmodi fructus editura. Idem de bello, quod inter Anglos & Hollandos geritur, dicendum eſſe. Peſtem quoquè quæ nunc magis magiſquè viſcera Angliæ exedat, nos in Hollandia graſſantem vidiſſe, imò & hîc ſenſiſſe. Atquè hæc ſententia mea, experientiâ nixâ, aſſenſum ut aliorum, ita & Viri illius Prudentiſſimi meruit. Sed ad alia. Triſtes Polonici nuncii non refutantur melioribus. Numerus cæſorum utrinquè etſi minuatur, Martem tamen civilem exſecrabitur. Sed de his adjuncta plura dicent, ut & de rebus Anglicis: de quibus heri Vindſoriâ hæc accepi, quæ mitto, cum quibus & judicia duorum Mathematicorum de novo Cometa menſe Aprili viſo accepi. Horum alter tres Cometas nos in Corvo ſcilicet Lepore & Pegaſo, vidiſſe docet: alter ei contradicit. Sed fruatur ſuo quiſque genio. Ego meum retinebo, quoad vivo futurus

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 66. ad 62.

Ratisbonâ Hamburgum die 24. Sept. 1665.

Extemporalem ſcriptionem Rautenſteinius excuſat.

Epiſtolarum magnus eſt uſus.

Libertate juſtâ nil præſtantius. Servitus homini ingenuo fugienda.

LUculenta & plena melioris Philoſophiæ epiſtola G. Veſtræ, mihi longè gratiſſima, accuratius ſanè & meditatum reſponſum meretur, quàm quale mihi continuæ meæ publicæ privatæquè occupationes permittunt. Digniora certè ſunt iſthæc Veſtra publicâ luce, quàm mea qualicunquè extemporaneo plerumquè impetu effuſa, vel ad calamum, ut mihi in mentem veniunt, dictata. Certum autem eſt nullum animi characterem ferè eſſe expreſſiorem epiſtolâ, cujus utpote beneficio non confabulamur ſolùm cum Amicis, ſed intimiores & abditos mentium receſſus per tot terrarum mariumquè ſpatia pandimus. Nec inſcitè comparaſſe Lipſium memini epiſtolam cum pollice Coloſſi, cujus artificioſâ picturâ exprimere olim magnitudinem iſtius voluit ingenioſus quidam: uti vel parvum epiſtolium maximos quoſque animos depingere valet. Libertate autem juſtâ rectâquè nihil in rebus humanis præſtantius eſſe cum G. V. & tota Sapientum Schola cenſeo: licet paucos videam, qui iſtud bonum rectè capiant, & non ſerviant ſibi, aut aliis, aut interdum etiam, quod peſſimum eſt, vitiis. Sed diffundere me in hac, alioqui fertili materia, nunc non ſinunt alia. Quis author ſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſit Chriſtiani Senecæ, non ſcio. Scio autem præ illo Generoſitati Veſtræ placituram *Manuductionem illam ad cælum*, de qua nuper. De Cometis novis nihil amplius inaudii. Mirum autem non eſt, ſtolidum vulgus ad inſolita quævis attonitum reddi, & mirari in aſtris, quæ ſæpè negligunt, aut pedibus calcant in terris. Plena enim omnia ſunt majeſtate Creatoris, plena doctrinæ & bonæ frugis, ſi quis cognoverit uti. Sed quota pars hominum eſt, quæ hæc capit? Nam licet Deus

Vulgo attonitum ſtupet ea in cælo, quæ calcat in terra, monita ſcilicet ad virtutem.

> Os homini ſublime dedit, cælumquè tueri
> Juſſit, & erectos ad Sidera tollere vultus:

plurimi tamen, ut ille ait, vitam ſilentio & inertiâ, imò inſcitiâ tranſigunt, velut bruta. Felices illi, ſua qui bona norunt, ſciuntquè ſe non ideò vivere, ut hîc ſolùm, ſed ut æternùm vivant. Utinam omnes & hic diu & proſperè bono publico, & olìm æternùm illic vivamus, ubi nec Cometas, nec ulla prodigia & portenta metuemus! Ego, quoad vivo, maneo

Notitia ſui-ipſius homini neceſſaria.

Vive ita hic ut vivas olim æternùm in cælo.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratiſbonam die 3. *Octobris* 1665.

N. 67. *ad* 66.

OMnis Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ſcriptio, etiam illa extemporalis, plurimum jucunditatis & utilitatis in ſe continet, ut profectò in deliciis literarum cum Illuſtriſſima D. Veſtra commercium habeam. Philoſophandi per epiſtolas rationem Principi eloquentiæ & Philoſopho ſuâ ætate Præſtantiſſimo Tullio placuiſſe, ſuaviſſimæ & doctiſſimæ illius epiſtolæ, illæ præſertim ad Atticum, teſtantur. Et certè epiſtola tacitus eſt nuncius, candida animi teſſera & fida mentis interpres. Nec dubitat affirmare Cicero *multùm ad vitæ humanæ ſocietatem iſta abſentium amicorum colloquia pertinere*. Viennenſis poſtrema epiſtola, die 19. Septembris data, mentionem facit Ratiſbonæ Cometam horis matutinis videri. Nos eum hic inveſtigare non poſſumus, licet ex diverſis locis, non notatis tamen neceſſariis circumſtantiis, de eo moneamur. Omninò verò verum eſt, nos ſinè his quoquè raris phœnomenis infinita habere ſemper ante oculos divinæ ſapientiæ, potentiæ, juſtitiæ & providentiæ documenta, adeoquè plena eſſe omnia majeſtatis divinæ, ſi admiranda ejus opera debito cultu proſequimur, & altiori mentis indagine veneramur. Quid pulchrius & auguſtius Sole, diei oculo, Lunâ noctis oculo, & ſtellis lampadibus æthereis? * Sed quia hæc ſunt quotidiana, vix æſtimantur. Ad Cometæ conſpectum quis non properat? Verè ait Seneca in hoc argumento tractando occupatus: *Quamdiu ſolita decurrunt, magnitudinem rerum conſuetudo ſubducit. Ita enim compoſiti ſumus, ut nos quotidiana, etiamſi admiratione digna ſunt, tranſeant: contrà minimarum quoquè rerum, ſi inſolitæ prodierunt, ſpectaculum dulce fiat. Hic itaquè cætus aſtrorum, quibus immenſi corporis pulchritudo diſtinguitur, populum non convocat.* Et quæ ſunt alia, quæ poſtquam memorabili gnome concluſit: *Adeò naturale eſt magis nova quàm magna mirari*; idem in Cometis fieri docet. Nam dum hi mirantur, illi timent adventitium iſtum, ut ille appellat, ignem, tàm hi quàm illi curioſè rimantur. Ego his diebus nil de talibus à quoquam Amicorum accepi. Sed ſinè Cometicis, ut ſic dicam, facibus, videmus ferales non in terra, ſed & in mari accenſas belli faces. Lubomirſciana vis rurſum ſe Majori Poloniæ infudit. Nobilitas tantarum calamitatum domeſtici belli pertæſa arma capere vult, ut hæc partes internecino odio flagrantes deponant. Nempe tempus eſt, ut ubi ſolitudinem fecerint, pacem appellent. Precor hanc patriæ, nec qualemcunque ſed

Extemporalis etiam Viri Præſtantis ſcriptio jucunda & utilis eſt.

Cometæ novi ſparſus paſſim rumor.

Ubiquè habemus divinæ majeſtatis documenta.

Sol celebrat Deum.

Luna de Deo teſtatur.

Stellæ Deum indicant.

** Quotidiana, licet eximia, vileſcunt.*

Inſolita cum ſtupore mirantur mortales.

Faces, licet nullæ Cometarum in cælo ardeant, ardent in terra & mari bellorum faces.

Pax tuenda vel ſine magno impendio reſtituenda, ſed juſta & firma.

 juſtam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

juſtam, fidam, ſtabilem. At enim divina vox juſtitiæ opus pacem pronunciat. Ergò illa prius quàm hæc reſtitui debet. Satis dixi. Dicam tamen plura, Deo volente, proximè de hac re. Nunc enim non vacat. Quanquam & ſatis jam longè extraxi ſermonem, oblitus ferè mei. Memini namquè me dicere, non ſcripturum amplius longiores epiſtolas fuiſſe: licet tamen prioribus ſint breviores. Sed quid agam? Sæpius res ipſa me vel nolentem, vel ad animadvertentem verboſum reddit. Et ita quidem, ut ſalvâ, non tantùm de Illuſtriſſima Dominatione Veſtra, ſed & de Republica benè merendi voluntate, & conſcientiâ, tacere non poſſim: Benè vale.

Juſtitia mater pacis.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & obſequio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 67. ad 63.

Ratisbonâ Hamburgum die 28. Sept. 1665.

PUblicæ utilitati pro viribus ſervire G. Veſtram fateor in eo, quem deſcribit, ſcribendi modo vitæquè genere. Ego autem optem, ut tàm egregias animi corporiſque dotes in alia, & quidem lautiori palæſtra exercere poſſet, quam ei ex animo voveo. In epigrammate meo me in veritatem impegiſſe non puto: in artem, metuo. De inventa ad cælum Manuductione G. Veſtræ gratulor, fateorquè librum illum mihi ſtatim placuiſſe, ac illum vidi. Sed ſat librorum eſt, dummodo lectores ſint & factores. Clar. Bullialdum & Heinſium noſtrum ſemper ſalvere jubeo: hunc etiam melius valere. De Cometis priora repeto, & cum G. Veſtra quantum video, omninò conſentio. A. P. Curtio nil amplius obtinui. De exitu, ſaltem progreſſu, rerum Polonicarum, ulteriores Veſtras avidè exſpecto, maneoquè conſtantèr

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 68. ad 67.

Hamburgo Ratisbonam die 7. Octobris 1665.

Auctor ſe laboribus & ſumtibus magnis publicæ utilitati & poſteritati conſulere velle demonſtrat.

Libertas dicendi juſtæ negligi ſalvâ veritate &, ſi ſit modeſta, invidiam conſlare, non poteſt, certè non debet.

Medio tutiſſimus ibis.

MAximam profectò injuriam mihi inferret, qui me publicæ utilitati miniſtrare tot laboribus & ſumtibus negaret. Hanc enim bonæ mentis voluntatem orbi teſtatus, & poſterorum memoriæ commendans, ritè ante omnia officio in oculis Dei defunctus, ſat magnum operæ pretium faciam. Utinam modò juſtâ in curandis vitiorum morbis, & tradendis vitæ benè à Chriſtiano cujuſcunquè generis agendæ ſalubribus præceptis libertate, tàm incolumi plurimorum gratiâ liceat uti, quàm incolumi veritate & æquitate licet! Sed ſub linea Æquinoctiali gradum figemus, ne (ſi quod natura Solis & ſoli fert, natura hominis ferre poteſt) veritatis corpus umbram meritæ invidiæ ſpargat. In medio ſcilicet conſiſtemus juſtæ, imò & debitæ, libertatis (nam & Theognis in aurem dicit:

- - Μέσην ἔρχευ τὴν ὁδὸν, ὥσπερ ἐγώ

- - Mediâ perge via, ſicut ego)

Contemtu immeritam invidiam vindica.

quæ, niſi apud extremè improbum, invidiam non meretur. Hanc verò melius, quam contemtu & tutâ rectè facti conſcientiâ, vir bonus ulciſci non poteſt. His de cauſſis fidem promiſſi nuper facti exſolvo, quod ad rerum Polonicarum, de quibus Illuſtriſſima Dominatio Veſtra maximoperè informari ſemper cupit, ſtatum attinet. Dedi hodie literas ad Clariſſimum Dominum Buſ-

mannum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mannum (quîcum mihi literarum commercium eſt) quibus illam meam, de Cometis, non tantùm triſtia, ſed & læta præſignificantibus ſive antecedentibus, ſententiam aliquot exemplis aſſero. Cum autem ille & Poloniæ mala, quibus illa premitur, præſertim novarum turbarum occaſione, per nuperrimum Cometam, qui in Pegaſo apparuerit, prænunciata eſſe dicat, ego quidem id non nego, ſed & bona eodem jure illum prænunciaſſe affirmo. Videmus enim non ſolùm hunc & illum victoriâ & opibus potiri, (quod ſi huic malum, illi certè bonum eſt) ſed & motus bellicos in Palatinatu & Ducatu Lunæburgenſi componi, Vos in illo Illuſtriſſimo conventu Rempublicam præſtare, alibi fœdera firmari, juſtitiæ & pacis artes exerceri, & honeſtam induſtriam hîc & illìc cum laude exeri.

Cometæ triſtia & læta antecedunt.

Cometa nuperrimus in Pegaſo viſus bona quoque præſignificavit.

Speramus peſtem Anglicam & belli navalis flammam, tùm & illam civilis in Polonia, mox (tandem enim, ut fieri aſſolet, *quæretur belli exitus*, ſaltem à laſſis vel fractis, & factâ ſolitudine, cúm & *Sapientes*, teſte Saluſtio, *pacis cauſſâ bellum gerant*) extinctum iri. Speramus & alia ſecutura bona. Nam

Spe meliorum ſuſtentamur.

Bellorum finis pax.

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare Caſpium
- - Vexant inæquales procellæ
Uſque &c.

redit ſemper poſt nubila Phœbus: redit malacia ſuavis & tranquillitas in mari, ut ſe naves loco movere non poſſint, redit lætitia

Viciſſitudo temporum & rerum eſt perpetua.

- - - grata vice veris & Favoni
- - - redeunt - gramina campis
Arboribuſquè comæ.
Mutat terra vices,

ac per omnia quidem, & ab omni parte: & ut

Frigora miteſcunt Zephyris: ver proterit æſtas
Interitura, ſimul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurret iners.

ita paululum requietas vices bona & mala exercent, nec quidquam minus quàm hæc mutatio mutatur. Ut nunc alias terras prætercam, ibo in patriam

Mutatio rerum immutabilis.

Nuper ſollicitum quæ mihi tædium;
Nunc deſiderium curaquè non levis:

Exul patriæ malis tangitur & angitur.

Parco verbis indignantibus & querelis: quæ apud Horatium, Lucanum, Ciceronem, Senecam, Plutarchum alioſquè ſapientiæ Magiſtros videri poſſunt hùc ſpectantia. Morbus internecinus & ſonticus in aperto & in confeſſo eſt. Quærenda ſunt & applicanda ei curando idonea & efficacia remedia. Unicum eſt Æquitas divini nominis reverentiâ & fide publicâ munita. *Hoc ſemper in corde & ore habeo, ut Illuſtriſſima Dominatio Veſtra novit. Iniquitas, iniquitas eſt Cometa & fax feralis, tot malorum congeriem Reipublicæ portendens. Iniquitas dico inſolens in gente liberrima

Æquitas conſtituit, tenet & reſtituit Rempublicam.

**Poloniæ pax nonniſi cum æquitate reſtitui poteſt.*

- - - - - καὶ ὕβρις
Νικήσασα δίκην, γῆν κατὰ πᾶσαν ἔχει.
(- - - - - & injuria
Superans juſtitiam, terram totam occupat)

Injuria quandoque juſtitiam ſuperat.

quâ certè major dari non poteſt, in ſtatu ſcilicet æquali, qui æqualem non habet. Excluſis multis pace & libertate (imò & patria) communi, quis non videt poſt tot mala bellum domeſticum ſecutum eſſe? Idem olim in Græcia,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quæ etiam libertate ſummâ claruit, factum eſſe memoriæ prodidit Plutarchus in Ageſilao. Refert prudens & ſalubre Epaminondæ, Optimi & Præſtantiſſimi omnium Græcorum (ſi Ciceroni & Plutarcho habenda fides) Viri conſilium, *æqualibus conditionibus pacem juſtiſquè componendam.*

Pax æqua eſto, ut ſit firma.

Ita enim demum ſtabilem fore pacem, ſi æqualitas ubique conſtituatur. Refert dehinc Thebanis fœdere communi excluſis, ingens bellum *feſtinatione magis quàm conſilio* à Spartanis, libertatis, ut notum eſt, nimiis, excitatum, & mox eorum inſigni Leuctricâ ſtrage & ſucceſſu Thebanorum, *quo glorioſior alter Græcis adverſus Græcos non evenerit*, nobilitatum fuiſſe.

Libertate & patriâ communi nemo excludendus

** Bellum temerarium Lacedæmoniis noxium.*

Non ovum ovo magis ſimile, quàm hoc illi eſt. Ex eodem enim inæqualitatis fonte, in nobis infirmioribus, & *haud perinde in crimine aliquo, quàm odio generis humani convictis*, aperto, bellum iſtud civile, quale nunquam Polonia vidit, & Lubomirſcianus ſucceſſus, quò glorioſior alter Polonorum adverſus Polonos non evenit, profluxit.

Poloniam iniquitatis ream multa mala obſident.

Moneta mala, inſtar tineæ, exedit Rempublicam.

At bellum cum Moſco difficile inter hæc durat, & indomita Coſacorum rebellio, & pravæ monetæ continuâ auctione magis magiſquè diminuitur Reipublicæ potentia. Id ſolum (quod avertat Deus) ad complementum malorum deeſt, ut victores & victos aggrediantur Moſci & alii barbari, præcipuè Tartari. Vel, ut fertur, in ſocietatem belli adſciti, vel voluntariâ incurſione Poloniam, ut olim Medi Macedoniam, infeſtam habere ſoliti.

Auctoris pietas in patriam.

Sed miſerebitur, ſpero, Deus afflictæ majorem in modum Poloniæ, ſimulquè Reipublicæ Chriſtianæ. Excitabit domi foriſquè cordatos, quorum conſilio, auctoritate & viribus avita & æqua libertas reſtituetur, & iniquitatis face illâ Cometicâ extinctâ, belli civilis flamma & tot malorum incendium, velut frigidâ ſuffuſâ, exſtinguetur.

Auctoritas magnorum Virorum proſit omnibus, obſit nemini.

Quâ in re cum Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ auctoritas, quæ cuivis Catoni ad juvandum non ad nocendum, judice Cicerone, ineſt, multùm per Amicos, quos in Polonia habet, præſtare poſſit, rem ſe dignam & Reipublicæ non tantùm Polonæ, ſed & univerſæ Chriſtianæ utilem fecerit, ſi ad illam æquam libertatem & pacem ſtabilem reſtituendam pro virili juverit.

Reſpublica Clodios audaces & Curiones, Cæliosquè ingenioſè nequam, coërceat

Poloniæ pacandæ & reſtituendæ medium, injuſtè in exſilium ejectorum reſtitutio.

** Peccatis pœnas adæquat Deus.*

Sed ut Illuſtriſſimæ D. Veſtræ induſtria optatam aſſequatur metam, velim auctor ſit iis qui plurimum auctoritate in Republica pollent, ut Clodios audaces, malorum propoſitorum exſecutores acerrimos. Curiones, Cælios, & alios facundos malo publico & in exitium communis libertatis natos coërceant, &, ſi Rempublicam reſtitutam & ſalvam eſſe velint, illud Senatus conſultum Romanæ Reipublicæ imitentur, de quo Plutarchus in Cicerone, *ne qua de re publica ſtatuatur, niſi Ciceroni reditu decreto.* id eſt, omnibus in exilium innocenter pulſis. Ipſe rerum ordo, ipſa geſtorum ſeries, ipſa deniquè malorum iniquitatem illam vindicantium neceſſitas eos ad æquitatem ducit, imò trahit, *& apertè Deus monſtrat, fœderis publici violatores per fœderatos milites puniri. O utinam populares mei & ſalubribus monitis excitati, & triſtibus caſtigationibus exercitati, debito malorum præteritorum ſenſu, & non vano futurorum metu ac neceſſariæ prudentiæ artibus animum induant! Induent ſe aliàs in longè graviores pœnas & inextricabiles laqueos. Quòd ſi verò illud prius fecerint, induet certò Reſpublica alium vultum. Atquè hoc utinam & ubiquè fiat! Vellem equidem non tàm meæ ſententiæ hâc ratione confirmandæ, quàm commodis tot Rerumpublicarum, cumprimis patriæ meæ dulciſſimæ, promovendis infamiam publicam nuperis Cometis adimi: quam ego pro virili abolere ſtudeo.

Libertate à Deo data homo rectè utatur.

Cometa nullus poſt illum in Pegaſo ad finem menſe Sept. viſus.

Officium interim cuiquè libertatis à Deo datæ uſum & veram beatitatem amanti in memoriam revocare nequaquam neg'igo. Imò verò hoc metu Numinis & ſpe propoſitæ mercedis urgere aſſiduò pergo. Nullum nos Cometam novum poſt illum in Pegaſo viſum conſpexiſſe Clariſſimus Hevelius heſternis literis exeunte Septembre ad me miſſis affirmat. Brevi verò librum illum ſuarum obſervationum nobis promittit. His quos addam, habeo nihil. Quanquam jam & modum ferè epiſtolæ exceſſit, certè illud brevitatis propoſitum, cui fateor res ſæpè ipſa, boni verò publici ſtudium ſemper, contradicit. Quid quod & Illuſtriſſima Dominatio

Veſtra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Veſtra nugas meas, ut ille ait, aliquid eſſe velit. Benè Valeat Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, & faveat

Suo

LUBIENIECIO.

Ratisbona Hamburgum die 1. *Octobris* 1665. *N.* 68. *ad* 64.

QUæ de motibus Poloniæ & nupero illo prælio ſcribit Generoſitas Veſtra, etiam aliunde confirmantur. Miror quorſum iſthæc tandem ſint evaſura? Quem putet triumphum egiſſe publicum, vobis ejectis, ignoro. De Cometis video nos ferè in omnibus convenire. Cometæ ſcilicet, ut omnia alia aſtra, ſuprà nos ſunt; longe aliud, majus & melius lumen in nobis, quod cui lucet, hic facilè ſtellas, & quidquid Aſtrorum eſt, capiet. Animus certè hominis ſupra ſtellas eſt. Ipſe æternus, hæ perituræ: quidquid Gentiles de Phœbo ſuo, Apolline, Hecate, Dianâ, & ſimilibus fabulati fuerint. Sol quidem magna eſt & memorabilis Dei Creatura. Sed quid ad hominem Cui ille ſervit, hic dominatur, paulò minor Angelis, ut Pſaltes ait, & Deo proximus, ſi velit: ſed & remotiſſimus inter Angelos & Diabolos quaſi medius, mixtus illis, etiam in hac vita, ſi hic vivat: è contrariò his, ſi ſimilis ipſis fiat, virtute, aut vitiis. Sed quota pars hominum hæc cogitat? Aut quot reverà homines ſunt, qui ſua bona malave nôrint? Felices, quos Philoſophia fecit reverà homines, Dei benignitas Chriſtianos: gratia, in vera fide fideique dignâ vita conſtitutos! Quo in genere facile credidi placituram Generoſitati Veſtræ Manuductionem illam ad cælum, ut & Senecam Chriſtianum. Utrumque parvum, ſed bonum. Optem autem, ut invenire ibi poſſet & legere ejuſdem commatis, ſed grandioris libros P. Ariæ theſaurum Vitæ Chriſti, P. Sucquet viam vitæ æternæ, & ſimiles Aſceticos: quorum plurimos collegi, & iis animum humanis, curis & vanitatibus fractum, velut pretioſiſſimo balſamo recreare ſoleo. Inter quæ etiam numero Cardinalis Bellarmini & Patris Drexelii aſcetica, Vobis proculdubiò nota. Sed nunc tempus non eſt Auctores enumerandi, id eſt noctuas Athenas mittendi. Sum enim in procinctu iterum excurrendi in villam meam, quò veniens, velut in alterum orbem delatus, obliviſcor difficilium nugarum & ſplendidarum miſeriarum, quibus in ſeculo exercemur, quos ſors eò projecit. Sed contenti illâ ſimus, & quiſquè ſuâ: felices omnes, ſi volumus quod Deus vult, & eum ſolum reſpicimus, ad eum unicè contendimus. Nunc enim, ſi unquam, in orbe plena ſunt tumultibus, bellis & incendiis, fame, peſte & cædibus, quia ſic meremur. Sapiens inter hæc omnia idem eſt, & intrepidum gerit animum: licet paventem terribilia Dei judicia & profundam abyſſum æternæ Providentiæ, cujus reſpectu in timore & tremore meritò operamur ſalutem noſtram. Sed ad alia. Veſtras ad P. Curtium vix lectas ei tranſmiſi nudius tertius, rogavique ut reſponſum maturet. Sed vereor nos fruſtrà fore, ſi rectè novi tædioſum & occupatum variis Senem. Ipſe enim in ultimis ad me: *De Cometis angi non attinet. Plura vos ex aſtris circumterraneis, quæ Pariſiis, quæ in Carpentanis ardent, conjicitis. Mira de Geomanta Vienneſi ſcribuntur, & quàm bellè inſaniendo punctum identidem tangat.* Sic ille pro more curtim. Gruterus noſter talis eſt; qualem deſcribit Generoſitas Veſtra, mihi nunquam de facie viſus, de mente ſæpius. Corrigere epigramma mihi non vacat, ſatis me feciſſe putans, ſi per tot occupationes etiam hæc renitenti genio extorſi, arido velut pumice expolita, ut ille ait: manſurus conſtanter & ſincerè

Animus hominis ſtellis & Cometis major.

Sole præſtantior homo.

Homo virtute Angelus, vitio diabolus fit.

Philoſophia facit homines.

Dei bonitas Chriſtianos.

Lectio librorum bonorum animo ægro inſtar balſami eſt.

Voluntas Dei ubique ſpectanda & ſectanda.

Judicia Dei non terrent pium.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 69. ad 68.

Hamburgo Ratisbonam die 10. *Octobris* 1665.

*Nomina rebus reſpondeant. Omen & nomen conveniant, Tempus veritatem revelat. Pax æquitate paranda & tuenda. Pax Reipublicæ utilis & fida quærenda dolosa fugienda. Mentis lumen quovis lumine præſtantius. Mens bona divinum quid eſt. Libertas in judicando. Fortitudo in exſequendo. Conſtantia in adverſis. Modeſtia in proſperis. Tranquillitas tuta. Certum virtutis. *Pius in medio mundi metu, motu & fragore certum ſalutis obtinet.*

TRiumphum tot civibus patriâ ejectis publicum Nicolaus Cichovius Jeſuita egit, verius Dzikovius in lingua noſtra, ferus potius quam verus, & moleſtus quàm modeſtus dicendus. Multis ille ſcriptis inſultavit (quod ipſa averſatur humanitas) miſeris, & contrà etymon proprium à modeſtia & manſuetudine ſumtum tot afflictorum modeſtam innocentiam ſolicitavit. Sed Deus ei parcat & ejus ſimilibus. Tempus, veritatis parens, & rerum eventus hæc omnia refutavit. Hunc qualem ſit habiturus tractatus de pace, inter partes odio hoſtili laborantes, mox videbimus. Ego optimum auguror, ſi Juſtitia & Æquitas poſtliminio revocetur. Abſquè hac nulla pax laudabilis, nulla fida, nulla ſtabilis Reive-publicæ utilis. Atqui talem, cum virtute & publica utilitate conjunctam, non illam doloſam, & ſpecie publici boni licentius fallentem, quæ eſt blanda peſtis & dulce venenum, optare & quærere tuerique Vir bonus debet. Quâ in re vires exerit ſuas animus hominis, auguſtus ille anguſti laris hoſpes tantoperè Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ laudatus, qui ut de tanto encomiaſte ſibi gratulatur, ita ſe tàm egregium domicilium incolere gaudet, ſimulquè laudatorem ſui in exemplum proponere amat. Hoc lumen, Cometâ & quovis aſtro præſtantius, in conſpectum ſibi dari geſtit omnis, qui bona ſua novit, & jus ſapienti ſuper aſtra datum. *Bonum ſucceſſorem maximam eſſe in Principe divinitatis fidem*, dixit nonnemo; ego in quovis cordato bonam mentem. Hæc nos in judicando & eligendo liberos, in exſequendo quod rectum eſt, fortes, in excipiendis adverſis invictos, in fruendis lætis moderatos, undecunquè lætos, nec ſecuros tantùm futuri, ſed & adverſus omnem fortunæ ictum & incerta caſuum tutos reddit. Atquè quod majus eſt, *tunc nobis hæc felicitas obtingit, cum tot alii ad Cometæ viſum, vel aſtrorum ſitum metu vel temeritate in præceps feruntur.

> O fortunatos nimium ſua ſi bona norint
> Agricolas!

Obedientia divina nos reddit. Fidei jungenda pietas. Pietas ſine divinæ opis gratia non paratur. Bonorum operum neceſſitas ab antiquis non impugnata, imò aſſerta.

dixit ille. Sed ô quanto meliori jure de Chriſtianis hæc dici poſſunt. Hos enim non tantùm recta ratio, domina appetitûs & regina affectuum, ſed & divinæ voluntatis notitia ſalutaris in optimam & certiſſimam ſpem erigit, & ad inducendum ſpiritum heroicum & inter ipſos mundi fragores infrangibilem, ut cum Seneca de vita beata loquar, animi vigorem comparat. Nempe indubitata ſpes maximorum & pretioſiſſimorum promiſſorum nobis facta eſt, ut divinæ naturæ conſortes, etiam in hac vita, ſi voci divinæ obedimus, evadamus. *Chriſtianiſmus* enim noſter *divinæ naturæ imitatio eſt*, ut Nyſſenus ait ep. de prof. Chriſt. Ejuſdem dictum egregium: *Fides ſuam requirit ſororem*, *nempe quæ eſt ex charitate vitæ inſtitutionem*, *quâ quidem digni ſumus Dei voluntate & ope*. Orat. adv. eos qui diff. bapt. Optimè convenit cum iis, quæ Illuſtriſſima D. Veſtra piè & ſolidè dicit, de felicitate eorum, quos *gratia Dei in vera fide fideiquè digna vita conſtitutos fecit*. Credo priſcam illam ætatem nondum tunc euſquè ſubtilitatis profeciſſe, ut diſputationes contrà neceſſitatem bonorum operum ad ſalutem publico darent. Nam non ſolius Baſilii Serm. de fide vox eſt: *Neceſſaria eſt fides*, *neceſſaria & caritas:* ſed & totius antiquitatis eadem. Hilarius certè, malleus ille Arianorum apertè ſcribit, In can. 7. in Matth. *Salus gentium omnis in fide eſt*, *& in præceptis Domini vita eſt univerſorum*. Sed nolo Soli facem accendere. Hæc aliquot dicta teſtari poſſunt Illuſtriſſimæ D. Veſtræ me jam & ex Veterum Aſceticis vitæ Chriſtianæ regulas non ſegniter collegiſſe; Paratus tamen ſum & iſtos Juniores ab Illuſtriſſima D. Veſtra indicatos legere, ubi eos & otium majus nactus fuero. Lecti mihi ſunt alii ex hoc cenſu, Acontius ille de Stratagematis Satanæ, Aureus libellus de vera ſerviendi Deo methodo, Joannes Boudinius

Libri meliores commendantur.

Flan-

Flander de rerum Chriſti geſtarum gloria, Georgius Caſſander de Officii pii & pacifici Viri, & quem primo loco ponere debui, Thomas Kempiſius de Imitatione Chriſti, aliique. Drexeliana quoquè non pauca legi cum voluptate & fructu. Sed nec mihi amplius vacat enumerare ſelectos & lectos mihi quondam in hoc genere Scriptores, properante ad finem epiſtolâ. Video Illuſtriſſimam D. Veſtram eſſe jam è numero illorum fortunatorum quos prædicat Maro, cum bona vitæ ruſticæ nôrit. Cujus oblectationem egregio ſtilo deſcripſit Vir Egregius Ægidius van der Myle, neſcio an Illuſtriſſimæ D. Veſtræ viſus, vel notus. Gratulor Eidem hanc felicitatem, quòd habeat quò poſſit excurrere, ſubducens ſe moleſtis laboribus, ut in ſeceſſu fruatur otio. Ita enim jam olim, Cicerone teſte, *animi forenſibus negotiis defeſſi geſtiunt ac volitare cupiunt*. 2. de Orat. Vellem mihi hanc felicitatem contingere poſſe. Sed patienter & modeſtè fero ſortem, qualiſcunquè obvenerit. Nam & hoc non eſt poſtremum boni Viri officium. Quod qui facit, ad conſpectum Cometæ nil timet, præter Deum, quin potius ſperat, illi ſoli confiſus, ea quæ à paterna ejus manu polliceri ſibi poteſt. Unum addo priuſquam finio. Holmiâ iterum die 16. 26. Septembris ſcribitur de nova ſtella, quæ oriatur in plaga cæli Orientali, & occidat plaga inter Orientem & Meridiem media. Ego puto eſſe Venerem, quam etiam vidi. Conſulendus Curtius annon ille ab Italis aliquid de hoc habeat. Salveat ille à me: ſed & Illuſtriſſima D. Veſtra cum ſuis ſalveat & valeat benè & proſperè.

Gratulare Amico proſpera.

Otium poſt negotium juvat.

Deum qui timet, timet nihil.

Stellæ novæ nuncius m. Sept. ex Suecia allatus.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 5. *Octobris* 1665.

N 69. ad 65.

QUæ de prælio iſto inter cives Polonos nuper commiſſo ſcribit Generoſitas Veſtra, aliunde etiam confirmata, magno cum judicio & pietate dicta ſunt. Sed quis ſcit annon per hanc viam Deus tandem reſtituturus ſit patriæ libertatem, quæ carò ſæpè conſtat, & pro qua aliæ etiam gentes cruentiſſimè haud raròpugnarunt? Mea certè patria 30. annorum bellis, iiſque tam horribilibus, ut vix exempla ſimilia occurrant, conflictata fuit, donec Inſtrumentum Pacis obtinuerit, quod ægidem & quaſi Palladium noſtræ libertatis exiſtimamus, & regulam Polycleti, licet variè hactenus jam tum incurvatum, ut homines ſumus, qui leges quidem & regulas condere poſſumus, qui eas ſervent invenire non poſſumus, in hac quidem miſeriarum valle & imperfectionum theatro. * Et hæc quoquè cauſſa eſſe deberet, cur ad cæleſtem patriam contendamus, ubi leges *perfectiſſimas* inveniamus, eaſque à nemine infringendas. Sed ad rem. Cometis hæc omnia adſcribere, idem mihi videtur ac ſi Soli quis imputare vellet, quòd oppida pagiquè igne cælo delapſo aliquando incendantur comburanturquè. Quod quidem Sol non facit, utpote qui nihil facere poteſt vel ſcit. Sed Deus varia hominum flagitia variis, at nonniſi juſtis modis plectens. Ego quorſum iſta tandem omnia evaſura ſint, indifferens opperior. Opto autem ut omnia in majus bonum Orbis Chriſtiani, præſertim Gentis Polonæ, quam quanti in eo faciam æſtimemquè vel Ipſa Generoſitas Veſtra teſtis mihi eſſe poteſt, cedant. Quod neque in Gallia, neque Viennæ, adhuc quidem, obtinere ea quiverit privilegia deſiderata, doleo quidem; ſed non puto tamen id magnoperè rebus veſtris obſtiturum, dummodo bella Batavis imminentia, eis non noceant, & editionem libri, tum diſtractionem exemplarium impediant; Timeo enim ne etiam terreſti bello, quæ Imperio vicina eſt, Batavia implicetur, eoquè ſatis difficili, & commerciis præſertim noxio. Nam quæ Epiſcopus Monaſterienſis jam inchoaverit, melius quàm nos ſcire poteſtis, qui remotiores

Bellorum finis pax.

Libertas ſæpe carò conſtat.

Regula legis ſæpe incurvatur.

Vita præſens miſera ad illam beatam conſequendam impellit.

**Cælum ſolum patria Chriſtianorum.*

Deus ſcelera mortalium juſte plectit.

Rautenſteinius erga gentem Polonam benevolus.

Judicium ejus de privilegiis ab Auctore quæri cæptis, nec obtentis,

Et de bello Batavo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

remotiores ſumus. Metuo certè ne iſtud bellum plures involvat, damnumque, ut fieri ſolet, utrinque inferat. Sed etiam in hoc obtemperandum eſt divinæ providentiæ: quæ omnia tandem diriget in bonum. Quæ de Bruſſellis Patre Filioquè ſcribit Generoſitas Veſtra, acceptiſſima mihi ſunt, utpote virtutem ubique æſtimanti & colenti. Quod ſi talis fuit iſte, qualem Generoſitas Veſtra, & doctiſſimum illud Epigramma Profeſſoris Pariſienſis, deſcribit, dignus profectò fuit omnium bonorum amore & veneratione: imo dignus eſt, ut hæc pro majori ipſius laude & celebratione publicè à Generoſitate Veſtra edantur, quod facile fieri poteſt occaſione Operis Veſtri. Interea mea quoque, ſi placet, ſtudia officiaque Illuſtriſſimo Domino Bruſſello Filio deferri vellem. Sed vereor ne Generoſitati Veſtræ tot commiſſionibus oneri & nimis moleſtus ſim.

Divinæ voluntati in omnibus te ſubmitte. Virtutem ubiquè cole. Meritis alienis non invide. Laude dignos publicè lauda.

Paræneſin Barclajanam cum primum occaſionem nanciſci potero, mittam. De rebus Polonicis amicum illum à nobis diſſentire non miror. Novi enim quantum recto judicio partium ſtudia animiquè affectus obſtent. Ego maneo dum vivo

Affectus impedit rectum judicium.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N. 70. ad 69.

Hamburgo Ratisbonam die $\frac{14}{4}$. Octobris 1665.

Bellorum finis eſt pax.

Eandem Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ & meam ſententiam eſſe video: ſperandum ſcilicet eſſe his tot & tantis bellorum domi foriſquè à Polonis geſtorum malis, pacem ad ultimum ſucceſſuram: quod etiam illuſtri patriæ ſuæ exemplo Illuſtriſſima Dominatio Veſtra ivit confirmatum. Sed quantò rectius ut tunc dixi, fieret, ſi tanto impendio cruoris, præſertim humani, (qui ſi in unum conflueret, ſtagna integra faceret) non compararetur. Nam & pacis, non tantùm libidinum

Pax ſanguine non emenda.

- - - nocet emta dolore voluptas.

Certò nempe certius eſt iniquitate ſacrâ bella illa aliàque fuiſſe conflata. Quæ utinam tandem orbe Chriſtiano exulet tot malorum rea peracta, nec unquam ad nos redeat! Et integrum eſto nobis quoque cum Poëta & dolore ac indignatione ſimul exclamare:

Conſcientiarum tyrannis bella parit: meritoque vitanda eſt. Civile bellum ſemper Reipublicæ perniciosum.

Heu quantum terræ potuit pelagiquè parari
Hôc quem civiles hauſerunt, ſanguine dextræ!

Cuſtodite vos pluſquam Vulcaniam ægida, & illud ſacrum libertatis ac pacis publicæ Palladium, quod Diomedeis & Ulyſſeis artibus ſublatum ex patria meritò doleo, noſquè ad noſtrum recuperandum juvate. Cuſtodite certam illam regulam Polycleti, (æquam puto & perennem pacem) cavete Leſbiam pravè flecti facilem, cui Sacram Scripturam immeritò nonnulli æquiparant. Regulas vitæ facilius parari quàm ſervari, & dari quam teneri, quotidiana experientia clamat. Nempe *vitia erunt, donec homines*, ut ait ille. Utinam modo *non ſint continua, & interventu meliorum*, ſaltem frequentiori, *penſentur!* Rerum humanarum imperfectione & viciſſitudine nos ad quærendam cæleſtem illam patriam immobilem

Pax Weſtphalica Romani Imperii Palladium, ideoque anxie cuſtodienda. Regulæ vitæ facilius præſcribuntur quàm ſervantur. Vita præſens miſera nos ad patriam illam cæleſtem conſequendam impellit.

- - - ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt.

excitari debere, oppidò veriſſimum eſt. Invitant & Cometæ bonorum malorumquè prænuncii, & divinæ juſtitiæ indices, ideò & officii admonitores. Quâ de

Cometæ officii commonent mortales.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

de cauſſâ meritò Illuſtriſſima D. Veſtra, quantum quidem ſtudiorum & occupationum civilium ratio permiſit, ea quoquè, quæ ad pietatem commendandam faciunt, ſæpius addidit. Utinam talia velint homines conſiderare & ad animum admittere! Melius profectò cum rebus mortalium comparatum eſſet. Nec opus foret tot Cometis malorum prænunciis, nec ipſis caſtigationibus quas meremur. Nunc nuncius triſtis de obitu die 17. Septembris hujus anni 1665. Regis Hiſpaniæ aures noſtras & mentes non vano alicujus rerum mutationis metu perculit. Hæc quoquè proculdubio imputabuntur Cometis. Quaſi verò ſine his in domo Auſtriaca & aliis familiis permulti Principes non naſcantur vel non moriantur, *vel etiam mutationes Rerumpublicarum non eveniant! Mitto quæ nuper ab Amico Manheimenſi Andrea Viſſovatio, Affine meo, die 25. Septembris data, accepi. Poloni noſtri poſtquam toties cænarunt pullati & tantam ſolitudinem in patria fecerunt, de pace agunt, & hanc poſt pugnas, ſi unquam, intempeſtivas, cum pullis palliis ſciſcunt. Similes iis, quibus ſine febre & morbis non venit in mentem victus moderatus. Utinam omnes ſemper, antequam mala eveniant, ſapiamus! Sed utinam & poſtquam iſta evenerunt, & nos multum ad modeſtiam & æquitatem exercuerunt! In Patria mea, proh dolor! exigua adhuc hujus rei ſpes affulget. Qua de re nuncium proximè exſpecto, & tunc pro re nata nonnihil de hac re ſcribam, patriæ, & publico, ut ſpero, utile: manſurus viciſſim, dum Spiritus hos reget artus

Philippi IV. Regis Hiſpaniæ mors.

Principes ſine Cometis & naſcuntur & moriuntur.

**Rerumpublicarum mutationes abſque ullis Cometis eveniunt.*

Sapiens vel antequam mala veniant, eis occurrit, vel ſaltem poſtquam advenerunt, ea fortiter amovet.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Dieteldorfii ad Ratisbonam die 7. Octobris 1665.

N. 70. ad 66.

ITerum me hic inveniunt Veſtræ ruſticantem, & proinde Laconem. P. Curtius iterum promiſit Cometica pro Generoſitate Veſtra, ego iterum urſi. Si quid proxima Dominica ad me, id Luna ad Generoſitatem Veſtram feret. Verſionem hiſtoriæ Cometarum qui Eidem diſſuaſerunt, rectè meo quidem judicio fecêre. Cur enim ſe fatiget etiam his, tantoperè etiam aliis pro publico occupatus? Videant, qui Latinè diſcere, id eſt, docti eſſe nolunt, ut interpretes nanciſcantur. Qui Latinam linguam callent, contenti erunt Veſtro ſcripto & labore, quod fallor, aut non

Latinam linguam, qui doctus haberi vis, diſce.

Marceſcet ſæclis innumerabilibus.

Dominus Mollerus (qui mihi de fama nominis & meritis benè notus eſt) prudentèr reſpondit Generoſitati Veſtræ de Cometis, & Illa ipſi: Ego verò meam qualemcunquè ſententiam eodem fere tenore jam ſæpius aperui. Scilicet inclinant hæc, non neceſſitant. Peſſima autem tempora nobis imminere & Prophetæ prædicunt, & Cometæ ac tot alia portenta per hoc univerſum præſagiunt, & ſapientes augurantur, & ipſi denique mores & actiones mortalium loquuntur. Ego optem, ut tutò ex hoc quaſi portu vel nido adſpicere poſſim procellas turbidi maris, nec cogar amplius miſceri. Sed hæc optanda magis quàm ſperanda. In cælo erit requies noſtra. Utinam jam ibi eſſemus! Utinam cum Chriſto! *Sed apud hunc ibi non erit, qui hic non fuit, aut eſſe noluit. Quod ad diſſidia & bella attinet, communis fert ſententia, ut quiſquè repetere jure optimo maximo poſſit, quicquid ſibi iniquitas aliorum per vim eripuerit, id eſt vim vi repellere. Quod aliquando contra præpotentiores diſſimulare quidem coguntur imbelles: ſed ſuo tempore altâ mente recondita exſerunt. Ego omnibus pacem opto & concordiam, inprimis *unam fidem*, ſine qua iſtam &

Tempora peſſima inſtant.

Seceſſus bono Viro optandus.

Adverſis te ſubtrahe.

Malis te miſcere noli.

Quietem perfectam in cælo quære.

**Chriſtiani veri ſoli cum Chriſto regnabunt.*

 multa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

multa alia fruſtrà vovemus. Plura ex urbe, quò perendie, Deo volente, redeo. Interea manſurus, ut ſemper

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 71. ad 70.

Hamburgo Ratisbonam die 17. Octobris 1665.

Vitia hominum ſunt inſtar Cometarum mala portendentium.

Quies & beatitudo perfecta in cælo quærenda.

Chriſtiani veri ſoli cum Chriſto regnabunt, qui ſcilicet in eum credunt, eique per omnia, uſque ad communionem afflictionum, obedi unt.

** Eccleſia Chriſti per afflictiones dignitatem ſuam conſecuta eſt.*

CONſenſeram Amicis verſionem Hiſtoriæ Cometicæ ſuadentibus, conſenſi nuper eandem diſſuadentibus, ipſâ re his ſuffragante. Quos inter & Illuſtriſſima D. Veſtra eſt. Etſi nulla haberemus Prophetarum oracula, nullaſquè Cometarum apparitiones, ipſi certè hominum pravi & corruptiſſimi mores multa mala imminentia nobis prædicerent. Quibus qui ſe in receſſum quietum & tutum, velut in portum tempeſtatibus naufragium minantibus, ſubducere poteſt, eum jurè beatum; qui verò omnibus terrenis calamitatibus exemtus in illo beatæ immortalitatis cæleſti domicilio conſtiterit, terquè quaterquè beatum cum Illuſtriſſima D. Veſtra vocavero. Omninò verò ibi apud Chriſtum non erit, qui hîc cum eo non eſt, nec eſſe vult. Satis autem hîc cum eo arctè unitus eſt, qui non tantùm eum ut Chriſtum & Filium Dei, Deumque ac Dominum & Servatorem ſuum adorat & invocat in cælis regnantem, ſed & per totam vitam ei obedit, communionemquè afflictionum ejus ſibi obtigiſſe gaudet & gloriatur. Nam & *Eccleſia Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet*, quod Hilarius contrà Auxentium urget. Et optanda quidem UNA foret fides, illa ſcilicet inſtitutioni ab Apoſtolis in expreſſa Scriptura Sacra traditæ per omnia conformis. Verumtamen & plures religiones tolerandæ, tùm Dei, tùm Sapientum, etiam tot Principum, exemplo & hortatu. Bellis, ſed & odiis & contentionibus ac diſſidiis Chriſtianorum & ego bellum indixi. Ex tota antiquitate primum & præcipuum veritatis & charitatis Chriſtianæ præſidium in Clementis Romani epiſtola ad Corinthios jam olim reperi. Ille enim ibi fidem & concordiam reparans, & ad utramque cognitione *doctrinæ quam Jeſus Chriſtus à Deo, & Apoſtoli à Chriſto acceperint*, excitans: *Cur inter nos*, inquit, *ſint contentiones, iræ, ſimultates, ſchiſmata & bellum? Nonne unum Deum & unum Chriſtum habemus? nonne unus eſt Spiritus gratiæ, qui ſuper nos effuſus eſt, & una vocatio in Chriſto? cur Chriſti membra divellimus & diſcerpimus, & contra proprium corpus ſeditionem movemus, eoque veſaniæ devenimus, ut aliorum nos membra eſſe oblivioni tradamus?* Hæc ille. Quid diceret, ſi noſtrum ſeculum, & tot atrocia inter Chriſtianos eaquè æterna bella adſpiceret? Rideret, vel fortè potius indignaretur, ſi quoſdam dicentes audiret, hæc mala nobis attuliſſe Cometas. Noverat ille quemquè ratione ſobria & cognitione voluntatis divinæ, auxilioquè Spiritûs ejus inſtructum & poſſe & debere facere officium. Non latuit eum & quæ *in rebus omnibus cernitur mixtura, & in his uſus.* Ideoquè ad concordiam & modeſtiam monens: *Fortis*, inquit, *ne negligat imbecillem, imbecillis fortem revereatur, dives pauperi largiatur, pauper Deum laudet, quòd ei alium largitus ſit, per quem ejus penuria & indigentia ſuppleri poteſt. Sapiens non in verbis, ſed in bonis operibus ſapientiam ſuam manifeſtet*, & quæ ſunt alia. Quæ apprimè reſpondent Veſtris. De vi per vim repellenda quæſtio eſt ardua, hîc non tangenda. Ubi hoc tantùm dicere licet: Utinam memores ſimus moniti Domini: *non reſiſtendum eſſe malo:* aliorumquè quibus manſuetudo & patientia nobis inculcantur. Dixit quidem nonnemo: *Veterem ferendo injuriam invitas novam:* ſed prudenter & piè alius correxit hanc ſententiam: *Veterem ferendo vitas novam.* Impatientiâ enim ſæpè ſors exacerbatur, & novum periculum ac incommodum accerſitur. Res Polonicæ, poſtquam tractatio pacis irrita reddita eſt, & ſpes conciliationis decollavit, longè deteriore proh dolor! ſunt loco, Nobilitate quoquè arma pro Republica capiente, & ſic belli civilis incendio, velut

Chriſtianos decet concordia: quòd unum Deum & unum Chriſtum habeant & unum Spiritum acceperint.

Viciſſitudo rerum officii nos admonet.

Officium quiſque in ordine ſuo facito.

Fortis ne ſit ſuperbus.

Imbecillis ſit modeſtus.

Dives ſit liberalis.

Pauper ſit gratus.

velut affuſo oleo, magis exardeſcente & altius exſurgente. Velim Illuſtriſſima D. Veſtra ſalubre illud *æquitatis* conſilium Laconum (quorum brevitate delectatur) exemplo probatum Amicis in Polonia ſeriò commendet. Sui ipſorum cauſſâ potius id faciant, quàm noſtrûm, quos Deus Opt. Max. clementèr & malis ſubduxit, & bonis hìc & illìc cumulat. Unam illi religionem non introducent in Rempublicam, aut hæc convertatur neceſſe eſt, niſi & juſto Dei judicio evertatur. *Una religio*, Chriſti ſcilicet, quam & Illuſtriſſima D. Veſtra & quiſquè noſtrûm intendit, dequè ea ſibi gratulatur, nil magis quam charitatem & dilectionem mutuam, velut unicam Chriſtianorum teſſeram, perfectionis vinculum, legis complementum, commendat & inculcat. * Sine hac, fruſtrà ſe quis illam habere jactet, niſi quis corpus animâ caſſum amare & exoſculari ſuſtineat. Sed hora deſtinata jubet claudere epiſtolam voto omnis proſperitatis & certæ fidei aſſertione, quòd conſtanter maneam ad tumulum uſquè

Deus ſuos nec in exſilio deſerit.

Charitas Chriſtianis ante omnia commendata ſit oportet.

** Religio ſine charitate eſt corpus ſine anima.*

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 12. *Octob.* 1665.

N. 71.
ad 67.

DElectari Generoſitatem Veſtram qualibuſcunquè meis, ut plurimùm extemporaneis, gaudeo: licet doleam ſimul, me plerumquè tempore excludi, & negotiis ita diſtrahi publicè privatimquè, ut doctiſſimis Veſtris dignè ſatiſfacere non poſſim. Quodſi aliquando majus mihi otium Deus fecerit, faxo, ut majori diligentiâ, quæ negligere hactenus coactus fui, reſarciam. De novo Cometa vel Cometis nihil amplius certi habeo, neque heri, ut ſperaveram, à R. P. Curtio accepi, quorum ſpem nuper fecerat cunctabundus & variè diſtractus ſenex. Quæ verò nunc iterum de Cometis aliiſquè phœnomenis accuratè diſſerit Generoſitas Veſtra, valdè mihi arrident, dignaquè omninò ſunt, quæ inter cætera publicam lucem videant, nec ſolis noſtris ſcriniis includantur. Ampliſſimum Dominum Heinſium convaluiſſe gaudeo, rogoquè illum & alios Amicos datâ occaſione meo nomine plurimùm ſalutari. Ego verò omni tempore locoquè conſtanter maneo

Rautenſteinius brevitatem excuſat,

& Auctorem ad ea, quæ occaſione Cometarum ad Eum ſcripſit, edenda hortatur.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 21. *Septembris* 1665.

N. 72.
ad 71.

EQuidem aſſiduè delector literarum cum Illuſtriſſima D. Veſtra commercio. Condimentum hoc certè eſt moleſtiarum, quas alibi devoro. Verumtamen in argumento Cometico rurſus mihi propono ſectandam brevitatem

Ut poſſim cœpti pondera ferre mei.

Hoc enim & ad rei meæ domeſticæ rationes ritè ineundas pertinet. Atqui & hoc inter officia Viri boni & Sapientis, tanto magis Chriſtiani, poſui, ut rem familiarem debitâ cum curâ tractet. Nempe antiqua quoquè ſapientia & ratio ipſa docet, indice Demoſthene, Græcæ eloquentiæ Principe, Oeconomum bonum eſſe oportere eum qui velit bonus eſſe civis, tantò magis Epiſcopus, judice Apoſtolo. Video cum dolore id à multis negligi, cum tamen bonæ Reipublicæ ſeminaria ſint bonæ familiæ, ex quibus illa confletur. Publici boni & gloriæ divinæ cauſſâ ſi quis vel viribus aliquantò majora aggrediatur, à Deo largam

Literarum cum Viro Præclaro commercium eſt condimentum moleſtiarum.

Rei familiaris ratio habenda.

Epiſcopus bonus Oeconomus ſit oportet.

Impenſas divinæ gloriæ uſibus Deus abundè penſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

gam referet mercedem. Curtiana, ut & Bruſſelliana, Gerrichiana & Bartholiniana antè biduum in Hollandiam per certam occaſionem miſi, & Amicos urgeo, ut editionem operis maturent. De rebus Polonicis nil ſingulare hac vice exſpectare potui: perendie id fiet, ut ſpero. Puto eas ad pacem firmam perductum non iri, niſi prius ad æquitatem reducantur. Hoc conſilii velim Illuſtriſſima D. Veſtra Amicis ſuis, quos ibi egregiis meritis ſuis ſibi paravit, ſuggerat. Meminerint fœderum, juramentorum, jurium. Tùm verò ſpeciatim illorum ſacroſanctorum verborum: *Ita nos Deus adjuvet!* Quî enim adjuvare poteſt fœderum, juramentorum & legum violatores, nominis ſui contemtores? Non luſus nec jocus eſt talia audere. Etſi Chriſti nomen non profiterentur, Virtutis ſolo reſpectu hæc abominari deberent. Hæc ego ex more & officio meo, juſtâ libertate uſus. Si juſtitiam non urgeo, ſi modeſtiam non ſervo, ipſe me judico, damno, punio. Sin autem: erupit toties libertas juſta, & publicæ, præſertim patriæ, utilitatis promovendæ impetus,

Perjuria Deus ſeverè punit.

Libertate juſtâ intra modeſtiæ fines utere.

Et finem pietas contigit iſta ſuum.

Annum XLIII. natalem nuper ab Illuſtriſſima D. Veſtra eſſe celebratum gratulor, & ut idem annorum ordo adhuc ſemel recurrat, proſperorum & bonæ mentis gaudiorum magnâ comitante catervâ, ex animo precor. Ego nuper m. Auguſto XLII. ingreſſus ſum pede tacito. Id nunc occaſione Illuſtriſſimæ D. Veſtræ natalis nuper reverſi & indicati, dico, & vota votis jungo. Faxit vitæ auctor, ut quàm pauciſſima in nobis mors, quæ abolere poſſit, inveniat, nos autem ſpe vitæ longè melioris benè munitos! Addo coronidis loco nuper diem 5. 15. hujus menſis natalem fuiſſe novæ Academiæ Chilonienſi, quam Sereniſſimus Dux Holſatiæ Chriſtianus Albertus pro egregio, quo in bonas artes fertur ſtudio, munificentiſſimè fundavit. Finio, & quoad vivo, maneo

Auctoris votum pro longæva Rautenſteinii vita: & ætas.

Academiæ Chilonienſis natalis.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ.

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 72. ad 68.

Ratisbonâ Hamburgum die 15. *Octobris* 1665.

Luculenta & ſucci plena eſt hæc ultima epiſtola Generoſitatis Veſtræ, quæ cum aliquot præcedentibus ex inſtituto ſcripta videtur, ut cùm cæteris publicum videat. Multa ſanè ex illa excerpi & evulgari poſſe cenſeo: ita tamen ne moles operis Veſtri nimis excreſcat, aut ſemel dicta ſæpius repetantur, Opus verò illud veſtrum non obſtantibus armis lucem viſurum, & cum vere novo proditurum autumo. Pro quo omnes Bonæ mentis & literarum Alumni Generoſitatis Veſtræ plurimum ſe debere fatebuntur. Cæterùm dextrè philoſophatur de Cometis non ſolùm aſpera, ſed & proſpera iiſdem adſcribens, pro eo, qui omnium rerum eſt, quidam velut Orbis. Fateor tamen hoc anno nos multa bella, multa funera illuſtria, multaquè alia extraordinaria vidiſſe. *Sola Domus Auſtriaca, quas non columnas pauco tempore amiſit? Funera funeribus penſantur. †Regem enim Hiſpaniæ ſecutum nuper eſſe Conſobrinam Bavaricam (cujus exequiæ hic nudius tertius celebratæ) aut præceſſiſſe potius, jam intellexeritis. Hæc enim 25. Septembris obiit: illum jam ante obiiſſe reor: nos autem id tardius reſciviſſe. Mors iſtius in ſola Aula Bavarica mutationis introductura videtur, Hujus in tota Europa, & fortè etiam extra illam: licet diu præviſa minus nocitura ſit. Quod ſi Papa, ut multi augurantur, brevi etiam ſequatur, quanta non funera vidiſſemus parvo tempore? Ex quo in publico verſor, memini me audiiſſe mortuos Viennæ & in vicinia ex Auguſta domo 3. Ferdinandos, 3. Imperatrices, 4. Archiduces, quorum 3. in ipſo flore ætatis, ut

Rautenſteinius inſtituto operi favet conſtanter.
Sententiam Auctoris de Cometis confirmat.
Anni currentis mala.
** Auſtriacæ domus crebra funera.*
† Mors Regis Hiſpaniarum & Viduæ Bavaricæ.
Principum mors adfert motus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ut & duorum ſoror, flos fœminarum ſui ævi, emarcuerunt. Ita non ludos Mors habet, æquo pulſans pede pauperum tabernas Regumque turres. Sed ad alia. Poloniæ Veſtræ afflictum ſtatum ex animo doleo. Sunt qui meliora brevi ſperent. Ego tamen neſcio, quid adhuc mali timeam: veritus, ut tàm brevi finem viſuri ſimus. Æqualitatis ſtudium meritò à Veteribus & Recentioribus Sapientibus prædicatur: ſed ubi practicatur? Paſſim enim videmus imbecilliores à potentioribus opprimi, &, ut in proverbio eſt, piſces minores à majoribus devorari. De quo non ſolùm Cives Veſtri conqueri poſſunt. Nam nimis latum & commune hoc malum eſt. Ego ulteriorem rerum illarum ſeriem tranquillè operiar, quòque majora video imminere mala, eò majoribus præſidiis fortioribuſque exemplis firmare animum pergam, * licet nullum reperiam tutius aſylum, præ Divina voluntate, quæ ut fiat, indies & toties precamur, conformare nos eidem in omnibus, vix rectè diſcimus. Quod verò Generoſitas Veſtra putat me aliquid conferre per Amicos in Polonia poſſe ad Rempublicam pacandam, (quod quidem ex animo opto voveoque) in eo vereor ne nimium de me ſperet. Memini quidem, ſed non jacto tamen, quid præſens fecerim, cùm ad conciliandam Pacem Olivenſem nomine & authoritate Sereniſſimi Principis mei cooperarer: nunc vero abſens, & tantis locorum intervallis remotus, multis inſuper Amicis orbatus, ipſoquè rerum ſtatu variè immutato, non video, quid præſtare magnopere poſſim. Pro pace tamen facturus ſum, quantum poſſum, plus ſanè quam dicturus. Hevelianas obſervationes videre geſtio. Ut à P. Curtio promiſſum illi diu librum extorquere tandem poſſim, allaborabo. Amicos ſemper ſalvere jubeo, futurus ſemper

Potentiores ex impotentia animi opprimunt infirmiores.

Adverſis rebus fortitudinem animi oppone.

**Divina voluntas ubique ſpectanda & ſectanda.*

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 24. *Octobris* 1665.

N. 73. ad 72.

Opportunè monitum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ de contrahendo opere meo accepi, ſtudiis rebus votiſque meis commodum, ideoque pergratum. Proximè enim id apud me ſtatueram, quod meæ indicabunt. Idem conſilii & Clariſſimus mihiquè Amiciſſimus Heinſius dedit. Sed & res ipſa idem docet & exigit. Maximorum Pontificum, Magnorum Imperatorum, Regum & Principum funera, urbium, imò integrarum, earumque florentiſſimarum provinciarum, non tantùm hujus vel illius fundatiſſimæ familiæ, ruinas & orbis à ſedibus imis commotionem ſæpius, etiam cum nullum Cometam, vidimus. Plena ſunt talibus exemplis Annalium ſcrinia, ex quibus non pauca in Hiſtoria mea Cometica proferam, ſi Deus velit. Scio & Auguſtos Ferdinandos, & 4. eorum conjuges, 5. fratres, 7. ſorores (niſi me publicæ rationes fallunt) & tot utriuſque ſexus liberos ſine portentis Cometarum ultimum diem obiiſſe. Pariter in domo Hiſpanica exceſſum Philippi II. & III. proximi non præceſſerunt Cometæ. Horum itidem uxores, fratres, ſorores, liberiquè non exiguo numero ſine ullis præeuntibus Cometis fatalem metam attigerunt. Quorum funeribus deducendis nunc non immoror: præſertim cum in Hiſtoria Cometarum talia percurrendi dabitur occaſio. Quid itaque miremur illa illuſtria in Hiſpania & Bavaria funera, quibus efferendis, ferales, ut ſic dicam, Cometarum faces præluxerunt? Vel cur negligamus nupera funera in Hiſpania & Bavaria ſine illis data? Defuncti dico Regis uxorem è Gallia orundam, tres fratres, & ternos vel fortè plures liberos, præcipuè Principem illum Regium, qui jam ex ephebis exceſſerat, firmam domus Regiæ columnam Anno 1646. fractam & ſubtractam. Tùm defunctæ Bavaræ maritum, iſtiuſque fratrem Electorem Colonienſem Anno 1651. & 1650. è vivis ſublatos.

Mortes Pontificum, Principum, bella & alia mala in orbe ſine Cometis fiunt.

Cometis non alligatur rerum in orbe memorabilium ordo.

 Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Nam quo jure ibi lynces, hîc talpæ ſimus? Et cur potius triſtia & læva quam læta & dextra ex Cometis auguria ominaque captemus? niſi forte quod illa mereamur, his nos indignos eſſe, propria peccata pronuncient. Quod ſi è populi turba exempla huc colligamus, integra & maxima volumina eis farciemus, imò numerum arenæ & guttarum maris æquabimus. Æterna nempe lex illa eſt de omnibus rebus lata: naſci, denaſci, oriri, & mori. Cujus inter quotidiana & aſſidua exempla Cometas, Eclipſes, meteora videmus, & ut adverſa proſperis temperata, ita læta, dubio procul laſcivientem ferociam paritura, triſtibus caſtigata. Utinam nobis omnibus quàm obtigit mortalis tàm obtingat moralis æqualitas! quæ non tantum celebrari, ſed & parari, dari, defendi meretur. Quantò verò magis ſanguine majorum parta, lege & fide publicâ juratâque data & tandiu ſervata poſtliminio digna eſt reſtitui? Menſura juſtitiæ quæ ex potentia capitur, ad Pœnos, Theſſalos, Græcos, quorum fluxa fides locum proverbio fecit, releganda eſt, ubicunque reperta fuerit. Dictum illud, *in ſumma fortuna id æquius quod validius*, ipſa civilis diſciplina, judice Lipſio, ad barbaros relegavit. En verò ſolidam & falli fallereque neſciam regulam, quam in opere meo exemplo Illuſtriſſimæ D. Veſtræ aliorumque toties monſtro: *Divina voluntas ubique ſpectanda & ſectanda.* Hanc & ultima Illuſtriſſimæ D. Veſtræ epiſtola memorabilibus commendat verbis, magno equidem cum animi mei acerbæque ſortis ſolatio. Cum tamen hanc arte & induſtriâ corrigere conceſſum ſit, æquum cenſui Illuſtriſſimæ D. Veſtræ commendare avitæ æqualitatis, quæ ſola illuſtri illo Græcorum exemplo Rempublicam Polonam honeſtâ & ſtabili pace beare poteſt, reſtitutionem, ut eam apud Amicos & per eos in Republica promoveat. Sed quæ præſtari ab Illuſtriſſima D. Veſtra non poſſunt, ea nec à me dicta ſunto. En verò pacis Polonicæ ſpem indubitatam! Sed quæ apud me alioſque nondum fidem invenit, ne, ut nuper, credulitati noſtræ illudat. En & Amici N. manum, quæ nil niſi bella profert. Anne horum cauſſa Cometarum apparitio, & non potiùs vetus ambitionis avaritiæque malum pronuncianda erit? A Clariſſimo Heinſio accepi hodie nonnihil literarum. It quidem valetudo ejus in melius. Nondum tamen Ille ad commercium literarum ſolitum redit. Studia mea publico teſtimonio ornare decrevit: imò jam aliquid perfecit brevi exhibendum. Vereor ut exſpectationi laudibuſque utriuſque Veſtrûm, quas magno cumulo in me confertis, ferendo ſim. Debito tamen cultu benevolentiam veſtram proſequor, omniaque ut ex animi ſententia vobis fluant, precor

Triſtia lætis & hæc illis ſapienter & bono noſtro Deus miſcet.
Æqualitas ſapienti tuenda eſt.
Potentia non eſt juſtitiæ menſura.
Juſtitia non eſt ex viribus æſtimanda.
Divina voluntas ſemper ſpectanda & ſectanda.
Fortunam corrige arte.
Æqualitate pax honeſta & fida Reipublicæ reſtituenda.
Bella non Cometis ſed avaritiæ & ambitioni adſcribenda ſunt.
Auctor epigrammata gratulatoria amicorum ſalva debita modeſtia recipit.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 73.
ad 69.

Ratisbonâ Hamburgum die 19. *Octobris* 1665.

Juſtitiæ, Æquitatis, & fidei tenax eſto.
Fides in rebus injuſtis non danda, data ſemel, ſemper ſervanda.
**Animi bona & virtutes prædica, expende iiſque fruere.*

P. Cichovii ſcriptum, cujus Generoſitas Veſtra meminit, non vidi. Nec talibus delector, ut novit, Juſtitiæ & Æquitati ex aſſe addictus, & ſemper pro ſervanda fide data militans. Cenſeo enim cum Sapientibus & probis, eam quidem, in rebus iniquis aut injuſtis, non eſſe dandam: datam autem ſemel, ſemper ſervandam. *De bono Animo bonaquè Mente hominis excellentiſſimè philoſophatur Generoſitas Veſtra, ut Senecam aliquem, aut ſimilem ex veteri Stoa me legere exiſtimem. Et hæc omnia publica luce digna. Doleo verò quod paria facere, aut reſponſum pro merito dare nequeam, tempore ferè ſemper excluſus ac deſtitutus. Aſceticos priſcos legiſſe Generoſitatem Veſtram, uti non dubito, ita gaudeo. Inter eos memini me quondam etiam inveniſſe quendam, qui diſſimulato nomine Idiotam ſeſe per modeſtiam vocavit, Vir omninò pius, & præcipuis comparandus. Acontii ſcripta diverſa etiam legi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

legi. Methodum ſerviendi Deo non vidi; Nec Boudinium. At Caſſandrum, Kempiſium, Drexelium & plures alios tales habeo. Plurimùm enim amo ejuſmodi Morales, ut vocant, præ illis controverſiarum Dædalis: qui non fingunt, ſed perdunt mores Chriſtianorum. Libellum Mylii de vita Ruſtica à multis jam annis habeo æſtimoquè. Nec non quæ Magnus quondam Galliæ Cancellarius Hoſpitalius ruri ſcripſit ſenex, rerum uſu & doctrina inſtructiſſimus. Inter quæ eminent Epiſtolæ ligato ſermone ad amicos ſcriptæ, Horatianis non impares arte, rebus potiores. Ego quoquè optem mihi talem vicinum, qualis eſt Generoſitas Veſtra, cum quo de ſeriis & remiſſis agere liceat. Tales autem in his oris, præſertim in angulo illo, ubi mea ſita ſunt bona, fruſtrà quæruntur, & tantùm optandum. A P. Curtio nihil heri accepi, uti tardus eſt, monebo tamen illum cras de nova ſtella, quam & ipſe Venerem puto. Conſtanter autem maneo

Controverſias rixoſas, morum peſtem, fuge.

Vicinum bonum quære.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 28. *Octobris* 1665.

N. 74. *ad* 73.

AD illum malevolum & temerarium, exactis tot communi patriâ nobilibus familiis, triumphum, ipſa Regina Poloniæ, clementiæ non oblita, dixit, *ſe non credere, in cælo ex miſerorum lachrymis agi triumphos.* Perplacet hîc mihi Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ ſententia fidem, ſcilicet in injuſtis non eſſe dandam, ſed ſemel datam ſemper eſſe ſervandam. Hoc verè eſt philoſophari, ſive ſapere ad virtutem. Fidem enim juſtitiæ & tranquillitatis ac ſocietatis humani generis eſſe fundamentum, jam olim ratio ipſos docuit gentiles, qui acerbiſſima quæque pati quam fidem fallere maluerunt. At nunc Chriſtiani dici volunt, qui æquam pacem & libertatem aliis invidendo, ut iſti acerbiſſima patiantur, fidem fallere, quam innocentes in antiquæ pacis uſu relinquere malunt. Quâ iniquitate quid iniquius eſſe poteſt? in gente præſertim liberrima, ubi nec ad dignitates religionis diverſitas obſtare jure deberet, tanto minus ad pacem. Illas florem lactis, hanc ſerum ὁ μακαρίτης Parens meus vocare ſolebat. Quæ de bona mente nuper dixi, tantoperè Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ placuiſſe, gaudeo, non quòd ambitione, ſed ſtudio veræ gloriæ ducar. Senecæ nulla ratione comparandus ſum, niſi quòd fidei Chriſtianæ confeſſio me eo ſuperiorem divina gratia reddiderit. Hanc nemini invideo vel denego, *qui Chriſtum ut profeſſione oris, ita cultu & obſequio adorat. Idiota ille fortè legerat illud Senecæ: *Magno impendio temporum, magnâ alienarum aurium moleſtiâ laudatio hæc conſtat:* †*O hominem literatum! Simus hoc titulo ruſticiore contenti; O virum bonum!* epiſt. 88. uti è regione Auctor ille Graviſſimus, fidem, de qua jam jam dixi, ‡*ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſſe, nullâ neceſſitate ad fallendum cogi, nullo corrumpi præmio,* docet. Quò quid non tantùm auguſtius, ſed melius & humanæ ſocietati accommodatius dici poteſt? Ibidem nos à diſputationibus, imo omnibus aliis ſtudiis, ad vitæ officia revocat. Tanto monitori obedire me puto, dum argumenti Cometici occaſione tot utilia vitæ præcepta in meo opere cumulavi. Tantò verò promtius & juſtius id ago, quantò propiora ſunt ejuſmodi dura & acerba tempora, quæ Illuſtriſſima Dominatio Veſtra non tantùm mente providâ & præſagâ ex ſe ipſa augurat, ſed & ex certis indiciis & portentis, quorum ætas noſtra plena eſt, auguratur. Mitto quæ heri à Clariſſimo Grutero accepi: aliunde interea nihil. Res Polonicæ fluctuant, & ut in portu certæ quietis citra reſtitutionem æquitatis conſiſtant, & mala plura quibuſcum luctantur evadunt, non credo: ideò ut utrumque conjungant, ſaluberrimi con-

Fides in injuſtis rebus non danda, data ſemel ſervanda.

Fidem fallere, innocentes opprimere Chriſtianæ profeſſioni prorſus adverſatur.

Gloriam veram ſine ambitione quære

*Chriſtiani magna eſt: præſtantia: *ejus officium Chriſtum ore & obſequio adorare.*

†Bonus Vir literato potior.

‡Fides nec neceſſitati nec largitionibus cedit.

Morum præcepta tempore duro congerenda.

Aequitate reſtituta demùm pax in Polonia honeſta & fida reſtituetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſilii certus, ſuadeo & opto. Amici Hollandi in imprimendo opere meo feliciter pergunt. Si per belli injuriam liceret, mitterent mihi impreſſa & æri inciſa diligentiæ ſuæ ſpecimina. Fecerunt ſemel: ſed cum damno. Ita & literis deditos ac nihil magis quàm pacem amantes, bellum malignâ virtute attingere amat. Sed ferenda ſunt conſtanter, quæ induſtriè vitari nequeunt. Finire me propoſita jubet brevitas: qui quoad vivo, ſive longius, ſive propius, ſive juxtà poſitus, maneo

Feras non culpes, quod vitare non potes.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 74. ad 70.

Ratisbonâ Hamburgum die 22. *Octobris* 1665.

JUdicium Generoſitatis Veſtræ de rebus Polonicis convenit cum illis, quæ aliunde accepi. Tàm mira ſunt & varia quæ ibi geruntur, ut, quid judicare tandem debeam, ipſe anceps hæream. Deo hæc committenda ſunt, qui tandem ſtatuet, quod optimum, ut in omnibus ſolet: bonis in melius bonum, malis in correctionem, aut pœnam æternam. Amicum Generoſitatis Veſtræ Manheimenſem Dn. Viſſovatium ex unica epiſtola, tanquam ex ungue leonem, aut ex pollice gigantem cognoſcere mihi videor, virum ſcilicet conſummatæ eruditionis & magnæ experientiæ. Pacem inter Chriſtianos promoturi hi & illi feruntur. Gliſcere tamen paſſim ſub cinere doloſo ignes, & magnas inſtare mutationes vero ſimile eſt. Et quis credat, pacem ore ferentibus, qui factis ipſis & animo bellum præferunt. Sed hæc Deo curæ erunt. P. Curtius nuper etiam ultra morem curtim ſcripſit. Hæc ſcilicet. *Piget loqui ereptâ ad ſilentes Sereniſſimâ. Video quæ dehinc facies rerum. Remitto Hamburgica, & erit deinceps reſpondendi occaſio. Nam quæ me hactenus hebdomadatim diripuerant, à negotiatione Domini N. jam frigent. Quid Polonica? Sed ego ſilentum oblivíſcar, niſi & ipſe abrumpam.* Ad quæ paucis hiſce reſpondi: *Si ſilere velimus ereptis Proceribus, planè Pythagorici evademus. Nam & nuper Hiſpaniæ Rex obiit: plures fortè mutationes effecturus, quàm Sereniſſima illa, licet non dubitem multa Monachii quoque immutatum iri. Hamburgenſis amicus avidiſſimè reſponſum Veſtrum exſpectat, cujus maturationem, ſi fieri poſſit, etiam ejus cauſâ rogo.* Quibus ſubjeci, quæ nuper ad eum ſpectantia à Generoſitate Veſtra accepi. A qua plura exſpecto, & maneo conſtanter

Deus in omnibus actionibus ſuis juſtus eſt.

Pax Chriſtianorum dubia.

Amicus Laconica brevitate non ſemper placet, multo minus ſilentio Pythagorico.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 75. ad 74.

Hamburgo Ratisbonam die 31. *Octobris* 1665.

VErendum eſt, ne nunc demùm miram, vel potius diram faciem res Polonicæ induant, poſtquam ſecundùm quoquè tentata tot Primorum de pace concilianda opera, ſecundior Ravæ quàm Caliſſii non fuit. Scribitur enim non tantùm irrito eventu & infectis rebus, ſed & animis partium exacerbatis utrinquè diſceſſum eſſe. Quid aliud exſpectandum, quàm ut cives cum civibus infeſtis ſignis acrius concurrant? quo nil luctuoſius dari poteſt. At verò & Nobilitas comparet armata in caſtris. Utinam pacem Reipublicæ procuret! Sed ecce Vir quidam Illuſtris, patriæ alioquin amantiſſimus ſcribit: *hoc auxilium eſſe poſt bellum: Rempublicam inextricabilibus implicitam difficultatibus, ut ſi una & altera fuerit expedita, plures reſtent: nec eam ullâ vi & induſtriâ humanâ ſervari integram*

Bellum civile luctuoſiſſimum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tegram poſſe. Hæc quidem ille ſecretiorum quoquè peritus. Ego jam conſtitui ſilentio me involvere, & eventum operiri, niſi ſemel adhuc dicam apud Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, quod aliquando leget orbis, & ſera poſteritas, filum Ariadnæum, ad educendam è tot Labyrintheis plagis Rempublicam eſſe ejus in antiquum ſtatum, reſtitutâ omnibus æquâ libertate, & confirmatâ ſpeciatim illâ electionis (hæc enim duo tamdiu miſcent Rempublicam & ad exitium ducunt, verius trahunt) reductionem. Quod reliquum eſt, habent populares mei Speculum judiciorum divinorum Anno 1653. exhibitum, habent & Ultimam Admonitionem 1659. datam. Ibi bellum Moſcicum, Suecicum, aliaſquè divinas caſtigationes, & earum cauſſas, tum & ulteriorum effugiendarum rationes habent propoſitas. Tempus venit quo Sapiens tacebit, voce divinâ monente, intra ſpei & ſilentii fines poſitus. Ego magis patriæ, quàm injuriæ memor, vivo moriorquè. Utinam illa reliquum temporis viſitationis ſuæ cognoſcat! Dixi. Quæ à Clariſſimo Heinſio hodie accepi, ante decem dies ſcripta, officio in utrumquè Veſtrûm ritè fungi volens, è veſtigio mitto. En legem amicitiæ, quam ille mihi exemplo Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ fixit: *Illuſtriſſimo Rautenſteinio, ut me aſſiduus commendes, vide. Tunc quoquè, cum id abs Te non contendam, ne mihi neceſſe ſit, idem officium toties à Te flagitare.* Addit præterea ſe carmina ſua per imbecillam valetudinem deſcribere non potuiſſe. Apparet enim futura hæc eſſe longiora, ut nuper ipſe innuit. At à Curtio necdum vel curto reſponſo beatus ſum. Spero tamen brevi illud affore, poſtquam ei ſtimulum ingenioſum & acrem amicâ manu Illuſtriſſima Dominatio Veſtra admovit, quo nomine etiam gratias Eidem ago. Hoc quoquè Heinſius in ſua hodierna epiſtola judicium, quod petii, de nupera mea ad Curtium epiſtola addit: *In epiſtola ad Albertum Curtium tua multa ſubtiliter probabiliterquè diſputantur, quorum lectione ſum mirificè adfectus. Ea tamen omnia an ipſi Curtio ſis approbaturus, illud eſt, quod in dubium à me vocari videtur poſſe. Nam in Metaphyſicis Theologiciſque non eadem omnes, ut ſcis, ſentimus, & ſi ullibi vetus proverbium, hîc certè locum occupat, Quot homines, tot eſſe ſententias.* Hæc ille. Quibus ego nil niſi dulce nomen LIBERTATIS addo, jus ejus cuiquè integrum relinquens, & hoc ſcuto tutiſſimum me reddens. Deniquè narrat ſe etiam aliquid de novo Cometa inaudiviſſe, & promittit de eo certiora. Finio appetente hora octavâ veſpertinâ, futurus uſquequò vitam finiam

Poloniæ pacandæ & ſervandæ unica ratio eſt, antiquæ libertatis reſtitutio.

Poloniæ data tempeſtivè monita, & malorum effugiendorum media.

Silentium tempeſtivum perutile.

Officioſus in amicos eſto.

Libertate integra relicta cuiquè hîc ſatiſſiet, ut vitetur invidia.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni cultu & obſequio deditiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Dieteldorfi ad Ratisbonam die 28. Octobris 1665. *N. 76. ad 72.*

ITerum me hîc deprehendunt gratiſſimæ Veſtræ privata curantem, nec tamen publicarum curarum omninò vacuum, dum alii Ratiſbonæ feriantur. Cometicum opus & propoſitum ut Generoſitas Veſtra benè & ex animi tàm ſui, quàm mei ſententia cedat, exopto. Rei familiaris cura bonis, & præſertim Chriſtianis viris, meritò curæ eſt, potiſſimùm ſi liberos habeant alendos. Ego licet ex horum numero non ſim, recordor tamen officii ac rectæ rationis: tùm monitorum & exemplorum Politicorum: imprimis dictaminum Spiritus Sancti. Quantum verò etiam in hoc paſſim erretur & negligatur, cum Generoſitate Veſtra ſatis obſervo. Quomodo his aliiſque defectibus remedia commoda adhibeantur, non video, niſi ipſi, qui primi & potentiores ſunt, id faciant: qui plerumquè hæc minimùm curant. Ideò tantò majoris faciendi, qui hîc faciunt officium. Æquitatem & æquabilitatem civibus veſtris opto: quomodo eam promovere poſſim, non video. Ita enim turbata ibi ſunt omnia, & magis

Oeconomices ſtudium commendatum tibi habe.

Principibus inprimis cura familiarum competit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

magiſque in dies turbantur, ut ex oris tàm longinquis aquam affundere velle, id videri poſſet, Lunam manibus prehendere. Exſpectanda igitur erunt mitiora & opportuna magis tempora, videndumque, quorſum hæc tandem evadant? Nam res in criſi videntur, & brevi mutandæ. Me toto ferè anno Generoſitatem Veſtram excedere vix credideram, cum aliis omnibus me ſuperet. Sed mihi multam annorum partem eripuêre morbi, Aulæ, itinera & mille alia impedimenta, ut vix per tranſennam inſpicere licuerit adyta Sapientiæ, in quarum abditiſſima penetravit felix Generoſitatis Veſtræ induſtria, & par maximis quibuſque genius. Sed benè tandem hîc vixit, qui ita vivit ac vivere diſcit, ut æternùm benè vivat. Ego hîc poſt tetricas ruris & œconomiæ curas, amœniſſimus lectionibus longas veſperas fallo, *& totus in eo ſum, ut durabilem mihi hanc optati diu otii felicitatem faciam, & verè privatim, id eſt Deo mihique vivere queam, licet verear, ne me, quas prævideo, turbæ involvant, & iterum ad alia vocent. Sed hæc & omnia reliqua Deo commendanda, & utcunque evenerint, forti & modeſto pectore excipienda. Benè valeat.

Vita piorum verè vita.
Oeconomicæ curæ ſpiſſæ amœna lectione diſcutiendæ.
**Otium liberale virtuti amicum quære.*

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N. 77. ad 76.

Hamburgo Ratisbonam die 7. Novembris 1665.

INter prima & præcipua hominis Chriſtiani officia, quæ nobis in Senatu Philoſophico Cometes, cæleſtis Conſiliarii vice, in memoriam revocat, eſt illud de benè regendis familiis. Quod Oeconomices compendium, Politices fundamentum non immeritò dixero. Quem enim fugit familias benè conſtitutas bonas conſtituere Reſpublicas? Harum autem præcipuam curam & adminiſtrationem cum ſummus rerum moderator Magiſtratui commiſerit, quis familiarum curam ad eum pertinere non videat? Hîc quoquè, ut aliàs, imò ubiquè, Principes tàm bono exemplo multùm prodeſſe, quàm malo obeſſe multi ſolent, res eſt tot in utramque partem exemplis inexputabilibus & Sapientùm monitis teſtatior, quàm ut me ei deducendæ & comprobandæ immorari attineat. Sed cum *pauci hîc officium boni & Laudati Principis fungantur, tantò majori in pretio iſti habendi ſunt, Deus verò ardenter orandus eſt, ut reliquos, bono generis humani, in officii viam reducat. Egregium in hanc rem exemplum hodie in lectione Vitæ Ludovici Pii animadverti. Nam Auctor ille Anonymus, dum eum inter tot fortunæ variantis vices boni publici ſtudioſiſſimum fuiſſe docet, nec extremo vitæ tempore id officii neglexiſſe teſtatur: *Paſtoris*, inquit, *boni ſequens exemplum pro utilitate gregis ſibi commiſſi, non refugiebat etiam proprii corporis perpeti jacturam.* Sed & ille *Optimus Principum, magnis meritis cognomen Pii conſecutus, domi foriſque ſuos paſſus eſt manes, ut notum eſt. De æquitate & per eam pace in Polonia reſtituenda, ſatis ſuperque dixi. Si hîc nil præſtare auctoritas & induſtria Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ poteſt, neque ego id ab eadem fieri deſidero. Omnium oculis expoſita ſunt, quæ in Polonia præceſſerint vitia, quæquè ea ſecutæ ſint pœnæ. Exitus rerum præſtolandus, quàm optimus optandus eſt. Quæ de me ad me Illuſtriſſima Dominatio Veſtra ſcribit, affectus dictavit. Ego potius eximias dotes, cum omnibus probis, & ſingularem amicitiam Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ venerari debeo. Idque etiam omni conatu ago. Quicquid autem in me virium eſt, quod ſentio quàm ſit exiguum, publicis uſibus conſecro, non degener incola mundi. De opere meo nil audivi tribus adhinc hebdomadis per has turbas bellicas. Ecce quæ hodie à Clariſſimo Heinſio accepi, à quo Illuſtriſſima Dominatio Veſtra ſemper ex legis mihi præſcriptæ ratione, me quoque tacente, ſalveat.

Principis exemplum in bonam & malam partem plurimùm poteſt.
** Principes boni rari.*
Raræ caræ.
Princeps, paſtor populorum, bonum publicum, etiam cum jacturæ proprii corporis, curet.
** Bonus quoquè Princeps ſuos patitur manes.*
Invidiæ purus quemque ut par eſt, æſtima.
Publicis uſibus, quicquid Dominus Tibi credidit, conſecra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſalveat. Scribit autem ille Olaum Rudbeckium menſe præterito Cometam obſervaſſe, quem tamen credat eundem eſſe cum priori. Ego nihil certi aliunde de hoc accepi. Hic loci nil tale obſervatum eſt. Mitto Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ frontem operis mei, ut judicet pro ſuo candore, an ſit modeſta ſatis. Benè valeat.

Cometa m. Sept. in Suecia obſervatus.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 5. *Novembris* 1665.

N 78. *ad* 73. & 74.

QUæ de fide ſervanda ſcripſi, video cum ratione & plerorumque Sapientum ſententia convenire. Ideoque meam non muto. Gentilium prudentiam & monita ad honeſtatem aliaſquè virtutes nos accendere, & nos imitari eos poſſe cenſeo, idque eò felicius, quod Chriſtiani ſumus, quos pudor eſſe deberet ab ullo mortalium virtute vel fide vinci. Utinam hanc ſaltem unam & concordem haberemus, ſciſſi, proh dolor! in tot partes, ut vix ſimile quidpiam in tot gentilium antiquorum & hodiernorum ſectis inveniatur. Et hinc puto, tot mala in mores quoque influere, proindeque eò pronius in Lipſii de *una religione* ſententiam inclino, quem Virum uti à puero amavi, ita adhuc amo, & nos eum aliis populis ac ætatibus opponere, deque eo gloriari poſſe exiſtimo. Cometicum Generoſitatis Veſtræ opus, timeo ne turbis bellicis impediatur nimium, quas undique imminere magis magiſque auguror. Geſtio alioquin iſtud quamprimùm videre, non dubitans, quin multis mihi nominibus arriſurum & acceptum futurum ſit. Pro Gruterianis gratias ago, quæ pulcris & ſelectis verbis conſtant, quæ colligere & ſeligere hominibus otio abundantibus, in facili eſt: præſertim cùm rarius tales epiſtolas ſcribant. At nos uno ſæpè die relationibus & literis noſtris tot chartas implere cogimur, quot illorum multi anno vix inſumunt. Sed gaudeant illi ſuo otio læti: nos negotio. Vivamus omnes quieti, quiſque conditioni ſuæ acquieſcat, remotâ invidiâ. Sed ita comparatæ ſunt res mortalium, ut unuſquiſque ferè putet, ſortem ſuam deteriorem eſſe, vicinumquè pecus grandius uber habere: niſi ſi quos melior Philoſophia edocuit ſorte ſuâ contentos eſſe, & id tantùm, quod Deus vult, velle. Cæterum opto, ut Doctiſſimus Gruterus aliquid ſolidi ad illud opus conferat. His Generoſitatem Veſtram benè valere cupio.

Fidem ſerva. Virtutem ubique cole.

Una fides & religio optanda.

Error parit vitium.

Contentus ſorte quiſque vivat

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 14. *Novembris* 1665.

N. 79. *ad* 78.

QUod de fide ſacroſanctè ſervanda ex mente ſobriæ Philoſophiæ generatim Illuſtriſſima Dominatio Veſtra docuit, hoc ſpeciatim exemplo quoque ſuo, ut aliàs, ita & in colenda amicitia, firmat. *Fides una & concordia in Sacris meritò omnibus optanda, vi tamen cogenda & imperanda non eſt. Quo in argumento Lipſius, quem & ego à teneris magni facio, multis non ſatiſfacit, ut notum eſt. Modeſta nempe libertas nemini neganda eſt: nec ulli eripienda, præſertim publicè admiſſa & ſancita. Videmus autem & inter eos, qui unam fidem tenent & profitentur, tàm bellis exitialibus, quam ſpurciſſimis omnis generis vitiis non raro certari. Non tam enim benè cum rebus mortalium

Fidem ſerva, in colenda quoque amicitia.

**Religio una optanda, diverſa toleranda.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Multitudinem cave. *Libertatis abuſus ſectas peperit malas, uſus bonas.* *Veritati concordiam & tolerantiam junge.* *Tolerantiæ fundamenta.* *Chriſtianorum appellationem moribus tueamur.*

lium comparatum eſt, ut vel optima pluribus placeant (quod jam olim melior Philoſophia vidit, doluit, queſta eſt) vel illa homines perpetuo, & vel diu, retineant. Hæc humani ingenii imbecillitas conceſſâ libertate abuſa, perplures perverſas ſectas in ſacris & profanis ſemper peperit. Cæterùm Deus, quò ſacram & civilem pacem & concordiam ac pietatis ſtudium omnibus inſpiret, dies noctesquè orandus nobis eſt. Meminerimus interim *Veritatem & Pacem*, *Concordiam & Pacem* voce divinâ nobis præcipi. Homines ſumus: alii aliorum operâ & benevolentiâ indigentes: iiſque unius Chriſti & Servatoris pretioſo ſanguine redemti, ſæpè ejuſdem patriæ, legis vel multiplicis neceſſitudinis nexu devincti. Id nobis, ſi vel nullus in cælo Cometes, nullum ſignum conſpiciatur, vel ſolum auguſtum Chriſtianorum, ut dignitatis, ita & officii, nomen, quo gaudemus omnes, in memoriam revocat. Revocat autem, ut omne Patris noſtri cæleſtis, quem quotidie invocamus, opus mentis vel corporis oculis ſubjectum, ita & Cometa, tantò magis, quòd non tam frequens videatur, & memorabilibus eventibus in utramque partem illuſtretur. Sed ecce Clariſſimum Rudbeckium, referente Nobiliſſimo & Humaniſſimo noſtro Heinſio, novi Cometæ menſe Sept. ſæpius obſervati, & nunc quoquè in *Andromeda* apparentis, præconem. Nos aliis diſtractos, nec ſignis cæleſtibus invigilantes in contraria fuiſſe ſententia, nemini mirum erit. At Curtios, Schottos, (id enim iſtius quoquè literæ die 31. Octobris Gregor. datæ, nudius autem tertius mihi redditæ teſtantur) Buſmannos, cujus etiam nuperrimæ literæ die 31. Octobris Juliani idem ajunt, alioſquè excellentes Mathematicos contrariam fovere opinionem, & à nobis de hoc phœnomeno monitos conſtanter id negare: hoc verò eſt, quod plurium mentes diſtrahet & ſuſpenſas tenebit. Clariſſimus Bullialdus in ſuis die 6. hujus menſis ſcriptis jamjam mihi redditis, nullam hujus rei facit mentionem. Videndum eſt, quid ad hæc Ampliſſimus Hevelius dicturus ſit: ſed & alii ad quos iſta Heinſiana, quæ hodie accepi, perſcribam. In impreſſione operis mei Amici Hollandi ſtrenuè pergunt. Hoc Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ acceptum forè, ejuſdem benevolentia & æquitas, non ulla operis mei dignitas efficiet. Nam Illuſtriſſima Dominatio Veſtra juxtà ac Humaniſſimus Heinſius nugas meas vult eſſe aliquid, ut quidam veterum, præſtantes alioqui Viri, de ſuis operibus dicere non erubuerunt. Gruterianum reſponſum ad meas binas exſpecto. Ita eſt, plus illis liberalis ſuppetere otii, ad benè comtas epiſtolas exarandas, quàm nobis, quos tot negotia circumſtant, & premunt. Sed prudenter Illuſtriſſima Dominatio Veſtra monet, *quemque faceſſere juſſâ omni invidiâ, ſorte ſuâ contentum eſſe debere. Memini me puerum ante annos xxx. verſiculum illum diſcere, quem Illuſtriſſima D. Veſtra indicat:

Cometa novus m. Sept. in Suecia viſus à Rudbeckio prædicatur: contradicentibus aliis Mathematicis. *Artis cujuſquè peritos conſule.* *Amici honeſtis conatibus fave.* *Modeſtiam dum laudaris ſerva.* *Officium fac in quovis vitæ genere.* *Invidiam fuge.* **Contentus ſorte vive.*

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris
Vicinumquè pecus grandius uber habet.

Sed finire me hora ingruens & propoſita brevitas jubet: nec plus quàm ſolemne illud *Vale* addere permittit.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & obſequio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 79. ad 75.

Ratisbonâ Hamburgum die 9. Novembris 1665.

Miſeria proximi commovcare. *Deo te ubiquè ſubmitte.*

TRiſtis mihi iſte nuncius eſt de rebus Polonicis, etiam eorummet judicio, qui ipſis præſunt, ita confuſis, ut ferè deſperatæ videantur ac conclamatæ. Committenda ſunt hæc divino arbitrio, & exſpectandum patientèr, quid porrò illud

illud decreturum ſit circa pœnas mortalium, quas ultimis hiſce temporibus, uti hi pejores fiunt, ita magis magiſque appropinquare, & tantùm non imminere gladium verticibus videmus. Nos antiquum noſtrum obtineamus, & conſtantiâ ac patientiâ armati ſecurè dicamus: Fiat voluntas Tua. Speculum illud judiciorum divinorum Anno 1653. exhibitum, itemque ultimam Admonitionem 1659. quorum meminit Generoſitas Veſtra non vidi, quod ſciam. Dolerem autem ſi illa, ut minatur, ſilentio ſe planè involvere, & nihil ampliùs, ſaltem ad me, de rebus illis ſcribere velit, quarum tamen ulteriorem curſum atque eventum ſcire aveo, cenſeoque nunc, ſi unquam, tempus & materiam ſcribendi, & quæ hîc & illîc contingent, narrandi adfore. Quod ad religionem ac pietatem attinet, candidè eam toties expoſui. Novit Generoſitas Veſtra quanto & quàm puro affectu deſiderem, ut omnes in unitatem fidei collecti, unum Paſtorem agnoſcant & unum ovile fiant. Id cum nobis impetrare propter hominum perverſitatem & perditionem, quæ ex ipſis eſt, non liceat, contenti ſimus rectâ voluntate, & Deo hanc rem commendemus, ad pacem potius, quam ad ulteriores ſciſſuras & ruinas inclinati. Væ enim illis jam olim à Chriſto Domino dictum, à quibus ſcandala proficiſcuntur. Talia quoque Generoſitati Veſtræ operi ſuo Cometico, ex lege officiorum, quorum nos Cometæ commonent, inſerere, liberum eſto: quamvis quod ad mea attinet, ſcio ea publica luce non eſſe digna, utpote extemporanea & inter mille alias curas ac diſtractiones, ita, ut occaſione Veſtrorum in mentem venire ſolent, amanuenſi dictata, raò lecta relectave, quibus in evulgandis ideò Generoſitas Veſtra pro ſua prudentia & in me affectu debitum delectum adhibebit. Mihi ut id faciam ſeu plura annotem, tempus, nunc præſertim, deeſt, increſcentibus in dies laboribus & occupationibus jugiter me diſtrahentibus. Quamobrem non miretur etiam Generoſitas Veſtra impoſterum, ſi ſubinde literas meas contraham, ſatiſfacturus tamen ſemper officio, utcunque & quantumcunque potero. Clariſſimum Dominum Heinſium convaleſcere, & mei memoriam tàm amicè conſervare gaudeo, idemque quod ille Generoſitatem Veſtram rogo, ut ſcilicet aſſiduè ipſi me commendare pergat. Carmen ipſius in honorem Generoſitatis Veſtræ meditatum lubens videbo: ut & alia, ſi quæ fortè edidit, aut parata habet carmina, ad quæ genium ipſius jure velut hæreditario proclivem & factum ſcimus. Parens enim quantus Poëta fuerit, conſtat. Si quid à P. Curtio accepero, aut extundere tandem potero, id ſtatim tranſmittam. Clariſſimi Bartholini epiſtolam ecce remitto. Doctiſſimam illam & velut ex ungue leonem oſtendentem. Conſilium ipſius Medicum de Cometis non vidi. Videbo tamen an illud hîc locorum invenire poſſim. Puto doctiſſimum illud par Fratrum plura alia ediſſe in lucem. Quorum catalogum ſi beneficio Generoſitatis Veſtræ conſequi potero, gratum id mihi erit. Non quòd talibus vacare nunc mihi liceat, ſed ut in ſeceſſu illo, quem meditor, Bibliothecam meam iiſdem exornare & mentem paſcere per majus otium queam, quod ſpero, omnino & ambio, eodemque indigeo, ſi vitam producere velim. Interea maneo, ut ſemper

Præmone piis vocibus patriam & alios ab impendentibus periculis.

Deus non eſt auctor mali. Pacem ſectare.

Scandalum nec da, nec accipe.

Officii cuique commendandi ſemper memor eſto.

Bibliothecæ cura Virum illuſtrem decet.

Otium liberale quære.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 18. Octobris 1665. *N. 80. ad 79.*

SCio fideli ſilentio nil eſſe tutius: ſed & intempeſtivum nunquam laudi, ſæpè damno eſſe. Scio quid patriæ, quidque ejuſmodi Amico, qualis Illuſtriſſima Dominatio Veſtra eſt, debeam. Abundè hîc officio pietatis & amicitiæ

A 2 functus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

functus ſum. Impellente enim conſcientiâ, patriam (quæ cuique bono cariſſima ſit oportet) ab ingruentibus periculis & malis maximis, vocibus modeſtæ libertati convenientibus præmonui. Si erro, libenter erro, tutiora & meliora, de quo nullus dubito, ſuadens, licet fortè feliciora eveniunt, quæ cum votis meis & pietate congruunt. Ab eventu non ſemper res æſtimandas, ut nec ex opinione communi, ſed potius ex juſtitia & veritate, jam olim ſobria Philoſophia docuit, fida virtutis magiſta. Demoſthenes, Græcæ eloquentiæ parens, interrogatus quot ad reſtituendam & conſervandam orationis præſtantiam eſſent neceſſaria? reſpondit tria: primum actionem: ſecundum actionem: tertium actionem. Antiquorum Eccleſiæ Doctorum ingenioſiſſimus Auguſtinus, humilitatem in choro virtutum tenere primas, ſecundas & tertias dixit. Imperator verò quidam belli clariſſimus, Principi ad bellum feliciter gerendum tria requiri affirmavit: primò pecuniam: ſecundò pecuniam: tertiò pecuniam. Me ſi quis roget, quot ſint ad reſtituendam & conſervandam Poloniam neceſſaria? reſpondebo itidem tria: primum æquitatem: ſecundum æquitatem: tertium æquitatem. Imò ſi vel centum vel mille requiri dicerem, nil aliud quàm æquitatem dicerem. Tantum tribuo illi virtuti: quam & vox divina, & recta civilis diſciplina omnium maximè commendat, & quæ cæli terræque favorem ſibi conciliat. Hujus ſi, poſt tot alia monita, Cometas nuperos Poloniam ſpeciatim admonuiſſe dixero, non tantùm verum, ſed totum dixero. Hæc eſt nux exigua, cui cujuſque Homeri (Practicæ Philoſophiæ Magiſtros intelligo) Iliada includo. Hoc ſi admitteret Polonia, non ſe per eam Ilias malorum, & mare calamitatum diffunderet. Sed quò me abripit impetus, provocante hinc pietate, illinc amicitiâ? Ita nempe, ſicut aliquando Apoſtolus, Cometa ſemper monuit, facimus officium τῷ κυρίῳ, vel, ut alii legunt, καιρῷ δουλεύοντες (Domino vel tempori ſervientes) quod & Phocylideum καιρῷ λατρεύειν (tempori ſervi) nobis inculcat. Sequar itaque temporis, ſequar votorum tanti Amici ductum. In fide conſtantiam omnem meritò laudo. Sed & hîc æquitas locum habet, ne propter illam hanc violemus, alii alios damnando, tanto minus atrociter perſequendo. Atqui potius concordiæ, tolerantiæ, charitatis, univerſæque adeò pietatis ſtudium omnes in univerſum colere deberemus. Hoc ſi fieret, nec querelis, nec indignationi, nec invidiæ, nec turbis locus eſſet ullus, nec captanda forent læva ex Cometis omina, nec terrore inſtantium pœnarum corda concutienda. Ita videt Illuſtriſſima Dominatio Veſtra quam irrequieto conatu Theatrum Cometicum ſtruam, & irretorto oculo ſpeculum officiorum in eo propoſitum ſpectem libenter, & cum cura intuear. Elucebunt ibi & illa Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ, de quibus Illa tam modeſtè loquitur. Habent iſta genium, ideò victura ſunt, & ferent ætatem, ferent & debitam laudis mercedem. Officio ſalutationis & teſtandæ benevolentiæ fovendæque amicitiæ ab Illuſtriſſima Dominatione Veſtra mihi impoſito, erga Nobiliſſimum Heinſium heri ſatiſſeci. Satiſſaciam & illi erga Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram in conſignandis Clariſſimorum Bartholinorum egregiis ingenii monumentis. Commentarium Eraſmii natu minoris de Cometis jure Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ meritoque commendo. Optimè namque mecum de ſignificatione Cometarum convenit. Adhæc immiſcuit & ille Mathematicis Politica quædam, Hiſtorica, Ethica. Planè ad amuſſim veritatis meique inſtituti. Otium illud liberale & literarium in receſſu Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ magis magiſque opto: tum valetudinis, tum tranquillitatis animi, tum denique publicæ utilitatis & poſteritatis cauſſâ: quò & hæc, ſed & præſens ætas fruatur læta

Inventum quodcunquè Tuo Chryſippe receſſu.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ratisbonâ Hamburgum die 19. *Novembris* 1665. *N*82. *ad* 77.&78.

UTraque Generoſitatis Veſtræ epiſtola 7. & 11. Novembris ſcripta, longè mihi gratiſſima eſt, & non pauca continet, quæ Operi Veſtro cum fructu inſeri poterunt. Quod uti nuper verebar, ita etiam adhuc timeo, ne bellicis turbis impediatur, & ſimul Generoſitati Veſtræ moleſtias cum damno faceſſat. Quidquid ſit, præſtemus nos porrò viros, de publico deque poſteritate, quantum in nobis, pro ſuo quiſque ſtatu mereri conemur. In fronte operis Veſtri, nihil quod moneam, invenio. Opto potius ut ipſum brevi conſpicere, & Generoſitati inprimis Veſtræ multum inde commodi atque fructus capere liceat. Res Polonicæ in eo nunc ſtatu poſitæ videntur, ut brevi earum felicem aut infelicem exitum fortè viſuri ſimus. Ego à Generoſitate Veſtra imprimis ulteriorem earum ſucceſſum cognoſcere aveo, dum alii ferè ſilent. Quæ de cætero Generoſitas Veſtra prudentiſſimè philoſophatur de ſtudiis pacis, de patientia & recti conſcia mente, deque improborum pœnis, ea omninò approbo & ambabus manibus amplector. Benè valeat.

Bonum publicum cura.
Poſteritatis rationem habe.
Silentium amicitiæ ingratum.
Philoſophia Practica probis placet.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 28. *Novembris* 1665. *N*83. *ad* 82.

MIhi pariter longè gratiſſimæ ſunt Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ literæ, quas revera ut laborum meorum, qui quandoquè acerbâ moleſtiâ non carent, condimentum reputo. Quod meæ Eidem placeant, benevolentia ejus erga me & æquitas facit. Quod autem illa quæ ad virtutem commendandam faciunt, iſtius ipſius amor. Omninò verò nobis & cuique honeſto & cordato viro officium commendandæ virtutis & promovendæ publicæ utilitatis incumbit. Quod nemo niſi ignavus & extremè improbus ſponte negligit. Frontem operis Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ placere mihi gratulor. Fateor autem me in editione tam vaſti operis ſentire incommoda belli. Merito itaque in illud ubique invehor, tanquam in rem naturæ, & ſocietati humanæ maximè repugnantem, eique bellum indicentem. Dabo tamen operam ſedulò, ut contra tot impedimenta perficiam deſtinata bono publico. De amico Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ voto toties repetito gratias ago debitas, pariterque ut Eidem cuncta ex animi ſententia procedant, ex animo precor. De rebus Polonicis poſt tot ſuperiora aliquid nunc dicendum eſt, quod jure ſuo Illuſtriſſima Dominatio Veſtra à me exigit. Confirmatur nuncius de pace, die 9. hujus menſis aliquot Thorunio milliaribus conventa. Sed exſpectandum eſt, quid Reſpublica ad hæc omnia, & alia dictura ſit in Conventibus Provincialibus, tùm in illo Comitiorum Generali, qui ne ſit armatus, & turbarum plenus, meritò vereor. Non enim Æquitatis illius immemor ſum, vel unquam ero. Scio me ex veritate & fide loqui. Eventum rerum Deo committo, cujus arcanas ſanctiones & rerum ordinationes, quis aſſequi mortalium poteſt? * Non dubito multa fieri permiſſione, neque tamen voluntate divina. Videmus quoquè Deum multa concedere & dare, † ut peccatis deditos ad pœnitentiam invitet, & obſequium eorum experiatur. Quot autem flagella in promtu habet, quæ, ubi vult, expedit! Et ego quidem malè non ominor. ‡ Opinor tamen & ſtatuo, & firmiter teneo, honeſtam & fidam pacem ſine æquitate iniri non poſſe. Quod ſi autem pax exoptata in Polonia tantos motus ſequatur, eamque Reipublicæ auctoritas in theatro Comitiali conſpicua exſequatur, & ratam eſſe velit,

Virtutem ſemper & ubique dictis & factis commenda.
Publicam utilitatem promove ſedulò.
Impedimenta honeſtis cœptis oppoſita ſtrenuè ſupera.
Pax concluſa in Polonia.
Finem actionum humanarum ſpecta.
Arcana divinorum decretorum non rimanda.
**Deus multa fieri permittit, etſi ea fieri nolit.*
† peccatores beneficiis ſuis ad pœnitentiam invitat.
‡ Pacis decus & ſtabilimentum æquitas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometas nuperos trina pax excepit.

velit, erit hæc pax à Lunæburgica, & Rhenana tertia, à viſis Cometis concluſa. Erit hoc ſimul egregium documentum in Theatro Cometico exhibendum, non tantùm bella, ſed & pacem Cometis præſignificari. Quid ſi & Hollandica brevi illas excipiat? Facilè id Deus pacis præſtare poteſt. Et utinam præſtet ibi & ubiquè, generis humani bono. Benè valeat.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 83.
ad 79.

Ratisbonâ Hamburgum die 23. Novembris 1665.

Religio una optanda, ſed diverſa toleranda.

DE fide vellem nos & omnes Chriſtianos unum ſentire, quia hæc una eſt, ut unus baptiſmus, unus Deus, & unus omnium Servator, dicente ipſâ veritate per os Apoſtoli ſui. Sed cum id fieri nequeat, alter alterum tolerare nos debemus, & ex conſilio ejuſdem Servatoris noſtri ſinere, ut omnia ſimul creſcant uſque ad meſſem, uti ex nupero Euangelio recordor. De novo Cometa nihil etiam audivi amplius, nec quidquam à P. Curtio accepi, quem in dies magis magiſque labaſcere & marceſcere ingraveſcente ætate video. Illum Spinæ tractatum, cujus meminerunt doctiſſimæ Bullialdianæ, eædemque prudentiſſimæ, ut videre poſſit Generoſitas Veſtra, mihique de eo & ſimilibus judicium ſuum perſcribere, opto. Inprimis verò & multò magis, ut id ipſum de Politicis & Sublunaribus rebus facere pergat. Nam quæ de rebus Polonicis aliiſque nunc ad me candidè & pro jure amicitiæ noſtræ ſcripſit, omninò perplacent, nec pudere eorum poſſet eos, qui in luce verſantur, & res dirigunt. Ego rerum, quæ in orbe Chriſtiano non ſine magnis motibus geruntur, exitum, libens videbo, quarum circulus tam implexus eſt, & contortus variè, ut inſtar Labyrinthi Ariadnes filo opus habere videatur. Nam ſi Gordium dicamus nodum, ubi Alexandrum nunc inveniemus, qui illam ſolvat? Generoſitas Veſtra multos mihi nodos & dubia ſolvere poterit, utpote ibi nunc locorum poſita, & tot hinc inde informationibus inſtructa. Quâ re nihil certè gratius mihi præſtare poterit, conaborque id omni occaſione & ſtudio demereri. Opus Veſtrum utinam Bellona non impediat, nec vobis nimis noceat! Heinſium Bullialdumquè ſemper à me ſalvere cupio, niſi & grave nimis eſt Generoſitati Veſtræ. Quam cum ſuis benè valere cupio.

Candor invenit ſui amantes.

Chriſtianæ reſpublicæ intricatæ.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 84.
ad 83.

Hamburgo Ratisbonam die 2. Decembris 1665.

Religio una optanda, ſed diverſæ toleranda.

EAdem planè Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ mens, quæ mihi eſt, quam antea explicui, unam ſcilicet religionem, quæ initio ab Apoſtolis facto Catholicæ veritatis privilegio pleno & non interrupto gaudet, omnibus optandam, interim diverſas tolerandas eſſe. Nec dubito in eadem nobiſcum ſententia omnes æquitatis amantes eſſe. Hoc enim Deus, natura, ratio, antiquitas, & publica tranquillitas exigit. Hoc pluribus probare, foret Soli facem accendere. Multùm profectò præſtaremus, ſi hoc, tanquam præcipuum Viri Chriſtiani officium, charitatis & pacis ſtudium, tantoperè in Sacris Literis commendatum & inculcatum, occaſione Cometarum officia noſtra in mentem nobis revocantium, perſuaderemus. Inter hæc, votis & piis preci-

Clara non egent probatione.

Virtutem ſemper commendo.

bus,

bus, non odiis & armis impiis certemus. Nuncius de novo Cometa ex Suecia nuper allatus ſilet. Ex eo namque nil literarum à Clariſſimo Heinſio accepi. Sed nec aliunde, hujus quidem argumenti. Quanquam fateor pleroſque Amicos meos, etiam qui ſe diligentiâ in ſcribendo vinci non ſinunt, magis quatuordecim adhinc diebus ita ſilentio indulſiſſe, quaſi hyberna cum militibus (quæ tamen multi etiamnum negligunt & caſtrenſem ignem domeſtico præferunt) petant, quieti indulturi. At enim frequenter accidit, ut diligentium quoquè officia, illis invitis, inſuperabilia impedimenta intervertant. Ac proinde ſilentium eorum, niſi ſit obſtinatum, excuſandum, & in bonam partem accipiendum eſt. Spinæ illius Scriptum libenter & ipſe viderem. Scimus enim & inter ſpinas naſci roſas. Spinas tamen potius quàm amœnos & lætos flores colligere, importunè curioſorum & diſceptationes aculeatas amantium eſt. Ille tamen Spina, quod ſeriò dico, roſas non lapides loquitur, dum omnibus Sectis everſionem anno imminente denunciat. Utinam his corruentibus Veritas & Pietas primæva reſurgat! Sedulò inquiram in hunc librum, &, ſi mihi eum videre contigerit, judicium meum de eo Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ dicam. Quæ quod illud tanti faciat, ſolita facit benevolentia, quam cum fructu teſtamur, cum laudata virtus, ut ille ait, creſcit. Judicii quidem ſinceritatem nunquam Illuſtriſſima Dominatio Veſtra in me deſiderabit. Ita omninò eſt, Reſpublicas Chriſtianas variis difficultatibus & periculis inexplicabilibus involutas eſſe. Ergo quod nonnemo de Logica, manu Philoſophiæ, dixit:

Belli appetentes commodis incommoda præponunt.

Ardua quæ pulchra.

Difficultate non carent egregiæ res.

Sectæ ruant! Veritas reſurgat!

Laudes ab alio tibi tributæ ſtimulo ſint ad virtutem.

Filo Ariadnæo niſi te Dialectica ducat,
E Labyrintheis non potes ire plagis.

id ego hic de Æquitate, quam deperit genius meus publicis uſibus indulgens, dixero. Tantò magis cum de rebus Polonicis, exigente id officii à me Illuſtriſſima Dominatione Veſtra judicandum mihi eſt. Ecce enim jam pax illa induciæ vocatur, imò in dubium vocatur. Sed plura de his adjuncta dicent. Hyemales nives non extinguunt, ſed tegunt Martios furores, illis diffugientibus, cum primâ hirundine reſurrecturos. Quid enim aliud volunt armorum præſidia, quæ hic & illic conciliantur? Sed abſit omen ſiniſtrum! Deus illud prohibeat, & pacis ſtudia efficaciter, commendatâ æquitate, omnibus indat, præſertim qui ad clavum Rerumpublicarum ſedent. Nodus alioqui Gordius gladio Alexandri dividendus erit, niſi illa ſtricta & complexa iniquitatis vincula ſolvantur. Inveniet Deus fortes Alexandros, quorum, utpote ad præſtanda ſevera miniſteria promtorum, operâ, & gladio juſtitiæ in manus tradito, ad exſequenda ſua deſtinata & pro meritis vindicanda ſcelera utetur. Hæc & alia ejuſdem generis operi meo inſerenda, ſolida & ſalutaria (quod ſolidè ſcio) ſi boni & æqui conſulere voluerint qui res dirigunt, præclarè quidem de Republica merebor, & maximum operæ pretium faciam. In opere meo promovendo diligenter pergunt Amici. Cujus mora non exiguæ moli, & temporum turbulentorum conditioni erit condonanda: ſimul autem gratâ varietate & ſolidâ utilitate penſanda. Nullam enim *artem* ex lege veteri admitto, niſi quæ ſit Reipublicæ utilis, & memor vivo dicti & moniti Domitii Piſonis: * *Non libros ſed theſauros* eſſe *ſcriptoribus componendos.* Clariſſimo Heinſio heri nomine Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ ſalutem miſi: Bullialdo ante quatriduum. Imò verò hoc jure à Vobis dato, velut in medio poſitus, in vos utor, nec me unquam onus iſtud gravabit. Benè vale

Bella plerumque hyeme deponuntur, ineunte vere reſumuntur.

Dura duris franguntur.

Juſtitia divina malos per malos, ut inſtrumenta vindictæ, punit.

Ars nulla admittenda niſi Reipublicæ ſit utilis.

* *Utilia & jucunda ſcribenda.*

Scriptoribus obſervanda regula.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ.

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 84.
ad 80.

Ratisbonâ Hamburgum die 26. Novembris 1665.

Feras non culpes, quod mutare non potes.
Æquitas & æqualitas rariſſima, licet omnibus conveniat.

BEnè facit Generoſitas Veſtra quòd boni Viri, civis & amici officio ſtrenuè defungatur. Cum autem ea quæ volumus, obtinere non poſſumus, ferendum quod non eſt mutandum. Æquitatem & æquabilitatem in omni Republica quærendam cenſeo, ſed vix inveniri poſſe puto. Ecquis enim major minorem hodie non premit? quod & in beſtiis videmus. Et licet has ut ratione, ita & reliquis ſuperare deberemus, videmus tamen quid homo ſit, & quid audeat? In Opere Veſtro hæc talia locum habebunt, utinam effectum in orbe! Quem tantò minus ſpero, quantò nos propinquiores ultimæ perverſi mundi ſentinæ video: ac, ſi talia vitare velimus, non ſolùm ultra Sauromatas & glacialem Oceanum, ſed extra orbem hunc in illum alterum æternum evolandum cenſeo. In quo qui animo jam habitat, dum corpore in hac miſeriarum valle detinetur, felix eſt, prudens & beatus. Hac ſola ratione in medio mundo velut extra mundum vivitur. Neſcio an Generoſitas Veſtra viderit Saleſii introductionem ad vitam devotam, & alia Gallicè ſcripta & omninò commendanda. In his & ſimilibus talia inveniet, ut & methodum Philoſophiam hanc ad praxin redigendi. Si quæ ex meis publico digna cenſet, repeto facultatem ſæpius datam ac renovo, nec dubito Generoſitatem Veſtram ita proceſſuram, ut prudentiam ſuam & modeſtiam meam decet, nec non genium ſeculi præſentis, quo virtus & juſtitia ac fides ſæpè periclitatur, mundo magis magiſque ad occaſum tendente. Si hæc quæ mitto ad me nuper ſcripta de rebus Polonicis, vera forent, actum foret de nobiliſſima illa Republica. Cui ego licet cunctà felicia precor, attamen valdè metuo, magnis & multis difficultatibus implicitæ. Quid tamen ad eam ſervandam vel reſtituendam conferre præter ſincera vota poſſim, nil ferè apud me invenio. Exſpecto à Generoſitate Veſtra meliorem de rebus Veſtris nuncium cum tædio, quamvis non adhibeam illi peſſimo fidem, gnarus quàm multa ſæpè adjiciantur ejuſmodi rumoribus, qui creſcunt, ut delapſæ ex altis montium jugis aquæ ex nivibus reſolutis collectæ. Ego per omnem ſortem conſtanter maneo

Terrena ſperne. Cæleſtia ama. Mundi tranſfuga eſto.

Prudentia in conſilium adhibenda. Modeſtiæ alienæ conſule. Tempori ſervi.

Rumoribus cautè fidem adhibe.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 85.
ad 84.

Hamburgo Ratisbonam die 5. Decembris 1665.

Laudem debitam cuique tribue, nemini invide.

Æquitas tandem triumphabit.

Viribus non ſapientia certare belluinum eſt.

NUllus dubito, probiorum æquitatem, vel invitâ invidiâ, teſtimonium mihi daturam, me in toto opere meo, pro virili, officium boni Viri facere. Hanc laudem, ſine qua nullus honeſtus Vir vivere poteſt, cuique opto, &, qui eam meretur, tribuo. Et libentiſſimè quidem ac gratanter. Tantum abeſt, ut eam cuipiam invideam. Quantum ad æquitatem, erit, credo, tempus, quo illa victoriam conſequetur, & non oblita ſui cognatæque modeſtiæ, lætum aget triumphum. Quantum dedecus humanæ eique Chriſtianæ genti, ritu belluarum, viribus, non juſtitiâ, æquitate, clementiâ, verbo, Sapientiâ, certare! Longè aliud profectò docet nos recta ratio, quam à Deo immortali, Sapientiſſimo, Optimo, Maximo accepimus. Verè & pulchrè Phocylides:

Ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε θεὸς φύσιν ἠερόφοιτον
Ὄρνισι μὲν πολλὴν ταχυτῆτ', ἀλκὼ τε λέουσι,
Ταύροις δ' αὐτοχύτοις κεράεσσιν, κέντρα μελίσσαις

Ἔμφυτον

Ἔμφυτον ἄλκαρ ἔδωκε λόγος δ' ἔρυμ' ἀνθρώποισι.
Τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἄριστος.

(Arma unicuique tribuit Deus naturam aëriam,
Avibus quidem magnam celeritatem, & robur leonibus,
Taurisque ſpontè fuſa cornua, & aculeos apibus
Innatum dedit tutamen: at ſermo propugnaculum eſt hominibus.
Sed divinitus inſpiratæ ſapientiæ ſermo eſt optimus.)

Certiora de his docet lacteo delibutus eloquio Lactantius: *Cæteris animalibus, quibus Sapientia data non eſt, munita indumentis naturalibus & armata ſunt. Homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem dedit ſolam. Munimenta & ornamenta ejus non foris; ſed intus, non in corpore, ſed in corde conſtituit,* l. 7. c. 4. Malè profectò cum rebus humanis comparatum eſt, quod adeò multi exuant ſapientiam, datum ſibi, nudis natis, unicum à Deo indumentum & munimentum, induant verò feritatem, naturæ & præſtantiæ ſuæ maximè contrariam. Hæc enim ſola imbecilliores premere docet, & in ſubjectos, Regi & Legi ſe ſubmittentes ſævire. Id verò ſupra feritatem eſt. Nam, ut ille ait:

Sapientiâ animum indue.
Imbecillioribus parce.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni:
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet.
At lupus & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Ovid. 3. Triſt. el. 5.

Agat itaque pro lubitu, furat & graſſetur iniquitas. Inclinabunt momento res aliorſum, & meliores ſuccedent vices. *Anne* enim *ſemper*, ut nonnemo dixit, *inter latrones pendebit Chriſtus? & nunquam reſurget crucifixa veritas?* Minimè verò. Reddent mox rationem factorum, qui ita luxuriant, laſciviunt, ferociunt & copiâ cæleſtium donorum ſuperbè & inſolenter magis magiſque efferantur. *Stabunt olim judicandi, qui nunc ſedent judices.* Sed & ante obitum ſupremaque funera meritam referent pœnam, ni, quod opto, reſipuerint. Non enim quieſcet juſta Dei vindicta, uſque dum eos aſſequatur, comprehendat, caſtiget, licet ſat diu patienter juſtitiæ & pietatis reſtitutionem exſpectet. Evigilabit iſta, nec tardabit, moramque benignam gravitate ſupplicii, cujus rei fidem & Ethnici fecerunt, penſabit. Omninò prudens & beatus dicendus, qui mortalia temnit, cor in cælo, & cælum in corde gerit. Eleganter, ut ſolet, idem ille Lactantius: *Quiſquis aut Deum colendum eſſe intelligit, aut immortalitatis ſpem ſibi propoſitam habet, mens ejus in cælo eſt: & licet id non aſpiciat oculis, animæ tamen lumine aſpicit.* l. 3. c. 27. Hujus in mente ſemper ſerenum eſt, & lux perpetua ſpei & gaudii, cum ſit contra omnem metum à præſidiis rectæ conſcientiæ vel ex adverſorum patientiâ, vel alioqui ex vita benè tranſactâ inſtructus. Hos terrores malorum, has ſpes & hæc gaudia bonorum nuperi prænunciarunt Cometæ, &, niſi me omnia fallunt, brevi res alio poſitas loco videbimus. Piè & prudenter, id eſt more ſuo, Illuſtriſſima Dominatio Veſtra hujus ſeculi ſeneſcentis pravam conſtitutionem deſcribit, & mundum perverſum ad occaſum magis magiſque tendere ait. Memini me Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ, ex libro cujuſdam viri eximiè docti & pii, hæc verba aliquando deſcribere, quæ non pigebit in præſentia repetere & operi meo inſerere. Nam & gravi ac liberali ſtilo ſe ipſa commendant, & commendationem Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ luculentam, ſe videlicet epigramma ethicum ex illis compoſiturum, ſi otium ſuppeteret, vel cum ſuppetierit, meruerunt. Sunt autem hæc. *Eleganter gravidæ mulieri comparatur mundus profanorum hominum. Nam ſicut gravida tendit ad partem: ſic & mundus ad interitum, jam pridem hoc onere prægnans ac gravidus incedit. Et ſicut gravidæ ſua ſunt tempora, ſui menſes: ſic & mundo. Porrò ſicut gravidæ repentini incidunt dolores, quibus cruciatur etiam*

Iniquitas ad breve tempus graſſabitur.
Vindicta Dei quantò tardior, tantò gravior.
Cæleſtia cogita.
Terrena deſpice.
Piorum gaudia perpetua.
Gravidæ & mundi comparatio.

ante

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ante partum : ſic & mundo repentini incident animi angores ac terrores, ex ſignis imminentis adventûs Chriſti , quibus cruciabuntur etiam ante interitum. Et ſicut gravida , niſi fortè interim moriatur , non effugit partum , ſic nec mundus effugiet interitum. Hoc tantum intereſt , quod gravida futuri partûs ignara non ſit , & ſua tempora computet , mundus autem ſe tantâ mole gravidum eſſe non credat , non intelligat.

Tempus idoneum & locum opportunum ad quamvis rem diſpice.

Puto me, monente Cicerone, tempus idoneum & locum opportunum ad hanc rem dicendam elegiſſe. Nam & epiſtola Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ, & tempus adventui Chriſti ſolemniter commemorando deſtinatum, me ad deſcribenda iſta invitavit incitabitque. Quæ verò juſtius & ſalutarius commendari & inculcari iſtis poſſunt debentque occaſione Cometæ, quo nonnulli extremum Chriſti adventum deſignari & denunciari affirmant. In qua ſententia eſt Hieronymus Magius lib. de mundi exuſtione & die judicii, & Keckerm. Syſt. Phyſ. l. 6. c. de Cometis, & alii. Hi nullam habent Scripturæ Sacræ (quæ Cometarum non meminit, licet alia ſigna adventum Chriſti præceſſura recenſeat, niſi quòd ignem mundo minetur) ſed tamen Lactantii auctoritatem. Is enim l. 7. c. 16. adventum Chriſti Judicis præceſſura ſigna & prodigia in cælo & in terra enumerans, *crines* quoquè *Cometarum* memorat. At verò Cometæ à tot ſeculis in cælo luxerunt. Multi ſunt, qui eorum apparitionem à diluvio arceſſunt; qua de re in hiſtoria Cometarum, Deo volente, agam. Itaque contenti ſimus ſignis & prodigiis in Scriptura Canonica recenſitis, quæ adventus Chriſti mox ſequetur.

Tempora noſtra extrema eſſe malitia extrema teſtatur.

Verùm extrema, vel his vicina tempora eſſe, in quibus verſamur, certius omni Cometâ monet extrema iniquitas & malitia. Hanc idem ille Lactantius paulò ante verbis memorabilibus graviter deſcribit : *Propinquante igitur hujus ſeculi termino, humanarum rerum ſtatum commutari neceſſe eſt, & in deterius nequitiâ invaleſcente prolabi , ut etiam noſtra hæc tempora , quibus iniquitas & malitia uſque ad ſummum gradum crevit, in illius tamen inſanabilis mali comparatione felicia & propè aurea poſſint judicari. Ita etenim juſtitia rareſcet, ita impietas & avaritia & cupiditas & libido crebreſcent, ut ſi qui tum fortè fuerint boni, prædæ ſint ſceleratis, ac divexentur undiquè ab injuſtis ; ſoli autem mali opulenti ſint, boni verò in omnibus contumeliis atque in egeſtate jactentur. Confundetur omne jus & leges interibunt. Nihil quiſquam tunc habebit, niſi aut quæſitum, aut defenſum manu. Audacia & vis omnia poſſidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non veritas erit, atque ita neque ſecuritas, neque regimen, neque requies à malis ulla. Omnis enim terra tumultuabitur , frement ubique bella , omnes gentes in armis erunt , & ſe invicem oppugnabunt. Civitates inter ſe finitimæ præliabuntur.* l. 7. c. 15.

Perverſitas extrema portentum & monſtrum ingens.

Millenarius annorum geminus ante legem, geminus ſub lege, geminus ad finem mundi, ſeptimus Sabbathi univerſali jam olim deſtinatus.

Cum verò proximè de prodigiis in extrema temporis conſummatione apparituris dixerit, meritò hæc de extrema perverſitate ſubjecit. Hæc nimirum ipſa in ſe ſpectata horrendum eſt monſtrum, & mundi brevi interituri præſagium. Verè enim ad finem properante ſexto annorum ab origine rerum millenario (quo impleto, vel nondum impleto ſeptimum millenarium Sabbatho Sacro deſtinatum iri, jam olim multi Judæorum & Chriſtianorum Doctorum crediderunt, hodieque credunt) *religionem Dei & veritatem laboraturam fuiſſe malitiâ prævalente ac dominante*, cap. 14. dixerat. Ubi ſi illi licuit affirmare finem rerum & occaſum poſt breve tempus ſacris & profanis vocibus annunciari, *deſcribentibus quaſi fatigati & delabentis mundi ultimam ſenectutem*, quantò magis nobis nunc licet idem augurari & præſagire, qui cuncta ferè ab aliis prædicta impleri videmus, quæ finem mundi in propinquo eſſe certò teſtantur? Verumtamen & Cometas hac in parte nos officii admonere, ad vitæ emendationem hortari & excitare, imò ad tranſitum in meliorem vitam invitare, libens meritoque concedo.

Mundus finem ſui non attendit.

Pauci, fateor, talia conſiderant, ita ut mundum hæc non curare, dicere liceat. Sed quid aliud hîc vir Sapiens faciat, quàm cum è mundo pedibus exire nequeat, animo & corde exeat, & totum ſe cælo dedat? Eſt profectò in quo felicis ingenii & memoriæ vim exerceat, dum periodicas rerum converſiones (quarum plenæ ſunt ſacræ & profanæ hiſtoriæ) ortus & occaſus imperiorum expendit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Videbit enim in ortu Perſicæ Monarchiæ Darium Medum cum Cyro rerum
potientem: & in occaſu Darium Codomannum Regem bis ſeptimum ab Alexan-
dro proſtratum. Videbit Romæ à Bruto partam & amiſſam libertatem: ab Au-
guſto inchoatam (Cæſaris dictaturá viam ſternente) monarchiam in Auguſtulo
deſiiſſe. Videbit Conſtantinum imperium in Oriente cum reſtaurata urbe auſpi-
catum eſſe: alterum Conſtantinum, Helenæ pariter ut ille Magnus, filium,
imperium cum urbe & vita perdidiſſe. Ut nihil nunc de periodis annorum
aliiſque rerum circumſtantiis memorabilibus dicam. Quibus qui diſcutiendis
tempus impendunt, admirandam profectò rerum ſeriem, & ſimul divinam po-
tentiam, ſapientiam, juſtitiam, bonitatem animadvertunt. Idem in Cometa-
rum obſervationibus & contemplationibus faciendum eſſe, ſubinde moneo.
Sed longius digreſſus redeo ad circulum. Librum illum Saleſii libens videbo &
legam, cum copia ejus & otium dabitur. Amo enim talia ſcripta præ illis rixo-
ſis: quæ vellem ultra extremam Thulen, imò extra orbem deportari. In iis
quæ ex literis Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ operi meo inſero, delectum
juſtum adhibeo, officii mei & temporum conditionis memor. Firmiter ſpero
me probitatis & æquitatis amantium votis ſatiſfacturum. Reliqui non curandi,
qui vivant ſibi & valeant. Rumores illi de rebus Polonicis omninò vani ſunt.
Meliores ego nuncios nuper ad Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram miſi, &
nunc mitto. Benè itaque & prudenter Illuſtriſſima Dominatio Veſtra fecit,
quod acerbis illis rumoribus, & triſtia mentienti famæ fidem non commodarit.
Verum tamen undique ſcribitur, pacem eſſe fucatam, ſimulatam, cum nive
perituram, ita ut **Winterfriede** (hyemalis pax) vocetur. Ego opto ſincerè,
ut omnium horum judicia refutet pax ſolida, perennis, æquitate firmata. Fi-
nio tandem epiſtolam paulò verboſiorem, quæ in rationibus noſtris privatis eſt
nonageſima ſeptima ad nonageſimam quartam. Ita uterque properamus ad an-
nuam centuriam, quæ in opere meo mutuæ benevolentiæ & induſtriæ dabit te-
ſtimonium. Mitto Heveliana, quæ heri, Bruſſelliana & Gruteriana, quæ hodiè
accepi. Mitto & ſalutem R. Curtio. Benè valeat Illuſtriſſima Dominatio Ve-
ſtra & feliciter agat.

Omen ſæpè eſt in nomine.

Hiſtoriarum lectio pietatem animis indit.

Scripta rixoſa extra orbem deportantor.

Rumoribus cum prudentia fides adhibenda.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ.

Omni ſtudio, cultu & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 30. Novembris 1665. N. 85. ad 81.

SI vera ſunt, quæ ad Generoſitatem Veſtram de pace Polonica & ab Eadem
ad me perſcripta, magna certè ſunt, & ſcriptione digna, imò gaudio ac
triumpho, tam reſpectu Poloniæ, quam reliquæ Europæ. Id quoque Come-
tis multum invidiæ demeret noſtris. Sed ego certiora ac uberiora à Generoſi-
tate Veſtra exſpecto. Nam alii, ut videt, adhuc contraria omnia narrant, ſed
& alia incredibilia, pro genio vulgi, ex quo ut plurimum eſſe ſolent ejuſmodi
rumorum viles ſcriptores, qui nunquam in abdita Principum penetrant, &
ſcire tamen volunt, ut ille ait, quidquid Jupiter Junoni in aurem dixerit. Ergo
& viſis Cometis ſperare & lætari liceat. Nos quoque benè denuò ſperamus de
exitu noſtræ Diætæ, quem ego ſanè ex animo voveo, & ad quietem vitamque
privatam & beatam anhelans contendo, ſicut cervus ad fontes aquarum, ut
velut è ſpecula adſpiciam ingruentes procellas. Nam quorſum evaſura ſint tot
bella, & quos amplius involutura, multi ancipites hærent, timentque ne la-
tius ſerpant, & plurimos conſumant. Totâ ferè Europâ tremente & fatales
mutationes metuente, hunc timorem augent Aſtrologi, neſcio quas mutatio-
nes & cataſtrophas prædicentes. Inter eos eſt ille Joan. Franc. Spinæ liber de

Inſcitia quandoque curioſa eſt.

Seceſſus & otium liberale Viro bono convenit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

cataſtrophe mundi impreſſus 1651. in quarto: nec non de maximis conjunctionibus aſtrorum, de quo nuper. His diebus miſit eum ad me quidam amicus. Vaticinatur Auctor ille tantas mutationes rerum ſub annum hunc imminentem 1666. ut legenti horrorem incutere poſſet, ſi quis meliori Philoſophiâ non imbutus, neſciat ſoli *Deo* fidere, ejus voluntati ſuam conformare, & ſic conſtantiam ſervare, etſi mundi machina ruat. Ita animatus & ego maneo

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N. 86.
ad 85.

Hamburgo Ratisbonam die 9. *Decembris* 1665.

Polonica pax dubia, æquitate fundanda eſt.

Vera equidem ſunt quæ de pace Polonica nuper perſcripſi. Sed nuperrimè addidi variorum judicia, qui verentur, ut hæc pax diutius hyeme duret. Ego optimè ſpero ſi avitæ æquitati reddatur Reſpublica. Tunc demùm *ob cives ſervatos & reſtitutos* triumphum agere, nec non ſolidâ pace gaudere & perfrui licebit. Fiat! fiat! Triſtium illorum nunciorum auctores non imprudentes tantum, ſed & impudentes ſimul, hac ſaltem pœnâ digni ſunt, ne iis fidem commodemus. Ita jam juxtà Brunſvicum & Luneburgum tota Polonia à viſis Cometis almâ gaudet pace. Gaudebit, credo, mox Moguntia & Heydelberga. Utinam gaudeat Britannia & Batavia: imò totus orbis, ſaltem Chriſti Principis pacis qui fert nomen! Quid verò aliud hîc quàm iniqua avaritia & ambitio obſtat? Hæc duo inveterata animis hominum vitia, non duo illi Cometæ, nova ferent nobis bella. Hos tot & tantos motus vereor ne inſigniat aliquod nomen turbido & ſævo ingenio ante hac celebre. Indicavi enim nuper Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ aliquot exempla, quæ docent nominibus quoque omen ſæpè adeſſe, & triſte quidem. Ita cum Anno 1647. in Galliis agerem, memini me nuncium certum de rebus Neapolitanis tunc à Thoma Anello turbatis accipere: nec non apud Illuſtriſſimum Thuanum, verè Auguſtum Scriptorem, legere eodem ſuperioris ſeculi anno alium quendam è plebe Thomam Anellum ſeditionis in urbe illa incentorem fuiſſe. Sed quicquid tandem eventurum ſit, Cometes meus cum ſuo Symbolo *Bonis bona, malis mala,* nunquam mendacii vel vanitatis arguetur, ſemper autem quemque officii admonebit. Spinæ illud vaticinium tempus, veritatis parens, vel confirmabit, vel refutabit: meæ certè theſi non incommodabit, utpote divinâ æquitate immobili fundatæ. Numerum 666. Sacra Apocalypſis celebrat. Hunc mox impletum juxtà millenarii caput iri, ſunt qui putent. At verò diverſas Chriſti epochas, quæ biennio, quadriennio, vel etiam quinquennio à vulgari Dionyſiana, qua utimur, diſtant, diverſi putant. Magnas periodos & rerum converſiones ſingulares anno inſtanti nos in orbe viſuros, non ſine ratione dicere licet. Rerum enim, quæ geſtæ ſunt, quæque vel geruntur, vel in mentibus & Aulis quorundam Principum agitantur, ſeries id nobis in aurem dicit. Rectè itaque & tam ex virtutis quam quietis ratione Illuſtriſſima Dominatio Veſtra faciet, ſi ampliſſimo munere in auguſto illo Imperii Conventu (cui ego de bona læti exitus ſpe gratulor) perfunctus, ſeceſſum vitæ privatim & quietè agendæ commodum elegerit, arripuerit, amplexus fuerit, tenuerit. Hoc enim fieri inter tot, quæ bonarum artium & partium ſectatoribus objiciuntur, impedimenta, neceſſe eſt. Cogitanda illa Senecæ: *Si potes, ſubduc te iſtis occupationibus: ſi minus, eripe.* epiſt. 19. ubi & alia video, quæ huc faciunt, Illuſtriſſimæ D. Veſtræ nota, & ſi ea mente repetierit, dubio procul multum placitura. B. V.

Pax convenit Chriſtianis.

Bellorum cauſſæ vitia hominum non Cometæ.

Nomen ſæpe continet in ſe omen, & triſte quidem.

Cometæ ſymbolum ab Auctore tributum Bonis bona, malis mala, ab omni vanitate tuta, ſolam pietatem commendat.

Epocha Chriſti varia.

Seceſſus & otium liberale Viro bono convenit.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu, officio

Stanislaus Lubienietzki.

Ratisbonâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ratisbonâ Hamburgum die 3. Decembris 1665. N. 86. ad 82.

FAcilè fieri poteſt, præſertim brumali hoc tempore, ut literæ per veredarios tardius perferantur. Ideò non eſt quod nimis ſolliciti ſimus, dummodò perferantur tandem. De pace vel induciis potius (nam cauſſam principalem nunc tractant Speræ Deputati partium ad arbitros remittendam, ſi non convenerint) inter Electores Rhenanos conventum eſt: ut ſcribit Generoſitas Veſtra, utinam firma illa ſit, & alibi etiam ſequatur. Quamvis autem non negem verum eſſe Cometas læta quoque efficere, ſive portendere, ut Generoſitas Veſtra dicere ſolet, eoſdemque nuper viſos paci hîc & illic concluſæ præluxiſſe, tamen neſcio cur magis mala hâc tempeſtate metuam, quam bona ſperem. Mihi etiam videtur, quicquid aliqui clament apud Vos & alibi, PAX, PAX, quod tamen nondum certa ſit pax. Novi plurium in orbe eminentium artes, & genium, & quam illis facilè ſit rebùs turbatis ſemper Proteum agere, & Polypum imitari, atque hiſtrioniam exercere, præſertim cum non deſint hami, quibus capiantur etiam magni piſces, qui deinde ſecum trahunt minores aut devorant. Et hæ ſunt artes filiorum Seculi. Nos iis ſtudeamus, quibus cælum adipiſcimur, cum videamus iſtos tantoperè angi pro gloriola quadam aut laureola temporali, dum Satanas mille aliis artibus utitur, ut eos in naſſam ſuam pellectos æternâ felicitate excludat. Hîc & aliàs divinâ benignitate nos officii per Cometas admoneri, lubens concedo. Utinam omnes hoc advertere velint! Magis ita confirmaretur propitia Cometis Generoſitatis Veſtræ ſententia. Sed prævideo imminentia mala. Et hunc gyrum rerum temporalium perpendens mente, ſæpius in Deum & cæleſtia aſcendo, ſcalas præparante inter alios Bellarmino, cujus egregium hac de re libellum & alia opuſcula aſcetica procul dubio legit Generoſitas Veſtra. Clariſſimum Heinſium noſtrum, alioſque communes Amicos ſemper ſalutari nomine meo cupio. Velim omnes ad diligentem ſcriptionem ſtimulari. Nam opus omninò videtur, ut undique hodie corradamus, quicquid ex uſu ſiet, ordinando & firmando ſtatui, rebus tam creperis dubiiſque. Ecce autem quæ Gruterus noſter nuper ad me, in quibus & honorifica Veſtri mentio: quam & ego nuper in literis ad P. Balde feci; cujus poëmata, præſertim Lyrica, omninò placebunt Generoſitati Veſtræ ſat ſcio. Ideoque videat, ut illa alicubi nanciſcatur.

Pax orbi Chriſtiano optanda.

Mobilia Primorum orbis ingenia, certè plurium.

Munera fortunæ hamata cave.

Cometæ nos officii admonent.

Literarum commercium hac tempeſtate neceſſarium, & ad publicam utilitatem convertendum.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 12. Decembris 1665. N. 87. ad 86.

OBerrent ſanè, quia non aliter fieri vult præſens tempeſtas, per nives, nive candidiores Illuſtriſſimæ D. Veſtræ literæ, at nunquam aberrent. Id nunquam nobis, ex quo literarum commercium colimus, contigiſſe, meritò utrique noſtrûm gratulor. Elucet ſparſim per literas Illuſtriſſimæ D. Veſtræ poſtremas niveus mentis candor, tàm boni publici ſtudio, quàm benevolentiâ erga me conſpicuus. Quem nulla unquam ſimultatis vel etiam neglecti officii contaminabit labes; nulla in animo meo delebit oblivio; nulla, ſi quid noſtra apud gratam poſteritatem valebunt, extinguet invida ætas. Quæ de pace hic & illic concluſâ, non ſatis fundatâ, imo dubiâ, vel etiam vacillante Illuſtriſſima D. Veſtra meis conſentanea ſcribit, experientiâ multâ & rationum firmitate, ne de juſtis conjecturis quidquam dicam, fundantur. Sed utinam ſingulari gratiâ divinâ ætas noſtra gaudeat, pacem univerſalem, juſtitiâ fundatam, copia divite cornu beatam

Candorem amici exoſculare.

Pax ubique dubia, nuſquam tuta fides.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Virtutis odor ex qualibet re bonus.
Officia virtutis in inſignibus quoque tuis quare.

conſecuta. Me gente agricolam inſigne trium vomerum gerentem, & undique officii memorem, hæc ipſa divino munere data, ut originem communem in memoriam mihi revocem, aſſiduò excitant: hæc etiam faciunt, ut me pacis & agri colendi ac vomeris tutò exercendi amor totum habeat. Bella gerant, quibus lubet, extra orbem noſtrum. Intra hujus fines

Pacis ubertas triumphis potior.

Interea Pax arva colat. Pax candida primum
  Duxit araturos ſub juga curva boves.
Pax aluit vites & ſuccos condidit uvæ,
  Funderet ut nato teſta paterna merum.
Pace bidens vomerque vigent; at triſtia duri
  Militis in tenebris occupet arma ſitus.

Tibull. l. 1. eleg. 11.

Quam malè pax hic & illic coaleſcat, docebunt adjuncta, quæ officii ratio exegit, fides expreſſit. Neminem autem hæc latebunt, brevi in lucem eruptura, etſi à me præmaturè hîc non fuerint indicata. Ita verò eſt ſæpè pacem, quæ, (ut ille ait)

Silius.

- - - - - - - optima rerum
Quas homini noviſſe datum eſt.

A multis tamen per avaritiam vel ambitionem contemnitur.

quæque una triumphis innumeris potior eſt, levis, vel certè turpis lucelli, vel gloriolæ vanæ cauſſâ violari.

Æquitatem & libertatem tueri Vir bonus debet.

Tanti boni in univerſum genus humanum redundantis corruptoribus, injuſtitiæ & libidinum ſævis patronis, ego quantum licet, ſemper me opponam, fortiſſimus, ſi jus ſpectes, æquitatis & libertatis defenſor. Stat ante oculos Clariſſimi illius Boëthii (omen lævum Deus prohibeat propitius!) exemplum, qui dum de ſuo in commune bonum ſtudio teſtatur, ſubdit: *Inde cum improbis graves inexorabileſque diſcordiæ fuêre. Et quod conſcientiæ libertas habet, pro tuendo jure, ſpretâ potentium ſemper fuit offenſio.* In conſolat. Phil. Fata & aſtra, illaque etiam ſidera cincinnata, & omnia quæ in orbe geruntur, intelliguntur, ſciuntur, ſi conſulamus, ad omnis juſtitiæ virtutiſque & concordiæ tutelam nos animabunt, nec unquam metum degenerem nobis afferent, ſi vitia è medio abſtulerimus. Prudentiâ, quæ mentis oculus & actionum humanarum directrix meritò audit, opus eſt in tota vita: ſed tenenda ſimul ambabus ulnis & terenda preſſis veſtigiis ſimplicitas & conſtantia virtutis, & ita tempori, ita hominibus ſerviendum, ut ſerviamus ante omnia temporum & hominum moderatori Deo. Faceſſat cum ſua inſtitutione Theognis:

Metus ex mala conſcientia proveniens à cordibus piorum procul eſto.
Simplicitas & conſtantia animi cum prudentia jungenda tibi eſt.
Serviendum tempori & Domino (τῷ καιρῷ τε καὶ κυρίῳ)
Deo ante omnia ſervi.

Κύρνε, φίλους κατὰ πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος,
  Ὀργὴν συμμίσγων ἥντιν' ἕκαστος ἔχει.
Πολύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ
  Τῇ προσομιλήσει, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.
Νῦν μὲν τῇ δ' ἐφέπου, ποτὲ δ' ἀλλοῖος χρόα γίνου,
  Κρεισσόν τοι σοφίη γίνεται εὐτροπίης.

Polypi mutabilitatem ſuadet perverſa aſtutia, diſſuadet prudens ſimplicitas.

Cyrne, amicos ſecundùm omnes, commuta varios mores,
  Ingenium attemperans, quod quiſque habet.
Polypi mentem obtine verſipellis, qui ad petram,
  Cui adhæſerit, talis viſu apparet.
Nunc quidem hac ſequere, aliquando alius colore fias.
  Celeris mutatio quidem ſapientia eſt morum.

Rectius Phocylides:

Μηδ' ἕτερον κεύθῃς κραδίῃ νόον, ἄλλ' ἀγορεύων.
Μηδ' ὡς πετροφυὴς πολύπους κατὰ χῶρον ἀμείβου.
Πᾶσιν δ' ἁπλόος ἴσθι, τὰ δ' ἐκ ψυχῆς ἀγόρευε.

Neque

Neque aliam occulta in corde ſententiam, aliam effare:
Neque ut ſaxis adhærens Polypus, pro loco muteris:
Sed omnibus ſimplex eſto, & ex animo loquere.

Conſtantia, gravitas & perſeverantia retinenda. Cic.

Mille artes potius Satanæ nobis ſunt cavendæ, quam hæ perverſorum hominum in præſidium commodorum & libidinum fugacium advocandæ. Bellarmini, ut & aliorum aſcetica vidi, nec ſine fructu & delectatione legi. Satis ſcientiæ ubique cernitur: conſcientiæ hic & illic, imò eheu! paſſim, parum. Agedum, exerceamus nos virtutis & induſtriæ artes, & commercium noſtrum literarium ad publicos uſus, qua datur, revocemus. Ego hìc officio meo nec in Illuſtriſſimam D. Veſtram, nec in Nobiliſſimum Heinſium alioſque communes Amicos deero. Grutero nimias laudes in me congerere apud intimioris admiſſionis amicum licuit. Ego me meo modulo ac pede metior, ex veteri Sapientum præcepto. Baldiana tempore meliori, ſi vivo, legam. Nunc non vacat.

Satanæ ſtratagemata potius cave, quam perverſas artes tuendis cupiditatibus adhibe.
Scientiæ multum: conſcientiæ parum paſſim eſt.
Virtutem cole.
Induſtriam piam adhibe.
Bonum publicum cura.
Amicis grata officia præſta.
Modeſtiam ſectare.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu, officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Hamburgo Ratisbonam die 16. *Decembris* 1665.

N. 88.
(al. 100.)
Cometæ in corvo natalis.

TRiduum eſt, quod Cometæ noſtri natalem, ut ſic dicam, plerumque oculis cuſtoditum, celebravimus: ego etiam hodie celebro commercii literarii, quod mea cura & Clariſſimi ac Humaniſſimi Heinſii facilitas protulit. De quo quam multum mihi gratulari debeam, Illuſtriſſima D. Veſtra benè novit, & apographum poſtremæ Heinſianæ, effuſi in me affectûs documentum, demonſtrat. Hæc etiam lux eſt, quæ adſpicit anniverſariam viciſſitudinem, ſive aſſiduam commutationem literarum noſtrarum de argumento Cometico eique cognatis ſcriptarum. Adſpicit & mutuam communicationem multorum publicæ utilitati conſulentium & inſervientium. Itaque ego jam ex parte mea, qui prior rationes epiſtolarum ad rem Cometicam pertinentium componere cæpi, anniverſarium ſalebro, impletâ epiſtolarum in privato rationario centuriâ, ad aram amicitiæ celebro. Imò vero ovans grator mihi non tantum illuſtriſſimæ dignationis ac excellentiſſimæ eruditionis, ſed & incomparabilis ac prorſus ſingularis diligentiæ amicum, theſauri vice, obtigiſſe. Erit hoc luculentiſſimum Illuſtriſſimæ D. Veſtræ exemplum, quod docebit, quanto ſtudio Vir undecunque Præclarus & præſtans, ſi officioſus in amicum eſſe velit, non tantum ad ſalutem Reipubl. ſed & ad amico convenientem benevolentiam aſſiduo literarum commercio conſervandam incumbere poſſit. Næ, licet ego erga nonnullos haud negligens ſim officii, meque induſtrium amicum illis præſtem, tamen de illis dicere cogor cum Gellio: *Amici iſti magnam in partem ceſſatores ſunt.* Sed nos inſtitutum curſum proſequamur. Ternas adhuc Illuſtriſſimæ D. Veſtræ exſpecto, quæ centuriam ejus literarum impleant. Tunc demum anniverſaria ſacra mutui affectûs & commercii literarii celebrabimus Deo favente, eundemque orabimus, ut nobis hanc mutuam & innocuam delectationem, imò per quam de re quoque publica benè mereri uterque ſincerè cupimus, in multos annos clementer conſervet. Tunc etiam, credo, communicationi noſtræ de argumento Cometico (quæ alioquin quàm longiſſimè inexhauſtâ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ingenii & bonæ mentis felicitate meam ſinceram & facilem induſtriam provocante extrahi poſſet) colophonem imponemus, niſi fortè nobis mutui officii diligentibus quædam occurrant, quæ annotari & ſeorſum in Theatro Cometico exhiberi mereantur. In præſentia vix quidquam eſt de re Cometica ſcriptione dignum. Nam Clariſſimus Heinſius nondum quidquam Ubſaliâ ad adſtruendam nuncio novi Cometæ fidem acceperat. Roma tamen

Rautenſteinii dotes & amicitiam magni Auctor facit.
Officii in amicum diligens eſto.
Amicitia officioſos & induſtrios amat.

Literarum commercium ad publicos uſus revoca.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Romanus nuncius de novo Cometa auctumnali evanuit.

men die 21. Novembr. exarata per poſtremum tabellarium quæ acceperamus in hanc rem, fuère iſta:

Si diceva, come fù ſcritto, che ſi vedeſſe una nuova Cometa, mà la voce è del tutto calata, ſegno forſe che il grido non habbia hauuto fundamento, ò forſi perche le Comete in Roma habbiano affatto perſo di credito.	Dicebatur, ſicut ante ſcripſi, videri novum Cometam, ſed illa vox & fama tota evanuit, quod ſignum fortè eſt, rumorem illum non habuiſſe fundamentum, vel fortè quòd Cometæ Romæ prorſus fidem perdiderint.

Cometas nuperos memorabilia ſequentur, ut colligere licet. Bonis mala incommodant non nocent, imò virtutes docent.

Reſponſi quod nuper à Clariſſimo Eraſmio Bartholino accepi, ad Illuſtriſſimam D. Veſtram quoque pertinens, exemplum adjungo. De re publica nil magis ſcribendum ſuppetit, præter adjuncta, pro jure amicitiæ ſcripta. Magis magiſque Cometas nuperos multis memorabilibus præluxiſſe pervideo. Quæ etſi bonis quoque & ſapientibus viris incommodabunt, non nocebunt tamen, imò fiduciam in Deo ponendam, patientiam, modeſtiam, conſtantiam docebunt, utpote mentis invictâ vi ſpeque vitæ beatæ certiſſimâ munitos. Qua de re proximè fortè pluribus agendi dabitur locus, poſtquam literas, quas hinc & illinc exſpecto, intra triduum accepero, præcipuè vero ab Illuſtriſſima Dominatione Veſtra, quas fortaſſis cras binas habebo, ſaltem illas, quas à die Dominica in hanc uſque horam fruſtrà exſpectavi, quod tabellarius Norinbergenſis emanſerit. Benè valeat

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu, officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 87. *ad* 83.

Ratisbonâ Hamburgum die 7. Decembris 1665.

Rautenſteinii benigna de Cometis ſententia, & inſtantium malorum prudens metus.

QUæ gratiſſimis Veſtris die 28. menſis præteriti datis reponam, vix nunc habeo, præſertim tempore excluſus. Rerum Polonicarum ulteriorem ſuceeſſum & exitum libens intelligam: ut & quæ Generoſitati Veſtræ præterea ſcriptione digna occurrent, quorum procul dubio hoc rerum ſtatu ſatis dubio larga erit ſeges. Pacem ut Cometæ nobis afferant, opto cum Generoſitate Veſtra, timeo autem contrarium, non tam ex principiis Aſtrologicis, quam ex iis, quæ quotidie audio videoque. Aſt hæc omnia Deo ſunt committenda. R. P. Balde breviuſculum reſponſum mihi dedit, cauſatus morbum & ſenium, utpote nunc climactericum magnum ingreſſus. P. Curtius etiam adhuc ſilet. Qua ratione & ego Pythagoricus fio, & hodie nemini præter Generoſitati Veſtræ ſcribo, cujus ſemper maneo

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

N. 88.

Hamburgo Ratisbonam die 10. Decembris 1665.

Rumores vani auribus, ſaltem animo admittendi non ſunt.

NUdius tertius nihil à Generoſitate Veſtra accepi: quod nullus Hamburgo veredarius tunc advenerit: & ideò cras binas exſpecto ſimul. Tam denſæ in his partibus nives per hoc octiduum cælo demiſſæ ſunt, ut vix tranſire itinerantes poſſint, videarque mihi in ultimam Thulen rediiſſe, quam quidam Sueciam eſſe putant. Alia quæ nunc præter nupera ſcribam, vix ſunt. Scribuntur quidem hinc & inde varia, vel triſtitiam vel metum adferentia, fortè ut infamiâ majori Cometæ nuperi afficiantur. Sed mihi fabuloſa omnia videntur,

& ex

& ex cerebro otio abutentium prognata, utpote omni fundamento carentia. Cæſarem in pacem inclinare credo, idemque mihi à Sereniſſima quadam manu nuper adhuc confirmatur. Utinam illam ubique reducere poſſit! præſertim in finibus Weſtphaliæ noſtræ, ubi verendum, ne nunc infeſtis concurratur armis, & humano cruore tingantur candidæ nives, ipſâ hyemis ſævitia non tam validâ, ut flectere aut ab armis arcere hominum ferrea corda poſſit. Nos pacis ſtudiis dediti & innutriti, pacem voveamus, pereuntibus iis, qui bella volunt, pacis bonis, aut ſaltem æternâ pace fruituri. Finio; & maneo conſtanter

Weſtphalicum bellum in hyemem productum.

G. D. Veſtræ.

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 19. *Decembris* 1665.

N. 89. *(al.* 1.*) ad* 87. & 88.

PRoxima epiſtola Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ quam hodie exſpecto, in privato noſtro Rationario epiſtolarum familiarium centuriam implebit: hæc mea non exſpectato novo anno, nec ſtrenarum ſolemni commercio, novam centuriam auſpicatur, novum commercii literarii certamen init. Erit tunc dandi & accipiendi ſtrenas viciſſitudo grata. Nobis jam bona ſtrena obolet, ut cum Comico loquar, ſtrenuitatis, à qua ſtrenæ originem quidam deducunt, edituris ſpecimina in certamine humanitatis optimo, in quo cuique non tantum ſtrenuiori, ſed & ſtrenuiſſimo eſſe licet, ſi laudis apicem contingere velit. Binæ nuperæ Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ literæ perbreves, pergratæ mihi tamen; de occupationibus ex more ſpiſſis, de temporis anguſtia, ſed & de Virtutis ſtudio, de benevolentia ergà me ſingulari aliiſque argumentis noſtro commercio dignis loquebantur. Eadem meæ ſententia, ratio & vox epiſtolæ hujus eſt. Nec mirum. Solet enim mea vox Tuam imitari & referre, non ſecus ac *reparabilis Echo* & in ſylvis *recinit jocoſa nomen imago.* Nam & me meæ premunt curæ, & circumſtantia urgent negotia. *December menſis eſt, cum maximè civitas deſudat*, ait alicubi Seneca apud ſuum Lucilium, perſtringens jus luxuriæ publicæ datum, & laſcivis Saturnalium aliiſque ludis, qui tamen libertatem ſuam vendentes authorabant, authoratum, & ita latè evagans, ut ibidem laudet eum qui dixerit, *olim menſem Decembrem fuiſſe, nunc annum*, hominibus ſcilicet toto anno Saturnalia vel Bacchanalia viventibus. At ego luxu non diffluo, nec mihi unquam animus eſt vel divertere illùc, ubi mollitie & intemperantiâ damnoſâ deſudaſcitur, ut rurſus cum Comico loquar. Verum mihi perpetuis prelis Amici Batavi deſudant: nunc verò etiam annus præteriit, ex quo December Julianus, & Cometa Corvi & commercium noſtrum de hoc argumento ortum accepit. Paucis me itaque expediam, brevibus multa vel potius multum dicam, daboque operam, ut hîc etiam epiſtola meà ſit velut *reſonabilis Echo*, & quæ reclamando per longa avia

Strenæ dando & accipiendo peraguntur, unde dictæ.

Humanitate certa.

Virtutis commendandæ nullam occaſionem neglige.

Echo amica, concordiæ index.

Luxuria Romana ex menſtrua evaſit annua.

Deſudandum non luxu, ſed honeſtis laboribus.

Brevitas eſto ſucci plena.

Echo amica concordiæ index.

- - - - - - - - vaga certat imago.

Res Polonicæ adhuc inter ſacrum & ſaxum ſunt. Nives hic & illic dubia pacis tegunt. Nam candori earum non ubique reſpondent mentes humanæ, quas ſæpè deturpat ille notatus jam olim *nigræ loliginis ſuccus, & ærugo mera.* Pacem non tantum promiſerunt, ſed & attulerunt Cometæ. Sed vitiorum humanorum portenta eam intervertere laborant. *Divina bonitas ex ſua parte præſtat & largitur omnia. Nos nobis deſumus, noſque ipſos alioſque optatis privamus, exuimus, excutimus bonis, eruimuſque ipſam modeſtiæ, æquitatis & concordiæ ex viſceribus noſtris memoriam. Quidni ergo timor ſecuturorum tritâ

Pacis incertum ubique timendum.

Cometæ pacem attulerunt, ſed eam vitia hominum peſſum dare volunt.

**Deus ex ſua parte omnia homini præſtat.*

Malerum Cometas ſecuturorum metum menti prudentia indit. *Bonis omnia benè cedunt.* *Impietas omittit bona, committit mala.* *Deo fidendum, vivendum & ſerviendum.* *Fer æquo animo vitis adverſa.*

tritâ vindictæ juſtæ ſemitâ malorum animos noſtros, & quidem prælucentibus Cometis, inceſſat? Is verò tanto eſt juſtior & prudentior, quanto quis plura occulta & recondita oculo mentis & arcanorum conſcientiâ aſſequi poteſt: quod Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ in expedito eſt. Verumtamen ego piis, Virtuti & Paci deditis viris benè ex Cometis viſis ominor, non ut ſecuritatem hic ignavam, illic laſcivientem, vel confidentiam præcipitem eis indam: (abſit tanti criminis vel ſuſpicio) ſed ut mentes eorum in propoſito virtutis ſtudio confirmem, & ſpe lætorum à Deo paratorum ad fidendum, vivendum & ſerviendum ei animem. Baldiana & alia nuper miſſa, de quibus gratias debitas ago, placent ingenioſa, lepida, ſcita. Taciturnitas eique ſuppar brevitas Curtiana æquo animo ferenda. Eſt tamen ille in ære noſtro, datâ neſcio quantæ Cometicæ farraginis promiſſi fide. Ferenda pari animo eſt & tarditas tabellariorum, quam ferunt copioſæ nives aliaque brumæ incommoda. Tardiores fortè teſtudine ſunt tabellarii in ultima & olim ratibus impervia Thule, (quam Geographi Iſlandiam eſſe putant glacie fines ſuos munientem) in qua, ut Solſtitio æſtivo nullæ ſunt noctes, ita nunc brumali nulli dies, ſi ibi Plinio, hîc Solino aliiſque credimus, ibi Sole horizontem eorum ferè non relinquente, hîc quam longiſſimè verſus Tropicum Capricorni ab eo diſcedente. Omninò ſi vel ibi triſte quid accidat, contra Cometas militabit. Sed etſi domi quid lætum eveniat, vel ſupprimetur vel enervabitur. Vir bonus & ſapiens undique conquirit ſolatia & præſidia virtutis. Rumores imprudentes & impudentes quoties recurrunt, abigendi ſunt, ſi non ab auribus, ab animis certè noſtris. Dulcis iſta eſt inſania auctorum novorum, otio abundantium & abutentium, quod melius collocari par foret. Cæſarem velle pacem ſeculo ſuo reddere, dignum tam Auguſto nomine opus. At quam arduum! *Deus pacis juvabit conatus omnium & labores, qui pro hâc orbi reſtituenda laborant, & diſperget gentes, ex veteri Sacro voto, quæ bella volunt. Metum Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ de cruento aliquo inter Monaſterienſes & Batavos congreſſu vanum non fuiſſe, Amſterodamenſis narratio docet. Utinam ferreum noſtrum ſeculum aureo commutetur, æquitate & pace poſtliminiò revocatâ! Publico voto ſocium adjungo privatum, Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ magna & ſacra Natalis Chriſti imminentis ſolennia, eorumquè longam recurrentium ſeriem & perpetuam proſperitatem precatus.

Virtutis conſtans ſtudium Sapienti convenit. *Rumores vani auribus, ſaltem animo admittendi non ſunt.* **Pacifici Deo placent.* *Bellatores Deo diſplicent.* *Pax orbi optanda.*

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu, officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 89.
(*al.*100.)
ad 84.

Ratisbonâ Hamburgum die 14. *Decembris* 1665.

Centuriam quartam epiſtolarum Rautenſteinius complet.

ECce & hunc centenarium per gratiam Dei abſolvi, qui, ni fallor, quartus jam eſt. Ego verò ex Generoſitatis Veſtræ literis plurimas retinui, aſſervandas inter ſelectiores Amicorum. Quid de meis fiat, neſcio. Reliquos Amicos noſtros, poſt ſilentium alicujus temporis brevi ad officium redituros, & ſic plura me à Generoſitate Veſtra habiturum ſpero. Spinæ illius ſcriptum nuper hîc vidi, ſed nihil in eo ſingulare, præter divinationes Aſtrologicas, de quibus quid ſentiam novit Generoſitas Veſtra, ut & quæ mens mea ſit circa Æquitatem & Religionem. Pacem, quam tantoperè extuleramus Polonicam, in armiſtitium nunc degeneraſſe, etiam aliunde intelligo. Exſpectandus igitur omnino erit exitus inſtantium Comitiorum, & tempus vernum, quod multa procul dubio in lucem producet, ex quibus de eventibus Cometarum judicium fiet. Licet multos eâ privare interea poſſit ſerpens lues, quam etiam in vicinis oris vereri occipiunt: à qua miſericors Dominus nos cuſtodiat! Hæc etiam ſequitur Cometas,

Ver inſtans multa latentia in lucem protrahet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tas. Sed & mors junioris natu filioli Sereniſſimi Electoris Bavariæ, quæ his diebus Aulam illam mœrore complevit. Ita diſcunt etiam Dii illi mortales, quod non ſint immortales. Utinam eò magis cogitarent de altera vita! Læta quoque Cometis ſuccedere nos quoque probamus, qui hodie in Conſilio Principum epilogum Capitulationis feliciter abſolvimus: ideoque bonum exitum tam lentorum Comitiorum ſperamus. Non deſunt, qui putant adventum & coronationem Sponſæ Cæſareæ eadem adhuc protrahere poſſe. Quod abſit, ne priver amplius tam diu deſiderata quiete. Benè Vale & redama

Principes triſtibus exemplis officii admonentur.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimum Servitorem

De Rautenstein.

Hamburgo Ratisbonam die 23. Decembris 1665.

N.90. ad 89. (al. 2. ad 100.)

NOn fefellit me nuper ſpes & opinio mea. Poſtquam enim primam meam epiſtolam, velut primipilum centuriæ novæ, favente Deo, ſtrenuè in campo amicitiæ & humanitatis decertaturæ ducem, miſi, Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ centeſimam, agmen claudentem, accepi. Unde nemo non videbit, quantoperè mihi de tanto benevolentiæ & diligentiæ Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ certamine gratulari debeam. Neuter noſtrum in eo victus, imò uterque lætam victoriæ palmam conſecuti ſumus: quam ſimul non duo tantum, ſed omnes obtinent, quotquot in ſtadio virtutis decertant. Sed quia, ut ille ait, *amat victoria curam*, cum illam ſæpius è manibus quoque hîc quidem pavida ignavia amittat, illic intrepida ſolertia eripiat: omni virium niſu in id incumbam, ut eam mihi Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ concedat diligentia, licet eandem ipſa obtineat. Ita eſt, nos commercium literarum Anno 1662. inchoatum, nunc revertentibus annorum vicibus quintum auſpicari felici ſidere, tot centuriis epiſtolarum de ſtrenuo amicæ induſtriæ certamine teſtimonium daturis. Centurias Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ omneſque manipulos ad unum ſtatione perpetua, civitate & almâ adoreâ donavi. Dicere ex veritate poſſum, nec unam ex Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ epiſtolis mihi periiſſe, ſtudioque à me aſſervari omnes. Poteſt enim fieri, ut ex illis quædam publico utilia excerpantur & luce donentur, ſi vita, otium & ſumtus ſuppetat. Communium Amicorum diligentiam mea aſſiduò in certamen provocat. Nec infelici ſucceſſu. Miſi nuper è veſtigio Heinſiana. Mitto nunc Bullialdiana, & Bruſſelliana. Et hujus quidem, ut dignitati ita & benevolentiæ ſingulari multum me debere fateor. Utinam Illuſtriſſima Dominatio Veſtra poſſet Virum illum omni ex parte Præſtantiſſimum propius agnoſcere! Quis fuerit ille Johannes Tarinus, qui honori Parentis ejus carmina à me antehac Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ miſſa conſcripſerit, Bullialdiana, quæ mitto, docent, cum prudenti monito, cautè & circumſpectè ducendam eſſe Viro literato uxorem. Quam in rem me feſtivam Clariſſimi Heinſii Patris epiſtolam legiſſe quondam memini. Spinæ illius ſpinas Aſtrologicas cum Illuſtriſſima Dominatione Veſtra parum curo: nondum tamen viſa rejicere nolo. Judicia de eventibus Cometarum apparitionem ſecutis erunt varia, ſicut & hi varii apparebunt, hîc quidem triſtes, illic verò læti. Pacem & fœderis religionem bellum, hoc pax citius ſerius excipiet. Nec unquam Sapienti Viro, qualem præcipuè Chriſti Schola format, virtutis exercendæ deerit occaſio. Peſtem & bellum toties ante Cometas, & nuper hic & illic vidimus. At poſt hos ſalubrem aërem, pacem & alia proſpera hic & illic videmus, & videbimus. Quòd ſi etiam aliquid hujus vel illius generis extra ordinem & inſolens evenerit, illud ſat tutò liberæ, ſapienti & juſtæ divinæ diſpoſitioni rerum & induſtriæ Sapientum, tam hæc quam illa in

Amicitiæ certamen laudandum.

Virtutis in ſtadio quivis victor evadit & coronam gloriæ accipit.

Victoriam induſtria virtus parat & conſervat.

Rautenſteinii Epiſtolas futuro uſui Auctor aſſervat.

Uxor Viro literato cautè ducenda.

Cometarum eventus varii varia efficient hominum judicia.

Inſolitorum cauſſa Deo adſcribenda.

Sapiens omnia in bonum vertit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Sapiens omnia in bonum vertit.

in bonum converſuræ adſcribetur. Mortuos ante Cometarum apparitionem vel etiam citrà eandem, multos Principes, experientia multis exemplis docet. Qua de re memini me aliquid ad Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram ſcribere. Omninò verò Deus Principes & Rectores terræ ejuſmodi exemplis mortalitatis admonet. Quod ſi hi divinæ voluntati ſuam commodant, & ad meliorem vitam appetendam excitantur, certè illa triſtia lætam maximæ utilitatis meſſem afferent.

Regis Daniæ laus & vox regia.

Memini me ex ore Sereniſſimi Regis Daniæ (cui Soli facem non accendo) abhinc quadriennio audiviſſe: *Dictum quidem eſt: Vos Dii eſtis: ſed additum ſimul, ſicut homines moriemini.* Regalis ſanè & digna Chriſtiano Principe ſententia, quam ipſe Rex Regum nos docuit. Ecce verò læti ominis

Ratiſbonenſis Conventûs conſultationes felicem habent progreſſum, & felicem finem appetunt.

exemplum Comitium Veſtrum, abſoluto arduo Capitulationis negotio, in Theatrum Cometicum profert: proferet longè illuſtrius læticiæ exemplum, poſtquam auguſtus ille conventus felicem acceperit finem, &, ſi ita Deo viſum fuerit, Auguſtæ Sponſæ diadema impoſuerit inter medios publicæ & privatæ læticiæ triumphos. Interim ego quieti receſſus & liberalis otii gaudia ne Conventus iſte moretur, ex animo opto. B. V.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu, officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N.90. ad 85. (al. 1. ad. 97.

Ratisbonâ Hamburgum die 17. *Decembris* 1665.

Rautenſteinius benè ſperat de hoc opere: & ſuum nomen per hoc orbi & poſteris commendatum iri gratulatur.

PRæſtituram Generoſitatem Veſtram in opere ſuo, quæ toties ſpondet, & ſpes noſtras, ſi non ſuperaturam, tamen impleturam, firmiter credo, in eo etiam felix, quod hac ratione quaſi per indirectum, etiam orbi literato & doctæ, ſi quæ futura eſt, poſteritati innoteſcam, aliàs à ſcribendis libris ſatis alienus, & in eo cum Illuſtriſſimo Bruſſello (cujus eximias literas 27. Nov. ſcriptas, quaſi leonis unguem, maxima cum gratiarum actione remitto) convenio, quod factis quam dictis, moribus quam libris doctus eſſe & videri malo. Accedunt præterea continuæ occupationes publicæ privatæque, quæ hoc, & nihil aliud agere jubent, ita ut dubitem, an præter ea quæ jam ſcripſi, mantiſſam aliquam ulteriorem ad præſtantiſſimum opus Tuum, ceu ſymbolam afferre poſſim. Tantâ interea doctrinâ, elegantiâ, & quod præcipuum duco, Æquitatis & Virtutis indicio, undique eluceſcente, ſcriptam cenſeo hanc Tuam epiſtolam, hujus anni centuriam ferè clauſuram, (uti nunc tardè commeant veredarii iniquiſſimo ipſis anni tempore) ut omninò addi ſuperioribus & publico non invideri mereatur. De epigrammate, cui optimè includi poſſet, quam allegas itidem, comparatio mundi cum gravida, quæ à quocunque facta ex ratione pietatis mihi placet, aliquando cogitabo, cum majus mihi

Otium liberale viro cordato convenit.

otium, ut ſpero, fecerit Deus, quod etiam mente jam quaſi præguſto, utpote libris meis à tanto tempore velut neglectis aut inſuper habitis, ſerio tunc iterum fruiturus, & in gratiam cum Muſis rediturus. De quibus nunc vix cogitare licet. Pacem modo nobis ſervet, aut potius redonet Deus, quæ ſatis anceps & dubia eſſe videtur, ita ut rogandus ipſe ſit, ut fortem nobis animum & conſtantia conſilia cælitus largiatur, quo in omnes caſus parati ſimus ad excipiendam voluntatem ejus ſemper bonam.

Confidentes, tumidi, audaces plerumque animis franguntur & concidunt.

Nam de animi robore & innata ſibi virtute gloriari vaniſſimum eſt, cum videamus eos plerumque, qui ſecundo adhuc tempore vires ſuas jactare, & paratragædiare audent, ubi ad rem ventum eſt, deſertorum agmen ducere, & ex leonibus lepores fieri. Saleſii varia exſtant ſcripta, ut & vita ipſius à nepote compoſita. Non dubito Generoſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

neroſitatem Veſtram eadem facilè ibidem inventuram & cum delectatione lecturam. Benè valeat Generoſitas Veſtra cum ſuis, Cujus maneo

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 26. Decembris 1665.

N.91. ad 90. (al.3, ad 1.)

EPiſtolam illam meam 5. hujus menſis die ſcriptam, in rationibus noſtris nonageſimam ſeptimam, placuiſſe Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ meritò mihi gratulor. Novi enim Ejuſdem in judicando libertatem candidam, tum prudentiæ dexteritatem, & virtutum publicarumque utilitatum impenſum ſtudium. Quale hominum genus meis ſtudiis & votis convenire atque perplacere, non minus libenter quam meritò fateor. Fateor itidem me in illa quoque epiſtola ex inſtituto voluiſſe eadem virtutis & boni publici ſtudia teſtari. Qua ratione me omnium in illa toto pectore incumbentium benevolentiam mihi conciliaturum ſpero, & ex animo ut voti compos fiam, opto. Convenit enim hoc viro bono

Æqualitas ſtudiorum amicitiæ conciliatrix.

Studiis virtutis & boni publici optimè conciliatur favor.

Et melius nulla quæritur arte favor.

Rem Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ gratam me facere, quod ea, quæ Illa mecum de argumento Cometico aliiſque hac occaſione communicare voluerit, cum orbe literato & grata poſteritate communicem, mihi quoque tam gratum eſt, quam quod gratiſſimum. Nec ego ad ſcribendos edendoſque libros adhuc properavi: quorum plena eſſe omnia videmus. Sed tam illuſtria cæli phœnomena, & amicorum induſtriorum nomina, me ut ad ſcribendum animum appellerem, impulerunt. Qua in re judicio & monitis Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ plurimum, fateor, dedi. Miſerum hominum illud genus, qui in libris ſpecioſis, non in moribus caſtis veram eruditionem oſtendunt, verius oſtentant. Horum mentis vanitatem aliquando me apud Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram pro merito caſtigaſſe memini: nec me memoria fallit. Cæterum ipſa res & conſentiens Sapientum vox hoſce redarguit. Itaque mihi nunc prætereundi ſilentio ſunt, præſertim cum ad metam properem. Ideo etiam putabam, me communicationi noſtræ operi inferendæ, abſolutâ à me epiſtolarum centuriâ, colophonem imponere debuiſſe. Sed aliud imperavit mentis & ſtili Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ ſingularis bonitas. Adhæc æquum cenſui reſpondentes Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ literas ad centuriam mearum exſpectare, & ſic cum hoc anno integram communicationem finire. In hac quot erunt Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ epiſtolæ, tot ſymboli bonæ mentis publico propoſiti, & ſymbolæ non tantum mihi, ſed & univerſo Senatui Philoſophico in Theatro Cometico conventuro datæ. His etſi nil amplius accedat (quod vix fiet, ſi felicitatem ingenii & magnitudinem benevolentiæ Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ benè novi) Illuſtriſſima Dominatio Veſtra tamen omnes, non dico officii, ſed benevolentiæ mutuæ partes impleverit. Acceſſit tamen non parum gratiæ & ponderis prioribus ex ultimis Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ literis, quæ humanitatis, officii & diligentiæ plenæ ſunt, ſicut alicubi Cicero apud amicum loquitur. Mutuam induſtriam ego ſtrenæ loco Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ offero. Sicut autem amoris, ſtudii, pietatis in Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram officium nullum à me adhuc defuit, ut iterum cum Tullio loquar, ita ut in poſterum quoque nihil ex parte mea deſit, quod meritò deſiderari poſſet, omnem dabo operam. Adjungo alteram ſtrenæ partem, pro Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ & dilectiſſimorum ejus valetu-

Auctor à Rautenſteinio officioſus, ejus aliorumque amicorum monitis ſe ad ſcribendum impulſum eſſe aſſerit.

Libri non arguunt veram eruditionem & vitæ probitatem.

Lingua docta cum vita ruſtica non conveniunt.

Rautenſteinianæ communicationis finiendæ ratio:

Illam magni à ſe fieri auctor teſtatur.

Sibique jam per eam ſatisfactum eſſe fatetur.

Officioſus in amicum eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Votum pro privato amico bono, & pro publico ſimul.

valetudine longæva & proſpera votum. Tum verò illud quoquè pro publica quiete & ſalute, quam eheu! non tantum metus, ſed & motus bellorum appetunt. Adeoque verendum plus pluſque, ne in Polonia (quod nuper Vir quidam Illuſtris & aliàs gratiâ Aulæ validus, cum dolore dixit) verè ineunte acriora partes diſſidentes & malè cohærentes adhuc, ineant certamina, imò bella & prælia

Bella civilia jam olim habita in gloria.

- - - - - - nullos habitura triumphos,

Auctoris pietas in patriam.

ut Lucanus ait. Moneat velim Illuſtriſſima Dominatio Veſtra pro ſua dexteritate & in patriam meam inſigni benevolentia, amicos, quos in Polonia egregiis meritis ſibi conciliavit & conſervat, ut videant ne quid detrimenti amplius Reſpublica accipiat. Caveant omni ſtudio, ne ejuſdem illius Poëtæ verba illis applicet præſens & ventura ætas, canens cum illo & deplorans ſimul jus datum ſceleri & licentiam vitiis conceſſam publicè privatimque noxiam,

- - - - - - populumque potentem
In ſua victrici converſum viſcera dextrâ
Cognataſque acies, & *rupto fædere regni*
Certatum toties concuſſi viribus orbis
In commune nefas:

Externa potentia diſcordibus metuenda civibus.

Commune, dico, exitium, & communis libertatis, quæ noto fœdere regni ſancita & cuſtodita quondam fuit, ruinam. Revera enim hoc metuendum eſt, poſtquam ſe externi licentia ferri feſſis diſcordantis populi rebus, victoribus & victis gravis, immiſcuerit. Eſto hoc meum quoque bono viro convenientis in patriam pietatis monumentum ex ratione ut officii ita & voti Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ & ſtrenæ repetitum. Epigramma illud Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ eſſet mihi pergratum. Quamvis verò neſciat Eadem Auctorem illius comparationis mundi cum gravida, (nam non parum ſæpè refert irritamenta invidiæ, veritatem contemturæ, ignorare) tamen ex ratione conſtantis ſtudii in virtutem incumbentis, promiſſi fidem velim mihi præſtet. Rem certè Illuſtriſſima Dominatio Veſtra fecerit non tantum mihi, ſed & omnibus gratam bonis, imò & publico utilem. Poſſet autem alicubi, ad calcem ſcilicet operis, hoc epigramma addi, & eſſet, ut nuper indicavi, argumento Cometico bellè accommodatum. Nempe quod Cometæ mundi interitum portendere à quibuſdam credantur. Utinam verò Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ illud liberale & pingue otium quamprimum obtingat, quo ſtudiis humanioribus totum ſe reddere queat! Fieret enim hoc non tantum cum Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ ſed & omnium bonorum, ipſiuſque publicæ rei inſigni commodo & ſolatio. De divina voluntate ubique ſpectanda & ſectanda ſatis in ſuperioribus diximus. Quanquam hoc nunquam ſatis dici vel diſci poteſt. Quemadmodum & de implorandâ divinæ opis gratiâ, libertati & induſtriæ noſtræ robur & conſtantiam invictam ſuppeditante. *Citra hanc enim vanus omnis noſter foret conatus. Ideoque Deum ſupplex veneror & precor, largiatur eam omnibus hominibus propitius, propter pretioſiſſimum Filii ſui unici ſanguinem in cruce fuſum: ut poſſint præſtare omnia charitatis, temperantiæ & pietatis officia, quæ Deus in verbo ſuo præcepit, & apparitione Cometarum in memoriam revocat. Cui voto meritò addo pium & memorabile Clementis illius Romani monitum: *Nihil illiberale & ſordidum in charitate, nihil ſuperbum. Charitas non agnoſcit Schiſma; charitas ſeditionem non movet: charitas omnia in concordia facit: in charitate omnes Dei electi perfecti ſunt facti: ſine charitate nil Deo acceptum eſt. In dilectione nos Dominus ſibi aſſumpſit. *Propter dilectionem quam erga nos habuit, Dominus noſter Jeſus Chriſtus voluntate divina ſanguinem ſuum pro nobis dedit, & carnem ſuam pro carne noſtra, & animam pro animabus noſtris.* Saleſii, & aliorum ſcripta, virtutes, Chriſtiano homini convenientes, commen-

Veritatem ex rei non dicentis conditione metire.

Epigramma promiſſum Auctor apud Rautenſteinium urget.

Otium liberale bono Viro optandum.

Divina voluntas ſemper ſpectanda & ſectanda eſt, auxilii verò ejus gratia imploranda.

Gratia Dei cum libertate hominis neceſſariò conjungenda.

** Chriſtus immenſæ charitatis exemplum nobis præbuit, atrociſſimam crucis mortem ex voluntate paterna pro nobis paſſus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dantia libenter ſemper legam, & in ſuccum ac ſanguinem convertam. Sed tempore magis commodo. Nunc enim non vacat mihi, tanto opere occupato. Adjungo Heinſiana jam jam allata, & fungor aſſiduus officio ab eo mihi impoſito, ſalutandi Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram nomine ejus. Benè valeat cum dilectiſſimis ſuis, & me conſtanter redamet, qui ſum

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio, cultu, officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ratisbonâ Hamburgum die 21. *Decembris* 1665. *N.*91. *ad* 86. (*al.* 2. *ad* 98.)

SI vera ſunt, quæ Viennâ ſcribuntur, quæque adjungo, pax Polonica nondum eò eſt loci, ut gratulari nobis de ea poſſimus. Nec Palatina controverſia difficultatibus carere fertur & periculis. Quæ in finibus Weſtphaliæ Veſtræ gerantur ac parentur, quæ in exteris regnis ac provinciis, Generoſitati Veſtræ magis quam mihi perſpecta ſunt, & an bella magis metuere, quam pacem ſperare poſſimus. An vel quid Cometis hîc imputandum nec ne, judicent alii. Ego vitiis hominum plura imputo: quibus tamen Deus pro infinita miſericordia ſua etiam hoc ipſo beneficium immeritis facit, quod talibus eos ſignis & flagellis ad pœnitentiam vocet. Utinam veram & non ſeram! Illud verò, quod bonis bona, malis mala portendant Cometæ, mihi non diſplicet: quamvis propter malos etiam boni aliquando ſimul plectantur, & hic verum ſæpè ſit: aliquid mali propter vicinum malum. Sed quis adeò bonus eſt, ut pœnam non mereatur, ſi in judicium nobiſcum intrare velit Deus? Amicos communes, ne toties id repetere cogar, quoties id fert occaſio, meo nomine ſalutari peto. Proximè plura. Nam nunc abjungere cogor, futurus ſemper

Vitiis hominum plus quam Cometis tribuendum eſt malorum.

Rautenſteinii de Cometis ſententia.

Homines miſeri peccatores ſumus.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

DE RAUTENSTEIN.

Hamburgo Ratisbonam die 30. *Decembris* 1665. *N.*92. *ad* 91. (*al.* 4. *ad* 2.

NOn vana ſunt profectò illa, quæ ad Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram de rebus Polonicis perſcripta ſunt. Magis magiſque enim pervidere datur, pacem ibi dubiam eſſe. Juvat tamen optare & ſperare meliora. Deus, ut eſt Optimus & Maximus, ſi volet, extra ordinem Polonis de pace gratificari, &, ut aureum os Conſtantinopoli loqui ſolebat, παραδοξοποιεῖν ac præter opinionem multa præſtare poteſt. An verò id ſit facturus, dum pertinaci iniquitate plus pluſque irritatur, meritò dubitare poſſumus. Pacem quoque Germanicam hic & illic vacillare, magnoperè dolendum eſt, optandumque eam ſolidè fundari poſſe. Pacem nos hic & illic in orbe ſperare debere, nemo equidem æquus negaverit: ſed & nemo prudens, hîc & illic bellum metuendum eſſe. Utrumque ſi evenerit, Cometa utrique pariter præluxit. Minus tamen Cometis quam vitiis hominum tribuendum eſſe malorum, rectè Illuſtriſſima Dominatio Veſtra judicat. Cujus ſententiam cum mea de Cometarum ſignificatione convenire, magnoperè gaudeo. Pios quandoque communi calamitate cum impiis involvi, experientiâ confirmatur. Nempe quod & iſti vel pœnâ in hac vita plecti, ne in futurâ plectantur, meruerint, vel quadam confidentiâ & imprudentia in calamitatem inciderint. Novit tamen Deus diſcrimen facere inter Noë & mundum: inter Lothum & Sodomitas: inter Iſraëlitas & Ægyptios: inter Joſaphatum & Achabum. Quamvis autem Deus patiatur & pios

Deus multa præter hominum exſpectationem facit.

Pios quandoque communis calamitas abſorbet: Deus tamen ſingularem curam eorum gerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Judicium Domini ſæpè incipit a domo ejus.

pios affligi ac tentari, juſtâ ſuâ vindictâ vitiorum orbem coarguente, imò ab illis ſæpè initium fieri permittat: tamen ſupra vires eos non premit, & in altera vita multam mercedem eis paravit. Itaque conſtat ſibi illud Cometæ mei ſymbolum, *Bona bonis, mala malis*: quaſi Deus iſtis cæleſtibus præconibus imperarit, edicerent, juſto quidem, quia benè erit ei, cum manuum ſuarum fructum percepturus ſit: væ autem impio, quia malè erit ei, cum retributio manuum ejus futura ſit ei: ſicut ipſe Deus apud Prophetam loquitur. Omninò verò certum eſt, coram Deo, qui intima quoque cordis noſtri novit, & omnia, etiam abdititiſſima, flammeo oculo penetrat, ſi is judicare nos ex rigore juſtitiæ velit, neminem noſtrûm eſſe, qui ita bonus, ut non ſimul ob varia delicta pœnâ dignus ſit. Itaque & probum genus hominum apparitione Cometarum officii admonetur, & ex tam illuſtribus cæli ſignis ſolatia ſpei ita accipit, ut & monitorum ſimul ſtimulos acres, velut divinâ admotos manu, accipiat.

Pii quoque non ſunt perfecti, non immunes culpâ, nec immunes futuri pœna, ſi Deus rigore ſuo uti vellet.

N 92. ad 87. & 88. (al. N. 3. ad 99. & 100.)

Ratisbonâ Hamburgum die 24. Decembris 1665.

Rautenſteinius de aſſiduitate literarum Auctoris ſibi gratulatur:

Eidem benevolentiam ſingularem teſtatur, conſtantem hanc fore promittit.

BInas Generoſitatis Veſtræ, ut ſperabam, ſimul accepi. Idem meis contigiſſe augurор, omneſque ad Generoſitatem Veſtram rectè tandem perveniſſe. Neque enim ullas hactenus nobis intercidiſſe memini. Quod in tanto locorum intervallo, tantoque temporis ſpatio mirari quis poſſet. Puto enim jam ferè in quartum annum nos hoc commercium exercere: quod fateor à nemine mortalium tam diligenter & conſtanter mecum eſſe cultum, quam a Generoſitate Veſtra, cujus induſtriæ proinde meritò reſpondi, & reſpondere in poſterum etiam paratus ſum, quantum Deus, tempus & vires permittent. Paria enim cum Generoſitate Veſtra facere nunquam præſumam, utpote eruditione, diligentia & temporis ſpatio otioque longè impar: nemini tamen ceſſurus unquam, quantum ad candorem & conſtantiam amicitiæ ſpectat. Habituros autem nos iſto, qui nunc inſtat anno, abundè quod ſcribamus, cum Generoſitate Veſtra omninò cenſeo. Nam licet non deſint adhuc per gratiam Dei, etiam exulcerato hoc ſeculo, Magni Principes aliique cordati & boni publici amantes Viri, qui pacem omni niſu promotum eant ſuadeantque. Vereor tamen, ne malitiâ illorum ſuperentur, qui turbas quieti, & aliorum miſeriis compendia ſua præferunt, accedente præſertim toties ad iram provocati Numinis deſtinatione, quod cum plectere ſontes conſtituit, omnia illuc facilè dirigit. Nos quid faciamus? Involvamus nos non quidem innocentiæ noſtræ (nam quis de ea gloriari poteſt?) ſed gratiæ & voluntati divinæ, patienter exſpectantes, quid tandem illa de nobis deque perverſo hoc mundo ſtatuere velit? Interea opto cum Generoſitate Veſtra ut ex medio tot bellorum, quæ parantur igne, pacis flammæ aut ſcintillæ ſaltem exſiliant, noſque eam, quam Elegantiſſimus Tibullus, mihi olim valdè familiaris, ſæculo ſuo optavit, temporum felicitatem videre ſinant. De Cometis aliiſque ſideribus inſolitis meam qualemcunque ſententiam ſæpius aperui utcunque, pleraque ex arena & ſine ulla præmeditatione, ut eſt nimium occupatorum mos, effundens, ita ut aſciâ quadam & dolabrâ omninò indigerent, tempus ſi pateretur & otium ſupereſſet. Video tamen me in omnibus ferè cum ſententia Generoſitatis Veſtræ convenire. Quæ quod mei etiam apud Clar. D. Ravium tàm honorificam mentionem facere voluerit, ex eo conſtantiam & exuberantiam affectus ſui gratus agnoſco. Jam ferè 20. ſunt anni, cum ex Livonia Monaſterium, ad tractatus Pacis Generalis tendens, inſignem illum Virum Dantiſci, ubi Profeſſorem tunc agebat compellavi, meque amicitiæ ipſius ita, ut puto, inſinuavi, ut ad hoc uſque tempus memoriam mei (prout ego ſanè fideliter feci) conſervaſſe eum non dubitem. Rogo itaque ne gravetur Generoſitas Veſtra eandem ipſi refricare, & de ſtudio affectuque meo teſtari. Nihil quidem ex eo tempore à manu ipſius, aut ullum Præſtantiſſimi illius ingenii fœtum me vidiſſe memini, præter ea quæ jam olim Cornelio Nepoti præfatus eſt de ratione ſtudiorum, ita ſupe-

Deus contumacia irritatus meritam pœnam hominibus deſtinat

Divinam voluntatem patienter ſequere.

Mundi finem proſpice.

Pacem omnibus precare.

Rautenſteinius Auctori de Cometis aſſentit, extemporalem ſcriptionem excuſat,

Mentionem ſui ab Auctore apud Ravium factam eſſe gaudet,

hujus amicitiam & eruditionem commemorat, eique ſe commendari petit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſuperiorum temporum infelicitate aut ignaviâ corruptâ: ut mirum ſit, quomodo
nonnulla adhuc vivida & ignea ingenia perrumpere potuerint tot obices, quos
illis barbaries iſta & Orbiliorum ineptia poſuerat. Vellem autem ſcire, quid in-
terea temporis amplius ediderit Vir ille undique doctiſſimus, & quid ab eo am-
plius ſperare fortaſſis liceat, præſertim cum in munere iſto ſuo majori procul-
dubio nunc ocio fruatur. Sed ad publica. Dum faciem rerum Hiſpanicarum,
Gallicarum, Anglicarum, Svecicarum, Hollandicarum, Veſtrarumque Polonica-
rum intueor, plurimum doloris in corde meo concipio, & varia rei juvandæ
media mente bono publico intentâ agito. Quicquid ſit, puto, quòd pauci men-
ſes nobis ſcenam latius pandent, & accuratius de rebus illis judicandi facultatem
dabunt. Quam ad rem, etiam aliorum epiſtolicæ narrationes mentem informan-
tes non parum juvabunt: præſertim Clar. Heinſii noſtri, cujus poſtrema ad Ge-
neroſitatem Veſtram epiſtola non ſine magno judicio & prudentia ſcripta erat.
Clar. Bartholini modeſtia mihi perplacet, & quòd latendo benè & feliciter vi-
vere conſtituerit. In quo omninò genio meo reſpondere videtur, mihi proinde
magis etiam æſtimatus amatuſque: qui ideo magis ſtudebo, ut ipſius & Clar. Do-
mini Fratris ſcripta comparare mihi poſſim. Quantum vero ipſe ad vitam pri-
vatam anhelem, ipſa Generoſitas Veſtra teſtis eſſe poteſt, cui eandem felicita-
tem opto. Epiſtolæ 19. divini Senecæ ſatis recordor, ut & aliarum ejuſdem com-
matis: licet hæc talia nunc mihi inſpicere non liceat, aliis ſemper diſtracto. Li-
cebit tamen ſpero, cum aliquando mihi redditus fuero ac Muſis: præſertim ſi
hæc Diæta felicitèr finiatur. Cujus tamen rei aliquando bonam magnamque,
mox minorem ſpem concipimus, uti fieri ſolet, quando cum tot capitibus res
eſt, cumque ex tam variis principiis agitur. Ego tamen non deſinam partes Boni
Viri ſtrenuè agerè, &, quantum in me eſt, bonum publicum promovere. Ille, qui
putat Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum partes Batavorum amplexurum,
aut Auguſtum Cæſarem Monaſterienſi milite adſtiturum, fallitur opinione. Iſte
enim, ut eſt Princeps naturâ ad pacis & juſtitiæ artes proclivis, Mediatorem jam agit
inter hunc & Batavos, teſtatus ſatis, ſe neutras partes ſecuturum, ut decet etiam.
Ac proinde noſtrum Plettembergium in illas oras, & Baronem Göeſium (utrumque
rerum gerendarum dexteritate Generoſitati Veſtræ ſed & orbi notum:) ſpecialiter
ad Electorem Brandenb. & Principem Monaſterienſem ablegavit. Ille verò quam-
vis magni animi magnæque potentiæ, ſed & magnæ Juſtitiæ & comitatis Princeps,
partes Batavorum non amplectetur. Nam & aliis variis rationibus detinetur,
ne bello ſe immiſceat, quod etiam ſine conſenſu Statuum Imperii, vigore Capi-
tulationis juramento firmatæ, facere nequit. Lunæburgici, Principes ut generoſi,
ita opum ac virium validi, quid tandem facturi ſint, videbitur. Dux Auguſtus
tamen, totius Romani Imperii ætate parens, etiam mediationem ſuam
obtulit utriquè parti. Dux vero Joannes Fridericus, quietis & literarum aman-
tiſſimus, à bello iſto omnino alienus eſt. Faxit Deus, ut pax ibi quamprimum
coaleſcat, ſed & alibi, utque ubique vigeat & floreat, cum hac vero omne quod
rectum & æquum eſt! Confirmaretur ita Generoſitatis Veſtræ de felici Cometa-
rum augurio ſententia, ſed & omnium bonorum exſpectatio. Id ut fiat, immi-
nentibus proximè ſtrenarum votis muneribuſque patriæ meæ & Veſtræ, orbi-
que univerſo, qui omnium noſtrûm quædam patria eſt, ex animo precor voveo-
que. Plura nunc quæ ſcribam, non ſunt: exſpecto autem a Generoſitate Veſtra
quæ in partibus illis veſtris, utpote novorum nunc feracioribus, geruntur aut il-
luc undique afferuntur. Cui pro diligentia hactenus, & nunc præſertim, præ-
ſtita, debitas gratias etiam atque etiam ago. Unum adhuc ſupereſt addendum.
Aſſervavi ab aliquo tempore, operâ Præceptoris filiorum ſororis meæ, (qui ita ſimul
aliquid addiſcit) apographa literarum ad Generoſitatem Veſtram à me datarum,
quas tamen Amanuenſi ex tempore dictare ſoleo, prout in mentem veniunt
ambulanti. Quia autem nuperam illam N°. 1. non deſcripſit, rogo jubeat
illam ad me redire, ſtatim remittendam. Non merentur quidem id meæ, ſed
nollem

Rautenſteinius de ſtatu Chriſtianorum Rerumpublicarum judicat & docet.

Literarum commercia appetit, Heinſium magni facit & Bartholinos.

Modeſtiam ſectare ſequitur eam gloria.

Conventus Imperii inter ſpem & metum.

Cæſar laudatur: partes Monaſterii non ſequetur, ſed pacem conciliare vult.

Elector Brandenburgicus laudatur.

Lunæburgici Duces laudantur.

Auguſtus Brunſuic. laudatur.

Pacem honeſtam & ſidam omnibus opta.

Officioſa diligentia amicitiæ grata.

nollem tamen unicam illam deeſſe, & videbunt aliquando Sororis meæ filii, ſi literas bonas, ut ſpero, diſcant, etiam inde amicitiam noſtram, ipſis hæreditario jure relinquendam. De cætero, Generoſitati Veſtræ ſimul cum omnibus ſuis novum hunc, qui inſtat, annum felicem fortunatumque ex animo voveo atque auguror, futurus dum vivo

& erga Auctorem benevolentia.

G. D. Veſtræ

Paratiſſimus Servitor

De Rautenstein.

N. 93. ad 92. (al. 5. ad 3.)

Hamburgo Ratisbonam poſtrid: Kalend: Ianuarias Anno (quod felix fauſtumquè ſit!) 1666.

Illuſtriſſimè Domine Legate.

Auctor tarditatem literarum ſuarum dolet, nullas utrinque interiiſſe gratulatur,

Magni Rautenſteinii amicitiam & familiaritatem facit,

Parem affectûs conſtantiam promittit,

Laudes amicas, tanquam benèvolentiæ indicia & officii monita accipit,

SEmper ægrè tuli, quoties meæ literæ tardius ad Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram perlatæ fuerunt. Sæpius id enim ex parte mea, quam Veſtra accidiſſe, agnoſco. Ita tamen noſtras literas, ultro citroque commeaſſe, ut dum nos quartus annus eas aſſiduâ manu texentes videat, nulla earum perierit, mirari quidem quiſpiam poſſet, nos autem nobis mutuò gratulari eo nomine par eſt. Meam qualemcunque diligentiam in ſcribendo ab Illuſtriſſima Dominatione Veſtra tanti fieri, eſt de quo gaudeam. Tanti enim nominis Amico placere in laudis non poſtremæ loco pono. Candorem & conſtantiam benevolentiæ Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ego quoquè ex mea parte gratus agnoſo & veneror. Paria paribus reddere æqui ratio nos docet & jubet. Idem officii mihi aſſiduò & induſtriè faciendum eſſe ſcio. Laudes quas Illuſtriſſima D. Veſtra mihi tribuit, accipio tanquam ab amica manu porrectas, quæ dum laudat, officii commonet. Hoc ut dicam, facit dives illa ingenii & affectus Gruteriani Scatebra, quæ in me triplici carminum rivo uberrimo, imò pleno alveo defluxit, ac penè exundavit alveum exiens. Cum verò ille impulſu Illuſtriſſimæ D. Veſtræ ſe id feciſſe, Veſtrumque torrentem ſe in ſocietatem traxiſſe & ſecum abripuiſſe indicet, redit in orbem unda ad genitorem, ut ſic dicam, Oceanum cum rivulis debitæ gratiarum actionis, quod mihi Illuſtriſſima D. Veſtra tantæ notæ virum reddiderit amicum, imo inſignem ejus benevolentiam mihi meiſque votis commodam conciliarit. Fateor tamen non ſine rubore, illum quoquè affectui non parum dare. In quo cum Heinſiana humanitas modum exceſſerit, prius ad eum hac de re referre debui, quam Scazontis ejus, inoffenſo aliàs decurrentis pede, copiam Amicis facere. Verumtamen Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ, quicum ut mecum ipſo loquor, exemplum mitto. Atque hæc velut in tranſitu dicta ſunto, occaſione laudum, quas mihi benevolentia Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ admetitur. Cui omnem in ſcribendo & officio faciendo ſolertiam inpoſterum quoquè promitto, & cum voto omnis proſperitatis vitæ pro ſtrena iterum iterumque novo hoc anno Gregoriano ineunte offero.

Amicus alter ego.

Strena amica voti candor & officii conſtantia.

Sed & votum adjungo pro bono publico, cujus nunquam oblivisci poſſum: Deum orans, ut quamprimum hîc reſtitutam, illic firmatam pacem æquam & honeſtam (quâ in rebus humanis poſt bonam mentem nihil eſt optabilius) videamus. Et fateor quidem me libenter viſurum, ſi tam illuſtri argumento mea de Cometis ſententia confirmetur. Lubentius tamen hoc viderem propter bonum generis humani. At hujus quam eheu! exigua cura plurimorum animos tangit, quos ſcilicet ambitio vel avaritia indomita totos ſibi vendicant. Lacteus ille Lactantius perſtringens hominem corpus divinum (quod omnia quæ videmus eſſe ſtatuit) licenter lacerantem, inter alia ait: *maria exſtruuntur, montes exſcinduntur, & ad eruendas opes interiora terræ viſcera effodiuntur.* l. 7. c. 3. Quid diceret, ſi videret ambitionis vel avaritiæ ſolius cauſſâ homines pios, quos divina vox unum cum Chriſto corpus & Spiritus Sancti templa appellat,

Pace nil optabilius.

Bono publico ante omnia fave.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

lat, violari, in exilium pelli (qua de re nonnihil Gruteriana iſta habent) trucidari, ſed & aliàs tot millibus hominum exciſis, rivos ſanguineos exſtrui, maria iis tingi, eadem corporibus repleri, ex his in unum tumulum congeſtis montes fieri, & cupiditate opum non tantum interiora terræ, ſed Chriſti, ut ſic dicam, viſcera, Chriſti membra erui. Et hæc quidem omnia ab illis & in illos exerceri, qui omnes Chriſtiani audire volunt. Quis hîc teneat lachrymas? Quis cordis non attingatur dolore? Ne longè quæram luctuoſa ſcribendi argumenta, domi hæc invenio, in patria ſcilicet, licet extra eam poſitus. In qua omnia plena ſunt ſimultatibus, quæ vereor ne proximâ æſtate, ut flammæ paula aquâ ſuppreſſæ per vim adverſantem & reſiſtentem, quam reactionem Philoſophi vocant, altius ſurgant & latius à Majori Polonia ſerpant per continua quoque, ut uno repentè omnia incendio hauriant. Quod avertat Deus! Eſſet hoc non tantùm menti, quæ nil niſi pietatem & amorem in patriam ſpirat, ſed & ſententiæ meæ de Cometis contrarium. Quanquam ſcio huic rei non difficulter occurri poſſe. Deus enim ut neminem ad peccandum cogit, ita nemini nolenti, & quidem contumaciter reſiſtenti, bona obtrudit. At non deſunt & ibi Viri ut ſalutis, ita & quietis publicæ amantes, quorum induſtriæ artes ne unquam vel uſquam illæ turbidæ & malignæ ſuperent, à Deo immortali, qui pacis non diſcordiæ auctor eſt, opto & peto. Is utinam, dum propè eſt & inveniri exorabilis poteſt, ſeriâ & tempeſtivâ pœnitentiâ eò miſericordiæ perducatur, ut deſtinata & parata ſupplicia avertat, quemadmodum in urbe Ninive olim fecit. Alioquin refractarios frangere & debellare ſuperbos, ei in expedito eſt. Veriſſimum autem eſt, quod Illuſtriſſima D. Veſtra ſcribit, neminem mortalium de innocentia gloriari poſſe: ſi nempe juſtitia divina ad regulam rigoris omnia noſtra examinare velit. Ad ejus immenſam & verè paternam dilectionem, ac Filii ejus unici ſanguinem innocentem, nocentes reos criminum & noxæ obnoxios mundantem, confugiendum eſt miſeris, qui vitia relinquere volunt, priuſquam hæc ipſos. Hi tunc peccare nolunt, cum peccare poſſunt, ſecus quam vulgo fit à pleriſque converſionem luſoriam in fatalem lectum ex induſtria deferentibus: quos vetus Eccleſiæ cenſura confodit, ſicut Auguſtini lib. de pœnitentia & Jus Canonicum docet. Talia cum à permultis, ne dicam pleriſque contemnantur, minimè mirandum eſt, Deum per Cometas, tanquam juſtitiæ præcones, mala mortalibus minari, qui bona eligere, amplecti, facere nolunt, licet de gratia divini auxilii certi ſint redditi. Meritò itaque Clariſſimus Titius, veſtigiis Poëtarum, quorum alioqui doctiſſimis accenſendus eſt, inſiſtens, vernum quoque Cometam triſtia portendere pronunciat his verſibus, quos mihi per Nobiliſſimum Pelſium, communem Amicum noſtrum, miſit, Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ ut ſingulari Patrono ſuo communicandos.

Dole malis alienis.

Pius in patriam eſto.

Pacem omnibus precare.

Deus quærendus tibi eſt dum inveniri poteſt.

Superbos Deus calcat.

Innocens mortalium nemo.

Chriſti ſanguis purgat pœnitentes.

Pœnitentiam age tempeſtivè.

Cometæ mala minantur, quia homines mali ſunt.

In Cometen Anno 1665. die April. 5. 6. & ſeqq.
in Pegaſo conſpectum:

DUm diri toties ardent terrentque Cometæ,
Pegaſus alatis flagrat & ipſe jubis.
Triſtia conſpiciunt mœſtæ portenta Camenæ,
Incipiuntque ſuis multa timere vadis.
Publica ſi variis agitentur fata procellis,
Quî ſors Pegaſidum mitior eſſe poteſt?

Joh. Petr. Titius.

Cum verò hîc nonnemo moverit dubium, an in verſibus illis, in hyemalem Cometam ante annum conſcriptis, & ad nos per eundem illum Amicum Humaniſſimum miſſis, Hydram colubriferam convenienter appellarit, cum & hydra, hydruſque & coluber generali ſerpentum appellatione contineantur: viſum

Hydra Colubrifera.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſum eſt viro illi eruditione egregio hæc, quæ adjungo, ad me mittere.

Hydram, Sidus, Poëticè voco Colubriferam, ſecutus eos, qui hoc ſidus id nominis accepiſſe putant ab Hydra Lernæa, quam Hercules confeciſſe traditur: quamvis alii aliam fuiſſe hydram putent, quam aſtris ſuperſtitioſa & fabuloſa antiquitas adſcripſit. Colubriferam appello, Poëtarum exemplo, qui ſic nobis eam depingunt

- - Quid Cretæ, Taurus, Lernæaque peſtis
Hydra venenatis poſſet vallata colubris:

ait Lucretius l. 5. v. 27. Quemadmodum igitur ille Hydram vallatam colubris: ſic ego Colubriferam dixi. Nempe Hydram monſtrum fuiſſe fingunt horrendum, informe, ingens; & capita habuiſſe complura, ſerpentibus innumeris minoribus fœta & fœda. Vocem ipſam Colubriferæ ab Ovidio mutuatus ſum, qui, de capite Meduſæ loquens, ait:

Meduſæ caput.

Torva colubriferi ſuperavit lumina monſtri.
Metamorph. l. 5. vſ. 241.

Rautenſteinius Titio amicus.

Hæc ille, quæ quamvis ſatis nota Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ, Titium & Titiana meritò magni facienti, communicanda eſſe duxi. Ego tamen, licet eum debitâ benevolentiâ complectar, ut reſtitutâ ubique & florente pace omnique proſperitate ac lætitiâ refutetur, & falſus ſit vates, opto, qua in re Vir ille probitate inſignis nequaquam mihi refragabitur. Sententia Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ de hoc argumento mihi ſatis eſt perſpecta & pergrata, utpote benè cum mea conveniens. Cujus ideo apud Clariſſimum Ravium feceram mentionem, & de Ea meritò gloriatus fueram. Cum quo Viro doctrinæ laude præſtantiſſimo, quod Illuſtriſſima Dominatio Veſtra tamdiu amicitiam contraxerit, multum equidem utrique Veſtrûm gratulor. Ego eum nonniſi de fama novi, qui tantam Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ erga ſe benevolentiam, faxo ut quamprimum norit. An aliquid recens publico dederit, me latet, fateor. Scio tamen eum in Logicis aliquid ſcripſiſſe, Logicam ſcilicet noviſſimam, cum annexo Labyrintho Logicorum: tum & in tabellis rationem ſtudiorum reformandorum ita doctè & ſolidè propoſuiſſe, ut à Statibus Miſniæ, apud quos tunc vixit, largo præmio tam egregii facinoris donatus fuerit. Sed extemplò multi, priſcæ ſeveritatis tenaces, inſtituto ejus ſe oppoſuerunt, ita ut hoc effectum dari non potuerit. Optandum ſanè foret, ut è Scholis Chriſtianis ea, quæ barbariem redolent, tollerentur. Inter quæ eſt & illa Orbiliorum duritas & ſeveritas, non exiguus bonis alioquin ingeniis poſitus obex. Perplacet mihi illud Plutarchi in Catone Minori, de ejus pædagogo Sarpedone, eum fuiſſe verbis quam verberibus promtiorem, & hoc boni atque civilis pædagogi eſſe. Cum autem Illuſtriſſima Dominatio Veſtra me conſcio cum Clariſſimo Titio de ratione ſtudiorum Sereniſſimi Principis ſui, ut aliis divinis donis, ita & prole maſcula cumulatiſſimi filiorum, magnæ exſpectationis puerorum cauſſâ, conferat, & talium, quod benè novi, avida ſit, mittam ei quædam de hoc argumento à Docto Viro M. Frederico Hofmano, juventutem in hujus Urbis Gymnaſio inſtituente, conſcripta haud vulgaris eruditionis documenta, non tantum tironibus, ſed & adultis perquam utilia. Alter libellus eſt, Manuductio brevis ad Latinam linguam: alter, de ratione docendi diſcendique Grammaticen præpoſtera atque perverſa: nec non de hujus mali cauſſis, & remedio Clariſſimorum quorundam Scriptorum ſententiæ. Sed ad res Polonicas redeo, ut ſic ad alia ejuſdem generis perveniam. Quales illæ ſint, hæc corporis Polonæ Reipublicæ anatomia Politica docet, ſcriptum amœnum, rerum & libertatis plenum. Auctor ejus ſubjicit ad calcem, eſſe partum otii non omninò otioſi, & ſe ridendo dicere verum profitetur. Utrumque merito. Agit profectò *Democritum*. Sed alter iſte, qui Poloniam morientem (abſit omen!) ſuos & exteros menſe Octobri alloquentem introducit, *Heraclitum*. Miror me id ſcripti prius non accepiſſe, cum ante menſem unum & alterum compoſitum

Pacem omnibus opta.

Rautenſteinianam ſententiam cum ſua convenire Auctor gratulatur.

Orbilii plagoſi juventuti nocent.

Hofmanni Collegæ Hamburg: commendatio.

Polonæ Reipublicæ anatomia Politica.

Polonia moriens menſe Octobri ſuos & exteros alloquitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſitum & editum eſſe videatur. Dignum lectu & conſideratione eſt, licet, ut
video, erroribus hic & illic ſcatens. Sed fortè illud jam Illuſtriſſima Domina-
tio Veſtra viderit. Opportunè quidem utrumque per orbem ſpargitur, ut
ſtilo non diſſimili, ita eodem planè ſtudio juvandæ Reipublicæ, ibi mortis in
articulo ſuos exteroſque alloquentis, hic jam in theatro anatomico exſectæ &
judicatæ. Optarem, ne ſaltem inpoſterum & ad extremum dulciſſima patria
vel pulmones Democriti, vel oculos Heracliti fatigaret, & ſibi dictum puta-
ret:

Auctoris amor in patriam.

> Pone igitur larvas, ne ſemper rideat ille,
> Pone & peccatum, ne ſemper lachrymet alter.

Videntur mihi hìc lapides clamare. Utinam & talia proſint, quo graviſſimi
illi morbi, quibus Reſpublica laborat, curentur. Pericula enim, quibus laſ-
ſatur, ſunt ingentia & multiplicia, quæ eam undique obſident. Ego utrum-
que ſcriptum pro amicitiæ noſtræ jure & ſtudio patriæ juvandæ Illuſtriſſimæ
Dominationi Veſtræ mitto, ut hic omnes ingenii, dexteritatis, auctoritatis
& induſtriæ nervos in ſervanda nobiliſſima illa Republica intendat. Et Hera-
cliti quidem illius oculis ſufficiet copioſus humor. Videt enim ille ex proxi-
mo, quod nos procul non vidimus. Longè nunc melius fide ejus de rebus
patriis edoctus ſum. At aliunde quoquè ſcribitur, nil boni ſperandum eſſe: pa-
cem Conventam glacialem in Aula vocari: militem peregrinum magno nume-
ro conſcribi: Comitia ex deliberato uſque ad peractos militum delectus, &
tempus educendo in campum militi commodum protractum iri: novæ electio-
nis ſtudia intendi, & quæ ſunt alia. Adhæc de reſtitutione injuriâ pulſorum
(quam tamen Heraclitus innuit) nullam fieri mentionem. Hæc mihi majorem
incutiunt timorem, & plus mali patriæ portendere videntur, quam duo treſ-
ve pluresve Cometæ, quos longè præceſſerunt iſta mala (ne quis eorum infa-
miâ illos gravet) quæ miſerè patriam concutiunt & dividunt. Fidem do He-
raclito noſtro, etſi ſerius nonnulla in hanc rem didicerim. Hæc jam pridem,
quæ continuò dolemus, non tantum deſtinata, ſed & agitata & uſque adhuc
promota, nec tam feliciter quam fortiter defenſa, majorem in animo meo ex-
citant ſollicitudinem pro patria, imò metum & angorem, quam Nicolai Zo-
ravii celeberrimi Aſtrologi, Cracoviæ nuper defuncti, prædictiones. Noveram
Virum hunc Græcè & Latinè doctiſſimum, artis ſuæ peritiâ clarum. Is aliquod
Prognoſticon de Cometis reliquit: ſed nihil fauſti patriæ præſagit. Opperia-
mur itaque quid ver proximum ſit allaturum, ſi tandiu vivimus, & quicquid
illud fuerit, forti & modeſto pectore excipiamus. Ego antequam rem eventus
doceat, inter ſpem & metum manebo, Deum aſſiduo pro juſta & fida pace
ſaluteque patriæ orans. Auguſtiſſimum Cæſarem & Sereniſſimum Electorem
Brandenburgicum rebus Polonicis in tanta vicinia invigilaturos, extra dubium
eſt. Eorum enim res agitur paries cum proximus ardet. Propter hanc quoque
cauſſam juſtam prudenter agent, cum ſe bello Monaſterienſi non immiſcebunt,
ſed potius, quod ſperandum eſt, illud component. Novi Baronem Goëſium
(cujus eruditio & in rebus gerendis dexteritas in Aula Danica mihi perſpecta
eſt ante quinquennium) in Aula Electorali, nomine Cæſaris ſtrenuè id agere.
Plettenbergius etiam, cujus prudentiam longo uſu & plurimis legationibus
contractam, animique probitatem diuturnâ converſatione hìc habeo cognitam,
in illis oris, credo, idem negocii peragit. Credo & Auguſti illius Brunſui-
cenſis venerandam auctoritatem ſtudia pacis promoturam: quod fortè & arma
Lunæburgica præſtabunt. Scio autem Sereniſſimum Ducem Hannoverenſem
belli motibus quietem & ſtudia liberalia prætuliſſe. Sed pergo ad alia. Cla-
riſſimis Bartholinis hanc Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ benevolentiam indi-
cabo. Cui optatum ſeceſſum & otium, ut & Conventui Veſtro eventum, ex
animo opto. Autographum epiſtolæ, quæ novam centuriam inchoavit, ad Il-
luſtriſſimam Dominationem Veſtram recurrit, ad me aliquando rediturum.

Heraclitus Polonicus multa arcana aperuit, cauſſaſque deplorandi patriam habuit.

Polonia reſtituat exules, ſi ſalva eſſe velit.

Ejus mala longè præceſſerunt Cometas.

Auctor ſollicitus in patriam.

Patientiâ cuncta adverſa excipe.

Vicina pericula cave.

Pacificus eſto.

Sapienti otium liberale convenit.

Auctor erga Rautenſteinium benevolentiam & gratum animum teſtatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Finio & hanc epiſtolam verboſam, & Communicationem noſtram operi inſerendam, repetendo vota candida & gratiarum actionem, de incomparabili in colendo literarum commercio, & quidem inter tot publica negotia diligentiâ & conſtanti benevolentiâ, manſurus quoad vixero

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ.

Omni ſtudio, cultu, officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

II. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

COMMUNICATIO NEOBURGO-CURTIANA.

Neoburgo Ratisbonam die 2. Ian. 1665.

SEcundus hic anni dies eſt, quo nomine appellari eos qui ſuccedent, totumque qui ſequetur annum ex animo opto. Succeſſus eſt cæleſtis arbitri, quem iratum eſſe accenſa in cælo fax oſtendit. Vidimus eam 25. Decemb. manè, & quid viderimus, adjuncta charta demonſtrat. Ego miror eo loco ſublimem ardere, de quo nunc Batavi cum Anglis diſceptant. Diremptor litis illic habitat, unde hæc viſa. Hi faſces prælati ſummo Dictatori, penes quem ejuſmodi arbitria. Sed me plura parantem philoſophari, Mercurius reprehendit. Credite ſaltem alia eſſe ſupra vos Comitia, quæ de Veſtris rationem exigent &c.

Novi anni Votum.

Cometa fax irati Dei cenſetur.

Bellum inter Anglos & Hollandos.

Judicandi ſtabunt olim, qui nunc ſedent judices.

Ad Illuſtriſſimum D. Joan. Ern. de Rautenſtein, Dn. de Dieteldorf &c, Miniſtrum Statûs & Conſilii Secretioris Sereniſſ. Ducis Neoburgic. Ejuſdemque Legatum ad Comitia Imperii.

Illuſtriſſimæ D. Veſtræ

Officioſiſſimus ſervus

ALBERTUS CURTIUS.

Obſervatio Cometæ Ingolſtadii.

Obſervatio Cometæ Ingolſtadienſis.

Die 31. Decembris circà 7. veſpertinam cælo favente obſervavimus eundem Cometam crinitum ex turri Mathematica. Quadrante igitur poſt ſeptimam altitudo Cometæ obſervata eſt 22°. 30.

Diſtantia Cometæ à ſtella lucida in pede dextro Orionis 9°. 25′.

Diſtantia Cometæ à lucida in humero ſiniſtro Orionis 28°. 22′. Unde ex globo Aſtronomico collegimus longitudinem Cometæ fuiſſe 3°. ♊. Latitudinem Auſtralem ejuſdem 39°. declinationem ab Æquatore 12°.

Quadrante poſt 9. circiter obſervata eſt altitudo Merid. Cometæ 28°. 46.

Eodem tempore altitudo pedis Lucidi Orionis 32°. 26.

Quadrante poſt 12. noctis altitudo Cometæ 16°. 46. altitudo pedis Orionis 23°. 18′.

Diſtantia Cometæ à pede Lucido Orionis 10°. 47′.

Diſtantia Cometæ ab humero lucido Orionis 27°. 56.

Unde ex globo collegimus, hoc tempore fuiſſe longitudinem Cometæ 28°. 46. Tauri. Latit. Auſtr. 31°. 46. declinat. 12°. 6. Colligitur hinc à quadrante poſt ſeptimam veſpertinam uſque ad quadrantem poſt duodecimam noctis Cometam proprio motu; ſaltem apparenti verſus Occidentem progreſſum eſſe 7. circiter gradibus, quorum quilibet conſtat milliaribus Germanicis quinquaginta octo, ſupponendo videlicet, quod evidenter demonſtrari poteſt, Cometam à centro terræ diſtare milliaribus Germanicis pluſquam 3411.

Cometæ diſtantia à terra.

Locus Cometæ in ſchemate nuper delineato exprimi non poteſt, eò quòd jam nimis procul inde verſus Occaſum infra Orionem contra Eridanum proprio motu proceſſerit.

Cometa unus idemque in Corvo & Lepore: hîc ſine cauda apparet in vicinia Lunæ. Tum & velocior quam initio fuerat.

Cometam hunc eundem prorſus cum illo, qui prioribus diebus obſervatus fuit, eſſe exiſtimo, cujus cauda quominus videri poſſit a Lunæ clarè affulgentis vicinia oriri credibile eſt, cum ab eodem Lunæ ſplendore, etiam ſtellæ quintæ & ſextæ magnitudinis, oculis ferè noſtris ſubtrahantur.

Ex poſtremis hiſce obſervationibus certò conſtat, motum proprium Cometæ jam longè velociorem eſſe, quam primis diebus; quod in aliis etiam antehac Cometis crebrò fuit obſervatum.

Neoburgo Ratisbonam die 21. *Ianuarii* 1665.

Cometa in Corvo & Ariete geminus Curtio videtur.

CÆlum nunc obnunciat plura ſcribere, & ſe inſpici jubet, ac numerare novos hoſpites, & paulò poſt diſparituros. Unum fuiſſe Cometam & eundem; qui primum in Corvo luxit, nunc in Ariete, id ego mihi non perſuadeo. Et ſunt qui memorant 27. Decembris utrumque lucentem vidiſſe. Româ à P. Kirchero habeo obſervationem ſat accuratam, quam proximè unà cum meis comparabo. Numerabo in beneficiis ſi, quæ ad Illuſtriſſimam D. Veſtram porrò perſcribentur, mihi communicet. Viciſſim committam, quæ ad me deſtinata &c.

Neoburgo Ratisbonam die 30 *Ianuarii* 1665.

Cometam minari triſtia Curtius aſſerit.

REmitto cæleſtia, quorum Vos ſcilicet minas inſuper habetis. Fulgeant, luceant, & crines aut barbam oſtentent: Veſtris in Comitiis adoptitii crines præpoſſunt. Nunc cum Capitulatio examinabitur, ſubventaneâ è cælo face opus non eſt, in tenebris hæc diverticula rectiùs inveniuntur. Adjungo auctarii loco P. Athanaſii manum, ſed remittendam ſaltem Monachium, quò proximâ ſeptimanâ eundum erit.

Curtii hiſtoria cæleſtis. Cometæ prænuncii futurorum.

Bullialdo multam à me ſalutem. Laboramus jam in ejus fundo, cum aliquid exſudaverint præla, & illi & Hevelio mitam exemplum Hiſtoriæ cæleſtis. Ejus curſum noſſe magis intereſt, quam quid ejuſmodi deſultorii hoſpites prænuncient, & Veſtra Comitia forſitan adhuc plura peccabunt, quam ille ſiderum Senatus deliberet. Optimum eſt præeſſe qui iſtis atque illis imperat.

Obſervatio Cometæ Romana.

Iter Cometæ Anno 1664. *à die* 14. *Decembris uſque ad diem* 30. *Romæ obſervati per Patrem Athanaſium Kircherum ad R. P. Albertum Curtium S. I.*

SEx potiſſimùm conditiones in hoc noviter detecto Cometa conſiderari poſſunt.

Situs, Motus, Forma, Lumen, Locus, Caudæ directio.

Cometæ in Corvo ſitus, motus, forma, lumen, locus, cauda.

1. *Situs*, uti vides, ut principio fuit viſus primum ſub roſtro Corvi.
2. *Motus* fuit ex Oriente in occidentem non æqualiter, ſed ſub Geometrica quadam proportione velocitatis, ultimis diebus in Occidentem præcipitatus, Tropicumque aliquantiſper tenuit, ſed poſtea ultrò citròque tandem in octavo gradu citra tropicum conſtitit.

Cauda Cometæ in Corvo longior quam illius Anno 1618. Caudæ Cometicæ lumen a vicino lumine Lunæ abſorptum eſt.

3. *Longitudo* caudæ à prima obſervatione ſemper crevit, donec circa 23. ad 15. gradus extenderit, quæ longitudo multùm ſuperat caudam Cometæ Anni 1618. Lunâ vero creſcente adeò diminuta fuit, ut præter caput nihil aliud compareret, non uti multi putant, quod caudam amiſerit, quod intenſius Lunæ Lumen tenuem & imbecillem Lucem, quâ cauda ſplendebat, veluti abſorbuerit.
4. *Lumen* mediâ nocte fuit fuſcum & ad inſtar flammæ piceæ tædæ relucens, juxta horizontem vero pallorem nonnullum induit. Unde Aſtrologi eam

Martio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Martio-Saturninam definientes futilibus ſuis Vaticiniis non ſine multorum periculo urbem infatuaverant.

Aſtrologorum vaticinia futilia Kircherus arguit.

5. Ad *Locum* quod attinet cum ille jam, uti ex literis ad me datis patet, per totam Italiam viſus ſit eodem in Loco, cum ſupra Lunam alicubi eſſe aſſero, quod tùm luculentius conſtabit, ubi Tranſmontanorum obſervationes ad nos appulerint: cum locus ſine parallaxium notitia definiri non poſſit.

Cometa in Corvo viſus Lunâ ſuperior.

Parallaxium notitia neceſſaria.

6. In principio caudam vertebat verſus Zephyro-Boream partem Europæ. Sed poſteris diebus caudam Boreæ obvertiſſe viſus fuit: Ad effectus quod attinet quod dicam non habeo.

P. S. Hac nocte viſus fuit in cingulo Orionis, unde colligo eum ad nos feſtino gradu properare. Deus avertat mali ominis viſitationem!

Tridento à P. Simone Mair hæc de Cometa ſcribuntur.

Obſervatio Cometæ Tridentina.

VIſus eſt primò 17. Decembris hora 4. matutina, & apparuit uſque ad diluculum, quemadmodum etiam 18. 19. & 20ᵐᵃ. ita ut eodem ferè loco inter Corvum & Craterem videretur. 21. Decemb. non fuit viſus propter nubes. 22. apparuit ortus (quando enim verè oriatur impedientibus montibus ſciri hic loci non poteſt) Circa 2. poſt mediam noctem, occidit circa 7ᵐᵃᵐ. Die 23. apparuit ortus ante ſecundam, deſiit videri media 7ᵃ. Die 24. apparuit ante primam, occidit hora ortus media nocte, diſparuit ante 6. 26. ortus ante mediam noctem, 6. 25. occidit hora 4, caudamque, quæ primò videbatur verſus Occidentem æſtivum protendere, ſemper magis in Septentrionem porrigebat.

Lucernæ viſus eſt primo 15. Decembr. uſque ad 20. locum illius poſuit P. Mourath in medio Hydræ ſub Cratere & Corvo, caudam verſus Aquilonem.

Obſervatio Lucernenſis.

Dilingiæ 31. Decembris & 4. Januarii ſe vel alium vel eundem vidiſſe ſcribunt, qui 5. Januarii magis quam alias vertici illorum imminebat caudâ ad Orientem porrectâ.

Dilingenſis.

Curavi hæc ex alienis literis deſcribi quæ ſuſpicionem de altero Cometa Reverentiæ Veſtræ facilè eximent, ego certè judico eundem hunc eſſe cum illo qui 18. Decembris primo à nobis videri cœpit. Quod Reverentia Veſtra de nimia motûs celeritate opponit, apud me difficultatem nullam habet; deprehendi enim eum nocte feſtum Circumciſionis antecedente à quadrante poſt ſeptimam veſpertinam uſque ad quadrantem poſt noctis duodecimam ſeptem ad minimum gradus motu proprio progreſſum eſſe. Unde facilè conſpicere licet, eum à 25. Decembris uſque ad 30. ejuſdem à conſtellatione Hydræ ad Leporem uſque progredi potuiſſe, cum minori etiam velocitate iter illud conficere potuiſſet. Porro ex Hiſtoria Cometarum apertè conſtat, pleriſque motum proprium fuiſſe inæqualem. In medio igitur velociores fuere quam in principio aut fine Cometæ Anno 1472. 1531. 1556. A Regiomontano, Appiano & Hommelio obſervati. Certè qui ſpectatus eſt Anno 1472. ubi velociſſimus fuit, proprio motu una die 40. gradus progreſſus eſſe ſcribitur. Hæc paucis modo, plura enim fortè aliàs de rudibus obſervationum mearum primitiis, ubi eas paulò meliores in ordinem digeſſero.

Cometæ in Corvo & Lepore unus idemque eſſe putatur.

Cometæ motûs celeritas eſt illi ſolemnis.

Ut & inæqualitas.

Cometæ in medio velociores quàm in principio vel fine.

Obſervatio Lugdunenſis.

Obſervatio Lugdunenſis.

DIe 14. Decembris Cometes viſus eſt Corvum inter & Craterem. Ejus altitudo Merid. fuit circiter 22. ſuperans Tropicum Capricorni, qui elevatus 20°. 44′.

Die 21. qui eſt dies Solſtitii Cometes ortus fuit 6. circiter horis ante Solem, ſed in eodem puncto Horizontis, quod Soli Orienti hoc tempore competit

Solſtitii die Cometa ſtatus.

petit, ita ut motu diurno eundem atque Sol Parallelum deſcriberet, habens altitudinem Meridianam paulò majorem quam 20°. Motu proprio Cometa à Septentrione in Auſtrum tendebat.

Die 22. magis accuratè obſervatus Cometes, & repertus notabiliter eſſe depreſſior. Conſiſtebat in velis Argo navis, & quaſi tribus gradibus infra Tropicum Capricorni deſcenderat.

Die 26. adeò promoverat verſus Occaſum, ut videretur obtinere primum gradum Virginis. In circulo Meridiano parum ante cor Hydræ hora ſecunda 45'. elevabatur 14°. 15'. Boote habente altitudinem 26°. & Cometâ faciente lineam rectam cum Spica Virginis & cum roſtro Corvi, itemque aliam rectam cum Cane Majore, & cum lucida in radice caudæ ejuſdem Canis.

Neoburgi 30. *Ian.* 1665.

Cometam triſtia minari Curtius aſſerit.

RIdentne ſidera, & tutò identidem vultu objurgant mortalium vanitatem! Cometa ſanè proximus etiam vertici noſtro parans inſultare, illo ſe ex Theatro ſubduxit tanquam poſt proſcenium, ex obliquo arbitraturus, quo ſucceſſu futuræ ſint illæ ruinæ, quæ Cleombrotum terruerunt non Lyſandrum. Alii tamen nunciant adhuc ſpectari & craſtino die, demigrante Luna ſciemus, quantum de illa face ſuperſit. Hevelius Dantiſci accuratis atque diligentibus obſervatis eundem eſſe putat, qui prior exeunte anno matutinus inceſſit. Obſervationes habet multas & accuratas. Agreſtes memorant 27. Decembris manè & veſperi ſpectatum, cui credimus? Etiam literæ Vienneníes memorant crepuſculo & aurorâ ſpectatum, quibus aſſertis utinam omnes ſuffragarentur! Sed Hevelius inſtrumentis & multiplici arte inſtructus præ aliis eſt, ejuſque liber ſub prælo, quo inter alia ſpectanda, etiam iſtud producet.

Hevelius laudatur.

Cometas duos quidam una nocte ſe vidiſſe referunt.

Neoburgo Ratisbonam die 5. *Febr.* 1665.

Cometa origo.

COmeta iſte ex letheis humoribus coaluit. Me ſanè oblíviſci nuper fecit, quæ maximè volebam, literas & gratias ad Illuſtriſſimam D. Veſtram. Eas nunc repeto, & quæ ſuperſunt remitto jam jam accinctus itineri.

Neoburgo Ratisbonam, die 13. *May* 1665.

DE iis quæ ſuper Cometis alii meditantur, gratias Illuſtriſſimæ D. Veſtræ repono. Utinam à Doctiſſimo Hevelio aut Bullialdo aliquid adeſſet! Mihi præter ſidera Palatina obſervare nihil contigit hoc menſe. Et video Planetas ſubventaneos, qui circumſtant, paſſim exerrare.

Reliqua inter R. Dn. P. Curtium & Illuſtriſſimum Dn. Rautenſteinium, Miniſtrum Statûs & Legatum Neoburgicum, commutata videantur ſupra in exemplis literarum Ratisbonâ Hamburgum die 16. Aprilis, & die 27. ejuſdem.

Hamburgo Neoburgum die 11. *April. S. N.* 1665.

Viro Admodum Reverendo Clariſſimo, Domino P. ALBERTO CURTIO S. J. Theologo & Philoſopho Celeberrimo, Collegii Neoburgici Rectori,

STANISLAUS LUBIENIETZKI DE LUBIENIETZ.
S. P. D.

NOn invitus has ad Te literas do, quia nec inexſpectatas, nec ingratas Tibi eas fore ſpero. Nempe jam diu eſt, ex quo meum, & diſcendi quæ

quæ ignoro, (præſertim in Aſtronomicis, occaſione illius inſignis Cometæ nuper viſi) & de Te benè merendi ſtudium ex Illuſtriſſimo Domino Rautenſteinio probè cognoviſti. Cui quantum non tantum uterque noſtrûm, & Clariſſ. Bullialdus (à quo en tibi plurimam ſalutem, & quæ ad me de Cometa ſcribit, hodie mihi reddita) debeamus, vinculo amicitiæ & commercii literarii per eum juncti, ſed quantum debeant ipſæ literæ humaniores, tum & excellentiſſimæ virtutes, omneſque earum cultores, res ipſa teſtatur, ut meis verbis plane non ſit opus. Gratulor mihi multum, potuiſſe me, licet longè diſſitum & ignotum, id officii præſtare; quod Tibi gratum fore & ſperabam & credebam, ac fuiſſe gratum ex eodem Illuſtriſſimo Amico ac Fautore communi intellexi. Nempe quòd varia, quæ de nupero Cometa hinc inde acceperam, Tecum hac viâ communicarim. En quæ heri à Clariſſimo & Ampliſſimo Domino Hevelio die 3. Aprilis data accepi. Tanti Viri (cum quo dubito ut facilè quiſquam aſſiduâ obſervatione ſiderum & phœnomenôn, eaque accuratâ, tum inſtrumentorum præſtantiâ, comparari poſſit) judicio & ſententiæ, quam nuper mihi aperuit, quamque ego mox Tecum & cum Clariſſimo Bulliado communicaveram, unum ſcilicet nobis in Corvo & Lepore, ac demum in Ariete, conſpectum fuiſſe Cometam, plus profectò fidei tribuendum eſt, quam aliorum rationibus à diverſo ſitu, motu, apparitionis tempore & colore deſumtis, vel etiam narrationibus de duobus Cometis diſtinctè unà nocte viſis. Paria cum Hevelio facit Bullialdus, quod & præſentibus literis adſtruit, Vir in re literaria magni faciendus, tum & Clariſſimi Viri, Fridericus Büthnerus Profeſſor Mat. Dantiſci, Johannes Placentinus Francofurti ad Viadrum, Abrahamus de Grau Franequeræ in Friſiis, Eraſmius Bartholinus Hafniæ, aliique, quos nominare longum foret, qui mentem ſuam mihi hac de re aperuerunt. Eandem mentem Reverendis & Clariſſimis Sociis Tuis Kirchero & Ricciolo, & Dominico Caſſino eſſe illud ex Cl. Bullialdo accepi.

Auctor juſſio de cauſſis Curtium ſcripto adivit.

Officioſus in amicos eſto.

Hevelius laudatur.

Cometam unum in Corvo & Lepore viſum eſſe Hevelius aſſerit, tum Bullialdus, Büthnerus, Placentinus & alii.

Cometæ gemini in Corvo & Lepore viſi defenſorum rationes.

- - At quis dubitet nomina tanta ſequi?

Quid ad objectionem Fornelii Profeſſoris Ubſalienſis, ex inæquali motu Cometæ alium Cometam in Corvo, alium in Lepore luxiſſe colligentis, Bullialdus noſter reſponderit, ex literis ejus, quarum Tibi copiam Illuſtriſſimus ille Amicus noſter faciet, perſpicies. Et ego in lectione hiſtoriæ Cometicæ, vidi tot Cometas eoſdem mane & veſperi lucentes, & valdè diverſo ac inæquali motu in proprio circulo progredientes. Libenter tamen Tuam hic videbo ſententiam, ſicut & aliorum Virorum eruditionis laude multâ conſpicuorum, præcipuè verò Mathematicarum rerum ſcientiâ politiſſimorum. Tum & de Cometarum origine & motu, an ſcilicet is orbicularis, vel rectilineus, vel vagus ſit. Niſi tamen hoc Tibi graviſſimis negotiis occupato moleſtum ſit. Sed dabis pro Tua humanitate, quæ germana eruditionis ſoboles eſt, veniam homini ingenuo & ad honeſta vadenti, qui quotidie

Cometæ gemini defenſoribus reſpondetur.

Cometæ iidem mane & veſperi ac inæqualiter progreſſi.

Cometæ motus diverſus ſtatuitur.

Humanitas doctos decet.

Diſco docendus adhuc quæ cenſet - -

hic vel ille artis alicujus peritus. Cum & Coryphæus 7. illorum Græciæ Sapientum Solon id fecerit ad Senium properans. Et cur ego, cum ſim unus ex junioribus non diſcam, ea, quæ tutò docere valet ſapientia Senum? Cur non ergò & de Cometa nupero, ſed & de hocce noviſſimo, quem in Pegaſo mane circa horam tertiam lucere audio, conſulam eos, quos Deus nobis Mathematicarum

Diſcendum quotidie, etiam ſenibus.

Juniores diſcant à Senibus quæ recta ſunt.

Cometa in Pegaſo.

- - - rerum dedit eſſe magiſtros?

Cum autem plures Amici me ad ea, quæ de Cometa hinc inde collegi edenda, utpote publico & jucunda & utilia, ut illi judicant & ego ſpero, futura, hortentur & excitent: quidam etiam Obſervationes ac narrationes ſuas judiciaque mihi eâ fini porrigant, Te quoque rogatum volo, ut mihi bona cum venia Tua liceat edere ea, quæ de Cometæ ad Illuſtriſſimum Dominum Rautenſteinium

Auctor cum Curtio de operis editione deliberat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nium vel Ingolſtadii, Romæ, Tridenti & Lugduni obſervata miſiſti vel perſcripſiſti, nec non ut plura talia vel à R. D. P. Mair, quæ promiſit, &, ut puto, miſit ad Te, vel aliunde nactus mecum communices, quo & meum opus augmentum & ſplendorem accipiat, & nomina Veſtra juxta cum Clariſſimorum Virorum nominibus poſterorum memoriæ commendentur. Vale & me mutuæ benevolentiæ amore proſequere.

Neoburgo Hamburgum die 7. Maji 1665.

Generoſiſſime Domine.

Curtius de Cometis diſputare recuſat ob diverſitatem ſententiarum, quam Anno 1618. viderit.

Cometæ tres Anno 1618. viſi.

Cometam in Corvo & Lepore unum fuiſſe Curtius dicere veretur.

DOmine Obſervandiſſime. Invitas me ad Eclogas cæleſtes de Cometis, quos hic annus accendit. Ego verò nolim bis ad eundem lapidem offendere. Quadraginta octo anni ſunt, quod adoleſcens una cum P. Ciſato Magiſtro meo grandem illum Cometam obſervavi, qui bellis eo tempore ortis, velut Pyrrhicâ ſaltatione præluſit. Varia tum concertatio noſtris P.P. cum Kepplero, quem ſub id tempus noſſe cœperam. Is literis non unis teſtabatur * tres eodem tempore Cometas arſiſſe. Arſerunt, ſed epiſtolæ deinde ab Oceano & Oriente ad nos miſſæ fidem fecerunt, non vanam fuiſſe Keppleri aſſertionem. Jam denuò acriter diſceptant, unuſne ſit Roſcius in illo Theatro? Ego Obſervationes quas huc-uſque nactus ſum, tanti non facio, ut ex iis pronunciare fidentius aliquid poſſim. Doctiſſimus Hevelius Dantiſco forſitan aliquid daturus eſt, quo exſpectationi ſatiſfiat. Romanas ſchedas & Ingolſtadienſis Mathematici typum mitto. Atque unà quæ Româ Vir Doctiſſimus ſcripſit 11. Aprilis. De fide ac pretio pronunciare non patitur ea reverentia, quam gero erga iſtos naturæ Interpretes: & præter obſervata autographa identidem tractanti faſtidium eſt aliorum conatus inſpicere. Hoc agamus potius ut bona fide conferantur in publicum, quæ quiſque inſpexit. Cætera tempus aperiet, & ii quibus otium eſt, & amor rerum cæleſtium. Generoſiſſimæ Dominationi Veſtræ me unicè commendo.

G. D. Veſtræ

Servus in Chriſto

ALBERTUS CURTIUS.

Obſervatio Romana.

Româ Neoburgum die 11. Aprilis 1665.

Cometa menſe Aprili viſus Romanis eſt tertius.

TErtium Cometem illuſtriorem primò aſpicimus ab 8. diebus, longam caudam in occaſum porrigit, in ortum tamen brevi porrecturus; jam proceſſit ab equuleo ad caput Andromedæ, ſeu umbilicum Pegaſi in arcu Eclipticæ parallelo, quantum ſcilicet obſervari potuit, illius motus diurnus eſſet ferè 5. gr. 36. ortum verſus, ejus latitudo eadem ſemper gr. 25. 26.

Cometarum trium in Corvo, Lepore & Pegaſo comparatio.

Certè in Cometis natura ludere videtur. Nam primus in occaſum movebatur, tertius in Ortum: primus in Curriculo maximo, tertius in minore: primus in orbita maximè inclinata ad Eclipticam, ſcilicet ferè 50 gr. tertius in orbe parallelo, ac proinde nullo modo inclinato: primus motu maximè inæquali, tertius æquatiſſimo: primus verſus Auſtrum, tertius verſus Boream; primus ut Planetæ, ſecundus eodem cum ſtellis motu, eandem ſemper diſtantiam eundemque ſitum ſervabat: tertius partim ut ſtellæ, in circulo ſcilicet, Eclipticæ parallelo, partim ut Planetæ, quorum velocitatem exceptâ duntaxat Lunâ, ſuperabat. Alterum eſt, quod his diebus in cælo obſervamus, nimirum *Borealem cinguli Andromedæ, juxta quam ſecundus Cometes apparuit, ab eo loco in quo ſecundum omnes tabulas ſita erat, deflexiſſe arcu ferè 2. gr. & alteram novam videri cum dicta extrema Boreali & media cinguli triangulum ferè

** Andromedæ cinguli Borealis ſtella Romanis deflexiſſe videtur.*

Phænomenon ad cingulum Andromedæ Borealius Cometam fuiſſe putatur Romanis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura obſervationum Comet. à R.D.P. Ægidio Franc. de Gottignies S.I. in Colleg. R



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

n Colleg.Rom.Math.Prof. menſe Dec.1664.factar. ad Comm.R.D.P.Alb.Curtij S.I.pert. N.º 4.




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Fig. obſerv. Comet. a R.P.A. Curtio miſſa ad ejusdem Communicat. pertinens.

N° 6



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47


Figura obſervat Cometicar. Ingolſtad. factar. ad ea
LEO
CANCER
GEMINI
VIRGO
Tropicus
Ecliptica
Canicula
Hydrus
Crater
Corvus
25 Dec.
20 Dec.
18 Dec.
Tropicus
Canis Major
Argonavis
Colurus Æqui
noctialis
Colurus Sol
ſtitialis
Historia Obſervationis
Aňo 1664. Cometa exeunte Nov. ut aliunde nuntiatur, jā exort.⁹ Ingolſtadij 18. Dec. mat. primo nobis viſ, eſt infra Tropicū Capric ſub roſtro Corui, barbâ directe à Sole verſ, Occaſum hyemalem protenſâ, et late; qua terminabatur, diffuſâ 19. Dec. nubes. 20. Dec. intra Craterem et Coruū. 21. 22 23. 24. nubes. 25. Dec. 4 mat. infra Ventrē Hydri, quà ei Crater inſiſtit, ſub eadem Trop. comparuit. Caput hac die apparenti diametro fere par Veneri barbā albicanti luce ſplendidam ad 30 gr. euibrare Viſum. 26. 27. 28. 29. nubes. 30. Dec. 9.ᵈ veſp. in Lepore velut ennit, apparuit, ob Lunæ viciniam enī cauda diſcerni no potuit. Porro eunde hunc cum priore Cometā eē, confirmant Obſervationes Tridentinæ, quæ 28
Dec. eum prope Canē maj. celeriori quâm initio mot
ex barbato caudatum euaſiſſe teſtantur. 31. Dec. int
ſupra Trop euectus conſpiciebat, Aº. 1665. 1 Ian.
die, 9.ª veſp. ad Borealē Eridani ripā conſtitit 2. Ia
bulā attigit, Syrma Orienti obverſū trahens 4. I
in Caudæ medio prope nucleū Cometæ lucida Ceti,
am Leodij, Olomucij, Vienæ, Mantuæ, Pragæ Lucer
eſt. Vnde colligi poteſt, Cometā carere parallaxi ſe
Quantū verô ſupra Lunā elevat⁹ ſit, ad parallaxi

ad eandem Communicat. Curtianam pertinens. N°VI.



quàm initio motu progreſſum, ex matut. veſpertinũ, tur. 31. Dec. inter Leporẽ et Eridanũ iam multum 1665. 1. Ian. 12. noctis ad Auſtralem: et eadem conſtitit 2. Ian. prope os Ceti. 3. Ian. Ceti mandi trahens 4. Ian. Æquatorẽ ſuperavit. 5. Ian. 6ª veſp. æ lucida Ceti, Menkar dicta clarè reſplenduit, quod eti: Pragæ Lucernæ, Tridenti ſub idẽ temp9 obſervatum re parallaxi ſenſibili, adeoq; Luna inferiorẽ non eſſe t, ad parallaxium incertitudinẽ evidenter demon, ſtrari nequit. 6. 7. 8. 9. 10 Ian, per caput Ceti tardè progreſſ9. 11. prope anteriores Arietis pedes comparuit, caudâ breviere verſ9 oculũ Tauri exporrectâ. 12 Ian. in genu Arietis. 13. et deinceps usq; ad 4 Feb. lentius in dies inter pect9 Arietis et Linum Piſcium progreſſ9 Corpore multum imminuto ac Syrmate breviori affulſit 4. Febr. poſtremo caudatu licuit inſtrumentis obſervare. Viſ9 tamen porro nobis eſt inſtar ſtellæ nebuloſæ 5. 7. 10. et 11. Feb. inter cornua Arietis et Linũ Piſcium. Deinceps verò etiã ab acutiſſime videntib9 deprehendi ampli9 non potuit. Hinc conſtat, Cometã maximã Zonæ Torridæ partẽ perluſtraſſe; adeoq; majori Africæ, et magnæ Aſiæ ac Americæ parti, nunquã tñ Europæ verticalẽ inceſſiſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Figura obſervat Comet. à R. D. P. Ægidio Franc. de Gottinies S. I. in Collegio Rom. M

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



io Rom. Math. Prof. mens. Ian. et Febr. factar ad Communicat R.D.P. Alb. Curtij S.I. pertin.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ferè æquilaterum facientem: equidem utraque longiore tubo ſpectata aliquot ſtellarum congeriem exhibet. Ex hoc fortè aliquid novi deducemus.

Hamburgo Neoburgum die 27. Maji 1665.

S. P. Admodum Reverende Domine Pater, Clariſſime & Doctiſſime Vir!

QUis bonarum literarum, præſertim verò Mathematicarum diſciplinarum amans, Te ad colloquium vel vivæ vocis vel illud mutum non invitaret? Tantò magis ego qui quotidie diſcere volo, & in his me pro virili exerceo, quæ ad cognitionem rerum, maximè verò ad morum probitatem faciunt. Nam ſine hac quid illa eſt niſi gladius in manu furioſi, vel, ſi illa Alſtedii ſimilitudo benè olet, Saccharum in cloaca?

Diſcendum quotidie, ſed vitæ non Scholæ.

Eruditio ſine probitate magis obeſt quam prodeſt.

Ut verò Te ad dicendum de nuperis phœnomenis illuſtribus invitarem, Illuſtriſſimus Dominus Rautenſteinius effecit. Is enim ſubinde mecum, pro jure amicitiæ, ea quæ ad illum de argumento hoc ſcripſiſti, communicavit. Tantæ notæ parario mutuò nobis innotuimus, & legibus amicitiæ ac commercii literarii nos adſtrinximus. Quid enim cordatis hominibus dignius, quàm de rebus ſcitu dignis coram vel per epiſtolam, fidam mentis internunciam mutuò conferre? Quidni verò majori nunc ardore ad Te compellandum & conſulendum inflammer, qui ex Te ipſo cognovi Te eſſe Præſtantiſſimi illius Mathematici P. Cyſati (quo Ingolſtadienſis Urania meritò gloriatur, quemque ego, indice P. Ricciolo cognovi) diſcipulum? Et is quidem celeberrimum illum Cometam anni 1618. quartum fuiſſe, ut me melius noſti, aſſerit, ac Cyſato (hâc verò ratione Tibi quoque ejus tunc diſcipulo & Obſervationum adminiſtro, ac veluti fido Achati) laudem hanc diligentiæ, quod tunc Cometam ac diem 22. Jan. obſervaverit, non tamen extinctum, ſed cæli injuriâ oculis ſubductum tribuit. Ipſe verò, putatis accuratè quâ eſt diligentiâ & eruditione ſingulari, rationibus, non cum Keplero quinquaginta quinquè, ſed cum experientiæ veritate quinquaginta novem amplius diebus è 24. ſcil. Novembris ad dictum 22. Jan. luxiſſe affirmat. Quò magis mirari ſubit reperiri nonnullos Aſtronomos, qui Cometam illum triginta dierum apparitione bello Germanico 30. annorum præluxiſſe & præluſiſſe dicunt. Eruditè profectò accurateque pertractat iſta P. Leinberer in illa Theoria Cometæ nuperi ab ſe ad Te, & abs Te ad me, ut dono Auctoris manu ejus ſignato, miſſa, de qua ideò maximas ago Tibi gratias. Qui quidem meritò P. Ricciolum, ac Aſtronomum noſtri ævi celeberrimum commendat: (quod elogium amici mei plurimùm obſervandi, cujus literarum apographum nuper Tibi miſi, legere gratum fuit, quamvis præclarorum in re Mathematica laborum & laudum ejus conſcio) verum tamen hîc non uſquequaque, fateor, mihi ſatiſfacit. Nam dum de mora Cometæ Anni 1618. ſermonem facit, non tantùm tacet P. Ricciolum 59. minimum dies & fortè aliquid amplius ei aſſignare, Almageſti novi lib. 8. Sect. 1. c. 3. p. 17. ſed & ab hocce noſtro illum celeberrimum Cometam mora ſuperari, utpote 60. amplius diebus ſecundum rationes Obſervationum, quas aliunde acceperat, ſecundùm verò proprias ſuas 56. diebus lucente diſertè dicit. Hoc tamen ultimum confirmatur non tantùm conjecturâ Clariſſ. Hevelii (qui in Prodromo ſuo Cometico p, 2. Cometam aliquantò citiùs quam 14. Decembris illuxiſſe colligit, & in Schemate adjuncto ſtationem priorem ei ad diem 23. Novembris ponit, quod & P. Leinberer in Hiſtoria Obſervationis tabulæ Uranographicæ adjuncta attingit, orbitæ ſcilicet eidem preſſo pede inſiſtens) aliorumque qui ſe phœnomenon illud exeunte Novembre Horizontem noſtrum iniviſſe affirmarunt vidiſſe, ſed & Obſervatione tum Oxonienſis cujuſdam Anonymi, tum Samuelis Caroli Kechelii, celebris Mathematici Leidenſis, quam die $\frac{2.\ Dec.}{22.\ Nov.}$ fecit. Porrò Cometam noſtrum, illum priorem Clar. Hevelius die 29. Febr. ultimum obſervavit, ita ut duratio ejus tantorum Obſervatorum fide 81. diebus circumſcribatur, & ad integrum trimeſtre propè accedat. Quæ P. Leinberer de Cometis, qui ex

Cordati Viri de rebus ſcitu dignis conferre debent.

Cometa 1618. ille celeberrimus eſt numero quartus Cometam 1618. omnium longiſſimè Cyſatus obſervavit.

Cometa 1618. quinquaginta novem amplius diebus duravit putante Ricciolo, & temerè bellum Germanicum triginta annorum præſagiviſſe ſtatuitur.

Cometa 1618 & nuperi in Corvo & Lepore comparatio reſpectu durationis.

Obſervatio Oxonienſis & Leydenſis omnium primæ, quantum adhuc ſcitum.

Cometæ ex matutinis veſpertini, & contra, ex barbatis criniti, ac tandem caudati facti, in diverſis mundi plagis & in diverſo motu obſervati: tum & ſimul plures.

matutinis veſpertini, ex barbatis criniti, ac tandem caudati evaſerint, docet, experientiâ comprobantur: quâ in re plurimùm ſingulari P. Riccioli diligentiæ debemus. Qui etiam ex veſpertinis quoſdam matutinos, ut Anno 1531. & 1607. factos fuiſſe, & ut in diverſis mundi plagis, ita & in diverſo motu obſervatos, cumprimis illum 1472. fusè & accuratè docet, ſicut noſti. Ut & plures uno eodemque tempore apparuiſſe.

** Cometæ in Corvo & Lepore ſitus.*

Obſervationis Ingolſtadienſis & Hevelianæ comparatio.

Cometæ Hevelio falſi Planetæ.

Meritò itaque P. Leinberer ſententiæ illi inſtitit de priore Cometa, *licet ad Corvum plaga inter Meridiem & Orientem mane, ad Leporem verò plaga inter Septentrionem & Occidentem mediâ veſperi modò barbatus, modo crinitus & caudatus, & quidem cauda à vicino Lunæ lumine abſorpta, ac denuò veluti ſumpta, tum & diverſicolor apparuerit. Nam ibi quidem *albicanti luce fulgens*, juxta aſſertionem ejus, ſecundum Clariſſimum Hevelium verò *caput conſpicuum ſubflavi coloris, luminiſque debilioris, & aliquanto obtuſioris, nuſquam adeo vividi & ſplendidi, quale reliquæ ſtellæ & Planetæ ac Cometæ,* quos *Pſeudo-Planetas* vocat, *plerumque habent, meditullium verò quodammodo lucidius oſtentans, poſt hæc & capite creſcente & lumen clarius nanciſcente* fuit viſus: Hìc verò, ſecundum aſſertionem Ejuſdem, *villis in orbem evibratis in Aſtro Leporis pallenti admodum luce reſplenduit*; at ſecundum obſervationes Hevelianas

Cometa ad Leporem in capite nucleum rotundum oſtendit, paulò poſt diſſolutum.

de ſuo lumine nihil ferè remittens, ſed ſatis lucidus, amploque corpore, 24. ſcilicet minutorum cum capillitio, comam ſeu barbam rectà ferè ſurſum projiciens, capite hirſuto, in cujus centro lucidiſſimus & denſiſſimus fuerit nucleus rotundus, colore ferè igneo ad diem 29. Decembris die quoquè 31. ejuſdem, licet corpore, quoad diametrum, aliquantum imminuto, nihilominus tamen colore albicanti ac ſatis ſplendido.

Cometa an in Corvo barbatus, in Lepore crinitus & caudatus, id eſt ex barbato caudatus factus dici queat?

† Caudæ in Cometa ad Leporem conditio.

‡ Cometa in Lepore quâ die primum apparuit?

Sed tu mihi pro amicitiæ, quo fruimur, jure, verbo indicabis, cur P. Leinberer priorem Cometam barbatum, poſteriorem crinitum & caudatum, ſive eundem qui ex barbato caudatus evaſerit, appellet. Atque nos quoquè illum caudatum intuiti ſumus, & quidem † longum ſyrma projicientem in Occaſum, nudis tamen oculis vidimus. At Præſtantiſſimus Hevelius à primo ejus conſpectu die 14. Decembris caudam 14. gr. longam, die verò 21. ejuſdem multò longiorem, ſcilicet ultra 22. gr. die verò ſequenti 20°. circiter obſervavit. Quâ occaſione meritò Tibi referam, ‡ illi etiam die 27. Decembris (quo tempore aliis obſervatum eum eſſe mihi non conſtat, cunctis poſterioris apparitionis, vel, ut nonnulli volunt, ſecundi Cometæ initium à die 30. Decembris arceſſentibus. Sed hoc Herculeis Viri illius, ſine exemplo, Magni laboribus, & optimis ejus inſtrumentis tribuendum eſt) obſervatum eſſe Cometam. Ita enim ait: *Caput erat criſpo ac denſo cinctum capillitio. Beneficio verò Teleſcopii, nuclei corporis adhuc denſiores, materiaque tenuior, quaſi in medio peculiarem ſolidumque nucleum conſtituere videbatur.*

Caudæ in Cometa ad puppim Argo navis conditio.

At caudæ magna ac inopinata diverſitas obtigerat; ſiquidem non amplius Favonium vel Corum verſus exporrigebetur, prout hucuſque animadverſum eſt, ſed omninò ad Septentrionem, ſurſum ſcilicet protendebatur. Adhæc perquam ampla ac divaricata, longitudine 7. ferè graduum inſtar caudæ pavonis extitit, veluti Iconiſmus ſub Num. 5. Fig. A. clarè oſtendit.

Cometæ Leporis conſtellationem ineuntis Heveliana obſervatio.

Cæterùm ad diem 29. Decembris Hipparchus ille noſter obſervavit ſidus crinitum de ſuo lumine nihil ferè remiſiſſe, ſed ſatis lucidum, amploquè corpore, 24. ſcilicet minut. cum capillitio deprehenſum fuiſſe, comam quoque ſeu barbam potius accuratè conſideratam rectâ ferè ſurſum projeciſſe, unius propemodum gradûs: caput præterea hirſutum, inſtar Hirci ſeſe obtuliſſe, in cujus meditullio ſeu centro lucidiſſimus & denſiſſimus nucleus, colore ferè igneo, adminiculo Tubi obvius fuerit, qui aliâ diverſæ denſitatis materiâ nucleiſque minoribus intermixtis circumdaretur: Spectaculum ſanè valdè jucundum extiterit aſpectu: prout in delineatione ſub Num. 6. videre eſt. Sed non longius caudam illam extendemus, ac potius hìc præcidemus, ſi unum addo, mihi quidem tabulam illam Uranographicam Ingolſtadienſem, quæ Cometam d. 25. Decembr. (qua, ut nec 24, nec 26, nec 27. Hipparchus ille Gedanenſis, veſtigium Cometæ, nubibus faciem ejus velantibus, aſſequi potuit) infrà ventrem hydræ, quà ei Crater inſiſtit, cum barba albicanti luce

ſplendida

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſplendida & ad 30. gradus evibrata exhibeat, quadamtenus ſatiſfacere, malle me tamen judicium Tuum hîc audire. Tùm quid ſtatuas de quæſtione celebri ſatis, an Cometa proprio motu arcum circuli maximi deſignarit, necne? Clariſſimus Hevelius propemodum deſignaſſe dicit: ita nempe, ut fateatur Cometam hunc reliquos in carpendo ferè maximi circuli itinere ſecutum fuiſſe. Abſolutè id decernit, ſicut noſti, Regiomontanus & cum eo Ricciolus Almag. l. 8. Sect. 1. c. 3. aliiquè, quos etiam ponè Tychonem Clariſſimus Hevelius allegat.

Cometa an proprio motu arcum circuli maximi deſignarit?

De Cometa certè noſtro Clariſſimus Bullialdus literis d. 2. Jan. ad me datis, eum Circulum Tropicum Capricorni in aſteriſmo Corvi ſecuiſſe, infrà deinde lapſum magnum ſphæræ circulum non deſcripſiſſe dixit. Circuli maximi ſex ferè gradus quinque horarum ſpatio Cometam ultima die anni præteriti abſolviſſe (qua Clariſſimus Hevelius Cometam 2. gradus tantùm & paulò amplius peregiſſe ait) P. Leinberer obſervaſſe ſe dicit, & exinde eum 24. horarum intervallo 14. gradus, atquè ita à 25. Decembr. ad 30. intra d. 5. & plus quàm dimidium, ſive intra horas 137. gradus circiter 75. percurrere potuiſſe evincit. Laudanda hîc eſt illius induſtria, quæ & aliàs in inveſtigando hujus Cometæ ſitu & itinere apparuit: nec non veræ ſententiæ aſſertio.

Cometæ motus veloxis ratio.

Hanc ſententiam & ego menſe Martio defendi literis ad Nobiliſſ. Virum Nicolaum Heinſium, Danielis Filium, Belgarum Fœderatorum in Aula Suecica Reſidentem, datis, occaſione objectionis, de qua me monuerat, Clariſſimi Viri Jonæ Fornelii Prof. Math. Ubſalienſis. Is enim hoc argumento ſententiam ſuam de gemino Cometa vel maximè ſtabilire conatus eſt: fieri ſcilicet vix potuiſſe, ut unus idemquè Cometa à die $\frac{7}{17}$ Decembr. ad $\frac{12}{22}$ ejuſdem intra 5. dies 10. gradus tantum emenſus, à die $\frac{12}{22}$ ad $\frac{21}{31}$ Decembris intrà novem dies ultrà centum gradus, motu adeò inæquali abſolverit.

Cometam in Corvo & Lepore unum eundemque fuiſſe veritati convenit & defenditur.

Attuli enim tunc in argumentum ex Ricciolo eadem illa exempla Cometarum, Anno quidem 1471. gradus 30. illum verò Anno 1472. cum hocce noſtro, ſi quiſquam alius, ſitu, caudâ, motûs inæqualitate & mutatione ac diſparitione (quod & Magnum Hevelium p. 31 & 32. notaſſe video) convenientem 40. grad. una die motu ſuo apparenti conficientium.

Cometæ motus inæqualis competit.

Cometæ 1472. noſter prior ſimillimus.

Porro quod ad motum Cometæ proprium illum apparentem attinet, Clariſſimus Hevelius die 28. 29. & 30. Decembr. 36°. 11′. exactè eum circumſcribit, ita ut de 75. gradibus intrà illos quinquè dies peragendis, aliquis Patri Leinberer litem movere ſit auſurus, tum de cauda d. 25. Decembr. grad. 30. longa, quæ Hevelio 21. Decembr. grad. 22. erat longiſſima, ſicut & in eo, Cometam eundem, quo præſtituto aliquot dierum intervallo in Lepore compareret, uno die 14. gr. percurrere poſſe, cum Clariſſimus Hevelius d. 30. Decembr. qua tamen velociſſimus, quia terræ proximus fuit, 13. ferè gradus ipſi aſſignet.

Cometa in Lepore velociſſimus, quia terræ proximus.

Video præterea P. Leinbererum non in aëre cum Peripateticis, qui à ſuperficie terræ 13. milliaribus Germanicis terminetur, ſed cum Chaldæis, Pythagoræis, Seneca & Tychone aliiſque Aſtronomis (quibus & noſter ille Hipparchus accedit) longè altius Cometam ponere, ſupra Lunaremque facere.

Cometæ non in aëre, ſed in æthere generantur.

At verò etiam Cometas elementares in aëre circumvagantes admittit. Nec immeritò, cum & multi Viri docti Mæſtlinus, Hagetius, Scultetus, Nolthius, Vinclerus aliique idem dicant, & P. Ricciolus quoſdam Cometas infra Lunam eſſe exemplo Cometæ 1450. Lunæ orbem ſubeuntis & Eclipſin efficientis docent. Quâ in re & ejuſdem illius Hipparchi, qui quandoque Cometas per noſtrum aërem vaporum plenum trajicere fatetur, auctoritas, magnum adfert rei momentum.

Cometæ elementares in aëre circumvagantes admittuntur.

Cometa infra Lunam viſus eclipſin fecit.

Egregiæ autem ſunt illæ P. Leinbereri rationes, Cometam ſupra Lunam & in æthere locantes. Nempe quod Cometa, motu primi mobilis raptus, 8. amplius horis ſupra horizontem noſtrum Phyſicum, cum aliàs nec duabus horis apparere potuiſſet, fuerit conſpectus? Tum à centro Terræ minimum tribus terræ ſemidiametris cum 478. mill. ſive milliaribus Germanicis 3058. (quorum 860. unam Semidiametrum terræ conſtituunt) diſſitus. Tùm quòd exhalationes terreſtres, ex quibus Cometas Scho-

Cometa nuperus octo horis ſupra horizontem noſtrum viſus: mill. Germ. 3058. à centro terræ diſſitus.

Luna à terra 52. ſemidiametris ſive 44672. Mill. Germ. aſtat.

Motus Cometarum & exhalationum terreſtrium diverſus.

Cauda Cometarum ſemper Soli obverſa.

Obſervationes diverſæ Ingolſtadienſem præceſſerunt.

la Peripatetica conflet, ad orbem Lunæ 52. Semidiametris ſi mill. Germ. 45672 $\frac{4}{11}$. ſi ſemid. ſit 859$\frac{1}{11}$ vel 45720. ſi ſit 860 milliar. à terra diſſitæ pertingere, atque per mobilitatem ſuam conſtantem, Cometæ ritu, retinere figuram & lucis æquabilitatem, uti & comæ per radios rectos extenſionem, nec circulari, ut ille, motu, qui eis rectilineus ſolùm competat; ferri & comam caudamve perpetuò Soli, & in latum quidem diductam, non in pyramidalem figuram concentratam, eamque diaphanam obvertere: tùm denique motu perfecto & æquali cum univerſo ad Occaſum deferri nequaquam potuerint. Porrò video Veſtros Ingolſtadienſes, quod non injuria de illorum induſtria, quæ Societati Veſtræ inimitabilis ineſt, conjectandum fuerat, habuiſſe inter alias Obſervationes Romanas, Lugdunenſes ex Gallia, Leodienſes, Colonienſes, Viennenſes, Pragenſes, Olomucenſes, Lucernenſes, Tridentinas & Conſtantienſes, quas ipſas, vel certè ejuſdem generis à Te, Kirchero, Hevelio aliiſque amicis nactus ſum. Itaque tantò magis grato animo munus illud præſtans; doctè ſcilicet factum Hipparchi, & fictum Myronis Boi manu Cometæ Theoriam & Tabulam Uranographicam excipio. Prudenter verò notatur ibidem quidam obſervationum illarum defectus. Nam & Clariſſimus Bullialdus in nonnullis earum eundem animadvertit. Tu Vir Doctiſſime litem de uno pluribuſve Cometis dirimere non vis? Cautè ſanè. Nam ut Socius ille tuus Doctiſſimus P. Leinberer allegat, Ricciolus Almag. l. 8. ſect. 1. cap. 13. acute docet: **Cometa eſt ſplendidum ænigma à Deo propoſitum, nunquam ab humanis ingeniis ſolvendum.* Sed & Thomas Fienus Lovanienſis Academiæ Archiater, in doctiſſima diſſertatione de Cometa anni 1618. præclarè ſcribit: *Miraculum naturæ idoneum ingeniis noſtris torquendis, quod admirari debemus, cognoſcere nunquam poterimus.* Tantò magis cum & tunc Anno 1618. diverſas fuiſſe de Cometa illo opiniones videris, & nunc de nupero eaſdem videas, Tuæ iſti accuratæ conſiderationi, quæ omnibus circumſpectis ſolemnis eſt, tantiſper indulgendum eſt. Nam & prudenter & ſalubriter tam dicitur quam uſu probatur illud vetus: *Animus vereri qui ſcit, ſcit tutò aggredi,* nec non, *Incertus animus remedium eſt ſapientiæ*, cujus initium dubitationem antiquitas vocat. Ideò multa non tantum privatim ſed & publicè majori cum gloria & utilitate fierent, ſi cum anxia quadam cura & circumſpecto judicio fierent. Verum tamen prudenter Tuus ille Socius Ingolſtadienſis, idem arbitrante ratione, fidâ & idoneâ teſte, conatus & ſtudia Aſtrophilorum, (ut & aliis Philoſophiæ partibus excolendis & illuſtrandis dies noctesque incumbentium) laude debitâ, quia nec fructu carere, & poſteritati laude ac imitatione dignum exemplum præbere jurè meritoque docet. Velim itaque ut & Tu mentem Tuam, quam jam claudere & obſerare videris recludas, ac in medium afferas, ita & publico conſulas. Hìc enim vel maximè *multa juvant.* Patere verò, Vir plurimum Reverende! ut quodam in Te jure meo utar. Habui ab Illuſtriſſimo Domino Rautenſteinio literarum Tuarum exempla, quibus primum quidem Cometam in Corvo, poſtea in Lepore obſervatum dividis, poſtea veró utrumque combinas, & plus Hevelianis Obſervationibus, quam vel prioribus rationibus, vel etiam eorum, qui ſe duos unâ nocte Cometas tunc vidiſſe referebant, narrationibus fidere indicas. Velim itaque ſententiam Tuam mihi hîc aperias, & re benè ac maturo judicio excuſſâ, ad ultimum aliquid ſtatuas. Atque hæc hactenus. Additurus eram plura, ſed tempore excludor, cum hodie ut ad plures Amicos, ita & ad celeberrimos Socios Tuos Kircherum & Ricciolum literæ mihi dandæ ſint. Exceſſit præterea epiſtola modum. Itaque hâc vice moleſtus Tibi eſſe non pergam, ſed alio tempore reliqua promam, præcipuè de operationibus Cometarum, tam Tuæ epiſtolæ quam Ingolſtadienſis Theoriæ occaſione. Cum qua hâc vice Hevelianum Prodromum (cujus exemplum ad Illuſtriſſimum Dominum Rautenſteinium deferendum notæ fidei & induſtriæ Viro Martino Schumachero tradidi) quodam modo conferre volui, ut hæc

Curtius cautus litem de gemino Cometa pluribuſve dirimere non vult.

** Cometicum argumentum perdiſficile, explicatu impoſſibile, in quo ſe multi fruſtrà torquent.*

Temerè nil ſtatuendum, nil agendum.

Deliberandum diu, quod ſtatuendum ſemel.

Dubitatio initium ſcientiæ.

Multa juvant.

Curtium Auctor urget ut de numero Cometarum tandem aliquid ſtatuat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

epiſtola ipſum Præcurſorem præcurreret. Vale & favere perge mihi, qui ſum

Prodromus Prodromi Cometici Heveliani Curtio miſſus.

T. Obſervantiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Hamburgo Neoburgum die 2. *Iulii.* 1665.

S. P. Admodum Reverende Domine Pater, Clariſſime & Doctiſſime Vir!

POſtquam ad literas Tuas, ſuetâ brevitate multam eruditionem recondentes, prolixius quidem, ſed tamen dimidiatum (quod temporis ratio plus à me tunc præſtari nollet, prout & adhuc per integrum propè ſeſquimenſis ſpatium noluerit) reſponſum dederam, fide promiſſi de ejuſdem dimidio Tibi datâ, me tandiu in ære Tuo fuiſſe agnoſco. Sed crede mihi, ita adhuc gravibus exercitus fui laboribus, ut officii erga Te mei reliquam partem commodè præſtare nequaquam mihi licuerit. Tandem tamen ad eam abſolvendam, invitis quoque & obſtrepentibus aliis negotiis acceſſi & animum appuli, ne de me, tanquam deſertore officii, queri poſſis.

Promiſſi fides exſolvenda.

Officioſus in amicos eſto.

Illarum Obſervationum, quas Theoria Cometæ Ingolſtadiana prolixâ ſerie recenſet, aliarumque jam me participem Schottana humanitas fecit, cui me multa ſingulariter debere, agnoſco gratus. Tu tamen & illi, & illis longè doctiſſimis Sociis Tuis Kirchero & Ricciolo viam æquitatis monſtraſti, & exemplo humanitatis præiviſti. Hoc autem cui niſi Illuſtriſſimo Domino Rautenſteinio, ut inſigni literarum Patrono, ita & utriuſque noſtrûm Amico communi debeo? Per hujus enim favorem nomen primum, dein eruditio Tua mihi innotuit; tandem & acceſſus ad Te patuit. Sed jam accedo ad alia, quæ mihi occaſione illius Theoriæ Cometicæ Leinbererianæ dicenda apud Te, qui mihi illam primus miſiſti, æquum cenſui. Doleo nonnullos eorum qui Euangelicam profitentur religionem, non tantum præſagia ex Cometarum apparitionibus elicere, ſed & Poëticas fabulas velut in præſidium cauſæ ſuæ advocare, quò certè diſſentientibus offendiculi materiam præbent, & meritam reprehenſionem incurrunt: quam nec in illa Theoria effugiunt. Credo me illud ſcriptum vidiſſe, ſed ob ſtili acerbitatem, quam deteſtor, legere non potuiſſe. Ferunt enim hanc bono jure impotentiæ mercedem omnes illi ſcommatum amantes ſcriptores, ut paucos, & ferè nullos niſi ſibi ſimiles, inveniant lectores. Fateor autem me nec illis, quæ ex Cometis vel etiam ipſis aſtris depromuntur vaticiniis ac prædictionibus, delectari. Et licet reſpectu procellarum, terræ motuum, ſiccitatum & aliorum aëris vitiorum Cometas ſigna eſſe concedam, eaque fortè Phyſica, etſi non ſemper neceſſaria, tum etiam motuum bellicorum, tempeſtatumque quæ Rebuſpublicis per Martios tumultus & mortes Principum eveniunt, ſigna Ethicè dici poſſe tantiſper largiar; eos tamen cauſſæ rationem in talibus habere & in mentem hominis, quæ liberrimam ſe eſſe à Deo factam exſultando gloriatur, agere, ut credam, induci non poſſum. Simul autem ſalvâ R. P. Leinberer vaniâ, ut multa ante Cometarum apparitionem triſtia, ita & multa poſt eandem læta, illa malis, hæc bonis eveniſſe firmiter pono, & innumeris exemplis aſſero. Atque hoc etiam nos ipſa æquitatis divinæ docet ratio. Hæc juſta præmia veri & recti ſequacibus, ſupplicia verò in diverſum euntibus, ut admetitur, ita & prædicere ſignis & oraculis ſuis ſolet. Hiſtoriæ Sacræ & Civilis exempla, quæ paſſim occurrunt, coacervare, hîc præſertim, non eſt neceſſe. Cum autem & auctoritas multùm hîc valeat, non ſolus Vincentius Guiniſius Cometam 1618. non magis infelicitatem quàm felicitatem pollicitum eſſe affirmat, vel Ericius Puteanus ingenii magis oſtentandi, quam veritatis propugnandæ cauſſâ idem aſſerit. Nec paucorum hæc ſunt, ſed nec inania effata, quaſi contra torrentem intentium conatus, quanquam in veri diſquiſitione

Schottus Auctori multas obſervationes miſit.

Curtius humanitate inter primos eſt.

Rautenſteinius laudatur.

Euangelicorum quorundam vanitas Aſtrologica ab Ingolſtadienſibus reprehenditur.

Auctor prædictionibus Aſtrologicis non delectatur.

Cometæ quatenus ſigna malorum dici queant, cauſſæ eorum nequaquam ſint.

Cometam bona & mala bonorum malorumque cauſſa ſequantur.

Veritatis & pietatis cultores conſequuntur præmia.

Improbos manent pœnæ.

Cometa 1618 mala & bona præceſſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Veritas diſquirenda ſine paucitatis vel multitudinis reſpectu, reque ipſâ metuenda.

Cometa officii mortales admonet.

tione nec paucitas, nec multitudo, ſed res potius ipſa attendenda eſt. Docet enim R. P. Ricciolus, cujus ego diligentiâ multùm hîc indies proficio, Caroli Piſonis Sententiam, ut incerta eſſe mala, quæ Cometa minetur, eumque cauſam illorum non eſſe, ita injuſtè malè audiri eundem, tanquam bellorum facem aut Regicidam, & Statuum ac Statutorum everſorem, ſed potius per eum omnes officii admoneri metu inſtantium calamitatum. Exponit dehinc Fromondi & Fieni ſententiam, Cometam non eſſe cauſſam Phyſicam calamitatum, ſed ſignum potius ad placitum Dei utentis Cometâ, licet effectu naturali, ad terrendos & emendandos mortales.

Cometa non cauſſa ſed ſignum malorum.

Cometæ alii fauſti, alii infauſti.

Damnoſum uni utile alteri.

Ethica commonitio occaſione Cometæ.

Tum Cotturii, non ſemper Cometarum apparitionem ſequi mala, ſæpeque citra vel ante hanc ea evenire. Ac demum P. Cabæi, quoſdam Cometas fuiſſe infauſtos, quoſdam autem fauſtos, tùm per ſe & omnibus, tùm per accidens, cum quod uni fuerit noxium, alteri utile extiterit. Certè pro hac ſententia facit & illa Kepleri Commonitio Ethica, ibidem à P. Ricciolo poſita, ex Cometæ, velut cæleſtis præconis, apparitione, ut pro ſe quiſque reconcilietur Deo, & ad migrationem ex hac vita ad meliorem ſit paratus; tùm verò & ipſius P. Riccioli ſententia, quæ dum mala ut plurimum vel re ipſa eventura, ſi non placetur Numen, vel intentata, ut ſic timore Numinis ad ſaniora conſilia convertantur homines, & vel hinc ſaltem ſpecimen aliquod illorum prodigiorum præconcipiant, de quibus Salvator in Euangelio moneat, docet, non obſcurè & mala illa non neceſſariò, & ſequi Cometam bona quoque innuit. Equidem & Clemens VII. Pontifex Max. Caudatam ſtellam pro ſymbolo, dubioprocul beatitatis, uſurpavit. Ideò Paradinus, qui in Symbolis ſuis Heroicis id celebrat, Ariſtotelem quoque allegat, quòd is tradiderit *perpetuò mortalibus aut proſperrimum fortunæ ſucceſſum, aut ſummum aliquod detrimentum novum quemvis portendere Cometam.* Certè & Chæremon Stoicus notaverat interdum per Cometas *etiam in melius mutationem* prænotari. Et Vulcanius aruſpex, ut nos Servius docet, ad Virgil. Eccl. 9. dicebat *Cometâ ſignificari exitum veteris & ingreſſum novi ſeculi.* Idem Servius ad illa Virgiliana, *diri toties arſere Cometæ*, annotat: *diri Cometæ, quia ſunt & boni.* Et de illo apud eundem 10. Æneid. decantato: *Hic blandus eſſe dicitur.* Quod ſi illa Nova Stella in Natali Domini, Cometa fuit, ut Origeni & aliis placet, certè hic ſolus omnibus Cometis mali ominis detraxit infamiam, ut Seneca alicubi loquitur de illo qui ſub Nerone apparuit. Neque hoc mirum foret, cum & Alexandro Magno & Mithridati, verè Magni cognomen itidem merito, utpote Romanorum terrori, Aſiæ liberatori, non tantum vitam ſed & imperium ineuntibus Cometæ præfulſerint. Sed hæc pro jure amicitiæ & commercii literarii, præſertim cum talia Amor ille literarum Illuſtriſſimus Rautenſteinius amet, apud Te dicta ſufficiant. At verò & Tu Cometam illum 1618. bellis eo tempore ortis, velut Pyrrhica ſaltatione prælusiſſe ais. Equidem ſicut jam olim Chriſtiani à Cretenſibns vel Lacedæmoniis vel Thracibus certè trucibus Pyrrhicas triſtes didicerunt, ita ante illum quoque Cometam illas exercuerunt. Teſtis eſt illa ipſa terra, in qua nunc degis, in qua *ab Anno 1614, armatæ illæ ſaltationes viſæ, & mox Anno ſequenti ab Hiſpano & Sabaudo, tum in Germania ad Brunſvicum & Mulhæmum exercitæ, ut in Gallia & alibi motus domeſticos Pyrrhichæ bellicæ ſuppares prætercam. Et ne longius abeam proximè Cometam illum pax inter Ferdinandum Bohemum & Venetos compoſita, motus autem Bohemici menſe Majo & bellum menſe Julio oritur, Sileſii ſe bello illi menſe Octobri immiſcent.

Ariſtotele judice Cometa bona malaque portendit.

Cometæ bona quoque præſignificant.

Stella nova in Natali Chriſti Cometa fuiſſe putatur.

Cometæ auſpicantibus vitam & regnum feliciter præluxerunt.

Rautenſteinii amor literarum.

Curtius Cometæ 1618. efficaciam aliquam reſpectu belli Germanici tribuere videtur.

Cometam 1618. præceſſerunt varia bella, pax Ferdin. Bohemi cum Venetis, ipſumque bellum Bohemicum.

Mox armis ab Hiſpano & Sabaudo poſitis, Manſfeldii adventu eadem in Bohemia ineunte menſe Novembri fortius reſumuntur, Cometa verò primum die 24. ibidem, ut noſti, ab ills Pyrrhichiſtis ad Budovicum animadverſus eſt. Sed horum recens eſt adhuc apud omnes memoria, ut & ſequentium, quæ in orbe non tantùm belli, ſed & pacis artibus geſta ſunt. Nam ut Neoptolemi & non tantum Philopolemi, ſed & Polemarchi, ſic & Irenophili & Irenarchæ noſtro

quoque

quoque, licet verè ferreo ſeculo, non defuerunt. Nempe rerum omnium orbis veluti quidam eſt. Beatus tamen eſt qui ſalutaria monita (quæ Deus non tantum per linguas viventes & veridicas, ſed & per iſtas, ut ſic dicam, flammiferas mortalium mentibus & auribus, imò & oculis ingerit) ad cor admittit, ut exinde ſuæ libertatis à Deo datæ ad virtutem, non ad vitium, capiat experimentum & incentivum. Illud porro placet, quia non tantum meæ ſententiæ, ſed & veritati favet, quod P. Leinberer aſſerit, ex eo quod huic potius quam illi regno verticalis Cometa incedat, rationem ominis peti non poſſe, cum ſic omnes habitatores eidem parallelo vel Climati quod Cometa perluſtraverit, ſubjecti pari calamitate affligendi eſſent, quod tamen nuſpiam, quod ſciat, ab Hiſtoricis fuerit animadverſum. Ac demum de illo anni 1618. Cometa notanda ſubjungit: *Funeſta profectò Cometæ lux, quæ, ſi Aſtrologis credimus, Anno* 1618. *luctuoſas Germaniæ noſtræ iniquioris fortunæ calamitates invexit, cæteris regionibus eidem climati ſubjectis, non ita fatalis illuxit. Certè plurimæ Europæ Provinciæ à belli tumultibus eximiæ* (exemtas intelligi non dubito, niſi & ſpoliis alienis ditatas intelligat Auctor) *fuêre, cum tamen omnium verticibus minitabundus Cometes incubuerit.* His meritò adjungo doctiſſimum Viri Cl. Joannis à Leuneſchlos Mathematici Heydelbergenſis judicium. Nempe enim docet ille corpora cæleſtia ſolâ illuminatione in hæc inferiora agere, præcipuè verò Solem calefactione, cum ſtellæ fixæ ob immenſam diſtantiam efficere id non valeant, Planetæ autem & Cometæ ſolùm mutuatam illam à Sole lucem remittant, qui proinde à nobis non ſentiantur, niſi ab ea aliquis motus localis in nervis noſtris excitetur. Cujus tamen vim in tanto intervallo debilem eſſe Vir ille doctiſſimus monſtrat, ita ut ſolius Solis calori palmam hîc deferat. Et huic quidem actionem perpetuò generalem & indifferentem, nullatenus ſpecialem, & ex ſe ad unum potius, quàm alium effectum producendum determinatam, & per ſe illuminandi ac calefaciendi, per accidens fumum & vapores efficiendi, emolliendi, liquandi, indurandi, exſiccandi, rarefaciendi, conſumendi, condenſandi &c. virtutem tribuit, ut apparenti ſui acceſſu & receſſu 4. anni tempeſtates creet, caloremque pro diverſo locorum terreſtrium ſitu ad ipſum diſpenſet, & omnes mutationes noſtri ſublunaris mundi eum duntaxat, ut cauſam generalem reſpiciant, aërem verò ut ſpecialem, quatenus is à terra variè quotidiè alteretur. Demonſtrat etiam ſtellas fixas non eſſe cauſas, ſed mera ſigna tempeſtatum aëriſque mutationum, quas Sol & aliæ cauſæ ſublunares efficiant, nec ea omnibus terris communia, ſed pro ſitu loci diverſa, (ut Canis qui ob Solis præſentiam nobis eſt ſignum caloris, eodem tempore noſtris Antipodibus ſignum ſit frigoris ob ejus abſentiam) tum & incertiſſima, leviſſimaſque conjecturas præbentia. Illa verò Aſtrologorum fundamenta & vaticinia ex certo aſtrorum inter ſe poſitu & in ſuas domos relato petita, & ad judicia de hominis capite ferenda ſe extendentia, prorſus eſſe rejicienda ait. Tùm & ſine Cometæ regno dominari ventos, tempeſtates, peſtem & mortem in Principes æquè ut alios homines legibus ſuis ſubjectos: Martem quoquè inſuper in eoſdem graſſari, nec ibi tantum ubi is luceat, ſed & alibi. His tandem ſubjicit: *Hinc ſi uni loco damnoſus fuerit* (Cometes) *alteri lucroſus fuit, ut omnes ii ingenuè mecum fatebuntur, qui eundem Cometam in ejuſdem climatis eadem zona in eodemque parallelo vel meridiano degentes Anno* 1618. *ſupervixerunt. Scilicet rotat omne fatum, omnia naſcuntur & denaſcuntur, ortus unius eſt interitus alterius, in iſta denſantur Principum & ſubditorum funera, neque naturalibus cauſis ullus noſtri delectus eſt. Cur ergo Cometas diros potius pronunciamus quam benignos? Terrifici ſunt, aſt dementiâ noſtrâ, quæ Panicos ſibi objicit illicò terrores, ac prorſus malis non contenta extranea undique adſciſcit. Objici ſolet, Cometas à Deo ad aliquid nobis ſignificandum uſurpari. Et ſanè id fieri poſſe non inficior. Sed interim reipſâ id fieri, undenam conſtat?* Hæc ille in literis ad me die 12. Aprilis hujus anni ſcriptis. Quibus commodè, ut puto, addam illa Præſtantiſſimi Bojariæ Veſtræ Hiſtorici Joan. Aventini: *licet quoque literis proditum ſit, ſalutare & fauſtum terris eſſe* (ſcilicet ſidus Cometam)

Deus ſalutem humanam curat: Cometæ officiis admonet mortales.

Libertatis uſus in virtute ſectanda cernitur.

Cometa huic vel illi regno verticalis omen non eſt futuri eventus mali: imo quandoque eſt & boni, ut ille anni 1618.

Cæleſtia corpora ſola illuminatione in hæc inferiora agunt.

Sol agit in inferiora calefactione.

Stellæ fixæ à nobis remotiſſimæ non agunt in inferiora.

Planetæ & Cometæ non agunt in inferiora.

Stellæ fixæ mera ſigna, non cauſſæ tempeſtatum ſunt: & ſigna quidem pro diverſo loci ſitu diverſa.

Damnoſum uni utile alteri.

Cometa 1618 mala his, bona illis portendit.

Cometæ non minus læti quam terrifici dicendi.

Cometas à Deo ad ſignificandum aliquid adhiberi certo dici nequit.

porten-

Cometas à Deo ad ſignificandum aliquid adhiberi, certo dici nequit: dici tamen Ethicè poteſt.

portendere cædes, bella, commutationes rerum, exitium Principum, excidia regnis. Hocque veluti monſtro, mortales ut reſipiſcant, à ſupremo Numine Patre indulgentiſſimo admoneri, vulgò magis credunt quam ſciunt. l. 4. Hæc ut prudenter & piè dicta veneror, ita in ea perſto ſententia, quam antehac indicavi, poſſe ſcilicet Cometam ſignum & prænuncium inſtantium bonorum malorumque à Deo exhibitum ſecundum moralem diſciplinam dici, cui me ſingulari ſtudio favere, & ut commendandæ, ita & propagandæ incumbere, profiteor.

Cometa decomatus.

Illud quoque in theoria Cometæ Ingolſtadienſis lectu jucundum mihi accidit, quod memoratur P. Conradum Confalonerium in libello, quem nuper Italico idiomate Mediolani editum *Cometam decomatum* indigetat, Judiciariæ Aſtrologiæ vana auguria, præſertim quæ ex Cometis peti ſolent, doctiſſimè refelliſſe:

Cometa non, eſt cauſſa infallibilis malorum, nec eorum ſignum naturale, tanto minus ad certum aliquem locum determinatum: dici tamen poteſt ſignum à Deo aſſumtum ad prænuncianda hominibus mala, ſed incerta:

tum & P. Leinberer ejus, velut ſui olim in Philoſophia Magiſtri eminus veſtigia ſecutum eſſe, & ſolidè aſſeruiſſe, Cometam non eſſe cauſſam infallibilem ſiniſtrorum effectuum: nec quidquam mali dependentis immediatè vel mediatè à libertate creata, determinatè præſagire in ratione ſigni naturalis: tum etſi certos eventus portenderet, nullum tamen ſufficiens fundamentum præbere poſſe præſciendi, cui potiſſimum Provinciæ calamitates ominetur: denique veriſimillimum eſſe Cometas cæleſtes à divina providentia aſſumi tanquam ſigna, quibus magna orbi & mortalibus mala, ſed incerta portendere velit.

Etiam læta prænunciat, Idque ex divina juſtitia probatur.

Hoc unum addi his optarem: etiam læta lucidis hujuſmodi cæli linguis, ut ipſius Patris Leinbereri utar verbis, prænunciari à Deo, cujus juſtitiam non ſolis minis & pœnis à malo abſterrere, ſed & promiſſis ac præmiis ad bonum invitare mortales, in aperto eſt. Cui nos Philoſophicis ſtudiis omnibuſque conatibus & actionibus noſtris famulari, & homines hominibus virtutis præcepta inſtillare, par eſt. Quod ſi & illæ hariolationes (dummodò non ſint illæ furibundæ prædictiones, quas quæſtus cauſſâ quidam faciunt à Cicerone quoque damnatæ) præſtant, indulgendum eis tantiſper erit, ut piis fraudibus graſſentur, & laudatum illud genus fallendi quo per impoſturam beneficium datur, exerceant.

Virtutem apertè docere & profiteri Vir bonus debet.

**Profeſſus Chriſti diſcipulus eſto.*

Ego ex inſtituto defenſâ libertate virtutem apertè docere & **profeſſus Chriſti diſcipulus eſſe malo*, quod olim Doctiſſimus Veſter Maldonatus occaſione Nicodemi dixit. Non tamen excludo prædictiones Politicas & Ethicas, quæ non tantum ad virtutem ducunt, ſed in experientia firma & rebus ipſis, ſcilicet earum cauſſis, mediis & eventibus ſuetis fundantur, à prudentia verò modeſtè fiunt & placidè, & ex Republica. Quas & Cic. 1. de div. commendat.

Prudentes Viri ex præterito rerum ratione & ſerie perpenſa, in futurum, ſaltem aliquando, prædicunt.

Ita enim ille: *Ut ii qui Solis & Lunæ reliquorumque ſiderum ortus, obitus, motuſque cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum ſit, multò ante prædicunt: ſic qui curſum rerum creatorumque conſequentiam diuturnitate pertractata notaverunt, aut ſemper, aut, ſi id difficile eſt, plerumque: quod ſi ne id quidem conceditur, nonnunquam certè, quid futurum ſit, intelligunt.*

Curtio propoſita ab Auctore dubia.

Quod ſupereſt, reſponſum candidum & Amicum à Te ad has, ut & ad priores exſpectabo; nec non ad illa, quæ ad Illuſtriſſimum illum Amicum ex Hevelianis Tecum communicavi die 16. Junii ſcripta. De cujus Prodromo, quem me curante rectè Te accepiſſe, gaudeo, judicium Tuum exſpectabo, ut &, an unicus in hac Scena fuerit menſe Decembri, Januario & Februario conſpectus Roſcius, tum quid de poſtremo, qui menſe Aprili fulſit: ſed & an ad Borealem Andromedæ conſpectus ſit Cometes, quod Romani menſe Aprili, Gravius Franequeræ menſe Februario & Martio obſervaſſe ſe dicunt, Hevelius autem negat, ſentias.

Rautenſteiniana Communicatio merito reliquis omnibus præponitur, eique Curtiana adjungitur.

Velim huic quoque loquaci epiſtolæ aurem patulam præbeas, & me digneris reſponſo quamprimum. Jam enim mihi firma ſtat ſententia, ut Communicationem Rautenſteinianam (nempe novi quantum tantæ dignationis & tam antiquæ virtutis & fidei Amico publicè privatimque debeam) omnibus reliquis præmittam, eique Tuam, ut individuam Sociam, adjungam. Atqui jam initium ſit, propitio Deo Opt. Maximo operis mei, & figuræ Obſervationum Cometicarum, quæ ad tricenarium numerum adhuc accedunt, jam ſunt in manibus Amicorum editionem in Hollandia curantium, quorum induſtriæ

ſtriæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſtriæ quamprimum Tua ſubmittenda mihi erunt, à quo Amicorum vota & monita operis illius editionem quamprimum perfici poſtulant. His Te plurimum valere & feliciter agere cupio, qui ſum

T. Obſervantiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ.

Neoburgo Hamburgum die 21. *Auguſti* 1665.

Generoſiſſime Domine
Domine Obſervandiſſime.

FRuſtra increpas brevitatem meam, fruſtra iraſceris tarditati. Meminiſſe Te decet, Vir Generoſiſſime, cum Curtio & cum Mathematico commercium eſſe. Illum nec oblviviſci poſſe nominis ſui, hunc nihil facturum præproperè aut feſtinanter, ſed quâ decet reverentiâ Scholæ & poſteritatis. Scilicet ad me ſcriptum erat ab amicis Italis, exſpectandum hunc menſem, & adfore denuò Cometam matutinum, atque cum phoſphoro perambulaturum auroræ confinia, tam protervè tam fidenter aſſeverantes ſpernere non debui. Itaque eò differendæ literæ videbantur, ut novam moſtellariam ferrent. Vana ſpes & Cometa nullus fuit. Eventus tamen tam varii tam verſicolores, ut argumenta diſceptandi ſuggeſſerint iis, quibus ex conjectando queſtus eſt. Scilicet de Archiducis Sereniſſimi morte, prodidit omne cæli ſecretum Cometa. Nam Oeniponti ſpectatus eſt imminens ſilvæ, ad quam Princeps pridie venatum conceſſerat, quaſi non aliunde ſpectatus commutaſſet locum. *Et iſti tamen tales ſe per Aulam anſati circumferunt. Eſtque hodie Viennæ, qui adhuc plura minatur, etſi tam citò non evolvenda. Cæterum plura nec immeritò indignantem, increpat objurgatque tabellarius, nec plura ſinit, *quam ut libellum hunc adjungam authoris, qui hæc ſcribenti adſtat, ſimulque monet 1000. exempla itineris Cometici Ingolſtadii impreſſi prompta fore, ubi Generoſiſſima Dominatio Veſtra imperaverit. Ei me unicè commendo perſiſtoque

Curtius brevitatem & tarditatem ſui reſponſi excuſat.

Cometa novus matutinus, in. Aug. ab Italis promiſſus, non comparuit.

Eventus Cometarum varii.

Cometa mortis Archiducis ultimi prænuncius.

**Princeps time Deum, nec brachiis ad latera anſarum more applicatis incede.*

**Curtius mittit Auctori librum Maraldi de ſignificat. Cometarum & de Aſtrologia univerſa, & mille exemplaria typi Cometici Ingolſtadienſis promittit,*

G. D. Veſtræ.

Deditiſſimus Servus

ALBERTUS CURTIUS.

P. S.

Parabam longas & meditatas ad Generoſum de Lubienietz, nec deerant argumenta ſcripturienti, cum improviſo adfuerunt iſti, atque iſti, atque alii. Denique abrumpendum fuit, niſi iterum exire vellem ære, & fallere promiſſa. Nec cætera repræſentare aut mittere jam quidem vacat.

Hamburgo Neoburgum die 23. *Septembris* 1665.

S. P. Admodum Reverende Domine Pater, Doctiſſime & Clariſſime Vir!

CUrtium Te eſſe probat reſponſum curtum, & alioqui familiaris dictio, nam & nunc ad meas binas & benè longas

Curtius curtus.

- - - reſpondes (ut tuus eſt mos)
Pauca - - - - - -

Meam plerumque indomitum diſcendi ſtudium extendit, quamvis eam aliorum laborum turba & valetudinis ratio coërcere nitatur. Illud ipſum obſtitit, quominus adhuc pervenirem ad illam Senecæ laudatum Lucilii breviloquentiam,

Auctor prolixitatem literarum ſuarum excuſat.

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quæ cuncta ejus reddebat preſſa & rei aptata, ita ut Seneca illi diceret: *Loqueris quantum vis, & plus ſignificas quam loqueris.* ep. 59. Fruamur uterque libertate genii. Tu quidem Spartæ extrà controverſiam, Ego utinam Athenis!

Publica utilitas omnibus curanda.

Officioſus erga Amicos eſto.

Uterque, imò omnes, quotquot ſumus, publicis uſibus miniſtremus. Mea quidem non alia unquam fuit mens. Ideò Te & compellavit prior, & poſthæc ad promtum reſponſum per Illuſtriſſimum noſtrum Rautenſteinium toties ſollicitavi, qui egregiè, ut alias ſemper, ita hîc quoque partibus ſuis voce & ſcripto functus eſt. Et promtius quidem id feci ob hoc ipſum, quod me cum Mathematico, eoque excellenti, rem habere ſcirem. Sed Tu hoc ipſum in tandiu dilati reſponſi præſidium advocas: nempe de ortu novi Cometæ matutini ab Amicis Italis monitus.

Auctor à Curtio reſponſum ſufficiens exſpectat.

Cometas novos paſſim tulit fama.

Juppiter quandoque pro Cometa habetur.

Venus aliquando pro Cometa ducitur.

** Cometa ſub finem Augusti & initium Sept. in Suecia viſus eſſe ſcribitur.*

‡ Cometæ eventus varii.

Voluntas divina juſta.

Prognoſticon Italicum per Germaniam ſparſum rerum eventibus refutatum.

Monere ergo & nos de hoc novo hoſpite, ſaltem fama & exſpectatione ejus debueras. Atqui neque nunc ita literis & votis meis, ut nomini, reſpondes. Poſtquam verò huic ſatiſfeciſti, ſatiſfacies, ut ſpero, & illis. Novos Cometas oſtenderat nobis nuper Cracovia, Haunia, imò & Lipſia aliæque urbes. Credo animis hominum ex diuturna contemplatione obverſari imagines Cometæ, præſertim ſi Jovem vel Venerem in nube diſtendi videant. Sed & nuperrimè Amſterodamo nuncius de Cometa ad aures noſtras venit. Tum verò potiſſimum Holmiâ cum proximo veredario. * Videri nempe illic poſt integram à media nocte horam Cometam ſine ſyrmate, comatum credo, verſus Borrhapeliotem, celeri curſu in Notapeliotem directo. Sic quidem illi. Nos hîc loci nil tale hactenus explorare potuimus, etiam ſereno cælo. Liceat ſuſpicari errorem, ut dixi, Veneris, circa illud tempus orientis, & non tantum nocte pleno lumine, ſed etiam interdiu inſigniter coruſcantis. Varios & verſicolores Cometæ eventus notas. Meritò ſanè. Nam qui nuper Sereniſſimi Archiducis occaſum, idem credo non paucorum Principum hîc & illîc ortum prodidit. Comitantur eum triſtia, ſed ſæpenumerò & læta. Quandoque illa ſola antecedunt, hæc ſola ſequuntur, ut fert uſus vel abuſus humanæ libertatis & juſtitiæ conveniens divina voluntas. Eſt in oculis & manibus hominum prognoſticon quoddam horrendum ex Italia allatum, & Vienna per Germaniam ſparſum, tùm & à nonnullis approbatum. Præteritorum eventus fidem illi ſatis detraxit. Nec majorem profectò in poſterum merebitur. Ingenioſè & ſolidè talia refutat libellus, quem mihi nomine Auctoris nuper miſiſti. Validè illam neceſſariam malorum ſignificationem, quæ vulgò Cometæ tribuitur, & vanam divinandi artem Aſtrologis plerìſque familiarem profternit. Utrique Veſtrûm de tàm egregio dono gratias ago debitas.

Cometæ non ſunt malorum cauſſæ, nec ſigna naturalia, ſed tamen connectuntur cum eventibus bonis & malis, quatenus omia ab univerſali cauſſa, Deo, proveniunt.

Aſtra non ſunt cauſſæ malorum, quæ à libertate humana pendent.

Voluntas domina affectuum libertate ſua gaudet, nec ab aſtris pendet: at pauci ei obediunt.

Cometas ſigna malorum naturalia eſſe, cumque illis neceſſariò, ut cauſſas cum effectis, conjungi, veriſſimè negatur. Connecti tamen eos eventibus, non malis tantum ſed & bonis, non neceſſariò, ſed quatenus ab eadem cauſſa proveniunt, à qua omnia, quò ſcilicet illorum comminatione, horum promiſſione mortales officii commoneantur, dici poſſe cum veritate arbitror. Imò videtur probitatis intereſſe, ut hoc doceatur & credatur. Cometas licet naturaliter ſigna & cauſſas multorum malorum eſſe ex hypotheſi concedatur, non eſſe tamen omnium quæ vulgò timentur, certa ratio docet. Sine Cometis multos Principes falx mortis demetit, multos gladius, plures gula perimit: civiles motus, bella domeſtica aliæque Rerump. mutationes orbem concutiunt ſæpè. Argumento id eſt, talium originem non eſſe ad cincinnatas illas ſtellas aliaque aſtra, ſed ad liberam voluntatem, quâ ſæpè in pravum abutitur mortale genus, referendam. Et poteſt quidem facultas appetitûs ſenſitivi flectere quodammodo voluntatem: at cogere non poteſt. Voluntas enim rectrix eſt appetitûs, domina affectuum, in quam nec aſtris imperium conditor omnium tribuit Deus. Sed in quibus hæc regina, duce ratione gaudens, vires ſuas exerat, pauci profectò ſunt. Ita naturæ vires, rationis imperium & divini auxilii gratiam plerique temnunt. Idcircò & appetitum & voluntatem & omnia ſua fati & aſtrorum neceſſitati ſubjiciunt, quo ſcilicet præſidia parent improbitati. Atqui & bruto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

brutorum appetitus non regitur ab aſtris, & tamen magnas habet vires ob cauſſas internas & externas. Tanto magis locum id habet in homine, quem Deus ratione præditum & libertatis capacem eſſe voluit. Ejus tamen indoles non æquè felix vel proba eſt. Sicut & in omnibus rebus magna cernitur viciſſitudo & varietas. Nempe & agri eidem climati ſubjecti multum differunt,

Homo multum longeque præſtat brutis.

Varietas in omnibus rebus apparet.

Hîc ſegetes, illîc veniunt felicius uvæ. Virgil.

Ita & inter nos non *omnia poſſumus omnes*, ut ille canit. At verò indolem humanam penitus non novimus, nec ſi noſſemus, effecta futura, imo nec experimenta, quæ pro rerum occurſu variant, ſcire poſſemus. Cum vero hæ ſint infinitæ, patet nullam hic certam divinatricem ſcientiam dari poſſe. Liberæ quoque voluntatis majorem quam aſtrorum vel naturalium cauſſarum eſſe vim, docet experientia & vetus illud dictum, *Sapiens dominabitur aſtris*. Multa enim aſtris & naturæ contraria agit, & tam illorum vi influenti, quæcunque tandem illa ſit in hæc inferiora agens, quam naturali propenſioni fortiter reſiſtit, hujus etiam vitia corrigit inſtitutione & induſtriâ. Benè obſervat Doctiſſimus Auctor voluntatem Angelorum bonorum & malorum, inprimis verò divinam providentiam in actionibus humanis concurrere cauſſarum naturalium efficaciæ repugnantibus, ut ita nulla divinatrix ſcientia certa, nulla neceſſitas inevitabilis hîc dari poſſit. Hanc homini à cælo non imponi, documento eſt curſus ejus immutabilis, & actionum humanarum mutabilitas, ex inconſtantia mentis & varietate objectorum crebrò proveniens. Occupantur multi in ſcrutandis hominum ingeniis & diverſis eorum temperamentis aſſignandis. At videmus hæc non poſſe certò aſſignari illis, qui ſub hac vel illa conſtellatione, ut voce Julii Firmici, à ſententia tamen ejus alienus, utar, nati ſunt. Tanto vero minus eis temperamenta in futurum certò aſſignari poſſunt, quæ victus ratio & multiplex artis induſtria ſæpè mutat, & quorum progreſſus & eventus nulli divino patet. Videmus quidem & experimur crebrò cupiditates voluntatem obnitente ratione in ſuas pertrahere partes, ut illa hujus ducis transfuga evadat. Sæpè tamen illas comprimimus, coërcemus, infringimus, domamus. At in futurum motus voluntatis quibus certi legibus adſtringi poteſt? Optimè Auctor fatum, ſive illud Chaldaicum ſive Aſtrologicum, ſive Stoicum ſit, impugnat. Nil Deo & homini convenientius Libertate dari poteſt. *Regnet neceſſitas in ortu & occaſu Solis, motu ſiderum, decurſu temporum anni ordinario, aliiſque quæ Deo diſponente neceſſariò fiunt. Sed alia longè eſt humanarum actionum ratio, quæ à libertate voluntatis, cui Deus hominem reliquit, pendent. Huic conſtans ſiderum ordo nullas præſcribit Leges.

Futurorum præſcientia negata homini.

Libertas humana virtute præſtat aſtris & naturæ.

Induſtria corrigit ſæpè naturam.

Dominatio incerta.

Neceſſitas nulla.

Cælum nullam neceſſitatem homini infert.

Conſtellatio ſub qua quis natus, nullam neceſſitudinem imponit.

Voluntas ſæpè ſuccumbit cupiditati, ne quicquam obluctante ratione.

Voluntas in futurum nulla neceſſitate adſtringitur.

** Neceſſitate res naturales conſtringuntur: ſed non actiones humanæ.*

Fruſtra hîc quorundam Aſtrologorum fatigat ſe curioſitas. Quorum alioqui placita quædam probabilia illam libertatem non tollunt. Cui tamen fundamento illa ſuperſtruantur, merito dubitat, imo illud omne removet Auctor, ut nec electæ à Deo cuidam ſiderum conjunctioni, quam Cardinalis Pallavicinus infert, locum relinquat. Cum enim nunquam cælo eadem planè redeat facies, quod Mathematici demonſtrant, quis certo determinare ſub hoc vel illo cæli ſitu eventura poterit? Nam ſi vel cum cælo & ſideribus actiones humanæ certis & ſtatis legibus recurrant, quis Aſtrologorum futura iiſdem legibus circumſcribet, & ita quidem ut ordo ille fixus maneat? Nam ſi hoc facit, quid diſtat à Deo, dummodo vivat, ut alicubi Plinius ait. Veriſſimè itaque Auctor docet, Deum nec ſtellarum conjunctione illa ſpeciali, nec ulla alia ratione homini futurorum notitiam & divinandi ſcientiam ſibi propriam, ſibique ſoli relictam, tradidiſſe, nec juris iſtius Majeſtatis ſuæ participem eundem feciſſe. Qui hanc appetunt, videntur mihi iterum eſum de arbore vetita ſcientiæ boni & mali appetere. Benè etiam notat Aſtrologicas prædictiones ambiguas inſtar oraculorum Delphicorum, eſſe, & vel aliunde, quam ex aſtris, deductas, vel temerè prolatas, vel à Diabolo ſuggeſtas. Hoc enim de multis verum eſt.

Siderum electa aliqua à Deo conjunctio libertatem hominis neceſſitate non conſtringit.

Futurorum præſcientia negata homini, cum eam Deus ſibi ſoli reliquerit.

Adami lapſum iterant, qui futurorum præſcientiam appetunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Omnia ubiq. Credulitas curioſa artes Aſtrologorum juvat.

**Spes nimia in temeritatem protrudit.*

Neque verò mirandum eſt eas aliquando cum veritate convenire. Hoc enim in tàm vaſta mundi machina & tanta rerum viciſſitudine contingat neceſſe eſt. Nempe niſi hic moriatur Princeps, oriatur bellum, moritur ille, oritur iſtud alibi. Prudenter etiam Aſtrologorum artes credulitate conſulentium multum juvari docet. Revera namque * hos ſpes confidens ad aliquid perficiendum excitat, illos metus deprimit &

- - Multos in ſumma pericula miſit
Venturi timor ipſe mali - - -

Cometæ non ſunt ſigna naturalia eorum quæ à libertate humana geruntur.

Cometæ non ſignificant pœnas à Deo decretas, ex neceſſitate ſcilicet:

Iis tamen apparentibus incidunt illæ ſimul; ſed & ſine illorum apparitione hæ vindicandis ſceleribus à Deo infliguntur, & poſt eandem non ſemper illæ ſed potius beneficia in probos immittuntur;

Atque id Dei Sanctiſſimi & ſummâ majeſtate verendi, cujus oracula omni exceptione majora vanis Aſtrologicis placitis quidam impiè poſtponunt, juſto judicio fieri, cum veritate convenit. Eruditè etiam Auctor probat Cometas naturaliter non ſignificare ea, quæ ab humana libertate geruntur, etſi ſint coæva reliquis ſidera, vel congeries ſtellarum, vel corpora pro tempore compacta, ſive ex vaporibus terræ, ſive ex Planetarum exſpirationibus. Unde colligit eoſdem nec illa ſignificare poſſe, quæ Deus in pœnam ſcelerum noſtrorum decernat. Verè, ſi neceſſitas aliqua libertati humanæ præjudicans ſignificatione illâ contineatur. Neque vero mirandum eſt, quod etiam prudenter monet, cauſſis naturalibus ad generandum Cometam diſpoſitis incidere ſimul ſupplicia, vindicandis mortalium flagitiis à Deo deſtinata. Tanto magis cum ſatis conſtet extra Cometarum apparitionem non minus ab hominibus patrari, quam à Deo vindicari peccata, & illâ durante bona quoque homines operari, adeoque & multa læta eandem ſequi, ita ut ſi vel mala non fierent, Cometam tamen naturales cauſſæ neceſſario agentes protruderent. Sed hunc ego experientiâ fultus non tantum adverſorum, ſed & ſecundorum anteambulonem à Deo produci aſſero. Quâ de re pluribus ſuo loco agetur. Nunc tamen juvat pauca hæc addere, quæ ad confirmationem veritatis & illuſtrationem argumenti propoſiti pertinent. Dixi ut homini, ita cumprimis Deo rerum Auctori, Conſervatori, Rectori, maximè convenire libertatem.

Ut ita Cometæ neceſſitate Phyſicâ generentur, & tam bona quam mala prænuncient, Deo non ex neceſſitate ſed ex æquo & libertate agente.

Ita omnino eſt. Hoc veritatis fundamentum ſolidè muniendum & cum cura tuendum & tenendum eſt. Itaque piè & doctè Auctor probat Deum liberè agere, plagas ſuas accerſere vel avertere, ſive Cometa aliquis appareat, ſive nullus. Hoc ſatis evidens eſſe & probatione non egere, res ipſa docet Sole, ut ſic dicam, meridiano clarior. Innumera etenim exempla loquuntur, Deum non exſpectatis ſive nullis exhibitis Cometis graviter punire ſontes, ſed & lucentibus illis feralibus, ut vulgò creduntur, facibus, ingentia beneficia hominibus largiri. Ideo nulla neceſſitatis lege vel divina voluntas iſtis aliiſve ſignis cæleſtibus & portentis monſtrata, vel etiam ab illa in mundum demiſſa dona, vel immiſſa ſupplicia adſtringuntur, ut exinde certa & perpetua divinandi regula conficiatur. Hoc ſolum dici poſſe & debere publicè commendandæ virtutis cauſſâ puto, Cometas ſalvâ & Dei & hominis libertate bona malaque prænunciare. Voluntatem hîc Dei nobis utriuſque generis eventibus Cometarum innotuiſſe palam eſt, ut ita Cometæ cum rebus, tanquam cum effectis cauſſæ alterius, à qua ipſi quoque proficiſcantur, ut verbis Auctoris utar, conjungantur. Sed quamvis hoc ſentiam, perpetuâ experientiâ teſte, plurima mala Cometarum apparitionem eſſe ſecuta, expreſſè tamen dico non propterea Cometas illarum calamitatum eſſe cauſſas, imò nec cum illis, ut ſigna neceſſaria cum ſignatis connecti, ſed tantum quod Deus bona malaque his ſignis prænunciando, & veluti ad electionem faciendam (quod tamen & alias, vi præſertim Verbi & Spiritûs ſui Sancti præſtat) proponendo, officii mortales commonere, commodiſque eorum conſulere velit. *Nam cum Cometæ nec illarum rerum, quæ ex naturalibus cauſſis proveniunt, naturalia ſigna ſint, ſaltem non ſemper: (quam ſæpè enim citra Cometarum phaſes experimur ventos, procellas, terræ motus, exundationes, annonæ charitatem, obitus Principum, famem,

Cometæ bona & mala præſignificant, cum iis juncti ut effecta cauſſæ alterius à qua & ipſi veniant:

Non ſunt tamen illorum eventuum cauſſæ vel ſigna neceſſaria, ſed liberè à Deo exhibita, ut homo libertatis ſuæ capiat experimentum, admonitus officii:

** Nam nec naturalium effectuum naturalia ſigna ſunt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mem, peſtem &c. nec ſemper ab earum conſpectu tot premimur malis) multò minus earum eſſe poſſunt, quæ à libera hominis voluntate pendent. *Heu! omnium rerum eſt viciſſitudo*, dixit ille. Ita omninò eſt. Si reſpicias hominum mores & fortunam, datur perpetua bonorum malorumque mixtura. Mala in orbe graſſentur neceſſe eſt; nam & evenire in mundo ſcandala neceſſe eſt, (ſicut ipſa Veritas dixit) ex conſequenti ſcilicet, poſitâ humanâ libertate & malitiâ. Ideo tam hæc, quàm illa aſſiduò, modò hîc, modò illîc graſſantur. Sed & bonis, in tanta licet orbis corruptione, locus relictus eſt. Idcirco alibi omnia proſpera & læta eveniunt; non ſecus quàm hîc ſæviente gelidâ brumâ, alibi felix luxuriat æſtas; & Sole orbem noſtrum colluſtrante, tenebræ nocturnæ premunt Antipodes, qui adverſis veſtigiis contra noſtra ſtant veſtigia, ut Cicero alicubi loquitur. (4. Academ.) Atque hæc etiam infinitis aliis accenſenda, manifeſta ſunt divinæ providentiæ documenta, etſi nullus Cometa orbi noſtro exhibeatur. Sed *quo prolabor mei & negociorum, ſed & Curtii, quîcum mihi res eſt, oblitus? Conſtat tamen mihi & hîc ratio facti. Habes, Eruditiſſime Curti, loquax pro curto reſponſum. Hoc gratum in Te animum meum de illo egregio libello ad me miſſo, & à me cum cura perlecto & relecto ac expenſo, teſtabitur. Sed & ſtudium in Auctorem Doctiſſimum, qui mihi tale munus per Te miſit, & aliquot etiam verbis adſcriptis, meditatam & longam epiſtolam promittentibus. Denique ſtudium diſcendi. Hac enim fini cuncta iſta a me propoſita ſunt, ſicut & priora, ad quæ reſponſum juſtum Celeberrimo Nomini Tuo, hac contrarium, ſed illac convenientiſſimum, exſpecto. Velim quamprimum mihi reſcribas & reſponſum abſolvas, quo etiam inter Te communicata abſolvantur, & Rautenſteinianis, quæ jam cuncta in Hollandiam miſi, prelo ſubjicienda, ſubjiciantur. Separari enim ab Illuſtriſſimo illò Viro, cui tantopere conjunctus es, non potes.

Viciſſitudo rerum eſt perpetua.

Chriſtus ſcandala eventura prædixit neceſſitate conſequentiæ.

Bonis bona eveniunt, malis mala.

Cometis nullis apparentibus providentia divina cernitur.

Auctor longitudinem reſponſi excuſat,

Non curtum à Curtio reſponſum exigens: idque ut quamprimum conſequatur, poſtulat:

De 1000. exemplaribus Typi Cometici Ingolſtadii impreſſis, quæ mihi pro veſtra humanitate offertis, ampliſſimas ago gratias. Sed ſtat ſic ſententia, ut hunc typum unà cum reliquis, qui jam ad 40. numerum accedunt, & ad quinquageſimum ut puto venient, in Hollandia æri incidi faciam, quò omnes ab eadem manu & in eadem charta veniant. Vale

De exemplaribus typi Cometici Ingolſtadienſis oblatis gratias agit, ſe ea non deſiderare amplius, nuncias

T. Obſervantiſſimus & ſtudioſiſſimus.

STANISLAUS LUBIENIETKI.

III. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

III.
COMMUNICATIO LUTETIA PARISIORUM BRUSSELLANA.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 27. Iunii 1665.

Illuſtriſſimo & Humaniſſimo Viro, Domino Petro Brussello *P. F. in Suprema Regni Galliæ Curia Senatori Graviſſimo*
Stanislaus Lubienietzki de Lubienietz *S. P. D.*

CUm Tibi grata eſſe illa, quæ Tecum de Rerumpublicarum ſtatu, commoda ejus quà datur promovens, communicare ſoleo, intelligam, nunc quoque aliquid hujus argumenti dare ad Te conſtitui. Germania inter ſimultatum & diſſidiorum motus nutat: Polonia inter externarum & domeſticarum non tantùm molitionum, ſed & turbarum bellicarum acria certamina de ſalute periclitatur: Batavia cum Anglia, dum parta tuetur, adhuc iniquiore Marte decertat: Dania & Suecia firmis fœderibus tutæ, ſed & Gallia cumprimis Veſtra (quod me melius noſti) Virorum viriumque potentiſſima, tantæ rei eventum præſtolantur: Hiſpania inter Regem Senem & Infantem, utrumque imbecillem, verſatur: Italiam Turcici belli metus & privatorum commodorum ingens ſtudium alioquin exercet. Atque hæc jam eſt univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ facies. Felix terque quaterque, qui ſe ita coram Dei facie hîc in terris componit, ut eam in cælis olim æternùm intueatur, inenarrabilibus potiturus & fruiturus gaudiis! *Quantoperè hîc Deus humani generis bonum promoveat, minas pollicitis, & hæc illis ſapientiſſimo & ſaluberrimo conſilio miſcendo, nuperi quoquè docuêre Cometæ; quos egó non tantùm triſtium, ſed & lætorum prænuncios vocare ſoleo: idque me in opere meo, quod, ut noſti, molior, juvante Deo, ſat multis & claris exemplis probaturum confido, utque & Tu ſymbolam in medium afferas, rogo & obſecro. Tam illuſtri affulgente occaſione, caligines tenebraſque intempeſtivi ſilentii quærere nolui. †Hoc enim foret in illis cum bona Philoſophiæ non Contemplativæ tantùm, ſed & illius Activæ fruge, ſapientiæ & virtutis appetentes, quantum opus eſt, exſatiatura, &, ſi vel propriæ intentioni, methodo, ſpei, vel ſententiæ non paucorum Præſtantiſſimorum Virorum credendum eſt, publicè profuturâ, latere. At hoc boni Viri, multò magis hominis Chriſtiani & pietatem profitentis officio, repugnare duxi. Opus illud reddet illuſtre argumenti de Illuſtriſſimis in cælo ſignis, qualia Cometas unà omnium Sapientum gentiumque vox celebrat, dignitas. Tum verò & congeries Illuſtrium Virorum Rautenſteiniorum, Heinſiorum, Heveliorum, Bullialdorum, Bartholinorum, Kircherorum, Ricciolorum, Curtiorum, Schottorum aliorumque, quos recenſere longum foret, qui meritis ſuis Orbi literato ſatis jam olim innotuerunt. His non immeritò accedes, cujuſcunque generis materiam dicendi elegeris, ut nomen Tuum æternitati conſe-

Rerumpublicarum Chriſtianarum Status dubius & periculoſus.
Germania in ancipiti.
Polonia in arcto.
Hollandia bello Anglico in mari ardet.
Dania & Suecia in tuto.
Gallia præpotens rerum progreſſus obſervat.
Hiſpania Sene & Infante nixa.
Italia metu Turcarum & motu domeſtico diſtringitur.
** Dei providentia & humani generis amor in Cometis quoque cernitur.*
† Latendum non eſt cum fruge bona publicè profutura.
Auctor diverſos amicos recenſet.
His Bruſſellum adjungi cupit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Nullum ſe adhuc Patronum habere ait, præter Deum.

Omnem ut ambitionis, ſic & avaritiæ ſuſpicionem ab ſe removet,

**Gloriam autem Dei & Chriſti & proximi ſalutem, tum publicum bonum, patriæ ſuæ cumprimis, ſe velle hîc promovere aſſerit,*

†Dandam ſibi eſſe operam, ne ingenti ſumtu ſibi & ſuis detrimentum inferat, docet,

‡Ideò conſilium Amicorum de obtinendis neceſſariis privilegiis contra furtivam editionem aperit,

**Et de hac re judicium Bruſſelli exquirit.*

cres. At neminem adhuc tanti operis habeo Patronum, præter Deum meum, cui me ita ſervire, ut ſtudeam conſcientiam ſine offendiculo habere ad eum & ad homines ſemper, cum S. Paulo Apoſtolo cumque veritate dicere poſſum. Si is mihi Patronum munificum, in re tenui & adverſa ſorte conſtituto, parare voluerit, ipſe faciet. Me ſicut nullus vanæ gloriæ pruritus, ita nec divitiarum cupido huc deduxit: *ſed potius Dei Creatoris, tum & Servatoris mei gloria, & proximi meæque propriæ ſalutis juvandæ ſtudium. Adhæc in re civili publicæ utilitatis (patriæ meæ præſertim, cujus amorem nequaquam depoſui) cognitu & factu utilibus, vel etiam neceſſariis prolatis, monſtratis, commendatis promovendæ, impenſum ſtudium. †Danda mihi tamen ante omnia quæ rem privatam ſpectant, opera eſt, ne, quod dicitur, oleum & operam perdam, & in chariſſima pignora alioſque, quorum cura incumbit mihi, injurius exiſtam. Quod certò fieret, ſi tanto opere propriis ſumtibus edito (nec enim alia editionis offert ſe ratio) exemplarium à me diſtrahendorum pretium, nova & furtiva interverteret editio. ‡Ac proinde Amici in Hollandia & hîc agentes, talium non ignari, ſuadent, ut impetrem neceſſaria in hanc rem, in qua caput fortunarum mearum conſiſtit, ab Auguſto Imperatore, tum Chriſtianiſmo Rege & Præpotentibus Belgii Fœderati Ordinibus, privilegia, quo nemini, me inſcio, vel novam libri hujus editionem adornare, vel exemplaria alibi impreſſa diſtrahere in ullis ditionibus imperio eorum ſubjectis, liceat. *Hoc an quærere me in tot Aulis, hoc rerum mearum, quem noſti, ſtatu deceat, ab omni ambitione longè alienum, & an, ſi facto opus ſit, in Aula veſtra invenire poſſim, Tuum eſto judicium, quod fac quamprimum ſciam: id enim rerum mearum ratio, moræ impatiens, requirit. Vale, Vir Illuſtriſſime, & me priſtrino favore proſequi porrò perge.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 17. *Iulii* 1665.

Nobiliſſimo Viro Domino Staniſlao Lubienietzki de Lubienietz Petrus Bruſſellus

S. P. D.

Bruſſellus in Auctorem officioſus eique benevolus,

Symbolam operi huc inſerendam pro modeſtia primum negat.

Laudati laudatis accedant & accenſeantur.

Bona fama à parente relicta ampliſſimum eſt patrimonium.

**Adverſa fortuna fortiter ferenda.*

†Patronus Viro bono in re tenui conſtituto, præſertim verò magnum facinus aggredienti, opus eſt.

Binas à Te literas intra paucos dies accepi, unas 20. alteras 27. Junii datas, quibus cum reſponſum ex tempore parare cogitarem, otium mihi defuit, quo tam jucundo amicitiæ noſtræ officio ſatiſfacerem. Quod poſtulas à me ut ſymbolam aliquam cujuſcumque generis voluerim, ratione argumenti Cometici in opus Tuum conferam, ingenuè fatebor, me totius Aſtronomiæ, ut & quamplurimarum aliarum ſcientiarum & artium eſſe imperitiſſimum, nec nomen meum tanti eſſe, ut æternitati conſecrari illud Reipublicæ interſit. Eſſent ſanè quamplurimi qui ſe Rautenſteiniis, Heinſiis, Heveliis, Bullialdis, Bartholinis, Kircheris, Ricciolis, Curtiis & aliis orbis litterarii luminibus permixtos agnoſci cuperent. Nec id decus abnuerem, ſi doctrinæ & virtutis fiducia aſſequi poſſem. Sed quid ſtreperem anſer inter olores? Tacere ſatius eſt, quam indoctis aut vulgaribus ſcriptis ſe deridendum Viris undiquaque doctiſſimis propinare, & famæ ſuæ, qualiſcumque ea ſit, jacturam tam libenter facere. Parens meus ὁ μακαρίτης ſatis amplum nominis ſui patrimonium mihi reliquit, quod intactum ab omni impietatis, avaritiæ & injuſtitiæ macula ſervare pro virili conabor. Gaudeo mirificè * quòd adverſam fortunam firmo adeò & conſtanti animo feras, Deumque obnixè rogo, † ut tibi Patronum aliquem eximiæ dignitatis ſuſcitet, qui magnis opibus labentis domûs Tuæ ruinas fulcire poſſit, & operum certè egregiorum, quorum ſpem nobis literæ tuæ faciunt, editionem accelerare & juvare. Utinam tantam divitiarum, quantam famæ hæreditatem ab optimo & ſanctiſſimo Parente meo accepiſſem, non Tibi quærendus eſſet alius, qui largiori manu neceſſitates exilii tui promptius ſublevaret. Sed in non tenui magiſtratu tenuis tamen res eſt homini augendæ per furta, rapinas & ſcelera, qui mos hujus ſeculi peſſim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

peſſum euntis eſt, rei familiari minimè intento. Privilegium à Chriſtianiſſimo Rege, ne furtiva aliqua in Gallia Operis Tui editio exemplarium tuorum pretium intercipiat, facilè Te impetraturum confido. Si quid in hac re operæ meæ expoſcis, eam Tibi libentiſſimè offero. Hæc ſunt quæ ad Te nunc ſcribenda cenſui, gratiis Tibi actis pro illa ſincera & cordato homine digna Rerumpublicarum orbis Chriſtiani præcipuarum deſcriptione. Plura aliàs, ubi induciæ forenſes moleſtiam litium & molem negotiorum, quæ amicitiæ officia diſturbant, ex parte ſufflaminaverint. Interim his qualibuſcunque fruere, & pro Tua humanitate favere mihi non deſine.

Privilegium contra furtivam operis editionem in Aula Gallica obtinere Auctorem poſſe, Bruſſellus ſperat.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 31. Iulii Anno 1665.

TUis gratiſſimis literis die 17. Julii datis paucis & feſtinatâ manu nuper reſpondi. Verùm extemporalis illa ſcriptio Tuæ non tantùm dignitati, ſed & humanitati ac benevolentiæ ſingulari, adeoque officio, mihique ipſi non ſatiſfecerit. Quapropter nec in cenſum referenda eſt. Nunc etſi paulo plus otii nactus ſim, non tamen tantum quantum ad implendam officii in Te menſuram ſufficiat. Vehementer me ſolicitum tenet effuſa in me benevolentia Tua, qualem me non meruiſſe, meritò agnoſco. Utinam mihi ſalvâ Tuâ tùm modeſtiâ, tùm rerum privatarum ratione, liceat humi ſerpente, qui agricolis convenit, & minus terſo, candido tamen ſtilo, Te Tuoſque ob præclara merita (quorum jam olim conſcius ſum) laudibus in cælum efferre! Utinam integrum ſit Clariſſimum in orbe, & tot Scriptoribus rerum celebratiſſimum nomen Tuum, tanquam vivam Optimi Viri & Optimi Amici iconem, in Palatio Senatus Philoſophici (quem ad conſiderandum non Cometam tantùm, ſed & multiplex Magiſtratûs & Viri Chriſtiani, quod Præco ille cæleſtis in memoriam revocat, officium, cogo) ponere, & memoriæ æternitatis conſecrare! Sed Te invito nihil hîc faciam. Rogare tamen auſim, ut adſentias mihi, qui è re publica judico, ut Viri literarum humaniorum virtutumque ſtudioſiſſimi, tanto magis illuſtri aliquâ dignitate conſpicui, non lateant, ſed potius prodeant in publicum, & non dicto ſolùm, ſed & facto ac exemplo egregio omnibus, junioribus præſertim & tùm ſui æqualibus, tùm etiam inferioribus, ad virtutis Templum ineundum prælucere, eiſque facem præferre velint. Quod ſi abs Te impetro, agnoſco & utilitati publicæ non parum, & meo operi ornamenti multum acceſſurum. Exſpecto itaque quæ ſit tandem futura de eo Tua ſententia, cui ego meam commodabo. Mihi verò nihilominus liceat, Te quem tam diu & tam benè novi, dicere: *Sume ſuperbiam quæſitam meritis.* Superbiam dico, illam Virtutis veræ non tantùm conſciam & certam, ſed & magiſtram, cui cum modeſtia benè convenit, quæque ideò in laude ponenda eſt. Quidni enim una cum eximiæ dignitatis & eruditionis Viris Rautenſteinio, Heinſio, Hevelio, Bullialdo Veſtro aliiſque in Senatum Philoſophicum venias, qui in Senatu Magni Regis editum occupas locum, & illâ utrâque conſpicuus es, non tantùm audis? Tunc verò illic anſer inter olores ſtreperes? Aliud profectò hæc ipſa vox promittit: aliud longè nota eruditio & tùm ingenii & ſtili, tùm etiam mentis nativa bonitas docet. Imò verò Te illius albor, hujus candor, & vox arguta & pectus niveum oloribus tot canorum redderet Olorem, nec tantùm album illum Mantuanum & Sulmonenſem ac Tuſculanum, ſed &, qualem protulit Venuſinus vates, purpureum, togæ Tuæ Senatoriæ convenientem. Loquere itaque inter Tui ſimiles, ac retecto quidem vultu, quo plures Tuo præclaro exemplo ad Literas & Virtutes invitentur ac incitentur. Patrem Tuum ἐν μακαρίοις noveram, non tantùm virum antiquâ virtute & fide, ſed & Senatorem Graviſſimum, quem Clariſſimus ille Petrus Puteanus, ut Catonem, vel ſolum trecentis Juliis præferendum mihi commendârat. Gratulor non Tibi tantùm, ſed Curiæ & Reipublicæ Veſtræ Te hoc loco eſſe, Parentis Tui verum filium, eique per omnia ſimilem. Optimè facis, quòd Optimi Patris & dignita-

Extemporalis ſcriptionis officium Amico non ſatisfecit: ideoque novo officio penſandum eſt.

Auctor Bruſſello gratum animum & mutuam benevolentiam teſtatur,

Se Senatum Philoſophicum huc cogere velle indicat,

Utque Bruſſellus in eum veniat, inſtanter poſtulat.

Latendum non eſt literatis, probis, dignitate eminentibus.

Senes junioribus bono exemplo præeant.

Superbia quædam licita, virtutis ſcilicet conſcia, certa, magiſtra, modeſtiæ amica:

Bruſſellus Senator Regius jure meritoque in Senatum Philoſophicum invitatur:

Meritiſque ejus debitum teſtimonium datur.

Senator doctus & eloquens Olor non tantùm albus ſed & purpureus dicendus.

Paterna fama tuenda. Avaritia homini in magiſtratu poſito longè fugienda. Bruſſelli Petri anagramma. Oloris etymon. Cui bono? Succiſiva tempora benè collocanda. Politica & Ethica in hoc opus coacervantur. Virtus inter duo extrema conſiſtit. Auctor conatur cuncta cum argumento Cometico aptè connectere:

dignitatem & exiſtimationem tueare, & ſuetas illas injuſtæ avaritiæ artes averſere, mediocri fortunâ contentus. Patet hinc amorem virtutis timoremque Dei mentem Tuam occupaſſe, & à tot vitiorum corruptelis inviolatam cuſtodire. Elucet in Te Graviſſimi Senatoris, Juſti Judicis & Optimi Viri exemplum. Itaque juxta ac pater Tuus, cujus nomen & omen geris, TU ES PRORSUS BELLUS & verus OLOR, quaſi ὅλος ὡραῖος, ut nonnullis placet, totus bellus dictus. Vide quam omnia conſpirent, ut prodeas in publicum, & ſubſecundaria aliqua hora, quantum à cura publica & à re familiari, procurandoque bono clientum tuorum dabitur otium, in noſtrum quoque venias Senatum. *Cui bono fuerit* cum Caſſio Viro diſertiſſimo & Judice Integerrimo dices. Dicam ego libenter meritoque, ut nonnihil ex Tuis ſuccisivis temporibus, ad colligendas non Criticarum & Philologicarum, (quanquam & hoc poſſes cum Gellio) neque Cometicarum vel alioquin Aſtronomicarum, ſed paucularum aliquarum, luculentam officiorum occaſionem, Maximis quibuſque viris arripiendam præbente Cometâ, Politicarum vel Ethicarum memoriarum delectatiunculas conferas. Quibus enim potius ſtudiis & occupationibus hæc temporum velut ſucciſiva donabis, quam quibus caſti docentur & commendantur mores? Hic Princeps, hic Senator, hic Judex, hic ſubjectus, miniſter & cliens: verbo, quivis virtutis & publicæ utilitatis amans, quod ſequatur fugiatve & viam recti, quâ ducit virtus & unde aufert error, inveniet. Et omnem quidem do operam, ut æquus lector talia pro re nata poſita, & cum argumento de Cometis Philoſophico aptè cohærentia inveniat, & ut

Singula quæque locum teneant ſortita decenter.

Quod ſi tamen hic aliquantum peccarit, id publici boni ſtudio condonari poſtulat. Juſti plerumque egeni. Munifici plerique pauperes. Paupertas juſtitiæ & beneficentiæ index, nec paupertas eſt, ſi læta. Epaminondæ virtutes incomparabiles, & imitatione digniſſimæ. Imperatoriæ virtutes. Pecuniæ contemtus & pro re nata uſus. Liberalitas ſit prudens & oculata.

Verum tamen ſi quid hîc peccatum à me eſſe, illis præſertim qui aquilæ ingenio, & lynces judicio fuerint, videatur, hoc varietati rerum & ſtudio publicæ utilitatis condonatum à benignis & æquis Judicibus iri non dubito. Illud verò ſtudium, non tantum labor ſed & ſumtus magnus, quem in componendo & edendo tanto opere ſuſcepi, ſatis demonſtrabit. Illum inter tot alias occupationes, hunc in tam re tenui, ferre me poſſe, non injuriâ, qui me penitius norunt, mirantur. Quos inter & Tu eris, quod jam epiſtola Tua humanitatis plena loquitur. Fateor enim me libro iſti nondum talem habere Patronum, qualem Tua vota ferunt. Præ reliquis, qui hîc in conſiderationem veniunt, duo ſunt Viri ſanè omnium totius Græciæ Clariſſimorum Principum & Optimatum longè maximi. Alter Epaminondas, alter Ariſtides eſt: uterque, quod meritò ſe quiſque Juſtitiæ & Munificentiæ oblitus mirari dicat, in ſummis magiſtratibus inopes. Paupertas eorum generoſa læta, (ideò nec paupertas, judice Senecâ ep. 2. dicenda) expedita juſtitiæ & beneficentiæ index, quantopere vel à ſolo Plutarcho commendetur, notum eſt. Is tamen refert Pelopidæ, ditiſſimi, & tum liberalitate tum fortitudine & rerum geſtarum gloriâ Clariſſimi Thebanorum Ducis haud contemnendam vocem: *aliquando & bono & ſapienti, non ſoli claudo cæcoque, pecuniam neceſſariam eſſe.* Ego verò multas quidem virtutes Viro Principe & Imperatore dignas in uno Epaminonda contemplor & demiror, fortitudinem nempe bellicam, non tantum cum prudentia, ſed & manſuetudine ac humanitate junctam, tum gravitatem, libertatis avitæ ſtudium, ut & publicæ rei cum his, quos ſibi alius, ipſeque adeò Ariſtides, dubio procul æmulos feciſſet, promovendæ, ac componendorum civilium diſſidiorum, rariſſimè profectò in uno homine convenientes dotes. Adeoque meritò præ cæteris Viris præclaris hunc ſibi Timoleon, licet, Plutarcho teſte, Vir Incomparabilis, ſed & Philopœmen Vir præſtantiſſimus, ille Corinthiorum, hic Achæorum Dux celeberrimus, imitandum propoſuerant. Verumtamen nil ferè magis miror quam pecuniæ contemptum, & unà ejus, ubi opus erat, uſum. Nam quod ad illum attinet, quam benè cum illis agebatur, quos non tantum indigentes, ſed & auxilio ſuo dignos oculata Pelopidæ illius liberalitas invenerat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

rat, tam hoc ſolo iſta infelix fuit, quod eam Epaminondæ non ſolum Amiciſſimi, ſed & totius Græciæ, ut dixi, & res ipſa, teſte Cicerone docet, præſtantiſſimi, philoſophicus genius in partes ſuas non vocaret. Quod autem ad hunc ſpectat, prodidit memoriæ Plutarchus in Ariſtide, aliquando Epaminondam tanti Amici munificentiâ in ſtudiis ſibi gratis juvari ſe paſſum eſſe. Pariter Ariſtides ipſe Egregium Ducem & Imperatorem ſuis virtutibus, * virtute bellica & ſimul moderatione animi, & æquitate, tum conſtantiâ, gravitate, Reipublicæ ſtudio, continentia & juſtitia († quæ ei cognomen & maximam laudem, ſed & invidiam peperit) exhibet. Quamobrem meritò Plato, Deus ille Philoſophorum dictus, ſolum Ariſtidem inter tot magnos alioqui viros, quos tulêre Athenæ, præſtantium ingeniorum feraciſſimæ, Ocellus Græciæ, mentione dignum pronunciavit; quod in Republica tractanda virtutem ſibi habuerit propoſitam. Et Plutarchus in Catone Majori primum inter Græcos Virum eum vocat, & Catoni præfert, quod ejus imperia rebus Romanorum jam tum magnis nihil magni addiderint, at in Ariſtidæ præturis honeſtiſſima, clariſſima & prima Græcorum facinora memorentur Marathon, Salamis, Platææ. Verum in illo quoque maximè eadem illa duo, pecuniæ ſcilicet contemtum, & pro re nata uſum admiror. Ille ita in eo enituit, ut perpetuò non minoris paupertatis quam trophæorum gloriam faceret, & publico judicio Calliâ Athenienſium ditiſſimo in extremâ, ſed læta, & ſortem ſuam æquiſſimo animo ferente paupertate, beatior pronunciaretur. Is verò etiam apparuit, quod eodem animo erga amicos illumque ipſum Calliam neceſſarium ſuum, quo Epaminondas in Pelopidam, ut & Plato in Dionem Syracuſanum fuerit, ut non tale amicorum muneribus indixerit bellum, quod componi nulla pace aut conditione potuerit. Qui verò? *Nempe ea quæ ad conſervandum ac divitias parandas faciunt, illiberalia judicando, non vero ea, quæ liberalitati nullum lucrum admittenti & ſplendori ſerviunt repudiando. Qua ratione factum eſt, ut ſumtus haud illiberales, æque ut Epaminondas & Plato ſtudiis, quibus delectabatur, impenderit, docente Plutarcho in vita ejus. Noli itaque mirari, Amicorum Optime, quod ego pariter ſimul & tenuem ſortem gravemque fortunam modeſtè feram, & ſumtus haud exiguos in hæc, quæ non tantum me & Amicos delectant, ſed & tum me annitente, tum illis judicantibus, publicis commodis famulabuntur, velim facere. Parabit, credo, Deus, ſtudiorum meorum optimè conſcius, Patronum & Mæcenatem talem qualem auguraris. Hunc me alioqui paternâ ejus gratiâ poſſidere, agnoſco gratus, nec non quorundam me Fautorum liberalia ſtudia experiri, qui ſi vellent, in oculis & auribus generis humani beneficia eorum deprædicarem, prout quidem eadem agnoſco & veneror debito cultu, commodatâ fideli induſtriâ & grato animo, tum & votis ſinceris

- - (quid enim niſi vota ſuperſunt?)

penſo, cum nec eorum fortuna ſublimis deſideret remunerandi vicem, nec mea dejecta ſuggerat reſtituendi facultatem. Quod reliquum eſt, velim mihi ad hæc reſcribas, quamprimum per gravia Tua negotia fieri id poterit, & porrò literarum commercium mecum colas. Vale & omnigenâ proſperitate diu fruêre

Epaminondæ generoſa paupertas per contemtum divitiarum facili & expedita via ad divitias pervenit.

Bonus Vir in ſtudiis ſuis Amicorum liberalitate juvari ſe patiatur.

**Fortis & ſimul moderatus.*

†Gloriam, ut corpus umbra, ſequitur invidia.

Pecuniæ contemtus & pro re nata uſus.

Paupertatem æquè ac gloriam Ariſtides amavit.

Paupertas læta potior divitiis.

Bonus Vir in ſtudiis ſuis Amicorum liberalitate ſe juvari patiatur.

** Divitiarum contemnendarum & fruendarum modus.*

Sumtus liberales boni publici ſtudio faciendi.

Deo fidendum.

Gratus animus Patronis & fautoribus exhibendus, ac publicè quidem ſi ſit opus.

Gratia habenda, ſi referri nequeat, vel referri eam neceſſe non ſit.

Illuſtriſſimo Nomini Tuo

Omnibus ſtudiis & officiis addictiſſimus.

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 11. *Septembris* 1665.

ME pluribus quam par erat literis Tuis, & brevioribus & quam longiſſimis certè ſuaviſſimis, unis octava, alteris duabus 29. Auguſti datis compella-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Bruſſellus ſilentium diuturnum excuſat.

tum toties dicam an laceſſitum tamdiu ſiluiſſe nullo ad eas miſſo reſponſo ſuccenſere meritò queas. Noli tamen exiſtimare hoc, quicquid rei eſt vel contemptu vel tædio vel incuriâ accidiſſe. Cauſam intermiſſionis mearum literarum ſi exquiras, in promptu habeo, Negotioſus eram. Induciæ Forenſes, quæ proximè appetebant, & juſtitiam litibus & clientibus minabantur, adeò moleſtias & prenſationes eorum auxerant, ut homuncioni, qualis ego ſim, nec ſatis perito nec ſatis ſolerti tot tricis impedito, tot laqueis conſtricto, qui Judicis partes ritè implere cuperet, hujus ſplendidæ ſervitutis vinculis ſe expedire ne puncto quidem temporis facilè licuerit. Cum verò dies ſeptimus hujus menſis bimeſtri Juſtitio reducto, & reſtitutâ otii ſecuritate exſolvendis amicitiæ officiis liberrimum & patentem campum aperuerit, ſumpto raptim in manus calamo ulterioris moræ impatiens ad reſcribendum epiſtolis tuis alacri animo me contuli. *Quid verò ſcribam tibi, aut quomodo ſcribam, aut quid omninò non ſcribam hoc tempore*, ut verbis Tiberii utar, etſi aliâ mente, prorſus ignoro.

Juſtitiam quoque probis & prudentibus Viris negotia conciliat.

Succiſiva tempora benè collocanda.

Bruſſelli modeſtia.

Si æquè doctus eſſem ac Tibi videor, jam pridem poſtulationi tuæ mihi ſupra quàm cogitari poteſt honorificæ morem geſſiſſem. Sed cum à viginti annis humanorum caſuum exempla variè expertus ſim, eruditioni & propè Auctorum lectioni, quamquam gemens valedixerim, quid me ad ea revocas quæ non abjeci, ſed dimiſi, ut τοῦ μακαρίτου parentis mei & dignitati & ſaluti, quem amor patriæ, juſtitiæ ſtudium, & famæ magnitudo nocentem fecerant, & publicæ & domeſticæ fortunæ tuendæ acrius invigilarem. In Palatium Senatûs tui Philoſophici, quoniam id ſtudioſè efflagitas, etſi omnis ſim ſolidæ eruditionis expers, & τῶν μαθημάτων (Matheſeos) penitus ἀγεώμετρος (expers) nolens intromitti me patior. Sed verendum tibi eſt ne proximo luſtro novus aliquis cenſor ſcientiarum & doctrinæ vindex me tàm illuſtri conſeſſu indignum judicet, & Senatu tuo non injuſta ſeveritate moveat. Quod ſi acciderit, majus in eo famæ diſpendium patieris quàm ego. Rectè Venuſinus vates monuit.

Paterna fama tuenda.

Bruſſellus in Senatum Philoſophicum invitatus venit,

At cum inſigni modeſtia.

Commendandi ſoli virtute & ſapientiâ præditi.

> Qualem commendes, etiam atque etiam aſpice, ne mox
> Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

De epiſtolis tuis & meis operi tuo Cometico inſerendis quia conſenſum meum tàm obnixè rogas, amplius tibi denegare non fert animus. Me etiam nominari, ſi tibi cordi eſt & è re tua eſſe videtur, quamquam invitus, aſſentior, in tua erit poteſtate. Judicii tui erit diſpicere quid ex iis quæ epiſtolis meis continentur vel ſupprimi vel edi debeat.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 26. Septembris 1665.

Auctoris erga Bruſſellum benevolentia.

Æquitate erga amicos utendum.

Succiſiva tempora benè locanda.

CRede me ſuaviſſimis Tuis jam pridem ita aſſueviſſe, ut ſilentium Tuum deſiderium earum ingens & cum tædio conjunctum extitet. Sed lenit hoc graviſſimorum Tuorum negotiorum, forenſium præſertim, conſcientia. Quibus ita Te diſtractum eſſe jam dudum ſcio, ut nonniſi ſucciſivis horis vacare queas Amicis, & ipſis alioqui gravibus ſtudiis, & privatis negotiis Tuis. Hæc nimirum eſt ſors veſtrûm omnium, qui dignitate eminetis ſupra alios, ut dum bono publico invigilatis, non ſemper veſtri juris ſitis. At enim & nos, qui privatam vitam agimus, hac vel illac operâ noſtrâ aliis commodatâ, ſæpè numero iis inſerviendo, candelæ inſtar, conſumimur. Utinam nobis omnibus iſta proſint ad meliorem vitam & æternam illam ac beatam quietem! Poſtrema epiſtola Tua die XI. Septemb. exarata juſto tardius mihi reddita, intervenientibus ad hæc quibuſdam impedimentis, tardius quàm volebam accipit nunc reſponſum. Poſtulatum meum, quò nominis Tui ſplendore opus meum colluſtrares, erat quidem à me honori Tuorum magnorum in me & publicum meritorum quâ licet, commodatum, non tamen æqui limites tranſgreſſum, ſed nec

Vitæ hujus actiones obeundo vitæ æternæ ſemper cogitando.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nec Tuarum laudum magnitudinem aſſecutum. Quidquid earum meritis Tuis tribui, ſatis certus ſum me in eo non erraſſe, dummodo ritè officium juſti illarum præconis functus fuerim. Vide quam longè à metu ſervilis adulationis vel pudoris abſim. Si mortuis, quos non eſſe vox divina pronunciet, in meo illo Philoſophico Senatu locus eſſet, nullum Maximi, Fortiſſimi & Doctiſſimi Senatoris exemplar expreſſius & omni virtutum ſpecie inſtructius, quod in ea ampliſſimâ ſede & tot Illuſtriſſimorum ac Eruditiſſimorum Virorum contubernio collocarem, reperire poſſem, quam Parentis Tui τοῦ μακαρίτου, (beati) de quo aliàs dabitur mihi, ut ſpero, dicendi locus. Hîc enim verecundiæ & modeſtiæ Tuæ mihi conſulendum eſt. Quod itaque Senatus ille meus, quem mihi cogendum Amicorum auctoritate ſumſi, jure & libertate uſus Philoſophicâ (cui hominum generi, ut noſti, jam olim

Laudandi ſunt qui merentur, ut exemplo eorum plures ad virtutum excitentur.

Bruſſell: Petri Senioris meritis debitum teſtimonium datur.

Senatum Philoſophicum quare cogit Auctor?

- - - - - licet ſub paupere tecto
Reges & Regum vitâ præcurrere amicos)

tantum ornamenti & ſplendoris ad Illuſtriſſimo Nomine Tuo ſit habiturus, ampliſſimas ago Tibi gratias. Licet autem Mathematicis diſciplinis operam Te non dediſſe dicas, eliges tamen aliquod Politicum aliudve argumentum, ut in publicum conſulas & in medium afferas, quod & Tibi magnam, apud ſeram quoque poſteritatem, rectius de rebus, ubi invidiæ fervor refrixerit, judicaturam, laudem & omnibus utilitatem afferat. Quod ſi maturè feceris, principem Tibi locum ex dignitatis Tuæ ampliſſimæ, ſed & veteris neceſſitudinis noſtræ ratione in illo Senatu dabo. Jam enim in opere meo quamprimum edendo Amici & prela in Hollandia deſudant. Hæc etiam, quamvis modeſtiæ Tuæ conſcius, ignorare Te nolui. Vale, & fac ut proſperè agas, & Tuam in me benevolentiam conſtantem retineas, qui ſum

Invidia virtutem urens, ut ferrum candens, olim refrigeſcet.

Illuſtriſſimo Nomini Tuo

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Lutetiâ Pariſiorum die 27. Novembris 1665.

SYmbolam quam à me tamdiu exſpectas, curis & negotiis præpeditus in Senatum tuum Philoſophicum conferre huc uſque non potui. Occupata enim operâ & impedito animo res ejuſmodi benè ſuſcipi & cum laude perfici nequit. Abjecto itaque penſo, in quod gnaviter incubueram, ad negotia revolutus Tuæ petitioni morem gerere in præſens vix ſuſtineo, nec à me aliud quicquam exſpectes quam quod antea ad te, quamvis modicum & nullius pretii, invitus tranſmiſi. Non enim doctrina cum eruditis, nec multiplici lectione, cum librorum helluonibus, ſed virtute cum probis, pudore cum modeſtis, æquitate cum juſtis, abſtinentiâ cum innocentibus certare conſtitui. Factis quam dictis, moribus quam libris doctus videri malo. Acceſſit adhæc gravis κεφαλαλγία cum febricula, quæ languentem aliquot diebus lectulo affixit, & de ſtudiis qualibuſcunque cogitare ex præcepto Medici vetuit. Rogo itaque te, ne inutili cunctatione editionem tui Operis, quod ſub prelo eſt, diutius premere vel morari velis, meque excuſatum habeas, quem deſiderio tuo ſatiſfacere parantem curæ & negotia, deinde morbus, opus inchoatum è manibus dimittere compulerunt. Certè illius jactura tanti non eſt ut veris lachrymis defleri mereatur, forſan deferretur

Bruſſellus moram ſuam excuſat.

Commentaria docta inter alia, occupationes perfici non poſſunt.

Bruſſelli modeſtia.

Pietas eruditioni præſtat.

Bruſſellus cauſam ſonticam in excuſationem moræ adfert.

Bruſſelli modeſtia & erga Auctorem benevolentia.

- - in vicum vendentem thus & odores,
Et piper & quicquid chartis amicitur ineptis.

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quod præclaro & eruditiſſimo tuo operi dehoneſtamentum afferre poſſet. Vale & me, ut conſueſti, ama.

Hamburgo Lutetiam die 5. *Decembris* 1665.

AD breves literas tuas die 27. Novembris datas, quas jam jam accepi, breviter & ego reſpondeo. Nam & mihi negotium eſt cum dolore capitis, non tamen cum febri. Quo nomine dignas Deo grates ago, eundemque, ut Tibi, egregio Juſtitiæ omniſque Virtutis Antiſtiti, confirmatam à morbo & proſperam valetudinem largiatur, inque plures annos proroget, ſupplex precor. Reverà enim ex eorum cenſu es, qui & vitâ longiſſimâ & fortunâ optimâ & omnium bonorum cultu amoreque digni ſunt. Quod mihi ſalvâ Tuâ modeſtiâ apud Te dicere liceat, idem ſemper & ubique ex animo dicturo. Veneror autem illam Tuam modeſtiam, prorſus eximiam: quæ tamdiu, licet Senatoriâ non tantùm ætate, ſed & prudentiâ ac præſtantiâ iuſtructa, in Senatum noſtrum Philoſophicum non jam venire, ſed cum ſuffragio venire, recuſat. In promtu cauſſæ ſunt: altera civilis, altera ſontica, utraque graviſſima. Sed reddet Tibi propitius Deus, quod iterum iterumque opto, & ſpero, bonam valetudinem. Tu verò mihi unam atque alteram horam ſucciſivam, ut quæ tam benè affecta ſunt, perfecta nobis tradas, noſque honore, delectatione & commodo, quotquot talibus gaudemus, afficias. Id autem à Te tot virtutibus boniſque artibus egregiè affecto, meritò poſtulo, & pro jure amicitiæ exigo. Vide quid in ſimili argumento ante menſem ad Clariſſimum Iſaacum Gruterum ſcripſerim. A quo hodie doctum, pium & amicum reſponſum accepi: cujus en tibi exemplum. Cæterum ſcias velim ſatis Tibi adhuc ſupereſſe temporis, ut ſcripto illi feliciter (de hoc enim nullus dubito) inchoato, manum ultimam imponas. Coronidem, Vir Magne! operi Tuo, coronam noſtris honeſtis conatibus impone. Cave ne invideas nobis felicis ingenii fœtum. Nil niſi obſtetricis fida ſolertia ei deeſt. Hanc ego Tibi offero, nil prorſus pro juvanda virtute defugiens. Perimendus proinde non eſt ille, qui jam carceris impatiens lucem anhelat & videre geſtit. Sed nec exponendus vel ſine paterno nomine, vel ſine debita cura. Quin potius fovendus, educandus, & in publicum, uſui futurus bonis, educendus. Crede mihi, quicquid ſalvo amicitiæ jure melioribus Amicis ex Tuis communico, mirificè placet, nec ullus eſt bonarum artium amans, qui non ſemper ſingulare quidpiam à Tua exſpectet manu. Itaque ſive intra menſtrui, ſive intra bimeſtris vel etiam trimeſtris ſpatium ſymbolam Tuam mittas, grata erit, uſui erit, laudi erit. Inter alia verò, velim ſententiam dicas an ex hiſtoriarum lectione perſpexeris Cometas ſola mala, nulla verò bona præſignificare, id eſt, ſolis malis, non verò etiam bonis lucere, ſemper minari, terrere, ferire, nunquam ſolari, promittere & ferre bona. Vale Vir Tuis Tuorumque meritis Magne, ac mihi antiquo ritu fave.

Gratus in Deum beneficum eſto.

Amico laudes debitas tribue, & bona precare.

Amicum in os modeſtè lauda.

Bruſſelli modeſtia ſingularis laudatur.

Moram ejus Auctor habet excuſatam.

Ut adfectam ſymbolam perficiat, ab eo petit.

in exemplum Gruterum adducit.

Satis ei ad abſolvendam ſymbolam ſupereſſe aſſerit.

Et ad eam obvio affectu excipiendam paratum ſe eſſe teſtatur.

Bruſſellana Viris Egregiis placent.

Eidem Auctor vel trimeſtre concedit ad abſolvendam ſymbolam operi ad calcem inferendam:

Et qualem ſymbolam ab eo poſtulet, exponit.

IV. COM-


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N°. 8.

Figura obſervat. Cometicar. Lugduni Batavorum factar. a Cl. Samuele Carolo Kechelio $\frac{22}{2}$ Nov. Decemb. 1664. ad Communicat. Nobiliſſ. D. Ottonis Guerichii, conſiliarii et Reſidentis Electoral. Brandenburg. pertinens.



Figura duarum obſervat. Cometicar. Voorburgi et ad Hagam comitis $\frac{3}{13}$ et $\frac{5}{15}$ Dec. 1664 factar. a Cl. Iacobo Havio, ad eandem communicat. pertinens.



Med. motus	☽	1. 15°. 30′. 49″.
Anomal. orb.		1. 13. 17. 16.
Apagd.		3. 59. 36. 22.
Anom. centr.		3. 25. 54. 27.
Motus. centri		0. 51. 48. 54.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

IV.
COMMUNICATIO HAMBURGI-GERRICHIANA.

Nobiliſſime & Ornatiſſime Domine.

MUltum mihi gratulor de ſingulari benevolentia Nobiliſſimæ D. Veſtræ, cujus argumenta in dies accreſcunt. Nec diffiteor multum me quoquè eidem debere, daboque operam ſedulò ut eidem, prout æquitatis poſtulat ratio, debito modo reſpondeam. Mitto quæ de Cometa hinc inde accepi. De quo argumento plura nobis in dies exſpectanda ſunt. Hæc libenter meritoque cum Nobiliſſima D. Veſtra communicabo, mutuoque mihi talia ab Eadem communicatum iri non dubito, omnia ſemper facturus grata & accepta. Hamburgi $\frac{13}{23}$ Decembris 1664.

Gerrichii Reſid. Brand. amicitiam Auctor ſibi gratulatur. Officioſus in Amicos eſſe.

Nobiliſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ad Nobiliſſimum Dominum Ottonem Gerrichium Conſiliarium & Reſidentem Electoralem Brandenburg. Hamburgi.

Reſponſum ad hoc epiſtolium.

Nobiliſſime Domine.

SIcut & ego mihi gratulor de amicitia cum Nobiliſſima D. Veſtra initâ, ita eandem mutuæ amicitiæ officiis conſervare ſtudebo. Gratias ago pro communicatione eorum quæ Sua Nobiliſſima Dominatio de Cometa accepit. Quam porrò etiam fieri mihi peto. Libenter ego viciſſim communicabo, quæ accipiam. Sicut & nunc mitto extractum literarum Hagienſium, quæ concernunt materiam hanc de Cometa, facturus pariter erga Nobiliſſimam Suam Dominationem quæcunque illi grata cognovero, tanquam

Gerrichius mutuam erga Auctorem benevolentiam teſtatur. Et Obſervationes Hagienſes ac Leidenſem mittit.

Ejuſdem Nobiliſſimæ D. Veſtræ

Studioſiſſimus & officioſiſſimus

OTTO GERRICKE.

Hîc Hamburgi die 14. Dec. S. V. 1664.

Nobiliſſime & Ornatiſſime Domine.

AMpliſſimas de communicatis mecum Obſervationibus Batavis Hagâ-Comitis perlatis gratias Nobiliſſimæ D. Veſtræ ago, præſertim de Kecheliana, quæ noſtram integris XIII. diebus prævertit. Fruſtrà verò jam novum iſtum hoſpitem in cælo quærimus. Invidet nobis conſpectum ejus injuria cæli. Gratulor mihi tamen me eum aliquoties vidiſſe, præſertim verò præteritâ die Dominicâ cum cauda perquam longa. Mitto quæ de hoc argumento accepi ab

Obſervatio Kecheliana aliis multo prior. Hamburgi videri cœptus Cometa 3. & 13. Decembr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Amicis Ratiſbonenſi & Pariſienſi. Exſpecto in dies plura ejuſdem generis; quæ cum Nobiliſſima Dominatione Veſtra communicare pro jure amicitiæ noſtræ non negligam: idem Nobiliſſimam Dominationem Veſtram facturam non dubito. Cujus favori conſtanti me commendo

Nobiliſſimæ D. Veſtræ

Hîc Hamburgi die 14. Dec. S. V. 1664.

Omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Nobiliſſime Domine!

CUm voto felicis diei mitto ea quæ de Cometa à Domino Parente meo accepi, & remitto quæ mihi Nobiliſſima Sua Dominatio ſuper hoc argumento ad ſe ſcripta communicavit.

Obſervatio Domini Ottonis Guericken Conſulis Magdeburgenſis.

Obſervatio Magdeburgica.

Die 2. Decembris Anno 1664.

CIrca 5. horam matutinam verſùs Auſtrum in Corvo juxta collum ejus Cometam prima vice vidi. Habuit is caudam ſatis latam, non valdè autem longam. Poſtea non poterat videri, quòd cælum eſſet uſque ad diem 12. Decembris nubibus obductum. Tunc temporis verò longè inferius eum verſùs Auſtrum in Hydra ſub Cratere in altit. 10. grad. ſupra Horizontem inveni, & quidem cum majori & longiori cauda, ita ut ferè maximi æſtimandus videretur. Ultrà 12. igitur gradus ulterius verſùs Occaſum proceſſerat.

Den 2. Dec. Anno 1664.

HAb ich den Comet morgens umb 5. uhr/gegen den Mittag in Corvo juxtà collum ejus zum erſtenmahl geſehen. Er hatte einen ſchwantz zimlich breit/doch nicht gar ſehr lang/hernach hat man ihn nicht wieder ſehen können/weil es dunckel biß den 12. Decemb. da habe ich ihn umb dieſelbe zeit weit niedriger verſus Auſtrum in Hydra ſub Cratere in der höhe von 10. grad. über den Horizon gefunden/und zwar mit einem viel gröſſeren und längeren ſchwantz/ſo daß er faſt ſehr importirlich anzuſehen; war alſo über 12. grad. beſſer nacher abend gegangen.

Ejuſdem Iudicium de Origine Cometarum.

Gerrichii Conſulis, Magdeburgicum judicium de origine Cometarum.

(a) Aër cum terra facit unum corpus, ambit terram.

(b) Terra quoque eſt corpus cæleſte, movetur circa Solem.

(c) Procellæ avellunt partem aëris, ex qua fit Cometa.

(d) Cometa ex avulſa aëris procellarum vi particula generatur.

CAuſa Univerſaliſſima Cometarum eſt Deus, cauſa autem ſecunda ſunt procellæ. Inprimis ſciendum eſt, quod (*a*) terra & aër faciant unum corpus, aër conſtitutus eſt circum circa terram, in certo pondere & certa altitudine. Corpus hoc terraqueum cum aëre ſimul conſtitutum eſt, vel locum habet in univerſo ſpatio vel vacuo, in quo ſunt omnia corpora cæleſtia, (*b*) ſicut etiam terra eſt corpus cæleſte. Terra in hoc ſpatio expedit ſuum curſum circà Solem in anno. Quando itaque veniunt ſingulares procellæ, (*c*) illæ efficiunt, quòd earum vi particula aëris rumpatur ex circulo aëreo in iſtud ſpatium. (*d*) Hæc particula aërea accipit ſplendorem à Sole ſicut aurora, nubes, planetæ, & quidem tali modo, quia in ipſo vacuo vel ſpatio hæret, ubi nullum aliud creatum eſt. Quando igitur terra perſequitur ſuum motum circularem & centralem, (*e*) tunc apparet iſta particula, quæ eſt Cometa. Et motus terræ ratione loci, ſicut etiam Sol ſuâ attractione & radiis facit curſum Cometæ & ejus motum. Hæc ſunt quæ raptim delineare vel deſcribere potui. Eſt primus conceptus, & ni fallor, mens & opinio Domini mei Parentis. Vale. Hamburgi die $\frac{14}{24}$. Decembris 1665.

(*e*) *Cometæ apparitionem motus terræ efficit, ut & curſum ejus.*

P. S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

P. S. De Cometa hæc ſunt adjungenda: Dominus parens præſagivit adventum Cometæ ante octavas ſeptimanas, & militibus vigilantibus mandavit, ut animadverterent ejus adventum. Et hoc prognoſticon factum eſt beneficio & virtute iſtius mirabilis ab eo inventi virunculi vel ſtatuæ, quæ indicat procellas, pluvias & ſiccitatem accuratiſſimè, quemadmodum ſimilem ſtatuam in mea domo habeo, & Nobiliſſima Sua Dominatio vidit. Datum ut ſupra.

Cometa prævisus & prædictus à Gerrichio.

Gerrichiana ſtatua in Vacuo ſita, aëris mutationem indicans.

Obſervatio continuata Magdeburgica.

DIe 18. Dec. mane circa tertiam iterum ſe (Cometa) conſpiciendum præbuit in Argo navi, ſuperius inter anteriorem & medium malum, circiter 3. aut 4. grad. hoc tempore ſupra Horizontem, ita ut poſtea circa quintam horam propter Athmoſphæram amplius conſpici non potuerit. Ab initio igitur ſuo (ſcilicet 2. Decembris) in hunc diem 55. gradus circuli maximi verſus Notozephyrum progreſſus erat, & interea in univerſum ferè 10. grad. ad inferiora verſus Auſtrum deceſſerat. Cauda quoque erat, ut alias ſemper, à Sole averſa, non tamen tanta, quanta viſa eſt die 12. Decembris. Utrum autem illa declinatio verſus Auſtrum inde oriatur, quòd fortè Cometa magis deorſum ad terram ſe demittat, an vero illa ex proprio ejus motu proveniat, ſciri nequit.

DEn 18. Dec. morgens umb 3. uhr hat er ſich wiederumb ſehen laſſen in Argo navi, daß iſt im Schiff/ eben zwiſchen der hinterſten und mittelſten maſt etwa 3. oder 4. grad. zur ſelben zeit über den Horizont, daß man ihn hernach umb 5. uhr wegen der Athmoſphæra nicht mehr ſehen können/ und war alſo von ſeinem anfange (alß den 2. Decemb.) biß dato 55. grad. circuli maximi nach Südweſt gegangen/ und unterdeß in allen faſt 10. grad. niedriger verſùs Auſtrum gewiechen. Der ſchwantz war auch wie alle wege von der ſonnen abgewandt/ doch nicht mehr ſo gar groß/ wie am 12. Decemb. ob nun ſulche declinatio verſùs Auſtrum daher entſtehe/ daß ſich etwa der Comet niedriger zur erden ſencke/ oder ob es etwa auß ſeinem eigenem motu herrühre/ kan man nicht wiſſen.

Obſervatio Magdeburgica continuata.

Hamburgi die 3. Ianuarii S. N. 1665.

MItto continuationem obſervationum Domini mei Parentis:

Jam iterum novus Cometa ortus eſt, quem ego heri veſperi hora ſexta uſque ad nonam obſervavi; progreditur à Meridie verſùs Occaſum, aſcendit in altum, currit celeriter, nec eſt crinitus: nullam nempe habet caudam.

Es iſt izo wieder ein newer Comet entſtanden/ welchen ich geſtern abendts hora 6. uſque ad 9. obſerviret, gehet auſſem Mittage nach dem Abend/ ſteiget ſehr hoch auff/ gehet geſchwinde/ und iſt nicht crinitus, hat nemlich gar keinen ſchwantz.

Obſervatio Magdeburgica continuata.

Judicium de Cometa Domini Ottonis Guerikken, Conſulis Magdeburgenſis ad Præfectum arcis Lipſienſis perſcriptum.

INtellexi Obſervationem Cometæ die 2. Decembr. factam ſub meo nomine in manus Tuas devenisse, quâ continetur (1) quòd Cometa ſit avulſa particula aëris. (2) quòd idem in loco quieſcat, & ejus motus opticè tantùm ſit

DArnebenſt verſtehe/ daß demſelben eine Obſervation des Cometen vom 2. Decemb. unter meinem nahmen zu handen kommen/ worinnen enthalten (1.) daß der Comet ein abgeriſſen particul luffts ſey. (2.) Daß er an einem orte ſtill ſtehe/ und

Gerrichii Patris judicium de Cometis.

Cometa Gerrichio eſt avulſa aëris particula: motum nullum habet, niſi ex motu terræ annuo;

 intel-

intelligendus, & magis ex motu annuo Telluris proveniat &c. Nunc recordor, quòd cum primùm Cometa conſpiciendum ſe præbuiſſet, alicui manu feſtinâ nonnihil de Cometis perſcripſerim. Sed non ampliùs meminiſſe poſſum cuinam & quid potiſſimùm illud fuerit, nullum enim exemplum ſcripti iſtius retinui. Confiteri autem debeo, præſertim de Cometis, cum occaſio nulla in libro meo de Spatio Vacuo (qui tamen nondum typis impreſſus eſt) data mihi fuerit quidquam de iis ſcribendi, quòd nec ullam operam adhibuerim quidquam de iis experientiâ aſſequendi. Communiter verò, & quod ad primum membrum attinet, ſtatuo illos oriri à magnis tempeſtatibus, quæ ex cavernis montium & hiatibus terræ prorumpunt, & procellarum cauſſæ ſunt. Nam cum experientiâ illius à me nuper inventi Anemoſcopii (homulli vitro aëris vacuo incluſi tempeſtatum indicis) edoctus evidenter videam, aërem coortis tempeſtatibus (etiamſi ultra 100 vel 200 milliaria oboriantur) præprimis leviorem reddi, exiſtimo ingruentibus ejuſmodi tempeſtatibus, has ipſas ſimul particulam aëris nonnunquam cum impetu avellere, & ſecum in altum deferre. Unde tum, cum tantum aëris ſecedit, eò levior ille redditur. Neque verò ſequitur (quemadmodum quidam Hafniæ oppoſuiſſe dicitur) quòd ſi ventus particulam aëris ab aëre auferre, & in ſpatium circumſtans vacuum deferre poſſit, idcircò & omnem aërem neceſſariò ſubducat.

Gerichii anemoſcopion nuper inventum.

Aër ortis tempeſtatibus levior redditur.

Tempeſtates partem aëris abrumpere diſputat Gerichius.

Sicut nec ſequitur, cum tempeſtas aliqua poſſit regionem aliquam vaſtare, fulgure & igne urbes accendere, & per procellas domos ſubvertere, imò arbores ſtirpitus evellere, quòd idcircò omnes tempeſtates & venti id faciant. Verum eſt & ad oculum patet, cum aër ſingularitèr levis ſit (unde ille homullus tempeſtatum index extra ordinem deſcendit) eodem momento certè ingentes tempeſtates exiſtere. Cujus levitatis nullam aliam cauſſam reddere ſcio, niſi quòd tempore talium tempeſtatum portio aëris (qui infimam aëris regionem conſtituit, & humorem in ſe continet) abſcedat. Sicut apparet tem-

Tempeſtas diverſa effectus habet diverſos.

Aëris infima regio humorem continet.

ſein motus nur opticè zu verſtehen / etwa mehr ex motu annuo Telluris herrührend ſey &c. Nun erinnere mich / daß ich / wie ſich der Comet zum allererſtenmahl ſehen ließ / jemande in der eyll von Cometen etwas aufſſetzte / weiß aber nicht mehr wehme und was es eigentlich geweſen / dann keine abſchrifft davon behalten. Und muß inſonderheit der Cometen halber bekennen / weil es die occaſion in meinem Buch de Spatio Vacuo (welches doch noch nicht gedrücket) nicht gegeben / etwas von denenſelben zu ſchreiben / daß mich auch niemahls bemühet / etwas ihrentwegen zu ergründen. Ins gemein aber / und ſo viel den erſten punct betrifft / ſo halte davor / daß ſie entſtehen von groſſen tempeſten / die auß den klüfften der berge und höhlen des Erdbodems entſpringen / und die groſſe ſturmwinde cauſiren. Dann weil ich vermittelſt des von mir new erfundenen / und alſo genanneten Wetter-Männichens / augenſcheinlich ſehe / daß die lufft zur zeit groſſer ſturmwinde (ſie mügen auch über 100. oder 200. und mehr meilen weit ſeyn) ſonderlich leicht wird / ſoo halte davor / wann ſolche tempeſt geſchiehet / dieſelbe zugleich ſambt ein particul lufft ſich zu zeiten cum impetu abreiſſen / und in die höhe ziehen möge. Dahero dann / weil ſo viel luffts entgehet / dieſelbe ſo viel leichter wird. Darauß aber nicht folget (gleichwie einer zu Koppenhaguen ſol opponiret haben) daß wann der wind eine particulam aëris von der lufft könne ab und ins ſpatium circumſtans vacuum führen / derwegen der wind alle lufft müſte hinweg führen.

Gleichwie nicht folget / wann ein ungewitter kan ein Land verergen / durch bliz und fewer Städte anzünden / und durch ſturmwinde häuſer niederwerffen / ja bäume auß der Erden reiſſen / daß darumb alle ungewitter und winde ſolches thun müſſten. Wahr iſt es und augenſcheinlich zu ſehen / daß / wann die lufft ſonderlich leicht werd (daher daß Wettermännichen extraordinar ſehr ſincket) zurſelben zeit gewiß groſſe ſturm winde ſind. Welcher leichtigkeit ich keine andere urſache zu geben weis / alß daß zur zeit ſolcher tempeſten etwas von der lufft (ſo die infimam aëris regionem conſtituiret, und feüchtigkeit an ſich hat) hinweg gehen müſſe. Wie dann zu ſehen / daß die tempeſten ſich mit der lufft verwickeln / und derſelben zu außübung ihrer grauſamkeit

peſtates

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

peſtates aëri ſe immiſcere, & eo ipſo ad exercendam ſuam ſævitiam uti, & vel vehementer in terram proruere, vel in ſublime ferri. Ubi tum, ut opinor, cum ejuſmodi tempeſtas cum cunctis nubibus à Sole illuſtratur, in oculis noſtris Cometæ fiunt vel caudati, vel ſine cauda, quos Crinitos vel Roſas vocant. Caudati verſantur adhuc in ſuprema regione aëris, quæ tantum aura eſt. Roſæ verò extra auram in ſpatio puro. Illi, qui adhuc in aura permanent, circumvagantur vi ex ſe ipſa ſecum certantis naturæ mirum in modum, habentque pro conceptu noſtro caudas, quæ tamen nihil aliud ſunt, quàm per corpus Cometæ illuſtrata aura, quæ eundem ambit.

2. Alterius generis Cometæ Roſæ dicti, videntur mihi eſſe extra auram, & à terra eamque ambiente aëre prorſùs ſeparati, unde nec caudam ullam habent, & fortaſſis non moventur: ſed motus eorum, ut ſuprà dictum eſt, ex motu telluris annuo provenit, niſi & Sol attractione ſuâ illis præterea alium motum tribuat. Nam experimentis demonſtrari poteſt, ignem aëre potiſſimûm nutriri & ab eodem conſumi; ita quoquè Cometam à Sole, qui, ut opinor, nihil aliud eſt quàm vivus ignis, abſumi. De magnitudine, dum exiſtimant Cometam tantum eſſe quantus omnis aër circa terram ſit, oritur mihi nullum dubium; ſiquidem aër eam habet naturam, ut ſe, ubi ſpatium datur, magis magiſque extendat. Accuratam verò altitudinem & conſequenter magnitudinem quod attinet, deprehendo ea quæ hic vel ille ex iis quos legi hac de re ſcripſit, nullis fundamentis niti.

3. Utrum unus vel duo Cometæ fuerint? In hoc ipſo ſedulis iſtis obſervatoribus fidendum eſt, qui orbitâ prioris ſingulis noctibus obſervatâ notaverunt eundem Cometam fuiſſe, qui à die 18. uſque ad 23. Decembris velociſſimè ſe moverit. Cum autem noctes tunc temporis plurimum nubilæ fuerint, ut à negligentibus non ſit obſervatus, arbitrati ſunt illi, dum longè diverſum ſitum obtinuerit, alium Cometam eſſe, qui tamen ille prior eſſe potuerit.

gebrauchen / und entweder ſchröcklich auff die Erde ſtoſſen / oder ſich auch wohl in die höhe ſchwingen. Da dann / vermüthe ich / wann eine ſolche tempeſt mit allem gewölcke von der Sonnen erleüchtet wird / in unſern augen / Cometen auß werden / entweder caudati, oder ſine cauda, welche man crinitos vel Roſas nennet. Die caudati ſtehen noch im oberſten theil der lufft / welches nur eine aura iſt: Die Roſæ aber extrà auram in ſpatio puro. Die / ſo noch in der aura ſtehend bleiben / vagiren vermittelſt derſelben / auß ihrer mit ſich ſelbſt ſtreitenden natur / wunderlich umbher / und haben in unſern gedancken ſchwäntze / welche doch nicht anders ſind / alß die / durch daß Corpus Cometæ erleüchtete aura, ſo umb ſie her ſtehet.

Tempeſtates aërem confundunt & ad exercendum vires ſuas adhibent.

Cometarum caudatorum & crinitorum generatio ex particulis aëris à Sole illuſtratis.

Aëris ſuprema regio eſt aura.

Spatium purum extra auram.

Cometæ caudati mobiles.

Cometæ cauda Gerichio putatur eſſe aura per corpus Cometæ à Sole illuminata.

2. Die andere art der Cometen / Roſæ genandt / dümcket mich / iſt extrà auram, und vom Erdbodem und deſſen umbſtehenden lufft gar abgeſondert; daher ſie auch keine ſchwäntze / und vermüthlich ſtill ſtehen: ihr motus aber / wie obgemeldet / ex motu Telluris annuo herrühre: wo nicht auch die Sonne durch ihre attraction ihnen noch einen andern motum cauſire. Dann durch experimenta zu demonſtriren, daß das fewer mehrentheils von der lufft nutriret, und von demſelben verzehret: alſo auch der Comet von der Sonnen / die vermüthlich nichts anders / als ein lebendig fewer / verzehret werde. Der grösſe halber / in dem vermeinet werden / das ein Comet / ſo groß wie alle lufft umb die Erde ſeyn möchte / fället bey mir kein zweiffel; dann die lufft eine ſolche natur hat / daß ſie ſich / wo raum verhanden / immer mehr und mehr extendiret. Die eigentliche höhe aber / und conſequenter die grösſe anlangend / befinde ich / was dieſer und jener von denen wenigen / ſo ich geleſen / davon geſchrieben / auß keinem grund herrührend.

Cometæ criniti fortè non moventur, motu terræ annuo motum eorum præſtante: niſi & Sol eis alium præterea motum tribuat.

Aër nutrit ignem & conſumit.

Sol, qui ſit vivus ignis, Cometam abſumere putatur.

Cometa adæquat magnitudinem aëris terram ambientis.

Aër pro ratione ſpatii ſe magis magiſque extendit.

3. Ob es ein oder zween Cometen geweſen? ſo muß denen fleiſſigern Obſervatoribus trawen / die den gang des erſten bey aller nächten in acht genommen und befunden / daß es nur ein Comet ſey / der ſich von 18. biß 23. Decembris ſehr geſchwinde moviret. Und weil die nächte in der zeit mehrentheils wölckicht geweſen / das er von den unfleiſſigen nicht iſt geſehen worden / haben ſie vermeinet / in dem er ſo gar einen andern ſtand erlanget / es ſey ein ander Comet / und kan doch der erſte geweſen ſeyn.

Cometam Corvi & Leporis unum fuiſſe Gerichius Pater concedit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Nobiliſſime & Ornatiſſime Domine.

Author cum Gerrichiis de argumento Cometico confert.

GRatias ago ingentes pro iis quæ Nobiliſſima D. Veſtra mecum communicavit aliquoties ab Ampliſſimo D. Parente ad ſe miſſa, vel alioqui ſibi de ejus ſententia cognita. Huic quæ favere videbantur literis ad Amicum Hafnienſem datis complexus ſum, & quæ ab eo de hoc argumento objecta accepi, pro jure noſtræ amicitiæ communicavi. Dabo operam, ut ipſe aliquando Ampliſſimum Dominum Parentem literis compellem & de hiſce conſulam. Interim quæ Nobiliſſima D. Veſtra inter me & Amicum Hafnienſem ulrrò citroque ſcripta adhuc vidit, ad eum perſcribere ampliùs velit, & ſimul teſtari obſervantiam & benevolentiam meam, quâ eum proſequor. Rem mihi gratiſſimam fecerit, ſi mihi ſententiam ſuam illuſtrare & confirmare perrexerit. Vellem enim judicium aliquot Virorum Doctorum, prout jam nonnullis eam propoſui, amplius exquirere de hac re. Præſertim cum videam ſententiam hanc affinem ei eſſe quam olìm Epigenes non ignobilis Philoſophus fovit. Benè valeat Nobiliſſima D. Veſtra, & favere ei pergat, qui eſt

Gerrichii ſententia de Cometis affinis ſententiæ Epigenis.

Nobiliſſimæ D. Veſtræ

Hîc Hamburgi die 23. Jan. S. N. 1665.

Omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Nobiliſſime Domine.

Gerrichius filius ſententiam patris tuetur.

ET ego viciſſim gratias ago debitas pro communicatione amica & fida eorum quæ Nobiliſſima D. Veſtra vel ab Amicis accepit, vel ad eos ſcripſit de materia Cometica. De qua jam benè percepit mentem mei Domini Parentis, qui non libenter hanc materiam tractat, quia non conſiſtit in vera demonſtratione & experimentis, ſed in contemplationibus. Dubia illa Amici Veſtri Hafnienſis facilè ſolveret, ſi eſſet præſens. Author ille, quod pace ejus & Veſtrâ dixerim, non benè comprehendit materiam de aëre, quaſi eſſet Cometa major totâ aëris conſtitutione: ſicut in nuperrimo ſcripto Dominus Parens meus docuit. Sed litteris certare, laborioſum eſt. Si eſſent, qui Domini Parentis ſententiæ ſe opponunt, Magdeburgi, ille abſque ullo dubio magnos errores demonſtrare poſſet, in hiſce rebus cæleſtibus, quæ ita comparatæ non ſunt, quemadmodum à Philoſophis creduntur & proponuntur. Certè qui experimentis vacui contradicere volunt, in caſſum laborant. Contra negantem principia diſputandum non eſt. Aliter ſentit Excellentiſſimus ille Vir Generalis Campiductor Würtz, qui me meoſque benè novit. Mitto ſpecimen experimenti novi de Vacuo, quod nuper à Domino Parente accepi. Tum & literas nuperas à Domino Riſtio, famâ nominis & eruditione Clariſſimo Viro ad me ſcriptas, & maneo

Eum in rebus cæleſtibus à communi Philoſophorum ſententia diſcedere, & rectè Vacuum tueri dicit.

Nobiliſſimæ D. Veſtræ

Hîc Hamburgi die 19. Jan. S. V. 1665.

Addictiſſimus

OTTO GUERICKE.

EXPE-

Communicatio Guerichiana.

Continens

EXPERIMENTUM NOVUM MAGDEBURGICUM

DE

VACUO SPATIO.

Primùm ab Adm. Rev. Domino *Gaſpare Schotto*, è Societate Jeſu, & Herbipolitanæ Academiæ Matheſeos Profeſſore digniſſimo, imperfectiùs editum; Nunc vero ab ipſo Auctore

OTTONE GUERICKEN,

Patritio, & Magdeburgenſis Civitatis Conſule, Recognitum, variis novis Experimentis auctum, inque libros 7. diſtributum.

In quibus ſimul certa quædam ac nova: De aëris pondere circa Terram; De Spatio ingenti inter Aſtra, quod Cælum, vel Æther, vel Vacuum vocatur; de Virtutibus Mundanis; de Mundo noſtro Planetario; de Stellis Fixis, eoque quod finit eas, &c. traduntur.

AMSTELODAMI.

Apud FRANCISCUM CUPERUM Bibliopolam, prope portam Harlemenſem, in platea vulgo dicta **de Driehoek-Straat.**

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

LIBER PRIMUS.

De Mundo Ejuſque Syſtemate ſecundùm, tàm veterum quàm recentiorum Philoſophorum ſententias.

Cap. 1. *Quid Mundus ſit, quidve communiter ſub nomine Mundi contineatur.*

Cap. 2. *De Motu ſtellarum, tàm errantium ſeu Planetarum, quàm non errantium ſeu fixarum.*

Cap. 3. *De Antiquorum duplici Syſtemate, vel ex ſuppoſita terræ quiete, vel Suppoſito iſtius motu.*

Cap. 4. *Continet brevem Syſtematis Mundi deſcriptionem, ſecundum Ptolemæi hypotheſin, ſuppoſitâ Telluris quiete.*

Cap. 5. *De Syſtemate Mundi Pythagorico ſecundum* Copernicum, *in quo Sol ponitur pro centro hujus Mundi.*

Cap. 6. *De motu Terræ diurno & Annuo ſecundum Copernicum.*

Cap. 7. *Continens Objectiones contra hoc Copernicanum Syſtema, tàm Aſtronomorum, quàm Phyſicorum.*

Cap. 8. *Continet Objectiones quæ ex Scriptura Sacra contra Copernicanum Syſtema adferuntur, earumque reſolutiones.*

Cap. 9. *De Syſtemate Mundi ſecundum Tychonem de Brahe, nobilem Danum; in quo Terra collocatur in centro Mundi, Sol autem in centro Planetarum (exceptâ Lunâ) ſecum illos vehens.*

Cap. 10. *De Syſtemate alio, in quo Terra collocatur in centro Mundi, Terræque attribuitur Motus circa proprium axem ſpatio 24. horarum.*

Cap. 11. *De Emendato ac perfectiori Syſtemate Mundi Copernicano.*

Cap. 12. *De Sole.*

Cap. 13. *De Maculis Solis.*

Cap. 14. *De Mercurio.*

Cap. 15. *De Venere.*

Cap. 16. *De Terra & Luna.*

Cap. 17. *De Marte.*

Cap. 18. *De Jove.*

Cap. 19. *De Saturno & Planetis in genere.*

Cap. 20. *De diſtantiis Aſtrorum in genere.*

Cap. 21. *De diſtantia Lunæ à Terra.*

Cap. 22. *De magnitudine Lunæ.*

Cap. 23. *De Solis diſtantia à Terra.*

Cap. 24. *De Solis magnitudine.*

Cap. 25. *De Planetarum diſtantiis à Terra, eorumque magnitudinibus.*

Cap. 26. *De Stellarum fixarum altitudine ſeu diſtantia à Terra noſtra, ſecundum Ptolemaicos & Ariſtotelicos.*

Cap. 27. *De Stellarum fixarum altitudine ſeu diſtantia à Terra ſecundum Tychonicos.*

Cap. 28. *De Stellarum diſtantia ſecundum Pythagoreos ſeu Copernicanos, Solem collocantes in medio Mundi.*

Cap. 29. *De Stellarum fixarum numero & earum hoc ſeculo per Tubos opticos aperta innumerabili multitudine.*

Cap. 30. *De Stellarum fixarum magnitudine.*

Cap. 31. *De Cælo ſeu Cælis, ut & de æthere, ac materia Cæleſti.*

Cap. 32. *De Firmamento & quid ſupra illud, in Sacris Literis.*

Cap. 33. *De Cælo Empyreo.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cap. 34. *An extra hunc Mundum alii vel plures ſint Mundi, & utrum ſint in certo numero vel innumerabiles.*
Cap. 35. *De ſpatio imaginario extra Mundum.*

CONCLUSIO.

EX quibus hucuſque dictis, ſatis apparet quot & quàm diverſæ ſint Philoſophorum Sententiæ: (1) *De Diſpoſitione*, ut &, *Motu*, *Diſtantiâ*, *Qualitate*, *Quantitate &c.* Corporum Mundanorum. (2.) *De Materia Cæleſti* ſeu *Spatio iſto ingenti intermedio, inter hæc corpora, longè latèque diffuſo.* (3.) *De Quæſtione, quid tandem extra Mundum ſit, &c.* De quibus omnibus breviter ſaltem pro faciliori Lectoris cognitione, tàm Antiquorum, quâm Recentiorum Hypotheſes atque ſententias recenſuimus, eaſque ſolas, quæ principaliores & intelligibiles; multa enim inveniuntur ſcripta, in quibus verboſa magis vanitas, quàm rectæ rationis veritas perſpicienda.

LIBER SECUNDUS.

DE

VACUO SPATIO.

Cap. 1. QUâ de cauſâ *Auctor adductus ſit ad inquirendum Vacuum.*
Cap. 2. *De Loco.*
Cap. 3. *De Vacuo.*
Cap. 4. *De Spatio.*
Cap. 5. *De Spatio intermedio, inter corpora Mundana, quod communiter Cælum vocatur.*
Cap. 6. *An Spatium ſit finitum vel infinitum.*
Cap. 7. *De eo quod eſt & quod non eſt.*
Cap. 8. *An Spatium ſit creatum vel increatum aliquid.*
Cap. 9. *De Infinito.*
Cap. 10. *De Numero.*
Cap. 11. *De Cælo quod vocatur locus beatorum.*
Cap. 12. *De Maximo & Minimo.*

Notandum: *Quia cap:* 4 *&* 7, *ad cognoſcendum ſpatium, maximè inſerviunt, ideoque extracta ſunt, quæ ſequuntur.*

Cap. 4. *De Spatio, ita ſonat:*

Spatii deſinitio Gerrichiana.

Spatium definimus, ſeu potiùs deſcribimus, id, cujus eſt continere, capere; in quo nimirum omne corpus ſeu omnis Subſtantia, ſuum eſſe vel ſubſiſtere, aut habet aut habere poteſt; & quod nulli cedit, nec tantum cedit quantum eſt corpus receptum, ſed permanens eſt atque immobile, indiviſibile, ubique, omnia penetrans, cui nihil infert eſſe repletum vel inane.

Vel: *Spatium* eſt omne id, quod per nudum intellectum concipitur non eſſe: & quod non eſt hoc aut illud quod poteſt videri, tangi, audiri vel ſenſibus percipi, ſed ab omni materialis naturæ conditione abſtractum quid; à quo omnia infinitè diſcrepant, ita ut nihil ſit ac fieri poſſit, quod ad æqualitatem ejus ullo modo pertingat.

Vel: *Spatium* eſt, per quod omnia unum ſunt, in quo reperimus omnia; neque enim nos ipſos, niſi in *Spatio* reperire poſſumus; Unde eſt continuum quid (quo omnium corporum magnitudo capitur, citra omnia corpora conſiſtens, indifferenter omnia corpora recipiens ſine actionis paſſioniſque conditione)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ne) ac illocabile quia (Spatii Spatium non eſt) extra & intra omnia, nullius particeps, nec receptivum formæ vel qualitatis vel accidentis, &c: uti infrà cap: 6. pluribus dicemus:

Certum eſt, omne corpus indigere ſecundùm capacitatem, ſeu trinam ſuam dimenſionem, aliquo Spatio interno, ſine quo nec eſſe, nec ſubſiſtere poteſt: verbi gratiâ: Sit conclave quoddam, in quo nec homo nec alia res aliqua foret, niſi aër, (ſcimus enim in hac inferiori Telluris parte, omnia Spatia, aliis viſibilibus corporibus non repleta, aëre repleri) ſed ſi quis intraret in illud conclave aëre repletum, tunc aërem quoad ſuam perſonam aut ſubſtantiam expelleret, illudque Spatium, quod ibi antea aëre repletum erat, corpore ſuo occuparet. Si recederet, tunc aër iterum ſuccederet in locum ejus, aut poſſet aliud aliud, exempli gratiâ Lapidea ſtatua, ſubrogari, Spatium illud internum occupans, Spatio nihilominus manente firmo. *Corpus omne aliquo Spatio interno opus habet.* *Aër implet Spatia corporibus non repleta.*

Imò Aër ipſe artificio poſſet ex toto conclavi extrahi, uti Experimenta demonſtrabunt, manente nihilominus Spatio totius conclavis. Si itaque unum idemque Spatium, modò hôc, modò illô corpore poteſt repleri, ſemperque alterum in alterius rei Spatium ſuccedere, Spatiumque totum intra conclave, evacuari ab omni corpore, aëreque; ſequitur quòd magna ſit differentia inter Spatium & inter corpus, quod Spatium modo implet, modo non implet: nullumque corpus Spatium conſtituere per ſe; Unde falſam eſſe Renati de Chartes cap: anteced: citatam opinionem: *Spatium ſeu Extenſionem ſine ſubſtantia extenſa eſſe non poſſe.* *Poteſt extrahi ex toto conclavi, manente nihilominus Spatio conclavis.* *Spatium differt ab Aëre & corpore quo Spatium modò impletur, modò non impletur.*

Etiamſi enim Spatium nec videri nec tangi poſſit, tamen oculis & mente ſimul percipitur: Exempli gratiâ: dum diſtantiam duarum turrium ſeu montium aſpicimus, facilè cogitandum illam corpus illud aëreum interpoſitum, non facere, ſed per ſe eſſe; ita ut ſublato etiam omni aëre, Montes vel Turres hæ ſibi invicem non fierent contiguæ. Inſuper, quod Spatium modò poſſit eſſe vacuum, modo repletum, ſatis, ut diximus, noſtra demonſtrabunt experimenta. *Spatium modò eſt vacuum, modò repletum.*

Cap. 7.

De eo quod eſt & quod non eſt.

OMne quod eſt, aut eſt *Increatum aliquid*, aut *Creatum aliquid.* Tertium (ita ut dici poſſit: Omne quod eſt, aut eſt Increatum aliquid, aut Creatum, aut Nihil) non datur. Nam quod non eſt; non poteſt dici Creatum quid; at quod Creatum aliquid non eſt, illud eſt Increatum aliquid. *Ens vel eſt Increatum vel Creatum.*

Eſt autem *Increatum aliquid*, eſſentia alia à creatis omnibus, & quidem Infinita, Immenſa, Æterna ſeu præexiſtens habenſque ſuum eſſe à ſe ipſâ. *Creatum* verò *aliquid*, ſuum eſſe non habet à ſe ipſo, ſed ab illo quod Increatum eſt, cui omne eſſe ſuum refert acceptum; eſtque finitum & conſtat ex ſua Materia, (etiamſi, cæteris paribus, Spiritus ſit vel dicatur, ſicut in fine hujus libri videndum) Vitâ & Virtutibus innatis. *Increatum deſcribitur.* *Creatum ab Increato originem habet.*

Creatum aliquid ſequuntur alia multa, imo innumerabilia, quæ per ſe quidem aliquid *Creatum* non ſunt (quia ſi hoc non eſſet, nec illa eſſent) ſed ei, aut internè, aut externè, vel verè vel reſpectivè, accidunt. Uti præcipuè ſunt Quantitates, Qualitates, Motus, Actiones, Paſſiones, Potentiæ, Relationes, Mentis conceptiones, Privationes, Virtutes accidentales, Numeri, Tempora, Loca, Nomina &c. *Accidentia Creati.*

Hæc, ſunt ea quæ ſunt, & ad quæ omnia quæ ſunt, referri poſſunt.

Quia verò duo ſolùm ſunt, Ea quæ ſunt, nec Tertium datur; Ergò quicquid Creatorum & quæ illa ſequuntur, *Nihil* eſt, illud eſt *Increatum aliquid.* (Nam *Nihil* de duobus iſtis ſimul, dici vel intelligi non poteſt, quia abſurdum eſſet duo hæc ſimul negare; Neque intelligi poteſt de *Increato.* Qui enim *Increatum* negaret, ille quoque duo illa quæ ſunt, ſimul negaret, dum *Creatum* dependet ab *Increato*, nec abſque eo eſt, nec eſſe poteſt) *Nihil* itaque ſemper eſt negatio *Creati*, & per conſequens affirmatio *Increati*. *Increatum illud & nihil eſſe dicitur.*

Unde ſi quæratur, quid concipiendum ſit ante Mundum conditum, vel etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

poſt ultimum Mundi terminum? ſeu, Quid ſit extra Mundum? Et aliquis reſponderet *Increatum quid*; alter reſponderet: *Nihil*; eſſet utraque recta reſponſio. Nam qui *Increatum* dicit, rectè reſpondet, ſicut & qui *Nihil* dicit; hic enim habet reſpectum ad *Creatum quid*, quod nimirum iſtius *Nihil* ſit vel maneat.

Nihil ſeu Increatum illud Deus eſſe docetur.

Eodem modo dicimus: *è Nihilo* factum eſſe Cælum & Terram, id eſt, *è Nihilo* Creati, hoc eſt ab Increato. Et quemadmodum ex *Nihilo* creata ſunt omnia, ita in *Nihilo* librata & ſtabilita ſunt omnia; id eſt in *Increato*. Ubi enim nunc ſunt *Creata* & ſubſiſtunt, ibi *Nihil* erat priùs, & in *Nihilo* recepta ſunt, id eſt in Increato; quia in aliquo *Creato* recipi non potuerunt, tùm quia non erat, tùm quia ſi fuiſſet, non fuiſſet *Nihil*, ſed *Creatum aliquid*, ſi autem fuiſſet, non *Aliquid* in *Aliquid* recipi potuiſſet; ideoque fuit *Nihil*, in quo omnia recepta ſunt, id eſt, in *Increato*. Eſt igitur quodlibet in *Nihilo*, & Deus ſi in *Nihilum* redigeret Mundi machinam, quam ab initio creavit, nihil ejus loco aliud quam *Nihil* (uti ante Mundi creationem fuit) permaneret, id eſt, *Increatum*. Nam *Increatum*, aut *Nihil*, eſt id, cujus nullum præexiſtit initium. *Nihil* eſt perfectum, & ab omni parte beatum. *Nihil* ſemper ſapit. *Ubi Nihil* eſt, ibi omnium Regum ceſſat Juriſdictio. *Nihil* eſt ſine ulla calamitate. Super *Nihil*, ſecundum Hiob, ſuſpenſa eſt Terra; *Nihil* eſt extra Mundum. *Nihil* eſt ubique. *Vacuum* eſt *Nihil*, & *Spatium* eſt *Nihil*, & *Spatium* Imaginarium eſt *Nihil*.

Vacuum eſt illud nihil, ut & ſpatium imaginarium.

Excerptum ex literis Domini Riſtii die $\frac{14}{24}$. Jan. 1665.

MAximè mirandum in hoc Cometa eſt, quòd tam diu duret. Nam quod multi, etiam docti alioqui Viri in ea ſint opinione, hunc Cometam, quem nunc videmus, eſſe à priori diverſum, & ita duos diſtinctos Cometas fuiſſe, hoc nullum habet fundamentum: eſt & manet unus tantùm Cometa. Meæ rationes hæ ſunt: Primus Cometa ſtabat inter Craterem & Corvum, cum ſe oculis noſtris ſubduceret. Poſtquam iſte nobis inconſpicuus factus eſt, cælum decem circiter dierum ſpatio nubibus obductum habuimus. His diſſipatis & ſerenitate cælo redditâ, iſte Cometa valdè exiguus ob vicinum Lunæ lumen circa pedem ſiniſtrum Orionis apparuit, tunc verò intra duos dies ultra 16. gradus proprio motu percurrit. Hoc mihi occaſionem præbet opinandi, eum præteritis diebus, quum non fuerit viſus, non minus 8. circiter grad. quotidie percurriſſe. Quod cum ita ſit, facilè videre eſt, hunc & priorem Cometam unum eundemque Cometam eſſe, præſertim cùm ſidus Corvi & Orion non ultra 70. gradus à ſe diſtent, ſicut in globo videri poteſt. Neque verò obſtat, quòd prior Cometa caudam ſuam in Occaſum, poſterior vero in Ortum

Extract Schreibens Herꝛn Riſten vom $\frac{14}{24}$. Jan. 1665.

DAs wunderlichſte an dieſem Cometen iſt/ daß er ſo gar lange ſtehet/ den/ das ſo viele / auch wohl kluge leute in der meinung ſind / daß dieſer Comet / den wir izo ſehen / ein ander ſey / und alſo zweene unterſchiedliche Cometen geweſen/ ſolches hat gantz und gar keinen grund / es iſt und bleibt nur ein Comet. Meine urſachen ſind dieſe: der erſte Comet ſtund inter Craterem & Corvum, da er uns auß dem geſichte kahm. Nach dem uns dieſer nun unſcheinbahr geworden / haben wir bey zehen tagen dunckler wetter gehabt. Nach deren verlauff hat ſich dieſer gar klein / wegen des Mondenliechtes / circà pedem ſiniſtrum Orionis ſehen laſſen/ da er dann inn 2. tagen / über 16. grad. proprio motu fort gelauffen. Dieſes giebt wir anlaß zu muthmaſſen / daß er die vorige tage / weil er nicht geſehen / nicht weniger / ſondern täglich bey 8. grad. fort gelauffen. So nun deme alſo / kan es gar füglich ſeyn / daß dieſer und der erſte nur ein Comet ſind / angeſehen / daß das Sidus Corvi und der Orion nicht über 70 grad. von ein ander ſtehen / wie man auff dem Globo kan ſehen. Und hindert dieſes nicht / daß der erſte ſeinen ſchweiff ins Weſten / der letzte aber ins Oſten ſtrecket / den/ wie mein hochgeneigter Herꝛ Reſident, auch ohne meinem erinnern weiß / iſt die Cauda Cometæ nichtes / als Radii ſolares per materiam nebuloſam circa caput Come-

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

projecerit. Nam prout ipſe, Nobiliſſime Domine Reſidens! vel me tacente, noſti, nil aliud eſt cauda Cometæ, quàm Radii ſolares per materiam nebuloſam circa caput Cometæ tranſmiſſi. Unde ſequitur, quòd cauda ſemper à Sole averſa ſit. Nunc dirigit prior caudam in Occaſum, quoniam Sol (cùm Cometa in conſpectum noſtrum mane veniret) jam in Ortum progreſſus erat. Iſte cùm veſperi videatur, quo tempore in Occaſu ſtat, neceſſariò caudam ſuam in Occaſum projicit. Propterea tamen unus idemque Cometa eſſe poteſt: niſi quod alterum aſpectum Solis habeat. Præterea invenio in Keplero, A°. 1618. etiam tres Cometas fuiſſe, ex quibus duo, præter illum tertium valdè magnum, in conſiderationem non veniunt. Sed tempus non patitur de his plura verba facere.

tæ tranſmiſſi. Woraus erfolget / daß der ſchweiff immer à Sole averſa ſey. Nun ſtreckte der erſte den ſchweiff ins Weſten / weil die Sonne (wann er uns des morgendts zu ſchein kam) ſchon ins Oſten war. Dieſer dieweil er des abendts geſehen wird / da die Sonne ins Weſten ſtehet / muß nothwendig ſeinen ſchweiff ins Oſten werffen: kan aber darumb eben der ſelbe Comet ſeyn / nur / daß er einen andern Aſpectum Solis hat. Sonſt finde ich beim Keplero, daß Anno 1618. auch 3. Cometen geweſen / davon aber 2. demnach der 3. ſehr groß / nicht in conſideration gezogen worden / aber die zeit läſſet nicht zu hievon weitläufftiger zu diſcurien.

Hamburgi die 31. Martii 1665.

DOminus Parens meus nondum reſpondere potuit ad Nobiliſſimæ Dominationis Veſtræ literas ob varia impedimenta. Verum tamen ecce ſuâ manu hæc ſcripſit, quæ mitto:

Magdeburgi die 26. Martii 1665.

DOminum Lubieniecium plurimùm ſalvere jubeo, cui dicas velim, me præter illud judicium de Cometa Præfecto Arcis Lipſienſis datum, quod & Hamburgum ad vos miſi, nihil de hac re quod dicam habere, ſed in priori ſententia perſtare, ſcilicet quòd Cometæ ex avulſa particula aëris oriantur. Subiit verò animum meum, quod verè dicere poſſum, præteriti menſis Febr. 12. die, ſtatuâ illâ aëris conditionem indicante inferiora petente, hæc cogitatio, novum Cometam eſſe oriturum. Quum verò non omnes à nobis conſpiciantur, neque etiam vulgatæ de illis prædictiones effectus ſuos perpetuò ſortiantur, ideò parvi ſit mea obſervatio: quare etiam tùm temporis nihil de hac re perſcribere volui. Nunc verò poſtquam publica fama refert, rurſus alium jam ante quatuor hebdomadas videndum ſe præbuiſſe (Cometam), & ego eundem hodie, ipſo Paſchatis feſto, circa tertiam matutinam in media plaga Orientali ſitum vidi, ideò meæ rationes tantò certiores evaſerunt. Quid porrò tot ſibi continuâ ſerie ſuccedentes Cometæ portendant, Deo notum eſt.

Magdeburg den 26. Martii 1665.

DEn Herrn Lubienietzki laſſe ich gantz dienſtlich grüſſen / und weil das ſentiment, ſo ich dem Schloß-Haubtmann zu Leipzig vom Cometen gegeben / auch ſchon nacher Hamburg geſchickt habe / ſo weis darüber nichts mehres / ſondern bleibe noch dabey / daß ſie von einem abgeriſſenen particul luffts entſtehen.

Gerrichius Pater in literis ad Filium datis Auctori primùm ad literas ejuſdem reſpondet.

Habe auch warhafftig am verſchienenen 12. Febr. wie das Wetter-männchen abermahls ſo niedrig ſtund / die gedancken gehabt / das ein Comet entſtehen würde.

Medio ferè Febr. novum Cometam oriturum auguratus eſt.

Weil wir ſie aber nicht alle zu ſehen bekommen / und es folgt darauff nicht gewiß / waß propheceyet wird / ſo giebts ein ſlechte anſehen: derowegen hiervon nichts in die feder bringen mögen. Nunmehr aber da nicht allein die aviſen melden / daß ſich ſchon vor 4. wochen wiederumb einer ſehen laſſen / und ich denſelben heute am Oſtertage frühe umb 3. uhr recht im Morgen ſtehend geſehen / ſo werde meine ſache deſto gewiſſer gemacht. Was nun ſo viel Cometen auff ein ander bedeuten werden iſt Gott bekandt.

Quem ipſo die Paſchatos primùm vidit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgi die 1. *Auguſti* 1665.

Girrichius filius delineationem & deſcriptionem Statuæ conſtitutionem aëream indicantis mittit.

MItto Nobiliſſimæ D. Veſtræ delineationem & ſimul deſcriptionem Virunculi illius conſtitutionem aëris indicantis, quam à me toties poſtulavit, & quæ pro jure amicitiæ & modulo virium communico, boni & æqui conſuli peto. Mirabile viſu ac auditu eſt, quòd per certa experimenta mutatio aëris obſervari poſſit, ut exempli gratiâ per thermometra, in quibus coloreus iſte liquor in æſtate deſcendit (quanquam etiam contrarium habeo) in hyeme verò aſcendit, quale, ſed planè alio modo, Dominus meus Parens invenit.

Gerichius Pater novum thermametrum invenit, ad indicandam aëris conſtitutionem,

Machina iſtius inventi eſt prægrandis, cujus globus & tubus cupreus, qui præter propter uſque ad ſeptem ulnarum longitudinem deſcendit, nudus virunculus apparet, qui extenſis manibus pedibuſque in filo, quaſi liberè in area pendet, & pro varia aëris temperie frigoris ac caloris incrementa digitis ſuis demonſtrat, alterato aëre icuncula hæc nunc aſcendit, nunc deſcendit, non ſine intuentium admiratione. Poſtea alius modus eſt inventus, quo mutatio aëris, nimirum ejus levitas & gravitas indicetur.

Tum duo hæmiſphæria diverſo pro ratione aëris pondere ab ſe invicem avellenda,

Sunt duo hæmiſphæria cuprea, quæ ſi mutuò conjuncta & ab aëre evacuata ſint, per pondus 5400. librarum (quando diameter phialarum ſaltem habet dimidium ulnæ Hamburgenſis; ſi verò integræ ulnæ, plus quam quinquaginta millibus vel etiam triginta equi requiruntur) vix divelli poſſunt, interdum autem gravius, interdum levius pondus ſecundùm conſtitutionem aëris adhiberi debet.

Denique ſtatuam vitro aëris vacuo incluſam.

Deniquè optimum inventum eſt ſtatua iſta, de qua nuper, tractans materiam Cometæ, mentionem feci, hæc alterationem aëris, tàm noſtri Horizontis, quàm etiam aliarum plagarum mundi Orientalis, Occidentalis, Meridionalis & Septentrionalis accuratiſſimè indicat, ſicut etiam procellas in locis procul diſſitis excitatas; de quibus ſingularem obſervationem

Tempeſtas maxima Anno 1660. à Gerrichiis obſervata indicio illius anemoſcopii.

inter alias habebamus Magdeburgi Anno 1660. quo ingens erat tempeſtas, maximam quaſi aëris mutationem deprehendebamus, aër tam levis reddebatur, ut ſtatua infimum puncti notati locum occuparet. Dominus Parens mihi & aliis hoc indicabat, & atrocem ac repentinam tempeſtatem alibi exiſtentem, per duas vel tres horas præſagibat, poſtea hæc in Oceano forſitan excitata, ad nos etiam veniebat, qua procul dubio magna aëris portio erepta ea in æthere per-

Cometæ 1664. origo ad particulam aëris maximæ tempeſtatis 1660. vi avulſam à Gerrichio refertur.

manſit, & in formam Cometæ, quamvis nobis non fuerit viſibilis, converſa fuit, experientiâ autem deinde & tractu temporis effectum docuit. Hæc pulchra & valdè ingenioſa, imò utilis inventio mihi patriam relinquenti, vitamque Reſidentis in hoc celeberrimo loco degenti, ita arridebat, ut omnem navarem operam, quo copiam hujus experimenti etiam hic haberem, Viriſque primariis ac amicis, ad me viſendi gratiâ adventantibus oſtendere poſſem, quâ inventione viſâ dici vix poteſt, quanto incenſi fuerint deſiderio, eam penitiùs

Arcanum iſtius anemoſcopii ſoli Electori Brandenb. revelatum.

cognoſcendi. Sed nemini hactenus arcanum hoc detectum fuit, niſi Sereniſſimo Domino, Domino FRIDERICO WILHELMO Electori Brandenburgico, Domino meo Clementiſſimo, Sapientiæ humanæ Aquilæ, cui artes cordi & novem iſtæ Deæ, in qua natura omnium virtutum numeros pleniſ-

Elector Brand. laudatur.

ſimè abſolvit. Hic, inquam, ingenio prudentiſſimus Princeps, meo conatu & operâ dicti mei dilecti Parentis ſimile inventum, cum Calendario perpetuo egregiæ formæ, nec non Syſtemate noſtri mundi affabrè inſtructum atque ornatum,

Berolinenſis Bibliotheca celebratur.

in ſua celeberrima Bibliotheca habet, ac diligenti obſervatione aſſervat; cui formæ non abſimilis eſt mea machina, de qua vide Iconiſmum in adjuncta pagina delineatum. Lit: A. eſt iſte virunculus, qui in vitro deſcendit & aſcendit. Medium eſt iſta linea ſub lit. B. à qua fit numeratio.

Pluviæ index.


Siccitatis index.

Quando igitur digitus dicti virunculi eſt lineæ proximus, tunc inclinat aër (deſcendendo) ad pluviam; aſcendendo autem ad ſiccitatem. Et quo magis aſcendit, eò magis ſiccitas durat: & contra, quo magis paulatim deſcendit, eò magis pluit. Exiſtens in altitudine & in continua quiete, eſt indicium continuæ ſiccitatis; ſi autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura anemoſcopij S. Statuæ, vitro aëris vacuo incluſæ, quæ mutationem aëris designat, ab Ampliſs. D. Ottone Guericken, Conſ. Magdeb. inventa, ad Communicat. Nobiliſs. D. Ottonis Guericken Conſil. et Reſidentis Elector. Brand. pertinens. N.º 9



B. Stopendaal ſculp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

autem ſubitò lapſum ejus obſervamus, ita ut digito attingat puncta ſub lit. C. tunc nimis certum eſt, quòd ſint procellæ, ſicut quotidiana obſervantia per 6, 7. annos docuit, proindeque inſtituimus Obſervationes ſimul Berolini, Magdeburgi & Hamburgi, & reperimus, quòd conſtitutio aëris in tribus his locis ſæpè conveniret, interdum etiam diſcreparet. Et quamvis, licet hoc inventum jure meritò dici poſſit perpetuum mobile; nihilominus tamen virunculus, in vacuo ſemper ſubſiſtens, propter nimium motum & ſaltum, qui ſtatim ob externam machinæ commotionem fit, ſine ruptura vitri atque interitu totius artificii de loco ad remotiorem locum transferri non poteſt. Cum autem hæc res magnum uſum, præſertim nautis in mari, afferre poſſet, ideoque ſæpè dictus auctor eo allaborat, ut alio modo, nimirum in trutina conſtitutio aëris poſſit cognoſci. Sed res, ob alios labores, de edendo ſuo libro, ad perfectionem needum pervenit. Ideoque Plato hic jubet quieſcere. Interim vale & vive ſtrenuè cum tota Tua Nobiliſſima familia, ego maneo

Procellarum index eſt, ſtud anemoſcopion Gerichianum experientiâ comprobatum.

Perpetuum mobile inventum à Gerichio dici poteſt.

Nautis ſpes fit inventi tempeſtates prænunciaturi.

Gerichius novo invento aëris conſtitutionem ſe indicaturum promittit.

Nobiliſſimæ Dominationis Veſtræ

Studioſiſſimus

OTTO GUERICKE.

P. S. Recordor aliquando Nobiliſſimam Dominationem Veſtram mihi retuliſſe de quodam ſuo Amico, quòd is dixerit, ſe potuiſſe, imò & poſſe adhuc ejuſmodi ſtatuam ambulantem invenire. Quare verò id non fecit? & quare etiamnum non facit? Non ſufficit dicere; ſed opus eſt reipſa demonſtrare. Verba non ſanant. Iterum benè & proſperè Vale.

Hamburgi Kalend. Auguſti 1665.

PRæclara ſunt & laudabilia inventa veſtra, quæ plura promittitis, terra marique utilia futura. Feretis ob hæc merita laudem apud poſteros egregiam. Interim Auguſtiſſimum Imperatorem Laudatiſſimorum Majorum exemplo Viros literatos & inventis præſtantes benignè foventem, jure Civitatis Romanæ vos donaſſe multum gratulor.

Gerrichiis Auctor nobilitatis Romanæ jus à Cæſare datum gratulatur.

Nobiliſſimæ D. Veſtræ

Omni ſtudio & cultu

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

V. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

COMMUNICATIO
HOLMIA-
HEINSIANA.

Hamburgo Holmiam die 12. 22. *Novembris* 1664. *N.* 1.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo Domino NICOLAO HEINSIO, DANIELIS FILIO, *Fœderatorum Belgarum in Aula Suecia Oratori Ordinario.*

STANISLAUS LUBIENIETZKI *S. P. D.*

CUm amicitia, res in proſperis æquè ac adverſis jucundiſſima & utiliſſima, imò in tota vita Solis, vel ignis, & aquæ inſtar neceſſaria, cuique cordato, morum probitate comitateque ſincerâ, & conſtanti ſit paranda & conſervanda; officii mei eſſe duxi amicitiam Tecum, Clariſſime Heinſi, Anno 1649. in domo Clariſſimi Parentis Tui, τοῦ μακαρίτου, Amici mei olim Summi, initam, hâc tempeſtate renovare. Fieri id à me, cum Hafniam Anno 1662. in Sueciam tendens, tranſires, non potuit. Atque utinam mihi tunc hæc obtigiſſet, quam multa inviderant obſtacula, felicitas, & licuiſſet jungere dextram dextræ, & notas audire ac reddere voces! Sed noſti Amicos abſentes quoque nobis adeſſe, & epiſtolam eoſdem nobis præſentes ſiſtere, ut cum iis non aliter quàm nobiſcummetipſis colloquamur. Hac innocua, & ingenuo homine digna fovendæ colendæque amicitiæ arte, ſi uti velis, habes me ad id officii Tibi præſtandum paratum. Neque verò ſteriles ad Te mittam avenas: ſed ſemper epiſtolas rerum ſcitu dignarum, & ut jucundarum, ita &, imprimis negotia publica tractantibus utilium (quam officiorum reciprocationem publicè quoque utilem eſſe cenſeo) feraces. Idque tantò alacriùs faciam, *cum ex mutua humanitatis Tuæ vice Tibi id eſſe gratum perſpexero. Vale Vir Nobiliſſime, & veteri amico Tuo conſtanter fave.

Amicitia res jucundiſſima & utiliſſima, imò neceſſaria, virtute paranda, & renovanda.

Heinſius Pater & Filius Auctori amicus.

Amici abſentes nobis adſunt.

Epiſtolæ amicorum abſentium colloquia.

Officia amicorum ad publicam utilitatem ſunt dirigenda.

**Humanitatis & benevolentiæ vices fiant ex æquo.*

Holmiâ Suecorum Hamburgum die 16. *Decembris Gregor. St.* 1664. *N.* 1.

Nobiliſſimo Viro Domino STANISLAO LUBIENIETZKI, *Equiti Polono* NICOLAUS HEINSIUS S. P. D. ad *N.* 1.

VErè ac prudenter commendas amicitiam, quam non tantùm Philoſophiæ & virtutis præcepta, ſed natura nobis ipſa quoque inſinuat & inculcat, cum humana quævis hoc nodo gaudeant quàm tenaciſſimè conſtringi. Quod autem priſtinæ neceſſitudinis memoriam poſt longum intervallum mihi nuper admodum refricabas, equidem benigniter & peramanter id à Te factum eſt. Tùm quòd huic beneficio exactas rerum nuper apud Sarmatas, & Germanos geſtarum narrationes adjeciſti, cumulatum me comitate plurimâ abs Te agnoſco. Nec intermittam, cum occaſio feret, officiis Tecum certare, ſi non paribus, ſaltem

Amicitiam docet Philoſophia, virtus, natura.

Amicitia vetus literis & officiis renovanda.

Officiis cum amico pro virili certa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa primùm in Suecia viſus.

ſaltem non omninò otioſis. Inſignem Cometam proximis noctibus cæpiſſe apparere, fama per hanc urbem conſtantiſſima dedit ac propagat paſſim, de quo uberius Tecum aliquando mihi agendum erit, ut confido. Vale, Nobiliſſime Domine, & me Tuis annumerare perge.

N. 2. *Hamburgo Holmiam die 20. Decembris St. Gregor. 1664.*

Cometicum argumentum Auctor cum Heinſio tractandum ſuſcipit.

COmetam notabilem plaga inter Orientem & Meridiem mediâ diebus abhinc octo videri hîc cœpiſſe, referent Tibi hæ literæ, unaque ad Te deferent pauca, quæ de hoc illuſtri phœnomeno à nonnullis Viris doctis, de ejus ſcilicet ſitu & motu, accepi; plura mox ut ſpero, accepturus, quæ Tecum meritò communicabo, ut Tu de his cum Viro aliquo Docto, horum perito, conferas, meque eorum quæ ad hanc rem plenius intelligendam facient, participem viciſſim facias. Vale Vir Nobiliſſime, & me Tui amantem redamare perge.

Nobiliſſimo Nomini Tuo *omni cultu,*

Omnibus ſtudiis & officiis deditiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 2. *Holmiâ Hamburgum die $\frac{14}{24}$. Deceuibris 1664.*

Heinſius erga Auctorem benevolus.

Officioſus in amicum eſto.

Bellum inter Britannos & Batavos ortum.

Batavi de exitu belli Britannici benè ſperant.

ANte octiduum primis Tuis reſponſi nonnihil dabam, quæ erant multarum ſcitu dignarum fruge oppidò refertæ. Vellem equidem pari officiorum laude ac ſedulitate certare Tecum. Sed rarò hîc terrarum ſcriptione quid, aut argumento hiſtorico dignum occurrit. Faciam tamen quod mearum erit partium. Bellum Britannos magno conatu in Fœderatos Belgas adornare, & diſcordias ab illis omni ſtudio foveri, video invitus. Etſi cauſſæ vix quicquam eſt, cur de belli hujus eventu malè ominemur, cum & jus ipſum militet pro nobis, & ſatis virium ſit in promtu, per quas atrocem injuriam propulſemus. Quid, quod cauſſas apparatûs bellici hujus jam approbaverimus Galliarum Regi; ſic ſatis aliis etiam Regibus haud dubiè ſimus approbaturi: ex horum, inquam, numero qui Lege fœderum tenentur Fœderatis Belgis auxiliari, atque opem præſtare, ſi armata manu invadantur à quocunque vicino. Hac fiducia erecti magnis animis ad bellum accingemur. Sed ecce aliam facem, Cometæ ſcilicet, qui ut nuper innuebam, diebus proximis apparuit miræ magnitudinis, quem tamen mihi videre necdum contigit alibi occupato. Vale Vir Nobiliſſime.

Tibi devotiſſimus

NICOLAUS HEINSIUS.

N. 3. ad I. *Hamburgo Holmiam die 17. 27. Decembris 1664.*

Amicitiam benevolentiæ officiis excole aſſiduis.

Virtute amicitiæ parantur & conſervantur.

Amari ſi vis, ama.

Officioſus in amicum eſto.

IN eo te eſſe, ut amicitiam mecum ante plures annos initam non tantùm teneas conſtanter, ſed & mutuæ benevolentiæ ac humanitatis officiis excolas, pergratum mihi fuit in Tuis literis legere. Nimirùm & ratio recta, & æquitas ipſaque humanitas à nobis exigit, ut conſtanti & amabili virtutis ſtudio, non tantùm veteres contineamus, ſed & novas paremus amicitias, maximum vitæ hujus, tot triſtibus & adverſis expoſitæ ornamentum, condimentum, & præſidium. De mea vera & conſtanti benevolentia, quâ vel maximè animi amicorum ad mutuam vicem reddendam trahuntur (*magnes* enim *amoris amor*, ut vetus verbum, & quotidiana experientia docet) certum Te eſſe jubeo. Si præterea uſui hîc Tibi aliqua in re opera mea eſſe poſſit, liberè eâ utaris velim. Invenies & experiêre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

experiêre me ad præſtanda Tibi officia accepta promtiſſimum. Nempe in deliciis
habeo benè de Viris Præclaris & Probis, benèque & ipſis de genere humano me-
rentibus, mereri. Hoc enim officium cuique ad laudem veram adſpiranti in-
cumbere judico. His quæ de rebus ad publicæ rei ſtatum pernoſcendum ſpe-
ctantibus ad Te mitto, adjungo plura de nupero Cometa, cujus fama jam tunc
ad aures Tuas pervenerat, & repeto poſtulatum meum ulterioris de hoc argu-
mento communicationis. Ego hoc quoquè officii Tibi præſtabo. Qua ratione
ſpero & me Tuam, & Te aliorum Virorum doctorum, præſertim in Matheſi
exercitatorum, diligentiam provocaturum. Vale Vir Nobiliſſime! & me con-
ſtanti benevolentiâ proſequere.

Merêre benè de his qui benè de re publica merentur.

Laudem veram virtute para.

Diligentia diligentiam excitat:

Holmiâ Hamburgum die 28. Decembris Iuliani 1664.

N. 3. ad 2.

DIes octavus nunc, ni fallor, agitur, quòd tabellarium ſine meis ad Te li-
teris hinc abire in Germaniam ſum paſſus. Erat quippe jam tum Regni
Suecici Senatus in rebus proferendis totus: & mihi incumbebat negotiorum
nonnihil haud minimi momenti apud illos urgendum, quod ante ferias ſole-
mnes expediri oporteret. Quapropter ignoſcas æquum eſt, ſi Tibi non vacavi illo
tempore, quo nec meus eram.

Amicus, præſertim publico munere fungens, non ſemper amico vacare poteſt.

Cometa ille inſignis, cujus poſtremæ tuæ meminerunt, cùm paucas apud nos
noctes ſpectandum ſeſe ſub matutinas horas præbuiſſet, comparere mox deſiit,
evanuitque, ſed ſic, ut alius illi ſucceſſiſſe dicatur. Mihi in rem eam diligen-
ter inquirere hactenus non eſt datum, ob occupationes, quas dicebam modò,
publicas. Iis utcumque defunctus, in dies ſaltem quindenos, aut vicenos pro-
ximos, non intermittam rerum Mathematicarum ſtudioſos ac gnaros percun-
ctari, ſi quid curioſitate tuâ dignum hìc obſervarunt. Quanquam vix ſunt in
hac civitate qui ſigna cæleſtia præ militaribus curent impenſè, aut ſeriò ample-
ctantur. Upſaliæ unum alterumque ex literarum humaniorum Profeſſoribus no-
vi, qui ſtudiis hujuſcemodi delectentur haud modicè, ad quos confugiendum
eſſe mihi propoſui. Sed dubium non eſt, quin ſagaciſſimus ille ſiderum per-
ſpector Hevelius veſter, qui ingentem hujus argumenti commentarium, ut
ſcis, jam pridem molitur, quo omnem de Cometis hiſtoriam eſt perſecuturus
diligenter & doctè, ſtellæ huic crinitæ quoque ſedulus & ſolers invigilavit, ut
nullum poſt ſuam meſſem ſpicilegium novæ obſervationis aliis quibuſcunque re-
liquum feciſſe videatur. Chriſtianus Hugenius Conſtantini filius, popularis &
amicus meus, tùm diſciplinæ Mathematicæ perquam peritus, patriæ noſtræ pa-
tribus offerebat nuper Longitudinum terreſtrium & marinarum abs ſe inventam
apodixin, præmiumque huic invento ab iis poſitum efflagitabat. Auguror &
precor uberrimum laboris fructum homini amiciſſimo: ſed rebus ego tàm ma-
gnis tardiſſimam habere fidem ſoleo: cùm meminerim & Wilhelmum nuper
Langium, Virum in Dania doctiſſimum, & alios complures alibi terrarum ejuſ-
dem inventi gloriam ſibi vindicaſſe dubio ſucceſſu. Vale.

Cometa in Lepore viſus à priori diverſus putatur.

Holmia Suecorum utriuſque Palladis ſtudiis debita.

Hevelius ab Heinſio laudatur.

Hugenius ab Heinſio laudatur, longitudinem terreſtrium & marinarum demonſtrationem ab ſe inventam Patriæ Patribus offert.

Namburgo Holmiam die 31. Decembris Iuliani 1665.

N. 4. ad 2.

CUm tabellario Holmiam tendente die abhinc octavo nihil literarum ad Te
dederam: tùm ob materiæ ſcribendæ defectum, ut militibus, ita & novis
nunciis hyberna agentibus, tùm ob occupationes ſolito plures, quas vitare non
potui, tùm denique ob imminens Natalis Chriſti feſtum anniverſarium, ad
quod ritè celebrandum cunctis Chriſtianorum appellatione gaudentibus, ſe
præparantibus, & jura & Mercuriales ſtrepitus ſilere ſolent, atque ita & com-
mercio literarum induciæ à quibuſdam dantur. Quæ ad Te de rebus publicè
geſtis miſeram, grato animo Te accepiſſe, gratum & mihi in Tuis literis legere
fuit.

Feſtum Natalis Chriſti debita pietate tranſigendum.

Feriarum feſtorumque dierum ratio requietem habet litium & laborum. Cic.

Contentus eſto officiis quæ amicus præſtare poteſt, licet voto tuo non reſpondeant. Miſereſce triſtium. Humanitate certandum. Bella naturæ adverſa: Horum ſuſcipiendorum & gerendorum rationem Politica inſtitutio non pietas docet.

fuit. Contentus autem ero iis quæ loci illius in quo agis commoditas, & Tua humanitas ſatis perſpecta, mihi admenſa fuerit. Memor enim ſum antiquæ illius Legis, quâ amicitiæ conſtant, *& honeſta & poſſibilia ab amicis eſſe poſtulanda iiſque præſtanda.* Quod de bello inter Britannos & Belgas Fœderatos enato nuncias, nobis quoquè ut notum eſt, ita cordolium facit, duos nempè populos mari potentiſſimos, eoſque non tantùm Chriſtianæ, ſed ejuſdem Reformatæ profeſſionis nexu junctos, tàm atrox moliri invicem bellum, invitâ non ſolùm pietate, ſed & vicinis conveniente humanitate, (cujus, judice Publio Syro, *optima eſt certatio*) ipſaque naturâ. Hæc enim ægrè feret ipſis quoque elementis bellum inferri, & tantos in ſimpulo fluctus, tantos in mediis aquis ignes excitari. Belli facere paratus ingentes, claſſes aliquot centena millia librarum quotidie conſumentes, & Oceano ab omni hominum memoria inviſas inſtruere, animo eſſe intrepido, auxiliaque à Regibus fœderatis, quos ſua quoque tueri, & domeſticæ ſecuritati conſulere neceſſum erit, & quibus contrariæ votis veſtris, à parte hujus vel illius juſtæ non deerunt rationes, requirere, & tot gentium ac nationum, & talium quidem, ut dixi, ſalutem infido elemento & dubiæ Martis aleæ committere, politica docet diſciplina, & maſcula illa Sagum induta prudentia.

Bella cumprimis navalia periculoſa. Bella compone potius quàm ſuſcipe.

- - - Sed motos præſtat componere fluctus.

Principibus terra mariq; potentibus componendorum bellorum gloria convenit. Machinæ bellicæ. Claſſes. Copiæ terreſtres.

Tantam litem inter partes hoſtilibus & internecinis odiis flagrantes ſedare noſtrum non eſt, nec ullius hominis privati. Magnis Regibus detur hæc gloria, vel alioquin potentiæ validis terræ Rectoribus. Nam horum preces vel monitiones ſunt armatæ, & rationes, ut nonnemo in re pluſquam ſeria luſit, canonicæ, id eſt machinis illis bellicis, ab ingenioſa in perniciem ſui humana induſtria inventis, munitæ, & claſſibus 50. 100. vel ampliùs munimentorum omni bellicâ copiâ inſtructiſſimorum mare fluctiſonum ſulcantium, ac 30. amplius mille claſſicis teſtibus ſtipatæ. Atque utinam Regis Chriſtianiſſimi, Principis ut terra marique potentiſſimi, ita Magnanimi & ad maxima quæque promti, ac veri Irenarchæ opera, pax inter iſtas Neptunias, Chriſtianas & Reformatam religionem profitentes gentes, juſta & perennis inſtauretur! Nam ſi tàm atrox bellum in medio Oceano inter eas exardeſcat, nec ille labem hanc omnibus eluet undis, nec tàm latè ſparſas belli faces exſtinguet, quas meritò Pietas & Juſtitia face iſta, quam memoras, Cometæ ſecundùm apparentis opprimere deberet, niſi reclamaret & repugnaret privati commodi ratio

Pacem componi Batavis cum Britannis optat Auctor. Belli cauſſa privatæ utilitatis cupido. Utilitas præpollet viribus.

Atque ipſa utilitas juſti propè mater & æqui.

Bellum undecunque noxium. Epiſcopus pius in exemplum poſitus.

Sed en Tibi quæ ad Gerardi Geldenhaurii Noviomagi hiſtoriam Batavam, in Sylvis Gerardi Liſtrii Rhenenſis in hanc rem legi: Nam ubi multa belli incommoda, utrumque ſexum & omnem ætatem ac ſtatum lædentia, & divinis humaniſque confuſionem inducentia piè & doctè expoſuiſſet, Davidem Philippi Boni Burgundiæ Ducis filium, Epiſcopum Ultrajectinum in exemplum Principibus, Sacris præſertim, ita ſtatuit:

Bella, juſta quoque, multùm nociva eſſe boni Politici docent.

- - - - - - - prudenter graviterque
Pervolvit, quot vel juſtus diſpendia ſecum
Adduxiſſe ſolet Mavors; incommoda quanta
Greſſibus immanem rapidis ſectentur Enyo,
Qualia ſunt, villas paſſim pagoſque cremari,
Atque teri paſſim ſegetes, jumentaque paſſim
Abduci, paſſim florentes Perſide gaza
Labi in pauperiem ſubitò, proceres onerari,
Plebem expilari, miſeram orbarique ſenectam
Atque trucidari juvenes, & tot viduari

Com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Comparibus nymphas, tot ruptis mænibus urbes
Invadi, tot ſtuprari matreſque nuruſque,
Virgineum cuneum temerari, templaque Sacra
Irrumpi, & manibus raptari ſacra prophanis.

& quæ ſunt pluria talia. Cæterùm identidem ſcribitur veſtros Patriæ Patres pacem offerre, imò & redimere juſto pretio velle, quod autor ille in ſuo Davide meritò laudat. Utinam illis facem Cometa iſte præferat ad templum Almæ Pacis, & tempora eorum illâ innumeris triumphis potiore *ob cives ſervatos* coronâ redimita beet! Vale Vir Nobiliſſime, & candorem meum boni & æqui conſule, & conſtanter fave mihi.

Batavi pacem quærunt & redimere volunt.

Pacem parte aliqua fructuum tibi redime. Cic.

Batavis Auctor pacem & proſperitatem precatur.

Holmiâ Hamburgum die 11. *Ianuarii* 1665.

N. 4. *ad* 3.

UT videas mandatis Tuis morem à me geri, ſcribo, cùm quod ſcribam vix ſit in promptu. De Cometa ſententiam Mathematicorum Upſalienſium fruſtrà hactenus opperior. Hunc quod diverſum ab illo, qui anno ſuperiore apparebat, credebamus, metuo ne fruſtrà fuerimus. Nam & latuit jam quatuordenas, aut plures etiam noctes continuas, & mirâ celeritate curſum impellit variatque, quantum nunc agnoſco. Bellum Britanni nobis intentare pergunt: de cujus ſucceſſu benè ſperamus, ſperaturi longè melius, ſi in partibus noſtris Regem Chriſtianiſſimum fore publico liquebit. Vale.

Heinſius Cometam in Corvo & Lepore unum eundempue eſſe animadvertit.

Hamburgo Holmiam die $\frac{11}{21}$. *Ianuarii* 1665.

N. 5. *ad* 3.

QUàm non longè, ex quo ſtabilito inter nos literarum commercio, officiis & benevolentiâ certare (quod in laude Sapientes ponunt) inſtituimus, à nobis uterque abſimus, teſtatur vel hæc epiſtola, quam Tuæ tertiæ Decembris menſe & anno nuper elapſo, decurrente ſcriptæ, affectûs & eruditionis indici certiſſimæ quintam repono. Ita nec in ſcriptionis nec in officii cura quidquam deſiderare à Tua parte poſſum. Ut tantam Tuam benevolentiam mea mutua foveat & conſervet, omnibus ingenii & induſtriæ viribus enitar. Et ecce pauca quædam adjungo hiſce, Tibi, ut video, grata ſemper futura. Quâ ipſa ratione nunquam non magnum operæ pretium faciam, dum induſtrii Amici gloriam merebor, quam non poſtremo loco in vita civili Sapientes ponunt. Cui rei vel ſolus Cicero ſuis ad Atticum literis fidem plenam facit. De rebus Britannicis nihil nunc accipies, quia necdum nos ipſi accepimus Londino literas, tardante ob injuriam hyemis Antverpienſi tabellario. Cæterùm ſcio Tibi in tanta luce verſanti hæc intus & in cute, ut ſic dicam, nota eſſe, nobis ſæpè cum vulgo affectibus diſtracto, ideoque pravè de rebus judicante, ad phaleras obhærentibus. Ego ſanè, ut toti orbi, ita præcipuè Veſtræ & Anglicanæ genti, non tantùm rerum geſtarum gloriâ clariſſimæ, ſed & ſingulari libertatis conſcientiarum patrocinio, ob conſcientiam Dei oppreſſis commendatæ, & quarum utraque puriorem fidem profiteri ſe gloriatur, multis iiſque magni momenti de cauſſis æquam & perennem pacem optaverim. Ad quam omnibus juſtitiæ & prudentiæ, ut ſic dicam, arietibus promovendam & redintegrandam ac fovendam concordiam potiùs, quàm ad promovenda ſacra diſſidia, & juſtitiæ & prudentiæ prorſus repugnantia, omnem operam utriuſque gentis ſacrorum curatores conferre deberent. Jure ſuo Cometa ſive ſecundus, ſive ſecundùm apparens, tanquam Concionator vel potiùs præco in cæleſti ſuggeſtu à Deo locatus, utitur, dum hæc & cuncta officia hominibus in memoriam reducit, & ad ea præſtanda ſeverè hortatur. De hoc nupera narratio Varſavienſis pauca, non tamen contemnenda habet. Ego quidem mediocri hiſtoriarum lectione aſſecutus ſum, multa in orbe memorabilia citrà, ſed & poſt Cometarum appari-

Benevolentiâ certandum cùm amicis, adeoque omnibus hominibus.

Benevolentiam benevolentia parat & conſervat.

Amici induſtrii non poſtrema laus eſt.

Publico munere fungentes meliorem rerum notitiam quàm privati habeant par eſt.

Libertas conſcientiarum probis eſt grata.

Cometa cæleſtis Concionatoris loco officii commonet mortales.

Auctoris de prognoſi Cometarum ſententia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ritionem, quin & multa læta poſt eandem eveniſſe. Quod nunc in orbe Chriſtiano eventurum, magis voto quàm ſpei accedit, rebus ſcilicet malè conſtitutis, & indomitâ ambitione in novas ſucceſſionum ſpes ſeſe armante. Cometam hunc, qui jam verſus cornua Arietis tendit, unum eundemque cum priori eſſe Hevelius putat, Aſtronomorum noſtro Seculo Coryphæus, ſuffragantibus ei pluribus ejuſdem artis. Clariſſimus Bullialdus ad primum ejus conſpectum, dixerat ferè alium eſſe, ſaltem novam quandam ſtellam, literis die 2. Januarii datis. Sed exſpectandum eſt quid porrò ſit, factis pluribus obſervationibus, dicturus. Sunt autem qui prorſus hunc alium à priori eſſe volunt. Velim Virorum hujus rei peritorum illis in terris agentium judicium exquiras & ad me perſcribas. Porrò Chriſtiano Hugenio, Viri illius Clariſſimi filio, ut perſpicio, haud degeneri, propoſitum ex animi ſententia, bono publico, ſuccedat, ſincerè optandum eſt omnibus bonarum literarum & publicæ utilitatis amantibus. Vale Vir Nobiliſſime, & fac ut proſperè agas, ac Te mihi conſtanter favere teſteris.

Cometa in Corvo & Lepore unus idemque. Hevelius laudatur.

Hugenium Auctor laudat, eique bonum inventi eventum precatur.

N. 5. ad 3.

Diligentia par ubique non eſt.

Holmiâ Hamburgum die 18. *Ianuarii S. V.* 1665.

COmetam minus curioſè ac diligenter obſervavi fateor quàm fieri debebat, quòd nec tubos opticos melioris notæ habeam in promptu, hebetique & obtuſâ prorſus ſim oculorum acie, præſertim ſub nocturnum tempus, aut cum veſperaſcit. Pollicitus eſt amicus Ubſalienſis obſervationes nonnullas Mathematicas huc pertinentes, ſed quas needum accepi.

Ex ultimis meis, ante octiduum exaratis, edoctus es de adfectu Regis Chriſtianiſſimi erga Fœderati Belgii Rempublicam ſincero optimè nos ſperare. Septentrio adhuc ſententiam ſuam in ambiguo tenet. Interim ante æſtatem proximam legatio extra ordinem hùc mittenda à Fœderatis Belgis creditur. Orator noſter Beuningius Regem Chriſtianiſſimum erat veneratus; benigniter is ſe exceptum, ac horas ut minimùm duas attentè cupideque auditum à Rege, deprædicat. Quem tamen velle mitibus conſiliis præcipuum deferri locum; ea ſi non ſuccedant, omninò rationem à ſe habendam pactorum fœderiſque, quod cum Fœderatis Belgis ſibi intercedat, auxiliumque illis ab ſeſe præſtandum fore adverſus quoſcunque hoſtiles inſultus. Addunt alii, indignè Regem eundem ferre, quòd Britanni naves non paucas Fœderatis Belgis jam præreptas fiſco addixerint, quarum pleræque merce Gallicâ fuerint inſtructæ, ut Galli eas ad ſe pertinuiſſe contendant, repetantque minabundi per Oratorem Regis Commingium. Brevi quò hæc evaſura ſint perſpicere dabitur. Utinam in bonum publicum! dum movet monetque novus Cometa. Vale Vir Nobiliſſime.

Regis Galliæ affectum Batavi ſibi gratulantur.

Beuningius Belg. ad Regem Gall. Orator.

Rex Galliæ prudenter & cordatè diſſidia Britanni adverſus Batavum componere tentat, huic tamen ſuppetias ex fœderis lege promittit.

Commingius Regis Gall ad Brit. Orator.

N. 6. ad 4.

Epiſtolæ familiares benevolentiæ teſtes.

Hamburgo Holmiam die 24. *Ianuarii Iuliani* 1665.

VIx exprimere valeo, quanto me Tibi ære obſtrictum eſſe ſentiam pro eximia Tua benevolentia, quam mihi in colendo literarum familiarium exercitio, etiàm non ſuppetente ſcribendi materiâ, fide integrâ teſtaris. Argumento ſunt Tuæ die XI. Januar. ad me datæ. Ex quibus video Te benè ſperare de ſociis Gallorum armis, & de ſucceſſu proſpero belli Veſtri Anglici. Socia arma multis noxia & ſæpè vel juſtis rationibus, vel ſpecioſis prætextibus interverſa fuiſſe, tot exempla antiqua & recentia docent. Sed hìc & ubique procul abſit malum omen, ipſumque omne malum! Quod ad belli ſucceſſum attinet, notum eſt omnibus, quanta ſint omnis belli incommoda in humanum genus injuria:

Socia arma ſæpè noxia & incerta.

Verùm

Verùm ut ne laſſem te ſingula commemorando
Bellum etiam felix ut vitæ eſt unica peſtis,
Sic morum exitium eſt, ſic eſt ſentina malorum.
Bello ſquallefcunt agri, monachique fugantur
Cænobiis, bello Aonides Sophiæque ſileſcunt.
Non importantur merces, prædonibus omne
Eſt iter infeſtum. Sunt Leges juraque muta;
Spreta jacet pietas, raptor latroque triumphat,
Religio friget; ſunt omnia plena tumultu,
Plena minis, lachrymis, irâ, violentiâ, & atris
Cædibus. Infrendens mors pallida guttura pandit,
Falceque bellacum juvenum ſic licia rumpit,
Gramina fæniſeca ut viridanti demetit arvo.

Bellum omne multis modis perniciosum.

Hæc autem Tibi denuò ex illis Gerhardi Liſtrii Sylvis affero, quæ profectò bellorum odium, pacis autem ſtudium omnibus ingenerare par eſt. Extra dubium proinde mihi eſt, plurimos tàm Veſtratium quàm Anglorum repertum iri, qui vetus illud mente & ore repetant

Belli odium. Pacis ſtudium.

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Utinam verò & Vobis & Illis, omnibuſque adeo Chriſtianis ad pacem ſtabilem faculam præferat iſte Cometa, qui etiamnùm lucet! De quo quid ab Upſalienſibus Profeſſoribus acceperis, mecum communicare haud gravaberis. Hunc à priori diverſum nonnulli etiamnùm faciunt. Quibus ſe Clariſſimus Hevelius opponet publicè, non tantùm in ſua Cometographia, ſed & in Prodromo ejus, quem ut præmittat, ſum illi cum Illuſtriſſimo D. Rautenſteinio Miniſtro Statús & ad Imperii Conventum Ratisbonæ, Legato Neoburgico, auctor. Vale Vir Nobiliſſime, & eundem benevolentiæ tenorem ſerva.

Auctoris votum pro Pace Univerſali.

Heveliani Prodromi Cometici motores.

Holmiâ Hamburgum die 1. *Febr. S.V.* 1665. N. 6. ad 4.

DIverſum à duobus prioribus Cometam comparuiſſe vulgus per hanc Civitatem nudius tertius conſtanti rumore ſpargebant. In quam rem eâ, quâ par eſt, ſedulitate ut inquirerem, necdum mihi eſt datum. Sed nec Mathematici Upſalienſes obſervata ſua, quæ promiſerant, ac ſperare me juſſerant, hactenus produnt: cum tamen iſtiuſmodi lucubrationes eò magis placere ſoleant, quò tempeſtivius promuntur in publicum. Aurem iis ſuper promiſſo cras aut perendiè denuò vellam. Literarum Tuarum lectione plurimùm capior, quæ cùm multa mihi hactenus incomperta complectantur, tùm orationis nitore & mirâ dicendi felicitate plurimùm ſe commendant. Nos inconditâ, & feſtinatâ ſcriptione ſi id adſequimur, ut ne agreſtes aut inhumani prorſus videamur, abunde nobis conſultum ac proſpectum remur. Vale, Vir Nobiliſſime, & me Tuis accenſere, ſi mereor, perge.

Novorum appetens mortale genus.
Heinſii ergà Auctorem benevolentia, & modeſtia.

Hamburgo Holmiam die 21. 31. *Ianuarij* 1665. N. 7. ad 5.

NOn deſino ſperare Te ſingularia quædam de Cometa, qui iterum lucet, ad me miſſurum. Etſi enim obtuſâ ſis oculorum, nequaquam tamen mentis, quæ Tibi ad omnia perſpicax à Patre luminum data eſt, acie. Adhæc ſat benè ſcio & tutò credere poſſum, Te præclaris ingenii animique dotibus in parandis amicitiis ubique terrarum eſſe felicem. Ita facilè à Viris, ut omni eruditione; ſic & Mathematicarum rerum cognitione præſtantibus (quis enim ignoret vel neget tales ibi quoque dari?) copia Tibi dari poteſt eorum, quæ vota mea

Heinſii ingenium acutum, judicium perſpicax, & in parandis colendiſque amicitiis felicitas.

Fidem promiſſi præſta: Bonus Vir antequam promiſſum impleat, quieſcere non poteſt. Fœdera exterorum præſtent Tibi incruentam pacem. Pacifici beati. David, licet Deo percarus, quòd eſſet bellator, templum Deo ædificare non potuit. Principem omnia prius quàm arma experiri decet.

mea hâc in parte impleant, ſaltem ſitim reſtinguant. Et ecce jam amicus Ubſalienſis promiſſo Te beavit, Tu me. Perge itaque in repetenda ibi, exſolvenda hîc promiſſi fide, quæ debito ſuppar hominis ingenui mentem religione quâdam adſtringit, nec inſoluta eandem dimittit liberam & probæ quietis certam. Ex prioribus & hiſce Tuis percepi vos gratulari vobis de benevolo affectu Regis Chriſtianiſſimi, utpote fœderis religione vobis devincti. Benè eſt ſi his artibus ſine cæde & vulnere felicem Pacis almæ oleam apprehenditis. Hanc enim omnibus triumphis præponit Philoſophia. Vox autem divina beatos & filios altiſſimi, qui ſcilicet Deus Pacis & ipſiſſima charitas eſt, pacificos appellat, cunctaque bona uberrimè in illos cumulat. Noſti contrà Davidem, licet Virum ſecundùm cor Dei, & in omnibus ei morigerum ac placentem, cum ad exſtruendam ædem ſacram Hieroſolymis maximo impetu ferretur, hoc beneficium impetrare, quòd Vir ſanguinis eſſet, non potuiſſe, & illud filio ejus re & nomine Salomoni relictum fuiſſe. Regem autem Chriſtianiſſimum velle priùs mitiora conſilia, quàm illa armorum horrida conciliandæ paci adhibere, laude profectò dignum eſt. Omnia enim priùs Sapientem, tantò magis Principem Virum (quô nemo prius nemoque magis meliuſve Philoſophiam in colenda docendaque exemplo, virtute & tractanda Repub. exerceat oportet) quàm arma experiri debere, jam olim ſancitum eſt. Et certè ſæpenumerò præſtat id lenta prudentia &

Induſtria quieta violento imperio potior.

> \- - - peragit tranquilla poteſtas
> Quod violenta nequit, mandataque fortius urget,
> Imperioſa quies.

Deliberandum diu, quod ſtatuendum ſemel. Cometæ obediendum officiorum admonenti.

Ideò laudandum eſt, quòd Septentrio adhuc ſententiam ſuam hîc in ſuſpenſo teneat. Certè & hoc officium novus Cometa lucens, commemorat bono publico. Optandum eſt ut Principes & eorum adminiſtri, cunctique adeò mortales huic fideli Conſiliario, qui ipſâ apparitione illuſtri, velut cæleſtiſſimo ore, ad excutienda vitia & emendandos errores hortatur, faciles præbeant aures. Clariſſimus Bullialdus nondum mihi ſuam de Cometa ſententiam patefecit, fuerітnè unus idemque vel duo diſtincti Cometæ. Illud nuperis literis ad me datis confirmat Clariſſimus Hevelius, qui ad tot meas & aliorum Amicorum petitiones veluti prodromum ſuæ Cometographiæ præmiſſurum ſe eſſe promiſit. Quod reliquum eſt, multum debeo Tuæ humanitati, qui etiam non ſuppetente ſcribendi materiâ compellare tamen me volueris literis die XVIII. datis, quo nomine Tibi obſtrictus ſum. Perge in hoc humanitatis officio, paria à me referes. Vale diu & feliciter.

Hevelius prodromum Cometographiæ præmittendum promittit.

N. 7. ad 5. & 6.

Holmiâ Hamburgum die 24. Febr. Juliani 1665.

Hyeme literarum commercia turbantur.

TAbellario illi, qui poſtremus hinc in Germaniam ad Vos contendebat, literarum nonnihil Tibi inſcriptarum perferendum tradidi, quas accepiſſe jam debes, niſi hybernæ tempeſtatis incommoda fluvios etiamnùm inacceſſos viatoribus tranſituris reddunt. Unde & fit, ut Tuæ quoque lentè admodum ad nos perferantur: harum binas ſub unum idemque propemodum tempus proximè accepi, alteras 14. alteras 24. Januarii Juliani exaratas. Quid Mathematici Upſalienſes obſervarint in nupero Cometa, ex adjuncta Fornelii Mathematum in illa Academia Profeſſoris epiſtola ubertìm, ni fallor, cognoſces. Quanquam Clariſſimus Schefferus alia ſperare me jubet, per Rudbeckium Medicinæ in eadem Academia Profeſſorem eximium, publico deſtinata, qui varias Mathematicorum opiniones in unum videtur collecturus, additurusque ex obſervatis propriis nonnulla, quæ aliorum diligentiam fugiſſe cenſet. *In eo Mathematicis Upſalienſibus video ſibi convenire, quòd duos diverſos ſtatuant Cometas, eunte in contraria Hevelio, ut noſti: cui hîc accedamus atque acquieſcamus præſtat.

Fornelius Jonas Profeſſ. Upſal. ſua obſervata in Cometa Heinſio mittit. Rudbeckius Olaus laudatur, commentarium de Cometis ſingularem pollicetur.

* *Heinſius Hevelii ſententiam de uno Cometa ſententiæ Upſalienſium de gemino præfert.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſtat. A Rudbeckio ſi quid ad me perferetur, ut ſperare Schefferus jubet, ejus Tibi copiam mox fore ſpondeo. Tu, ſi tanti hæc, quæ nunc mitto, videbuntur, ea cum Hevelio aut Pelſio noſtro communices licet, per quem Hevelio exhibeantur. De negotiis publicis quod addatur, vix nunc occurrit. Recrudeſcere de novo motus Polonicos indigniſſimè fero. Utinam Clementiſſimus Deus huic malo tempeſtivè medeatur! Et id quidem ille benignè facit, dum ſalutaria monita mortalibus tàm ordinaria quàm extraordinaria, iſta in cœlo ſcilicet edita ſigna, præbet. Vale Vir Nobiliſſime.

Cometæ divinâ benignitate officii admonent mortales.

Ubſalia Holmiam die $\frac{14}{24}$. *Februarii* 1665.

Viro Nobiliſſimo & Ampliſſimo Domino NICOLAO HEINSIO, *Fœderatorum Belgarum ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Regem Suecorum Oratori Ordinario* JONAS FORNELIUS S. P. D.

Nobiliſſime & Ampliſſime Domine.

INtellexi à Viro Præcellentiſſimo Domino Scheffero Ampliſſimo Domino non diſpliciturum, ſi de Cometis hujus Hyemis ea quæ hîc Ubſaliæ obſervata ſunt, Amplitudini Tuæ breviter referam. Et quamvis ob Inſtrumentorum Mathematicorum penuriam accuratas obſervationes inſtituere non licuit, tamen, quantum fieri potuit, Cometarum horum apparitionum tempora & motus annotavi, non tamen ad id adhibito calculo quodam Aſtronomico. Omnibus enim Inſtrumentis ad ejuſmodi phœnomena obſervanda neceſſariis deſtituta eſt hæc Academia. Brevem itaque ſaltem hiſtoriolam horum Cometarum tradam, qualem in tanta rei Mathematicæ anguſtia concipere potui. Præterito Anno die 7. Decembris, cùm nunciatum eſſet apparere Cometam inter 5. & 6. matutinam, unà cum Domino Rudbeckio exivi, & Cometam deprehendi tum pertranſiviſſe Meridianum, atque conſtitutum in plaga Occidentali. Erat ſtella ſatis magna, & ſecundi honoris ſidere non minor, radios ſuos verſus Occidentem, videlicet in partem Soli oppoſitam (ut ſemper fieri ſolet) projiciens. Erat autem tum ſupra Hydram, haud procul à roſtro Corvi, inter Corvum & Cratera, in dodecatemorio Libræ. Die 9. Decembris cœlum iterum erat ſerenum. Ad 5. itaque matutinam exivi, deprehendique Cometam obliquo curſu verſus Auſtrum declinaſſe, & tunc in ipſo tropico Capricorni conſtitutum. Tertia vice cœlum ſerenum erat die 12. Decembris, tum deprehenſus eſt per tropicum obliquè tranſiviſſe, atque ad inferius hæmiſphærium tantùm migraſſe, ut vix in Horizonte conſpici poſſet. Erat verò tunc in dodecatemorio Virginis. Corpus ipſum Cometæ per tubum opticum viſum, pallidum & ſpongioſum apparebat. *Per Zenith illo tempore tranſivit illis, qui habitant maximè ad Auſtrum in Africa, & incolis Braſilienſibus in America motu proprio confecit 5. illis diebus 10. gradus, hoc eſt, †quolibet die gradus duos, & contra ſeriem ſignorum progreſſus eſt. Tantum de priori Cometa. ‡Poſterior primùm viſus eſt die S. Thomæ, qui erat 21. Decembris anni præterlapſi inter 6. & 7. veſpertinam. Deprehenſus autem eſt haud procul à ſtella Orionis, vocata Regel, in dodecatemorio Geminorum. Aliquot deinde diebus cœlum nebulis erat obductum uſque ad 24. Decembris, eo die circa 5. veſpertinam apparebat: caudam ejus etiam tum videre licuit, quæ 21. Decembris ob nimis vicinam Lunam non apparebat. *Cometa verò tribus illis diedus in proprio circulo 16. gradus emenſus eſt, curſum ſuum dirigendo in Occaſum, contra ſeriem ſignorum, per circulum obliquè, per Æquatorem & Zodiacum tranſeuntem, & magis magiſque verſus Boream vergentem. Tertiò apparebat 26. Decembris, eratque circa 7. veſpertinam proximè ad Menkar Ceti ſtellam, illam tàm propè ſubiens, ut eandem ſtringere videretur. Erat autem in ſignum Tauri progreſſus, ejuſque longitudo erat 16. grad. tauri, latitudo 21. grad. auſtralis. 27. Decembris ut & 28. 29. & 30, ſemper apparuit, ita tamen

Schefferus obſervationes Upſalienſes Heinſio procurat.

Fornelius Heinſio de obſervationibus ſuis Cometicis gratificatur.

Obſervationes Upſalienſes.

Cometa in ipſo Tropico Capricorni obſervatus verſus Auſtrum æqualiter ab Æquatore diſtat.

**Cometa quando & quibus per Zenith ſeu punctum verticale tranſivit:*

†Initio ſingulis diebus duos gradus emetitur.

‡Cometam in Corvo & Lepore geminum eſſe Upſalienſes autumant.

** Cometa in Lepore triduù ſpatio 16. gr. in proprio circulo emetitur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tardius progreditur in exitu, & in Ariete diſparet.
Cometa uno die 30. grad. in proprio circulo peregit.
Upſalienſes rationes pro gemino Cometa hyemali.
Diſtantia inter utrumque Cometam 100. amplius graduum impoſſibilis ad emetiendum intra novendiale ſpatium Upſalienſibus videtur.

tamen ut aliquantulum decreſcere videretur. Pariter etiam in motu tardior viſus eſt. Tranſivit autem tàm Zodiacum quàm Æquatorem, atque in dodecatemorio Arietis diſparuit. Num autem poſterior hic Cometa idem fuerit cum priori, dubitant nonnulli. In hiſtoriis Cometarum traditum eſt Cometam fuiſſe qui 30. grad. intra diem in proprio circulo peregerit. Quibus ſi fides habenda, certè non facilè aſſeremus, impoſſibile eſſe hunc Cometam eundem eſſe cum priori. Tamen inæquabilitas motûs aliud ſuadere videtur. Prior enim ille à 7. Decembris ad 12. ejuſdem quinque videlicet diebus 10. gradus confecit, hoc eſt quolibet die duos gradus. A 12. Decembris ad 21. ejuſdem cum hic poſterior apparere inciperet, ſunt 9. dies: diſtantia verò inter locum prioris Cometæ diſcedentis & poſterioris apparentis eſt ultrà 100. gradus. Hæc motûs inæqualitas arguere videtur eundem non eſſe Cometam. Tantam enim motûs inæqualitatem in uno eodemque Cometa, nunquam deprehenſam legimus, ut qui quamdiu apparebat 2. ſaltem gradus quolibet die abſolvebat 9. dierum ſpatio, quibus à noſtro conſpectu abfuit ultra 100. grad. conficeret. Hæc ſunt quæ Amplitudini Tuæ quàm officioſiſſimè indicare debui. Rogo inſuper ut velit Ampliſſimus Dominus me ſuo favore & gratiâ dignari.

N. 8. ad 6.

Hamburgo Holmiam die 18. 28. *Februarii* 1664.

Tarda non perdunt omnem gratiam.
Sententia de duobus Cometis hyemalibus non paucos initio habuit defenſores.
Upſalienſium induſtriam Auctor provocat.
Mora diligentiam fert ſecum.
Monita induſtriis quoquè conveniunt.
Modeſtia viro bono convenit.
Candor te Viris laudatis commendet.
Heinſii benevolentiam & amicitiam magni Auctor facit.

NOn injuriâ tabellarii, ſed, ut puto, injuriâ brumæ, tranſitus terrâ marique obſidentis, factum eſt, ut literas Tuas die $\frac{1}{11}$ hujus menſis datas hodie demùm acceperim. Illa tamen ſive temporis, ſive hominum iniquitas literarum Tuarum gratiam, licet delibârit, non conſumſit. Cùm verò ad Tuas è veſtigio Tibi reſpondendum ſit, paucis accipe, quæ, ut ad Te perſcribam, officii ratio imperat. Minimè mirantur, ſed nec morantur Clariſſimus Hevelius, & omnes, qui Cometam nuperrimum priori accenſent, pleroſque è vulgo vel etiam aliàs eruditione celebres Viros ſtatuere, duos diverſos apparuiſſe Cometas, cum & nonnullos Mathematicos in ea fuiſſe & adhuc eſſe ſententia ſciant. Sed ex adjunctis chartis eorum in contrarium rationes intelliges, quas velim Upſalienſibus Profeſſoribus exponas, ut quid illi ſentiant, ſcripto teſtentur, ac ſimul obſervata ſua addant, nec amplius moras nectant, ſi tàm citò ſententiam expedire poſſunt. Alioquin ego moroſos quoquè & ad reſpondendum difficiles fero, ubi cunctationis acrimoniam ſuavitas diligentiæ aboleverit. Non enim temerè Publius Syrus dixiſſe mihi videtur: *Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam.* Benè tamen feceris, ſi aurem ipſis vellere perrexeris, quod ſæpè & induſtriorum aliàs Virorum ſedulitatem velut, admoto calcari ad felicius carpendum laudis iter, incitat. Quod de ſtilo meo addis, non ſine rubore conſcientiæ legi. Agnoſco meam tenuitatem, & ut ille ait, Mecum habito & novi quam ſit mihi curta ſupellex. Satis mihi eſt, ſi candor mentis & manus meæ Tibi aliiſque Viris, ex omnium laudum cumulo compoſitis, placeat. Vale, Vir Nobiliſſime, & conſtanter illi fave, qui Te non tantùm favorem, ſed & ſtilos & linguas omnium, literas & virtutem amantium feciſſe Tibi præclaris meritis vectigales rectè novit, & ideò abs Te non ſolùm noſci, ſed & amari in parte felicitatis ponit.

N. 8. ad 6.

Holmiâ Hamburgum die 18. *Martii* 1665.

Fœdus inter Britannum & Suecum concluſum.

PRoximus tabellarius ſine meis ad Vos literis diſceſſit, quòd argumentum ſcriptioni tunc deeſſet. Interea temporis binæ ex tuis Epiſtolæ mihi ſunt traditæ, quarum altera undecimo Februarii menſis die, altera decimo octavo eſſent exaratæ. Internuncius Britannicus ex familiaribus ſuis non neminem die craſtino

craſtini Londinum ablegaturus dicitur, ut pacta fœderis ad Regem perferat inter gentem utramque nuper percuſſi.

Ipſum fœdus quo præcipuè ſpectet, indagare necdum licuit. Niſi quòd merci ultrò citròque devehendæ id potiſſimùm dari, nihilque fœderatis Belgis detrimenti inde ſubverendum eſſe, aut incommodi, à miniſtris Regiis aſſeverarur. Gallos hoc bello Fœderatis Belgis manu armatâ propediem adfuturos eſſe, multi opinantur; aliorum ſtudia in contrariam ſententiam eunt, dum hanc procraſtinationem in gente indolis haudquaquam cunctabundæ habent ſuſpectam. Mihi verò prudentiſſimum videtur quid agites diſſimulare, dum iis omnibus commodùm proſpiciatur, per quæ formidabilem te præſtes ac metuendum inter illos qui pacatum nihil admittunt, & ad arma per libidinem ſummam temerarii ac effrenes concitantur. Quod acceperam ab Upſalienſibus Mathematicis, jam & Te accepiſſe ſpero. Lutetiæ diſſertationes nonnullas ejuſdem argumenti in publicum prodiiſſe fert rumor: ſed omnium diligentiam ac curam facilè vicerit unus Hevelius, qua eſt inſtructus Mathematum cognitione. Vale Vir Nobiliſſime, & me amare perge.

Non damnoſum Belgis Fœderatis.

Gallus auxilia Batavis, licet non è veſtigio miſerit, opportune tamen miſit.

Diſſimulare qui neſcit, neſcit regnare.

Prudentis eſt diſſimulare antequam cuncta neceſſaria paret.

Hamburgo Holmiam die 17. *Martii Greg.* 1665.

N. 9. *ad* 7.

ET Te nil literarum tabellario ad me perferendum aliquando tradere, vel paucis ſcribere, & meas tardius interdum ad Te perferri, haud miror. Novi enim quibus occupationibus diſtringantur illi, quibus publica auctoritas provinciam aliquam, præſertim tàm illuſtrem & gravem, qualis Tua eſt, demandat; tùm quàm incommoda ſint hac anni tempeſtate itinera. Verumtamen cum ſemel atque iterum meæ ad Te tardius perveniant, & binæ ſimul Tibi reddantur, eſt quod doleam, hanc iniquitatem hinc accidere. Meas quidem magiſtris tabellariorum de meliore nota commendare ſoleo. Sed illud hominum genus, vel miniſtri eorum non ſemper operam ſuam votis noſtris commodant. Ita patienter nobis ferendum eſt, quicquid ſors vel potius libido eorum nobis impoſuerit. Hoc ut evitari poſſit, omnem adhibebo induſtriam, ne gratiam novitatis literæ meæ amittant. De epiſtola manuque Forneliana debitas Tibi ago gratias. Eſt enim hoc non leve Tuæ erga me benevolentiæ documentum. Hoc autem cum tot aliis accedat, ſedulò danda mihi erit opera, ut mutuam officii vicem Tibi referam. Virum enim bonum, ut negligens vel etiam parcus ſit officii, dedecet. Ad hanc Fornelii doctam epiſtolam nihil nunc reſpondere poſſum, tùm tempore excluſus, tùm aliis occupationibus impeditus. Meretur verò argumentum hoc cum aliqua cura tractari, quam omnem anguſtia temporis in præſentia mihi denegat. Spero me id proximè, favente Deo, facturum, & tùm rationibus, tùm auctoritate Hevelii, Bullialdi aliorumque Mathematicorum Clariſſimorum, non obſtante illâ motûs nuperi Cometæ inæqualitate, Upſalienſibus perſuaſurum, nobis unum tantùm Cometam fuiſſe viſum. Illa Rudbeckiana, quorum Tibi Schefferianæ literæ ſpem injecerunt, dubio procul erunt curioſa & ſingularia. Dabis itaque operam, ut ea quamprimùm videre nobis contingat. Id verò eò ſolicitior ages, quòd nonnulli Amici ſuadere incipiant, ut quæ de Cometico argumento ad me hinc inde perſcribuntur, aliquando luci committenda colligam. Qua de re judicium Tuum exſpectabo. Res patriæ meæ in dies magis magiſque, proh dolor! exacerbantur, & ſingulari divinâ ope indigere incipiunt, orto diſſidio civili ſatis periculoſo. Quò populares mei nuperi Cometæ conſpectu officii admoneantur, & ad reſtituendam ut æquam more antiquo libertatem, ſic ſolidam Reipublicæ quietem, omnia ſtudia convertant ex animo precor. Sed & Tuæ patriæ, quam externi belli gravis tempeſtas appetit, pacem florentiſſimam voveo. Vale, Vir Nobiliſſime! & de meo conſtanti affectu certus favere mihi perge.

Publico officio fungentes amicis ſæpè vacare non poſſunt, ſi vel maximè velint.

Novitas grata.

Gratiam praeſtam & debitam refer amico.

Officioſus in amicum eſto.

Auctor Heinſio propoſitum de hoc opere edendo aperit.

Æquitate pax reſtituitur & conſervatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 10.
ad 7. & 8.

Hamburgo Holmiam die 24. *Martii Iuliani* 1665.

Auctor de componendo hoc opere cum amicis confert.

Deliberandum diu quod ſtatuendum ſemel.

IN componendo opere meo Cometico, cujus ratio Tibi ex meis ſuperioribus conſtat, ut aliorum Virorum Præſtantiſſimorum, mihique tùm meritorum laude, tùm amicitiæ jure plurimùm obſervandorum, ita cumprimis in Mathematicis diſciplinis exercitatiſſimorum, conſilium & judicium mihi exſpectandum eſt. Manet quippe altâ mente illud, quod non tantùm Pythagorica Schola, ſed & totus Sapientum Senatus venerandus, cuivis opus aliquod, præcipuè verò tàm arduum, quale hoc eſt, aggredienti inculcat:

Βουλεύου δ' πρὸ ἔργου - - -

(Conſulta ante opus)

Bullialdi. amicitiæ & eruditioni ſingulari multum Auctor debet.

Invidere alienis meritis, magnis licet, noli.

& quæ noſti cætera. Fateor tamen tàm lubens, quàm meritò, me Clariſſimi Bullialdi, ſingulari, non tantùm eruditioni rerumque Mathematicarum ſolidæ & interiori ſcientiæ, ſed & amicitiæ, cujus mihi à pluribus annis uſus manet, plurimùm hîc tribuere. Et Ampliſſimum quidem Hevelium, ob indefeſſam induſtriam, inſtrumentorum accuratiſſimorum præſtantiam, tùm & eximiam rerum cæleſtium peritiam, Tecum cumque omnibus literatis debito cultu & ſtudio proſequor. Sed ab eo nihil ſingulare exſpecto. Nam ipſe in ſimili argumento occupatus, mihi non valet, nec fortè volet, vacare. Quamquam nunquam animum meum hæc ſubiit cogitatio, ut vel minimùm luminibus Hevelii, Viri in Reipublicæ literariæ Senatu Illuſtriſſimi, obſtem, vel ejus, qui tantis meritis clarus exiſtit &

Ἄφθιτον ἀνθρώποις αἰὲν ἔχων ὄνομα

(Immortale hominibus ſemper habens nomen)

Temeritatem omnem cave.

Pindaro inimitabili comparatur Hevelius.

gloriæ invideam. Hoc enim extremæ, fateor, temeritatis foret: quam à me procul ſemper, ſed & minimam quamque, propitium velit eſſe numen! Idem ego, quod olim Horatius de inimitabili Pindaricæ facundiæ torrente proferre non dubitavit, dicere de ſingulari Hevelianæ induſtriæ ſublimitate non vereor, Icariam ſcilicet culpam audacem commiſſurum, qui utrumque æmulari ſtuduerit. Utinam verò ad exemplum Horatii

- - - ego apis Matinæ
More modoquè,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circà nemus uvidique
Tiburis ripas, operoſa parvus.

Bullialdi conſummata eruditio laudatur.

Sapientem, etſi longè remotum, adi.

non ſola Phyſica, præcipuè Mathematica, in quibus & Clariſſimi Mathematici Magno Hevelio aſſurgunt & palmam tribuunt; ſed & Politica, Hiſtorica & Ethica ſimul, undique in publicum utilia, tùm mea pangam, tùm aliena componam? Cæterum Bullialdus, omni eruditionis genere Excellentiſſimus, eo mihi loco habendus eſt, ut vel ultrà inacceſſa Alpium Pyrenæique juga & vaſta maria ac terras alio Sole calentes, adeundus & conſulendus mihi ſit, & mihi dictum, illud Cyrno à Theognide, putem:

Ἀλλὰ μετ' ἐσθλὸν ἰὼν βουλεύου πολλὰ μογήσας
Καὶ μακρὴν ποσσὶν Κύρν' ὁδὸν ἐκτελέσας.

(Sed ad probum profectus, conſulta multum laborans,
Et longum pedibus, Cyrna, iter peragens.)

Laudare præſentem amicum verecundia ejus non ſinit.

Nam neilli in os panegyricum, quantumvis meritum debitumque, dicere cogar, apud Te hîc Virum illum de Republica literaria meque optimè meritum, & utriuſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

que noſtrûm communem Amicum, affari liceat. Te qui Græciam & Orientem non pedibus tantùm, ſed & animo feliciter peragraſti, & inde, ut & undique gentium lætam bonæ mentis frugem retuliſti, grata celebrabit poſteritas, Te dico, Vir Doctiſſime! poſt ſuprema (utinam ſera!) funera quoquè

Bullialdus apud Heinſium Auctor, compellat.

> Καθ' Ἑλλάδα γῆν στρωφώμενος, ἠδ' ἀνὰ νήσους
> Ἰχθυόεντα περῶν πόντον ἐπ' ἀτρύγετον.
> Οὐχ ἵππων νώτοισιν ἐφήμενος, ἀλλά σε πέμψει
> Ἀγλαὰ Μουσάων δῶρα ἰοστεφάνων.
> Πᾶσι γὰρ οἷσι μέμηλε καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή,
> Ἔσσῃ ὁμῶς, ὄφρ' ἂν γῆ τε καὶ ἠέλιος.

> (Per Græcam terram verſans & per inſulas
> Piſcoſum tranſiens mare ſterile;
> Non equorum tergis inſidens, ſed te mittent
> Splendida Muſarum dona violis coronatarum.
> Omnibus enim quibus curæ eſt etiam poſteris carmen,
> Eris unà, donec terra & Sol erunt.)

Sed ne cupiam hìc quoque videar modeſtiæ & verecundiæ fines (quos ab omni adulatione & invidia remotos, ſalvâ veritate, cuſtodire difficillimum eſt) tranſiviſſe, vel ſaltem tranſire velle, non amplius laudes hìc congeram in Virum ex omni laudum genere compoſitum. Illud autem dico, me non ſine tædio præſtolari graviſſimum ejus de ſententia & objectione Clariſſimi Fornelii, de motûs nuperi Cometæ maxima inæqualitate, ad probandum duos fuiſſe diſtinctos Cometas, judicium. Interim quæ in hanc rem ipſe meditatus ſum, ad Te pro jure amicitiæ perſcribere placuit. Id verò tantò alacriùs facio, quantò plura in hanc rem & à variis Viris doctis per hunc & præteritum tabellarium accepi, & in lectione Doctiſſimi Riccioli Jeſuitæ Bononienſis didici. Ex eo quod nuperus Cometa curſum inæqualem in proprio circulo tenuerit, (ita ut cum initiò 5. diebus 10. gradus tantùm peregerit, à die ſcilicet 8. 18. ad diem 12. 22. Decembris, dehinc ad diem 21. 31. ejuſdem menſis pluſquam 100. gradus percurrerit, inſolenti prorſus & inauditâ curſûs viâ) colligit Clariſſimus Fornelius Profeſſoreſque, ut innuis, alii Academiæ Upſalienſis, non fuiſſe unum Cometam, ſed duos potiùs diſtinctos. Non meum quidem eſt de his judicare, cum ubique artifici in ſua arte credendum ſit. Verumtamen vel diſcendi cauſſâ integrum, ut puto, mihi erit quædam hìc in medium adferre. Dubitari poſſet an firmo ſtet talo illa collectio: hoc vel illud eſſe inſolens prorſus & inauditum, ideo & impoſſibile. Nam non pauca in cælo nova prorſùs & inaudita inviſaque (quod vel incomparabilis Hevelii docet diligentia) conſpici, tum nec omnia omnibus ubique, nec æquè obſervari poſſe autumo. Quod autem ad rationes 100. ampliùs graduum attinet, ſicut Vir Clariſſimus putat eaſdem, animadverto non levem in his Virorum cæleſtia hic tractantium diſcrepantiam, altero diſtantiam Cometæ à die 12. 22. ad 21. 31. Decembris 82. gradibus tantùm, altero 100. gradibus circiter terminante. Quâ de re meritò à magiſtris artis edoceri cupio, qui nec organa, nec exactam talium peritiam habeo. Porrò quod ad illam motûs Cometici inæqualitatem attinet, rem eſſe obſervatu difficilem tùm loci, tùm oculorum nudorum armatorumque reſpectu, perſpicio. Tycho Brahe (quem Aſtronomorum Phœnicem hi, Principem illi dixêre, lumen certè Daniæ inſigne fuiſſe res ipſa dicit docetque) fatetur ſub decurſum Anni 1577. Cometam ſe obſervaſſe, qui ob motûs proprii inæqualitatem perplexiores labyrinthos parallaxeos inveſtigandæ ſibi objecerit. Proœm. Tom. 2. Idem tàm illuſtri exemplo, rem hanc quandoque arduam eſſe, demonſtrat, dum ſe obſervationibus & judicio Joannis Prætorii, celeberrimi apud Norinbergenſes Mathematici opponit. Is enim in ſua de Cometis narratione, quædam de Cometæ illius 1577. anni motu proprio huc ſpectantia ſcribit, ex quibus non-

Modeſtiam ſtudioſè tene. Adulationem cave. Invidiam fuge. Virtutis medium tene iter.

Fornelio Auctor apud Heinſium reſpondet.

Ricciolus Jeſuita commendatur.

Artifici in ſua arte crede.

Inſolita & inaudita non ſunt pro impoſſibilibus ducenda.

Cometæ à die 12. ad 31. Decembris diverſa à diverſis diſtantia aſſignatur.

Cometici motus inæqualis examen difficile.

Cometæ 1577. motus inæqualis obſervatu difficilis.

Prætorio ſe opponit Tycho.

 nulla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nulla excerpo & hîc pono: *Cometa ſecundùm longitudinem die 13. Novembris conſpiciebatur in medio Capricorni, cum latitudine Septentrionali 15. graduum. Motus qui præter diurnum ipſi fuit, directus non fuit. Nam cum infrà Æquinoctialem ex parte Meridionali propè viam Lacteam primùm apparuiſſet, poſtmodum non rectâ viâ circiter die 19. Novembris Æquinoctialem tranſcendens (in ea parte ubi 294. aſcenſionis aſſignari ſolet) & lucidam ſtellam Aquilæ, quaſi 4. grad. intervallo relinquens, accedebat ad caudam Delphini, & ſe extremis illis ſtellis caudæ Delphini commiſcuit, circa diei ejuſdem menſis 29. eo etiam tempore velocior ſuo curſu videbatur, & uno quaſi gradu, aut parùm plus uno die progrediebatur.* Reliqua exſcribere non placet, ne Tibi, ſeriis præſertim diſtento, ſim moleſtus. Verbo: Prætorius demonſtrat illum Cometam vago & inæquali motu circumiviſſe. Novi à Mathematicis dici & demonſtrari, motum Cometæ quandoque eſſe tardiorem initiò, in medio concitatiorem, in fine iterum tardiorem.

Cometa motus quandoque initio tardior, in medio velocior, in fine iterum tardior.

Magnus tamen Tycho obſervavit Anno 1590. Cometam, *qui quidem à die primo obſervationis ad ſecundum, gradus ferè 8. abſolverit, ſed poſtea tardior, in fine tardiſſimus extiterit, vix gradum unum cum dimidio perficiens. Ita & †Anno 1607. Cometa conſpectus eſt, cujus motus ab initio fuerit celerrimus, poſtea verò decreverit proportionaliter cum magnitudine, ut teſtatur Celeberrimus Longomontanus in append. ad Aſtronom. Danicam.

** Cometa 1590. initio velocior, in medio tardior, in fine tardiſſimus,*

†Pariter ille 1607.

Nec illum præteribo Cometam Anni 1585. in quo Clariſſimus Fornelius inæqualem, & quidem novem quoquè dierum ſpeciatim motum conſiderabit, ut quid deinceps de novendiali nuperi Cometæ motu ſtatuere debeat, conſideret. De hoc ita Ricciolus, cujus profectò diligentiæ plurimùm in re Mathematica debetur: *Primâ nocte, qua Tychoni obſervatus fuit, quinis aut paulò plus gradibus prætergreſſus ad Ortum erat Saturnum retrogradum juxtà Linum Piſcium: aliis verò noctibus tranſivit per totum Arietis aſtrum, & relicto Tauri dorſo ad Meridiem, ipſe verſùs Septentrionem flectens non longè à Plejadum aſteriſmo extinctus eſt, majorem illis latitudinem ſed minorem longitudinem aſſecutus. Jam verò ex ſelectis dierum 9. obſervationibus (aliis noctibus aut nubila aut Lunæ fulgores obſtiterunt) collegit Cometem hunc ſuo proprio ductu deſcripſiſſe arcum circuli maximi, qui tamen ad Æquatorem & ad Eclipticam variabilem inclinationis angulum habuerit: & ab initio velociorem, poſtea tardiorem, proportionali tamen decremento, fuiſſe.* Almag. Novi part. poſt. T. 1. de Comet. c. 3. p. 13.

Cometa 1585 novem diebus in proprio circulo arcum circuli maximi deſcripſiſſe obſervatus, initio velocior, poſtea tardior.

Idem pag. 8. refert ex Pontani in Centiloqu. Ptolem. aphor. 100. * *Cometam Anno 1457. ab Ortu in Septentrionem deflectentem, nunc citato motu, nunc remiſſo tandem in Occaſum iter flexiſſe, tantâ celeritate, ut die uno ad 30. gradus emenſus ſit, atque ubi ad Arietem ac Taurum pervenit, videri deſiiſſe.* Ibid. ex Fracaſtorii l.3. Homocentr. c. 23. tradit Anno 1472. (non 1475.) † *Cometam barbatum ex Auſtrali evaſiſſe Borealem,* quod ad nuperum Cometam meritò refero. De illo Regiomontanus, referente ibid. Ricciolo teſtatur, *viſum quoquè fuiſſe in Libra cum ſtella Virginis, cujus caput tardi fuerit motûs, ‡poſtea autem die uno naturali portionem circuli magni graduum 40. deſcripſerit, & cum eſſet in medio Cancri maximè diſtiterit ab orbe ſignorum 67. gradibus, & tunc inter duos polos Zodiaci & Æquinoctialis iverit, poſtea valdè re-miſſo motu propinquaverit Zodiaco, tranſiens ipſum juxtà medium Arietis, donec eum ſtellis Ceti occaſus heliacus illum occultarit ultimis diebus Februarii. Hoc motu* (inquit Re-giomontanus) *ſuo proprio circuli magni proportionem deſcripſit, quo in Septentrionem contra ſignorum ſucceſſionem ferebatur à Libra in Arietem. In fine & principio tardè movebatur: in medio velociſſimè, uno die per 4. ſigna à fine Virginis in principium uſ-que Geminorum.*

** Cometa 1457. initio celer, in medio tardus, in fine celerrimus, uno die 30. grad. percurrit.*

† Cometa 1472. ex Auſtrali factus Borealis,

‡ Uno die 40. grad. peregit,

Et mox: *In prima emerſione ad Occidentem protendebat caudam, quoniam illic ſtellæ Geminorum (has ſcilicet continuò tunc reſpiciebat) erant: in fine verò Cometa ſub Ariete locato propter Solis vicinitatem, nonniſi in Occidente apparuit, caudâ Orientem verſùs protenſâ, quia in hoc ſitu ſtellæ Geminorum ponebantur.* Et iterum: *Hæc caudæ diverſitas quoad ſitum, ex motu diuturno oriebatur, qui ſemper eſt ab Oriente in Occidentem. Motu autem proprio extremitas caudæ, quamvis tardiùs quam caput Cometæ, ſemper tamen etiam ad Occidentem contra ſignorum ſucceſſ.*

Continuò caudam ad ſtellas Geminorum dirigit.

deſcribens

deſcribens parallelum à principio Libræ uſque ad medium Tauri movebatur: vadens ſub pedibus ululantis per Urſam Majorem propinquando Perſeo, per quem circà Plejades ad caudam Arietis ibat, ferè in medio Tauri &c. Diutiùs hîc immorari me fecit ſitus & motus Cometarum cum noſtro nupero conveniens. Cæterùm hoc addendum mihi eſt, non rarò eundem Cometam manè & veſpere conſpici. Anno etenim 1530. Cometa manè ante Solis ortum conſpectus, & interjectis aliquot diebus videbatur veſperi poſt occaſum Solis. Peragravit autem tunc Cancrum, Leonem, Virginem & Libram, ut teſtatur Cardanus. Appianus autem tradit 1531. menſe Auguſto. Cometam initiò manè fuiſſe viſum, dehinc poſt occaſum Solis: poſtea occidiſſe heliacè, & iterum ſe conſpiciendum præbuiſſe veſperi, ita ut communiter creditum fuerit duos diſtinctos apparuiſſe Cometas. Eod. Anno die 8. & 9. Septembris Fracaſtorius, ſicut ipſe refert, vidit Cometam mane Tropico æſtivo valdè Borealiorem, circa diem vero 13. ejuſdem menſis veſpertinum factum eſſe, & circa Tropicum æſtivum emerſiſſe obſervavit. Iterum Anno 1532. conſpectus Cometa, qui priùs Auſtralis fuerit, poſtea flexerit in Boream, & cum ab illo Apiano à die 25. Septembr. manè viſus fuerit, exeunte Octobre poſt occaſum Solis apparuerit. Motus porrò ejus tardus fuiſſe ſcribitur, cum nec unum gradum per diem peregerit Fracaſt. l. citato. Cardanus prodit Cometam viſum Anno 1556. intra quatriduum grad. 75. abſolviſſe ab Ortu in Occaſum, & 30. ab Auſtro in Boream. Hic autem Cometa tàm manè quàm veſperi conſpici poterat. Idem de Cometis Anni 1580. & 1582. ſcribit Ricciolus. Denique quod ad judicia aliorum Mathematicorum attinet, his quoquè diebus literas accepi à Clariſſimis Viris Chriſtiano Buſmanno, Phil. & Med. Doct. ac Phyſ. Hannover. tùm à M. Joanne Büthnero Profeſſ. Matheſeos Gedanen. nec non à Veſtro Abrahamo de Grau Phil. D. & Profeſſ. Matheſeos Franeker. Qui aſſerunt unicum nos nuper vidiſſe Cometam, idque obſervationibus ſuis ad me miſſis docent. Hæc Tu, Vir Nobiliſſime & Humaniſſime! feſtinante calamo in chartam conjecta, urgente ſcilicet temporis anguſtiâ, pro amicitiæ jure boni ac æqui conſules. Velim Eadem cum Clariſſimis Viris Profeſſoribus Upſalienſibus, ad eliciendam eorum ſententiam, ejuſque ulteriorem confirmationem, & adjectis Obſervationibus, notatoque accuratè loco & configuratione ſtellarum demonſtrationem (hæc enim deſideramus exſpectamuſque) communices. Vale, feliciter age, & me, quod facis, amare perge, optimè de meæ amicitiæ integra fide perſuaſus, cujus haud leve argumentum præbet dolor ille imis infixus medullis ex difficultate belli inter Vos & Britannos orti, quam poſtremæ Tuæ graviter deſcripſerunt. Iterum Vale.

Cometæ nuperi ſitus & motus cum illo Regiomontani 1472. egregiè convenit.

Cometa unus manè & veſperi conſpicitur.

Cometa 1532 uno die unum gradum non paragravit.

Cometa 1556 diebus 4. gradus 75. confecit, mane & veſperi lucens.

Cometam unum nos hyeme vidiſſe aliquot Viri docti docent.

Upſalienſium induſtriam Auctor provocat.

Dole de malis proximi.

Holmiâ Hamburgum Kalendis Aprilis Gregor. 1665.

N. 9. ad 9.

POſtremâ compellatione apud Te defunctus ante dies hoſce quatuordecim, cum exercitus ac fatigatus exarandis ad complures amicos litteris ſub noctem cubitum me recepiſſem, ac laſſitudini altiùs, ut fit, indormiviſſem, experrectus haud multò poſt cum febre negotium mihi eſſe ſenſi. Quæ etſi nunc remiſit utcunque ac moleſta eſſe deſiit, vires tamen ſic attenuavit dejecitquè, ut omnis animi contentio, labor omnis ſit habendus procul, ni periculum ſubire recidivæ velim. Indulgebis igitur mihi abruptam hâc vice ſcriptionem, cùm nec argumentum magnæ rei ſit in promtu, & ſi eſſet, tamen vix liceret verboſæ confabulationi me permittere. Nudius ſextus rebus prolatis ob imminentes dies feſtos initium à Senatu Regni factum eſt: dimiſſo ante in Ruſſiam Liliendalio Secretario, neſcio quid publici negotii illic peracturo, dum ſplendida interim Legatio ex illis oris hîc exſpectatur. Orator Gallicus Terlonius, poſt longam procraſtinationem, hodierno demùm die ex hac aula Daniam verſus iter relegit. Ex poſterioribus tuis nudius tertius ad me perlatis in eo eſſe te video, ut varias Mathematicorum de nupero Cometa ſententias in unum colligas, ac luce publicâ dones.

Somnus exantlatos labores profundior ſequi ſolet.

Morbus omni animi & corporis contentione abſtinere jubet.

Sueci Liliendalium in Moſcoviam ablegant.

Terlonius Orator Gallicus ex Suecia in Daniam remeat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nes. Quod ego inſtitutum non poſſum non vehementer approbare ac fovere:
ſcripturus perendie ad amicos Upſalienſes, ac flagitaturus, ne tibi hîc deſint.
Ego ad hanc operam nil conferre ſtudii poſſum, qui rerum Mathematicarum
aut nullam omnino, aut tenuem admodum cognitionem ſum adeptus. Noli igi-
tur noctuam Athanas evocare, Vale, Vir Nobiliſſime! & me in tuis habere
perge.

N. 11.
ad 9.

Hamburgo Holmiam Kalend. Aprilis Iuliani 1665.

Dole morbum amici.

TAbellarios jam propitio currente vere commodius ultrò citroque commea-
re, & certius citiuſque noſtras deferre literas, eſt quod nobis mutuò gra-
tulemur. Poſtremæ Tuæ Kalend. Gregorianis hujus menſis datæ, non levem æ-
gritudinem mihi, quia nuncium de quadam Tua ægritudine ex febre orta, at-
tulerunt. Ego enim Te quàm longiſſimè & quàm optimè valere, nec non quàm
proſperrimè agere, cupio & opto. *Ægritudinem iſtam exturba ex animo meo*, ut
cum Comico loquar, ac Te melius habere, quamprimùm perſcribe. Rectè facis,
quòd non ſolùm tentatis, ſed & debilitatis viribus omni labore, & tàm animi,
quàm corporis contentione tantiſper abſtineas, dum hæ inſtaurentur. Nam ut
abſtinentiâ & quiete difficiles quoque morbos curari, ita utraque neglectâ faci-
les alioquin exacerbari, & cum recidivis febribus luctari periculoſum eſſe, jam
olim experientiâ compertum eſt. Ac proinde da Te paullùm quieti, ut Te mox
tantò tutius laboribus dedas. Et vetus Sapientia docet curare, ut quod libenter
facias diu facere poſſis. Nimiis & aſſiduis laboribus franguntur ad ultimum cor-
poris animique vires, alternâ requie ſubindè reſtaurandæ. Sueci, quantum ta-
lia cognoſcere, præſertim homini privato datur, iniquo animo ferunt pacis con-
ventæ leges à Moſcica gente, fluxæ certè fidei, & verè Græcæ, non impleri.
Eques Terlonius quâ pollet in rebus gerendis mira dexteritate, pacem inter Da-
nos & Suecos initam ultrò citroquè commeans firmabit, ut ſpero, ſed & opto.
Sed his relictis, ad mea venio. Non diffiteor animum inclinare, ut Amicis ali-
quando in his, quæ de Cometis colligo, edendis obediam & gratificer. De
Cometis, dico, qui nuper ſententiam de uno Cometa hyemali amplexus ſum
& aſſerui; nam ecce novum Cometam, quem prima lux Paſchalis hìc illìc pro-
didit. De quo his habes adjuncta, quæ heri à Clariſſimo Hevelio abhinc octo die-
bus ſcripta accepi. Gratiſſima hæc proculdubio erunt Amicis Tuis Upſalienſi-
bus, utpote à Viro maximi in re Aſtronomica nominis profecta. Quorum Tu
induſtriam hôc quoquè calcari admoto, ut promiſſa quamprimùm mittant, in-
citabis. Ego plura ab Amicis de hoc phœnomeno in dies exſpecto: quæ Te
non latebunt. Vale, Vir Nobiliſſime! age proſperè, ac mihi conſtantem bene-
volentiæ conſerva affectum.

Valetudinem tuam cura diligenter. Cic. *Morbi magni abſtinentia & quiete curantur.*

Sueci ægre ferunt ſibi à Moſco non ſatiſfieri. Moſcica gens malè fida. Pacem inter Danos & Suecos firmari Auctor optat. Cometa vernus.

Hevelius laudatur, de Cometa in Pegaſo Auctorem certiorem reddit.

N. 10.
ad 10.

Holmiâ Hamburgum die 5. *April Iuliani* 1665.

COnflictati aliquandiu cum magnâ ſolitudine ob abſentiam Procerum, nunc
in eo ſumus, ut de die in diem Senatum Regni hujus ad intermiſſa mu-
nia rediturum opperiamur. Illuſtriſſimus certè Cancellarius ex villa ſuburbana
nudius quintùs in civitatem eſt reverſus, quamquam minùs confirmatâ valetu-
dine, ac proinde medicorum præſcriptis ſe permiſſurus. Idem ruri propoſitum
fovebat, ſed ob continuas amicorum interpellationes opportunius omninò vi-
ſum eſt valetudinem in urbe curare, ubi ſalutantes non admitti minus ruſticum
habetur, præſertim ſi ob cauſſas ſonticas id fit, quas inter cura valetudinis lo-
cum ſibi principem ut ſcis, ſolet vindicare. Orator Gallicus Terlonius, qui
proximè hinc diſceſſit, jam in Aulam Danicam advenerit oportet, etſi pro-
perantem moratæ ſunt haud dubiè viæ, ſub hanc anni tempeſtatem cœno ut
plurimùm obſeſſæ, nec iter facientibus ſatis commodæ aut opportunæ. Proximis
dicbus

Cancellarius Sueciæ curandæ valetudinis cauſſa Holmiam redit.

Urbs curandæ valetudini rure commodior ob importunitatem ſalutantium.

Valetudinis cura cauſſa maxime ſontica.

diebus novum hîc terrarum Cometam apparuiſſe nuncio. De quo Clar. Schefferus Upſaliâ ſic ad me literis prid. Kal. April. exaratis: *Quæ de Cometa perſcripſiſti, Rudbeckio legenda dedi. Reſpondit ſibi quoque jam compertum eſſe, unum fuiſſe, non duos. Pleraque, quæ edere parata habebat, tradidiſſe igni, ob cauſas, quas coram referam ſuo tempore. Velle tamen in tuam gratiam nonnulla, quæ repetere memoriâ poſſit, conſignare denuo, ac ad te mittere. Id ſimul hac ipſa indicavit horâ,* * *ſe eum quibuſdam aliis hodie manè alium obſervaſſe Cometam benè magnum verſus Orientem, quem, oravit, ut & tu conſideres, quidquè de eo obſervarint alii, in poſterum ſignifices.* Hæc ille. De Cometa nupero quæ Tu congeſſiſti, in lucem emiſſa aveo quamprimùm videre. Vides enim ab Upſalienſibus fruſtrà id exſpectari. Tu Vale, Vir Nobiliſſime, & me ama conſtanter

Rudbeckius tandem unum Cometam hyemalem agnoſcit.

Quæ de Cometis commentatus erat, comburit, gratia tamen Heinſii quædam conſcribere parat.

**Cometa vernus Upſaliæ obſervatus.*

Hamburgo Holmiam die $\frac{15}{25}$. Aprilis 1665.

N. 12.
ad 10.

MOrbum Tuum, qui jam tunc inclinaverat, abiiſſe, & valetudinem Tuam meliori nunc eſſe loco, & ex ſilentio morbi, & ex liberaliori ſcriptione certò conjicio. Quapropter in ſinu meo gaudeo. Sed, ut ſunt humana miſta, doleo ſimul de morbo Illuſtriſſimi Regni Cancellarii. Virum enim illum re & nomine Magnum in Pomerania & Boruſſia gratioſum expertus ſum Patronum. Ita ut undique multum Viro illi Excellentiſſimo debeam. Probo conſilium, quòd curandæ valetudinis cauſſâ in urbem redierit, Certum enim eſt ruri faciliorem omnibus patere acceſſum, & ſi quis ibi ſecuſſum conſtituere velit, quàm in urbe, ubi excuſatio adverſæ valetudinis magis propitia hominum judicia experitur. Si quando apud Virum illum Magnum mentionem mei faciendi commodum tempus Tibi ſe obtulerit, velim ſignifices ei quanti eum faciam, & quàm benè ipſi cupiam. Noſti enim ejuſmodi Virorum favore & patrocinio ſemper opus eſſe, homini præſertim, ut ego ſum, gravi fortunâ preſſo. Cum verò, Te quoque ſubinde hortante opus haud exiguum moliar, tantò magis mihi benevolentia talium Præſtantium Virorum bonis artibus eſt concilianda. Cometam novum in Pegaſo & nobis in his terris lucere, nuper Tibi nunciavi. *Libenter audio Clar. Rudbeckium nobis de uno Cometa priori aſſenſiſſe: nec non illa quæ igni devoranda objecerat, in memoriam revocare, & Tuâ gratiâ denuò in chartam conjicere velle. Addent illi ſtimulum & hæc, quæ ad Te de hoc argumento identidem mitto. Tu, Optime Heinſi, qui mihi inſtas, ut inſtem operi adfecto, inſta & Viris illis Clariſſimis, ut Tua noſtrûmque omniùm vota impleantur, optimis ſtudiis non nobis tantùm, ſed omnibus bonis, & publico conjunctus. Sed manum de tabula. Tempus enim finire & obſignare epiſtolam jubet, & vix patitur adjici notum illud Vale, niſi cætera tardent & proximum tabellarium exſpectare neceſſe habeant.

Gratulare meliorem valetudinem amico.

Cancellarii Suecici dotes & beneficia Auctor prædicat.

Cancellario Suecico Auctor per Heinſium memoriam ſui renovat.

Patroni præſtantes homini in re tenui & afflicta fortuna quærendi.

**Studiis doctorum Virorum fave.*]

Holmiâ Hamburgum die $\frac{12}{22}$. Aprilis 1665.

N. 11.
ad 11.

LUculentam abs Te epiſtolam, ac rerum Mathematicarum fruge plurimâ refertam, proximis diebus accepi, quam iterum iterumque perlectam ad Clariſſimum Schefferum Ubſaliam confeſtim miſi, additis precibus, ut quicquid ſubſidii ab artium liberalium Profeſſoribus, quorum illa in civitate eſt haud contemnenda copia, impetrari poſſit, ad id argumentum uberius illuſtrandum, ejus poteſtatem uti mihi quamprimùm faciat. Nec virum, cætera haudquaquam difficilem aut inhumanum, huic meæ petitioni refragaturum opinor. Tibi interim grates maximas ago, qui ſpecimen eximium eruditionis tuæ ad me hominem, ut literarum admodùm amantem, ſic literis tenuiter inſtructum volueris pervenire: operamque quantam poſſum conferre, dabo, ne te tàm profuſæ benignitatis unquam pœniteat. Novum ab amicis Upſalienſibus Cometam obſervari cæptum eſſe ſignificabam proximè. Poſtea is ipſe & mihi quoque & aliis in

Heinſius rationes Auctoris pro uno Cometa brumali cum Upſalienſibus communicat.

Heinſii modeſtia.

Erga Auctorem benevolentia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

De Cometa verno ſententia.

hac civitate compluribus eſt conſpectus. Qui quanquam formâ alteri illi parùm reſpondet, tamen ab eo diverſum ſtatuere vix auſim. Nam quod Vir nonnemo primarius, ex Procerum Svecorum numero, heſterno die in familiari colloquio volebat mihi perſuaſum duos planè diverſos eodem nunc comparere tempore, idque ex hominibus fide digniſſimis ſe accepiſſe addebat, nemini, niſi mihimet ipſi, & quidem teſti oculato, ſum crediturus. Ante diſceſſum proximi tabellarii auguror fore, ut plura hujus argumenti nobis ſint in promtu, quæ Tecum communicare poſſimus. Quamquam quod & aliàs monuiſſe me recordor, magis magiſque de die in diem deprehendo deeſſe hîc terrarum ſufficientem tuborum opticorum, atque id genus apparatûs Mathematici copiam, quorum operâ exactè erudiri in cæleſtium rerum obſervatione poſſimus. Vale.

Cometa vernus geminus fuiſſe à quibuſdam putatur.

Aſtronomica ſtudia ſine neceſſariis inſtrumentis ritè procedere non poſſunt.

N. 13. ad 11.

Hamburgo Holmiam die 22. *April. Iuliani* 1665.

Eruditioni convenit modeſtia.

Heinſius cum Rautenſteinio aliiſque amicis conatibus Auctoris ſingulari ratione favent.

** Laudes aliorum inter monita ad profectum virtutis ducito.*

AD priores Tuas die $\frac{5}{15}$ Aprilis datas, antè octiduum breviter Tibi, ut tunc res ferebat, reſpondi. Nec reſpondeo ad iſtas, quas hoc ipſo momento accepi, die 12. 22. Aprilis exaratas. In quibus eximiæ Tuæ eruditionis, (quamvis hanc modeſtia extenuet) ideò & modeſtiæ & ergà me benevolentiæ lego veſtigia, in exempli imitationem expreſſa, & abs Te propoſita. Tu de meis unà cum Illuſtriſſimo Rautenſteinio aliiſque Viris excellentibus, ex ſua magnitudine aliorum exilitatem metientibus, amicum & ex benevolentia profectum fers judicium. *Quod ego non aliter accipio, quàm ſinceri moniti vice, ut ſentiam admoveri mihi ab amica manu ſtimulum, quò talis fieri contendam, qualis jam eſſe pronuncior. Experimentum illud induſtriæ, bono publico dicatæ, & ſe in illo opere, quod molior, explicare volentis, quod utrique Veſtrûm, quamvis diverſum, miſeram, placere (ecce enim adjungo quæ dictus ille Amicus die 23. Aprilis ad me de hoc negotio ſcribit) non immeritò mihi gratulor. Judice enim prudentiâ & ſuffragante ipſâ modeſtiâ, cuique virtutis & ſapientiæ ſtudioſo opera danda eſt, ut iis placeat, quibus virtus & ſapientia placent, & ab iis laudetur, qui jam antè laude digni ob egregia merita ſunt pronunciati. Atque hoc ſolum non tantùm in illo opere, (in quo ipſa Politica, Ethica aliaque per quæ bonis placere, publicæ utilitatis reſpectu ſtudeo, eis ſolis diſplicebunt, quibus & virtutum ſtudia diſplicent) ſed in tota vita mea ago. Nempe ſum, memor illius Græcæ ſententiæ, quam me cum primis ferè literarum elementis didiciſſe memini; Τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν. Τοῖς σοφοῖς ἐστὶν ἀπαρέσκειν. (*Multis placere ſapientibus eſt diſplicere.*) Ut taceam neminem omnibus complacere poſſe, ſed, quod majus eſt, nec debere, ſalvâ ſcilicet illâ Philoſophiæ ſanæ, tùm verò & ſanctæ Chriſti diſciplinæ, quæ nil niſi adverſa in hoc mundo veritatis cauſſâ nobis admetitur, lege.

Place his quibus virtus placet.

Laudari à laudatis quære.

Auctor hîc rebus in vita utilibus placere cupit.

Placere multis diſplicere ſapientibus eſt.

Placere omnibus nemo poteſt, nec vir bonus & ſapiens debet.

Cometa vernus à brumali diverſus.

Cometæ plures ſimul viſi.

Cometa vernus à die 9. 19. April. Hamburgi non viſus.

Upſalienſis Academia Viris doctis abundat.

Ab Ampliſſimo & Clariſſimo Hevelio (quem nuperrimum Cometam in Pegaſo conſpectum alium prorſus eſſe ab illo, qui in Corvo & Lepore viſus fuerit, ſtatuere antehac ad Te perſcripſi) nihil ex eo literarum accepi. Sed has mihi brevi promittit quidam Amicorum in illa urbe degentium. Hevelianæ ſententiæ Clariſſimus Eraſmius Bartholinus calculum adjecit. Eadem eſt & aliorum Mathematicorum (non omnium tamen) ſententia. Duos ſimul diſtinctos Cometas videri nunc, nonniſi oculorum Tuorum judicio credere Te velle prudenter dicis. Viſi enim ſæpiùs duo pluresvè ſunt, quod noſti. Sed nunc duos diſtinctè obſervatos eſſe à quopiam Mathematico non comperi. Dum hæc ſcribo accipio ſchedulam ab egregiè docto Viro Juvene Henrico Syvero, quem inter amicos meos meritò numero, qui ad meam reſpondens ait, ſe à die $\frac{9}{19}$ Aprilis Cometam, qui tunc inter Deltoton & cornu Arietis dextrum fuerit, hîc non obſervaſſe, licet cum cælo ſereno, ut aliàs, ita & nudius tertius, inter ſidera quæſiverit. Tu, Vir Nobiliſſime & Amiciſſime! Ubſalienſes ſalutatos urgere perge. Facilè enim in illam ſententiam adduci poſſum, in illa celebri Academia multos Viros præclaros agere. Hoc nempe res ipſa docet, & Tu aliquando

quando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quando indicâſti: quin & toties Rudbeckium, Schefferum & Fornelium nominas. Quapropter egregium aliquod eruditionis eorum in re Mathematica, & induſtriæ, tùm & benevolentiæ in utrumque noſtrûm ſpecimen, & famæ eorum auctoramentum, meritò me exſpectare poſſe credo. Tu porrò Vir Nobiliſſime, huic cæpto, mihique ipſi, fave, & Vale quam feliciſſimè.

Upſaliâ Holmiam die 14. Aprilis Iuliani 1665.

Viro Nobiliſſimo & Ampliſſimo

D. NICOLAO HEINSIO

Fœderatorum Belgarum ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Regem Sueciæ Oratori Ordinario

JONAS FORNELIUS S. P. D.

VIdi, & magnâ cum animi delectatione perlegi, quæ de Cometa hujus anni egregiè diſſerit Eruditiſſimus Dominus Staniſlaus Lubienietzki de Lubieniek, nec ampliùs quæſtionem moveo an unus fuerit Cometa, vel bini diverſi. Cum obſervationibus eorum, quorum loci latitudo permiſit, eo tempore conſpicuum habere Cometam, quo nos fugiebat, ſatis ſit manifeſtum eundem fuiſſe unumque. Nec quiſpiam miretur, me unà cum aliis non paucis, difficulter in eam ſententiam iviſſe, quòd unus Cometa tanta motûs inæqualitate ferri poſſet: ex hiſtoriis Cometarum conſtat equidem, multò velociorem in quibuſdam Cometis motum fuiſſe obſervatum, tàm inæqualem non item. Et præter tantam motûs inæqualitatem, etiam obſervatus eſt noſter Cometa proprium motum perfectè circularem non habuiſſe, ſed per quoſdam anfractus iviſſe, quod circà finem apparitionis evidenter in eo obſervatum eſt. Diſcrepantia verò illa inter loca Cometæ ad diem $\frac{12}{22}$ & $\frac{21}{31}$ Decembris, quæ diſtantia à quibuſdam, ut refert Dominus Lubienietzki, 82.grad. ſolummodo fuiſſe perhibetur, à nobis verò circiter 100. eſt inventa, undenam ſit orta non facilè video, niſi quòd primùm conſpectus Cometa, & valdè parùm ſuprà Horizontem elevatus, per magnam refractionem, ut circà Horizontem fieri ſolet, multò altiori in loco nobis appareret, quàm reverà eſſet. Quam refractionem corrigere ob penuriam inſtrumentorum, ut in prioribus meis ad Nobiliſſimum Dominum literis dixi, non potui, atque ideò non exactam locorum illorum diſtantiam determinare. Certum tamen habeo, quòd major ſit illa diſtantia 82. gradibus; parallaxin verò & conſequenter diſtantiam ejus à terra ab aliis Mathematicis inſtrumentis inſtructis, nos, maximo cum deſiderio, exſpectamus. Ego verò meritò contriſtor, quòd ejuſmodi ſupellectili deſtitutus, Nobiliſſimo meo Domino Heinſio, ut & Doctiſſimo Domino Lubienietzki, pro voto inſervire par eſſe non valeam, animus tamen & voluntas nunquam deerit. Eſt præterea hiſce primis diebus Aprilis iterum à nobis viſus Cometa, quem, quantum fieri potuit obſervavimus, ad id adhibito parvulo quadrante Orichalceo. Longitudines & Latitudines ut hinc collectæ ſunt, ſeſe habent, ut ſequitur:

Fornelius ad epiſtolam Auctoris de uno Cometa brumali apud Heinſium reſpondet, & eandem ſententiam amplectitur.

Sententiam priorem excuſat, inſolita motus Cometici inæqualitate.

Cometa hyemalis motum habuit ſuum valdè inæqualem, nec perfectè circularem.

Fornelius meliores Cometæ obſervationes aliunde exſpectat, & ſe inſtrumentis idoneis deſtitutum eſſe, dolet.

Obſervatio Verni Cometæ habita Upſaliæ.

	Longitudo.			*Latitudo.*	
2. Aprilis	8°.	15'.	S.	22°.	59'.
3. Aprilis	12.	2.	S.	21.	54.
5. Aprilis	18.	12.	S.	19.	35.
6. Aprilis	22.	0.	S.	17.	40.
7. Aprilis	23.	40.	S.	16.	41.
8. Aprilis	24.	41.	S.	15.	26.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

talem ad quamlibet diem deprehendi Cometæ hujus ſitum, unà cum Viris & Profeſſoribus hujus Academiæ Clariſſimis, Domino Olao Rudbeck, & Domino Petro Fontelio. Num verò alius ſit, vel idem Cometa, haud facilè judicatu eſt. Alium habet colorem, & magis rutilem, motum etiam priori contrarium, videlicet ſecundùm ſeriem ſignorum, priòr verò contra ſeriem ſignorum progrediebatur, & niſi id ſolum obeſſet, quòd in eadem cæli parte apparere inceperit, quâ prior diſparuit, anfractum quendam faciens circa aſteriſmum Arietis, quaſi reverſurus & retrogreſſurus, exiſtimarem alium & diverſum eſſe hunc à priori. Hæc ſunt, quæ obiter Nobiliſſimo & Ampliſſimo Domino de Cometis hujus temporis ſcribere debui. Vale.

Upſalienſes an Cometa vernus idem ſit cum hyemali nec ne, dubitant,

Inclinant tamen in hanc ſententiam unum eſſe.

N. 12.
ad 12.

Holmiâ Hamburgum die 26. *Aprilis Iuliani* 1665.

Heinſius quæ ab Auctore habet, Upſalienſibus, quæ ab his, illi communicat,

PRoximæ meæ gratias agebant Tibi pro erudita & copioſa epiſtola, cui argumentum præbuiſſet Cometa ille, ſub exitum anni nuper elapſi exortus. Epiſtola ipſa amicis Upſalienſibus communicata per me fuit, ut ex hoc Jonæ Fornelii reſponſo licebit tibi cognoſcere: quod ad me revertatur rogo, ubi abs Te perlectum ac perpenſum erit. Moliente enim jam nunc diſceſſum tabellario, exemplar ejus ut in uſus tuos deſcriberetur integrum mihi vix fuit. Speraveram Rudbeckianarum quoque obſervationum copiam mihi fore hodierno die, quòd eas Schefferus juſſiſſet exſpectari, ſed nihil omninò polliciti hactenus comparuit, compariturum tamen propediem confidas licet, ac confeſtim tui juris futurum.

Et Auctorem ad maturandum opus hoc excitat.

Cometa vernus Heinſio ab hyemali diverſus.

Quas Tu de Cometis collegiſti obſervationes, eas videre vehementer, & hiſce manibus contrectare deſidero. Fac igitur quæſo ne longâ exſpectatione rei optatiſſimæ maceremur, aut potiùs enecemur.

Cometam hunc ab illo alio priore diverſum omninò eſſe nunc deprehendo & agnoſco, cum curſum planè contrarium inſtituat. Vale, & hæc tàm jejuna bonæque ſterilia frugis in bonam quæſo partem ut ſoles interpretare.

Cometæ 1577 deſcriptio. Franciſcus Liberatus.

P. S. Addo epiſtolio quam vides deſcriptionem Cometæ illius prodigioſi, Seculo ſuperiori (anno ſcilicet 1577. undecimâ die Novembris ſextâ horâ veſpertinâ) Pariſiis conſpecti, factam à M. Franciſco Liberati Romano, quam inter ſchedas meas inveni, ſi Heveliano fortaſſis inſtituto nonnihil poſſit prodeſſe. Libellum ipſum, qui integri propè ſeculi antiquitatem redolet, unà cum meis literis, ut ad Pelſium perferendum tutò cures, operam à Te dandam fore auguror.

Ariſtotelis ſententia de generatione Cometarum in ſuprema aëris regione rejicitur.

Cometas non eſſe res naturales, ſed ſigna ſupernaturalia triſtium probatur.

**Damaſceni ſententia de Cometa,*

Quamvis Ariſtoteles in ſuis Meteoris declaret modum quo proveniunt (ſcilicet Cometæ) & generentur in Suprema regione aëris per potentiam naturalem: tamen nos demonſtrabimus verum eſſe, quod *divinus Damaſcenus dicit, ſcilicet:

Encore qu'Ariſtote en ſes Meteores declare la maniere comme ils viennent (szavoir les Cometes) à s'engendrer en la plus haute region de l'air, par puiſſance naturelle: toutefois nous demonſtrerons ce que le Divine Damaſcene dit, aſzavoir:

Cometa fit à Deo ad ſignificandum mortem Regum, Principum & Magnatum, ventos denunciat, maximos tumultus in terris, & maximas tempeſtates in aquis:

Sicut & Poëta dicit:

Et comme le Poëte dit:

Impunè nunquam viſus fulgere Cometes.

Signum Capricorni mali ominis apud Aſtrologos eſt.

Quamobrem dicimus, quòd cum iſte Cometes apparuerit ſub ſigno Capricorni, propè ſtellam Aquilæ volantis, ſemper aſcendens, in quo ſigno repe-

Pourquoy nous diſons, que cette Comete eſtant apparüe ſous le ſigne de Capricorne, pres l'eſtoille de l'Aigle volant, touſjours en montant, au quel ſigne ſe retrouvent

riuntur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

riuntur malæ ſtellæ Saturni & Martis: quæ reſpiciunt ex quadrato aſpectu locum Cometæ in finibus Veneris: nos judicemus, inquam, debere ſequi magnas diviſiones & hæreſes in lege Catholica, ſicut & in lege Machometis ſeditiones & peſtes, non ſine tempeſtatibus ventorum in aëre, & abundantia aquarum in partibus Occidentalibus: & Reges ac Principes tàm ab Oriente, quàm à Meridie afficientur pluribus infortuniis.

les mauvaiſes eſtoilles de Saturne & Mars: qui redargent de quadrat aſpect le lieü de la Comete, aux termes de Venus: nous jugeons (di-je) devoir enſvivre grandes diviſions & hereſies en la loy Catholique, & auſſy en la loy de Machomet ſeditions & peſtes, non ſans tempeſtes des vents parmi l'air, & habondance d'eaux eò parties Occidentales: & les Rois & Princes tant d'Orient, que de Midy auront pluſieurs infortunes. Planetæ maligni. Aſtrologica præſagia triſtia.

Hìc agitat verſatque ſuos fortuna tyrannos
Vireſcitque ſcelus ac genus omne mali.

Tandem Cometa ſignificat bellum in parte Occidentali, & hoc durabit longo tempore. Jam ante diximus, multas fore hæreſes, quod denuo confirmamus, & erit hujus rei cauſſa quidam Magnus Princeps juvenis, Septentrionalis, dominans in Occidente, qui in ſua nativitate habet Martem in ſigno Capricorni, in eodem loco apparitionis Cometæ in principio.

En fin, la Comete ſignifie guerre en la partie Occidentale & cela durera long temps. Deja avons nous dit, qu'il y aura des hereſies, ce que de nouveau, nous confirmons, & ſera à cauſe d'un grand Prince jeune, Septentrional, dominant en Occident, le quel en ſa nativité a Mars au ſigne de Capricorne, au meſme lieü de l'apparition de la Comete au commencement.

Et ideo illum in bello & hæreſi & ſeditione illuſtrabit.

Hocce autem non videbitur tàm citò, ſed ſecundum opinionem Ptolemæi in 2. Quadripart. 54. textu, erunt, evenient hæc tardius: quandoquidem Cometa apparuit verſus Occidentem. Et cum cauda ſit directa verſus Meridiem, progrediendo ſemper ſecundùm ordinem Planetarum ab Occidente in Orientem: nos amplius judicamus, quòd ejus effectus appariturì ſint in Oriente & Italia priùs quàm in Hiſpania & aliis locis Occidentalibus: & in Oriente regiones & terræ Macedoniæ, Thraciæ, Indiæ & alia loca, & civitates ſignis Capricorni ſubjectæ in Italia; id autem Martis cauſſa, qui tempore apparitionis Cometæ eſt in ſigno Libræ & terminis Veneris. Propterea dicimus, Romæ, Anconæ & in aliis locis Italiæ verſus Venetias & Genuam ſecuturam mortalitatis ſtragem, diviſiones, & occupationes dominiorum potiùs quàm in aliis terris: quæ omnia extendent ſe poſtea in parte Occidentali.

Et ce ne ſe verra point ſitoſt, mais ſelon l'opinion de Ptolomée au 2e. du Quadripartit au 54. texte, ils ſeront tardifs: par ce que la Comete eſt apparüe vers l'Occident. Et en ce que la queüe eſt tourneé vers le Midy, marchant tousjours ſelon l'ordre des Planetes d'Occident en Orient: nous d'avantage jugeons, que ſes effets apparoiſtront en Orient & Italie, premiers qu'en Eſpagne & autres lieux Occidentaux: & en Orient les regions de païs de Macedonie, Thrace, Indie & autres lieux & citez aux ſignes de Capricorne ſubmis en Italie, pour cauſe que Mars au temps que la Comete apparoit, eſt au ſigne de Libra & termes de Venus. Pour ce diſons, que à Rome, Ancone & autres lieux d'Italie vers Veniſe & Gennes, enſvivra mortalité, diviſions & occupations des Seigneuries plûtoſt: qu'en autre endroict: leſquelles choſes viendront par apres à s'eſtendre en la partie de l'Occident. Occidentales regiones. Orientales regiones.

Sed ut veniamus dehinc jam ad particulares ejus ſignificationes manifeſtas, quæ, ſicut Ptolemæus dicit in prima

Mais pour venir d'ores-en-avant à la particularité de ſes ſignifications manifeſtes, leſquelles ſelon, que dit Ptolomeé

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

propoſitione Quadripartiti, quemadmodum Cardanus declarat,

en la premiere propoſition du Quadripartit, comme Cardanus declare,

Sunt inter poſſibile & neceſſarium:

Horoſcoporum erectio.

Illæ videntur valdè periculoſæ reſpectu eorum, qui in ſua nativitate habent Saturnum in ſigno Capricorni à 21. uſque ad 27. gradum, ſicut & Martem in ſigno Libræ in iiſdem gradibus: vel etiam qui habent Martem in oppoſito Saturni: Tales Principes & Dominæ erunt ſine dubio in maximis anguſtiis & perturbatione ſpiritus:

Elles ſe voyent fort dangereuſes à l'endroit de ceux, qui en leur nativité ont Saturne au ſigne de Capricorne, depuis le 21. juſques au 27. degré, & auſſy Mars au ſigne de Libra aux meſmes degrét: ou bien qui ont Mars à l'oppoſité de Saturne: & tels Princes & Dames ſeront ſans faute en treſgrands travaux & perturbation d'eſprit:

Aut (ni fallor) extremum claudent diem.

Et cum effectus Eclipſis Lunaris quæ menſe Septembris præterito iſtius anni 1577. accidit, ſe conjungent A°. 1578. cum effectibus Cometæ: omnes iſti qui habebunt Lunam vel Solem vel Aſcendentem in Ariete à 14. uſque ad 17. gradum, erunt in magno periculo vitæ ſuæ. Cælum, ut verè dicam, minatur Regi Hiſpaniæ, ejus regnis & ſubjectis; minatur etiam alteri cuipiam Magno Principi Hiſpaniæ circa Annum 1579. morbum & periculum vitæ. Precamur Deum, ut eis det ſanitatem & proſperitatem, exhortando illos, ut cuſtodiant ſuam vitam, regna & dominia: precamur etiam omnes Pontifices Eccleſiæ Catholicæ, ut venerentur Majeſtatem divinam, & orent pro conſervatione ſanctæ legis, & liberatione ſubjectorum ejus à perſecutione tyrannorum.

Cometas non eſſe res naturales, ſed ſigna ſupernaturalia.
Ariſtotelis ſententia de Cometis.

Vulgò putatur Cometas non aliud ſignificare, quàm res naturales, cùm appareant in ſuprema regione aëris, compoſiti ex vapore ſubtili elevato uſque ad ſphæram cæli, & conſequenter inflammato & extincto facillimè ſicut ſtupa propè ignem. Nihil eſt tamen quod nos in tantam rapiat admirationem, vel concutiat metu, aliove modo, quàm miracula, quæ Deus nobis exhibet videnda in cælo, velut proprio domicilio, ubi habitat, adhibens talia prodigia, ſicut Præcurſores, imò tabellarios & præcones ſuæ juſtitiæ divinæ.

Miraculoſum quid Cometa putatur.

Cum itaque (ne intrem in judicia Aſtronomica, neque in Aſtrologiam judiciariam) ſimus inſtructi infinitis exemplis, quæ poſſent notari ordine & tot ac tantis effectis, quæ Antiquitas nobis reliquit per manus,

Et à cauſe que les effets de l'Eclipſe Lunaire du mois de Septembre paſſé de cette année 1577. ſe conjoindront en l'an 1578. avec ceux de la Comete: tous ceux qui auront la Lune ou le Soleil, ou bien l'Aſcendant en Aries, depuis le 14. juſques aut 17. degré, ſeront au grand danger le leur vie. Le ciel veritablement menace le Prince d'Eſpagne, ſes Royaumes & ſujects, menace auſſy un autre Grand Prince d'Eſpagne environs l'an 1579. de maladie en danger de ſa vie. Nous prions Dieu pour leur ſanté & proſperité, les exhortans de prendre garde à leur vie, Royaumes & Seigneuries: & auſſy prions tous les Prelats de l'Egliſe Catholique, de prier la Majeſté de Dieu pour la conſervation de la ſainte Loy, & de delivrer ſes ſujects de la perſecution des tyrans. On tient que les Cometes ne ſignifient, que choſes naturelles, apparoiſſantes en la haute region de l'air, compoſées d'une vapeur ſubtile eſlevée juſqu'à la Sphere du ciel, & conſequemment enflammée & eſteinte facilement ainſi que l'eſtouppe pres de feu. Il n'y a rien neantmoins, qui tant nous eſbranle par admiration, crainte ou autrement, que les merveilles, que Dieu nous fait voir au ciel, comme le propré domicile, où il habite, ſe ſervant de tels prodiges comme d'Avantcoureurs, voire poſtes & heraux de ſa juſtice divine. Ainſi doncques (ſans entrer aux jugemens Aſtromiques, ny en l'Aſtrologie judiciaire) eſtans inſtruits par une infinité d'exemples, que l'on pourroit remarquer par ordre & par tant d'effects, que l'Antiquité nous a laiſſé de main en

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quòd tales figuras, notabiliter Cometarum, tanquam nuncios divinos ſint ſecuti aliqui eventus calamitoſi vel revolutiones inſignes : non convenit nobis ut iis acquieſcamus & adhæreamus : ſed potiùs ſupplices Deum oremus, ut ille velit eos vertere per ſuam bonitatem in bonum & felicitatem.

main, que telles figures & notamment des Cometes, comme meſſagers divins ſont enſvivies par quelques evenemens calamiteux ou revolutions ſignaleés : ils ne nous convient arreſter en iceux, ains ſupplier Dieu, qu'il luy plaiſe tourner les par ſa bonté en bien & felicité.

Cometæ prænuncii calamitatum putantur.

Hamburgo Holmiam die 5. *Maji Iuliani* 1665.

N. 14. *ad* 12.

QUod Tibi tantoperè mea placuerint, ut ea cum Doctis Viris in Academia Ubſalienſi agentibus communicare volueris, eſt quo nomine mihi gratuler. Non quòd vanam, ſed quòd veram gloriam ex rectè factorum conſcientiâ propriâ, & Virorum fide laudeque dignorum teſtimonio provenientem, ut lætiſſimum virtutis fructum quæram. Non enim temerè Cicero, quamvis Auctor & Vir Gravis, Orat. ad Quirit. poſt reditum ait: *Trahimur omnes laudis ſtudio : & optimus quiſquè maximè gloriâ ducitur.* Tanto verò magis ſi id fiat citrà ambitionis vanæ, vel alienæ utilitatis, quietis & exiſtimationis periculum, ſicut idem ille Tullius, & quis non Sapientum? ſed & ipſa æquitas docet. Quòd Clariſſimus Fornelius tandem in hanc veriorem ſententiam, Cometam in Corvo & Lepore unum eundemquè fuiſſe, difficultatibus amotis, conceſſerit, gratum mihi fuit in illius autographo, quod Tibi cum multa gratiarum actione remitto, legere. Non equidem mirandum eſt Virum, ut video, Doctiſſimum, difficilem aſſenſum ſententiæ, quæ ſatis per ſe ardua eſt, & illi ex motûs ratione aliiſquè de cauſis cum veritate conveniens non videbatur, præbuiſſe. Imò verò hoc ipſum, Virum illum Doctum & prudentem eſſe docet. Quis enim ſciens prudenſquè errorem amplecti & fovere velit? Veriſſimè Syrus: *Demens eſt, quiſquis præſtat errori fidem*, volens ſcilicet. Miſi hodie epiſtolæ Clar. Fornelii apographum ad Clariſſimum Bullialdum, cui non dubito hæc fore grata. Poſtulavi autem ab eodem, ut nobis ſuper hac re mentem ſuam aperiet. Clariſſimo Hevelio itidem hæc mittam, unà cum illis, quæ Tu illi deſtinaſti, quæ aliquando abundè, rebus à viſo illo Cometa præclarè bello, pacequè in Tua & mea patria & alibi geſtis, refutata videbis. Si quid de parallaxi & diſtantia Cometæ à terra accepero, Vobiſcum lubens meritoque communicabo. Spero utilem hîc fore Obſervationum variis in regionibus habitarum congeriem, quam publico paro, annuente Deo. Hanc ut illis, quæ adhuc ab Upſalienſibus præſtolaris, augeas & promoveas, da operam ſedulò. Clariſſimum Fornelium plurimùm ſalvere nomine meo jubebis, eidemquè pro tàm amica epiſtola & narratione de Cometa, etiam illo nuper obſervato, gratias ages. Hunc à priori eſſe diverſum, aſſerunt Clariſſimi Viri, Placentinus, Gravius, Büthnerus, & ante omnes Magnus Hevelius. Sed de hoc plura in opere inſtituto. Vale (abrumpere enim tempus jubet) & fave conſtanter.

Gloriam veram appete. Virtutis fructus gloria.

Ambitionem fuge. Invidiam cave.

Fornelium eandem de Cometa hyemali ſententiam ſecum amplexum eſſe Auctor gratulatur, Ejuſque eruditionem & prudentiam laudat.

Errat nemo volens.

Parallaxes Cometarum ex variis obſervationibus inveſtiga.

Cometa vernus ab hyemali diverſus.

Holmiâ Hamburgum die 13. *Maji Gregoriani* 1665.

N. 13. *ad* 13.

PRoximè Fornelii literas mittebam, rem Mathematicam tractantes, quæ una cum meis ad Te perveniſſe confido. Plura & exquiſitiora ab induſtria Rudbeckii mihi promitto, quæ tamen hactenus non comparent. Ipſe Rudbeckius in hanc civitatem Ubſaliâ adveniſſe nudius tertius dicitur. Quem ut necdum vidi, ita hinc diſceſſurum vix opinor, me non convento. Cùm incidero in hominem, haud intermittam urgere, ut telam detexat & promiſſa præſtet. De eo Schefferus ultimis litteris hæc ad me: *Scripſit jam antè octiduum, ut opinor, Fornelius, quæ ſpectare ad propoſitum negotium videbantur. At Rudbeckius noſter tardior eſt propter & labores alios alioſque, quibus obruitur, & quia collatis omnium aliorum ſententiis*

Rudbeckius multis laboribus diſtractus ſingularia quædam de Cometis promittit.

„*tiis annotaturum ſeſe ſperat, quæ adhuc à nemine ſunt obſervata in hoc toto de Co-*
„*metis argumento. Dabit & picturam, quæ omnia reddet evidentiora. Et ſpera-*
„*bam fore ut nunc omnia haberet confecta, iccirco ſcriptionem hucuſquè differebam.*

Scheffetus in Heinſium officioſus.

„*Sed quia heri in cæna mihi dixit adhuc aliqua deſiderari, tacendum diutius non pu-*
„*tabam, ne me oblitum mandatorum Tuorum cenſeres. Veniet ipſe Rudbeckius ad Vos*
„*circà finem hebdomadis hujus, per dies aliquot ibi manſurus, ubi ipſe forſitan ſua Tibi*
„*coram tradet.* &c. Hæc ille.

Heinſius erga Auctorem benevolus de inſtituto ejus Amicos monet.

Amicis Gallis, quando ex me ſcire deſiderabant, ſi quid hîc terrarum ad Cometam novum à Viris harum rerum intelligentibus obſervatum eſſet, de tuis lucubrationibus ſalivam jam movi, eandem Italis quoquè propediem moturus. Quapropter vide, ne pollicitationes meas fruſtreris, neve parùm verax fuiſſe deprehendar ab iis, apud quos inveni hactenus fidem.

Novitas grata.

Optimè autem non mihi tantùm, ſed Tibi quoquè conſules, ſi telam inchoatam quam primùm detexis. Id enim ſi feceris, exſpectationem de Tua eruditione ſingulari publicam non æquabis ſolùm, ſed antevertes quoquè ac poſt te relinques. Vale Vir Nobiliſſime, & me ſolemniter amare perge.

N. 15. ad 13.

Hamburgo Holmiam die 13. Maji Iuliani 1665.

Auctor ad operis editionem ab Amicis urgetur.

JAm video Te cum Illuſtriſſimo Rautenſteinio & Viris Clariſſimis Hevelio ac Bullialdo, tantas ſpes de meo iſto tenui opere concepiſſe, ut plus pluſque ad ejus editionem urgere me non deſiſtatis.

Exſpectationem bonorum omnium de te, ut gravem adverſariam ſupera.

Gravem mihi oppoſuiſtis adverſariam, exſpectationem ſcilicet tàm ſolicitam & amplam; quam ſi æquabo, æquitas & benevolentia potiùs Veſtra, quàm ullum laboris mei, quamvis non exigui, meritum faciet. Cæterùm niſi & Veſtrûm omnium, & aliorum (quibus, ut ex Tuis die 13. hujus menſis Gregor. hodie verò die 13. Jul. ſtyli mihi redditis, luculenter video, meos iſtos mediocres conatus, maximoperè commendatis) exſpectationi labor meus reſpondeat, ſique, ubi prodiero in publicum, minuat

Auctor ſe Amicorum favore tutum fore ſpectat.

præſentia famam, id certè non tantùm coram Vobis ipſis, quod mihi certò polliceor, ſed & coràm aliis favor Veſter excuſabit. Quicquid verò de eventu ſit futurum, ego decrevi apud me, paucis quòque lectoribus, ſed veræ laudis

Lectores pauci, dummodo laudati, ſufficiunt.

non egentibus, contentum eſſe, tùm vero conſcientiâ cumprimis facti (quô de genere humano, in iis quæ ad Philoſophiam non tantùm Theoreticam ſed & Practicam faciunt, benè mereri ſtudeo) me ſolari.

Practicæ Philoſophiæ præceptis commendare ſe Auctor ſtudet.

Fervet itaquè opus, & ſub prelo ſudare quamprimùm, tantis auctoribus, deſiderat. Accepi verò intrà octiduum proximè elapſum accommoda huic inſtituto reſponſa à R. R. Viris Ricciolo Bononienſi, & Curtio Neoburgenſi Soc. Jeſu Theologis & Philoſophis Clar. tùm verò ab Ampliſſimo Hevelio & Clar. Leuneſchloſio Prof. Math. Heydelbergenſi. Hac ratione tutius in perficiendo opere meo progrediar.

Hevelii Prodromus Cometicus.

Hevelius ſicut ante meis & Illuſtriſſimi Rautenſteinii precibus ſe id daturum eſſe, ut Prodromum Cometographiæ præmittat, promiſerat, ita id reipſa præſtitit. Libri illius exemplaria curæ meæ deſtinata brevi ad me perlatum iri ſpero. Tunc autem Tui cumprimis memor ero. Ero & monitorum ac votorum Tuorum, quibus tantoperè editionem operis mei urges, nec diu Tua aliorumque Amicorum deſideria, ſi Deus vitam & ſalutem produxerit, differam.

Celeriter publico donanda publico profutura.

Utilitatis publicæ rationes ſingulis momentis conſtant.

Moræ intempeſtivæ ingrata & noxia.

Satius enim judico, ut in ſatiſfaciendo Amicis & utilitati publicæ (cujus promovendæ modus ſingulis momentis conſtat, & quò citius, eò ſalutarius inſtituitur) ſim audaculus, quam in faciendo undique officio, quod omnibus ad conſpectum tot Cometarum commonſtro, moroſus. Tu modò apud Ubſalienſes, ut in præſtandis promiſſis officio ritè fungantur, inſta, & benè Vale, ac mihi cæptoque meo favere perge.

Holmiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Holmiâ Hamburgum die $\frac{10}{20}$. *Maji* 1665. *N.* 14.

CUm ſcriptionis officio ſolemni proximè fungebar, omninò perſuaſum habebam, fore ut hodierno die Rudbeckianas ſuper nuperis Cometis Obſervationes Tibi ſiſterem, aut ſaltem ut nuntiare nunc poſſem, hujus argumenti ſermones mihi apud illum inſtitutos fuiſſe. Idque eò magis, quòd is Ubſaliâ in hanc civitatem profectus eſſe dicebatur, ac mei compellandi provinciam abs ſe ſuſcipiendam fore, ſpem in procinctu faciebat ejus rei, admonente me Schefferо. At ille vix biduo in hac civitate exacto, ad ſuos reverſus eſt, nec me convento, nec aliis ſalutatis, quos amicorum potiſſimos ſolebat memorare. Quid illum adegerit ad præceps atquè ad improviſum conſilium, haud facilè eſt dictu. Oportet tamen rei inopinatæ quid ſuperveniſſe quod teneri ab illo propoſitum de diebus feſtis apud nos exigendis haud ſiverit. Perendie querelam meam ſuper feſtinato ejus diſceſſu ad Schefferum deferam per literas, rogaboquè unà, ne hominem ſuper promiſſo præſtando interpellare deſinat, dum fidem nobis adſtrictam atque obligatam ex pacto liberet. Rex & Regina mater die craſtino rus etiam contendent. Nos interim Oratorem ex Fœderato Belgio exſpectamus, qui Hamburgo Lubecam jam contendiſſe creditur, ut ex illo portu, quod reliquum eſt itineris navigando conficiat. Vides pauca nuncianda in hoc terrarum tractu occurrere. Utinam & apud Polonos, & apud Fœderatos Belgas tàm tranquillè omnia nunc gerantur! At verò argumentum non ſolùm exarandis epiſtolis, ſed & annalibus quoquè contexendis & hic & illic uberrimum offertur. Vale Vir Nobiliſſime & benè rem gere.

Officiorum rationes improviſa impedimenta turbant.

Promiſſa impleri quævis urget.

Polonicæ res turbidæ.

Batavæ res turbidæ.

Hamburgo Holmiam poſtrid. Kalend. Junias Gregor. 1665. *N.* 17. *ad* 14.

QUod Ægidius Menagius ſuaviſſimus ille Martialis (ſi quid hic judicare valeo) Gallicus, de Te in ſuis lepidis epigrammatis pronunciat Græco verſiculo, Te ſingulari amore dignum, & qui Te non amet, amore non eſſe dignum: id ego in memetipſo experior, & exemplo meo effatum ejus confirmo. Experior, dico, Te ita noſſe & ſervare amicorum amore dignorum leges, ut cùm eo ſis digniſſimus, is profectò qui eum Tibi neget, ipſe ſit eo indignus. Adeoquè exemplo qualicunque meo, qui Te ſcilicet ſingulari amore & cultu ſimul proſequor, comprobo Viri illius Clariſſimi & amici utriquè noſtrûm chariſſimi judicium. Nec immeritò. Contraxeram enim cum eo ſingularem amicitiam, ut & cum Parente & Fratre ejus Petro, Viris togâ Clariſſimis Juliomagi Andium, ubi integro ferè biennio vixi. Sed & Lutetiæ Pariſiorum non vulgaris familiaritas mihi cum eo interceſſerat, cujus μνημόσυνον, illi verſui, meritis Tuis dicato, ſuppar Philothecæ meæ Lutetiæ Pariſiorum Anno CIↃ IↃC XLIX inſcripſerat, alterum quidem Græcum:

Heinſius in colendis amicitiis induſtrius.

Amoris magnes amor.

Menagius Auctori amicus

Menagii apud Andes Viri præſtantiſſimi.

Andegavi Auctor ferè biennium exegit.

> Τὸν φιλέοντα φιλῶ, μισεῦντα δ' ὡς αἰνετὸν αἰνῶ:
> Πᾶσι βοηθὸς ἐὼν, μηδένα σινόμενος:

alterum verò Gallicum: *J'aime qui m'aime: Je ſers que je puis: J'eſtime qui le merite.* Verè & alibi Te Patris Filium, ſcilicet ad humanitatem & laudem natum dicit, ſed & quanti Te faciat teſtatur, dum plus Tibi Ovidium pro notis doctis, quàm Te Ovidio pro ingenioſa ſcriptione debere ait. At quid de Tuo Claudiano, feliciſſimo illo Vate, doctis pariter notis illuſtrato & nativæ integritati reſtituto dicendum eſt? Quid de tuis poëmatis, in quibus nil niſi Charites Muſæquè, à Pallade viſitatæ, comparent concurruntque ſimul? Sed parco modeſtiæ & verecundiæ Tuæ. Quòd autem hæc protulerim, jure ſuo à me æquo & accurato meritorum cujuſquè judice & indice, præclara Tua merita id exegerunt. Addidêre ſtimulum duo inſignes & præſtantes Viri amici utriuſque noſtrûm

Benevolus erga omnes eſto.

Heinſius pater & filius à Menagio laudantur:

Filii operæ

Laudare amicum in os noli, niſi gravis cauſſa adſit, utquè id medicè facias jubeat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſtrûm communes. Alter Iſmaël Bullialdus, Vir, ut noſti, in omni eruditionis genere clariſſimus, literis ad me datis die 22. Maji, in quibus factâ Tui cum honore mentione plurimam ſalutem Tibi adſcribit, cum voto, ut res Tibi proſperè ex animi ſententia fluant. Alter Illuſtriſſimus ille Rautenſteinius Miniſter Status & Legatus Neoburgicus, Vir utriquè noſtrûm & tot bonis amicitiæ fide, omnibus verò virtute & eruditione inprimis commendatus, qui in ſuis poſtremis die 25. Maji ita de Te ad me: *Clariſſimos Heinſios Patrem & Filium ſemper colui, & ſcripta illorum plurima legi, in Bibliotheca mea adhuc aſſervata.* Et ut hâc occaſione ad argumentum de re Cometica noſtrum deveniam, ſingulare Tuum in promovendo hocce meo conatu ſtudium ex nuperis Tuis die 10. 20. Maji ſatis clarè perſpexi, & inter illa auctoramenta Tuis laudibus, eſſe Te ſcilicet ἀξιοφίλον (amore dignum) accenſenda poſui. Quo magis miror Rudbeckium Te non ſalutato urbe abiviſſe, & ſimul, ſicut æquam humanitatem omnia in meliorem partem interpretari par eſt, conjicio neceſſitate quâdam voti majore, cui & Sapientes & Fortes quiquè cedant oportet, adactum eum id feciſſe. Tu interim urge illum, ſed & Fornelium ac Schefferum Viros Clariſſimos, quò ſua nobis quamprimùm tradant. Jam etenim Tibi & tot aliis Amicis urgentibus morem gerens, librum meum prelo ſubjiciendum diligenter paro, imò bonam partem heri Amico in Hollandiam deferendam tradidi. Præloquium & caput Operis ut Tibi proximè mittam, dabo operam, juvante Deo, ſed eâ lege, ut de utroque judicium feras, & Ariſtarchum (quod Te illæſâ amicitiâ facturum certus eſto) agas. Crede mihi ex animo id dicenti, rem feceris gratiſſimam, ſemper diſcere parato. Vale & favore perenni me dignere.

Rautenſteinius laudatur, Magni Heinſium Patrem & Filium facit.

Heinſius amicus fidus.

Æquitas omnia in meliorem partem interpretatur.

Neceſſitati cede.

Amicitia libertate non læditur.

Diſcere ſemper paratus eſto.

N. 15.
ad 14.

Holmiâ Hamburgum die 17. 27. *Maji* 1665.

Heinſius in Auctorem officioſus.

Ut intelligas me ſcripturire præ Tui deſiderio tunc quoquè, cum nil omninò in promtu eſt quod ſcribam, habes hîc epiſtolium, unde cognoſcas valetudine me frui confirmatâ, ſtudiumque rerum Tuarum inhærere mihi conſtanter, quando aliud nunciandum vix nunc occurrit. Id enim Te præcepiſſe mihi jam pridem ac mandaſſe potes recordari. A Rudbeckio promiſeram jam pridem mihi nonnihil, quod rem Mathematicam ſpectaret ſuper Cometa nupero, ſed ille pollicitis hactenus deeſt, alibi haud dubiè occupatus. Vidi interim orationem ejus argumenti à Joanne Georgio Grævio apud Ultrajectinos habitam, quam & abs Te quoquè aut perlectam aut inſpectam fuiſſe opinor. Dies ſeptimus jam agitur quod Joannes Iſbrandius ex Fœderato Belgio extra ordinem Legatus huc advenit, Vir ſanè multis eximiis virtutibus inſtructus. Sed quòd Senatores abſunt domo plerique, vix proximâ hebdomade ad conſpectum Regis ac Reginæ matris admittetur puto. Vale Vir Nobiliſſime, & mihi benè velle, quod fit hactenus, in poſterum perge.

Grævii Ultrajectini Prof. Oratio de Cometis.

Iſbrandius Orator Batavus ad Regem Sueciæ laudatur.

N. 18.
ad 15.

Hamburgo Holmiam die 6. *Junii Gregor.* 1665.

Heinſianis meritis debitum teſtimonium datur.

Quod nuper de judicio Ægidii Menagii, cui meritorum Tuorum ratio, non ſolus amor amore tuo provocatus, verba illa dictavit, dequè experimentis Tuæ in colendis amicitiis diligentiæ ſcripſi, hoc literæ Tuæ abhinc diebus decem ſcriptæ, quas jam jam accepi, luculenter & abundè teſtantur. Affectus enim ille tuus defectum materiæ ſcribendi vel eo ſolo affatim implevit, quòd nihil Te propè quod ſcriberes, habuiſſe nunciâris. Nempe in hocce noſtro literario commercio, dum animus ea, quæ circa amicum pectus gerantur, noſſe cupit, ſufficit ſi ei eximatur anxius

Et comes amori perpetim junctus timor.

Amor timore plenus.

Qui

Qui quidem & omnium noſtrûm occupat & exercet mentes, quotquot bono
publico addictas eas gerimus. Habent tamen literæ Tuæ multa, imo quæ nunc
exſpectare potui, cuncta, etiam dum nihil propè (Te ſcilicet qui affectum
prolixè explicare mente manuque dextrâ ſoles, judice) in ſe habent. Habent
enim Te Tuaque rectè ſe habere. Habent Te etiam votorum meorum in exi-
genda ab Upſalienſibus promiſſi, &, hactenus minimùm, officii fide, curam
habere. Habent Te de argumento Cometico habere orationem, ut colligere
ex Tuis licet, doctam Joan. Georg. Grævii Ultrajectini, de qua mihi fateor,
adhuc inviſa, nihil habeo dicere. Habeo tamen quo Tibi hîc gratias, quas
ago, referam. Nam pro Tuo Grævio en Tibi meum, at nonne & Tuum? Pri-
mùm nullo colore, mox humanitate, eruditione, tandem induſtriâ benevolen-
tiâ notum! Accepi enim ab eo egregiam obſervationum, quas ipſe fecit, con-
geriem; ita ut dicere jurè meritoque poſſim, ſedulitatem amicitiæ ejus vota
ſuperaſſe mea. Longius hîc poſſem occaſione Hevelianæ, Kircherianæ, Cur-
tianæ, tùm Büthnerianæ nuperæ communicationis, velut per patentes laudum
campos excurrere. Sed frenos menti manuique, ad optimè de Te merendum
affectu concitatiſſimæ, anguſtia temporis, & ipſa argumenti amplitudo, tùm
& continuorum laborum multitudo injicit. Sufficiet Tibi hîc puſillus iſte &
propè inconſpicuus paucaque verba proferens Præcurſor. Hic tamen etiam ſe-
ret Tibi operis mei caput, informis propè & quantum dabitur lambendi fetûs
partem, ac judicium à Te expoſcet ad meque referet. Referet verò nunc Tibi
me caput hocce jam cum certis tanti corporis membris, narratiunculis ſcilicet
de Cometa ſparſis ex variis mundi plagis varioque ſermone miſſis, urgentibus
amicis in Hollandiam Veſtram (florentiſſimam illam, & utinam perpetuò flo-
res proſperitatis quidem carpturam, laudum verò ſparſuram, Muſarum paren-
tem, & alteram Græciam) miſiſſe, prelo paulò poſt, ut ſpero, ſubjicienda.
Referet deniquè proximè Tibi præloquium ad Lectorem miſſurum eſſe; eâ ta-
men lege mittere me utrumque, ut verum amicum agas, dum Ariſtarchum
agis. Vale.

Heinſii erga Auctorem benevolentia & in ſcribendis literis diligentia.

Promiſſum in legem & debitum cadit.

Grævii Oratio de Cometis.

Grævii humanitas laudatur.

Humanitatem amicorum grato colo animo.

Æqua officia amicis præſta.

Heinſii judicium de ſuis Auctor poſtulat.

Bataviæ laus.

Libertas judicandi veræ amicitiæ index fida.

Hamburgo Holmiam die 9. Junii Gregor. 1665. N. 19.

EPiſtolium hoc, licet extrà ordinem (ante triduum namquè meo in Te offi-
cio defunctus ſum) & curto ac feſtino ſtilo exaratum, non ingratum ta-
men Tibi, ſi benè Te novi, futurum ſpero. Tuus nempe mos & affectus
in me pronus fert, ut mea cuncta Tibi placeant, quod ex Te ipſo ha-
beo. Addent meis qualibuſcunque pretium & pondus Heveliana ante octiduum
data, hodie mihi reddita. Horum exemplum ad Te, unà cum obſervatione
Romana, de qua in hiſce ſuis Incomparabilis Hevelius fert judicium, mitto.
Eâ verò fini id facio, ut hæc cum Upſalienſibus communices, eoſque ad im-
plenda vota noſtrûm omnium, & promovendum illud opus meum, quod tan-
to ſtudio unà cum Illuſtriſſimo Rautenſteinio aliiſque Amicis expetis, tantò
fortiùs ſtimules. Clariſſimo Rudbeckio nihil inde exiſtimationis decedet, etſi
ſingularia quædam libro meo inſerenda mihi per Te tradiderit. Imò multùm
gloriæ nomini ejus inter tot Illuſtriſſima & Clariſſima nomina poſito, me qui-
dem judice, accedet. Adhæc fidem promiſſi Tibi & per Te nobis facti, ac
omninm noſtrûm exſpectationem, velut gravem adverſariam, nonniſi facili &
felici induſtriâ vincendam, habet oppoſitam ſibi. Ecce verò ego fidem pro-
miſſi præſto, ac Tibi poſt miſſum nuper operis mei caput, mitto Præloquium.
Utrumque ùt ſit benè formatum, caput rei eſſe ex Te ipſo, caput verò voto-
rum meorum in hoc ut limam in iis, quæcunque ad Te miſi, adhibeas conſi-
ſtere, ex me ipſo ſcribis. Fac quæſo ut utrumque caput à tàm docta, ſcita &
amica manu obtineam. Libertas Tua in judicando, crede mihi, erit pergrata,
quamvis ritu ingenui amici, qualem Plutarchus τῷ κόλακι (adulatori) opponit,

Auctor officiis mutuis cum Heinſio certat.

Hevelianum judicium de tertio Cometa verno Romæ obſervato, id eſt ſtella in cingulo Androm. bor.

Rudbeckio Auctor benè cupit.

Promiſſis ſta. Exſpectationi bonorum reſponde.

Libertas judicandi veræ amicitiæ index fida.

Mone amicum liberè. Liberè monentem æquo feras animo. Verecunda quoquè libertas prodeſt. Mone cum verecundia.

γυμνῇ κεφαλῇ (nudo capite) admonere me officii alicubi volueris, nec illos nimis verecundos imitatus fueris, qui monere, ſed tremulâ voce ac in aurem καὶ ἀγχισχὼν κεφαλὴν (acclinatoque capite) ſolent. Quanquam & iſti laude ſuâ nec optato facinoris fructu carent. *Verecunda etenim amici libertas maximè pudore afficit, & cum peccantem ſenſim, cautèque adorimur, ſubruitur atquè deſtruitur vitium, dum verecundiâ occupatur is, quem verecundè tractavimus:* ut Plutarchus docet, qui etiam percommodè uſurpari cenſet illud

'Αγχισχὼν κεφαλὴν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι.

(Ne reliqui audirent, ſolam ſic fatur ad aurem.)

Heinſium meritò Auctor magni facit.

Sed iterum iterumque certum Te eſſe jubeo, me ita eſſe animatum, ut paratus ſim Te, tantæ non ſolùm exiſtimationis, ſed doctrinæ & experientiæ Virum, ferre monitorem & cenſorem, tùm & quemvis Amicum, horum quæ ago & tango peritum, qui

Monentis amici officiis fungere.

- - - - - - - incomptis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit:
Fiet Ariſtarchus, nec dicet, Cur ego amicum
Offendam in nugis? Hæ nugæ ſeria ducunt
In mala,

Monitorem non tantùm feras, ſed & quæras.

Libertas monenti amico convenit gravis,

ni ſcilicet monueris amicum de iis, quæ riſum vel bilem movere poſſint. Ut autem multa paucis complectar, do Tibi integram monendi libertatem, non *illam laxam & pondere, vi ac robore caſſam, ac ſimile quidpiam habentem cum cervicalibus mulierum, capiti cedentibus ac ſubſidentibus, ſed quæ adferat ſalutarem & gravem curam, licet cum doloris quodam ſenſu junctam*, quæque dici mereatur, *geſtamen amicitiæ eximium*

Grande, grave & validum - - - - -

ſicut ibidem Plutarchus docet. Satis me Tibi hîc dixiſſe puto, quæ velim in memoriam ſubinde Tibi & ad uſum revoces, quia Tibi res eſt cum eo qui è cenſu eorum eſt, qui diſcendi ſunt avidiſſimi, & monitorem ferre paratiſſimi. Itaque amicitia noſtra & res ipſa, Te, ut me quid facto opus ſiet moneas, monebit. Vale Vir Nobiliſſime.

N. 20. *Hamburgo Holmiam die* 3. 13. *Junii* 1665.

Silentium amici benignè interpretare.

QUòd præteritâ hacce hebdomade nihil ad me ſcripſeris (ſi tamen nihil ſcripſiſti & non potiùs Tuæ literæ, quod abſit! interierunt vel juſto tardiùs curantur) ego majori cuidam impedimento adſcribo. Inter quæ utinam ſola valetudo adverſa locum inveniat nullum! De reliquis non erimus multùm ſolliciti. Ego, dum opus illud meum maximo ſtudio fervet, plura ad Te miſi; cumprimis caput ipſum Operis & præloquium ad lectorem. Quæ, ut & reliqua, ab impetu ſtili, quem tot ſemper negotia premunt, veluti protruſa, maturo & ſubacto judicio Tuo ſubjeci. Vide ut ſpes & vota mea impleas. Viſu mentis politæ & acris plurimùm, ſat benè ſcio, in talibus polles. Flaccus etſi oculis lippus inunctis, vidit tamen, quandòque bonum dormitaſſe Homerum. Quod ſi in Homeri, Muſis comitati, Poëtarum Regis, omniumque ora Caſtaliis rigantis aquis,

Heinſii judicium de ſuis Auctor requirere pergit: Seque eum meritò magni facere teſtatur. Viſum oculorum hebetem illuſtri & acri mentis viſu benigna natura penſat.

- opere in longo fas eſt obrepere ſomnum: -

tantò magis nobis qui immenſis intervallis ab eo abſumus, cavendum eſt, ne profundo ſepulti ſomno altùm ſtertamus

indomi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

- - indomitum quod deſpumare Falernum
Sufficiat - - - - - Perſ. Sat. 3.

Ideò & amici fideles rogandi ſunt ut nos è ſomno excitent, ne ſomnolentiam glirum contrahamus, minimùm deſidiam primùm inviſam, tandem adamemus. Hujus enim fallax *voluptas*, ut & aliàs ſemper, *eſt eſca malorum, quâ homines capiuntur, ut hamo piſces.* (Cic.) Quidni verò id juris in me Tibi dem,

Monitores amici ferendi, imò quærendi. Deſidiæ dulcedinem cave. Voluptatem fuge.

Proles maxima maximi Parentis
Heinſi Caſtaliæ decus catervæ?

ut Te Tui meique Menagii verbis compellem. Nec mirere me hæc addere. Poſtulat id à me tàm meritorum Tuorum, quàm meorum votorum ratio. Quomodo id etenim, quod in cenſendis meis abs Te deſidero & exſpecto mihi indulgeas, niſi meam opinionem meritorum Tuorum & facultatis modum juſtum aſſecutam eſſe videas? Poſtulat verò & Illuſtriſſimi Rautenſteinii Communis noſtri Amici votum. Vide enim quàm diligenter mihi ſuam meamque ſimul benè de Te merendi voluntatem commendet nuperrimis ſuis die 4. Junii currentis datis, quarum apographum Tibi mitto. Hæ quoque Tibi dicent, quanto ſtudio editionem mei operis Vir ille, qui literarum & literatorum deliciæ vocari meretur, urgeat. Quâ in re paria Tecum facit vel maximè, ita ut apud me decreverim maturare opus, licet ſperarem me poſſe moræ diſpendia penſare qualicunque curâ. Sed hujus laude, quæ mei ſolius famam reſpicit, potior mihi eſt, benè de utroque Veſtrum aliiſque Amicis merendi voluntas, tùm verò præcipuè publicæ utilitatis promovendæ ſtudium. Quæ nuper de Ubſalienſibus ſcripſi, quibus puto me adjeciſſe ea, quibus Clariſſimus Hevelius indicet, ſe cum deſiderio illa ſingularia Clariſſimi Rudbeckii exſpectare, eadem etiamnùm repeto. Velim eoſdem urgeas, ne non tàm mihi (qui multam frugem in agris Mathematicis, alienis quidem magis quàm meis, proprio tamen motu ſtudioque collegi) quàm ſibi ipſis reique communi deſint. Si Clariſſimus Rudbeckius, cujus multam eruditionem deprædicari ſcio, ſingularia quædam habet, velim ea promat & in medium adferat. Nemo ei debitam in Ampliſſimo, quem officioſè amicè & ſtudioſè convoco, in Mathematica & univerſa Repub. literaria Principum Virorum, Senatu præripiet laudem. Ibi enim, ſi uſquam, in re Mathematica, & Philoſophica tot in unum cœtum coactis Viris Clariſſimis, quiſque meritum perennis gloriæ feret præmium. Clariſſimorum Bartholinorum Symbolas heri, Bullialdi hodie accepi. Ita in dies creſcit, Dei munere, opus. Poſtquam verò Prodromum Cometicum Magni Hevelii acceperis, lætaberis, ſcio, de tàm accuratè ſignatâ Cometæ orbitâ, deque ejus anfractibus flexuoſis, reditibus & ſtationibus obſervatis, explicatis & firmo pede peragratis, imò & quibuſdam ſemitis jam demùm detectis. Notabis verò pag. 4. & indicabis Clariſſimo Fornelio, quod ipſi expendendum cumquè ſuis rationibus conferendum erit. Dixerat enim Cometam primum à die 7.17. ad 12.22. Decembris decem gradus, id eſt, binos quotidie, *proprio quidem, ſed non illo vero & naturali, & qui ex illo primi mobilis, ab his Soli, ab illis Telluri tributo, & proprio vero ac naturali compoſitus ſit, & apparens à Clariſſimo Hevelio vocetur, peregiſſe. Atqui ſecundùm calculum Hevelianum ſpatio 5. dierum, ſcilicet à die 17.7. ad 12.22. confecit 13°. 28′. motu retrogradu (qui idem ille motus proprius eſt) in ſuo tramite, ſed ita ut non binos quotidie gradus, ſed modo minus, modo plus curſu magis magiſquè verſus Canem Majorem concitato, peregerit. † Deinde Clariſſimus Fornelius à die 12.22. Decemb. ad 21.31. ejuſdem putat ultrà 100. grad. & ſpatio 9. illorum dierum Cometam, qui initio 5. dierum ſpatio tantùm 10. gradus peregerat, tot gradus conficere potuiſſe negat, & ſic duos diſtinctos fuiſſe opinatur. At ſecundum eundem calculum Hevelianum à die 12.22. Decembris, ad 21.31. Decembris tantùm 86. ferè gradus confecit. Quòd ſi Upſalienſes

*Heinſianis meritis debitum teſtimonium juxtà Menagium Auctor dat. Laudari in os Amicus quandoque & modicè poteſt. Rautenſteinii erga Heinſium & Auctorem benevolentia: Ejuſdem laus. Auctor opus hoc maturat, magis publicæ utilitatis, quàm privatæ laudis memor. Upſalienſibus Auctor benè conſultum cupit. Senatum Philoſophicum convocat Auctor. * Gloria laboris merces. Heveli Prodromus Cometicus ſingulari diligentiâ orbitam Cometæ monſtrat. Fornelio propoſita ab Auctore dubia de motu Cometæ in Corvo, & Lepore. *Motus Cometæ eſt vel proprius vel naturalis, ſive apparens & verus. †Cometæ motus propius, qui & apparens & retrogradus vocatur.*

Hevelius ſe opponit obſervationi Romanæ & Franekeranæ. Stella Holmiæ meridie viſa. Obſervationum Italicarum vana ſpes.

Menſe Martio vel Aprili Cometam, vel aliud quoddam phœnomenon novum ad cingulum Andromedæ Septentrionalem obſervârint, quod Romana & Franequerana obſervatio affirmat, at Clariſſimus Hevelius firmiter negat, velim quamprimùm facias me certiorem. Tùm an Kalend. ipſis Majis viſa ibi fuerit meridie ſtella. Quod ſi ita eſt, Venerem fuiſſe ſuſpicor. Clariſſimus Bullialdus nullam ampliùs ſpem facit Obſervationum illarum Italicarum, de quibus Sereniſſimus Magnus Dux Leopoldus ab Hetruria, quem Tu Principem omnibus virtutibus cumulatiſſimum & Mæcenatem redivivum vocas, eum monuerat. Et Ricciolus quidem ſuis ad me literis, quominus id facere potuerit, monuit. Sed de Dominico Caſſino nihil, tantominus ab eo (nam nec compellavi hominem) quicquam accepi. Vale.

N. 21. *Hamburgo Holmiam die* 6. 16. *Junii* 1665.

Officii diligens eſto. Publica officia gerentium tempori parcendum eſt. Amoris magnei amor. Heinſio cenſenda ſua Auctor miſit. Rautenſteinii erga Heinſium benevolentia. Rudbeckiana obſervata plus pluſque Auctor urget.

SAtis me in ſcribendo diligentem (abſit jactantia verbo) eſſe, literarum indiculus teſtatur. Jam vero aliquoties binas ad Te in hebdomade dedi, ita ut verear ne in Tua peccem tempora, quæ gravibus & publicam ſalutem ſpectantibus negotiis impendis. Sed ne mirere. Tu ipſe vel maximè id facis, non tantúm ſingulari Tuâ & eximia humanitate ac benevolentiâ, quam omnes Tuæ literæ loquuntur, ſed & ardentibus illis votis, quibus ad maturandum opus me accendis. Quæ cauſa fuit, cur Tuo judicio (quod merito magni facio) ſubjecerim non pauca operi illi meo inſerenda, de quibus reſponſum abs Te exſpecto. Quod ut etiam nunc repetam, has ad Te dare conſtitui. Erat tamen & alia cauſſa, quòd Illuſtriſſimus Rautenſteinius poſtremis die 8. Junii St. Gregor. datis plurimùm Te ſalvere juſſerit, cum voto, ut quàm optimè vaces negotiis commiſſis, ac literis, quibus imbutus es variis. Quod reliquum eſt, refero animum meum Tuumque ad priores meas, quæ quanto cum deſiderio Viri docti hîc & alibi degentes mecum exſpectent, ſingularia illa Rudbeckiana Tibi nunciabunt. Vale, & mihi porrò favere perge.

N. 16. *ad* 15. *Holmiâ Hamburgum die* 10. *Junii Gregoriani* 1665.

Heinſius literarum ſuarum infrequentiam apud Auctorem excuſat,

NOn tàm meâ quàm frequenter feriantis Aulæ ſit culpâ, quòd & rariùs per literas Te compellem, & excuſationis nonnihil ad partes identidem ſit vocandum, quò & ſterilitatem mearum & infrequentiam conciliem Tibi utrumque, ac minus odioſam reddam. Ita ſit, quòd tabellario proximo, cùm vellem maximè, nil omnino literarum ad Te perferendum dederim, atque interea temporis tres Tuarum, ſuaviſſimæ ſane atquè acceptiſſimæ illæ, mihi ſint redditæ: ad quas unâ nunc operâ à me reſpondebitur. Ac primò quidem, quòd in præclaro de Cometis opere, nomen etiam meum vis exſtare, poſt tot magna nomina, quodquè cælo ac ſtellis me humi repentem adſigi cupis, etſi honorificum ac glorioſum inprimis duco, vide tamen ne invidiæ obnoxius ſit hic nimii amoris impetus. Quæ familiariter apud Te depoſui, uti in buccam, quod ajunt, veniebant, de Cometis hîc terrarum nuper admodum ſpectatis, ea non ſunt tanti, quæ publicè circumferri mereantur, cùm nec eruditionis quicquam reconditæ præ ſe ferant, nec elegantiæ ac urbanitatis, Soloci filo deducta, & in amicos ſinus properatìm effuſa, ne dicam ſupinè & oſcitantur, qui meus mos eſt. Quapropter premi ea ac tenebris involvi, unicè velim. Ne quid tamen in primo plenoque amicitiæ alternæ curſu duriùs obniti deſideriis Tuis ac reluctari præfractè videar, illa quæ ex epiſtolis ipſis deſcribenda in uſus publicos duxiſti, operi tuo inſeri aut attexi permitto. Sed Tu pro ſingulari Tua prudentia, ac conſummato rerum uſu per Te facilè conſules ac ſalubriter proſpicies exiſtimationi meæ. Illuſtriſſimum Rautenſteinium quòd mihi conciliaſti (cui enim debeam lubentius quàm Tibi, talis Viri favorem ac adfectum!) eſt ſane, quòd debere

De ſe & ſuis cum Auctore communicatis modeſtè ſentit, Eaque operi inſeri permittit, Cum delectu tamen, De conciliata ſibi Rautenſteinii benevolentia gratulatur,

debere me Tibi plurimùm agnoſcam. Cum ad illum ſcribes, quod fieri abs Te frequenter reor, meæ viciſſim ſalutationis officio ut defungaris illic, vehementer te rogo ac adhortor: cùm in præcipua felicitatis parte reputem ac numerem, homini tot tantiſque inſtructo virtutibus innotuiſſe. Prodromum Hevelianum avidè exſpecto, avidiùs tamen, quæ Tu ejuſdem argumenti obſervata jam pridem moliris. Upſalienſes tacere pergunt: quos tamen perendie rurſum officii admonebo. Neſcio an proximè ſignificârim, Sculerii cujuſdam, hominis mihi haud noti, Commentarium de Cometis in Batavia nuper admodum donatum eſſe publico. Vale.

Rautenſteinium magni Heinſius facit

Heinſius cœptis Auctoris ſingulari ratione favet.

Sculerius de Cometis.

Hamburgo Holmiam die 10. *Junii Juliani* 1665.

N 22. *ad* 16.

FAteor me ita aſſuetum eſſe Tuarum ſuaviſſimarum literarum lectioni quas ad me hebdomadatim dare ſoles, ut cum præſtitutâ die, quâ Septentrionales tabellarii ad nos venire ſolent, ſpe optatâ excido, inſigne tædium capiat animus. Continuo enim eum, ut

Res eſt ſolliciti plena timoris amor,

ſuſpicio morbi invadit & occupat. Et quamvis juſtæ illæ de defectu materiæ ſcribendæ, & exceſſu expediendorum negotiorum publicorum excuſationes in mentem veniant, tamen neſcio quomodo dubius animi hæream & fluctuem in mediis cogitationibus. Ita animi incertus cum eſſem, heſternâ veſperâ in mediam noctem adultâ, pediſequus à Magiſtro tabellariorum redux gratiſſimas mihi literas Tuas attulit die 10. Julii Gregoriani ſcriptas, quas Tibi Amor ipſe & modeſtia dictavit. Sed quid? Tuane etiam quæ currente calamo protrudis, intra privatos amicitiæ parietes coërcenda, imò ad caliginoſam ſilentii noctem damnanda, & non potiùs privato liberata carcere in lucem proferenda ſint? Non magis Principibus, ut in publica, ita & in literaria re latere, quàm Soli contingere, ex antiquo verbo noſti. Ergone lateat illuſtre Heliconis ſidus Heinſius, nunc præſertim cum orbis de Cometa

Heinſii commercium & amicitiam magni Auctor facit.

Amor metu plenus.

Heinſii comitas & modeſtia.

Heinſianis meritis debitum teſtimonium datur.

\- - - - - calet uno
Scribendi ſtudio.

Sed do id modeſtiæ Tuæ, quæ omnes reliquas virtutes tantò altius evehit, quantò ſe demittit magis. Nec ego mea in lucem exire paſſus fuiſſem, niſi Tu & Illuſtriſſimus Rautenſteinius (cujus amicitiam à me Tibi conciliatam, ſaltem renovatam, tanti Te facere, utrique Veſtrûm mihiquè ipſi gratulor) & alii Veſtrûm ſimiles. Latere volentem & tenebras privato homini commodas convenienteſque quærentem protraxiſſent, mihique ad ea in publicum emittenda animum addidiſſent. Quo factum eſt, ut omni ſtudio & operâ in promovendas utilitates publicas incumbere cœperim. Id verò poſtquam agendum eſſe duxi, & in me ſuſcepi, id ago ut à me veterum Amicorum induſtria aſſiduo literarum commercio magis magiſque etiamnùm excitetur, & illa novitiorum provocata uberem rerum Philoſophicarum frugem in hanc meam, ut ſic dicam, penariam cellam conferat. Atque hac ratione opus in juſtam excreſcet magnitudinem, & juſtæ beneficentiæ volet quærere Patronum, hâc præſertim tenui rerum mearum ſorte, quam mihi aliiſque plurimus equeſtribus, ſed & plebeis familiis, religionis obtentu ſpecioſo, popularium iniquitas attulit. Video autem proh dolor! triſtem, qui abhinc diebus octo inter Britannam & Batavam claſſem contigit, conflictum, atquè utinam in rerum natura non extaret, vel à nobis ignorari poſſet! aucturum opus illud meum. In quo, ſat benè ſcio, tuendæ mihi erunt Cometæ primi partes, qui quòd ſigna aquatica, quæ libido humana cælo impreſſit, Hydram aquaticam, navim Argo, fluvium Eridanum & Cetum

Modeſtiam utilem ſerva.

Auctor de cœptis & rebus ſuis apud Heinſium familiariter loquitur.

Pugna navalis inter Britannos & Batavos.

Cometa hyemalis belli navalis non eſt cauſſa.

peragra-

peragraverat, bellum hoc jam antè ortum præſagiiſſe longè quàm nuper confidentiùs dicetur. Cum tamen & plura longè ſigna, quæ nihil ad navales vel etiam terreſtres pugnas faciunt, percurrerit. Non temerè illuſtriſſimum olim Reipublicæ literariæ decus, Julius Cæſar Scaliger, Cometas nec ſigna eſſe futurorum, niſi quodam modo, ob rerum ſcilicet cohærentiam, appellere voluit. Non enim res, ut cauſſā ſignant. Cauſſæ harum in voluntate humana rectâ pravâque quærendæ ſunt. Utriuſque effecta, & hæc ſecutura præmia ſuppliciaquè hìc illìc prænunciat Cometes, tàm bonorum quàm malorum interpres & nuncius Dei. Sed ut illud cum Magno Scaligero, Cometas ſigna futurorum haut eſſe, Phyſicâ ſcilicet neceſſitate armatâ, ita hoc, eoſdem præſignificare bona malaquè ob cohærentiam eventuum ſequentium, cum Ethices Magiſtris dico. Non hìc mecum Sculerius ille veſter, cujus librum in libraria taberna nuper inſpexi (quis enim omnes de hoc argumento recens editos perlegat?) faciet. Imò non ego cum illo, aliiſque qui Cometis in patria Tua & alibi terrarum diem dixerunt, quin & gravem dicam impegerunt. Reclamat enim mens, ſed & ipſa conſcientia mea. At ego cuique libertatem dicendi & judicandi integram relinquo, ſed nec meam mihi eripi patiar. Neque etiam ego ſum ſententiæ iſtius auctor. Tot Clariſſimi jam antehac Viri, non tantùm rerum Aſtronomicarum ſcientiâ, ſed & multâ eruditione, ſolidâ prudentiâ ac eximiâ pietate conſpicui, eandem propugnarunt acritèr feliciterquè. Horum diligentiæ ſi quid addo, quod non injuriâ ſpero, mutuam iis reddo, qui nos anteceſſerunt, officii vicem, quam non interruptâ ſerie teneamus, jubet æquitas, ac parem à poſteritate, accepti officii gratâ, exſpecto. Et ut paulò majorem excurſum Tecum hìc faciam, nuperrimi illius conflictûs, cujus acerbitatem lenire in animo Tuo amicâ manu cupio, occaſione, Theologus jure ſui officii conſcientiæ, graviſſimi oneris inſtar, incumbentis uſus dicet, Chriſtianum haud eſſe ejuſmodi bella internecina & funeſta gerere ejuſdem confeſſionis, & illius quidem Euangelicæ & Reformatæ ſocios, & fortè redivivum aget Whittakerum, ſeveram ejus vocem; *Aut hoc non eſt Euangelium, aut vos non eſtis Euangelici* repetendo. *Politicus judicabit ponè hunc, laborantibus Batavorum, ſed & omnium Euangelicorum rebus malum extremum diſcordiam acceſſiſſe. Cæterùm ne & domi apud Vos diſſidium aliquod oriatur, quidam vobis faventes verentur. Nempe, prout jam nôris, Zelandicæ & Friſiæ naves, ab Hollandicis, quòd Archithalaſſis Opdamo & Cortenario fortiſſimè pro patria mortuis, Magnanimo Trompio parere nollent, maturè diſceſſiſſe ſcribuntur. Ubi jam eſſet (ſi, quod abſit, res ita ſe haberet) Veſtrum Almæ Concordiæ ſymbolum, & fortiſſimi Leonis faſciculum illum ſagittarum infrangibilem pharetræ prudentiæ à Scyluro nobili apud Plutarchum Scytha impoſitum, pede anteriori ſiniſtro tenentis hieroglyphicum? Verentur autem jam prudentiores, ne ex hac cauſſā major quædam apud Vos oriatur diſcordia. Quod periculoſiſſimum mali genus à florentiſſima & optimè conſtituta, omnibuſque bonis tàm cara quàm amica Republica Veſtra, longè velit eſſe propitium numen! Ethicus poſt hunc, iſto facinore violatam vicinitatem, morum ſanctimoniam, ipſam humanitatem pronunciare non verebitur, & quiſquis victor tandem vel victus fuerit, concludet:

Cometæ non ſunt actionum humanarum auctores, ſed prænuncii bonorum & malorum eventuum, & ſigna Ethicè non Phyſicè.

Libertatem æquam Auctor cuivis relinquit, ſibique ſuam relinqui poſtulat.

Dies diem docet.

Theologicum judicium de pugna navali Britannos inter & Batavos.

Euangelicis de vita Euangelica conveniens monitum.

** Politicum de pugna navali Anglo-Batava judicium.*

Concordia Batavorum laudanda.

Leonis Batavi hieroglyphicum.

Bataviæ laus.

Ethicum de pugna navali Anglo-Batava judicium.

> Nec nimiùm invideas fortunæ Cæſaris: ambo
> Eſtis in Æmathia, tu miſer, ille nocens.

Hiſtoricus deniquè & Phyſicus ſimul antè & poſt Cometas hìc illìc læta triſtiaque in orbe geri, & quemquè pro meritis ſemper laudem vel vituperium, præmium vel pœnam tuliſſe, ſtatuet. Nam certè qui hiſtoriarum monumenta evolvit, & rerum quæ factæ ab hominum memoria ſunt, quæquè ipſo vivente, & (ſi oculos ad videndum habeat) vidente fiunt, ordinem conſiderat, is earum animadvertit cauſſas & viciſſitudines, & illam Pythagoræ celebratam

Judicium de pugna navali Anglo-Batava Hiſtoricum & Phyſicum.

Viciſſitudo omnium rerum eſt.

Σύμπαν

Σύστασιν, ᾗ τὰ ἕκαστα διέρχεται, ᾗ τε κρατεῖται.

(Conſiſtentiam, quâ & tranſeunt ſingula & continentur.)

Sed repetamus noſtri Cometæ orbitam, quam omnium optimè Ampliſſimus Hevelius deſignavit, ſicut qui talia norunt, & ὁμότεχνοι (ejuſdem artis participes) quibus Phocylides, ſed & juſtitia ipſa, judicandi de rebus facultatem conceſſit ſolis, dicendi ſunt, fatentur. O utinam Prodromus ille Hevelianus ocyſſimo curſu ad Te tranſvolet! Ego quia ſingulari & Hevelianæ, tum Ricciolianæ ac Kircherianæ in re Mathematica ſcientiæ & in me benevolentiæ multùm debeo, Heveliani illius Prodromi Prodromum Bononiam, exinde Romam cum expedito tabellario his diebus mitto. Quod quidem opuſculum, magno ſtudio elaboratum, non erit bonarum literarum, cumprimis rerum Mathematicarum amantibus, ingratum, quia utile, ob adjecta quædam parerga, quæ Annotatiunculatum vices quadamtenus gerent, præſertim cum non pauca à me aliiſquè mota, & ipſo ab Auctore vel correcta vel illuſtrata complectentur. Sed quam non opinionem Tu de meo opere concepiſti? Satis eſt, quòd avidius Te mea exſpectare dicas. Quis autem ego ſum, qui in comparationem cum Hevelio, Aſtronomorum facilè Principe, venire queam? Novi tamen quid Tibi per hoc dictum velis. Mea illa Phyſica, Politica, Hiſtorica, Ethica, Tuo genio magis convenientia intelligis, quorum refertus erit liber meus libera de rebus laturus & daturus judicia. Unum eſt de quo Te hîc compellare debeo. Negat Prodromus ille Cometam, ut Gedani, ita multò minùs aliis in locis, ubi altitudo Poli minor eſt, ut Romæ, Florentiæ, Bononiæ, Venetiis & in aliis Italiæ locis, tùm Ingolſtadii, Horizontem ſubiviſſe, & per diem unum atquè alterum latuiſſe: Contrà verò ubi polus aliquantò elevatior eſt, ut apud Vos Holmiæ. Nempe elevatio poli Gedanenſis ab Auctore obſervata eſt 54°. 22'. 52''. Venetiis 45°. 26, Bononiæ 43°, 54', Florentiæ 43°, 46, Romæ 42°, 2', Ingolſtadii 48°, 36, ut apud Vos Holmiæ 58°, 56. ſecundum Varenium, ſecundum Apianum verò 60°, 36, tùm Upſaliæ 61°, 5'. Igitur ſicut Amicos Italos & Germanos hac de re conſulo, ita & Te ac per Te Upſalienſes. His autem nunciatâ à me, quamvis de facie ignoto, amicâ & officioſâ ſalute, ſtimulum porrò addes, ut tàm propria promiſſa, quàm noſtra vota impleant mittendo ad me, vel potiùs in medium Senatum Philoſophicum ea, quæcunquè de argumento Cometico habent, ſingularia, cumprimis illa, quorum mentione ſalivam nobis omnibus Clariſſimus Rudbeckius movit. Ecce verò me, qui viro illi longè Doctiſſimo, ut & tot aliis ejuſdem commatis Viris, benè conſultum cupio, in perenni memoriæ commendandis iis, quæ de argumento Cometico & ejus occaſione ad promovenda humani generis commoda commentati ſunt, & vel epiſtolis familiaribus mecum reciprocatis inſperſerunt. Quid enim magis nos decet quàm virtutem & veri ſcientiam, ex qua illa fluit, commendare, urgere, inculcare, hoc præſertim ferreo ſeculo, tàm ſterili virtutum quàm feraci vitiorum? Vale, Vir Nobiliſſime, illuſtre rei literariæ & mearum rerum decus.

Hevelii ſingularis in deſignanda Cometæ orbita diligentia. *Artifici in ſua arte credendum.* *Heveliani Prodromi prodromum Auctor Ricciolo & Kirchero mittit.* *Hevelio Auctor aſſurgit.* *Cometa hyemalis Horizontem in nonnullis locis ſubiit, in aliis nequaquam.* *Elevationes poli variorum locorum.* *Upſalienſes apud Heinſium Auctor compellat.* *Auctor multis Viris doctis & publico prodeſſe cupit.* *Virtus unicè commendanda.* *Seculum præſens ferreum, corruptum.*

Holmiâ Hamburgum die 7. Junii Juliani 1665.

ALiquot ſimul Tuis præterito menſe Majo decurrente exaratis reſcripſi proximè. Ex illo tabellarius nil omninò mihi abs Te tulit literarum. Sed nec ab Upſalienſibus Mathematicis quicquam ad me pervenit, quo Tuum de Cometis opus luculentum exornari ac augeri poſſit. Hevelianum ejuſdem argumenti Prodromum tradidit mihi perlegendum Illuſtriſſimus Regni hujus Cancellarius, idquè proximis diebus: quem tamen excutere necdum licuit, quòd penes Oratorem Fœderati Belgii Iſbrandium, hominem omnium ſcientiarum, ac præſertim rerum naturalium inſigniter amantem, etiamnùm hæreat. Quantum primo oculorum conjectu licebat aſſequi, omnia illìc mirum in modum

Hevelianus Prodromus magni fit in Suecia. *Iſbrandius laudatur.*

accurata comparuêre. Quò magis indignor, Upſalienſes procraſtinare fidem polliciti ſuper obſervatis ſuis Tecum communicandis. Video in Belgio noſtro alia ex aliis ſcripta hujus argumenti quotidie in lucem prodire: quæ tamen Hevelianæ lucubrationi haud reſpondere aut componi poſſe, ſum certus. Vale.

Hevelius incomparabilis ab Heinſio judicatur.

N. 23. *ad* 17.

Hamburgo Holmiam die 17. *Junii Juliani* 1665.

DUm Tibi pauca ad breve epiſtolium die 7. Junii Juliani abs Te datum, hodie vero 17. ejuſdem Kalendarii ad me perlatum ex tempore repono, mirari primùm & dolere ac queri debeo de tarditate tabellariorum literas noſtras ultrò citroquè deferentium. Te enim tunc literas meas Numero 25. inſignitas, ſed his rationibus publicis Numero 23. inſigniendas die 6. Junii Gregoriani cum tabellario Suecico miſſas, niſi me rationes meæ fallunt, accipere oportuit. At verò has tunc ad manus non perveniſſe Tuas, cauſſam divinare non poſſum. Illis meis, ſicut & poſterioribus die 9. ejuſdem ſtili datis, incluſeram operis mei caput & præloquium, de quibus judicium Tuum exſpecto. Hevelianum Prodromum in conſpectum Tuum jam veniſſe magnoperè gaudeo. Libenter judicium Tuum de eo intelligam. Quod Tu poſſes quoquè facilè ex Excellentiſſimo Iſbrandio Fœderati Belgii Oratore, Viro tantoperè laudato & talium non minùs appetenti quàm gnaro (cui reverſuro me meaquè ſtudia commendes velim: non majorem ejus experiri favorem optarem, quàm olim Petri Vogelſangii Oratoris itidem Veſtri in Aula Danica expertus fueram) expiſcari. Sed & ex Illuſtriſſimo, qui Tibi primus librum illum perlegendum commodavit, Regni Cancellario, non tantùm nomine, ſed & re (quod tot ejus Virtutes, dotes Magno Rege dignæ & merita loquuntur, & ego benè novi, converſationis ejus jucundiſſimæ honore per ſeſquiannum in Pomerania & Pruſſia potitus) Magno, de quo me aliquando illud Poëtæ uſurpaſſe fateor:

Iſbrandio ſe per Heinſium commendari cupit Auctor.

Vogelſangius Orator Fœd. Belgii auctori amicus.

Magnus Comes Sueciæ Cancellarius laudatur,

Benèvolus ergà Auctorem;

> Magnos poſſe Viros & magna exempla daturos
> Suecorum in patria craſſoquè ſub aëre naſci.

Quâ occaſione, jure amicitiæ uſus, poſſes tanti nominis Viro Opus meum commendare, eique fidem facere, inventurum eum ibidem multa, quæ exquiſito ejus palato arridebunt. Bonam me Ampliſſimi Hevelii, quem quanti Illuſtriſſimus ille Comes & Cancellarius Magnus faciat, his oculis vidi auribuſque audivi, iniviſſe gratiam, quòd ex ejus Prodromo figuris Obſervationum Cometicarum Operi meo inſerendis adjungenda neceſſariò explicationis loco excerpſerim, teſtatur poſtrema ejus epiſtola die 17. Junii exarata, cujus en Tibi apographum. Sed & plura in hoc genere feci, de quibus Te jam antea monui. Atquè hæc documento erunt, me Virum illum in Aſtronomicis maximi Tecum cumque pluribus aliis facere. Id & Italiæ illa lumina, Ricciolus & Kircherus, ad quos nudius quartus excerpta illa miſi, Tibi verò particulam epiſtolæ ad hunc ſcriptæ mitto, videbunt. Plura addere tempus vetat. Sed hæc Tibi dabit proxima occaſio, Deo dante, quæ ſe die Martis futuro offeret, tabellario Danico equite hinc abituro. En Tibi pauca ſcitu de publicis rebus digna. Hollandica Tibi non mitto, ne noctuas Athenas mittam. Vale eximium rei literariæ meorumquè ſtudiorum præſidium & decus.

Et Hevelium.

Hevelium maximi facit Auctor,

Ex Prodromo ejus quædam excerpta, imò & Compendium ejus operi inſerit.

Ricciolus & Kircherus è Societate Jeſu.

Heinſii amicitiam plurimi Auctor facit.

N. 18. *ad* 18. & 19.

Holmiâ Hamburgum die 14. 24. *Junii* 1665.

QUæ ex opere Tuo delibanda ſitienti mihi appoſuiſti, multâ mehercules voluptate me perfuderunt, faciuntquè, ut cætera videre juris publici facta unicè deſiderem. Age igitur quod agis, operamque da, quantam potes, ne vanâ exſpectatione utiliſſimi laboris diutius lactemur. Quæ ad me harum

Heinſius judicium amicum de illis quæ Auctor cenſuræ ejus ſubeſſe voluit, fert, & operis editionem urget.

harum lucubrationum pervenire voluiſti, ea ſemel iterumquè avidiſſimè perlecta nunc en ad te recurrunt. Hoc autem mihi perſanctè affirmanti volo credas, complura in iis mirificum in modum placuiſſe mihi, diſplicuiſſe nihil. Ne tu anxiæ & ſeveræ reprehenſionis cenſuras à me promittas Tibi incaſſùm. Hevelianum Prodromum Dantiſco accepi proximis diebus à Pelſio noſtro. Opus ipſum avidè & attentè non percurri ſolùm, ſed & Fœderatorum Belgarum Oratori Domino Joanni Iſbrandio perlegendum dedi, cum Illuſtriſſimus Regni Suecici Cancellarius ejus ante dies hoſce quatuordecim feciſſet mihi copiam, ut nuper ſignificaſſe me recordor. De ipſo Opere quid ſentiam quæris? Conſummata quævis de ingenio induſtriaquè Scriptoris cum mihi promiſiſſem, omnia tamen ſpe atque exſpectatione illic majora apparuerunt. In Fœderato Belgio, quantum agnoſco, novi quotidie magno numero Scriptores proveniunt, qui idem argumentum ſibi illuſtrandum proponant, & poſt hunc Roſcium auſint ſaltare, utinam tàm feliciter quàm fidenter! Rudbeckius cunctari pergit, ut ex hoc Schefferi Schedio proximis diebus ad me perlato dabitur colligere:

Hevelianum Prodromum ſe accepiſſe Heinſius gratulatur.

Eumquè maximi facit,

Et incomparabilem judicat.

Cum Rudbeckio non ſemel egi tuo nomine. Pollicetur is quotidie induſtriam ſuam, & jam conſcripſiſſe quædam ſcio. Sed alibi hæret occupatus. Non omittam tamen urgere, & vel invito extundere aliqua, minimè, ut ex colloquiis ejus conjectare poſſum, contemnenda. Indicabam ipſi, quæ ſignificaveras de Oratione Grævii. Statim videndæ ejus deſiderio exardebat. Sed quia ignorabam rationem, quâ hùc poſſet adferri, effeci, ut hoc quicquid eſt, differret in adventum ſuum, cum poſt dies ſummùm quatuordecim iter ad vos cogitet. Hæc Schefferus.

Rudbeckii mora, occupationes, laus,

Ex quibus manifeſtum, ni fallor, fit, Rudbeckium plus æquo negocioſum, nobis vix vacare aut promiſſis ſuis poſſe, ut injurii omninò ſimus, qui illum à rebus gravioribus fruſtrà nitamur avocare. Si quid interim hujus argumenti Vir doctiſſimus idemquè humaniſſimus patietur ſibi extorqueri, id amotà omni procraſtinationis ambage confeſtim ad te perferatur, opera à me dabitur. Vale.

Hamburgo Holmiam die 7. Julii Gregoriani 1665. *N. 25. ad 18.*

EN Tibi quæ nuperrimè de publicis rebus accepi. Inter quæ nec apicem à communi illo Amico invenias. Nihil enim literarum tunc, nihil & nunc accepi, quamvis induſtriam ejus ferè aſſiduâ & prolixiori ſcriptione provocem. Video non quemvis ad ſtrenuè & indefeſſo ſtudio exercenda humanitatis officia & literarum commercia aptum eſſe. Quibuſdam id aſſiduò agere libet, ſed non ſemper, aliis contrà ſemper, minimùm frequenter licet, ſed raròlibet. Atquè inter hos defectus omnia humana verſantur. Mihi in vita civili commercio literarum, per quas cum Amicis non ſecus quàm in convivio de rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus, ut eſt apud Gellium (l. 13. c. 11.) confabulari licet, nihil eſt ſuavius. Quo in officii genere me non eſſe negligentem, Tu quoquè Optime Amicorum Humaniſſime Heinſi, noſti, & videbis brevi, ſi Deus ſinet, in Opere meo: cujus editio ut ab Amicis in Batavia Veſtra abſque mora inchoëtur, precibus inſto quàm poſſum maximis. Clariſſimum Iſaacum Voſſium, Magni Parentis dignum, quod tot ſcripta ejus reconditæ eruditionis plena docent, ſucceſſorem, germanum Tuum eſſe Amicum accepi. Vellem Te parario in notitiam & amicitiam tanti Viri devenire. Cujus Parenti, de re literaria & puritate ſermonis Latini (vel, ut emendatè & purè cum eo loquamur, de puri ſermonis Latini uſu) optimè merito, plurimùm me debere, & quotidianum ferè ejus diſcipulum eſſe, gratus agnoſco. Memini cum in Galliæ viſceribus antè XVII. annos agerem, Martinum Ruarum Virum Clariſſimum & undiquè Doctiſſimum primum fuiſſe, qui mihi incomparabile illud Voſſianum de vitiis Sermonis & Gloſſematis Latino-Barbaris opus ita commendaverit, librum eſſe maximè utilem, ex quo & Viros doctos purum Sermonem Latinum diſcere deceat & neceſſe ſit. Et quis vel criſtas demittere vel ſe ſubdere jugo liberali, vel

Silentium induſtriæ grave eſt.

Defectu facultatis vel voluntatis ubiquè laboratur.

Commercium literarum jucundum & utile.

Voſſium Patrem & Filium Iſaacum magni Auctor facit.

Voſſi: liber de vitiis ſermonis laudatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Voſſius pater linguæ Latinæ incomparabilis magiſter.

ſpontè incomparabilis Magiſtri diſciplinæ erudiendum ſubmittere nolit, qui Servios, Severos, Manutios, Muretos, Sigonios, Scaligeros, Lipſios aliaquè illuſtriſſima cæli literarii lumina defectibus quibuſdam laboraſſe & priſtino munditiæ Latinæ nitori reſtituendos eſſe ad oculum demonſtrat? Poſſet verò & tanti Viri filius ac ſtrenuus imitator, non tantùm utilem, ſed laudabilem conferre

Voſſianam ſymbolam operi inſerendam Auctor per Heinſium obtinere cupit.

ſymbolam (de qua ipſa voce quæ non Optimus ille Doctor doctos quoque docuit pulchra & ſolida!) velut ad cænam Philoſophicam, ad opus illud Cometicum, quod molior, & Tu Tibi tantum placere toties teſtaris. Placeret, credo, omnibus, ſi Tu Ariſtarchum agere velles. Non refugit hoc nomen Magnus ille Voſſius, ſed & ὁ μακαρίτης Parens Tuus. Verùm ego moleſtus Tibi eſſe, curis publicis occupato, importunâ petitione non pergam. Sed ad Voſſium revertar. Poſſes illi ex Te ipſo dicere (literis ad me miſſis, quibus meas adjungerem ſocias) eum hîc nobis ſatiſſacturum, & gratiſſimam ſymbolam collaturum, ſi nimirum, an & quantum ſidera in hominem agant, tùm an & quare Cometa bona quoquè prænunciare dici poſſit, nobis expoſuerit. Magnum, crede mihi, accederet rei noſtræ, illi dico operi, cujus tantam in Te ſuſcepiſti cu-

Voſſium Iſaacum magni Auctor facit.

ram, momentum, ſi Vir primi in Senatu Philoſophico ſubſellii aliquid ſuæ & paternæ exiſtimationi conveniens in medium adferret. Sed de hoc ſtatue, quod ex

Auctor nil ſe hic niſi publicæ utilitatis ſtudio agere teſtatur,

uſu ſiet. Ego enim quicquid hîc conor, ago, ſolas publicas utilitates me ante oculos habere teſtor. Ideo librum hunc, quamprimùm per typographi & chalcographi induſtriam fieri poterit, publico dabo, & limæ induſtriam propriamque laudem poſtponam publicæ utilitati, cui plurimùm, ſed & Tuæ, Tuique ſimilium

Ideò operis editionem ſe maturaturum promittit.

amicitiæ, cui multùm debeo. Certus itaquè eſto me nec Ubſalienſia tandiu exſpectaturum, ut inde editio libri impedimentum, & Veſtra vota cum meo in publicam utilitatem ſtudio juncta detrimentum aliquod capiant. Atquè eodem modo, aliundè ſat diu exſpectans vel ex æquo, vel ex promiſſo debitas ſymbolas, niſi hæ in tempore adfuerint, agam. An autem illi rem rectè curârint, Veſtrûm erit judicare, qui frequentem Senatum Philoſophicum conſtituetis.

Schottus laudatur, Ejus communicatio ampla, varia continet egregia.

Celeberrimus ille tot ſcriptis in publicum editis Caſparus Schottus è Societate Jeſu aderit Vobis, ſociumquè ſe adjunget, miſſis ad me permultis ex Italia, Germania, Gallia & aliunde obſervationibus & typis Cometarum, imò & judiciis de judiciis Aſtrologicis. Hæc omnium non exiguum ornamentum operi meo adferunt.

Hevelium magni ab Heinſio fieri Auctor gratulatur, Ejuſque meritis debitum teſtimonium dat.

Prodromum Cometicum Hevelii accepiſſe Te gratulor: ut &, eum Tua vota non tantùm æquaſſe, ſed & ſuperaſſe. Næ ille Vir ad unguem mihi factus in Aſtronomicis videtur.

**Kirſtenius laudatur, Ejus de Hevelio judicium.*

Nudius quoquè tertius * Michaël Kirſtenius Vir hac in Urbe inter Doctiſſimos meritò ponendus, quiquè ut ὁμότεχνος Clariſſimo Hevelio, de Aſtronomicis judicium ferens jure audiendus eſt, ſingularem ei laudem inventæ orbitæ Cometicæ & exploratæ deviationis tribuit. At verò illum tunc demum ad unguem factum dicemus Aſtronomum, poſtquam emiſerit in lucem ſuam illam Cometographiam tandiu deſideratam quandiu promiſſam. Hæc enim dubio procul demorſos ſapiet ungues, & promet multorum annorum & diurnorum pariterquè nocturnorum laborum felicem induſtriam. Libri illius exemplum Tibi ab auctore donatum ex apographo literarum ejus ad me die 2. Junii datarum, quod me Tibi miſiſſe recordor, jam cognoveris.

Roſcio ſpectante geſtum in ſcena agunt, qui præſente excellentiſſimo in aliqua arte viro viribus imparia tentant.

Permultos, ut eſt ſeculis, noſtro quoquè, major ſubinde inſitus ſcribendi pruritus, *agere in hac ſcena geſtum, ſpectante iſto Roſcio* (quod olim Cicero mirabatur) omninò verum eſt totius orbis innumeris exemplis, non ſolius Bataviæ Veſtræ. Huic utinam armata ſaltatione tàm iniqua abſtinere in præſentia licuiſſet! & in mari quidem, ſævo & infido elemento. Sed jam finire me charta & hora & res ipſa jubet. Adjungo epiſtolam Rautenſteinianam, quæ Tui tàm amicam & honorificam mentionem facit, nec non epigramma ad Illuſtriſſimum Fredronem Caſtellanum Leopolienſem Clari nominis Hiſtoricum

Heinſii patris laus.

gentis noſtræ, cùm & Heinſianum nomen hîc inter Magna nomina ſit relatum. Vale.

Holmiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Holmiâ Hamburgum die $\frac{20}{30}$. *Junii* 1665. *N.* 19. *ad* 20.

QUoties ſtimuli atquè calcar à me ſubduntur Tibi, ut procraſtinationem operis Cometici detexendi omnem abrumpas ac procul habeas, toties de re literaria univerſa me mereri, ut qui optimè cenſeo ac perſuaſum habeo, ut ipſe certò credam. Quapropter opinari Te nolim, aut affectui ſtudioquè rerum Tuarum me nimium hîc indulgere, aut Tibi os ſublinere & fucum facere, qui omnes aſſentationis abjectæ ac degeneris cauſas, ſi quis alius, à moribus meis arceo atquè excludo. *Stellam ipſo meridie ad veſperam uſquè diurno cælo antè duos propemodum menſes in hac conſpectam civitate à plurimis ſcio: quo apparuerit die non ſatis memini. Accuratius ad omnia Tua nunc reſponderem, quæ poſtremis Tuis die 13. Junii Gregorianæ æræ exaratis complexus es, niſi ipſam ad Upſalienſes amicos epiſtolam miſiſſem proximis diebus, ut ceſſantes Fabios hoſce Cunctatores officii denuò admonerem, & ad fidem liberandam inſtigarem. Ad privata quod ſpectat, ex domeſticis intelligo, quæſitum me nudius tertius domi meæ à Rudbeckio, cum in publicum jam prodiiſſem. Alii addiderunt, necdum parata illum in ſcriniis habere, quæ ſuper Cometis nuperis diſſerenda abs ſe fore mihi erat pollicitus. Curabo in hoſpitium ejus inquiri, & niſi ipſe mihi adeſt die craſtino, ad illum domo excurram. Quantum licuit cognoſſe, Heveliana mirum in modum videre geſtiebat. Sed ipſe ſua proferret mallem, quod feliciter poteſt præſtare, quàm alienis ſcriptis perlegendis inhiaret. Tu Vale Lubienieci Nobiliſſime, & mihi velle, ut hactenus, perge.

*Heinſius operis editionem apud Auctorem urget, Id ſe ſincerè & boni publici ſtudio agere teſtatur. Aſſentatio animi degeneris index. *Stella meri[…] die Holmiæ viſa.*

Cunctatorem officii agere noli.

Hamburgo Holmiam die 14. *Julii S.N.* 1665. *N.* 26. *ad* 19.

ACres profectò admoves mihi, quo editionem operis mei quàm ocyſſimè maturem, ſtimulos. Nempe enim non ſolùm amicæ monitionis, quæ & ipſa efficaciter urgere ſolet, cum præſertim, qui ſuâ ſponte in officia amico præſtanda fertur, ſed & publicæ utilitatis, ac inde provenientis laudis. Quid enim iſtis validius eſſe poteſt? Crede mihi niſi objecta haberem tot laborum aſſiduorum, & haud levium profectò, impedimenta, Tuis & Illuſtriſſimi Rautenſteinii (ut vides ex litteris ejus die 2. & 6. Julii datis, in quibus invenies etiam quæ ad Te pertinent) aliorumquè Amicorum votis jam ſatiſfeciſſem. Nam etſi Ubſalienſes, Lugduno-Batavi aliique nonnulli in Senatum Philoſophicum vocati ſeriùs ſe ſiſtant, hoc tamen editionem Operis non retardaret, niſi alia adeſſent obſtacula. Quæ tamen quantum poſſum removeo, nec in me quicquam induſtriæ deſiderari patior. Cæterùm & habent jam Amici in Hollandia bonam operis partem, ut & typos Obſervationum Cometicarum ferè xx. æri incidendos, habent & ſtimulorum, quos induſtriæ eorum adhibeo, eamque incito, ſatis. Ideoquè ſpero eos vel jam feciſſe, vel propediem facturos eſſe operis initium. Ecce vero dum hæc ſcribo, literas ab eis ante triduum datas accipio: quæ nunciant eos jàm manum admovere operi, chartâ comparatâ, & typos illos obſervationum Cometicarum ſculptori jam jam tradituros fuiſſe. Verùm iterum iterumquè monent illi, ut editionem operis, quæ meis fiet, Deo dante, impenſis, privilegiis neceſſariis ut aliorum nonnullorum Principum, ita & Præpotentum Ordinum Fœderati Belgii, contrà fraudem & vim avarorum, plagiariis, judice Martiali, accenſendorum, muniam, quâ de re videbis quid & communis Amicus Ratiſbonenſis ad me pro ſolito candore ſcribat. Crede mihi vera dicenti, ſum quidem ab omni ambitione avaritiaquè alienus. Nollem tamen ſumtus haud profectò exiguos, idquè hoc rerum mearum ſtatu, dum me cum numeroſa, denarium nempe numerum ſuperante, imò duodenarium æquante familiâ in peregrino ſolo ſola induſtria Dei munere alit, fruſtrà facere. Tuum hîc quoquè conſilium exſpectabo, qui me auctoritate Tua apud Patres

Stimulis efficacibus amicæ monitionis, publicæ utilitatis & laudis cedendum eſt.

Auctor ipſe operis editionem urget quantùm poteſt.

Huic ut privilegia neceſſaria procuret, monetur.

Auctor privilegia illa rebus ſuis convenire oſtendit.

Rudbeckiana cum deſiderio exſpectat Auctor & alii.

Publica commoda privatis rationibus præferenda.

Libri cum cura, quantum fieri poteſt, ſcribendi.

Patriæ multum juvare poſſes: jam autem non pauca ſpecimina operis mei oculis luſtraſti. Quacunque verò in re monitum me volueris, jure veri Amici uteris in eum qui obedire ſe eſſe paratum ait. Magno cum deſiderio exſpecto quid boni Clariſſimus Rudbeckius ad Te attulerit. Velim enim ſcias & illi Viro, mihi de fama notiſſimo, dicas, illum Tibi, Te mihi, me verò pluribus ſpem quorundam ſingularium in hoc argumento Cometico, quæ ideò illi ab ejus manu præſtolantur, feciſſe. Verùm-tamen horum exſpectatio curſum ſtudii mei non ſiſtet: quamvis cuperem, ſi per Veſtra vota monitaquè & publica commoda liceret, pluſculum otium habere, quò mea iſta in publicum400 proditura, non tanquam impetu quodam immaturo excuſſa, &, ut vides, deproperata, ſed quaſi à cogitante atquè à generante, ut alicubi Suetonius loquitur, exarata compareant. Pleraquè enim ſine debita cura in chartam effunduntur: & tanta eſt laborum meorum irrequietorum multitudo, ut neceſſe habeam, etiam contrà Platonicum monitum τῷ πραττομένῳ ἐπακολουθεῖν ἐν παρέργου μέρει: [operi incumbere horis ſucciſivis.] Itaque vereor ne & πάρεργον ἀνάλωμα [ſuperfluum ſumtum præter putatas rationes] faciam, quod omnes prorſùs rationum mearum circulos turbaret. Sed ſpero divinam miſericordiam candoris mei bono publico conſecrati rationem habituram, & Vos, tanti judicii tantæquè auctoritatis Viros, qui me in theatrum propellitis, favorem mihi apud ſpectatores conciliaturos, ne me oleum & operam perdidiſſe querar. Vale, Vir Nobiliſſime, Humaniſſime, Amiciſſime, longum & proſperè.

N. 20. ad 21. & 22.

Holmiâ Hamburgum die 7. Julii Gregor. 1665.

Rex Sueciæ ſtudiis operam daturus Upſaliam iter parat.

Oxenſtiernæ Erici Cancell. Sueciæ laus.

Magnus Comes laudatur: filiam Cönixmarckio deſpondet.

AD amicos Ubſalienſes, Schefferum inprimis, ſcribo frequenter, eoſquè adhortari non deſino, ut Rudbeckium promiſſorum admoneant. Poſtremùm ſcripſi hoſterno die: ultimaſque tuas meis addidi. Reſponſi quicquid ad me perferetur, ejus tibi copiam confeſtim ſum facturus. Rex ipſe Ubſaliam ſeſe excurſurum eſſe jam pridem minitatur, ut illa in civitate ſtudiis bonarum artium ſedulus aliquamdiu incumbat. Iter propoſitum morantur nuptiæ ſplendidiſſimi Comitis Totii qui Erici Oxenſtiernæ τοῦ μεγάλου, quem Virum ingenio Excellentiſſimum Regni Suecici Cancellarium ante hoc octennium vidimus, filiam propediem ducturus eſt domum. Deſponſata eſt etiam Comiti Cönixmarckio, illi, qui Orator à Svecis in Gallias deſtinatur, filia hujus Cancellarii per omnia Magni, qui nunc clavo rei Svecicæ ſedet adfixus, novennis puella. Chriſtianum Hugenium ſuper Cometa non eſſe abs te compellatum, miror. Vale Vir Nobiliſſime.

N. 27. ad 20.

Hamburgo Holmiam die 11. Julii Juliani 1665.

** Upſalienſibus inſcriptam epiſtolam Heinſio Auctor commendat.*

† Upſalienſi Academiæ præſentiam Regiam maximum decus allaturam Auctor gratulatur.

Tottii Comitis laus & priſtina erga Auctorem benevolentia.

QUid de Clariſſimo Rudbeckio factum eſt, quem nuper Holmiæ fuiſſe Tequè quæſiviſſe ex domeſticis Tuis intellexeras, nunc verò nullam ejus rei mentionem injicis? Falſuſne ille rumor fuerit, vel quid tandem huic rei ſubſit, ſcire ex Te aveo. *Qui ſi velis & conveniens ac conſultum judices, incluſas ad Clariſſimos illos Viros Rudbeckium & Fornelium mittes. Sperare quidem meritò poſſum, Viros illos ab egregia eruditione & humanitate multùm laudatos veniam mihi daturos, quòd quietem vel certè alia graviora negotia eorum turbârim. Imò & grato animo accepturos meas haſce literas, ut in ſe ita & in rem literariam propenſi ſtudii indices opinari & ominari liceat. †Verum-tamen hac in re judicio Tuo ſtare decrevi. Gratulor celeberrimæ illi Academiæ de tanto honere, quo eam Majeſtas Regia, ſtudiis humanioribus imbuenda, beabit. Gratam mihi rem feciſti porrò, quòd me de nuptiis Illuſtriſſimi Comitis Tottii, fama meritorum inclyti Sueciæ Senatoris, quem mihi faventem ante XVI. annos

in Gal-

in Galliis, potiſſimùm verò in Pomerania ante octennium expertus ſum: nec non de ſponſalibus alterius Comitis Königſmarckii reddideris certiorem. Gratulor Tottio de lectiſſima Virgine, cujus Avum Axelium veſtràs Grotius verum Politicum, Voſſius verò Magnum appellavit, Orbis verò talem novit & prædicat, Patrem autem ingenio feliciſſimo & doctrinâ ante tempus maturum, brevi ſpatio vidit ætas noſtra, ut de eo meritò dicendum ſit illud, quod de Achille Poëta dixit:

Oxenſternii Axelii laudes,

Tùm & filii ejus Erici.

Ingenia præcocia raro durabilia.

Oſtendent terris hunc tantum Fata, neque ultra
Eſſe ſinent - - -

Gratulor & Königſmarckio de lectiſſima itidem Virgine, quæ paternum genus ab illo verè Magno Comite & Magno Regni Cancellario, maternum à Sereniſſima Principum Palatinorum ducit familia, quæ ut olim in Imperio Romano, ita nuper in Suecia diademata & mitras Electorales Ducaleſquè multâ cum gloriâ gerit. Equidem nec à votis nec à rerum mearum rationibus fuerit, ſi Illuſtriſſimis Comitibus, Magno illi, cui ego magnis nominibus devinctum me agnoſco gratus, & Tottio, quanti utriuſquè merita & favorem faciam & qualicunquè teſtimonio publico, in opere ſcilicet meo, celebrare ſtudeam, datâ occaſione expoſueris. Nempe ſciant & illi me *ingrati animi crimen horrere*, ſicut alicubi Cicero ad ſuum Atticum ſcribit. Expedit vero tùm rerum mearum ſtatui, tùm præcipuè huic inſtituto operi, Viros illos omni ex parte Illuſtriſſimos habere Fautores & Patrones.

Magni Comitis laus, uxor, filia.

Palatinorum Rheni familia laudatur.

Favor Magnorum Virorum honeſtis artibus eſt conciliandus.

Ingrati animi crimen fuge.

Chriſtianum Hugenium à me ſuper argumento de Cometis non eſſe compellatum, miraris? Mirarentur alii fortè ſi id feciſſem, & ignotus ignotum appellaſſem. Et ego quidem jure hominibus in Republica litteraria viventibus conceſſo uſus ſum in nonnullos Viros eruditione, & quod cumprimis ad inſtitutum meum facit, Mathematicarum rerum ſcientiâ præclaros, quos compellavi literis, & de hoc argumento conſului. Sed in Clariſſimum Hugenium, ſolo nomine mihi notum, id juris uſurpare mihi nolui. Sumam tamen id, & audaciam, ſi Tu Tuis literis, ad eum per me miſſis, dederis. Quod ut & erga Clariſſimum Iſaacum Voſſium, me id nuper abs Te rogante, facias iterum iterumquè peto. Simul autem ut memor ſis privilegii ab Illuſtriſſimis & Præpotentibus Ordinibus impetrandi. Ego autem memor ero officii, ut ubicunque occaſio ſe obtulerit, quanti ocellum Reipublicæ litterariæ & pupillam libertatis Bataviam æſtimem, publicè in illo meo opere teſter. Cui Amicos manum jam admoviſſe, cùm operis partem primam, figuras obſervationum Cometarum & chartam ad manum habuerint, ſpero.

Hugenium à ſe non compellatum eſſe Auctor excuſat.

Compellare tamen velle promittit.

Bataviæ laus.

Dabo operam, ſi vivo, juvante Deo, ut operi addam Indiculum non tantùm Cometarum, ſed & eventuum triſtium & lætorum, qui eos ſecuti ſunt, debita cum cura annotatorum, ut profeſſo ſtudio Patronum agam Illuſtriſſimorum illorum cæleſtium Conſiliariorum bona bonis, mala malis edicentium. Id conſilii nonnullis Amicis indicatum valdè arriſit. Ideò unus de illis verſionem ſecundi hujus tomi Germanicam à me jam poſtulavit. Sed & Ampliſſimus Urbis hujus Conſul Dominus Bartholdus Möllerus (cujus ut meritis, ita & judicio in Republica literaria multum eſt tribuendum) inſtitutum hoc ſibi placere & publico utile fore dixit. Atquè id & ego ſperare audeo. Video enim nondum ab Optimis quoquè & accuratiſſimis Cometarum Cenſoribus Eckſtormio, Alſtedio & Ricciolo omnes in album Illuſtrium Phænomenωn fuiſſe relatos. Eckſtormius quidem 230. Alſtedius 160. Ricciolus 154. putat. Ego ſpero me rationes ad 300. numerum (quanquam nihil certi ea de re definire adhuc poſſum,) producturum. In ſemeſtribus quidem annotandis non parùm, favente Deo, profeci. Nam cum Eckſtormius duos, Alſtedius totidem, Ricciolus tres, Hevelius 4. numeret, ego jam octo inveſtigavi. Hæc dum ſcribo, adfertur mihi epiſtolium à Clariſſimo Viro D. Mich. Kirſtenio, Gymnaſii hujus Prof. Doctiſſimo, qui illos Menagianos verſiculos Græcos me rogante ita vertit: Alter Tibi inſcriptus ita ſe habet:

Hiſtoriam Cometarum ſcribere Auctor conſtituit:

Id conſilii Amicis placet.

Möllerus Conſul Hamb. laudatur.

Cometarum catalogus augeri poteſt.

Cometarum ſemeſtrium numerus.

Kirſtenii laus, verſuum Menagianorum verſio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Heinſium amore digniſſimum Menagius judicat.

Heinſiaden adamo, nam dignus amore, & amari.
Is nec amare poteſt, quiſquis amat minimè.

Alter mihi

Menagii humanitas.

Dicar amantis amans: inimicum laudo merentem
Exitio nullis, omnibus auxilio.

Auctoris erga Bataviam benevolentia. Bataviæ laus.

Allatæ mihi ſunt & literæ ex Batavia Veſtra, quæ me pro conſervanda patriæ Tuæ cariſſimæ, cunctis verò bonis, utpote Muſarum & libertatis domicilii commendatiſſimæ, concordia & reſtituenda æquâ pace vota in intimis cordis penetralibus concepta apud Te exſolvere faciunt. De ſcriptis à Clarriſſimo Rudbeckio adhuc editis, rogante Amico quopiam, velim me certiorem reddas. Vale, Vir Amiciſſime, & fave conſtanter..

N. 21. *ad* 23. & 24.

Holmiâ Hamburgum die 15. *Julii Gregoriani* 1665.

Upſalienſes cunctantur, erga Heinſium benevoli, Prodromum Hevelianum ab eo expetunt. Schefferus Heinſii vota apud Collegas promovet.

Octavus dies nunc agitur, quòd ultimò Tecum agebam. Exin comparuerunt binæ abs Te $\frac{6}{16}$ & $\frac{10}{20}$ Junii menſis die exaratæ, quas, uti omnes Tuas, habui profectò acceptiſſimas. Upſalienſes me invito cunctari pergunt. Habui nudius tertius à Rudbeckio epiſtolam, quâ narrat ſibi nolenti nuper hinc digrediendum fuiſſe, me fruſtrà domi meæ quæſito, petitquè copiam ſibi quamprimùm fieri Heveliani Prodromi. Schefferus poſtremis ſuis XXVII. Junii die exaratis hæc ad me: *Serò Tuis litteris reſpondeo. Nempe eo tempore, quo tradebantur mihi, Rudbeckius & Fornelius aberant, & quia ambo verſabantur Holmiæ, ſperabam fóre, ut Te convenirent ipſi, dequè iſtis omnibus coram Tecum agerent. Nunc ait Rudbeckius, ſe quidem quæſiviſſe Te domi Tuæ, ſed non reperiſſe, mox cum navigio coactum abire, in quo neſcio quas arbores peregrinas habebat collocatas. Fornelio litteras tradidi, ut præcepiſti. Ait nil ad eas poſſe reponere, niſi viſo priùs Clariſſimi Hevelii libello, quare ut mittatur ſibi, ipſum eſſe Tecum acturum. Litteras illas interea ſervare, niſi planè remitti velis ſtatim: quod nunciare poteris cum proximo tabellario. Rudbeckium & antè ſæpiùs, & nunc denuò admonui officii ſui, monſtratis Tuis litteris, ſed præter pollicitationes necdum quicquam potui extundere. Spero tamen operam daturum, ne de eo conquerendi juſtam tandem habeamus cauſſam.* Hæc ille. Quapropter ne in me moram eſſe Amici illi tàm lenti cauſſarentur, miſi nudius ſextus Ubſaliam Hevelianum Prodromum, quem Auctor ipſe munus ad me venire voluit. Rudbeckius Vir eſt egregiè doctus & ſagax naturæ indagator, ſed multis curis diſtrahitur, ideo fieri vix poteſt, ut omni negotio & omnibus Amicorum votis plenè ſufficiat. Studio Anatomico gloriæ multùm jam olim eſt conſecutus: cùm ſint qui vaſorum lymphaticorum inventum in corpore humano ad hunc auctorem referri volunt. Nunc re Botanicâ impenſè capitur & gaudet, ut ex Schefferi epiſtola ſubodorari jam quodammodo potuiſti; atquè hùc curas potiſſimas frequenter intendit. Non deſinam hominem per monitores aſſiduos obtundere, dum fidem ac promiſſa tandem aliquando liberet. Pro Hevelianis ad Te, & pro Tuis ad Kircherum exaratis gratias ingentes ago. Quid ego, quid alii de Heveliano hìc terrarum ſentiamus Prodromo, ut ipſi Hevelio per me innoteſcat, operam dabo. Domino Iſbrandio Viro omnis eruditionis amantiſſimo, Tuas illas exhibui legendas, in quibus tàm honorificè nomen ejus expreſſiſti. Faxo & Illuſtriſſimus Cancellarius aliquando ex me intelligat, quo à Te habeatur loco. Rempublicam quod attinet, advenit ex Pomerania diebus proximis Archiſtrategus Wrangelius Vir militari ſcientiâ domi foriſquè Clariſſimus. Advenit etiam ex Scania Banerius Campiductor, uterquè hùc cum aliis Procerum nonnullis Regio mandato evocati. Unde multis perſuaſum certò eſt, ut credant in Moſcos arma fore ſumenda, niſi pacis leges & illa parte religioſius quàm ſit hactenus, ſervantur. Rex Upſaliam necdum eſt profectus, profecturus

Heinſius Upſalienſibus de Prodromo Heveliano gratificatur.

Iſbrandius laudatur.

Wrangelius Sueciæ Archiſtrategus laudatur.

Suecis à Moſco non ſatisfit.

rus

rus tamen brevi, poſt confectas Comitis Tottii nuptias, quæ craſtini die celebrabuntur illum inter & filiam Erici Oxenſtiernæ, Magni olim Suecorum Cancellarii primogenitam. Vale.

Hamburgo Holmiam die $\frac{18}{28}$. Julii 1665.

N. 28. ad 21.

BInæ meæ die $\frac{6}{16}$ & $\frac{10}{20}$ Junii elapſi ſcriptæ, quòd ſimul ad Te delatæ fuerint, hæc cauſſa fuit, quòd priores alipedi Veredario Danico, poſteriores tabellario Suecico tradiderim. Periiſſe meas poſtrid. Kal. Jun. Gregor. ad Te datas, quas illi Veredario curandas per Amicum, ni fallor, commiſeram, vehementer doleo. Utquè Tibi reſarciam jacturam, en Tibi earum apographum. Velim ſemper literas meas ad rationes revoces & Indiculum, quem præfigere ſoleo, conſulas, ut Te de fide & induſtria tabellariorum doceat. Ego omnem dabo ſemper operam, quam adhuc adhibui, ut meæ omnes ritè ad Te perferantur. Hoc etiam mihi dolet, quòd nec Rudbeckius nec Fornelius Te compellârint, cùm Holmiæ eſſent. Ignoſcendum illis eſt, ex lege æquitatis & amicitiæ, utpote quos propriæ occupationes diſtinent. Rudbeckianorum ſcriptorum catalogum abs Te opperior. Accepi virum eſſe multâ & ſolidâ eruditione in Phyſicæ aliiſquè Philoſophiæ partibus inſtructum. Ideò tanto magis opto, ut aliquid ſingulare, quod operi meo inſerendum inſignis eruditio & humanitas ejus nobis promittit, mittat nobis, cujus Schefferianæ ſpem nobis facere non deſiſtunt. Exiſtimo & meas literas ante octiduum ad eos exaratas, incitamento eis fore: dummodo eas dignas, quæ illùc mittantur, judices. Opto, Rudbeckius bonis avibus ſub ipſa Arcto Heſperios hortos inſtauret in adventum Maximi Hoſpitis, Sereniſſimi ſcilicet Regis, quem indoles eximia & prudentiſſimum conſilium per bonas artes ad bonæ mentis templum ducit. De ſolemnibus Tottianarum nuptiarum auſpicatiſſimis lætum nuncium proximè abs Te præſtolor. Rogavi nuper, idquè etiamnum repeto, ut me illi, ſed & Illuſtriſſimo Comiti & Cancellario Magno (quod quidem Te facturum eſſe poſtremis Tuis addixiſti mihi) commendes. Utriquè enim notus ſum & multùm debeo, ſicut & Illuſtriſſimo Wrangelio, Heroi Clariſſimo, cujus patrocinio & favore me in Pomerania ante quadriennium graviſum eſſe ſingulari, agnoſco & ſemper celebrabo gratus. Bellum, minimè bellum, nec Moſcis, feræ licet & levis fidei genti, opto. Quin potiùs ut illi & omnes Chriſtiani populi, juſtitiæ & fœderum legibus adſtricti, almam & ſtabilem obtineant pacem, quam ſapientiſſimè **juſtitiæ* opus ſacra pagina vocat, pacis matrem, nutricem & altricem ac cuſtodem indicans. Gratiſſimum porrò mihi fuit in Tuis legere, me jam & exiguos illos meos conatus, †Excellentiſſimo non tantùm Dignitate, ſed & Eruditione ac Probitate Domino Iſbrandio per Te innotuiſſe, imò commendatum eſſe. Perge, Amiciſſime Heinſi, in meis ſtudiis conatibuſque, publico bono addictis, ad optatam metam promovendis. Et jurè quidem. Nempe quia motor eorum juxtà Illuſtriſſimum Rautenſteinium (qui Te in poſtremis ſuis die 20. Julii datis plurimùm ſalvere Tibiquè paratiſſima obſequia & conſtantem affectum deferri jubet) fuiſti. Velim præterea me juves in conſequendo contrà furtivam impreſſionem libri privilegio apud Præpotentes Ordines Veſtros: quibus libertatis cauſſâ ſicut omnes boni plurimùm debent, ità id juxtà cum voto pro eorum totiuſque gentis veſtræ bono profitetur gratus patruus meus Andreas Lubieniecius Septuagenario major in extima Boruſſia agens, à quo hodie literas accepi. Sed jam Vale ac me conſtanti favore complectere.

Commercium literarum diligenter colendum.

Upſalienſes excuſantur.

Æquitas omnia in melius interpretatur.

Rudbeckii laus,

Auctoris in ejus ſtudia Botanica benevolentia.

Regibus artes bonæ & ſtudia liberalia conveniunt.

Wrangelii laus & Auctoris gratus in eum animus.

Bellum nec barbaris opta.

Pacem juſtam omnibus precare.

**Juſtitia pacis genitrix, nutrix, altrix, cuſtos.*

† Iſbrandii laus:

Ei ſe per Heinſium innotuiſſe & gratioſum factum eſſe Auctor gratulatur.

Bataviæ laus.

Lubienieczius Andreas Auctoris patruus in Batavos gratus.

Holmiâ Hamburgum die $\frac{12}{22}$. Julii 1665.

N. 22. ad 25.

AD Tuas $\frac{6}{16}$ & $\frac{10}{20}$. diebus Junii menſis exaratas reſcribebam proximè. Nudius tertius alias à Te accepi die Quintilis ſeptimo ſcriptas, quibus breviter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Voſſius Iſaacus Heinſio à puero amicus, in Sueciam unà cum eo vocatus.

Heinſius à Regina Sueciæ in Italiam mittitur,

familiariter Voſſio aliquot annis uſus.

Amicitia conſtans, citra literarum commercium quoquè, eſto.

Rautenſteinius laudatur: propiùs ei conciliari Heinſius optat.

Fredronem à Rautenſteinio feliciter laudatum Heinſius judicat.

Heinſius carmine opus hoc ornare an debeat, per modeſtiam dubitat.

Regis Sueciæ iter Upſalienſe differtur.

Calamitas nulla ſola. Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

Moſcus pacem cum Sueco initam non ſatis fideliter ſervat.

ter nunc reſpondebo. Diem Mercurii mittendis in patriam litteris deſtinavi
jampridem, quòd ſingulis hebdomadis ad minimum ſemel convenire ſcripto
Patriæ Patres ſim juſſus. Unde fit, ut Te eâdem operâ eodemquè die ſoleam
compellare. Quod ad Iſaacum Voſſium ſpectat, multus mihi familiaritatis uſus
cum illo à teneris fuit, potiſſima tamen inter nos neceſſitudo vigebat, cum in
Aula Sereniſſimæ Reginæ Chriſtinæ (quæ, ut noſti, permultos Viros literatos
& literarum ſtudioſos ad ſe pertraxerat) uterquè unà ætatem antè annos hoſce
quindecim ageremus. Anno 1651. miſſum me in Italiam literis frequentioribus
eſt proſecutus is ipſe Voſſius, ſic jubente Reginâ cujus mandato id iter à me in-
ſtituebatur. Reſtituti poſtea uterquè lari paterno Hagæ Comitum per biennium
trienniumvè pari animorum nexu conſtricti unà viximus. Ut emigravi inde in
hunc Septentrionis angulum, refrixit inter nos quodammodo priſtinæ neceſſitu-
dinis proceſſus, & magnam partem eſt ſufflaminatus, me ad negotia publica,
illo ad ſtudia eruditionis privata converſo, nec non ad officia commercii lite-
rarii diligenter præſtanda tardiore, quod ut ipſe in illo ſæpè expertus ſum, ita non
auſim polliceri fore, ut Tibi magis accuratum atquè exactum ſe probet hâc in re,
quàm mihi ſe probavit hactenus. Ingenium ejus hâc in parte cùm abundè mihi
exploratum ſit, amo hominem nihilominus conſtanter, ſed ſic, ut nulla illi à
me moleſtia per literas paulò frequentiores exhibeatur. Quam de ſe ſpem fa-
cerent Upſalienſes, proximè ſignificavi. Poſt illud tempus de iis nihil omninò
intellectum eſt mihi. Interim privavi me ipſum Prodromo Heveliano: quo ite-
rum iterumquè perlecto multùm profeciſſe poteram, dum horum lucubrationes
animi incertus exſpecto. Rautenſteinianam epiſtolam remitto Tibi, gratiaſquè,
quantas poſſum, ago pro ea mecum tàm amantèr communicatâ. Rogavi Te jam
antè, ut Virum omnibus Virtutis, doctrinæ ac induſtriæ numeris abſolutum pro-
piùs mihi conciliares, idemquè denuò nunc Te rogo. In negotiis civilibus in-
què Republica adminiſtranda quantus eſſet, minimè ignorabam. Sed deverti
illum quandoquè ad hæc Muſarum ſacra, quibus haud modicè & ego capiebar
olim, illud eſt, quod neſciviſſe me hactenus fateor & ingenuè agnoſco. Ille ta-
men nimis honorificè de me meiſquè Muſis ſentit, quod in nonnullis ejus epi-
ſtolis, Te ſuggerente, jam perſpexi. Ut de Fredrone, per Rautenſteinium tàm
feliciter laudato, ſubindices plura, quàm ex ipſo epigrammate licuit mihi inda-
gare, etiam atquè etiam Te obſecro. Nec non ut in opere Tuo maturando per-
gas. Cui tàm exculto, tàm erudito ſi ornamentum aliquod à vena mea Poëtica
poſſet addi, eò ſanè operam omnem libentiſſimus conferrem. Sed & illa jam
pridem exaruit atque excœcata eſt per moleſtas tetricaſquè haſce occupationes,
quæ me piſtrini in modum exercent; & ſi quid fontis Caſtalii etiamnùm in hoc
reſiduum eſt pectore, id defæcatis Tuis lucubrationibus obſcurandis conducet
magis quàm ſplendori iis conciliando & famæ acquirendæ. Ad publica ut venia-
mus, Rex Upſaliam profecturus ex hac civitate ferebatur, uti non ſemel ſignifi-
caſſe me commemini, ſed intervenit rei neſcio quid inopinæ atquè inexſpecta-
tæ, unde factum ſit, ut iter propoſitum denuò nunc differatur. Proximis diebus
Civitas Nicopia inter præcipuas regni hujus meritò numeranda, tota conflagra-
vit cum ædificiis, tàm publicis, quàm privatis, etiam cum arce Regia, quam Re-
gina mater Maria Eleonora Guſtavi Magni conjux habitandam ſibi olim ſele-
gerat. Civium adhæc nonnulli incendio âbſumti ſunt, nonnulli & undâ, dum
incendium vitabant, ſubmerſi periêre. Ruſſos armatâ manu imminere limiti
Suecico nuper nuntiabatur. Nunc adferuntur pacatiora de illis, nempe legatio-
nem ſplendidam ſatis propediem in hac Aula eſſe illinc exſpectandam. Vale
Vir Nobiliſſime, & mihi benè velle perge.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Holmiam die 25. *Julii Juliani* 1665.

N. 29. *ad* 22.

SI per graviſſimas Tuas occupationes liceret, vellem à Te pariter Rationarium noſtrarum literarum iniri. Ita enim longè certiùs hæ commutarentur & computarentur. Proximè præteritâ hebdomadâ, cum ad me 15. die Julii Gregor. literas (quæ in his rationibus meis Numero XXI. ſunt inſignitæ) dares, reſpondebas mihi ad meas $\frac{6}{16}$ & $\frac{10}{20}$. Junii exaratas, quarum illæ Numerum XXIII. hæ XXIV. conſtituunt. Nuperrimis verò Tuis die $\frac{2}{22}$. Julii datis, reſpondes ad meas die 7. Julii Gregoriani ſcriptas, quæ Numerum XXV. conflant. Sed de his hîc quidem ſatis: niſi unum dicam, reſponſum me à Te ad meas, quæ 23. Junii Gregoriani datæ continuationem illarum die 20. ſcriptarum continebant, non accepiſſe. Quæ de Clariſſimi Voſſii languida ad ſcribendum literas, non libros certè, ubi illa ſatis promta eſt, manu, pro jure amicitiæ ſcribis, meum ad ſcribendum impetum ſiſtunt. Optarem equidem Viro illi doctrinâ Clariſſimo innoteſcere, & nomine ejus opus meum ornari. Idcircò de eo literis compellando cum amicis Hollandis conferam. Vellem enim Viro illi Præclaro tempeſtivè conſilium de edendo libro meo aperire & judicium ejus intelligere, tum & publicè teſtari coram illo, me in linguæ Latinæ ſtudio plurimùm Parenti ejus τῷ κανονιστῇ debere. Cujus induſtriam hac in parte incomparabilem ſatis mirari non poſſum. Cenſorem enim eum ſentiunt Valla, Politianus, Herm. Barbarus, Paulus Manutius, Jovius, Theodorus Gaza, Turnebus, Eraſmus, Janus Duſa, Georgius Merula, Joannes Meurſius, Scaligeri, Caſaubonus, Lipſius aliiquè Principes rei literariæ. Imò & Magiſtri Latinæ linguæ Henricus Stephanus, Calepinus, Nizolius, Pontanus, Hadrianus Junius, Becanus aliique. Sed & Iſidorus, Servius, Nonius Marcellus, Caſſiodorus, Diomedes, ipſequè Priſcianus: nec non Terentius, Vitruvius, Plinius aliiquè etiam Veterum. Quæ profectò res in linguæ Latinæ uſu valdè me ſolicitum tenet, & anxio pede, quamvis vitæ non Scholæ diſcentem, incedere facit, etiam ubi tutò ambulatur. Tot enim video viros, alioqui magnos, lapſos hîc eſſe & adhuc labi imprudentes, inquè hoc ſtudiorum ſtadio tanquam per pacatam, ut dici ſolet, regionem decurrere, non animadvertendo diuturno uſu probatos & firmatos errores. Quod ſi *imperfectè incertitudo* & *correctè* è cenſu Latinarum (puras & idoneâ auctoritate probatas intelligo) vocum expungit, ille Varro, Donatus, Ariſtarchus Priſcianuſquè ſimul noſter, id certè argumento eſt, multa in communi Latini ſermonis uſu dari imperfecta, plura incerta, plurimâ indigere correctione. Induſtria enim & accurata Voſſii auctoritas hîc plurimùm valet. Nempe hoc Viro ut Grotio, totquè aliis Magnis Viris (quos inter Patrem Tuum conſentiens fama poſuit) & quos laude digniſſimos Muſa vetat mori, velut depoſito cæli egregio, jure gloriatur Batavia mater. Quotuſquiſquè verò eſt qui norit & vitet quæ opere imperfecto hîc acta pro perfectis habentur, tùm incertum antiquitatis & non dicam puritatis linguæ Latinæ (quod, ut & alia, in ſe ipſo toties corrigit Magiſter ille Incomparabilis) ſed puri linguæ Latinæ uſus, quò ſcilicet emendatè loquatur. * Scio Voſſium laborare apud quoſdam iniquos alienorum meritorum judices ex invidia, & incurrere acrem illorum cenſuram. Scio itidem nos *vitæ non Scholæ* debere *diſcere*, ut monet Seneca epiſt. 106. qui & alibi, epiſt. ſcilicet 88. Stoico ſupercilio deſpicit liberalia ſtudia, & quidem primo loco, Grammaticorum, quorum occupationes, *ſyllabarum enarratio, & verborum diligentia*, & alia quæ noſti: quæ ſcilicet ad virtutem non ſternunt viam, non ducunt, non proſunt. Ideò infrà ait, quod hîc tacere nequeo: *Magno impendio temporum, magnâ alienarum aurium moleſtiâ laudatio hæc conſtat, O hominem litteratum! Simus hoc titulo ruſticiore contenti. O Virum bonum!* Scio deniquè ex eodem Seneca & experientia continua, *nimiam ſubtilitatem multum mali*

Epiſtolis commutandis rationarium eſt commodum.

Voſſius Iſaacus in libris ſcribendis felix:

Eum ſcripto aliquando adire Auctor conſtituit, magni eum faciens,

Præcipuè verò patrem in linguæ Latinæ ſtudio,

In quo Magnos quoquè viros alicubi erraſſe docet.

Priſcianus ipſe quandoque in linguæ Latinæ ſtudio erravit.

Circumſpectus in linguæ Latinæ uſu eſto.

Correctè qui dicit correctione indiget.

Voſſii patris laus.

Grotii laus.

Heinſii patris laus.

Latinè purè perpauci loquuntur.

**Voſſius pater immeritâ premitur invidiâ.*

Diſce quantum vitæ requirit uſus.

Seneca ſtudia liberalia contemnit, quæ ad virtutem non conducunt.

Virtus præſtat eruditione.

Bonus Vir potior literato.

mali facere & infeſtam eſſe veritati. Sed hæc cuncta non prohibent, quominus

Diſce diligenter non tantùm loqui ſed & vivere.

Eruditioni virtutem neceſſariò adjunge.

diſcamus & addiſcamus diligentiùs loqui, dummodo & vivere ſimul, quod vult ille rigidus Virtutis ſatelles, cum linguam & manum vel maximè doctam turpiter proſtituat vita ruſtica, &, ſi virtutis leges conſulas, barbara, peregrina, multum ab eis aliena. Utinam labor ille meus utrumquè illud præſtet, dictionem ſcilicet & vitam rectam! Id quidem bonâ fide ago. Qua in re multùm me adhuc juverunt Tua, Optime Heinſi, aliorumquè Amicorum, Magnorum certè noſtræ ætatis Virorum. Horum inter præſtantiſſima ingenii monumenta, noſtra,

Parvis inter magna, ut fictilibus inter aurea vaſa locus eſt.

licet tenuia, durabunt, ſpero, omnibus ſeculis, ut illa Tuberonis fictilia inter aurea aliorum Romanorum vaſa durant, indice Senecâ, qui ea æternitati memoriæ commendavit. ep. 95. Tot Viris egregiis accedent credo Upſalienſes, &

Exempli magna vis eſt.

Bona exempla ſequere.

Rautenſteinius laudatur, Heinſium magni facit.

alii, qui adhuc ad referendam officii vicem fuêre tardiores. Incitabunt eos tot præclara & magna nomina, quæ quis dubitet ſequi? tùm & invitabunt tardæ iſtæ noctes æſtivæ & feriæ caniculares, Rautenſteinianam epiſtolam illam gratam Tibi fuiſſe, gratiſſimum mihi fuit legere in Tua. Magni merito Tuo facit Te Vir ille magni itidem faciendus ob elegantem eruditionem & vitam. Aſſiduò ut Tibi nomine ejus ſalutem plurimam impertiam, & benevolentiam teſter, Vir ille non minùs humanitate quàm adeò illuſtri dignitate conſpicuus, à me poſtulat. Quæ ille de Te ſentit, merita Tua laudeſquè non excedunt.

Laudari à laudatis pulchrum.

Vulgi iniquum judicium ne cura.

Quidni læteris, quòd hominibus iis laudaris, quos non potes non ipſe laudare? ut illa Senecæ ep. 52. converſa hùc transferam. Non hoc Panidis, non vulgi iniquum ſuffragium, bonis literis & virtuti ſemper inimicum: at eſt à Laudato & ingenuo Viro profectum, à quo laudari pulchrum eſſe arbitror. En Tibi quæ ſcitu digna hinc inde accepi, quæ inter leges narrationem de rebus veſtris Veſtratis

Næranus Joannes laudatur.

Joannis Nærani, Remonſtrantium apud Veteramnates Paſtoris, Viri apprimè docti & ſtylo præpollentis, cujus etiam narrationem ejuſdem generis Tibi nuper miſeram. Videbis in ea, ut & in priori, pietatem ejus in patriam & dictionis bonitatem haud vulgarem. Excellentiſſimo D. Iſbrandio me magis magiſquè com-

Favor Optimatum conducit in re tenui poſitorum rationibus.

Auctor Heinſio de epigrammate operi præfigendo gratias agit

mendes velim, ſed & illis Optimatibus Sueciæ. Talium enim Virorum favor honeſtis artibus parandus nobis eſt, præſertim quos adverſæ res exercent & gravis fortuna premit. Quòd tàm amicè epigramma aliquod, de quo Te compellare non auſus ſum, libro meo præfigendum pangere velles, ſi eadem Tibi, quæ olim, feliciſſima ſcilicet ad facienda carmina foret vena, vel niſi metueres, ne illud obſcurandis potiùs quàm illuſtrandis meis conduceret, ingentes Tibi de tanta humanitate & in me benevolentia gratias ago. At verò. Tu majorem longè meis, ſi quæ ſunt, meritis de me concepiſti opinionem, & ex Tua magnitu-

Modeſtè de Te ſentias & loquaris.

Heinſianis meritis debitum teſtimonium datur.

dine mediocritatem noſtram metiris: è contrario verò de Te adeò modeſtè & demiſſè propè loqueris. Tot virtutes in Te, optime Heinſi, amplector & exoſculor. De inexhauſta ingenii Tui in componendis carminibus & divite vena certùs quidem ſum, & haud falſus, dum cum omnibus doctis Te dico & aſſero

Vatem egregium cui non ſit publica vena.

Auctor Amicorum gratulationes nec ambitioſius petit, nec ruſticus rejicit.

Rautenſteinius & Heinſius par amicorum ſingulare ab Auctore habetur.

Verum-tamen epigramma aliquod, quod ſpontè Illuſtriſſimus Rautenſteinius, ſi per tot negotia licuerit, inſtar corollæ amicæ appenſurum ſe promiſit, nec ab illo nec abs Te, etſi lectiſſimo & dilectiſſimo Amicorum pari, ambitioſè petii vel peto. Tot literis nempe utriuſquè Veſtrûm, ſingularis amicitiæ clariſſimis documentis contentus futurus ſum. Nequè tamen voluntarias (ſpontaneas cum tot aliis viris, alioqui doctis, ante lectum Ariſtarchum noſtrum dixiſſem) Amicorum gratulationes debitæ modeſtiæ convenientes ſum rejecturus. Ille quidem communis utriuſquè noſtrûm Amicus, Te id ſe feliciùs perficere poſſe judicat. Meum non eſt odioſam inter vos inſtituere comparatio-

Cælitus Latinè non dicitur.

nem, quorum utriquè ſcio benignam ingenii venam è cælo (cælitus ante lectum Ariſtarchum dicere ſolebam) datam eſſe. In eo porrò Tibi propius conciliando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ciliando non eſt quod plus operæ ſumam. Verè etenim dicere poſſum, quod etiam ipſæ ejus litteræ loquuntur, eum Tibi ad præſtanda omnia amicitiæ officia eſſe promtiſſimum. Talem & ego me eſſe, & quoad vixero, fore profiteor & ſubſcribo

Heinſium de Rautenſteiniana & ſua benevolentia Auctor certum reddit.

Stanislaus Lubienietzki.

Holmiâ Suecorum Hamburgum die $\frac{19}{29}$. Julii 1665.

N. 23. ad 26.

TAndem aliquando votis noſtris ſatiſfacturus videtur Rudbeckius, miſſis ad me per Schefferum proximè pagellis duabus ejus epiſtolæ, quâ obſervata ſua ſuper Cometis nuperis eſt complexus. Sed cum in iis rem inſtitutam vix adgrediatur, præfatus ſolummodo nonnulla de Cometis in genere, non malè tibi mihiquè ac ipſi Rudbeckio videbar conſulturus, ſi reliqua, quæ propediem adfutura pollicetur, præſtolarer, unaquè ac eâdem operâ ſi non omnem epiſtolam, partem ejus præcipuam certè tui facerem juris. Si exordio totum opus reſpondebit, non erit cur exſpectationem noſtram tam diuturnam malè nobis ceſſiſſe conqueramur, aut cur nos ſpei noſtræ ac voti de Rudbeckianis obſervatis obtinendis prorſùs pœniteat. Quapropter ſpero, hâc qualicumquè operâ ſitim tuam ſic ſedatum iri, ut Voſſiana effata minùs fervidè deſideres ſuper hoc argumento, de quibus proximè agebam. Quantum ex ipſa fronte Rudbeckianæ apparet epiſtolæ, figuras diſſertationi complures ad rem facientes eſt inſerturus auctor, quas æri incidendas curare, ne ſumtuoſum ac permoleſtum tibi accidat, equidem jure optimo ſubvereri poſſe videor. *Typographo privilegium à Fœderati Belgii Patribus haud difficulter, ut confido, impetrabitur, quâ tamen re feſtinatâ non eſt opus: cùm tempeſtivè ſatis eam daturi ſimus effectam, antè ſupremam manum ab operis typographicis volumini imponendam. †Interea temporis excurſum in patriam adornari a me poſſe ſpes eſt, quem toto anno jam urgeo fruſtrà, turbis Britannicis vix permittentibus ut rei patriæ hîc terrarum deſim. Quod ſi tamen in hoc Septemtrione hybernaturus eſt Dominus Iſbrandius, non eſt quod deſperem Proceres noſtros meis deſideriis mox eſſe ſubſcripturos. Sin minus: per libellum ſupplicem à typographo, ut moris eſt, negotium omne ad optatum finem poterit perduci, cui & ego per litteras apud Procerum nonnullos, pro virili patrocinabor, utcumquè abſens. Tres litterarum Tuarum periiſſe nuper admodum in via jam non ſemel innui: quam jacturam, ſi fieri poteſt, ut ex ſcriniis tuis reſarciri cures, & antea oravi te, & preces eaſdem en iterum jam nunc repeto. De Ampliſſimo Rautenſteinio quid ſentirem jam perſcripſi proximè, quamquam verbis id pauciſſimis & operâ planè tumultuariâ, cùm Vir tantus ſine curâ nequaquam ſit dicendus: quem & ego interpellare aliquando audebo, ubi conferre in medium præter nudas litteras nonnihil dabitur majoris rei. Nunc ut ἀσύμβολος illi adſim, conſultum haud quaquam & confidentiæ plenum videatur, præſertim ſub hanc tempeſtatem, quâ tricoſis occupationibus tantùm non enecor. Sed ut ad publica convertamur, Rex Ubſaliam tandem eſt profectus heſterno die, ibidemquè ſedem hoc æſtivo tempore fixurus porrò creditur. Ante profectionem magnâ frumenti copiâ Nicopienſibus nupero incendio ad maximam redactis inopiam clementer ſubvenit. Ajunt & aliam in hoc regno civitatem conflagraſſe proximis diebus, quod tamen pro re explorata necdum auſim aſſeverare. In vicinia hujus civitatis per lacus propinquos vis magna piſcium intenſo hoc cæli calore languidorum torpentiumquè capiendam paſſim manibus ſe præbet. Nec minor copia præ æſtu jam ſuffocatorum ibidem apparet; quod peſtis ſubſecuturæ argumentum indubitatum nonnulli volunt. Sed nos malè ominari deſinamus. Vale Vir Nobiliſſime, & me tui ſtudioſiſſimum in Tuis numerare, ut cœpiſti, perge.

Rudbeckianæ Commentationis de Cometa initium ſe accepiſſe Heinſius gratulatur, idquè ad Auctorem mittit.

Diuturnam exſpectationem penſat copia & diligentia.

Rudbeckianas figuras plures Heinſius Auctori promittit, & ne earum inciſio æri gravis ei ſit, veretur.

**Heinſius privilegium editioni operis neceſſarium apud Ordines impetratum facilè iri ſperat:*

† Nec non ſe in patriam excurſurum eſſe.

Rautenſteinium magni Heinſius facit.

Rex Sueciæ Upſaliam proficiſcitur, Afflictis & egenis Nicopienſibus munificè ſubvenit.

Succurre miſeris.

Piſces ad Holmiam præ nimio æſtu languent & ſuffocantur.

Ominandum potiùs benè quàm malè.

N. 30. ad 23.

Hamburgo Holmiam Kal. Auguſti Juliani 1665.

Diligentia moram penſat.

Rudbeckianas obſervationes & figuras gratas ſibi fore Auctor promittit.

Mora quandoquè celeritate magis utilis.

OMnes litteræ Tuæ multis de cauſſis mihi ſunt pergratæ. Nuperrimis die 19. 29. Julii datis id etiam acceſſit gratiæ, quòd exoptatum de Rudbeckiana Cometæ commentatione nuncium attulerint unà cum commendatione ejus, tùm quòd exordium operis multum Tibi placuerit, ita ut moram tàm diuturnam ſingulari Doctiſſimi illius Viri ἀκριβείᾳ nobis penſatum iri judicaveris, tùm quòd promittat plures figuras ad rem facientes. Has enim ego æri unà cum aliis incidi libentèr faciam, juvante Deo, cùm hoc operi meo multum lucis ſit allaturum. Atquè hoc ſat magnum erit tantæ moræ pretium, quæ non ſemper damnoſa eſt, illa quoquè annoſa, cum rem tantò perfectiorem reddat, & præcoci celeritate potior, quia utilior, habeatur. Mimus certè, *Mora*, inquit, *cogitationis, diligentia eſt.* Hujus ut nonnihil in meis commentatis & ſcriptis appareat, omni conor niſu. Atquè hoc tantillum induſtriæ in excuſationem adferet

- - - noſtri mora longa laboris.

Operis editioni moram bellum Anglicum injicit.

Nærani eruditio, modeſtia, erga Auctorem benevolentia, in patriam pietas.

**Privilegia editioni operis neceſſaria Næranus ſuadet.*

†Nærani ſymbolam operi inſerendam Auctor deſiderat.

Hanc & ingens ille in Batavia Veſtra armorum ſtrepitus, qui, ſi tota res arbitrio ejus geritur, Muſis ſilentium, Pythagorico longius imperat, non levem injicit. En Tibi hujus rei non leve documentum à Doctiſſimo illo Nærano nuperis literis præbitum. Ita enim ille: *Privilegia quæ meditaris illi libro Tuo, ambitioſa non erunt, quia quæſtuoſa, editori neceſſaria.* **Ad ea hìc impetranda, ſi quid mea opera valebit, non deerit Tibi quid à me fieri velis præſcribenti. Eum verò librum cum petis, ut meâ etiam ſymbolâ faciam auctiorem, qui magis hoſpes ſum in Aſtronomia, quàm in ulla Utopia, annon petis quod eſt impoſſibile?* †*At ſi non eſſet, quis bonus Civis in hac rerum noſtrarum perturbatione poſſit mentem colligere ad aliquid meditandum Seculo dignum. At ne hoc quidem mihi ſumo curarum vacuus ac tranquillus.* Vide Viri pietatem in patriam, ſed &, licet rebus in arctis & mente mœrore adſtrictâ luxuriantem feliciſſimi ingenii lætitiam. Hæc verò ejus tantò lubentius exſcribere Tibi volui, quòd & quàm mihi in hoc opere edendo neceſſaria ſint illa arcendis malevolorum avaris fraudibus idonea privilegia, & quàm diligenter Virum illum interiores & reconditas literas eloquentiſſimè proferre doctum ad adferendam ſymbolam invitàrim, doceant. Explicui quidem ei poſthac mentem meam, intellexiſſe me ſcilicet non ſola Aſtronomica, ſed Philoſophica in genere. Verum-tamen an illa anxia patriâ de ſalute ſolicitudo permiſſura ſit multas illas ingenii opes explicare, & aliquid egregium è locuplete penu promere, non immeritò addubito. Ita hac etiam parte iniquitatem funeſti illius belli ſentiemus. Cæterùm & in comparanda ægrè & majori pretio chartâ ejuſdem inclementiam experiemur. Fortè reperietur in præſentia vel olìm, qui de hiſce noſtris conatibus cum adverſa ſorte undecunquè luctantibus cum Plinio dicat: *Quò magis miror orbe tàm diſcordi & in regna, hoc eſt, membra* (addo, repugnantia) *diviſo tot Viris curæ fuiſſe tàm ardua inventu: inter bella præſertim & infida hoſpitia, piratis etiam omnium mortalium hoſtibus tranſitus fermè tenentibus.* l. 2. c. 46. Sed

Bellum bonarum artium ſtudioſis incommodum.

Difficilia quæ pulchra.

Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtum.

**Heinſium in patriam rediturum alloqui Auctor maximoperè cupit.*

Iſbrandi laus, ei in patriam reverſuro commendari ſe ab Heinſio Auctor poſtulat.

De amicâ, quam mihi in curandis Fœderatæ Belgicæ Patrum privilegiis polliceris, operâ, commodo tempore adhibendâ, debitas Tibi gratias ago. * Quòd ſi verò Tibi in patriam excurrere & hàc tranſire contingat, plurimùm mihi gratulabor, cùm licebit jungere dextram dextræ, & amicas audire ac reddere voces. At ſi Excellentiſſimus Iſbrandius ante hyemem ad nos, patrios repetiturus lares, redeat (quod factum jam eſſe præcox fama literis ex hac urbe die 31. Julii datis credula Harlemi in vulgus ſparſit) velim me Viro non tantùm ampliſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ampliſſimâ dignitate, ſed & præclaris animi dotibus Ornatiſſimo & Egregio literarum cultori literatorumquè Patrono quàm optimè commendes, quo mihi ad eum citrà temeritatis metum & notam pateat aditus. *Rationarium* familiarium epiſtolarum noſtrarum cum à me habeas cum cura factum, fac ut ſciam, quænam ex meis in manus non pervenerint Tuas, quò hanc jacturam ex meis ſcriniis Tibi reſarciam. Fateor enim in more poſitum mihi eſſe meas ad Te & alios Amicos familiares epiſtolas extemporali, ut ſemper, rebus ita ferentibus, ſcriptione protruſas Scribæ ad capiendum earum exemplum tradere, præſertim quæ operi noto inſerendæ ſunt. Illuſtriſſimâ & ampliſſimâ non minùs dignatione, quàm eruditione & morum probitate Præcellenti Viro Domino Rautenſteinio, quæ de eo ad me ſcripſiſti, miſi grata ei, tanquam amicæ Tuæ in eum voluntatis aperta teſtimonia, citrà ambitionis periculum futura. Ne dubita gratum ei & inpoſterum fore, quicquid à Tua tàm amica manu in eum provenerit. Vir eſt profectò omni ex parte egregius, & omnium bonorum benevolentiâ & obſervantiâ undiquè dignus. Quod Te eximio, ut par eſt, ſtudio & cultu proſequatur, & quam ob cauſſam Te adhuc non compellârit, ex iis quæ ad Te antehac miſi, nuperis præcipuè, noſti. Upſalienſi civitati (ut me ad publica vertam) iterum iterumquè præſentiam Regiam gratulor. Maximum enim ei hæc afferet decus, cùm eadem Regis quæ Muſarum, futura ſit ſedes. Illud verò Regium prorſùs erat afflictis & tanto ſub infortunii, *quo ignis & aqua in perniciem & jacturam eorum conſpiraverat, pondere laborantibus ſubvenire, imo promtiſſimâ ope ſuccurrere. Non dubium quin tàm inſigni beneficio accepto gratiam, quam pro eo referre parem non poſſint, debitam habituros, & beneficentiſſimum Regem ſuum bonarum artium viam ingredientem votis proſecuturos ſemperque comitaturos. Voracia illa incendia damnis, quæ immenſæ fluviorum exundationes afferre ſolent an ſint atrociora, non immeritò dubites. Illa enim omnia quidem omnibus auferunt, quæ flammarum vi reſiſtere vel ſubtrahi nequeunt, nec quidquam eorum alteri dant dominio: ſed juſtâ aquæ copiâ extingui poſſunt. Iſta multa quidem ex ablatis in aliena transferunt jura, ſed nulla ignis copiâ vel virtute coërceri poſſunt. Utraquè igitur votis tùm à nobiſmet tùm ab aliis amolienda ſunt. Graviſſimum & illud eſt peſtis malum, & aëris infecti ac tàm inevitabili quàm non adſpectabili vi fortiſſimos & cautiſſimos quoſque perimentis vitium. Hoc peſte piſcium vel pecudum alitumvè aliquando prænunciari fert experientia. Sed abſit omen, illudque Deus prohibeat, qui ſæpiùs minatur triſtia, ut his admoniti mortales paratæ in juſta ſupplicia vindictæ humili prece & ſeriâ pœnitentiâ recti viam ingrediente occurrant. Utinam Angli nominis & vinculi fraterni (quod apud Chriſtianos ſacro ſanctum ſit oportet) memores, id nunc exemplo comprobent & commendent peſte magis magiſquè ſæviente graviter moniti! Eſſet hoc & illi ipſi genti, quæ multos, ut non tantùm publica fama, ſed & prudentium judicium fert, ad res novandas & ſeditiones movendas pronos habet, non tantùm Veſtris & Chriſtiani orbis rebus commodum. Habent certè magis efficacia belli & peſtis incommodorum monita, quàm ullius Cometæ eſſe poſſunt. Quid verò ſibi volunt * illa prodigia de quibus Gotthoburgo ſcribitur, de cadente è nubibus tela & pluvia ignea ac ſulphurea? Vale & mihi favere perge.

Epiſtolarum indiculus conducit.
Exempla earum ſervari juvat.
Rautenſteinianis meritis debitum teſtimonium datur.
Regia præſentia Academiæ, liberalitas egenis maximo eſt ſolatio.
**Calamitas nulla ſola.*
Gratiam benefactori habe ſi referre non liceat.
Damna illata incendio,
Et exundatione.
Bona omnibus precare.
Deo monente & minante ſeriam pœnitentiam age.
Chriſtianorum fraternitas ſacroſancta eſto.
Anglia multos rerum novandarum avidos fovet.
Cometæ & flagella Dei officii nos admonent.
**Prodigia in Suecia viſa.*

Holmiâ Hamburgum die 5. *Auguſti Gregor.* 1665. *N.* 24. *ad* 27.

SIgnificabam, ſi recordor, proximè, Rudbeckianæ epiſtolæ partem nonnullam, ſive potiùs exordium, ad me tandem perveniſſe. Ex illo etſi reliquum epiſtolæ appariturum ante profectionem tabellarii hodierni eram auguratus, quod ſic ſperare me Schefferus juſſiſſet; video tamen invitùs, ſuperventu haud dubiè inopino Regis, diſtractum Rudbeckium in ſuggerendis quæ reſtabant mittenda, plus æquo cunctari ac moras nectere. Hanc ob rem quæ in promtu erant

mittenda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Rudbeckianæ commentationis initium Heinſius Auctori mittit.

** Upſalienſibus inſcriptam epiſtolam Auctoris Heinſius mittit ad eos.*

Poloniæ & Bataviæ ſuppar conditio.

Tottium commendat Heinſius.

‡ Heinſius ſe literas ad Chriſtianum Hugenium auctoris gratiâ daturum promittit.

mittenda duxi, ut meam ſaltem fidem liberem, quando alienam haud poſſum. *Litteras quibus Rudbeckium Forneliumquè ad argumentum Cometicum illuſtrandum invitas, Upſaliam die heſterno miſi, & Scheffero curandas credidi. Eo enim aliis quoquè de cauſſis tunc compellato opus erat. Indiculum litterarum hîc vides, ut arbitrari tutè poſſis, quid epiſtolarum ex Tuis ad me perlatum, quid in via ſit amiſſum, utquè jacturam omnem, ſi ſinè incommodo tuo fieri id poſſit, maturè reſarcias. Quo equidem officio plurimùm me demereberis. Video patriam Tuam meamquè eidem ferè fato eſſe obnoxias: à nobis tamen abeſt etiamnum abſitquè bellum civile. Comitem Tottium jure optimo commendas ac laude plurimâ extollis, qui præ multis aliis ſui ordinis ingenio eſt ad comitatem ac omnem elegantiam factus. ‡Ad Chriſtianum Hugenium Tuæ in ſpem gratiæ litterarum nunc darem nonnihil, ſi certus eſſem in Batavia noſtra illum verſari. Metuo enim ne parenti adſit in Legatione Arauſionenſi. Certè biennium jam ferè eſt, quod præter ſolitum nil ſcribit. Percunctabor tamen amicos ſuper illo Haganos, & ſi in patria ſedem fixiſſe cognovero, ut voto potiaris, operam dabo. Nunc Te jubeo valere ac mei meminiſſe.

N. 31.
ad 24.

Hamburgo Holmiam die $\frac{8}{18}$ Auguſti 1665.

Rudbeckianorum copiam quamprimùm ſibi fieri Auctor cupit:

Eorum primam partem ad ſe miſſam eſſe gratulatur.

UTiquè proxima epiſtola Tua retulerat Te Rudbeckianorum exordium per Clariſſimum Schefferum accepiſſe. Sed eorum, additâ præſertim debitâ commendatione, tædioſum deſiderium animo meo ſimul injecerat, cum Te non priùs hæc ad me, quàm reliqua acciperes, miſſurum fuiſſe narraret. Solicitâ, fateor, exſpectatione & curâ, liberavit nuperrima epiſtola, cui Rudbeckiana illa adjunxiſti. Nam alioqui ut me eorum faceres quamprimùm participem, quin & reliqua ab Auctore monitis precibuſquè urgentibus exigeres, vehementer rogaſſem, urgentibus ſcilicet Amicis, operis mei editionem curantibus, ut quamprimùm ad ſe prelo ſubjicienda mittam. Cum autem illud ex ſingulari Tua, eaquè ultroneâ (hanc enim ita vocare cum Seneca, quàm ſpontaneam cum vulgo auctoritate canâ hîc & aliàs ſæpè deſtituto, malo) humanitate habeam, hoc ut urgeam per Te, reliquum eſt. * Tua enim, cum quo mihi ut multa & diuturna intercedit neceſſitudo, ita de argumento Cometico ſtatim ab initio viſi iſtius phœnomeni conferre contigit, Rautenſteinianis ſubjungere, Tuiſquè Ubſalienſia, ſicut illis Neoburgica annectere in animo conſtitui. Si tamen id fieri patiatur figurarum Rudbeckianarum numerus aliis Communicationibus commodè interſerendus, non paucis figuris jam æri inciſis & impreſſis: Quod ſi itaquè Rudbeckiana tempeſtivè non eſſent præſtò, rationes meæ turbarentur, haud profectò leviter. Velim itaquè inſtes precibus & urgeas per literas ac Schefferum Rudbeckianam ἔκδοσιν, in qua credo experiemur verum eſſe illud vetus: *Animus vereri qui ſcit, ſcit tutò aggredi.* Singulare quidpiam magis magiſquè promittit de ſe Vir ille Doctiſſimus: quantum ex hoc egregio ſpecimine cognoſcere licuit. Accedit illa variarum Obſervationum nuper de Cometis in multis Europæ locis factarum copia, quam ei Illuſtriſſimus Dominus Cancellarius, inſignis ille (expertus loquor) literarum cultor & literatorum Patronus, fecit, ex quibus quod commodum fuerit, in ſuos uſus convertet. Addes animum Viro prudenti & circumſpecto (imò & quodammodo hæſitanti) ut libertate Philoſophicâ utatur in proferenda & aſſerenda ſententia ſua, ſui & juris potens & æqui indicii certus. *Alioqui ſi imperitorum & iniquorum, vel etiam malevolorum judicia impetus noſtros ad virtutem laudemquè ſiſterent, quis unquam in publico compareret? Quis veritatis unaquè innocentiæ oppreſſæ cauſſam ageret? quis vitia notaret virtuteſquè commendaret? Quis rem literariam augeret? quis, dicam ut verbo, †publica commoda promoveret? Ita & mihi latendum & tacendum foret: imò verò magis, quàm Rudbeckio vel alteri alicui excellentis ingenii, conſummati judicii multæquè exiſtimationis & fidei Viro.

Ultronea humanitas coactæ præferenda.

Antiquitatem reverere. Vulgum cave.

**Heinſianam communicationem Rautenſteinianæ ſubjicere Auctor cupit, ſi impedimenta removeantur.*

Verendo aggredimur rem cautè, ideò & tutò.

Magnus Comes laudatur.

**Judicia iniqua ne cures.*

Virtutem ſectare.

Veritatem & innocentiam tueare.

Libertate juſtâ utere.

Literariam rem auge.

†Utilitates publicas promove.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Viro. Nempe enim nec ego mihi ipſi hîc uſquequaquè ſatiſfacio (inter tot ſcilicet impedimenta, quæ conatus meos & mentem diſtrahunt, à gravioris fortunæ neceſſitate objecta, & tàm brevi, ſi magnitudinem ſpectes, ſpatio temporis) non meliùs certè quàm candoris conſcientiâ & boni publici ſtudio, tùm verò Tuâ, Clariſſime HEINSI, & aliorum Amicorum voluntatis tutelâ: deniquè æquiorum Judicum fiduciâ. Veriſſimum eſt quod Clariſſimus Rudbeckius dicit, cautè in publico loquendum eſſe, cùm nec ipſum Dei verbum à multorum, etiam improborum & imperitorum judiciis nullo jure munitis liberum ſit. Propterea tamen reticendum & ſupprimendum non eſt: imò urgenda privilegia illi è cælo data, ſpiritûs divini in Scriptura Canonica apertè neceſſaria ad ſalutem proloquentis, Rationis ſanæ eadem approbantis: Piæ & Primæ Antiquitatis aſſenſu communi eadem firmantis. De reliquo libertate conſcientiæ cuiquè datâ, & tolerantiâ ſtabilitâ opera danda ſedulò eſt, ut in morum probitate & charitate quotidie proficiamus. Tanto verò tutius in Philoſophicis procedendum, ubi nemo libertatem vel ſuam vendere vel alienam emere, & quivis citrà æternæ ſalutis jacturam docere & diſcere poteſt. Atquè hoc eſt firmum fundamentum, cui propoſitum meum ſuperſtruo, hæc principia, quæ etſi irrefragabilia, vulgatâ quidem at non Latinâ voce, non dixero, dixero tamen certæ & immobilis veritatis. Contrà quæ negantem me non diſputaturum dico: quin potiùs propriæ libertati, vel etiam licentiæ relinquo, nil niſi illud Senecæ reſponſi vice præponens: *Æquo animo audienda ſunt imperitorum convicia; & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus.* Uniones pretioſos ſordidis porcis objicere ipſe quoquè Salvator vetuit. *Nec tamen illi ſub terra ſunt recondendi, addito eis cuſtode ſilentio, velut Heſperio Dracone: †quin potiùs in Senatum Philoſophicum proferendi & judicio Doctorum Virorum aliorumquè Æquorum Judicum, qui ſunt legitimi harum ſapientiæ & virtutis mercium emptores, ipſi quoquè principes, his veris divitiis Opulentiſſimi, proponendi. Imperiti & improbi ac furibundi, non minùs ab his quàm ab aliis gemmis maximi & immenſi pretii amoveri vel etiam abigi, ſi importuni eſſe pergant, merentur. Clariſſimum Rudbeckium ſua de Cometis non quidem voraci igni, cui illa ſemel tradidit, ſed inerti oblivioni eripuiſſe, & ad reliqua vindicanda ſe accinxiſſe, gratari par eſt. Hæc examinare meum non eſt. Pro noſtro tamen amicitiæ jure pauca de his apud Te dicere juvat. Prudenter cenſet Vir ille Doctiſſimus, ut quid certi de Cometa proferatur, longâ & multâ opus eſſe experientiâ, & verè ait nec veteres Ægyptios Chaldæoſquè certi quid de Cometis pronunciaſſe. Eudoxus primus (inquit Seneca) ab Ægypto hos motus (ſiderum) in Græciam tranſtulit. Hic tamen de Cometis nihil dicit. Ex quo apparet, ne apud Ægyptios quidem, quibus major cæli cura fuit, hanc partem elaboratam. Conon poſtea diligens & ipſe inquiſitor, defectiones quidem Solis ſervatas ab Ægyptiis collegit, nullam autem mentionem fecit Cometarum: non prætermiſſurus, ſi quid explorati apud illos comperiſſet. l. 7. nat. quæſt. c. 3. Ubi etiam Epigenes contrà Apollonium Myndium Chaldæis quòd Cometas in numero ſtellarum errantium ponant & curſus eorum teneant, ait Chaldæos nihil de Cometis habere comprehenſi. Equidem nec ex ipſo Seneca, ſed nec ex Ariſtotele, Plinio & Plutarcho aliiſquè ſummis Philoſophis certi quid de hoc argumento diſci potuit. Et fateor me, qui licet non omnia de hoc argumento legi, tamen me non pauca legiſſe ſine ambitione & temeritate affirmo, & ex tot contrariis de Cometarum natura & motu ſituquè Virorum doctorum opinionibus, & ex propria eorum confeſſione animadvertere tot tantiſquè ad ann. 1652. eorum ſtudiis & conatibus, hoc ſolùm elucere, *Nihil eſſe certi.* Credo Hevelium, quem tot Viri Doctiſſimi & Mathematici Clariſſimi Incomparabilem & Principem Senatûs ſui pronunciant, ſingulare quid præſtiturum, quod etiam ex Prodromo ſatis apparet. Imò ut ex literis ejus colligo, ille & ſtellarum ordinem melius conſtituet & globos corriget, ut in eo demùm verum ſit illud Ciceronis: *Inven-*

Auctor multa habet impedimenta ſuperanda; parùm temporis:
Solatur ſe facti conſcientiâ, publici boni ſtudio, Amicorum favore, & æquiorum judicum fiduciâ.
Libertas conſcientiæ cuiquè integra eſto.
Tolerantia ſtabilienda.
Pietati ſtudendum.
Principia prima qui negat, reſponſo dignus non eſt.
Sperne te ſperni.
Pretioſa dignis proponenda.
**Silenda non ſunt veritatis cæleſtis myſteria*
†Judicibus æquis res dijudicanda commendetur.
Rudbeckium ſua de Cometis recolligere Auctor reipublicæ gratulatur.
Eudoxus primus Græcos Aſtrologiam docuit, at nil de Cometis.
Conon Samius inſignis Mathematicus nullam Cometarum mentionem facit.
Cometicum argumentum veteres non ſatis accuratè pertractarunt.
Incerto adhuc argumentum Cometicum laboravit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Heinſius officii diligens.

tus eſt ordo in iis ſtellis (errantibus) *qui non putabatur.* 2. de divinat. Sed ego de his, ut & de reliquis judicium Clariſſimi Rudbeckii per Te exſpectabo. Te enim, quâ es humanitate & dexteritate, diligentem talium exactorem eſſe, expertis documentis nixus ſcio: adeoquè Te talem & inpoſterum fore, certò ſperare poſſum. Vale Vir undiquè Clariſſime, & me amare perge.

N. 25. *ad* 28. *&* 29.

Holmiâ Hamburgum die $\frac{2}{12}$ *Auguſti* 1665.

Magnus Comes Auctori ſe favere apud Heinſium teſtatur, Memorat obſidionem Stetinenſem ſolutam ſibi & aliis prædixiſſe, Facundiâ flexanimâ pollet, Moram Rudbeckii ſibi diſplicere indicat, alioquin ei favens. Magnus Comes laudatur ab eruditione, rei Botanicæ ſtudio, magnificentia, eruditorum amore.

HEſterno die poſt meridiem nactus occaſionem opportunam colloquendi cum Illuſtriſſimo Regni Suecici Cancellario, idquè arbitris remotis, Tuâ ſalutatione apud illum ſum defunctus, quam is oppidò gratam ſanè habuit, factâ Tui nominis honorificâ mentione, Tequè ob exquiſitas animi dotes haud modicè prædicato. Narrabat cùm alia nonnulla de ſermonibus inter vos jam olim habitis, tùm quæ ſibi Comitiquè Slippenbachio de ſolvenda Stetini civitatis obſidione prædixiſſes: rem à capite ad calcem multo verborum apparatu (noſti delinificam Herois facundiam) perſecutus. Unde colligas licet non perfunctorio aut tralatitio more verba inter nos aut obiter de te facta eſſe. Rudbeckii in prodenda ac chartis illinenda, ſuper argumento, quod noſti, Cometico, ſententia conſilium procraſtinari minùs probabat: cætera Viri illius per-quam ſtudioſus: & jure id quidem quo ad indagandæ naturæ arcana ſollertius feliciuſquè ingenium in hoc Septentrione vix proveniſſe optimè omnium intelligit, tantus eruditionis arbiter, & tàm eruditus ipſe. Qui cum re herbariâ in univerſum & plantis peculiariter exoticis mirum capiatur in modum, quarum copiam uberrimam hic illic terrarum ſtudio ſanè indefeſſo, plurimaquè impenſâ acquiſitam, in ſuburbanum ſuum huic civitati vicinum peregrè convectari fecit, Rudbeckium non poteſt non fovere, & acceptum habere, vel hac unica de cauſſâ, ſi deeſſent aliæ, & fortè juſtiores; quod rem botanicam & ipſe in præcipuis deliciis atquè oblectamentis habeat, ut miraculi ſimile videatur, herbas etiam tenerrimas ac frigoris impatientes maximè adverſus cæli inclementis ac hybernæ tempeſtatis injurias tanto cum ſucceſſu illæſas præſtari poſſe. Ab illo Rudbeckio paginas hìc denuò duas vides prioribus duabus adjungendas. Cæteræ quando comparituræ ſint, eſt in incerto: ad Te tamen perventuras eſſe, ſimul atquè in manus meas perferentur, dubitare noli. Ad epiſtolam tuam nihil hactenus Upſalienſes reponunt quantum video: reponent tamen nonnihil, ut opinor, idque propediem. Certè ut id fiat, adhortari illos Schefferus non deſinet, me auctore, id enim officium ab illo verbis enixiſſimis jam flagitavi. Illuſtriſſimum Comitem Nicolaum Tottium tuo nomine conveniam, & ſalutabo occaſione primâ, uti à me jam apud Magnum Cancellarium eſt factum; qui ferias ſibi bimeſtres erat pollicitus nuper, ac diſcurſum meditabatur otioſum hâc æſtate per agros fundi hæreditarii, quos opimos ac luculentos per hunc Septentrionem poſſidet: ut nunc mutato conſilio vix eſt, ut ex hac civitate ſit moturus pedem, aut moturus in paucos tantummodo dies: incumbente hinc illinc magnâ rerum agendarum mole. Multa circumferuntur hìc vaticinia, prodigia quoquè non pauca, per quæ fit, ut plebs perſuaſum habeat, hanc civitatem mox penitùs eſſe conflagraturam Nicopiano exemplo. Weſterwycum certè oppidum Köningſmarckii Comitis parte majori in cinerem proximis diebus eſt redactum. Sed ad timorem plebi incutiendum ipſius plebis meticuloſa ac delira ſuperſtitio, quâ hic præcipuè terrarum inſanum permoventur in modum, plurimùm poteſt. Quòd Menagii familiaritate jam olim apud Andes es uſus, gratulor Tibi fortunam. Eſt enim is Menagius, quem cum primis per Gallias ingeniis haud immeritò componas. Quo magis gaudeo tuâ operâ ſalvam permanſiſſe mihi epiſtolam, in qua operoſam cùm de illo ipſo, tùm de Iſmaële Bullialdo narrationem, uti teſtaris ipſe, inſtituebas. Fuit enim mihi in Galliis cum altero uſus neceſſitudinis haud modicus: alterum non Gallia ſolummodò, ſed Italia quoquè

Heinſius alteram Rudbeckianæ commentationis partem mittit: Reſponſum Upſalienſium Auctori promittit.

Magni Comitis ampliſſimæ fortunæ, præſentia in Aula Suecica neceſſaria. Prodigia & vaticinia Suecica.

Superſtitio plebis Suecicæ. Menagius laudatur,

Amicus Heinſii ſingularis. Bullialdus Heinſio familiaris.

què & Fœderatum Belgium mihi impenſè conciliarunt: ac Belgium quidem noſtrum, eo tempore, quo Legationem illic Regis Chriſtianiſſimi nomine obibat vir ſplendidis natalibus ac multâ litterarum cognitione inſtructus Jacobus Auguſtus Thuanus, Jacobi Auguſti filius, cujus ille familiaribus & accenſebatur, & nunc quoquè, ni fallor, accenſetur. De perilluſtri Rautenſteinio quod iis quæ jam ſcripſi, ſuperaddam, nihil habeo, niſi id unum, rogare me iterum, ut Virum hunc eximium meis verbis officioſè, cum occaſio dabitur, ſalutes; nec ſemel tantùm iterumquè aut tertio id ut facias, ſed frequenter, nec intermiſſâ operâ; & tunc quidem inprimis, cum id meis ille precibus non debebit. Doctiſſimus Schefferus Petronianum fragmentum Tragurii apud Dalmatas nuper inventum Commentario inſigni illuſtravit, & jam luci permiſit; poſt alia complura eruditionis minimè protritæ monumenta. Id exemplum tàm laudabile Rudbeckius æmularetur vellem. Sed ſcriptorum vix quicquam hactenus ab illo juris publici, quod ſciam, eſt factum. De piſcibus per propinquos huic civitati lacus magno numero emortuis nuper rem ipſe oculis hiſce uſurpavi, ac penitiùs inſpexi, advertiquè cauſſas ejuſce rei non longè nobis eſſe quærendas, cum ob intenſum hâc anni tempeſtate ardorem Solis, tùm ob lacus ipſos haud quaquam profundos, ac proindè æſtivo calori plus æquo obnoxios, quem conſueto vehementiorem nunc experimur. Vale Vir Nobiliſſime, & properatæ plus æquo ſcriptioni pro candore tuo benigniter quæſo ignoſce.

Thuanus Jacobi Auguſti filius laudatur.

Rautenſteinium magni Heinſius facit,

Ei ſe per Auctorem aſſiduè commendari cupit.

Petronii fragmentum nuper inventum publico donatum.

Piſces apud Holmiam æſtu enectos Heinſius ipſemet vidit, contrectavit.

Hamburgo Holmiam die 25. *Auguſti Gregoriani* 1665. *N.* 32. *ad* 25.

AMpliſſimas Tibi ago gratias de eo quòd commodam cum Illuſtriſſimo Regni Cancellario colloquendi nactus occaſionem benevolam mei mentionem rebus & votis meis accommodam, apud eum facere volueris. Maximi enim facio ut virtutes & dotes maximas Magni illius omni ex parte Viri, ita & favorem ac patrocinium, ſine quo conatus mei in illis oris optatum finem contingere non poſſent. Adhæc lubens meritoquè fateor me multis nominibus Magno illi & ut Humaniſſimo, ita & Munificentiſſimo Viro obſtrictum eſſe, favorem & gratiam ejus terrâ mariquè expertus. Proindè ſedulò conor & curo, ut me quà poſſum, oſtendam magnorum beneficiorum gratum. Id aliquando tentabam ludens & ex nomine anagrammata & omina evolvens, talia:

Magni Comitis virtutes, dotes, favorem & patrocinium magni Auctor facit.

Gratum ei animum teſtatur,

Magnus Gabriël de la Gardie Comes,
Regni Seciæ Cancellarius Magnus.

Anagrammata & omina ex nomine ejus evolvit,

Dignè regis ſigillum bellè ſanè ardua
Magna ages, Comis, nectare carus.
Magna bellè geris, luci idoneus, regno dignus
Curas regales ama ſcitè ama.

Quod verò ad illam, quam Vir ille Illuſtriſſimus coram Te memoravit, prædictionem attinet, hanc quidem mihi non arrogo, ſed tamen cum veritate in Dei gloriam dicere poſſum debeoquè, quod publicè geſtum varia adhuc hominum experitur judicia. Propoſuerat mihi Elbingæ Anno 1659. menſe Octobri Illuſtriſſimus Comes Schlippenbachius & publicè quidem biniſquè vicibus probandæ veritatis, quam profiteor, conditionem hanc, ut à Deo urbis Stetinenſis (in qua uxorem cum liberis aliiſquè neceſſariis habebam, quæquè in extremo poſita erat diſcrimine) conſervationem precibus impetrarem. Sed nec hôc contentus, ſemel atquè iterum ſi hoc fieret, ſententiam ſe meam, ut veram, amplexurum vovit, certè aſſeveravit, alioſquè nonnullos idem ut facerent, perduxit. Ita ego nullâ temeritate, ſed impoſitâ neceſſitate impulſus totum me jejuniis & precibus dedi, & tandem ſupplex à Deo in argumentum veritatis impetravi

Narrationem de obſidione Stetin. prædicta illuſtrat & confirmat.

Schlippenbachii Comitis votum apud Auctorem factum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Stetinenſem obſidionem ſolutam Auctor Elbingæ prædixit, & poſtridiè quàm evenerat omnibus palàm aſſeruit.

travi, ut obſidionem, quam ſolutam certò iri Viro illi Illuſtriſſimo die 8. Octo-
bris Gregor. dixeram, die 23. ejuſdem menſis ſolutam die poſterâ omnibus tunc
Elbingæ agentibus, antè omnes verò Illuſtriſſimo Cancellario, tunc ſupremo
Quæſtore Regni & primario Legato, certo certius aſſeruerim. Tàm enim hoc
certò ſcivi, quàm me ſuperſtitem illâ die manſiſſe certum erat. Aderat tunc
Elbingæ & Illuſtriſſimus Rautenſteinius Delegati Neoburgici munere in Aula

** Auctor Elbingæ publicum veritati religionis Chriſtianæ, quam profitetur, teſtimonium dedit.*

Polonica & tractatibus Pacis Olivenſis perfungens. Atquè hæc eſt rei tunc ge-
ſtæ ſeries, cujus me non pudet, nec in glorioſo Chriſti Judicis adventu pude-
bit: in quo pudefient illi qui rem graviter & ſanctè geſtam iniquiſſimè inter-
pretantur, niſi eos facti pœniteat, quod eis precor. Reliqua ad rem hanc per-
tinentia conſultò taceo: & ad alia potiùs tranſeo. Niſi & hoc addam, cupere

Magno Comiti opus ſuum commendari per Heinſium Auctor cupit.

me ut opus meum inprimis Illuſtriſſimo Cancellario commendes. Animadver-
to enim in Tuis favere eum meo inſtituto, ideoquè moram Rudbeckianam
moleſtè ferre. Cum autem & Illuſtriſſimi Comitis Tottii favorem multùm æſti-
mem, rem gratam mihi facies, quum ei vota & ſtudia ac officia mea deferes.
Multa quidem prodigia hîc illîc eveniunt, ſed plura credo, quàm ſunt, narran-

Superſtitionem cave. Impietatem fuge. Pietatem veram ſectare.

tur. Vix enim numerus eorum comprehendi poteſt. Superſtitione multos capi
& duci hâc tempeſtate, certum eſt. Et potior quidem illa judicatur impietate:
tamen & illam ſtipant ſua incommoda. Optandum eſt ut animi Chriſtianorum,
omniumquè inſuper hominum, verâ pietate regantur. Metus ille de incendio

Holmiæ bona Auctor precatur. Benevolus erga omnes eſto.

Holmienſi utinam vanus ſit! Acerbo illo Weſterwici, ut & Gothæ aliarumquè
urbium, quæ nuper conflagrarunt caſu, ſummoperè doleo, utquè Deus pro ſua
clementiâ his damna, quæ ingentia ſubivêre, reſarciat, à reliquis ſimilia mala
avertat ex animo precor. Illuſtriſſimi Thuani laudes meritò, quamvis in tranſ-
itu attingis. Et apud me quidem, qui magnas ejus dotes in humano colloquio,
& egregiam humanitatem expertus ſum, cùm Lutetiæ Pariſiorum 1649. agerem.
Tunc verò mihi Optimi & Doctiſſimi Senis Dionyſii Riverii in domo Thua-

Bullialdus Auctori & Heinſio amicus. Menagii ſtudia amœna.

næa agentis, & Amici mei ſingularis, operâ obtigit amicitia Clariſſimi Bullial-
di, qui memor Tui vivit. Accepi nuper unà cum Tuis literas ab eo die 14. Au-
guſti datas, quibus Illuſtriſſimum Menagium ſtudiis elegantioribus ſemper in-
cumbere, & cum Amicis quotidie verſari refert. Eadem illa die (erat 22. Au-
guſti Gregor.) accepi & Illuſtriſſimi Rautenſteinii literas die 17. ejuſdem men-
ſis datas, quibus ut Bullialdi, à quo itidem ad illum literas acceperam, memi-

Rautenſteinii erga Heinſium benevolentia, Seceſſûs & otii literarii deſiderium.

nit, ita & Tui. Et ita quidem: *Clariſſimi Heinſii affectum erga me, licet indignum*
& immeritum exoſculor, gratulaturus mihi, ſi ipſi & ſimilibus Viris præſtantibus ali-
quando inſervire potero, aut eorum commercio frui, majus otium nactus, quò remis
veliſquè contendo. Menagii tunc mentionem apud me Tuæ & Bullialdianæ fece-
rant. Inde per Te facilè cognoſces, quanta animi voluptate ex tot doctorum
& excellentium virorum concurſu (quem mihi commodiſſimus urbis hujus, in-

Hamburgum inter urbes Europæas literarum commercio aptiſſima.

ter omnes Europæ urbes hoc nomine facilè prima, præſtat ſitus) fruar & gau-
deam. De Rudbeckianis gratias Tibi ago. Eorum authographum Tuum eſt, &
ad Te redibit. Non ſine egregia animi oblectatione illa legi: quæ & relegi ac
penſiculatè examinari merentur. Multam enim eruditionem in ſe continent.

*Philoſophi veteres pauca de Cometis annotarunt. *Scholaſticorum in rebus naturalibus & Theologicis fingendis licentia.*

Dolendum certè eſt veteres Philoſophos pauca de Cometis annotaſſe: *tum &
Scholaſticos rerum naturalium ſcientiam pro arbitrio finxiſſe, ſed quod longè
gravius eſt, ipſam quoquè Theologiam. De quo ut fidelior ille quàm felicior
purioris doctrinæ præco Hieronimus Savanorola lib. de ſimplicitate vitæ Chriſtianæ
Michaël Neander in hiſtor. Eccl. Carion in Chron. aliiquè Viri præcellentes
queſti ſunt, ita Verulamius Vir non tantùm natalium & dignitatis ſed & ſin-

Concilium Tridentinum Scholaſticæ Theologiæ addictum. Aſtronomorum licentia.

gularis eruditionis ſplendore longè Illuſtriſſimus de ſuperſtit. doctè ſcribit, quod
& ad rem Aſtronomicam egregiè facit: *In Concilio Tridentino*, ait, *doctrina Theo-*
logorum Scholaſticorum multùm potuit: hinc emanavit gravis nonnullorum Antiſtitum
ibidem congregatorum ſermo: Scholaſticos Aſtronomis ſimiles eſſe qui eccentricos circu-
los & epicyclos & hujuſmodi orbium machinas finxerunt, quò phænomena ſervarent, etſi

ſatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſatis ſcirent nihil tale reverà exiſtere. Et Aſtronomi quidem ſuorum inventorum veritatem probare contendunt, perquè illa nullius ſaluti nocent, imo orbium cæleſtium motum docent. At ibi longè graviùs, quia periculoſiſſimè erratur. Hoc autem tamdiu fieri neceſſe eſt, quamdiu ad primævæ ſimplicitatis pauca & certa pietatem docentia capita redire tardabunt homines, quos magis probitatis quàm ſubtilitatis amantes fieri par eſt. Multos pruritu vel ambitionis captandæ vel lucri cujuſdam faciendi, non ullo rei literariæ vel utilitatis publicæ ſtudio ad ſcribendum de Cometis impelli, teſtantur tot libelli in vulgus ſparſi, qui ſæpè alienas, eaſquè falſas Cometæ obſervationes & poſitiones (quales & heri cum Amico quodam hîc diſcuſſi) vel parùm firmas, quaſdam etiam ineptas prædictiones oſtentant. De his eruditè Clariſſimus Eraſmius Bartholinus Regius Hauniæ Profeſſor ſcripſit. Ideò & Clariſſimus Rudbeckius meritò in hoc hominum genus invehitur acriter, eorumquè temeritatem multis nocivam indignanti ſtylo ulciſcitur. Quod verò Cometæ nullam efficiendi, imo nec ſignificandi neceſſitatemtribuat, pro Bartholini aliorumquè Virorum doctorum ſententia, cui & ego accedo, facit. Iſraëlitarum populi quondam Deo perchari exemplum rectè inſtituto aptat, niſi quòd illorum temporum Cometæ in ſcrinia hiſtoriæ non fuerint relati, multàque ex his ſeculorum iniquitate perierint. Attamen Cometas, qui illis temporibus apparuerunt, & annotati ſunt, ſecuta eſſe nonnulla læta triſtiaquè, quæ ad Iſraëlitas pertineant, probari ex Hiſtoria poſſet. Memoriæ enim nonnulli prodiderunt ante annonæ caritatem, quæ Iſaaci tempore contigit, & ut Iſraëlitarum tranſitum per mare, ita Ægyptiorum interitum apparuiſſe Cometam. Sed fateor illorum temporum res geſtas ignorantiæ tenebris magna ex parte involvi, &, ut tunc monita Moſis & Prophetarum, ita nunc Chriſti & Apoſtolorum certiora illis eſſe, quæ Cometæ tribuuntur. Quod me etiam Ethicè facere ſtudio commendandæ & inculcandæ quoquomodo virtutis non nego. Porrò quæ Vir Doctiſſimus tanquam probabilia de Cometæ generatione proponit, non tantùm Philoſophorum, ſed & Theologorum ingenia ſtrenuè exercebunt. Generari nunc à Deo Cometas, vel alias ſtellas novas non omnes, imò pauciores fortè admittent. Illam certè ſtellam, quæ Magis in natali Chriſti etiam interdiu luxit, non fuiſſe veram ſtellam, ſed ſtellæ ſimilitudinem habuiſſe, & velut extraordinarium quid ad demonſtrandum Chriſti recens nati domicilium à Deo creatum fuiſſe, Ambroſius, Auguſtinus aliiquè Veterum, tùm & recentiorum nonnulli, alii tamen Cometam, vel ſimile Cometæ phœnomenon fuiſſe, concedunt & probant. Sed hæc attigiſſe leviter hic ſufficiat. Cometarum generationem ex hypotheſi fieri ex effluviis Solis aliorumquè corporum cæleſtium cum ſententia Heveliana optimè convenit. Ego hæc, ut & illa de Cometæ lumine, cauda, ejus figura & ſitu ac colore, aliaquè his ſimilia Aſtronomis relinquo. Caudam illam variè vibratam & projectam huc illùc cogitationes & ſententias Philoſophorum flectere animadverto. Deflexionem ejus in plagam à Sole oppoſitam per accidens oriri & ſitu Solis, Cometæ ac ſpectatoris, concurrentibus fortè aliis cauſis in materia & figura capitis, vel ex diſtantia & motu tranſverſo Cometæ latentibus, per ſe autem ferri ſemper in regionem Soli oppoſitam Doctiſſimus Ricciolus Almag. part. poſter. Tom. 1. cap. 4. pag. 26. docet. Miretur hoc qui non obſervet quotidiano experimento herbam illam, quæ Heliotropion vocatur, abeuntem Solem intueri, ſemper omnibuſquè horis cum eo verti, vel nubilo obumbrante. Clariſſimus Hevelius Cometas Solem, tanquam Regem, intueri & venerari, ſed, unà caudas quoquè eorum non ſemper exquiſitè in oppoſitum Solis vergere & aliquando deviare, hancquè deviationem ex diverſiſſima refractione & reflexione radiorum Solarium provenire docet. Quod reliquum eſt, libenter, ut alias demonſtrationes, & quæ indicat Clariſſimus Rudbeckius, ſchemata, videbo, ita illius novi phœnomeni quod ſimile Cometæ Illuſtriſſimus Cancellarius, poſtea verò & ille obſervârat, deſignationem & delineationem. Clariſſimus Gravius Franequer.

Inventa ſua tueri conatur. *Nulli arte ſuâ nocet, docet potiùs orbium cæleſtium motus.* *Pietas ſubtilitate potior.* *Literaria reſpublica non vacat avaritiâ & ambitione.* *Bartholinus Eraſmus Aſtrologicis prædictionibus non favet.* *Rudbeckius Aſtrologorum vaticinia rejicit.* *Cometæ antiquis ſeculis apparentes non annotati diligenter:* *Hos læta triſtiaquè exceperunt.*

Divina oracula Cometarum vaticiniis Aſtrologicis potiora. *Virtutem quoquomodo commendare decet.* *Stella in natali Chriſti an ſtella vera, an Cometa vel aliquid his ſimile fuerit. Auctores diſſentiunt.*

Cometarum generatio ex effluviis Planetarum.

Caudæ Cometicæ vibratio diſſenſum Mathematicorum adfert.

Heliotropion ad Solis motum ſe convertit.

Cauda Cometica non ſemper exquiſitè in partem Soli oppoſitam vergit, & unde iſta deviatio fiat.

 Prof.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Profeſſor ſimile quid circa initium Februarii ad Borealem cinguli Andromedæ, ſed & Romani Mathematici menſe Aprili obſervarunt. Sed hæc inter ſe conferenda erunt ſuo tempore. Tu interim urge ut figuras illas quamprimùm ad me mittat æri incidendas. Jam enim mora illius rationes meas in conſtituendis communicationibus turbavit, cum figuræ quàm ocyſſimè cum numeris incidi & imprimi neceſſariò debeant, niſi in annum operis editionem extrahi velim. Quod ſi vel ego vellem, Tu, Optime Heinſi, aliìquè Amici fieri nollent. Vale & mihi conſtanter fave.

Communicationum Ordo figuris Rudbeckianis tardiùs miſſis turbatus eſt.

N. 26. ad 29.

Holmiâ Hamburgum die 19. Auguſti 1665.

Epiſtolarum commercio indiculus convenit.

IN ephemeridum mearum libello annotatum offendo, menſe Quinctili me quater Te per literas compellaſſe, die videlicet ſeptimo, decimo quinto, viceſimo ſecundo & viceſimo nono calculi Gregoriani. Si quid harum literarum ad Te non pervenit, ejus exemplar inveſtigari & deſcribi denuò per illum, qui mihi eſt ab epiſtolis, curabò. Quamquam haud raro fit, ut illo invalido aut alibi occupato, uti nunc quoquè, quando ægrotat, exemplar vix ullum in ſcriniis meis adſervari videas earum literarum, quæ frequentes admodum à me deproperantur ad familiares de rebus aut privatis aut publicis. Menſe Majo nuſquam defuiſſe me recordor dandis ad te literis. Junio ſemel fortaſſè, die videlicet tertio aut quarto. Exinde hebdommaticus epiſtolarum ordo permanſit non interruptus, quantum licet meminiſſe. Ex Tuis quid ad me non ſit perlatum pulchrè, ni fallor, liquidoquè apparebit ex illo indice, quem penultimis meis adjunxi. A Rudbeckio ſi quid in tuos uſus ad me perferetur hodierno die, cujus notæ nil omninò eſt perlatum, cum necdum tabellarius Ubſaliâ hùc advenerit, id unà cum hiſce literis accipies. Nam ea, quæ jam ſemel iterumquè miſi, rectè curata eſſe, ac tuis deſideriis abundè hîc ſatiſfactum videor poſſe ſperare. Hodie per literas Chriſtianum Hugenium rogavi, ne quid gravetur communicare mecum, quæ ad Cometas nuperos obſervavit: augurorquè preces meas ab illo nequaquam fore aut repellendas aut negligendas. Quæ ad emendati ſermonis uſum in lingua Romana oportet referri, de iis optimè meritum eſſe Gerardum Joannem Voſſium, miræ induſtriæ ac indefeſſæ lucubrationis Virum rectè arbitraris. Cui addatur licet Franciſcus Sanctius Brocenſis: præter eos, quos merita in rem literariam eximia loco illuſtriori collocarunt, quiquè abs te haud quaquam ignorantur. Is certè Sanctius in Minerva ſua plurimos errores primus in hoc argumento detexit, & errantes meliora illic docuit: tùm in fontes ac origines cauſſarum penetravit: ne quid alia ejuſdem ſcripta ad rem Grammaticam ſpectantia nunc tangam. Pauci oppidò ſuperſunt hâc tempeſtate, qui defæcato Latinitatis nitori ſtudent multo cum ſucceſſu: quos inter princeps, ſi quid video, debetur locus Joanni Frederico Gronovio, qui de Livio, Senecis, Plauto, Statio Papinio, Valerio, Martiale, deque omni antiquitate Romana meritus eſt præclarè prorſùs & inprimis laudabiliter. Nam Gaſpar Schioppius, dum multa carpit promiſcuè in vetuſtis quoquè Scriptoribus ut parùm Latina, quæ reprehenſionem non merebantur, id hac conſecutus eſt temeritate & confidentia, ut raro illi, nec niſi timidè, credamus, etiam in iis, quæ præter fas ab illo ſugillari vix liquet. Vale.

Heinſiana in colenao literarum commercio diligentia:

Idem ad Chriſtianum Hugenium de argumento Cometico ſcribit.

Voſſius pater ab Heinſio laudatur.

Franciſci Sanctii Brocenſis Minerva commendatur.

Latinæ linguæ nitori pauci ſtudent. Gronovii laudes.

Schoppii confidentia fidem ei detraxit.

N. 33. ad 26.

Hamburgo Holmiam Kalend. Septembris Gregor. 1665.

Epiſtolarum commercio indiculus convenit.

ITa eſt, Quinctilem Gregorianum quaternas mihi literas Tuas dediſſe. Sed Majus nonniſi ternas, die videlicet decimo tertio, viceſimo & viceſimo ſeptimo exaratas attulerat. Junius itidem quaternas, licet die tertio nihil ſcripſeris:

ris: dehinc non interruptâ ſerie omnes Tuas rectè accepi, & gratulor mihi multum hanc felicitatem, quòd Te adeò mihi faventem & in ſcribendo diligentem experiar. Documento eſt & illa ad Clariſſimum Chriſtianum Hugenium epiſtola, quam de argumento Cometico mei cauſſâ ſcripſiſti. Velim ejus exemplum ad me mittas unà cum reſponſo, poſtquam illud obtinueris, utrumquè meritò iis, quæ invicem communicamus, accenſendum & operi inſerendum. De Rudbeckianis gratias Tibi ago, & plurimùm gaudeo Te tàm illuſtri parario multa jam egregia, & famæ juxtà ac exſpectationi noſtræ convenientia, ab illo ſolidâ eruditione præſtantiſſimo Viro, mihi obtigiſſe. Quæ jam de Cometæ cauda diſputat, captum meum, fateor, ſuperant, ſed & demonſtrationibus, quas promittit, opus habent. De quibus repeto ſuperiora. Valdè mihi gratularer ſi illas paulò poſt acciperem, è veſtigio æri incidendas, in cenſum referendas, & Tuæ Communicationi proximè Rautenſteinianam unà cum Commentario iſto Rudbeckiano adjungendas. Velim autem det nobis demonſtrationes, quas ſe brevitatis cauſſâ dare potuiſſe negat, an Cometa in curſu ſuo vertatur circa proprium centrum & axem, num verò latus unum idemquè perpetuò Soli habeat oppoſitum. Curarem enim unâ eademquè operâ omnes æri incidi, & teſtor eum rem mihi non gravem, ſed gratam potiùs facturum: qualem præſtitit miſſis ad Te & per Te ad me obſervationibus Cometæ in Corvo & Lepore viſi. In quibus ut aliàs cum Clariſſimo Hevelio convenit, ita & in eo quòd Cometam ante 20. 30. Decembris 1664. Horizontem ibi polo altiùs quàm Dantiſci, ut & in Italia & alibi, elevato ſubiviſſe dicat. Velim aliàs, quot diebus latuerit, indicet. Quæ de ſtudio linguæ Latinæ excolendo ad me ſcribis, gratiſſima ſunt. Ego quoquè hîc Te monitore modicam induſtriam meam exercebo, ſi vivo, & quantum per alios labores, quos me ſubire oportet, licebit. Gronovii eruditionem, quæ ſe orbi literato tot egregiis ingenii monumentis teſtatam, & ſeræ poſteritati commendatam reddidit, novi, non tamen penitiùs, ut Tu, à quo longè me diſtare fateor. Cujus rei vel hoc quod de Franciſco Sanctio Brocenſi mones, præbet documentum. Ille enim Auctor mihi adhuc incognitus fuit, qui præter mediocrem Auctorum lectionem Henricum Stephanum & Gerardum, quem dixi, Voſſium in linguæ Latinæ ſtudio magiſtros agnoſco. Utinam omnes proficiamus non tantùm ad linguæ ſed & vitæ, & hujus quidem potiſſimùm, caſtitatem! Vale.

Heinſii benevolentiam & officioſam induſtriam Auctor ſibi gratulatur.

Rudbeckiana Auctori pergrata ſunt.

Cometa hyemalis Horizontem ſubiiſſe in Suecia obſervatus.

Gronovii laudes.

Franciſcus Sanctius. Henricus Stephanus. Voſſius pater. Vitæ caſtitas linguæ caſtitatem antecedit dignitate.

Holmiâ Hamburgum die 26. Auguſti 1665.

N. 27. *ad* 30.

Rudbeckianæ epiſtolæ partes tres ternâ vice jam miſi: quæ omnia in manus tuas rectè perlata eſſe confido. Reliqua quando ſint in promtu futura, arduum eſt divinatu. Nihil enim totis jam diebus bis ſeptenis nuntiorum aut ab illo ipſo Rudbeckio aut à Scheffero accepi. In Nærano facundiam & orationis uberrimum nitorem miror. Erit ille, ni fallor, aut filius aut nepos illius Nærani, cujus Poëmata typis deſcripta vidiſſe me recordor, & ab avunculo meo Joanne Rutgerſio epigrammate non invenuſto commendata. Illuſtriſſimo Iſbrandio jam non ſemel tuas exhibui, qui ſibi de affectu Tuo rem multis gratulatur. Adfirmat ille quidem mirâ propoſiti ac verborum conſtantiâ, nequaquam fore, ut in hoc Septentrione hybernet, ſed, ut ſunt rerum humanarum, publicarum maximè, vices, non video quo colore, aut quo jure patriæ inter magnas verſanti nunc anguſtias, Vir tantus tàm difficili tempore poſſit deeſſe: præſertim illîc poſitus locorum, ubi Britannis omnia adfulgent hactenus benigniora, quàm nobis. Sed huic malo aut ille mox medebitur, aut medebitur nemo. Indiculum epiſtolarum tuarum jam accepiſſe à me potes. Cui exordia binarum adjungere, quas Upſaliam Scheffero legendas miſi, nec tùm licuit, nec nunc licet, cùm in manus meas inde needum ſint relatæ. De cadente è nubibus tela, dequè pluvia picea ac ſulphurea, in quam inquiris, jam

Næranus ab Heinſio laudatur.

Iſbrandii erga Auctorem benevolentia, in patriam redeundi propoſitum, dignitas patriæ utilis.

Sueci in Anglos magis quàm Hollandos affectu propendent.

Tela è nubibus cadens. Pluvia picea & ſulphurea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

jam ſæpè aliàs nonnihil inaudiveram. Sed cum in Norwagia id geſtum eſſe dicatur, aut ſub limite Norwagiæ, teſtem oculatum ac fide dignum hactenus deſidero ac circumſpicio. Quanquam, ut ingenuè tecum agam, rem illam meâ curioſitate haud dignam judicavi, cùm nimiam, ne quid gravius dicam, plebis per hoſce terrarum tractus ſuperſtitionem multis argumentis jam pridem habeam ſuſpectam. Adeò vix dies abit, quo non complura hujus generis & æquè incredibilia in vulgus promanent. Neſcio qui vates non ita nuper ferebantur prædixiſſe proximè hanc civitatem, quanta eſt, partim terræ motu, cæleſti partim igne totam mox conſumendam atquè abſorbendam fore. Quin & tempus condictum huic rei deſtinabatur ab illis, nox ea, quæ diem D. Laurentio Sacrum proximè eſſet tunc præceſſura. Eaquè animorum conſternatione exceptum eſt id vaticinium, ut, quod fateri pudet atquè enarrare, ex fæminarum virorumquè ſortis haud infimæ numero non pauci ſint reperti, qui convaſatis ſarcinis majoris atquè pretioſioris rei, ſub illam tempeſtatem ex hac urbe ſe proriperent ac rus ſecederent, plebis pars potiſſima nocturnum tempus per vicos urbis magno numero diſcurrens ſub dio exigeret lymphata & tamquam fatali ac ſupremâ horâ jamjam adventante. Auditæ adhæc ſubindè voces clamitantium ſuburbia civitatis jam conflagrare, jam terræ motum haud occultis dubiiſquè ſignis perſentiri. Quos verecundia aut vires imbecillæ domi continebant, illi ex feneſtris propendentes palàm preces effundere ſublatis in cælum manibus, alii plorantes complexus arctos intentare proximis quibuſquè ac cariſſimis pignoribus, ut jam jam perituri. Horum quidem ſpectator aut teſtis oculatus ipſe non ſum habendus: ſtertebam quippe noctem totam continuus, & alienæ vecordiæ plus quàm credas ſecurus: accepi tamen rem omnem ex iis ſpectatoribus, quibus fidem derogare, niſi valdè injurius, non auſim. Nec defuêre Theologi, qui palàm hæc deliramenta habitis ad plebem acerbis concionibus poſtmodum exagitarint, uti par erat, ac vellicârint aſperrimè. Sed nec mihi hactenus datum eſt reſcire, quo auctore, aut quo inſtigante tot mortalium millia ad extremum fanaticæ conſternationis ſint redacta. Et hæc quidem hactenus. Vale.

Suecica plebs ſuperſtitioni dedita.

Aſtrologicum vaticinium Holmiam commovet.

Holmienſis urbis trepidatio nocte feſtum S. Laurentio diem antecedente.

N. 34. ad 27.

Hamburgo Holmiam die 8. Septemb. Gregor. 1665.

JAm jam reverti Lubecâ, ubi compellavi Sereniſſimum Principem Palatinum Adolphum Joannem, qui ante octiduum illuc advenit, & die 25. Auguſti Juliani novâ prole, eaquè maſculâ ideoquè longè gratiſſimâ (cui Joannis Caſimiri nomen avi inditum eſt) beatus eſt. Revertor itaquè & ad officium ſimul pauca Tibi reponens ad Tuas poſtremas, quas, ut omnes alias, habui gratiſſimas. Quàm grata mihi Rudbeckiana exſtiterint, ſuperiores meæ Te docuerint. Exſpecto reliqua, præcipuè vero figuras, ut ordinem inſtitutum in edendo opere meo ſequar. Clariſſimum Chriſtianum Hugenium poſtquam Tuæ ad eum datæ epiſtolæ exemplum accepero, libenter ipſe compellabo. *Rem gratam mihi nuncias quòd me toties Illuſtriſſimo Iſbrandio commendes, quod ut & in poſterum facias, enixè rogo. Quòd illa, quæ vulgus portentorum vice ducit & pavet, parvi pendas, rectè omninò facis. Multa enim, quibus naturales adſcribi meritò poſſunt cauſſæ, pro miraculis & portentis habentur venditanturquè. Miror & ipſe tanto tunc metu in Urbe Veſtra omnia fuiſſe repleta. Cujus origo provenit ex Italico quodam prognoſtico per Germaniam ſparſo, de motu terræ per orbem, exundationibus, bellis aliiſquè rebus adverſis. Hæc tamen homines in his terris agentes nullo perculerunt metu. Majorem hunc animis hominum incutiunt paratus belli, qui ingentes hìc illìc fiunt, quos vereor multi adſcribent Cometis. *Quaſi verò non videamus in terris, non in cælo tantorum malorum cauſſas eſſe quærendas imò jam ſpectandas. Cælum ſemper propitium experiremur, ſi ejus gratiæ & opis grati eſſe vellemus, imò niſi utramquè rejiceremus, ſaltem ſperneremus, nobiſmetquè ipſis omni ex parte deeſſemus. Vale Nobiliſſime Heinſi, & me, ut ſoles, benevolentiâ mutuâ complectere.

Adolphus Johannes Princeps Palatinus Lubecam venit, filio beatus.

Auctor Rudbeckiana reliqua cupit,

Literas ſuas ad Hugenium cum Heinſianis mittere vult,

**Se Iſbrandio Legato plus pluſquè commendari poſtulat.*

Holmienſis conſternationis origo detegitur.

**Cauſſæ malorum in terra non in cælo quærendæ.*

Deus ex ſua parte omnia facit hominibus utilia: ſed hi ſibi ipſis deſunt & hæc ſpernunt.

Hamburgo

Hamburgo Holmiam die 15. *Septembris S. N.* 1665. *N.* 35.

NUperrimus tabellarius, qui ante triduum ad nos acceſſit, nullam literam mihi abs Te attulit, quod juſtâ ratione non carebit. Magno cum deſiderio Rudbeckianorum quod reliquum eſt præſtolor, præcipuè verò figuras obſervationum vel alioqui demonſtrationum Mathematicarum, ſaltem numerum earum, ad conſtituendam rectè figurarum æneararum & communicationum ſeriem, mihi quamprimùm indicari velim. Dubio procul enim Amici Batavi, quibus in talibus curandis feliciter, & perficiendis celeriter ſingularis ineſt induſtria, (quam laudem genti Veſtræ conſentiens fama tribuit, eidemquè jure meritoquè deberi

- - - - invita fatebitur uſquè
Invidia)

urgent & promovent operis editionem, citatis paſſibus ad metam properantes. Faxit modò Deus, ut cum pace deſiderata illis mihique redeat certior animi vigor, & magis tuta agendi ratio. Hac enim tempeſtate terrâ mariquè omnia ferè intuta ſunt. Mihi verò prelo ſubjicienda, utcunque oculo luſtrata veloci, continuò illùc mittenda ſunt. Quàm verò iniquè cum Viris quoquè literis operam dantibus, & de univerſo genere humano præclarè merentibus, nunc agatur, Clariſſimus Hevelius exemplo ſuo docet. Nuperrimis enim literis narravit mihi, chartam editioni Obſervationum Cometicarum, quas nobis gravi de cauſſâ ſeorſim ſe daturum, & Cometographiæ Prodromum poſterioris Cometæ præmiſſurum eſſe, promiſit, deſtinatam à piratis eſſe interceptam. Narrat verò & dolorem ſuum ingentem ex obitu unici filioli conceptum: quem & Te Viro illi optimè cupientem participaturum, ex ratione amicitiæ & legis Chriſtianæ ſpero. De Nærano nihil certius ad Te perſcribere poſſum, quàm eſſe Virum egregiè doctum, pietate in Deum & patriam conſpicuum, comem & humanum. Amorem patriæ ſingularem enarrabunt adjuncta, quæ, credo, non invitis oculis leges, ſed & Illuſtriſſimus Iſbrandius, cui me majorem in modum aſſiduò commendes. Id officii ut erga Te Illuſtriſſimi Rautenſteinii nomine faciam, ille poſtulat. En etiam quæ ab eo ante triduum accepi. Sed Gedano nihil pro Te, vel etiam pro me à communi Amico. Vale, & me, quod facis, amare perge.

Rudbeckianarum figurarum numerum indicari ſibi quamprimùm Auctor cupit, ut numerus figurarum ænearum & communicationum ordo rectè conſtitui poſſit.

Bellum ſtudioſis bonarum artium adverſum.

Hevelius Prodromum poſterioris Cometæ promittit.

Doloris amici particeps eſto.

Nærani laudes.

Holmiâ Hamburgum die 9. *Septembris Gregor.* 1665. *N.* 28. *ad* 31. *&* 32.

INvito me & nolente factum eſt, quòd proximus tabellarius ſine meis ad Vos literis diſceſſit. Erat mihi tùm negocium moleſtum ſatis cum febre, quæ lecto hactenus me affigit, etſi remiſſior nunc aliquanto quàm ante, ſic ut ſpes ſit, vires dejectas erigi atquè in integrum reſtitui propediem poſſe. Hoc neſcire Te nolui, ne magnæ molis allocutionem nunc à me exſpectes. Rudbeckianæ epiſtolæ, quod reſtabat, hîc habes. Figuras pollicetur quidem, ſed eas ego comparuiſſe mallem. Minùs commodè per tabellarios mitti poſſe aſſeverat, quod in magnum nimis numerum excreviſſe videantur. Circumſpiciam igitur & ego mihi hominem fidum, qui eas ad Te perferat, ſi per tabellarios opportunè mitti haudquaquam poſſunt. Vale Vir Nobiliſſime.

Heinſius dolet febre.

Rudbeckiani Commentarii reliquam partem Heinſius mittit.

Figuras promittit.

Hamburgo Holmiam Suecorum die 22. *Septembris Gregor.* 1665. *N.* 36. *ad* 28.

BEnè conjiciebam ſilentio Tuo gravem ſubeſſe cauſſam. Gravior enim eſſe non poterat gravitate valetudinis, quæ maximam profectò habet moleſtiam. Et hæc verè ſontica eſt Tui ſilentii omniſquè intermiſſi officii cauſſa. Quam ex literis Tuis in lecto, ægrâ manu, in argumentum ſingularis amicitiæ

Valetudo adverſa ſilentii cauſa juſtiſſima.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Dole de morbo amici. *Heinſium magni Auctor facit,* *Eique ut valetudinem longævam, ita uxorem & prolem precatur.* *Cælebs ne maneas.*

ſcriptis intelligere, grave certè & moleſtum fuit homini, Tibi amiciſſimo, & proſperrima quæquè ex animo precanti. Scio enim, quanti faciendus ſit Heinſius, non tantùm in literario, ſed & in Chriſtiano orbe. Itaquè vive longum, Clariſſime & Chariſſime omnibus bonis Heinſi, valetudinem Tuam, ex veteri monito, cura diligenter, ac præterea

> Μὴ μένης ἄγαμος, μή πως νώνυμος ὄληαι·
> Δός τι φύσει καὐτός. τίκε δ᾽ ἔμπαλιν ὡς ἐλοχεύθης.
>
> (Ne maneas celebs, ne fortè ſine nomine pereas:
> Da quid naturæ & ipſe: gigne viciſſim, ſicut genitus es.)

Amici meritis teſtimonium, licet debitum, modeſtè in os dandum. *Rudbeckianorum reliqua pars Auctori pariter placet:* *Ejus laus, & rei literariæ propagandæ ſtudium.*

Hoc Tibi uno mecum animo orequè Rautenſteinii, Bullialdi, quod ſolidè ſcio, omneſquè adeò boni & Tui amantes precantur. Quidni enim in ſecula propagetur, & cum eorum æternitate conjungatur, licet alioqui cum illa præclaris ingenii facinoribus conjunctum, Clariſſimum Heinſianum nomen, maximis quibuſque par, & nulli ſecundum? Sed nil amplius affectui & laudibus, licet meritis, dabo, ut verecundiæ Tuæ parcam. Hanc tamen non læſi verbo, quod juſta de cauſſâ protuli, ut quàm Te & rem literariam, imò & Chriſtianam amem, teſter. Nunc ad alia. De Rudbeckianis gratias Tibi ago debitas. Placent illa, ut & reliqua. Doctè de cauda Cometæ diſſerit. Sed ſine demonſtrationibus, quas memorat, res ſatis intelligi nequit. Meritò optat Vir ille pereruditus, ut ſtudia cæleſtia diligentiùs excolantur, & ab induſtriis in extimo Septentrione & Auſtro Obſervatoribus, idoneorum inſtrumentorum beneficio, exploretur melius ſtellarum ſitus & conditio. In argumentum adducit correctionem poſt Ptolemæum in cælo factam. Jurè meritoque. Nam ut aliis, ita Excellentiſſimo Hevelio, conſentiens doctorum Virorum judicium ſingularem induſtriæ feliciſſimæ laudem hîc tribuit. Fixas ille ſtellas novo Canonio figet melius, tutoquè eas dabit reſtitutas, erronumque regiones metabitur, & cuncta in cælo certioribus ordinis legibus adſtringet, globos quoquè, quibus adhuc tantum fidimus & gaudemus, corriget, novaſque ſtellas antiquis accenſebit. Atquè tunc demùm cum Tullio dicemus. *Inventus eſt ordo in iis ſtellis* (errantibus) *qui non putabatur.* 2. de divin. Tunc Hipparchum revixiſſe gratantes ovanteſque teſtabimur. Nam de Hipparcho quidem Plinius, fidus ejus ac ſimul diſertus Encomiaſtes, ſcribit: *Novam ſtellam & aliam in ævo ſuo genitam deprehendet: ejuſquè motu, qua die fulſit, ad dubitationem eſt adductus, anne hoc ſæpius fieret, moverenturque & eæ quas putamus affixæ. Idemque auſus, rem etiam Deo improbam, annumerare poſteris ſtellas, ac ſidera ad normam expangere, organis excogitatis, per quæ ſingularum loca atquè magnitudines ſignarent: ut facilè diſcerni poſſet ex eo, non modo an obirent, naſcerenturve, ſed an omninò aliqua tranſirent moverenturve, item an creſcerent minuerenturve cælo in hæreditate cunctis relicto, ſi quiſquam qui rationem eam caperet, inventus eſſet.* lib. Natur. hiſtor. 2. cap. 26. Significat autem, opinor, Cometam illum inſignem Anno U. C. 607. quo Carthago æmula Imperii, & Corinthus Achajæ caput funditùs deleta eſt, ac finito bello tertio Punico Achaicum cœpit, (tunc enim, Ptolemæo teſte, Hipparchus vixit Anno poſt mortem Alexandri 178.) obſervatum per illam ſtellam in ævo Hipparchi genitam.

Stellas fixas meliùs Hevelius figet. *Planetarum ordinem Hevelius certius conſtituet.* *Globos Hevelius corriget.* *Stellas novas Hevelius cælo annumerabit.* *Hipparchi nova ſtella Cometa fuiſſe putatur.*

Ejus merita.

Dat verò egregium prorſus incomparabili tunc ejus induſtriæ laborioſæ & ingenioſæ teſtimonium. Ille enim omnia inſigniorum ſtellarum loca in cælo ſecundùm longitudinem & latitudinem deſcripta tradidit, illaſque in ordinem redegit, & quaſi ex cælo in tabulas & globoſa inſtrumenta traduxit, motumque fixarum aſſecutus eſt. Certè & noſtri Hipparchi, magnum cælo lumen inferentis, incomparabili nunc induſtriæ par teſtimonium dandum eſt. Nam & Mercurium in Sole obſervatum in ordinem redegit, & ſtellam illam miram in Ceto ad certas Leges accuratâ methodo revocare conatur. Adhæc motum Lunæ libratorium, & totam Lunam exploratam dimenſus eſt. Tot præterea admirandas obſervationes Cometicas nobis dedit, & longè plures parat, & hac

Hevelius ad Hipparchum comparatur. *Mercurius in Sole obſervatus.* *Stella in Ceto.* *Lunæ motus libratorius.*

hac occaſione totam doctrinam Cometicam accuratiſſimè perſequitur. Sed & univerſam cæli regionem peragravit, ſidera metatus eſt, cognita meliùs fixa certiùs figendo conſtituit, his nova annumeravit. Tot denique præſtantiſſima inſtrumenta invenit & ipſe confecit. Quibus tot & tantis meritis Hipparchi nomen & dignitatem fortiter tuetur & conſervat. Omnibus verò laudibus accedit ſingularis viri illius humanitas, comitas & modeſtia. Sua enim aliorum judicio & examini ſubjicit: ſe non omnia aſſecutum eſſe fatetur, & veriora edoctum hæc ſe ſuis relictis amplexurum eſſe promittit. Placet itaque mihi & Rudbeckii genius, quòd ſua pariter aliorum doctorum Virorum diſquiſitioni ſubmittat, imò huic materiam proponat uberrimam. Benè adhuc cum rebus humanis comparatum eſt, quòd Magni quique & præſtantes in re literaria Viri, non tantùm à dictatoria arrogantia ſint alieni, ſed & præclaram eruditionem modeſtiâ ornent, alios ad inquirendum verum invitent, & poſteritati campum excolendæ rei literariæ ampliſſimum aperiant. Nam quod noſtra cumprimis ætate verum eſſe videmus illud Senecæ L.7. N. Q. c.25: *Veniet tempus, quo iſta quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Veniet tempus, quo poſteri noſtri tàm aperta nos neſciſſe mirentur:* idem & poſteri noſtrûm omnium, qui nunc vivimus, experientur, non ignobilia, quin potiùs imitanda ſolertiæ exempla habituri. Ita per vices commendamus nobis illud ejuſdem Philoſophi: ib.c.26. *Contenti ſimus inventis: aliquid veritati & poſteri conferant.* Sed jam Te benè, diu & proſpere valere, Humaniſſime Heinſi! iterum iterumquè jubeo.

Cometica doctrina ab Hevelio accuratiſſimè pertractatur.
Aſtronomia per Hevelium reſtauratur.
Hevelii humanitas & modeſtia.
Modeſtia Viros doctos decet & ornat.
Arrogantia doctis cavenda.
Tempus omnia revelat, veritatis parens tempus.
Poſteri parentes imitari ad laudem debent.

Hamburgo Holmiam die 29. *Septembris Gregoriani* 1665. *N.* 37.

AD Tuas poſtremas die abhinc octavo Tibi reſcripſi, ſed & nunc pauca ex conſuetudinis benevolæ & officioſæ ratione addo. Priſtinas Te vires corporis, tardè licet, ut in febribus autumnalibus fieri aſſolet, recuperare, ut nuper indicabas, ſpero. Quòd ſi ita ſe res habet, eſt quòd Tibi gratuler, & ſimul precer, ut benè firmatam & conſtantem valetudinem recipias, ac feliciter agas bono publico. Rudbeckianas figuras cum tædio exſpecto, utpote cum libenter vellem eas quamprimùm mittere in Hollandiam, ſculptoris doctæ manui ſubjiciendas, & juſto ordine inſerendas. Spero etiam me aliquod reſponſum ab illo Clariſſimo Viro, ut & Collegâ ejus Clariſſimo Fornelio accepturum. Tu utrumque ſalutabis, & officii admonebis. Illuſtriſſimus Rautenſteinius in nuperis ſuis 17. Septembris datis honorificam Tui mentionem apud me fecit. Quod reliquum eſt mitto Tibi integrum ferè exemplum epiſtolæ nuperæ ad Curtium à me ſcriptæ, quod retinebis, ſed ita, ut per otium perlectum cenſuræ Tuæ ſubjicias, mihiquè hanc perſcribas, rem mihi facturus, ſi quæ unquam, gratiſſimam. Nuncium de novo Cometa iterum mihi literæ Amſterodamenſes hodie attulerunt. Cum autem idem nuper ex urbe veſtra perſcriptum hùc fuerit, exſpecto certi quid ea de re à Tua manu. Vale Vir Nobiliſſime, & conſtanter mihi fave.

Febres autumnales diuturnæ.
Valetudo ex morbo confirmatur.
Rudbeckianas figuras Auctor cupit.
Reſponſum ab eo, & Fornelio Auctor exſpectat.
Cometæ novi auctumnalis rumor ſparſus.

Holmiâ Suecorum Hamburgum die 23. *Septembris Gregor.* 1665. *N.* 29. *ad* 33. *&* 34.

PRoximè ſignificabam, valetudinem minus proſperam me experiri. Nunc quamvis convaleſco paullatim, vix tamen datur in publicum prodire per proſtratas vires. A Clariſſimo Rudbeckio figuras ad epiſtolam ſpectantes, quas vides, necdum tamen omnes accepi. Binas ex his deſiderari etiamnùm opinor, ſed quas occaſione proximâ perferri ad Te poſſe ſpes ſit. Nimia fateor Viri, cætera inſignis, procraſtinatio hæc fuit: quam tamen occupationibus, quibus deſtinetur non paucis, adſcribi oportet. Schefferus tuas omnes reſtituit quidem mihi, ſed ſic, ut Upſalienſes nil ad eas repoſuiſſe ſignificet ſimul. Me quod attinet, quemadmodum malim nil meæ ſcriptionis inter lucubrationes tuas Mathematicas comparere, ſic iterum iterumque Te rogo ac obteſtor, ſi id impe-

Rudbeckianas figuras Heinſius Auctori mittit:
Procraſtinationem ejus excuſat æquus.
Heinſii modeſtia difficulter ſua operi inſeri patitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

impetrari non poteſt, ne quid meum proferri ſinas in publicum, quod mihi commiſſum exhibitumque non ſit priùs. Nam præter occupationes publicas, cùm amicorum abſentium conſuetudine fruar libentiſſimus, quorum copiam ingentem per Italiam Galliamque ac cæteras Europæ partes enumerare datur, non poſſum à me ipſo impetrare, ut ad benignas ac quotidianas horum compellationes obmuteſcam. Unde fit, ut præproperè & incogitanter multa à me effundantur, dum incomtus & inelegans quàm inofficioſus videri malo. Apographa epiſtolarum rariùs apud me ſervantur, niſi ſit in iis fortè quod aut ad Rempublicam, aut ad rem literariam ac Romanas antiquitates illuſtrandas referri poſſit. Quanquam & hujus notæ complura mihi intercidunt. Tale cum occurrat nihil in illa, quam tuæ in ſpem gratiæ ad Chriſtianum Hugenium exarabam nuper, in ſcriniis meis eam reparari non eſt quod exſpectes. Meis profectò apud Te conſilii ſi ſit locus, nihil aut literarum aut quarumvis diſſertationum operi Tuo ſubnecti inſeriquè à Te velim, quod non eruditionis aliquid, ſi non reconditæ, certè minus obviæ, aut rei ac narrationis nonnihil publico profuturæ complectatur. Alioqui prævideo fore, ut in molem nimiam volumen excreſcens vænale non ſit, niſi magno, ac proinde emtores lectoreſque minùs, quàm tua interſit, trahat. Sed huic rei providere tuæ erit induſtriæ. Valetudo vixdum permittit, ut ad tua omnia reſpondeam exactè. Vale, & mihi, ut facis, benè velle in poſterum perge.

Literarum ejus cum Viris Clariſſimis per Europam commercium.
Incomtus potiùs quam inofficioſus in ſcribendis epiſtolis eſto.
Heinſianæ epiſtolæ varia publico digna & utilia continent:
Ejus erga Auctorem & ejus hoc benevolentia.

N. 38. ad 29.

Hamburgo Holmiam die 6. Octobris Gregoriani 1665.

PRiſtino vigori viriumque integritati Te reſtitui maximoperè gaudeo: tardè licet id fiat. Imò vel eo nomine magis Tibi gratulor. Feſtinato enim hîc opus non eſſe, & ad reſumendas vires proſtratas juvandam lentis, non cogendam violentis remediis, ſæpeque ſolam quietem & mediam adhibendam eſſe Medicorum filii, ut noſti, docent. Inde videmus eos qui feſtinanter convaleſcere volunt, vel valetudinem in longum tempus, vel etiam ipſam vitam amittere. Rudbeckiana mihi pergrata ſunt. Utinam & illæ duæ figuræ, quæ deſunt, IX. ſcilicet & XI præſtò fuiſſent! Potuiſſem enim Tua ſubjunctis Rubdeckianis ſuo loco, inter prima ſcilicet, ponere. Sed tu ipſe moram nunc injicis novo poſtulato, ut ſcilicet Tua omnia priùs Tibi exhibeam, quàm dem publico. Qua in re morem tibi geram, par eſt. *Jure enim Tuo in Tua non excidiſti. Apud amicum præſertim, qui nil niſi quod Tibi gratum ſit, faciendum ſibi decrevit. †Cæterum ne Tua unà cum aliis lucem videant, æquitas Tua & boni publici amor id non dicet, licet dicat modeſtia. Quam parem adhibuerat Illuſtriſſimus Petrus Bruſſellus, in ſuprema Regni Curia Pariſienſi Senator Graviſſimus, quicum mihi multa & vetus neceſſitudo eſt, ad ſua, quæ mecum occaſione argumenti Cometici communicârat, ſupprimenda. Sed tandem æquitati & publicæ utilitati ceſſit. Afferebat etiam in excuſationem, ſe Mathematum expertem eſſe, & in Senatum Philoſophicum venire non debere. At enim Vos, qui Mathematica ex profeſſo non tractatis, tractatis & adferetis illòc alia magis in vita utilia, quæ ego ſtudio in illum librum conjicio. Vos nempe gloriamini Geometriam Veſtram Politico-Ethicam docere, præeunte Seneca, quomodo metiendum ſit, quantum homini ſit ſatis: Arithmeticam non avaritiæ commodare digitos, ſed potiùs docere, nihil ad eum pertinere iſtas computationes, non eſſe felicem eum, cujus patrimonium tabularios laſſat, imò quàm ſupervacua poſſideat, qui infeliciſſimus futurus eſt, ſi quantum habeat, per ſe computare cogatur: Nec prodeſſe cuiquam, quæ recta ſit linea ſcienti, ſi, quid in vita rectum ſit, ignoret. *Quanquam etiam ſcio & fateor nec Matheſin inutilem [illegible] carere in vita, illiſque qui iſti diſciplinæ ſe dedunt, virtutem curæ eſſe, licet ibidem Seneca, Stoico ſupercilio artes liberales perſtringens, eam [illegible] vocet, eamque *in aliena ædificare, aliena accipere principia* dicat. Sed

quid

Quiete & abſtinentia multi morbi curantur.
Feſtinata [illegible]
[illegible]

quod ei graviſſimæ conditionis loco propoſuit, *ſi per ſe iret ad verum, ſi totius mundi naturam poſſet comprehendere*, dicerem multùm collaturam mentibus noſtris, quæ *tractatu cæleſtium creſcunt, trahuntque aliud ex alio:* id puto, ſi non ex toto (totam enim rerum naturam comprehendere Dei potius quàm hominis eſt) magnâ certè ex parte Matheſi convenire melius adhuc excultæ & multùm auctæ. Tantò magis ſi illæ problematum reſolutiones & compoſitiones ad virtutem indagandam & ſectandam convertantur. Nempe itaque nemo ultrà hominem ſapere poteſt: nemo etiam ſolus, quantum homo poteſt. Hic in iſta, ille in hac ſcientia & arte excellit

Matheſis contra Senecam defenditur.
Panſophia ſoli Deo convenit.
Matheſis adhuc exculta ad virtutis ſtudia referri poteſt.
Sapit quiſque pro modulo.

Ἴσως γὰρ πάντες ποικίλ' ἐπιστάμεθα

(Æquè enim omnes varia ſcimus)

Omnes non poſſumus omnia.

ut Theognis ait. Non parum ad hanc rem illa operis mei farrago conferet, quæ quidem mole juſtâ (nam ne nimia ſit, omnem do operam) non carebit, ſed nec ſperato fructu, eoquè vario, prout varia ſunt hominum ingenia, quò cujuſquè votis & uſibus conſulatur. Pretium non extendam libri, utpote qui non lucri ſed publici boni cauſſâ ſumtum hunc & laborem ingentem ſubii. Sumtus quidni bono publico fiant? aut nunquam aliàs. *Laborem verò quô prætextu Viri quæcunquè re publico profuturâ valentes defugiant, quibus is maximè convenit, &, ut ait Phocylides

Farrago variarum rerum in hoc opere uſibus omnium ſervit.
Sumtus aut bono publico aut nunquam fiat.
** Labor viris convenit, præcipuè bono publico deditis.*

. . . πόνος δ' ἀρετὴν μέγ' ὀφέλλει.

(& labor virtutem magnopere adjuvat)

Virtuti ſubvenit ac opitulatur labor.

Varietas demùm alliciet, ut ſpero, & delectabit lectores. Delicatorum, & occupatorum genio operis magni διχοτομία (in duas partes diviſio) imò in plures partes (ut narrationes, epiſtolas & Communicationes) ſectio, conſulet, ne ſcilicet faſtidium ex lectione capiant, ubi viderint ubiquè ſibi, * velut longum iter ingreſſis, commodas requietem patulæ ſub tegmine fagi, daturas ſedes paratas. Illuſtriſſimus Rautenſteinius in poſtremis quoque ſuis 28. Septembris datis, ut ſemper ſalvere ita nunc Te quoque meliùs valere jubet. Sed jam etiam Vale & ſalve à

Varietas delectat, & juvat.
** Requies ut itinerantibus, ita legentibus neceſſaria.*
Rautenſteinii perpetua erga Heinſium benevolentia.

Tuo

LUBIENIECIO.

Hamburgo Holmiam Suecorum die ⅞ Octobris 1665. *N.* 40.

PRoximè præteritæ hebdomadæ tabellarii nullam mihi literam à Te attulerunt. Ego tunc binas literas ad Te dedi. Et illas quidem ante quatriduum neceſſitate quâdam compulſus: cui cedendum eſſe, non tamen tramite recti, in quem illa nil juris habeat, monent Sapientes. Mitto Tibi Tua quæ à me mitti voluiſti. Semper enim fidem & benevolentiam integram teſtari Tibi in animo fixum eſt. Tantò magis cum Tibi in Tua jus maneat integrum. Sed dabis votis noſtris quantum æquitas & publicæ utilitatis ratio exiget. De opere meo nihil ab octiduo accepi, quòd omnes literas ex Batavia veſtra militaris licentia vel retineat, vel etiam perdat, jure gentium, ut mihi videtur, violato, præſertim cum hæc injuria infertur iis, qui neutras partes in bello ſequuntur. Sed armati illi dicent nobis quod olim Pompejani: *Quid tu audes mihi gladio accincto legem prædicare?* Spero tamen [illegible] in editione operis mei procedere, [illegible] materiam [illegible] tempeſtivè [illegible]. Nunc autem faſciculum haud modicum ad nos primâ quaque occaſione [illegible] (cui Tua [illegible] niſi ea ad Te redire juſſiſſes) paratum habeo. ‡ Nuntium de Rege Hiſpaniæ fatis functo 17. Septembris certas [illegible]. Nil [illegible] quàm [illegible] hunc tamen caſum Cometæ imputaturos. †Sed [illegible] illi [illegible] ra[illegible], & obliviſcuntur nos Principes à Cometis viſis naſci & ſine his mori. Ita

Neceſſitati cedendum, non extra recti tramitem.
Amico æqua & honeſta gratificare.
Æquitati ſtude.
Publicæ uſui [illegible].
[illegible]
† Cometis [illegible] Principes & [illegible].

 poſſu

pestis veſtra anteceſſit, Anglica ſecuta Cometam eſt. Bella tàm civilia quàm externa ſemper, etſi nullum Cometam vidit orbis. Hæc dum ſcribo accipio literas ab Amico Norico, die 16. Septembris ſcriptas, quarum excerptum en Tibi: *De Cometis quod ſcribere inſtituiſti, deſidero videre. Tanges fortaſſis illam etiam communem ſuperſtitionem de effectis Cometarum, quos aut fingunt aut metuunt non pauci, quoſque Gaſſendus in Epicuri Philoſophia falſi ridet; noſtra verò plebs, fortè etiam Veſtra, eodem timore correpta, magis ſibi ab his quàm ipſis Prophetis & Apoſtolis metuit. Deus juvet ſcribentem Te.* Hæc ille. Quæ Tuâ hîc ſit mens, aliquando ſcire volam. Nunc Vale.

Norinbergenſis Amici de hoc opere judicium. *Cometis ſola triſtia iniquè tribuuntur: Hi metuendi non ſunt.*

N. 30. ad 35.

Holmiâ Hamburgum die 2. Octob. Gregor. 1665.

Valetudo nondum plenè confirmata motu & labore non exaſperanda.

HAs extrà ordinem exaravi: cum nudius quartus nihil ad Te literarum dediſſem. Pridie quippe illius diei in publicum procedens aliquanto tempeſtivius, quàm valetudo necdum ſat confirmata permittebat, domum ſub veſperam regreſſus peſſimè me habere ſenſi, ut & die proximo, coortâ tempeſtate prorſùs horrendâ, quæ totum mihi corpus graviter concuſſit ac turbavit. Abſtinendum igitur omni ſcriptione mihi tunc invito fuit. Sed nec biduo ante quicquam literarum abs Te cum Tabellario Dano comparuerat. Nudius tertius enim ad me demùm perlatæ ſunt operâ tabellarii Suecici, quas Tu N$_o$. xxxv. deſignaſti. Quibus nunc ob vires etiamnum attritas nil repono. Sub idem tempus comparuêre quoquè Upſaliâ figuræ binæ, quæ Rudbeckiano operi jam per partes ad Te miſſo reſtabant. Eas ecce. Addo & Schefferi epiſtolam, ad me mox, ut confido, redituram: unde cognoſcas æri aut ligno figuras omnes, haſce præſertim, anxiâ ac perquam diligenti cum curâ incidi oportere. Quâ in re tu, ni fallor, quæ Tua eſt ſedulitas, Rudbeckianis deſideriis abundè conſules. Plura nunc non poſſum, verboſius cis quatriduum tecum acturus; nolo enim malè ominari. Tu Vale.

Rudbeckianarum figurarum reliquæ Auctori ab Heinſio mittuntur, Singulari diligentiâ æri incidendæ.

Upſaliâ Holmiam die 17. Septembris 1665.

Pacati Latini Drepani editio Schefferiana. *Heinſius de re literaria benè meretur.*

MUltum debeo humanitati promptitudiniquè Tuæ. Nempe unius Pacati, quem eſt animus recudendum typographo tradere, varias lectiones, habere optabam, tu ipſum mittere codicem M.S. etiam Panegyriſtas cæteros continentem ſtatuiſti. Utinam ad nos veniat unà cum Paſtoriano opere quod ſcribis. De quo cupio abs Te ſcire, quando velis remitti, ne perinde peccem morâ, ſicut fecit hactenus Rudbeckius. Quem toties à me admonitum nondum miſiſſe poſtremas figuras miror, imo doleo. Jam clauſurus iſtas eram, cum ad me venit Rudbeckius, & figuras toties promiſſas, mitti ad Te petit. Primùm autem orat, ut figura major, in qua circulus minutus, in multos diviſus gradus, accuratiſſimè exprimatur, ſi chalcographo committitur delineanda. Nam vel minimum punctum non ſuo loco poſitum, aut minore ſpatio expreſſum, totam rei certitudinem & demonſtrationem turbaret. Quod ut fiat rectiùs, petit deinde, ut quâ forma hîc ſunt complicatæ, illæ rurſum, ſi apertæ fuerint, complicentur, ne per frequentiam plicarum perdatur circulus ille minutus, quem prædixi. Dedit enim ſtudioſè operam, ut is maneret integer & plenus. De cætero perofficioſè orat, ut excuſes, nihil tuis reſponderi. Sibi enim nunc haud vacare, & citò ipſum ad vos venturum eſſe. Vale Vir Nobiliſſime, atquè me, ut ſoles, ama.

Rudbeckius Scheffero poſtremas figuras committit Heinſio & Auctori mittendas & commendandas, *Accuratiſſimè æri incidendas,* *Et ſilentium ſuum apud Heinſium excuſat.*

Nobiliſſimo Ampliſſimoquè nomini Tuo

toto animo addictus quoad vixero.

J. SCHEFFERUS.

Ham-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Holmiâ Hamburgum die 6. Octobris Gregor. 1665. *N.* 31.

NUdius quintus per tabellarium Holmienſem miſi ad Te, quod ex figuris Rudbeckianis mittendum reſtabat. Quem faſciculum rectè reddendum tibi fore vix dubito, & quidem ſub id ipſum tempus, quo præſentes hæ ad te ſunt præventuræ. Valetudo mea procedit utcunque, ſed lento admodum gradu, ac planè teſtudineo. Febris tamen cum benigniorem ſe, quàm hactenus, incipiat præſtare, ac minus incommodam, bonæ ſpei plurimus eſt locus. Supereſt ab imbecillo ſtomacho, vixque quicquam alimenti quotidiani concoquente, periculum. Sed & illi malo cura Medicorum conſulet, ut jubeor ſperare. Quod ſi fit, verboſiores proximè à nobis habebis. Nunc vires infirmæ & ſcriptionis laborem vel tantillum vix ferentes excuſabunt me tibi, ſi perſpectam ſatis habeo tuam in omnibus facilitatem ac indulgentiam verè eximiam. Vale, Nobiliſſime & amiciſſime Vir.

Valetudo it in melius. *Spes ægrotum recreat.* *Stomachi infirmitas.* *Æquitate in amicum utere.*

Hamburgo Holmiam die 10. *Octobris Juliani* 1665 *N.* 41. *ad* 30. *&* 31.

ÆGram valetudinem tuam, quam mihi binæ tuæ ſimul ante triduum tulerunt, ægrè accepi. Quod tamen hæc in melius eat & priſtinum vigorem recipere incipiat, multùm Tibi gratulor, & quàm optimè à morbo pertinaci, ut fieri aſſolet, confirmatam precor. Idem votum Illuſtriſſimi Rautenſteinii eſſe, ex ſuperioribus meis cognoveris; nec non quo loco Te Vir ille Præclarus habeat, omnium bonorum amore dignus ſibi ſimilem. Silentium Tuum, tùm verò & curtum reſponſum excuſationem juſtam meretur. *Mihi tamen eo nomine utrumquè extitit gratiſſimum, quòd ab adverſa valetudine fuerit profectum. Quod ne in poſterum fiat, opto ex animo. Tu verò incommodo Tuo edoctus ‡*valetudinem Tuam*, ex illo antiquo præſcripto, *cura diligenter*. Duo hîc maximè à Medicorum Schòla præcipi (præſertim ubi cum ventriculo, familiæ viſcerum noſtrorum & Oeconomiæ totius corporis coquo, viribus dejecto negotium eſt) *Abſtinentiam* inediæ & *quietem* deſidiæ vicinam, benè noſti. Apud nos proverbium obtinet, quod & ubiquè, credo, magiſtrâ experientiâ locum ductore Romanorum Philoſophorum Eloquentiſſimo Tullio ſibi fecit, ut qui velit diu eſſe juvenis, tempeſtivè fiat ſenex, ſenum ſcilicet more, qui longo uſu docti ſunt valetudini conſulere, conſervando vigori incumbentes. Eſt & alterum, quod pariter experientia commendat, ut qui diu nolit ægrotare, præmaturè ne fiat ſanus, dum nimirum non parcit valetudini, ſpe vel etiam opinione firmitatis corporis conceptâ. Atquè hæc ego ultrà vota ex amicitiæ noſtræ jure, & Amicorum Tibi optimè cupientium mente. Nunc ad alia. Quod reſtabat ex figuris Rudbeckianis, me nuper Te accepiſſe accurante, gratulor: omnes jam heri miſi per Ornatiſſimum Paulum Clingenbergium, à Sereniſſimo Danorum Rege ad Patriæ Tuæ Patres ablegatum, Virum mihi amiciſſimum, & alioqui humaniſſimum, cui hæc tutò credere potui. Hodie verò, ut per Schefferum monet Rudbeckius, monebo Amicum, qui editioni operis præeſt, ut ſculptor per omnia induſtriam & dexteritatem nobis probet. Quâ de re certum Rudbeckium redde, meoquè nomine, ut & Fornelium Schefferumquè ſaluta, mequè ab eis mutuam officii & benevolentiæ vicem exſpectare, duobus illis in memoriam revoca. Hoc quoquè Rudbeckio indicari velim, nullam me figuram ligneam, ſed omnes æneas, & maximâ quidem curâ factas, circiter L. operi meo inſerere. Illuſtriſſimum Iſbrandium, etiam dum non ſaluto, ſaluto officioſè per Te, mei ergà eum ſtudii & obſervantiæ conſcium, mearumquè rerum ſatagentem. De rebus publicis ut nonnihil addam, patria utriuſquè noſtrûm difficillimo, proh dolor! bello laborat. Tua quidem externo, at gemino, terrâ mariquè. At mea & externo gemino Ruſſico, &, quod gravius eſt,

Valetudo à morbo ſæpè confirmatur. *Amicitia ea demum firma eſt, quam morum conciliat ſimilitudo.* **Morbus amici ſilentii cauſa graviſſima.* *‡Valetudinem Tuam cura diligenter.* *Abſtinentia mitigat febrem.* Quint. *Valetudinem Tuam cura tempeſtivè, Diligenter non tamen feſtinanter.* *Spes præcox nocet.* *Rudbeckianas figuras omnes Auctor in Hollandiam mittit, & amico commendat accuratè æri incidendas.* *Upſalienſes Auctor apud Heinſium compellat.* *Figuræ omnes in hoc opere ſunt æneæ.* *Iſbrandium Auctor aſſiduo officio proſequitur.* *Batavi bellum gerunt terrâ mariq;*

Hiſpaniæ Regis mors ne aliquos motus in orbe Chriſtiano excitet, verendum. Mors ſceptra ligonibus æquat. Auſtriaci & alii Principes nullis Cometis apparentibus mortui. Rudolphi I. Imp. mors. Fridericus uterq; quando mortuus. Maximiliani I. mors. Rudolphi 2. obitus. Ferdinandi 2. & 3. exceſſus. Hiſpaniæ Reges ſine Cometis prævijs defuncti.

eſt, civili. Verendum meritò eſt, ne & Regis Hiſpaniarum mors, de qua amplius non dubitatur, aliquos motus orbi Chriſtiano afferat. Criminantur jam multi eo nomine Cometam; imò Vir quidam in Batavia Veſtra Celeberrimus nuper dixit, quemquè Cometam Auſtriacis eſſe fatalem. Quaſi verò Auſtriaci aliive Principes (quorum turres & pauperum tabernas, ut ille ait, pallida mors æquo pulſat pede, non exſpectans Cometam) nonniſi per Cometas, velut præcones ex orbe evocari debeant. Non ſatis rectè bonus ille Vir rationes putavit. Nam Rudolpho I. Comiti Habſpurgenſi gentis Auſtriacæ conditori, tùm Fridericis, Maximiliano I. Rudolpho II. Ferdinando II. & III. moribundis Cometa non præluxit. Sed nec Philippo II. & III. Regibus Hiſpaniæ, priores ut taceam. Nequè etiam olim & noſtrâ ætate multis in domo Germanica & Hiſpanica Archiducibus, quos, ne ſim Tibi gravis, recenſere nolo. Ecce redit ad Te Schefferiana epiſtola. Redeunt & tua omnia. Fac ut ad me quamprimùm redeant & ut rectè Valeas.

N. 42.

Hamburgo Holmiam die 13. Octobris Juliani 1665.

Heinſianam communicationem Auctor quamprimùm in Hollandiam mittere cupit: Ejus ſententiam de operatione Cometarum Auctor poſtulat.

POſtquam omnia Tua, quæ à me poſtulaſti, Tibi miſi, ſpero Te mihi ea brevi remiſſurum. Quod ſanè in votis habeo, ut quam primùm Tua in Hollandiam promoveam, & cæteris adjungam. Nihil de hoc argumento aliunde accepi, præter hæc pauca ab Illuſtriſſimo Rautenſteinio die 15. hujus menſis ſcripta. Quæ cum aliquantum cum poſtremis meis ad Te exaratis conveniant, ea ſubjungere meritò volui. Tu etiam aliquando, Clariſſime Heinſi! ſententiam de Cometarum operatione in Senatu noſtro dices. Plerique enim eos nonniſi adverſa præſignificare, imò & efficere criminantur. Et, quod meritò maximè mireris, ab omni quidem ævo. Adeò, ut cum Tuo Naſone ingenioſiſſimo exclamare liceat:

Error inveteratus.

Quantum animis erroris ineſt! - - -

Cometæ mala bonaque ferunt, præſignificant, præcedunt: Plura tamen mala.

At quis eſt, qui rerum ſerie, inter Cometas geſtarum, expenſâ, aliam non induat mentem, illorumque apparitionem tàm læta quàm triſtia præcedere non animadvertat? Quòd ſi hæc plura numero fuiſſe comperiantur, minimè mirandum ſi vel ſemper numero vincant, cùm nunquam non longè vincant his potiùs quàm illis digni. Noſti illud vetus.

Boni rari: itaque & bona rara.

Rari quippè boni - - - - - -

Pacem juſtam & fidam Auctor patriæ optat. Polonorum & Græcorum comparatio tàm culpæ quàm pœnæ reſpectu. Rautenſteinii erga Heinſium benevolentia, Et Auctoris ſimul.

Sed hæc aliquando, ſi vivo, in Hiſtoria Cometica, quam ſcribo, ad oculum videbis. A communi Amico Dantiſcano nullam literam accepi. Alii ſpem pacis in patria faciunt. Pacem & ego patriæ ex animo precor. Sed honeſtam & fidam, quæ ſolâ æquitate, multum ibi violatâ, paratur. Id conſilii, quod ab Epaminonda omnium Græciæ Principum Principe mutuatus, Amico illi Ratiſbonenſi propoſui, & ſimul parem Græcorum & Polonorum, culpam quidem in excludendis pace, fœdere, libertate & patria communi civibus, fortunam verò in mutuis cædibus expoſui, ex Plutarchi Ageſilao accepi. En Tibi itaquè Amici reſponſum, ut Tu quoquè de hac re judicium feras. Quod reliquum eſt, accipe ab illo plurimam ſalutem, qui id juris, imò mandati ſemper mihi dat, quod & illæ ejus poſtremæ teſtantur. Accipe & à me, qui affectu in Te & promto ad officia præſtanda Tibi animo nulli unquam cedo.

N. 32. ad 36. & 37.

Holmiâ Hamburgum die 14. Octobris 1665.

Valetudo lentis non violentis mediis curanda.

QUanquam valetudinis adfectæ lentum omninò eſt negotium, ſic ut domo prodire in publicum necdum detur, promoveo tamen quantum poſſum

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quæ ad inſtitutum Tuum videntur pertinere. A Clariſſimo Hugenio reſponſi
nonnihil nunc demùm accipio. Ubi hæc inter alia occurrunt: *De Cometis nihil*
ego, quod publicari mereatur, conſcripſi, neque obſervationes meas tantâ curâ peractas
dicere auſim quàm ſunt aliorum quorundam jam editæ, ut Hevelii in Prodromo Come-
tico, ac Auzoutii Galli, qui duo nunc inter ſe de palma hac in re decertant. Cæterùm
quia ſcribis, Amicos Te iſtic habere Aſtronomiæ ſtudiis deditos, accipies pauca, quæ ex
qualibuſcunquè obſervationibus meis colligere haud incerto ratiocinio licuit, adjungere
viſum eſt quæ chartæ huic ſeorſum inſcripſi. Hæc, ſi videbitur illis imperties, ac mihi
viciſſim, quæ de eodem argumento illi commentati ſunt. Habes ipſa Chriſtiani Hu-
genii verba cum autographo obſervationum, quod reverti ad me ſines, cum
ejus exemplar mihi haud ſit reliquum. Inter ægrotandum ne curæ mihi Te
fuiſſe neſcias, opus quod Tibi nunc eſt præ manibus, carmine ſatis verboſo
prædicare ſum aggreſſus. Jambos Scazontes illi rei adhibere placuit, quod &
ego ſub illam tempeſtatem cum mira pedum debilitate conflictabar, quin & nunc
conflictor. Verſus ipſos deſcribam, ubi per vires licebit. Nihil quippe eſt, quod
feſtinationem nobis hîc injungat. Hactenus enim ab omni ſcriptione abſtineo,
ne animi corporiſquè languorem augeam. Ideo ad tuas ut accuratè reſpondeam
non exſpectes. Id officium valetudinem magis confirmatam præſtolatur. Quæ
ad Curtium perſcripſiſti, inſpexi quidem, ſed non eâ animi contentione adhi-
bitâ, quam tuis lucubrationibus præſtare ſoleo. Faciam tamen craſtini, ut au-
guror, die. Schefferus monet per literas Rudbeckium propediem huc eſſe ven-
turum. Quod ſi fit, elicere nonnihil reſponſi ad tuam epiſtolam ex ipſo cona-
bor. Vale.

Heinſius Auctori benevolus reſponſum & obſervationes Cometicas Hugenii mittit.

Auzutius Hevelio ſe opponit.

Heinſius Scazontem gratulatorium auctori promittit.

Scazon genus verſûs delumbe & claudum.

Scriptione æger abſtinet.

1. Cometam, qui conſpici cœpit menſe Decembri Anno 1664. motu ſuo pro-
prio ac vero (nam alius eſt in cælo apparens) inceſſiſſe per lineam rectam, cu-
jus inclinatio ad planum Eclipticæ fuerit circiter grad. 11. quæque illud planum
ſecuerit in puncto paulò plus à Sole diſtante, quàm tribus Orbis magni Semi-
diametris.

Obſervationes Hugenianæ.

2. Ducto plano per lineam dictam itineris Cometæ, quod ſit plano Eclipti-
cæ ad rectos angulos, communem utriquè plano ſectionis lineam, inter Mar-
tis ac Telluris orbitas tranſire, paulò tamen illi propiorem: ac reſpicere gr. 21.
Arietis ac Libræ.

3. Cometam æquabili motu inceſſiſſe in illa linea itineris ſui, quam Keple-
rus Trajectoriam vocabat.

4. Motumquè eum paulò amplius, quàm ſexcuplo celeriorem fuiſſe motu
Telluris in orbe magno ſive annuo.

5. Minimam Cometæ à Tellure diſtantiam fuiſſe majorem aliquanto quàm
dimidiam ejus quæ inter Tellurem ac Solem, eamquè minimam diſtantiam con-
tigiſſe 28. Decembris.

6. Caudæ longitudinem fuiſſe ferè duplam intervalli inter Solem ac Tellu-
rem, quod intervallum mihi eſt circiter Terræ diametrorum 12000.

7. Cum Cometæ diſtantia à terris fuerit proximè eadem 10. Januarii quæ 15.
Decembris, tamen poſteriori harum obſervationum multò minus lucidum appa-
ruiſſe, ideoquè videri reverà lumine diminutum fuiſſe.

8. Ac proinde ſuſpicandum, an non materia ejus igne ſuo arſerit, paulatim-
què conſumta ſit.

9. Cum caput Cometæ magnis optimiſquè Teleſcopiis ſpectatum inſtar exi-
gui puncti ſemper apparuerit, non majori, ſaltem quàm 8. vel 10. ſecundorum
ſcrupulorum latitudine. Hinc minus illud fuiſſe colligo ad caudæ amplitudinem
comparatum quam ſit arenæ granulum ad Sphæram, cujus diameter pedum 40.

10. Fieri poſſe ut Cometa aliquis in terram impingat, ſed facilius multò ut
terra per caudam Cometæ tranſeat. Satis autem apparet in his omnibus Coper-
nici Syſtema me ſecutum, etiamſi non moneam.

N. 43. ad 32.

Hamburgo Holmiam die 27. Octobris 1665.

Heinſii benevolentiam Auctor gratus prædicat: Ei de carmine ſpontè promiſſo gratias agit, Et omnem benevolentiam officioſam promittit. Spontè ab amicis oblatas gratulationes Auctor modeſto & grato animo excipit. Hugenium ſe literis compellare velle Auctor ſtatuit, Et magni meritò facere fatetur.

PUdorem mihi incutit tanta Tua humanitas & benevolentia, quæ omne meum benè de Te merendi ſtudium, alioquin officioſum, quod verbi ſine ambitione uſurpare apud Te liceat, ſuperat quàm longiſſimè. Undiquè enim profectò commodis meis Te ſtudere, teſtaris: dum & apud Ubſalienſes, & apud Clariſſimum Hugenium vota mea feliciter promoves. Carmen quoquè gratulatorium, quod à Te petere nec auſus eſt, nec potuit pudor meus, Tuâ ſponte offers. Quas Tibi pro tantis meritis poſſum rependere grates? Quicquid ſanè in me virium eſt, hoc omne huc conferam. Sed quæ deerunt mihi, Tua ſupplebit æquitas. In carmine illo, quod mihi pro jure amicitiæ dicere liceat, vide ut modeſtiæ & ſorti meæ ex æquo conſulas. Ego verò illud bonæ Tuæ erga me voluntatis teſtimonium debito cultu proſequor & grato animo excipio, ut & aliorum Amicorum ultroneas gratulationes, quas meritò pluris facio, quàm alii emendicata ſuffragia. Redeunt en ad Te & Hugeniana juxta ac nuper Schefferiana. Decrevi ego apud me ſcripto illum ipſum adire, (cujus rei ſpecimen his pro amicitiæ jure adjunctum accipe) deque his quæ ad Te miſit gratias ei agere, ut ſi fieri poſſit, plura ab eo obtineam ejuſdem notæ. Video enim, quantum quidem de his judicare poſſum, Virum illum Eximium eſſe rebus Mathematicis non leviter imbutum. Accepi ego nuper literas ab ipſo Auzotio, in quibus de ſuo cum Hevelio certamine certiorem me reddit, & Hugenii meminit. Benè vale, & illa inexpugnabilia vitia ſtomachi fortiter & feliciter ſupera.

N. 33. ad 38.

Holmiâ Hamburgum die 21. Octobris Gregor. 1665.

DE Rudbeckianis figuris etiam ſollicitum eſſe Te ex poſtremis Tuis video, quas tamen redditas tibi eſſe jam oportet, niſi tabellarii nos fruſtrantur. Miſi & poſtea Chriſtiani Hugenii obſervationes nonnullas, utinam inſtituto Tuo profuturas! Cometam novum hîc terrarum ſpectari quidem ſunt qui affirment, atquè inter illos Spechtius Gedanenſis, Vir eruditus, quo Medico utor: necdum tamen inveni, qui illum abs ſe conſpectum eſſe aſſeverarent. Inquiram in rem totam diligenter, ſimulatque in publicum prodire per vires licebit. In epiſtola ad Albertum Curtium tua multa ſubtiliter probabiliterquè diſputantur, quorum lectione ſum mirificè adfectus. Ea tamen omnia an ipſi Curtio ſis approbaturus, illud eſt, quod in dubium à me vocari videtur poſſe. Nam in Metaphyſicis Theologiciſque non eadem omnes, ut ſcis, ſentimus; & ſi ullibi vetus proverbium, hîc certè locum occupat, *Quot homines, tot eſſe ſententias.* Mea quæ ad me mittebas proximè, hîc habes aliquanto caſtigatiora: etſi de iis luci non committendis à me perſtatur in propoſito. Præſertim cum illorum loco ſubminiſtraturus ſim nonnulla, ligato pede conſcripta, quorum ultimæ meæ mentionem injiciebant. Quanquam ſic etiamnum langueo, ut iis chartæ committendis non potuerim vacare. Quod, ſpero, in bonam interpretaberis partem, ſi cognoſces, ne Hevelio quidem gratias hactenus à me actas eſſe pro præclaro Prodromi Cometici munere. Plus dicam, ſi dixero, idem officium toto jam menſe à me deberi Regi Chriſtianiſſimo, ob ſingularem ejus munificentiam, quæ in me redundavit, aliiſquè Viris Principibus à me jam dudum per litteras non reſponderi. Quam ruſticitatis legem mihi dicit ac præſcribit valetudo. Archiſtrategus Vrangelius profectionem Germanicam de die in diem minatur, iter mari confecturus. Heſternâ veſperâ cum Rege, Reginâ Matre, Procerum pleriſquè nuptiis interfuit, quæ Comitem Tortſtenzonium inter & filiam Archithalaſſi Steenbockii ſunt celebratæ. Illuſtriſſimo Regni Cancellario filius proximis diebus eſt natus, quem Orator Gallicus Ter-

lonius

lonius Regis Chriſtianiſſimi nomine ex ſacro fonte ſuſcepit. Puero nomen eſt LUDOVICO AXELIO. Illuſtriſſimo Rautenſteinio ut me aſſiduus commendes, vide. Tunc quoquè cum id abs te non contendam: ne mihi neceſſe ſit idem officium toties à Te flagitare. Vale.

Hamburgo Holmiam die 3. Novembris Gregor. 1665.

N. 44. ad 33.

Hugeniana ſibi grata fuiſſe Auctor teſtatur: Suæ ad eum epiſtolæ exemplum Heinſio ſe miſiſſe affirmat, Et judicium de omnibus ab eo ferri poſtulat. Libertati monendi cum amicitia benè convenit.

SUmma obſervationum Hugenianarum capita tàm fuiſſe mihi grata, quàm ſunt inſtituto meo convenientia, ex mearum literarum ad eum ſcriptarum exemplo paulò ante ad Te miſſo, intelliges. Sicut verò tunc tumultuariè aliquot verba ad Te exarans (non enim aliud fieri extracti à bonæ notæ amico temporis anguſtia permittebat) judicium de illis meis Tuum requiſivi: ita idem hìc, & ſolemniter quidem, repeto. Si quid ibi parum reverenter & parum modeſtè dictum ſit, &, ſi dum laudatam ambitionem defendo, illi quæ in vitio ponitur, appropinquem, mone ex ingenuæ libertatis & veræ amicitiæ lege. Crede mihi, quicquid dixeris, ratiſſima & gratiſſima mihi erunt. Ut tàm multâ in Te fiduciâ & amicitiâ Tuâ familiariter utar, Tua ſingularis non tantùm eruditio, ſed & benevolentia efficit. Tot enim literæ Tuæ, ſed & illi, quæ ſponte Tua offers carmina, apertè teſtantur, quòd meas nugas velis eſſe aliquid. Cum autem jam jacta ſit alea, velim eas, quantum per publica negotia & alias graviores occupationes licebit, ſub examen acris judicii revoces. Nam &

- - - - - hæ nugæ ſeria ducent
In mala

ni fidâ amicorum induſtriâ, ut limam, ſaltem æquam, orbis literati ferre poſſint, juventur. Vidiſti jam antè operis caput. Sed fronte latente. Hanc Tibi nunc detectam prodo, dequè ea judicium Tuum cognoſcere aveo, qui magna pars Senatus noſtri eris. Ego quidem

Auctor ſua Heinſii & aliorum Amicorum judicio ſubjicit.

Jam Senatum convocabo in corde conſiliarium

Senatus Philoſophicus ab Auctore convocatus.

ut cum Comico loquar. Imò me id tempeſtivè feciſſe, verè dixero. Sed exſpecto ſententiam Tuam, an hæc illam, quam Clariſſimo Hugenio approbare ſtudui, ambitionem honeſtam Conſulis, vel Prætoris in me æquo animo ferre, an verò Accenſi vel Præconis potiùs provinciam mihi imponere velit. Ego certè nequè hanc dedignabor, dummodò publico conſulatur, cui me totum devovi. Judicium Tuum de mea ad Curtium epiſtola, tanquam ab homine ſolidæ eruditionis & ſubacti judicii & undiquè excellenti proveniens, eâ qua par eſt, reverentiâ accipio. Facilè credo Curtium & alios, quæ hìc mihi objiciant (ut hac voce nonnullis improbata cum Seneca utar) inventuros. Sed in Senatu Philoſophico nil antiquius libertate eſt. Hâc ego ſemper uti, hanc in aliis ferre, imò hanc omnibus integram relinquere, apud me conſtitui. Adeoquè hæc æquitatis lex, ut ſpero, omnes noſtras controverſias dirimet, relictâ ſpectatoribus & auditoribus judicandi eâdem libertate ipſis conveniente. Eadem & Tu, Doctiſſime Heinſi! uteris in Senatu noſtro, quem Tu clariſſimi nominis Tui ſplendore & præſentia gravi plurimùm ornabis. Modeſtia quidem Tua, ut lateas, ſaltem nobis præſentiam Tuam deneges, inſtantèr deſiderat. Sed, crede mihi, æquitas & publicæ utilitatis ratio (ne nunc quidquam de nominis Tui exiſtimatione, tantò magis, quòd omnes me indice adventum Tuum & ſententiam avidè præſtolentur, & de meis votis dicam) longè aliud exigit. Itaquè illa huic cedat, par eſt. Cæterùm in carminibus Tuis meæ quoquè modeſtiæ rationem habeas velim. Quod non temerè repeto. Silentium & breviloquentiam Tuam ægrè non ferò, niſi cum eam ægritudo, quæ & mihi acerbam, crede vera dicenti, ægritudinem affert. Hæc nondum ex animo exturbata eſt. Quod Tu meliori, imò optimo de valetudine proſpera nuncio quamprimùm facies.

Boni publici ſtudium ante omnia tibi ſit commendatum.

Æquitas concordiæ conciliatrix eſt.

Heinſii amicitiam & dotes magni Auctor facit: Ejus communicationem ſupprimi non poſſe oſtendit.

Silentium amici ex cauſa morbi eſt graviſſimum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 34. ad 39.

Holmiâ Hamburgum die 28. *Octobris Gregor.* 1665.

Rudbeckius Holmiæ eſt, Cometen novum, qui tamen idem ſit cum priori, menſe Sept. apparuiſſe refert.

Heinſius permodeſtè de ſuis ſentit, eaquè ſupprimi cupit.

Terlonius cauſſam Fœderatorum Belg. ſtrenuè in Aula Suecica agit.

Rex Galliæ auxiliatur Belgis Fœd. contra Monaſterienſem.

RUdbeckii omnia ad Te perveniſſe ſpero. Quod ex te ipſo intelligi à me jam oportuit. Eſt ille nunc in hac civitate, ut audio, cras ad ſuos reditu-rus. Aſſeveravit mihi nonnemo ex familiaribus ejus, obſervatum ab illo Cometem menſe proximè elapſo, eundemquè deprehenſum eſſe, qui ante menſes nonnullos apparuerit. Si me conveniſſet ipſe, rogatus jam foret, ne gravaretur in chartam conjicere, quicquid hujus obſervaſſet rei. Nunc quando me non convento ad ſuos regreſſurus videtur, eas preces ad Schefferum deferam, qui illi intimâ neceſſitudine eſt conjunctus, ſi quid forte ejus operâ impetrari ab homine cunctabundo poſſit. Litterarum mearum quod abs te diebus proximis mihi eſt allatum, oculo feſtinante percurri, nihilquè illic inveni, quod luce publicâ donari mereatur. Niſi inde fortaſſis arrepta tibi eſt occaſio diſſertandi. Quod vix reor. Quapropter denuò obſecratum te volo, ne quiſquilias tàm inanes rerum ac bonæ frugis, prodire hôc tàm delicato ac faſtidioſo ſæculo in hominum eruditorum manus patiaris. Nunc ad publica veniamus. Orator Gallicus cauſſam Fœderatorum Belgarum adverſus inſultus Britannicos in hac Aula acriter & fervidè agit: Senatuiquè regni proximis ſignificavit diebus, Regem ſuum bina equitum millia, duplo plura peditum adverſus arma Monaſterienſis Epiſcopi, tanquam aggreſſoris, ſubſidio miſiſſe Fœderatis Belgis, plura miſſurum, ſi ſit opus. Archiſtrategus Vrangelius ventis adverſis detinetur in hoc regno etiamnum. Vale, & me, ut ſoles, ama.

N. 45. ad 34.

Hamburgo Holmiam die 10. *Novembris Gregoriani* 1665.

Heinſianam communicationem ſupprimi non poſſe Auctor iterum demonſtrat.

Seculum præſens eſt eruditum.

Scribendum nunc cum cura eſt.

Auctor inſtituti ſui rationem contra invidiam munit.

Heinſio amiciſſimum ſe eſſe Auctor affirmat.

RUdbeckiana omnia me non tantùm accepiſſe, ſed & acceptiſſima habuiſſe, inquè Bataviam æri accuratiſſimè incidenda miſiſſe, ex meis ſuperioribus cognoviſſe Te non dubito. Amſterodamo hodie accepi literas, quæ nunciant Amicos in imprimendo opere meo & incidendis æri figuris pergere diligenter. Tua ſi ſupprimerem, poſtquam jam dudum eorum mihi imprimendorum dediſti facultatem, & ego tot Viris Doctis id conſilii mutui aperui, nec Tuæ nec meæ exiſtimationi conſulerem. Exoſculor hîc Tuam tantam modeſtiam. Sed quam ſemel dixiſti, promitto mihi benevolentiam. Ita mihi omnia proſpera eveniant, ut religio mihi foret Tua ita polita & publico utilia futura premere, & in tenebras perpetui ſilentii conjicere. Scio quidem hoc ſeculum eſſe eruditum, multoſquè in eo delicatis auribus & faſtidioſo ſtomacho eſſe. Sed certus ſum Tua ita doctè & prudenter eſſe ſcripta, ut in eis nec livor quod mordeat ſit inventurus. Ferent illa omnem cenſuram, ætatem quoquè ferent. Utinam tàm benè cum meis comparatum eſſet! At me quivis æquus abſolvet crimine temeritatis, dum me tot & tantis Amicis Viris Clariſſimis, hîc obedire & publicæ utilitati pro virili conſulere viderit. Quòd ſi tamen illa, quibus publica quandoquè attingis, ſaltem nonnulla eorum (quod quidem è re utriuſquè noſtrûm eſt) omitti velis, id faciam. Ex meis, quæ aliquando ad Te ſcripſi, non pauca omiſi, vel correxi, ſuſpicioni vel invidiæ obnoxia. Quâ in re & Tibi & mihi benè conſultum volui. Sincerè namquè dicere affirmareque tutò poſſum, me ſtudio benè de Te merendi Amicorum Tuorum nulli ceſſurum. Nihil itaquè unquam negligam eorum quæ Tibi grata eſſe intellexero, & vel conjecturâ aſſecutus fuero. De novo Cometa nil certi aliunde habeo. Vix tamen ille erit idem qui nuper nobis in Pegaſo viſus eſt. Sed an aliquid de eo ex Rudbeckio acceperis, ſcire geſtio. Publica quod attinet, Tuæ meæquè patriæ & omnibus populis Chriſtianis pacem juſtam & ſtabilem opto. Sed vereor ne & iſta quæ orta ſunt, bella protrahantur, & nova ex iis generentur. Vale.

Holmiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Holmiâ Hamburgum die 6. Novembris Gregoriani 1665. *N. 35. ad 40. & 41.*

PRoximè ſignificabam adveniſſe in hanc civitatem Upſaliâ Olaum Rudbeckium. Is poſtero die me compellavit, ac complura ſciſcitatus eſt de te ac tuo inſtituto. Teſtabatur quoquè incredibili deſiderio ſe teneri videndi operis tui, ſimulatquè ad finem eſſet perductum: maxime verò gratum ac jucundum ſibi fore, ſi quod ejus ſpecimen tempeſtivè hùc mitteretur ad reſtinguendam utcumquè ſitim noſtram. In Cometam, quem de novo ſpectari fama ferret, ſollicitè inquirenti repoſuit, nil mentiri rumorem. Eum enim frequenter obſervatum ſibi toto jam menſe, & nunc quidem in Andromeda apparere. Cæterùm homines curioſos huic ſpectaculo quodammodo jam aſſuetos minus ſedulò Cometam ſpectare, quàm ante menſes hoſce ſeptem aut octo eſſet factum, quando plurimos ipſâ novitate pellectos is in ſe convertebat. Rogatus eſt à me, ne gravaretur chartæ denuò committere, ſi quid jam nunc obſervaſſet argumenti hujus, aut in poſterum eſſet obſervaturus: rem enim illam non tibi minus quàm mihi fore pergratam. Quam petitionem ſic excepit, ut nec polliceretur quicquam, nec negaret. De figuris, quas epiſtolæ ſuæ inſeruit, unicè ſollicitus eſſe videbatur, ne quid in iis exactè referendis à chalcographo peccaretur. Ultimam præſertim illam, de qua Schefferus quoquè agebat, niſi accuratè exprimendam curares, multùm tenebrarum atquè obſcuritatis demonſtrationibus ſuis ſuboriturum eſſe. Te, ut votis ejus ſatiſfiat operam daturum, credo. Eſt certè vir perhumanus & eruditus, cui Sveci, ſicut Dani Thomæ Bartholino, vaſorum lymphaticorum in corpore humano inventorum gloriam vindicant. Mea, quæ tantopèrè deſideras, adeò exſucca ac jejuna ſunt, ut à me ipſo percurri ſinè maximo tædio vix poſſint. Nihil in iis bonæ frugis, protrita omnia. Video adhæc, & video libentiſſimus, Illuſtriſſimi Rautenſteinii ſententiam cum opinione mea conſpirare. Vivi nempè à nobis ſæculo tàm exculto bonis artibus, tamquè delicato, cui imponi per quiſquilias oſquè ſublini nequaquam poſſit. Non negârim, curæ haud parùm me adhibuiſſe poëmatiis, quæ nunc ſub prelo ſudant typographico, concinnandis: & tamen deſperare me quodammodo de ſeculi noſtri applauſu. Tàm longè videor mihi abeſſe ab antiquitatis illo politiſſimo Genio, quem admirari, quàm æmulari aut exprimere pari ſucceſſu, multò eſt facilius. Cometæ ſintne rerum funeſtarum augures ac nuntii diu eſt quod diſceptatur inter Mathematicos. Ego ſententiam amplecti malo ab omni ſuperſtitione alienam; dum liqueat manifeſtius, Cometas præter naturam enaſci, nec rationes aut probabiles aut veriſimiles in promtu eſſe, per quas illorum ortus interituſquè adſtruatur. Quamquam arduum omninò difficillimumquè cenſeo, avellere ex animis hominum opinionem, quæ jam ab exordio mundi ipſo radices altiſſimas illic egit, ac multo uſu eſt quodammodo confirmata. De hac re nonnihil actum eſt à me in Scazonte: qui ſi minus tibi ſatiſfecerit, plura fortaſſis ad rem conferemus. Vale.

Rudbeckius Heinſio adeſt, benevolentiam ſuam erga Auctoris inſtitutum teſtatur,
De novo Cometa narrationem texit,
Ut obſervationes de eo factas conſcribat rogatur,
Id ſe facturum nec pollicetur, nec negat,
De accurata figurarum ſuarum æri incidendarum editione multum ſollicitus.
Heinſius de ſuis permodeſtè ſentit.
Heinſius poëmata ſua publico donat,
Antiquitatis cultor,
Ejus de Cometa ſententia à ſuperſtitione & temeritate aliena.
Opiniones inveteratæ ægrè mentibus hominum eximuntur.

Hamburgo Holmiam die 17. Novemb. Gregor. 1665. *N. 46. ad 35.*

TE cum Clariſſimo Rudbeckio collocutum eſſe, vehementer gratulor. Nullus enim dubito Vos de commodis rei literariæ propagandis mutuò egiſſe. Hìc ego de illa hora una vel altera, meritò dixero illud quod Seneca alicubi ex Poſidonio dicit, de una hominum eruditorum die, *eam ſcilicet latius patere, quàm imperiti longiſſimam ætatem. Mei quoquè tunc à vobis mentionem eſſe factam, libenter ex Te intellexi. Id enim veſtræ ergà me benevolentiæ eſt argumentum. Operis mei, quod typographorum & amicorum in Batavia veſtra induſtriam aſſiduò exercet, nondum ullum ſpecimen habeo. Id enim mihi belli iniquitas invidit. Quòd tanto deſiderio videndi Operis mei flagretis, bene-

Commercia Virorum doctorum juvandæ rei literariæ dedita ſunt.
**Una dies ſapientis melior eſt integra ætate ſtulti.*
Auctor Heinſio & apud eum Rudbeckio de bene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

volentia ergà ſe & inſtitutum ſuum gratias agit, De hujus editione Heinſium certiorem reddit: De Cometa novo ad Amicos refert, Curſûs ejus deſignationem à Rudbeckio poſtulat. Vaſorum lymphaticorum controverſia nondum deciſa.

benevolus ergà me, præcipuè verò ergà literas humaniores, quibus juvandis operam do, effecit. Deſiderii hujus ſitim ut Te jubente reſtinguam, memor ero, & officii ducam. Sed vereor ne ampliſſimam exſpectationem veſtram deſtituam. Tunc autem æquitati & benevolentiæ vel maximè erit locus. Nuncium de novo Cometa nuper miſi Lutetiam, Ratiſbonam, Herbipolin, Hannoveram: hodie mitto Dantiſcum, in Daniam, Marchiam & in Bataviam, fortè & in Holſatiam, dummodo per anguſtiam temporis liceat. Nihil tale quidquam hîc animadverſum eſt. Expediret verò ab Humaniſſimo Rudbeckio iter novi iſtius ſideris cincinnati deſignari. Quod Tua induſtria & dexteritas habebit ſibi commendatum. Viri illius Clariſſimi eruditionem veneror. Controverſiam illam de inventis vaſis lymphaticis inter eum & Clariſſimum Bartholinum, qui de hac laude ſibi vendicanda ſatagit, nondum deciſam eſſe audio Tu licet Clariſſimo Rudbeckio conjunctus, in media tamen videris mihi eſſe ſententia. Id enim me ex literis Tuis nuper percepiſſe autumo, & laudo, ne alterutri Virorum Egregiorum injuria fiat. Figuræ Rudbeckianæ, pariter ut omnes reliquæ, cum debita cura æri incidantur, amicos Batavos monui. Et illis quidem ſingularem diligentiam deberi, apertè indicavi. Quod ad Tua, quæ mecum per literas amicè commutaſti, attinet, religio mihi fuerit ea ſupprimere. Admiror modeſtiam Tuam. Quæ tamen metum juſtum mihi affert. Nam ſi Tu Tua tàm docta, tàm terſa & ad Gratiarum leges compoſita, boniquè ſucci plena, ut exſucca, bonæ frugis ſterilia, & horrida ad tenebras ſilentii damnas, quid putas me, tenuitatis meæ conſcium, de meis cogitare, & quo non percelli me metu cenſes? Vivimus quidem ſeculo bonis artibus exculto & delicato. Sed videmus tot Viros doctrinâ præſtantiſſimos, & de genere humano benè & cum laude, eaquè multa merentes; multa publico committere, qui vereor ut aliquando Voſſii librum illum de vitiis Latini ſermonis vel Sanctii Minervam inſpexerint, minimùm ſæpiùs evolvant. *Quidni ergo & nos tentemus pro virili rem publicam juvare, etſi fortè Viri omnibus numeris abſoluti conſummatiquè Catones aliquos defectus in nobis notarint? De me meiquè ſimilibus loquor. Te enim hoc cenſu exceptum eſſe minimè ambigo. En Tibi manum Rautenſteinianam in hanc rem, & benevolentiæ ergà Te ſingularis teſtimonium. Tuam de Cometarum prognoſticis ſententiam plenius & certius aliàs ex Te intelligam; fac ut Scazontem exſpectatum ſine mora accipiamus. Vides enim & Illuſtriſſimum Rautenſteinium deſiderio ejus teneri. Vale benè diuquè, ac mihi conſtanter fave.

*Heinſiana ſupprimi non debere iterum iterumquè Auctor demonſtrat: Meritiſſimo ea ſe magni facere docet. Scriptores benè de humano genere merentes, etſi in quibuſdam errent & parùm Latinè loquantur, laude digni ſunt, *Tentandum cuiquè pro virili eſt quod ex uſu ſiet. Auctor ſententiam de Cometis pleniorem ab Heinſio exſpectàt.*

N.36. ad 42. & 43.

Holmia Suecorum Hamburgum die 11. *Novemb. Gregor.* 1665.

Heinſius Auctoris ad Hugenium epiſtolam habet acceptam. Iſbrandius Auctori benevolentiam ſuam teſtatur.

NUdius tertius Tuas rectè accepi unà cum apographo ejus epiſtolæ, qua Chriſtianum Hugenium Viri Illuſtris Conſtantini filium compellandum duxiſti. Ejus lectione mirificè ſum adfectus. Dominum Iſbrandium tuis verbis frequenter ſalutavi, qui frequenter non minus Te ſuo nomine reſalutari voluit. Argumentum ſcribendi nunc mihi deeſt. Quid quod emigrandum mihi cras eſt ex hiſce, quas inhabitavi totum jam quadriennium ædibus? quare totus nunc ſum in convaſandis ac transferendis inde ſarcinis in aliam domum. Ut, ſi argumentum ſcriptionis uberrimum ſit in promtu, quod nullum eſſe jam dixi, tamen neceſſitas me cogat brevitati ſtudere. Unum tamen addo, me libenter videre, quòd magni facias Julium Scaligerum, Virum per omnia clariſſimum. Filius enim ejus Joſephus inter Lugdunenſes meos vixit aliquandiu, & apud nos ſepultus eſt. Eo præceptore fuerat uſus meus pater. Vale & me ama.

Scaliger pater laudatur: Filio ejus Heinſius pater præceptore uſus eſt.

Hamburgo

Hamburgo Holmiam die 24. *Novemb. Gregor.* 1665.

N. 47. ad 36.

LIterarum mearum ad Clariſſimum Hugenium exaratarum apographum Te rectè accepiſſe, imò & acceptum habuiſſe, eſt quod mihi gratuler. Heinſianum enim candorem & judicium quis non magni faciat, niſi ipſe nihili faciendus? Quòd me Illuſtriſſimo Iſbrandio aſſiduus commendes, ſalutemquè officioſiſſimam ei nomine deferas meo, eſt de quo Tibi gratias agam. Perge ita, Humaniſſime & Amiciſſime Heinſi, mihi & ſtudiis meis favere, ſicut adhuc feciſti. En Tibi excerptum ex literis D. Buſmani Phyſici Hannoverani, quas heri accepi ante quatriduum datas: **Olai Rudbeckii novus Cometa fidem non meretur. Oportuiſſet ipſum petitioni Oratoris Heinſii non ſolùm annuere, chartæque novæ Cometæ obſervata committere, ſed præterea digito ipſum in cælo monſtrare.* Hæc ille. Hæc & ego nuper me monere memini, nempe ut conſulat ſuæ exiſtimationi, & fidem dictis adſtruat. Conſulat eidem & reſponſo expedito, quod mihi unà cum Fornelio debet. Vale & in nova ſede proſperè age.

Heinſium meritò magni faciendum eſſe Auctor aſſerit:

Ei de benevolentia gratias agit,

Eandem ſibi conſtantem ſervari poſtulat.

** Cometa auctumnalis nuncius fidem non invenit.*

Holmiâ Suecorum Hamburgum die 15. 25. *Novembr.* 1665.

N. 37. ad 44.

DIe Mercurii proximè elapſo litterarum nihil ad Te dedi, quod nec ſcriptionis argumentum eſſet in promtu, & in ſcriniis ipſe componendis poſt emigrationem in novas ædes ſic ſatis occupatus fuerim. De Tua ad Hugenium epiſtola egi proximè. Nunc de Operis Tui titulo ac inſcriptione id habe, ſed paucis; nihil illic à me deprehenſum eſſe, quod oculos utcumquè cenſorios ac faſtidioſos debeat offendere. Verſus Tibi à me inſcriptos cave opineris nimios eſſe in Tuis virtutibus extollendis, cùm illic amica ſolummodo & familiari confabulatione ſim defunctus, Tuaſquè laudes vix delibarim. Ipſos, ut ſpero, verſus proximè habebis: nunc enim iis deſcribendis vix eſt, ut vacare poſſim. Illuſtriſſimo Iſebrandio Tuas omnes ſoleo communicare, qui reſalutari Te peramanter ſuo nomine voluit, idquè jam frequenter. Idem Te viciſſim officium mihi & præſtitiſſe jam & porrò præſtiturum eſſe apud Dominum Rautenſteinium prorſus confido. Vale, Vir Nobiliſſime, & mihi benè velle perge, ut ſoles.

Heinſius titulum operis approbat,

Carmen gratulatorium modeſtiæ conveniens promittit:

Auctorem aſſiduò ſe Iſebrandio commendare teſtatur,

Idem officii ſibi apud Rautenſteinium præſtari poſtulat.

Hamburgo Holmiam die 28. *Novembr. Juliani* 1665.

N. 48. ad 37.

TÆdio quidem haud levi afficior, quotieſcunquè ſtatis diebus literæ Tuæ, quæ me profectò ſemper ſingulari delectatione afficiunt, non advolant. Nunquam tamen obliviſcor æquitatis, quæ ſilentio amici, exploratæ benevolentiæ & diligentiæ, juſtas ſubeſſe cauſſas, docet. Experior enim abundè ſatis, Te, licet publicis negociis, quæ ampliſſima provincia Tuæ fidei & induſtriæ credita, ſecum fert, aſſiduò diſtractum, & alioqui commercio literarum cum Principibus & Illuſtriſſimis Viris colendo deditum, privatæ tamen quoquè amicitiæ jura & officia non negligere. Mihi quidem, ut verum fatear, Pythagorici illi & Silentiarii in hoc ſtudii genere, minimè placent. His vetus illud verbum Græcorum competit: πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. (multas amicitias ſilentium diſſolvit.) Proinde ego nullum Curſorem ſine meis ad Te literis nunc dimitto. Frontem mei operis amicâ Te fronte excepiſſe, non immeritò mihi gratulor: ut &, Te quidem ſingularis benevolentiæ monumentum verſibus illis publico & poſteritati commendare, ſed ſimul verecundiæ meæ conſulere velle. Gratulor etiam mihi de patrocinio & favore Illuſtriſſimi Iſbrandii, quem mihi conciliaſti. Par pari reſpondeo in ſalute Illuſtriſſimo Rautenſteinio Tuo nomine adſcribenda. Id officii à me in poſterum quoquè, ut & alia, exſpecta. Credo autem me parem benevolentiam ex æquitatis ratione à Te ſperare poſſe, imò debere.

Nuper

Æquitate erga ſilentes amicos utendum eſt.

Silentium amicitiam offendit, ſæpè & diſſolvit.

Heinſio Auctor de eximia benevolentia gratias agit.

Officia grata amicis præſta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hevelii judicium de Cometa auctumnali.

Nuper accepi literas ab Ampliſſimo Hevelio, qui de Cometa novo, de quo fidem Tibi Clar. Rudbeckius dederat, judicat idem quod antehac de eodem phœnomeno Romæ & Franequeræ, quâ de re me Tibi ſcribere memini, obſervato, eſſe ſcilicet ſtellam nebuloſam in Andromedæ cingulo. Miratur præterea ſe nondum Tuas illas literas accepiſſe. Sed mirandum minimè eſt, nondum illas comparere parùm fido nec officioſo homini, (tales enim inter nautas reperiri non paucos notum eſt) vel certè infido elemento creditas. Cupit præterea commentationem Rudbeckianam de Cometa videre. Hanc illi extemplò mitterem, ſi mei illa juris eſſet. Sed cùm ad Te autographum pertineat, volui ad Te prius ea de re, cum res moram patiatur, referre, an ſcilicet illud, poſtquam meum apographum intrà manus Amicorum, operis mei editionem promoventium fuerit, ad Hevelium mittere debeam. Quâ de re Te illi gratificaturum, quæ Tua humanitas prorſus eximia eſt, non dubito. Nihil alioqui de argumento Cometico alicunde accepi. Propoſui nonnullis Viris doctis quæſtiones tres ſat arduas, de ætate Hipparchi, Magni illius Aſtronomi, de ætate Mithridatis M. illius Pontici, (alioqui Parthicus quoquè idem cognominis indeptus erat) & de Cometis, qui circà exceſſum Ludovici Pii fulſerunt. Mirè namquè de his rebus Hiſtorici & Chronologi diſſident. Sed Tibi arduis negotiis occupato talibus non obſtrepo. Quin potius Te jam & longum feliciter valere cupio ex animo.

Hevelius Comment. Rudbeckii de Cometis videre cupit.

Aliena tanquam tua diſpenſare cave.

Hipparchi ætas in controverſiam venit.

Mithridates vel Mithradates Magnus Ponticus & Parthicus.

N 38. ad 45.

Holmiâ Suecorum Hamburgum die 3 Decembris Gregoriani 1665.

Rudbeckius narrationem de Cometa auctumnali non confirmat.

DE Clariſſimo Rudbeckio, ex quo hinc ſua relegit veſtigia, nil audio: etſi rogatus erat à me verbis enixis, ne gravaretur curas Cometæ novo intendere. Die perendino compellandus erit mihi per literas Schefferus: quando non intermittam, hoc negotium de novo urgere. Inventa lymphatica vaſa Sueci Rudbeckio conſtanter vindicatum eunt, Dani Bartholino. Ego autem cum & hunc & illum amicos hactenus ſim expertus apertè dico, me rem in medio relinquere. Scazontem, cujus toties mentionem feci, en Tibi: ut videas nil eorum, quæ mearum virium ac meæ poteſtatis ſunt, Tibi apud me non eſſe promtum ac paratum. Rautenſteinianorum, quæ mecum communicare voluiſti, lectione mirificè ſum captus. Officia mea ei ſolemniter defert Dominus Iſbrandius heſternâ veſperâ dum cœnabamus unà, Te reſalutari peramanter voluit. Vale Vir Nobiliſſime.

Heinſius Scàzontem ſuum Auctori mittit,

Magni Rautenſteinium facit,

De Iſbrandii favore Auctorem certum reddit.

N. 49. ad 38.

Hamburgo Holmiam Suecorum die 15. Decembris Gregor. 1665.

Rudbeckium teneri confirmationis dictorum de Cometa novo auctor demonſtrat.

NIhil Te à Clariſſimo Rudbeckio pro adſtruenda fide novi Cometæ nuncio accepiſſe tunc cum Tuas poſtremas ad me dares, non libentèr ex Te intellexi. Videbis in nuperis meis, quàm fortiter & Ampliſſimus Hevelius iſti Sententiæ Rudbeckianæ ſe opponat. Intereſt itaquè Viri illius Præſtantiſſimi, ut ſuam exiſtimationem tueatur. De ejus Commentario Cometico, cujus copiam ſibi fieri Ampliſſimus Hevelius poſtulat, reſponſum à Te exſpecto. Interim ſcire Te velim Romà die 21. Novembris, huc de novo Cometa perſcripta eſſe ſequentia:

Cometæ auctumnalis rumor Româ allatus.

Dicebatur, ſicut ante ſcripſi, videri novum Cometam. Sed illa vox & fama tota evanuit, quod ſignum fortè eſt, rumorem illum non habuiſſe fundamentum, vel forte quòd Cometæ Romæ prorſus fidem perdiderint.	*Si diceua, come fù ſcritto, che ſi vedeſſe una nuoua Cometa, mà la voce è del tutto calata, ſegno forſe che il grido non habbia hauuto fondamento, ò forſi perche le Comete in Roma habbiamo affatto perſo di credito.*

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

De Scazonte Tuo bellè currente, ut effuſæ erga me benevolentiæ Tuæ egregio documento, debitas Tibi ago gratias. Sed immodicas laudes deprecor. Quas ut à me amoliâre, Tua faciet æquitas, quæ dubio procul modeſtiæ & verecundiæ meæ conſulet. Illuſtriſſimo Iſbrandio aſſiduus me commenda, & Vale feliciter, ſciaſque me cras Deo dante commercii noſtri literarii natalem, ut ſic dicam, celebraturum.

Auctor Heinſio de Scazonte gratias agit, & laudes immodicas deprecatur.

Holmia Hamburgum die 10. *Decemb. Gregor.* 1665.

N. 39. *ad* 46.

AD Clariſſimum Schefferum jam ſcripſi, additis precibus, ut ſi quem Cometam novum proximis menſibus homines rerum Mathematicarum ſtudioſi illic obſervaſſent, ejus rei ne me teque ignaros eſſe hi paterentur. Mox videbimus, quid ad hæc ille ſit repoſiturus. Scazontem meum, quem mittebam proximè, jam tibi eſſe redditum confido. Nihil in illo carmine aut aſſentationi, aut meritiſſimis tuis laudibus dedi. Amicos enim in os prædicare, mihi eſt religioni. Poëmatum meorum extrema urget typographus. Quicquid inde per latrocinia Monaſterienſium diſperierat, jam ex ſchedis meis recollegi reſarcivique quodammodo, nonnihil otii ad hanc rem nactus. Non enim hoc tempore Illuſtriſſimum Regni Suecici Cancellarium, quamvis & humaniſſimum, ut noſti, & mihi faventiſſimum, frequenter à me conveniri oportet, quòd negotiorum publicorum pondus humeris Domini Iſbrandii præcipuè nunc incumbat. Certè ex quo Vir Eximius apud nos moratur, vix ſemel iterumque Heroëm Noſtrum ſum veneratus, cum quod hac rerum facie nil magno opere apud illum habeam urgendum; id quod ſanè ſtudiis meis privatis accidit peropportunum: tùm quòd valetudo adverſa me ab officio hactenus revocârit. Vale Vir Nobiliſſime. Salutat te meâ operâ D. Iſbrandius, idem tuâ operâ mihi liceat quæſo apud Dominum Rautenſteinium.

Heinſius in Cometam autumnalem apud Upſalienſes inquirit.
Suum Scazontem commendat.
Poëmatum ſuorum reliquam partem publico donat.
Comes Magnus laudatur.
Iſbrandius laudatur.

Hamburgo Holmiam die 22. *Decembris Gregoriani* 1665.

N. [illegible] *ad* 39.

DIe XVI. Decembris Gregoriani, quâ ante annum commercium literarum mecum orſu es, & felici quidem ſidere, natalem, ut ſic dicam, hujus meæ felicitatis nuper ad aram amicitiæ lætus, imò ovans gratanſque celebravi. Hanc felicitatem diuturnam mihi fore, precor ex animo. Æquum cenſui hoc devoti animi mei teſtimonium ante omnia tibi præbere, ſimul autem gratulari Tibi liberale ocium, quo frueris rei publicæ pondere in humeros Illuſtriſſimi Iſbrandii devoluto. Cui, ut Vir iſte Præſtantiſſimus ferendo eſt, ita non dubito, eum impoſitam ſibi provinciam magnâ cum nominis ſui laude, maximâ verò cum patriæ utilitate adminiſtraturum & depoſiturum. Hoc ſincerum votum ut ei cum officioſa ſalute nomine meo deferas, majorem in modum rogo. Tibi autem, Humaniſſime Heinſi! opto, ut amplius egregiis ingenii monumentis orbem literarium illuſtres, & ut quamprimum otii tui negotioſi uberem fructum omnes referamus, nomenque tuum poſteritati feræ tàm cum laude tua, quàm cum noſtri grati animi teſtimonio commendemus. ‡Ita verò ut Tute diu incolumis videas liberalia Tua opera, plurimùm delectationis & utilitatis orbi erudito attuliſſe. Illuſtriſſimus quoquè Rautenſteinius (apud quem Te commendo aſſiduus, licet jam de meliore nota commendatum) plus pluſque appetit quietem & pinguis otii in ſeceſſu commodo dulcedinem, quod & poſtrema ejus epiſtola 14. Decembris Gregor. ſcripta loquitur. Hanc enim, & ſic etiam centuriam epiſtolarum annuam, finiens, Conventum Imperii longius prorogari non vult, ne hac ratione quietis ſuæ liberalia gaudia prorogentur. Clariſſimus Bullialdus literis XI. currentis menſis exaratis apertè teſtatur diſſenſum à Clariſſimo Rudbeckio de novo Cometa, aſſeritque idem quod Ampliſſimus Hevelius, ſtellam eſſe nebuloſam, addit autem ante 150. annos ab Aſtronomis fuiſſe obſervatam.

Heinſianæ communicationis annus præteriit.
Otium Sapienti convenit.
Iſbrandio Auctor benè precatur.
Heinſii eruditionem magni Auctor facit.
Poſteritas ſuum cuiquè decus rependit.
‡ Laborum fructus Viro literato gratus.
Rautenſteinius de re literaria benè mereri volet.
Bullialdus à Rudbeckio de novo Cometa diſſentit.
Stella nebuloſa in Andromeda.

 Scazon,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Auctor Scazontem Heinſii laudat, ſed ex eo immodicas laudes auferri petit.

December olim luxu effuſo transmittebatur.

Scazon, ut olim ille Martialis Apollinarem, ita Tuus Lubieniecium Tuum convenit, ut nuper indicavi, pede haud claudo, imò ſcandens amicitiæ theatrum feliciter decurrit, ſupremoſquè benevolentiæ meretur & conſecutus eſt honores. Egò tamen ut quæ mihi non conveniunt, auferas, per tuam æquitatem oro. Amici in Batavia Veſtra pro meo opere quamprimùm edendo ſudant, non hoc ſolùm menſe Decembri, quo quondam Roma maximè deſudabat & luxu diffluebat, ſed & aliàs ſemper. En Tibi autographum epiſtolæ de argumento Cometico, ad me ab affine meo Andrea Viſſovatio, Viro nobili & erudito ſcriptæ, ac operi inſerendæ. De qua judicium tuum cum autographo aliquando exſpectabo. Vale, ac me Tui amantem redama.

N. 51.

Hamburgo Holmiam Kal. Januariis Gregorian. Anni (quod felix fauſtumquè ſit!) 1666.

Novi anni votum.

Strena amica votum & benevolentia induſtria.

Heinſianam communicationem Auctor diligenter parat, ut quamprimùm fieri poſſit operi inſeratur.

Heinſianæ Communicationi Auctor quædam ſubjici cupit.

Heinſii ſententiam de Cometarum ſignificatione Auctor requirit.

NE ulla ex parte meo erga Te officio deſim, has literas primas do ad Te, novo anno Gregoriano hodie ineunte, quibus Tibi non hunc tantùm, ſed plures annos auſpicatiſſimos precor. Id candidi voti Strenæ vicæ Tibi offero, Tequè ſimul de mea perenni & officioſiſſima benevolentia certum eſſe jubeo. Hîc autem ſilentio præterire non poſſum, me in Tuis ad mentem Tuam ordinandis & deſcribendis dies noctesquè, quantum per alias occupationes licet, verſari, meaquè his aptare, quò cuncta quamprimùm in Hollandiam mitti & typis publicis exprimi poſſint, eo poſita loco, quem & tua ampliſſima dignitas undiquè elucens, & figurarum Rudbeckianarum (cujus commentarium à Tuis epiſtolis avellere nolui) numerus cæteris aptè annectendus poſtulat. Sed dum in Tuis juxtaquè meis componendis occupor, animadverto quædam, quæ eſſent communicationi illi noſtræ ſubjicienda, ſi quidem omnia decori & æquitati reſpondere deberent. Sunt autem aliquot numero: Tua ſcilicet ad Illuſtriſſimum Rautenſteinium epiſtola, quam Te ad eum ſcripturum eſſe, majus otium & ſcribendi argumentum nactus, menſe Julio promiſiſti. Tum Upſalienſium reſponſum ad meam epiſtolam; nec non ad quæſtionem quot diebus Cometa hyemalis horizontem apud eos ſubiens latuerit. Denique Tua & illorum de ſignificatione Cometarum ſententia. De his omnibus Vos mihi gratificaturos ſpero. Nunc ad publica venio. Pax Polonica dubia adhuc, imò magis magiſquè eſt. Videtur ibi incendium belli civilis non exſtinctum prorſus, ſed quodammodo tantùm reſtinctum, nec oppreſſum, ſed repreſſum, & nivibus, ut ſic dicam, tectum eſſe, mox reſumtis viribus vere ineunte reſurrecturum. At Deus meliora! Hæc tamen non tantùm optanda & ſperanda, ſed & operanda ſunt. Utinam verò non nunc tantùm, cum ſolemnia ſolemnibus ſuccedunt, vel aliàs, cum ſacræ recurrunt dies, ſed quotidie, ut Chriſti populum decet,

Auctor patriæ benè precâtur & conſultum it.

Feſtum agere Chriſtiani quotidie debent piè vivendo.

Omnia ſint operata Deo! - - - -

Chriſtianum orbem motus Hollandici & Polonici diſtrahunt.

Pacem juſtam omnibus precare.

Iſbrandius laudatur:

Upſalienſes Auctor apud Heinſium compellat.

Bellum Veſtrum contra Britannos, ut & novi Regis in patria mea electio, aliiſque de cauſis nata diſcordia, orbem Chriſtianum eheu! dividit. Meritò itaquè timendum eſt, ne bella ex bellis oriantur, & plura Chriſtianarum rerumpublicarum capita inter ſe collidantur. Ego Tecum cumque omnibus bonis (quos inter Illuſtriſſimum Rautenſteinium meritiſſimò poni adjuncta teſtabuntur) pacem æquam, honeſtam, fidam omnibus quidem gentibus, inprimis tamen meæ Tuæquè patriæ ſtrenæ loco his ipſis Kal. Januariis, ſed & alias ſemper, opto voveoquè. Illuſtriſſimi Iſbrandii nequaquam obliviſcor, quin imò illi quoquè tot virtutibus animiquè dotibus & meritis præcellentiſſimo Viro, proſperrima quæquè precor, & officioſiſſimam ſalutem adſcribo. Nec Upſalienſium obliviſcor hic, quamvis illi mei videantur obliti. Tu, Amiciſſime Heinſi, quî

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quâ es dexteritate & humanitate, deſiderium, quo teneor reſponſi eorum, refricabis illis rationibus non levis ponderis in medium allatis. Vale benè, diu & proſperè.

Holmiâ Hamburgum die 6. 16. Decembris 1665.

N. 40. ad 47.

SI ex eventu metiris ſtudia illa, quibus res tuas foveo, malè mecum agetur profectò. Adeò mihi ex voto meo aut tuâ ſententiâ nihil horum procedit hactenus. Sed hæc tu, ut par eſt, æquo feres animo.

Miræ & atroces tragœdiæ in hac Europæa ſcæna anno proximo, quantum apparet, exhibebuntur: niſi provideat & omina funeſta in melius convertat Clementiſſimus Deus. Non deeſſe Viros Principes, qui inſigni injuriâ à Fœderatis Belgis ſeſe adfectos concredi velint, non me fugit, cum ipſi ſint immane quantum injurii. Agnoſcent illi fortaſſis plus amicorum nobis in rerum natura ſupereſſe, quàm rebus ſuis conducat. Quæ in epiſtolis & carmine adverſum Britannos à me dicta ſunt paullò acerbius, non eſt quòd te offendant. Ab hoſte enim in hoſtes dicuntur, nec quicquam à me obſtat, quominus legantur iſta publicè: cum & in poëmatis meis genti inimicæ non pepercerim. Vale & feliciter rem gere.

Eventus non ſemper vel reſpondet ſtudio, vel menſura ejus eſſe poteſt.

Heinſii prudens judicium de inſtantibus Europæis motibus.

Hollandorum hoſtes & amici.

Heinſii ſtilus hoſtili Anglorum animo ad acerbitatem concitus.

Hamburgo Holmiam die 5. Januarii Gregor. 1666.

N. 52. ad 40.

EGo verò, Amiciſſime Heinſi, nequaquam ſtudium erga me Tuum ex eventu metior. Hoc enim ſincerum eſſe, & per omnia exſpectationi meæ, eventum verò non ſemper tàm Tuis conatibus, quàm meis votis, reſpondere, novi. Inſignis profectò & eximia eſt Tua erga me benevolentia, quæ à ſucceſſu rerum non pendet, nec ex eo unquam à me æſtimabitur. Itaquè certò perſuaſus eſto nec ullus dubita, me ita erga Te eſſe animatum, ut nihil fidei conſtanti & ſinceræ Tuæ amicitiæ apud me decedat, etſi ea præſtare nequeas, quæ votis & rebus conveniunt meis. Fidem promiſſi & officii non eventum, nec multo minus culpam alienam præſtare in colenda amicitia & vita honeſtè degendâ tenemur. Quis verò præſtabit vel damna, quæ turbatis patriæ utriuſquè noſtrûm ſubivimus, vel pericula, quæ toti ferè orbi Chriſtiano ingruunt? Nam quod nuper dixi, utriuſque noſtrûm patriæ res belli procellâ commotas orbem Chriſtianum dividere, hoc magis magiſquè, proh dolor! confirmatur. Gliſcunt diverſorum, imo adverſorum ſtudiorum ſcintillæ, quæ niſi mox exſtinguantur, verè ineunte in apertum belli omnium graviſſimi erumpent incendium. Hoc à ſtella crinita excitari dicere velle, nimis Aſtrologicum, & magis Chaldaicum quàm Chriſtianum eſt. Quid enim imperii aſtris vel Cometis in mentes humanas conceſſum eſt? Et quot, quæſo, bella, longè omnium crudeliſſima, abſquè Cometis in orbe, noſtrâ quoquè ætate, viſa ſunt! Quòd ſi, ut fieri neceſſe eſt & ſolet, pax ſuccedat, hæc quoquè paritèr ad ſidus Cometes referenda erit. Ac proinde ego meam de Cometarum ſignificatione indifferenti ſententiam conſtanter tueor. Nempe igitur nunquam orbis bello, niſi humanum genus ſtudio bellorum & cupiditatibus, quæ illud accendunt, arderet. Tu qua potes, incendium hoc commune, quod metuimus, opprime. Mihi nil niſi vota ſuperſunt, & ſola optandi & quæ ad pacem ſunt apud amicos ſuadendi gloria relicta eſt. Hoc enim bonis Viris non tantùm licere, ſed & convenire, credo.

Non aliter Sociûm virtus coït omnis in unum.

Non aliam Rautenſteinianam eſſe mentem, etiam quod ad Veſtras res attinet, certus eſto, & Vale felicitèr.

Eventus non ſemper vel reſpondet ſtudio, vel menſura ejus eſſe poteſt.

** Benevolentiam conſtantem erga amicum ſerva.*

Promiſſa imple.

Officii diligens eſto.

Innocentiâ te ſolare

Chriſtianum orbem motus Polonici & Hollandici diſtrahunt.

Cometæ non excitant bella.

Aſtra non imperant.

Cometarum ſignificatio indifferens.

Cupiditates bellorum cauſæ.

Pacis ſtudium omnibus bonis curæ eſto.

Rautenſteinius rebus Hollandorum benè cupit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 41. ad 48.

Holmiâ Hamburgum die 13. *Decembris Juliani* 1665.

Schefferus nil nomine Rudbeckii promittit. — *Rudbeckianam Commentationem Cometicam ad Hevelium mitti Heinſius permittit.* — *Dandilæus Pomponius Orator Gallicus in Sueciam.* — *Regina Sueciæ vidua de vita periclitatur.* — **Monaſterienſis Epiſcopus ſibi non deeſt.*

HAbui à Clariſſimo Scheffero epiſtolam. Ait preces meas ac deſideria cum Rudbeckio ſe communicaſſe. Nil pollicetur tamen aut ſuo, aut alieno nomine, memor haud dubiè, quantum laboris nuper exantlandum ſibi fuerit, ut diſſertationem ſuper re Cometica ab Amico ſuo nobis impetraret. Ampliſſimus Hevelius literas meas accepit. Quominus ad illum Rudbeckii diſſertatio epiſtolica mittatur, nil obſtare cenſeo. Sed niſi demonſtrationes adſint, parum ex nuda epiſtola adſequetur. Profectionem quam Illuſtriſſimus Regni Cancellarius moliebatur in Weſtrogothiam, diſtuliſſe nunc is dicitur: cum eâ occupationum prematur mole, quæ Heroëm feriari aut res privatas curare non ſinat. Ajunt mox Oratorem à Rege Chriſtianiſſimo nobis adfuturum, qui arma Suecica partibus Gallicis ex lege fœderum addicat, Arnaldum Dandilæum Pomponium, Virum multis inſtructum virtutibus. Sed Britannicus Miniſter omnem movet lapidem, ut hanc procellam ab herili capite amoliatur. Quorſum iſthæc evaſura ſint, propediem puto videbimus. Regina Mater morbillis laborat, non ſine vitæ diſcrimine. Melius tamen nunc illa ſe habet. *Monaſterienſis Præſul opem Suecicam clandeſtinis artibus captare creditur, tum ſcripſiſſe ad Regem Chriſtianiſſimum, velle ſeſe omnem illi quæ cum Fœderatis ſibi intercedat Belgis controverſiam, dijudicandam permittere. Sed metuo, ne ſerus intempeſtivæ pacis agitet conſilia, poſt damnum haud contemnendum nobis illatum. Quæ Tu poſtremis Tuis perſcripſiſti, habuimus ego & Illuſtriſſimus Iſbrandius acceptiſſima. Illuſtriſſimo Rautenſteinio ſalutem.

N. 53. ad 41.

Hamburgo Holmiam 8. *Januarii Greg.* 1666.

Æquus ſemper eſto. — *Amici defectus apud te ipſum excuſa.* — *Rudbeckianam commentationem brevi ſe Auctor Hevelio miſſurum eſſe promittit.* — *Publicis utilitatibus ſtude.* — *Dole malo alieno.* — *Reginæ Sueciæ Viduæ laus.* — *Dandilæi laus.* — *Pax inter Anglos & Hollandos Chriſtiano orbi pernéceſſaria.*

ÆQuo animo ferenda, quæ votis noſtris adverſa ſunt. Non diſſimulo tædium, quod in animo meo excitat tàm pertinax & obſirmatum Clariſſimi Rudbeckii ſilentium, quod Schefferiana prompta opera & votis noſtris facilis expugnare conatur. Sed facilè excuſationem æquam apud memet invenio, neminem alienas rationes & occupationes quovis tempore & ſolidè noſſe. Quæ res me monet, ne amicorum ſilentio, licet modeſto, offendar vel ſuccenſeam. Rudbeckianam diſſertationem brevi me Ampliſſimo Hevelio miſſurum eſſe ſpero: quamprimum ſcilicet Amicus apographum ejus in Bataviam Veſtram perferat, ne tàm hoc quàm autographum caſibus itinerum & turbulentorum temporum objiciam. Demonſtrationes verò jam tunc menſe Novembri in Bataviam miſi, quod noſti. Quamprimum autem hæ erunt impreſſæ æri & chartæ, libenter meritoquè eas votis Hevelianis gratificabor. Nullus enim dubito eas ipſi in re Cometica illuſtranda uſui fore. Quæ mecum de rebus publicis communicaſti, grato animo excepi, licet pleraque ingrata. Doleo de morbo, eoquè periculoſo, Reginæ, quam & naturæ & animi & fortunæ bonitas omnibus commendat, avertat Deus, ne illa numerum eorum, quibus à viſis Cometis contigit vel continget fato fungi, augeat: quod multos vereri accepi. Accepi pariter Arnaldum Dandilæum Pomponium, Virum dignitate, morum gravitate & prudentiâ præſtantiſſimum, à Rege Chriſtianiſſimo ad Aulam Suecicam ablegatum eſſe. Cujus adventum brevi hîc exſpectamus. Utinam ille felix ad vos pervolet, & quæ ad reſtaurandam pacem faciunt, ſecum ferat! Vides enim, Optime Heinſi, me certius, ab hac orbis Chriſtiani propè univerſi pendere quietem. Ideò hanc Tibi præ ſtudiis bellicis, quæ etiam ſtudiis Tuis & aliorum humanioribus repugnant, cordi & curæ fore, certus credo, ſi rectè Te novi. Idem ſtudii & voti mei cum plurima ſalute Illuſtriſſimo Iſbrandio nunciabis. Ego apud Illuſtriſſimum Rautenſteinium memor Tui ſum; ſed ille me quoquè tacente memor Tui eſt. Facilè credo, & vel per meipſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

meipſum conjicio, Illuſtriſſimi Comitis & Cancellarii Magni præſentiam Aulæ illi perneceſſariam eſſe. Tanti enim Viri auctoritas & prudentia ac dexteritas hoc rerum ſtatu plurimum ibi poterit. Res patriæ meæ nihilò ſunt, quàm nuper, meliores. Undiquè ſcribitur pacem nuperam fluxam eſſe, mutuis ſimultatibus laborari, bellum parari, & alia, quæ mihi magnum dolorem ſemper afferunt, quoties afferuntur. Nam & pietas erga patriam, & benevolentia erga omnes, & inſtituti mei ratio me aſſiduò permovet, ut pax ubiquè firma & læta Cometas excipiat. Vale, amicum pectus, diu & proſperè age.

Comes Magnus laudatur. *Polonicæ res manent dubiæ.* *Pius in patriam eſto.* *Benevolus erga omnes.*

Holmiâ Hamburgum die $\frac{19}{29}$. Decembris 1665.

N. 42. *ad* 49.

SEnatus regni de rebus proferendis ob incumbentes dies feſtos cogitat, & Dn. Iſbrandius diſceſſum ad ſuos meditatur. Sed Senatus perendie, ni fallor, feriari incipiet: Dominus Iſbrandius, dum vaſa colliguntur, dies fortaſſis decem & plures in hac civitate etiamnum morabitur, nec exſpectaturus tamen, ut præ ſe fert, adventum Oratoris Gallici: cum judicet, quicquid ſibi peragendum cum Suecis reſtet, in Fœderatis Belgiis quàm hîc terrarum confici opportunius omninò poſſe. Regina Mater proximis diebus in præſentiſſimo vitæ diſcrimine verſata, nunc periculum omne creditur evaſiſſe, optimè ſperantibus Medicis, quantum apparet. Anteambulo nonnemo Legationis Ruſſicæ tamdiu exſpectatæ huc advenit, & Regem die heſterno eſt veneratus. Spem præterea non modicam facit, inter Herum ſuum & Suecorum Regem concordiam fore ſtabilem de futuro. Publicis negotiis quod addam, nihil nunc eſt in promtu. In Scazonte mutabo, quæ mutanda cenſes, ut ea conſequaris proximè. Nunc enim ne poſſim, excuſant me, ſi aliàs unquam occupationes. Scito interim, exoſculari me libertatem iſtàm Tuam: cum nihil æquè oderim ac inviſum habeam, quàm fucatas amicitias. Vale & plura propediem exſpecta.

Iſbrandius abitum Holmiâ molitur. *Regina Sueciæ Vidua melius habet.* *Moſcus per internuncium Sueco pacem promittit.* *Heinſius in Auctorem officioſus.* *Libertatem amici exoſculare.* *Amicitias fucatas odio proſequere.*

Hamburgo Holmiam die $\frac{5}{15}$. Januarii 1666.

N. 54. *ad* 42.

NUllam literam ad Te proximè dedi, quòd ſcribendi argumentum deeſſet. Nil enim ſcitu dignum ad manum erat. Nempe & hyeme pauciores nuncii ab Amicis, ut noſti, veniunt, & tabellarii ſæpè ſolito tardius accedunt. Vides itaquè quàm ſteriles & nunc avenas ad Te mittam. Sed cuncta æquo animo ferenda ſunt, quæ fert dies. Illuſtriſſimi Iſbrandii adventus in hanc urbem mihi longè gratiſſimus erit. Tu interim Viro Præclariſſimo me magis magiſquè commendabis benevolus &, quod rectè novi, officioſus. Nuncium de meliori Reginæ valetudine lubens accepi. Multis enim nominibus obſtrictus ſum defuncto Regi, ejus Marito glorioſiſſimæ recordationis magnis ab eo beneficiis, dum in Pomerania propè quinquennium agerem, affectus. Quanquam & aliàs & debito cultu lubens Principes proſequor, & proſperrima quæquè eis precari, officii duco. Ideò & pacem omnibus illis eorumquè populis & terris opto. Quod voti ſæpiùs nunc occaſione Strenarum repetii, quin & adhuc repeto. Spero autem Præſulis Monaſterienſis animum in pacem propenſum, Veſtræ parti non diſpliciturum, præſertim ſi Rex Chriſtianiſſimus auctoritate ſuâ bellum iſtud funeſtum componere ſtudeat, & vera ſint hæc quæ vides ab Amico ad me perſcripta. Accepi autem hodie ex Batavia Veſtra, in certas fœderis leges Sereniſſimum Brandenburgicum Electorem & Patriæ Tuæ Proceres ferè jam conveniſſe. Tu verò ſcripſiſti nuper Suecorum potentiam Gallicis & Monaſterienſibus votis ambiri. Hæc vis fœderum rem, ut ſpero, ad pacem trahet. Id cùm publicè optare cùm omnibus bonis debeam, tùm etiam privatim opto, ne communis ſententia de triſti Cometarum prognoſi patrocinium in bello exitiali quærat. Quanquam in aperto & confeſſo eſt, bella ſine Cometis geri, & fœderis pa-

Hyeme literarum commercia frigent. *Æquus & lætus ad omnia eſto.* *Lætare bonis alienis.* *Gratus & memor beneficii eſto.* *Principibus cultum debitum tribue & fauſta precare.* *Monaſterienſis Epiſcopus pacem ex voto quærit.* *Fœdus inter Brandenburgicum & Batavos pactum.* *Fœdera pacem præſtent.* *Cometis pax ſuccedat!* *Cometarum ſignificatio æqua.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Rautenſteinius conſentit Auctori de Cometis: Erga Heinſium conſtanter benevolus. Pax Suecos inter & Moſcos optanda: Utinam ubiquè floreat! Annus 1666. putatur fore mirabilis. Læta bonis triſtia ſunt malis.

eiſquè leges ab iis viſis ſcribi. Largior interim Cometas, ita malos terrere & bonis ſpem facere, ut omnes officii commoneant. Adſentit mihi, ut ſolet, Illuſtriſſ. Rautenſteinius in nuperrimis ſuis literis 7. Januarii datis, ex quibus en Tibi excerptum: *De Cometis, de Providentia, deque bonorum ac malorum præmiis & pœnis, video nos feliciter convenire, nec ſcio quid Generoſitatis Veſtræ egregiis ſententiis addam, quæ mentem meam plerumquè rectiùs explicant, quàm ego ipſe, & quæ innuere tantùm ſoleo, decorâ & eloquenti paraphraſi circumveſtiunt.* Addit autem & quæ Tibi ſimul dicenda ſunt. *Nobiliſſimo & Clariſſimo Domino Heinſio & aliis amicis ſalutem ſemper adſcribo, quoties Generoſitati Veſtræ ſcribo: ſive id verbis exprimam, ſeu non.* Quòd ille Moſchicæ Legationis præcurſor nuncium de Hero ſuo pacis cum Suecis conventæ leges ſervare cupiente, attulerit, itidem publicè & privatim gratulabundus gaudeo. Utinam toto orbe Pax alma refloreſcat & optima rebus facies reddatur anno hoc, qui demto millenarii capite, ſi conjecturis nonnullorum & vulgari Epochæ à natali Chriſti fidem damus, notabilem rerum mutationem ex parte minatur, ex parte pollicetur, ſacris oraculis proditum numerum 666. complectens. Sed ego hîc ſola læta omina mente agito: niſi quòd hæc improbis triſtia ſint oportet. Quòd adeò æquus & facilis de mutando *Scazonte* mihi gratificeris, eſt quo nomine ampliſſimas gratias Tibi agam: tùm verò etiam, quòd meam libertatem adeò gratam habueris. Vale diu & feliciter.

N. 55. *Hamburgo Holmiam die 22. Januarii Gregor. 1666.*

Literæ amici breves grato animo excipiendæ. Pax Batavos inter & Monaſterienſes & ubiquè terrarum eſt optanda. Publicas utilitates promove. Heinſianis meritis debitum teſtimonium datur.

SÆpè accidit, ut variis laboribus gravatus breviſſimas ad Te literas manu feſtinante dare neceſſe habeam. Id nuper quoquè eveniſſe memini: quod Tu pro Tua ſingulari humanitate excuſabis. Sed nequè nunc cum cura factam, quam multæ occupationes non admittunt, vel verboſam epiſtolam exſpectes. Licet enim utcunquè otium, at non argumentum ſcribendi ſuppetit. Spem pacis in Weſtphalia componendæ, Auguſto Cæſare & Rege Chriſtianiſſimo auctoritatem Conciliatorum & Arbitrorum interponentibus, affulgere, lucis inſtar optatæ in mediis belli tenebris, publicè privatimquè gaudeo. Noſti enim me optare ex animo, ut nuperis Cometis proſpera quæquè in orbe ſuccedant. Huc & Te omnes cogitationes & curas conferre, & in id toto pectore, patriæ Tuæ cumprimis dulciſſimæ ſtudio, incumbere, benè novi. Quo nomine gratulatur Tibi Illuſtriſſimus Rautenſteinius, & unà debitum meritis Tuis teſtimonium apud me præbet. Ita enim in literis die 14. hujus menſis datis ſcribit: *Ut Heinſiano carmine opus Generoſitatis Veſtræ exornetur, opto. Omninò enim ille felix Poëta eſt, & Patris veſtigia premit. Itaquè dolendum, quòd vivere non poſſit ſibi & genio ſuo. In hoc tamen felix, quòd in publico. Ubi patriæ melius ſervire poteſt, quàm ſi novam Iliada conderet, aut Theocritum ſuperare conetur.* Hæc ille. Hæc & ego: niſi unum hoc faciam, ut Illuſtriſſimo Iſbrandio ſolemnem ſalutem adſcribam, quîcum adjunctum Eleutheri Authophili de ſtatu Orbis Chriſtiani Scriptum, liberum & cordatum, nuperrimè factum, communicare haud negliges. Vale & me conſtanter ama.

N. 43. ad 50. & 51. *Holmiâ Hamburgum die 3. Januarii Juliani 1666.*

Balbitzkius Orator Suecicus ad Cæſarem.

PRoximè nil ſcripſi, quòd nil fuerit ſcriptione dignum. Nunc quoquè nil ſcripſiſſem, immane quantum diſtractus occupationibus privatis, niſi putaſſem intereſſe tua, ut haberes aliquid literarum à me. Regina mater paulatim convaleſcit. Balbitzkius propediem Legatus ad Aulam Cæſaream hinc diſcedet. Valetudo mea loco eſt ſatis commodo. Tu quoquè Vale, & mei memor vive. Chriſtianum Hugenium compellavi proximè, & tui mentionem honorificam feci. Annum hunc fortunatum Tibi ac Tuis voveo.

Ham-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Holmiam die 16/26. *Januarii* 1666. *N.* 56. *ad* 43.

HAud miror Te, cui non tantùm privatorum, ſed & publicorum negotiorum cura incumbit, nil tunc literarum ad me dediſſe. Novi enim omni homini rectâ ratione prædito eaque utenti, diligentem temporis rationem habendam eſſe. Nempe *ad quærenda naturæ arcana natus, æſtimare debet, quàm non multum acceperit temporis, etiamſi illud totum ſibi vindicet: cui licet nihil facilitate eripi, nihil negligentiâ patiatur excidere, licet horas ſuas avariſſimè ſervet, & uſquè in ultimæ ætatis humanæ terminos procedat, nec quicquam illi ex eo quod natura conſtituit, fortuna concutiat, tamen, homo ad immortalium cognitionem nimis mortalis eſt*, docente Senecâ l. de vita beata c 32. ſive potiùs de otio & ſeceſſu ſapientis. Qui an ad Rempublicam accedere, vel otium curis publicis præferre debeat, ibidem, ut noſti, diſputat. Tu quidem, mi Heinſi, acceſſiſti ad Rempublicam, nec tantùm minori illi, cui Te adſcripſit conditio naſcendi, ſed & majori & verè publicæ, quâ omnia continentur, in qua non ad hunc angulum reſpicimus, aut ad illum, ſed terminos civitatis noſtræ cum Sole metimur, das operam. Hoc in quibuſdam laudare Senecam meminiſti. Tu autem utriuſquè Reipublicæ ſtudium & actioni contemplationem feliciter conjunxiſſe mihi videris, raro ſanè hac tempeſtate exemplo. Noſti tamen quid ex corruptione Rerumpublicarum, quarum nulla ſapientem; aut nullam ſapiens pati poſſit, de otio neceſſario concludat Togatorum ille Sapientiſſimus. Cui ego talia decernere in expedito, utpote opibus abundanti & ſub Nerone viventi, fuiſſe judico. Sed nec miror nec ægrè fero, ſi fortè illi placita Stoicæ Sectæ dura, blandæ Chriſtianæ inſtitutioni non aptanti μισανθρωπίας Timoneæ ſpecies arriſerit. Tantò verò juſtius hac animi moderatione utor, quòd & ipſe otium Sapienti convenire credam, ſed tale in quo & majori illi Reipublicæ, tot & tantorum Dei operum teſtis laudumquè buccinator, & minori, ſi quæ fortè ejus conſilio & operâ togatâ uti aliquando velit, & minimæ, quàm ex ſui ſimilibus invenire vel facere debet, deſerviat. Hac arte, non tantùm ſecundum naturam & rationem, quod urſit Seneca, ſed & ſecundùm legem divinam, quam Chriſtus docuit, & voluptati, & contemplationi, & actioni ſimul vacabit. Atquè in eo totius beatitudinis, præſentis ſcilicet & futuræ apex ſitus eſt. Ad hunc per gradus pietatis ſcandendum eſt. Hîc nil niſi ſtudia & vota addenda ſunt. Excuſa, Humaniſſime Heinſi, parrheſiam meam publicarum & privatarum utilitatum ſtudioſam. Noſti hujus, noſti & amicitiæ ac humanitatis jura. Quanquam & utriuſquè noſtrûm patriæ geminum diſcrimen hanc vocem vel invito extorquere poſſet. Nam utraquè ingenti diſcrimine, proh dolor! & laborat & à ſe ſeparatæ ſunt. In diſcrimen propinquum utramque adductam eſſe, res ipſa loquitur. Nec illud aquilarum in aëre haud ſurdum diſcrimen, quod ad Dantiſcum die 6. Januarii factum ab Amicis haud ſurdis veritatis nobis perſcribitur, idquè inſolens & iniquum, fœminâ marem necante, victore & victo in aquam incidente, & in poteſtatem ſpectatoris veniente, boni quid meæ patriæ portendere videtur, fidem metui ſimili viſo anni 1655. conciliante. At verò mea patria (quod cum pudore & dolore dicere cogor) bonis, ipſique virtuti inimica, Tua contrà amica eſt. Illa pellit, hæc recipit probos. Ibi non ſecus ac Athenis indicante ibidem Senecâ, *Socrates damnatur, Ariſtoteles ne damnaretur, fugit, opprimit invidia virtutes*, vel Carthagine, *aſſidua ſeditio, optimo cuiquè infeſta libertas eſt, ſumma æqui ac boni vilitas, etiam adverſus ſuos hoſtilitas*. Hîc verò virtutis & libertatis domicilium paratum. Sunt tamen alia quæ atrocis belli tempeſtatem contra patriam Tuam exciverunt. Utinam utriuſquè noſtrûm patria maximo illo diſcrimine ex toto liberetur, & utrobiquè juſtitia, libertas, tùm pax & omnis proſperitas vigeat, floreatquè! Crede me hoc ex animo optare & precari, nec alia fini hæc & id genus alia, quæ malorum, ut cauſſas, ita & remedia monſtrant, ad Te alioſquè Amicos ſcribere. Atquè hoc etiam

Temporis rationem habe:

Hoc breve homini ad rerum naturalium ſcientiam inveſtigandam datum.

Sapiens an Rempublicam tractare, vel otium & quale quærere debeat.

Contemplationi actio adjungenda.

Corruptio Rerumpublicarum nec tolerare ſapientem, nec tolerari ab eo poteſt.

Sapiens Reipublicæ majori, minori & minimæ inſerviat, licet in otio vivat.

Sapientia Chriſtiana præſtat Philoſophicæ.

Beatitudinis apex in otio, negotio & voluptate honeſta.

Aquilarum certamen 1655. & 1666. ad Dantiſcum Poloniæ ominoſum.

Poloniæ & Hollandiæ comparatio.

Bataviæ laus.

Polonia recti & æqui contemtrix:

Huic Auctor meliorem mentem & fortunam precatur.

Bataviæ Auctor optimè cupit, publicæquè rei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Vitia ſunt cauſſæ malorum non Cometæ: & illa quidem in immenſum excreverunt.
** Cometa auctumno & hyeme nullus ex Hevelii mente apparuit.*

etiam erit ut neceſſarii mei ſeceſſus, ita & ſtudii in patriam & publicas utilitates perenne monumentum. Vitia, vitia monſtranda ſunt hominibus, ut tot malorum cauſſæ. Hæc ſunt horrenda monſtra, triſtia portenta & terrifici Cometæ. Nullus enim horum modus, nulla eorum ratio vel enumerandi, vel avertendi & averruncandi iniri poteſt. Sed & Cometarum catalogum Rudbeckius auctumnali, fama hyemali auxit. *De illo ſententiam Hevelii noſti: de iſto accipe, quam hodie per Pelſium noſtrum accepi, non videri Cometam, ſed ſtellam obſcuram & tenebroſam, quæ ſidereorum arcanorum ignaris illudat. Hîc tamen & Viennæ fama tempus & locum certum Cometæ novo aſſignare non veretur, horâ quintâ matutinâ in plaga cæli Orientali fulgere eum vulgans. An aliquid certi iſti rumori ſubſit, non habeo dicere. Nihil enim de hoc à quopiam Viro artis perito & fidei pleno accepi. Quòd vota mea apud Chriſtianum Hugenium, qui necdum mihi reſcripſit, promovere ſatagas, eſt quo nomine mihi gratuler, Tibi gratias agam. Feci & ego honorificam Tui, Scazontis Tui occaſione, mentionem apud Illuſtriſſimum Rautenſteinium & Clariſſimum Gruterum, qui quæ mutuò ad ſe de Te ſcripſerint, adjecta apographa docent. Quæ libenter operi insererem meo, niſi duo illi Amiciſſimi Viri in eo æſtimando ſimul affectui indulſiſſent. Vale & me conſtanter redama.

N. 44. ad 25.

Holmiâ Hamburgum die 20. Januarii Gregoriani 1666.

Heinſius poëmatum ſuorum editionem promovet.
Otium cum negotio junge.

SEpoſitis per haſce ferias curis publicis, & ad privata totus cogitatione converſus, furatus ſum nonnihil temporis, quod ſtudiis bonarum artium, & maximè editioni poëmatum meorum promovendæ darem. Revocor tamen nunc ad piſtrinum negotiorum publicorum, quanquam invitus, dum in eo ſunt Proceres Sueci, ut reditum ad nos ſuum remoliantur. Poëmatum meorum ultimas pagellas mitto hodie ad typographum. Reſtant præfationes una atquè altera, quæ in proximum Mercurii diem pertexi poſſunt. Ludicra hæc ſunt tantùm, fateor, & tamen ne tantillis quidem rebus vacare ſatis integrum eſt mihi. Quod ſi motus Britannicos ſuperventuros prævidiſſem, nunquam tàm turbatâ tempeſtate huic cogitationi tàm alienæ curis publicis animum applicuiſſem. Nunc jacta alea eſt, & mihi exedundum, quod intrivi. Datis ad Clariſſimum Schefferum non ita pridem literis, de amico communi ſuper promiſſis conveniendo nonnihil addidi, ad quæ cum ſileat hactenus homo officioſus, facilè intelligis, rem illi ac nobis eſſe cum Viro cunctabundo & alibi occupato. Clariſſimi Rudbeckii epiſtolam Ampliſſimo Hevelio mitti nil prohibet, ut jam ſignificavi; Tu tamen Vide, ſi quod lumen inde poſſit capi, cum demonſtratæ per figuras epiſtolæ non accedant. Venio ad Scazontem. Metatorem aſtrorum non minori jure te dici à me poſſe ſum opinatus, quàm id ipſum vocabulum in Faſtis Naſo ſibi arrogavit;

Schefferus officioſus.

Rudbeckius cunctabundus.

Heinſius Scazontis ſui quædam explicat & reformat.

Nos quoquè ſub Ducibus cælum metabimur illis.

Nihil quippe in toto opere Mathematicum ibi occurrit præter ortus & occaſus ſtellarum deſcriptos. Apud Ariſtophanem homo nihil minus quàm Mathematicus de ſe ipſo,

Γεωμετρῆσαι βούλομαι τὸν ἀέρα
(Metiri volo aërem)

Metari pro eligere.

Caper de differentiis vocum: *Metor metaris, eligo: metior metiris, menſuro.* Servius *metari* etiam pro *eligere* capit ad illa Maronis in Georgicis: *ſeu pinguis agros metabere campi.* Solent tamen utrumquè verbum Scriptores haud rarò confundere. At in meo carmine, ſi fors magis arrideat, repone *Rimator* pro *Metator.*

Siderum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Syderum interpres non tantùm Mathematicus, ſed etiam Phyſicus ac Philo-
ſophus quicunquè, qui de meteoris ac Cometis diſputat ac diſquirit, poteſt, ni
fallor, appellari. Itaquè hîc Tibi non accedo, nec tuis laudibus præter rem plus
æquo quicquam à me eſt datum. Andreæ Viſſovatii epiſtolam diligenter per-
legi, & multam ſolidamque hominis eruditionem in illa ſuſpexi. Ariſtoteli,
ut video, infenſiorem ſe paullò præbet. Quem ut ego negare nolim, erroribus quan-
doque obnoxium fuiſſe, ita perſuaſum habeo, ut credam haud pauca illi perperam
affingi; cum ab imperitis interpretibus, tùm à librariis, feſtinâ ſcriptione atque in-
conſultâ peccantibus. Superiori ſæculo quantos applauſus Philoſophia Ramea con-
ſequebatur! nunc κεῖται Πάτροκλος. Idem fortaſſe fatum Carteſianam maneat; cum
Ariſtoteles interea jam per bis mille annos & legatur & placeat. Sed hæc pro
familiaritate noſtra liberius. Memini philoſophum nominis celeberrimi olim
in hac Aula jactabundum præ ſe tuliſſe, ſi vita ſibi in centeſimum ætatis an-
num prorogaretur, fore, ut quicquid Ariſtotelis ſcriptorum ad nos pervenit,
convelleret à capite ad calcem & refutaret. Ambitioſè atque arroganter hæc
tunc dici videbantur mihi, fateor: ac multò minoris hominem, cætera præ-
ſtantiſſimum, ex illo, quàm ſolebam ante, feci. Verùm charta deficit, & ego
ſcribendo jam ſum laſſus. Novi hujus anni auſpicia tibi toto animo & Illuſtriſ-
ſimo Rautenſteinio fortunata precor.

Siderum interpres dicitur non ſolus Mathematicus, ſed & Phyſicus & Philoſophus quicunque.

Ariſtoteles alicubi erravit, quandoque interpretum vel librariorum vitio.

Jacet Patroclus, jacet Ramus, jacent alia.

** Philoſophorum diſſidia exeunt in odia, eaque capitalia.*

† Arrogantia minuit fidem, auctoritatem, & benevolentiam.

Hamburgo Holmiam poſtrid. Kal. Febr. Gregor. 1666. *N. 57. ad 44.*

PErgratum mihi, quia publico utile eſt, Te tantum temporis publicis ſuf-
furari, ut Tuâ propria voce utar, negotiis potuiſſe, ut poëmata Tua ab-
ſolveres, & publicæ luci dares. Nam quæ antea dederas, ſingulare quid etiam-
nùm de Te orbi erudito pollicentur, hâc præſertim Tua maturiori ætate, niſi
quòd ſimul tot curis publicis diſtracta. Gratulor Tibi hoc otium & feliciter
confectum negocium. Tenemur magno deſiderio tuorum, quicunque ea pro-
ditura novimus. Videbis id aliquando ex literis Illuſtriſſimi Rautenſteinii &
Clariſſimi Gruteri, quorum in hanc rem judicia proximè Tibi miſi, Illum enim
cras, Deo volente, hunc hodie hâc de re monebo. Velim nos aliquid reſpon-
ſi Humaniſſimi Schefferi operâ extundere ab Upſalienſibus poſſe. Id ni faciant,
relinquendi erunt genii ſui libertati, quam nulli invideo, meâ contentus, eam-
que, quà datur, explicans. Conſtat verò mihi, illîc quoque, facti ratio. Am-
pliſſimi Hevelii Prodromum, unà cum Kirſteniano Cometa, argumentum hoc
perdifficile vinculis Poëticis doctè & ingenioſè adſtringente, & laudes Heve-
lianas (cui id ſcripſi, Vir ille Eximius, per me Tibi jam notus, dedicavit) fe-
rente, per proximum tabellarium Suecicum, dono Tibi mittam. Utrumque
ut grato animo accipias, rogo. Ibi videbis & eſſe & dici ſcrutatorem & meta-
torem altum ſiderum Magnum Hevelium. Hoc enim elogio Vir ſcientiâ Ma-
thematicâ Excellentiſſimus à Kirſtenio idoneo judice ornatur. Ac talem ſe
ipſemet in illo opere monſtrat, in quo quæ vides correcta, ejus candori &
humanitati debeo. Ego verò, qui, ut ille ait,

Heinſiana edita placent, edenda exſpectantur cum deſiderio.

Otium cum negotio junge.

Libertati ſuæ quiſque relinquendus.

Libertatem per campos virtutum explica.

Kirſtenii Cometa & laus.

Hevelius Scrutator & metator ſiderum.

- - - - - - - Motus
Aſtrorum ignoro - - - - Juven. Sat. 3.

Auctor ſe Mathematicum non eſſe fatetur,

quâ ratione in cenſum hunc venire queam, Tu ipſe videris, qui laudes mihi
tributas doctè quidem, verùm tamen amicitiæ & affectui indulgens, defen-
dis. Ego tenuitatis meæ, quod ex animo dico, conſcius, optem eas tolli, fal-
tem minui poſſe. Solus Rautenſteinius Scazontem illum Tuum vidit: cum
illo enim, ut mecum ipſo loquor. Ille mihi alter ego. Aliis amicis, quamvis
etiam bonæ notæ, ejus videndi, antequam à Te ipſo meo rogatu reformare-
tur, copiam me negare debuiſſe, credidi. Atquè id etiam feci. Viſſovatii epi-
ſtolam tantoperè Tibi placuiſſe, gaudeo. Eſt enim Vir ille omnibus vinculis

Debitæ modeſtiæ memor.

Rautenſteinius Auctori amiciſſimus.

Viſſovatius Auctori conjunctiſſimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ab Ariſtotelicis dogmatibus alienus.
a) Veritatis cura prima omnium ſit tibi,
b) Libertate fruere.
c) Dictatoria inſtitutio à republica literaria abſit.
d) Chriſti ſolius præcepta jurata fide tenenda.
e) Viciſſitudo rerum perpetua.
f) Metam fatalem omnia appetunt.
g) Cometis & abſentibus & præſentibus omnia tendunt ad quietem.
h) Cometa ignorat humana, officii tamen admonet,
i) Malus genius non eſt, ſecus quam Auctori anonymo viſum.
k) Cometæ motus ad angelum bonum potius referendus.
l) Angeli boni poſſunt malis infligere pœnas.
m) Dei bonitatem & ſeveritatem cogita.
n) Solis lumen concurrit ad caudam Cometæ efficiendam.
o) Cometa non eſt diabolus.
p) Solis maculæ lucente Cometa non apparent.
q) Cometam ex eructatione Solis generari vero ſimile eſt.
† Cometographiæ Hevelianæ arcana quædam enumerantur.

amicitiæ mihi jam olim conjunctiſſimus. Ita eſt, cum alienum eſſe à placitis Ariſtotelicis, quatenus ſcilicet hæc à veritate. *a* Atque hæc nobis ante omnia cara ſit oportet, *b* qui libertate à Deo conceſſâ uti & frui debemus, *c* omnem dictatoriam inſtitutionem fugientes, & in nullius magiſtri (*d* ſolo Chriſto in rebus fidei excepto) verba jurantes, addictumque ſervitium nulli præſtantes. Sed fateor Philoſophicam quoque rem, ut omnes alias, ſuas habere periodos, *e* Omnia erunt in orbem, ſumma imis, & hæc illis ſuccedunt: *f* cunctaque ad fatalem tendunt cito pede metam. Hanc, ut ad alia deveniam, die xx. hujus menſis, quâ Tu Tuas poſtremas ad me dabas, attigit Anna Maria Auſtriaca, Regis Chriſtianiſſimi Mater, etſi ante 4. menſes magnum illum climactericum, in quo ſolo ſeptenarii & novenarii concurrunt, permultis fatalem ſuperârit. *g* Ita omnia, homines quoque, & inter hos Principes, properant ad quietem, ſive præceſſerit, ſive ſucceſſerit Cometes. *h* Is noſtra nec ſcit, nec curat, ſed tamen, ut illuſtre cæli phœnomenon, officii quemque admonet. Etſi verò mala eum comitentur, & neſcius non ſim dari malos ſpiritus, *i* genios, Angelos, Cometam tamen malum genium eſſe, vel à malo genio regi, cum nupero Auctore Anonymo, ab Norico, ut ſuſpicor, non dixero. Hoc enim eſt terrorem & horrorem animis hominum incutere eoſque conſternare. Quod divinis monitis, profanum hoc eſſe judicantibus, adverſatur. Adhæc mala ſæpè Cometas antecedunt, quin imò & ſine ulla eorum apparitione fiunt. Dari verò & bonos Spiritus, genios, Angelos, in aperto & confeſſo eſt. *k* Mallem itaque cum Joanne Damaſceno, Chriſtophoro Rothmanno, Franciſco Reſta & aliis, Cometarum motum à Planetarum & reliquarum ſtellarum motu diverſum, ad extraordinariam Dei diſpoſitionem & peculiare Angelorum miniſterium referre. *l* Tantò plus, quòd bonos Angelos poſſe malis meritas ferre pœnas, Sacræ literæ non obſcurè doceant. *m* Quæ etiam ita bonitatem divinam commendant, ut & ſeveritatem ſimul inculcent. *n* Ut taceam ipſo mentis & oculorum judicio conſtare Solis lumen ad formandam Cometæ caudam (quem ideò Auctor modò dictus *o* Draconem illum veterem, ſerpentem ignitum, lethifero ſuo toxico omnia infeſtantem Diabolum, vocat) concurrere. Quod, credo, Deus majeſtatis ſuæ & juris ſummi, præſertim è regione illius impuriſſimi & infenſiſſimi hoſtis, retinentiſſimus, fieri non pateretur. *p* Ne quid etiam dicam, lucentibus Cometis Solem ſine ullis maculis, *q* velut per eructationem illius materiæ Cometicæ purgatum, lucere. Quod non eſt leve ſententiæ Athanaſii Kircheri, quem aliàs Auctor ille laudibus ad ſidera tollit, tùm & noſtri Hevelii aliorumque idem aſſerentium, argumentum. Adde quòd Clariſſimus Hevelius generationem Cometæ Syſtemate Planetarum comprehendat. Ut ſatis Auctoris Anonymi objectiones occuparit, † etſi demùm in Cometographia procreatorum ex Solis & aliorum Planetarum effluviis Cometarum parentes, ut ſic dicam, producturus, nec non generationis finem, modum & motum Cometarum, incrementum & decrementum copioſè ſit explicaturus. Sed de his ſufficiant iſta Tibi, & pro jure familiaritatis noſtræ, & velut in tranſcurſu, dicta. Quæ tamen digna ſunt conſideratione, ſi vel ὡς πάρεργον (obiter) hæc Te ſcire velim. Itaque ſi illud ſcripti, cui titulus eſt, *Cometæ malus genius*, vidiſti, vel videre potes, velim mihi de eo judicium tuum paucis perſcribas. Illuſtriſſimo Iſbrandio ſalutem plurimùm meo nomine aſſiduus nuncia, etiam dum taceo. Idem officii Tibi ex compacto apud Illuſtriſſimum Rautenſteinium præſto. Vale longum & feliciter.

N. 58. *Hamburgo Holmiam die 9. Febr. Gregor.* 1666.

Auctor brevitatem epiſtolarum excuſat,

NIl literarum à Te proximè accepi. Ipſe verò breves ad Te dare neceſſe habeo. Omni enim animi & corporis conatu & niſu editio operis mei

mihi

mihi eſt promovenda, urgentibus undiquè hinc amicis, illinc typographis. Sed & pauca admodum ſcribenda in præſenti habeo. Omnia enim ubique manent in antiquo ſtatu, id eſt vel afflicto, vel periculoſo, vel dubio. Adeò plena ſunt ſimultatum, odiorum, motuum, bellorum. His acceſſit promulgatio belli contra Britannos die XXVII. Jan. Lutetiæ Pariſiorum facta. Quæ res his nova fœdera tantæ potentiæ opponenda conciliavit. Ita bella ex bellis ſeruntur, & quod ante veritus ſum, orbis Chriſtianus in partes adverſas ſcinditur. Attamen tanti paratus belli longè omnium periculoſiſſimi vel antequam id geratur, vel paulò poſteaquam geſtum fuerit, poterunt pacis almæ vel neceſſitatem imponere, vel ſtudium perſuadere. Ita æquè pax quàm bellum ad Cometas præcedentes pertineret. Utinam Sola læta eos comitentur! Sed quod unquam temporis punctum, ſi omnia in conſiderationem veniant, ſola proſpera ſine adverſorum miſtura vidit? Hæc utinam nunquam læta tua tempora laceſſant! Vale Clariſ. & Optime Heinſi, ac mihi porrò fave.

Operis editionem pro virili promovet.
Gallus Britanno bellum indicit.
Bella ex bellis oriuntur.
Belli apparatus ferunt quandoque pacem.
Cometas bellum & pax ſequitur.
Viciſſitudo rerum perpetua.

Hamburgo Holmiam die 12. *Febr.* 1666.

N. 59.

TEmporis & negotiorum ratio brevitatem mihi imperat. Hanc tamen males quàm ſilentium: quod ex tua parte amori moleſtum meo æquitas excuſat, ſed deſiderio ſe non eſſe liberam fatetur. Ex Amici communis liberis literis vides, res Polonicas metu civilis belli mox reſtaurandi magis magiſque turbari. Sed & ne pleræquè orbis Chriſtiani Reſp. & prioribus & novis bellis ac fæderibus pactis concutiantur, metuendum eſt. Pacis tamen Rhenanæ ſpes iterum affulget. Sed illa quoquè bella, vel ſolitudine factâ (quod avertat Deus) & inducto faſtidio, pax tandem ſequatur neceſſe eſt. Utriquè bello videlicet, & paci, aliiſquè triſtibus & lætis prælucebit ſtella crinita. In operis mei editione feliciter progrediuntur Amici. Ego abs Te exſpecto, quæ nuper poſtulavi. Jam enim inter Te & me communicata prælo ſubjecta certò ſunt. Illuſtriſſimo Iſbrandio ſalutem adſcribo plurimam, Te verò, Amiciſſime Heinſi! bene Valere jubeo.

Brevitas ſilentio gratior.
Bellorum finis pax eſt.
Cometas bellum & pax excipit.

Holmiâ Hamburgum die 24. *Januarii Juliani* 1666.

N. 45. ad 53. 54. & 55.

ANte ſeptiduum ſine meis diſceſſit tabellarius, cum argumentum exarandis literis nullum eſſet in promtu, Vir Nobiliſſime! Nunc quoque quod ſcribam vix occurrit, niſi hoc unum, & valere me utcunque, & in te amando eſſe conſtantem ac ſedulum. Rediit quidem in hanc civitatem Magnus regni Cancellarius, ſed præter illum pauci Senatorum, immò Tutorum nullus, quod ſciam, hactenus comparuerunt. Unde fit, ut in negotio Fœderatorum Belgarum per Illuſtriſſimum Iſbrandium nihil promoveatur. Oratorem Gallicum Dandillæum Pomponium Lutetiâ Hamburgum ajunt adveniſſe. Habui complures ab amicis Pariſinis literas, quibus me jubent de illius Viri benevolentia optimè ſperare. Eſſe enim ingenuis artibus pulcherrimè iuſtructum. In adventum ejus trahenda fore negotia nos inter & Suecos prævideo. De pace inter Belgas Fœderatos ac Monaſterienſium galeatum Præſulem ſancienda conclamatum eſſe negotium videtur. Ad vindictam enim impellimur, quantum apparet, ab his, qui fermè ſoli motos componere fluctus poterunt, pro ea qua apud nos valent auctoritate. Dominum Iſbrandium vix eſt, ut ante feſtum Paſchatis adfuturum vobis eſſe cenſeam. Interim Tuas omnes illi exhibere nequaquam intermitto: ex quibus voluptatis multum equidem capit, uti par eſt. Hodie poſtremas poëmatum meorum pagellas ad bibliopolam typis deſcribendas mitto, quas miſſas jam pridem oportuit. Eâ occaſione, perlecto Scazonte, qui verſibus extra ordinem addendis inſeretur, quædam, ut vides, paulò aliter, quàm antea ſeſe habebant, conſtitui. Videbo an majore otio melius quid poſſim extundere.

Heinſius ſilentium excuſat, de conſtanti benevolentia Auctorem certiorem facit.
Pomponii Oratoris Gallici laus.
Pax Monaſterienſis deſperata.
Heinſius poëmatis ſui Scazontem adjungit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Belli motus rei literariæ adverſi. *Otium ſapienti neceſſarium.*

tundere. Gaudeo interim hoc labore me defunctum, cùm iſthæc tempora poëticæ meditationi neutiquam ſint idonea. Sed tela inchoata fuit detexenda. Domino Rautenſteinio otium & vitam privatam invideo propemodum, adeò eodem vota mea omnia diriguntur. Excurſum in patriam, quem flagito jam dudum, ſi obtinerem, voti fortaſſe fierem compos. Sed pedem ut hinc moveam, hactenus non indulgent mihi proceres noſtri. Interim fac ſciam, quam Germaniæ partem, quas latebras Vir eximius ſolitudini ſuæ deſtinârit. Vellem enim Fœderatis Belgis, quàm nunc eſt, viciniorem videre. Salveat quæſo ille. Tu autem vale.

N. 60. ad 54.

Hamburgo Holmiam die 19. *Febr.* 1666.

Extemporalis ſcriptio diligentiori penſanda.

EPiſtolam quam per proximum tabellarium, qui ante triduum hinc ad vos profectus eſt, non tantùm ex tempore & manu propera, ſed opere tumultuario ad Te dedi. Eam ideò nec in cenſum refero. Feci tamen hunc quoque officium, ut potui, miſſis ad Te chartis, quæ velim ad me quamprimùm revolent, ne urgentibus operis editionem Amicis Batavis, vel hæc tardetur, vel Tua communicatio interrumpatur. Neutrum enim fieri vellem, ſi res ex animi mei ſententia geratur. Quòd poſtremæ Tuæ literæ me reddiderint certiorem (quanquam id ita eſſe nullus dubitem) Te & conſtanter me amare & rerum mearum ſatagere, mihi per gratum accidit. Macte integrâ humanitatis gloriâ, Optime Heinſi, cui in re literaria ingenuus quiſque multùm debet, Teque macte amet neceſſe eſt. Ad me quod attinet, fateor me Tibi multis nominibus devinctum eſſe. His acceſſit nuperum Tuæ erga me benevolentiæ argumentum, quòd Poëmatis Tuis Scazontem adjungere volueris. Erit hoc ibi & in opere meo perenne amicitiæ noſtræ monumentum, quod cumprimis ex literis noſtris familiaribus excerpta operi meo inſerta teſtantur. De Oratore Pomponio Tibi jam ſatiſfeci. Dixi enim de ejus ad vos profectione & laudibus, quæ certò tunc accepi. Erit ille ingenii & animi bonis ac benevolentia Tuus, ut ille Atticus Ciceronis. Celebre Romæ Pomponianum nomen invitavit, ut noſti, referente Ludovico Vive, Virum illum Latinæ linguæ & Romanæ antiquitatis ſtudioſiſſimum, Chriſtianum Petri, ut rejecto ſuo nomine & cognomine ſe Pomponium Lætum vocaverit. Cujus Viri Romana Hiſtoriâ & linguâ multùm delector, & illam ſæpè in hiſtoria mea Cometica adhibeo. Illud propè ridiculum eſt, noluiſſe eum linguæ Græcæ operam dare, ne Romanam contaminaret. Oblitus enim erat illius Pomponii, qui patriâ Italiâ, motu & tumultu Cinnæ quaſſatâ relictâ, in Græciam profectus ita linguam peregrinam didicerat, ut Attici cognomen meruerit. Neque tamen illi quidquam de nitore patriæ linguæ deceſſerat, qui ſingulari Principis Romæ eloquentiæ amicitiâ dignus fuerat. Sed hæc pro noſtra familiaritate dicta ſunto, occaſione Pomponii Viri & Nobiliſſimi & excellentiſſimi & doctiſſimi & humaniſſimi, (ſicut ille Atticus quondam erat) quem quòd tranſeuntem per hanc urbem alloqui non contigerit, doleo. Potuiſſem autem id, ſaltem amicitiæ Tuæ obtentu, facere. Non dubito Te jam gratiſſimâ ejus converſatione frui. Utinam verò ille oleas pacales, ut ſingulari Naſonis Tui voce utar, rigido Septentrioni inferat, iiſdem alibi quoque plantatis, junctâ illis operâ, qui paciferis lauris & Phœbeis potius quàm Martiis tempora ſua coronari optant! Sed Tu mihi pacem, dulce nomen, loquenti aſſiduò, dicere cum Comico videris, *Deſine, jam conclamatum eſt.* Sed licet intra privatorum votorum parietes publicæ pacis ſpem aliquam retinere. Si nec hoc licet, optare licebit. Id voti Tuæ meæque patriæ finibus non terminatur, quin potius ad omnium gentium terras ſe extendit, & earum angulos dulcedine & ſalute pacis almæ implet. De otio Sapientis ejuſque Chriſtiani quæ ad Te ſcripſi, quomodò ſis accepturus, cognoſcere aveo. Illuſtriſſimus Rautenſteinius illud optat & ſperat in prædio Ratiſbonæ vicino. Egò

Gratum animum Amico propter benevolentiam teſtare. *Gratâ memoriâ unumquodque Amici officium proſequêre.* *Amicitiæ Heinſianæ monumenta.* *Pomponius Orator Gallicus,* *Laudatur, Heinſio amicus.* *Latinæ linguæ ſtudium cum ſtudio Græcæ non pugnat.* *Patriam bello civili ardentem Sapiens relinquit ut literis vacet.* *Pomponii Oratoris Gallici laus.* *Pacem cunctis opta.* *Literarum amantes à bello alieni.* *Deſperatio pacis.* *Votis pacem expoſce publicam.* *Otium quale Sapienti neceſſarium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ego verò omnibus bonis illud opto hac, ut tunc dixi ratione, ut Reipublicæ maximæ, minori & minimæ ſatisfiat. Accepi hodie literas ab Ampliſſimo Hevelio, qui ſe Tuas accepiſſe, & ad eas brevi reſponſurum eſſe, ſcribit. Nunc nempe ei non vacat variis occupato. Nam & puerperium Suaviſſimæ uxoris, quæ filiolam enixa eſt feliciter, & opera Cometica eum ſibi totum vindicant. Felicem eum! qui & libris & liberis dat operam ex voto. Rogat ne viri docti de controverſia, quæ illi cum Auzutio intercedit, judicium ferant, non viſo reſponſo ſuo: quod promittit brevi. Rudbeckianum Commentarium epiſtolarem gratus accepit & laudat. Affirmat ſe pleraquè horum in ſua Cometographia attigiſſe. De ratione inveſtigandarum parallaxium beneficio altitudinum meridianarum à Clariſſimo Rudbeckio diſſentit. Nullum Cometam novum ab illo verno viſum eſſe in cælo, ſed phœnomenon ad cingulum Andromedæ, quod etiamnum ex oriente ſingulis diebus Septentrionem verſus motu ſcilicet diurno proficiſcitur, pro eo à nonnullis (quod me iterum nuperrimæ literæ Amſterodamenſes docent) habitum eſſe affirmat. Hæc ille. Hæc & ego. Tempus enim finire epiſtolam jubet. Vale diu & feliciter.

Reipublicæ maximæ, minoris & minimæ curam gere.

Hevelius laboribus Cometicis totus vacat,

Et de ſua cum Auzutio controverſia ante librum ſuum editum ſententiam doctorum deprecatur.

Cometa novus à verno nullus apparuit.

Phænomenon ad cingulum Andromedæ pro Cometa à multis habetur.

Holmiâ Hamburgum die 10. *Februarii Gregoriani* 1666.

N. 46. *ad* 56.

HAbes hîc Schedarum neſcio quid mearum, quod neglectum à parum memori in ſcriniis meis præter ordinem hæſit, cum ad Te redire jam pridem debuiſſet. Quas Gruterus cum Domino Rautenſteinio laudes plena manu in me conferunt, in iis nihil meum agnoſco, præter ſingulare rerum mearum ſtudium. Ad Clariſſimum Schefferum nihil litterarum dare ſoleo, & ſcribo frequenter, quin Rudbeckiana obſervata de Cometa nupero, ſive ſtella, flagitem. Sed cum ille nil ad hanc rem reſpondeat, facilè colligo, aut errorem à Rudbeckio nunc deprehendi, aut illum per alias occupationes ab hac cura avocavi. Atquè hæc de privatis rebus. De publicis quod addam, vix eſt quicquam in promptu. Procerum pleriquè jam huc denuo convênere. Abſunt etiamnum Regni Drotzetus & Ærario Suecico præfectus, quorum hîc graviter ægrotare dicitur. Nos Dandillæum Pomponium cis paucos dies hîc exſpectamus, niſi moram is qualecumque inter Danos trahet. Vale.

Heinſii modeſtia.

Upſalienſium ſilentium.

Hamburgo Holmiam die 23. *Februarii Gregor.* 1666.

N 61. *ad* 46.

SAtis tempeſtivè nuper Tuas illas chartas recepi. Optarem & illas, quas proximè ad Te miſi, quamprimum ad me redire poſſe, ſaltem partem eorum, ut ita opportunè habeam, quo ſedulitate typographi reſpondeam. Noviſſimus meis feci Te certiorem, Ampliſſimo Hevelio eandem eſſe mentem, quæ ante fuerit, de phœnomeno in Andromeda pro ſtella crinita à multis habito. Conveniret Clariſſimo Rudbeckio aliquid reſponſi de hac re nobis dare, tum verò & multis aliis. Hoc enim præſtaret, ut puto, ſilentio, quod variis hominum judiciis erit obnoxium, ſicut & illud ad literas meas. Ad me quidem quod attinet, utrumquè debita æquitate & facilitate me excuſare teſtor. Nempe enim meam quoquè libertatem, quâ in compellandis tot viris Claris & præſtantibus uſus ſum, eadem æquitate, boni publici reſpectu, excuſari cupio. Nuper in taberna libraria inter plura, quæ paulò antè Clariſſimus Schefferus, juvando ſtudio Oratorico, Politico & Hiſtorico idonea publico commiſit, vidi & illud fragmentum Petronianum, non tantùm exempli Patavini (quod Tibi ſe debere Vir doctiſſimus fatetur) fide editum, ſed & eruditis tàm rationibus aſſertum, quam notis illuſtratum. Vale felicitèr.

Tempeſtivè fac omnia.

Silentium quandoque incommodum.

Libertatem ſuam ex ratione æquitatis Auctor excuſari poſtulas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 47. ad 57.

Holmia Hamburgum die 17 Febr. Gregor. 1666.

Rudbeckius errorem ſuum de Cometa novo autumnali agnoſcit.

Pomponius Dandillæus venit Holmiam, laudatur.

COnvenit me hodie Clariſſimus Rudbeckius, ſciſcitatuſque eſt, quo loco tuæ de Cometis eſſent lucubrationes. Reſpondi, operas in iis typographicas eſſe deſcribendis aſſiduas, ac ſimul ſum hortatus, ut ad quæſtiones tuas nonnihil reponeret. Regerebat id unum, de Cometa errorem eſſe: ſtellam obſcuram in cingulo Andromedæ apparere, quæ facilè à Cometa diſtingui haud poſſet, tanto aëris intervallo, id ſibi quoquè nunc compertum eſſe. De cæteris, ut quicquam polliceretur, induci haud potuit, nec tamen negavit ſe reſponſurum. Ut ſatis ex iſta fluctuatione appareret, nihil nobis inde certò eſſe exſpectandum. Heſterno die ſub veſperam advenit Dominus Pomponius Dandillæus in hancce civitatem, cum quo per horas fere duas ſum collocutus. Vir eſt & literatura humaniori pollens egregiè, & uſu rerum plurimo probè inſtructus. Latebit per dies nonnullos, puto, deinde publicè civitatem intrabit. Vale.

N. 62. ad 47.

Hamburgo Holmiam die 2. Martij Gregor. 1666.

Rautenſteinius Hamburgum venit, in Aulam Suecicam ablegatus,

Heinſio amicus,

Pacem Batavam ſperat, Polonam optat,

Ejus de Cometarum ſignificatione ſententia benigna.

Stella comata Cometæ cognata.

Rudbeckii error de novo Cometa excuſandus, candor laudandus.

Silentium eorum qui Auctori non reſcripſerunt æquo ille fert animo.

PRoximo die Martis nonnihil ad poſtremas Tuas reſcripſi. Sed adeo tumultuario opere, ut id in cenſum venire non mereatur. Eram enim tunc valde diſtractus gratiſſimo adventu Illuſtriſſimi Rautenſteinii noſtri, qui iter in Aulam illam à Sereniſſimo Principe ſuò delegatus parat. Heri cum mihi adeſſet, honorificam Tui mentionem ad menſam fecit, Tibi bonam ſanitatem & proſperum rerum ſucceſſum precatus eſt, Tuæque juxta ac meæ patriæ pacem. Et illam quidem magis ſperat, cum negotium Polonicum majoribus difficultatibus & ipſa Reſpublica civilibus diſſidiis & motibus implicetur, idque ſubinde, imò aſſiduo. Locuti ſumus hâc occaſione & de opere meo, cujus ille videndi deſiderio tenetur. Dixit mihi de Cometis & aliis ſignis, quæ in cælo conſpici ſolent, ſententiam ſuam coram, eandem ſcilicet quam ſcripto toties dedit, ſe nempe ejuſmodi phœnomena nec temnere, nec timere, & eventus eorum varios eſſe experientiâ magiſtrâ didiciſſe. Optat autem ut cuncta fauſta Cometis ſuccedant. Clariſſimi Rudbeckii errorem facilè exemplis ſtellarum, quarum lumen æqualiter & circulatim diſpoſitum in nubem roſcidam incidit, comas accipientium, jam olim Ægyptiis & Ariſtoteli notarum (quæ etiam Cometarum cognatæ vocantur) niſi forte cauſæ in ipſis ſtellis nebuloſis, lumen inæquale habentibus potius quærenda ſit, excuſandum in illo phœnomeno Andromedæ pro Cometa habito agnoſcentis candorem & modeſtiam exoſculor. Hinc etiam videmus, quantum Ampliſſimo Hevelio, qui contrariam ſententiam conſtanter tuebatur, in re Aſtronomica ſit tribuendum. De reſponſo ejus aliorumque parum ſum ſollicitus, dum mihi meæ induſtriæ publicarum utilitatum ſatagentis ratio conſtat. Qui tamen hic votis meis, iidem unà, ut exiſtimo, ſuæ propriæ exiſtimationi benè conſulent. Illuſtriſſimus Rautenſteinius plurimam Tibi mittit ſalutem. Ego Illuſtriſſimo Iſbrandio. Vale.

N. 48. ad 58. & 59.

Holmia Hamburgum die 24. Febr. Gregor. 1666.

Pomponius Dandillæus publicè Holmiam init.

Suecica legatio ad Regem Angliæ & Batavos pacis componendæ cauſſâ.

PRopoſitum mihi erat hodierno die Tecum agere verboſe: ſed avocavit me ſpectaculum Domini Arnaldi Pomponii, Oratoris Gallici, publice civitatem hanc ingreſſi, qui die craſtini Regem venerabitur. Senatus Regni heſterno die Legationem extrà ordinem decrevit, primo Regem Britanniarum, deinde Fœderatorum Belgarum Ordines adituram, per quam Rex medium ſeſe arbitrumque offerat componendis diſſidiis, quæ nos cum Britannis colliſère. Capita

Legationis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Legationis ſunt Georgius Flemingius Regni Senator, vir probus ac ingenii pacati cum Petro Julio Covet Conſiliario Aulico, quos menſe proximo hinc diſceſſuros ajunt. Vale & me amare perge.

Hamburgo Holmiam die 9. Martii Gregor. 1666. *N. 63. ad 48.*

NOn diffiteor & ego, me poſt penultimas Tuas literas breviſſimas, exſpectaſſe ultimas longiores. Sed quia tàm jucundum ſpectaculi ſplendidiſſimi intervenit impedimentum, vota mea æquas & facilis Tuis negotiis acommodo. Spero autem hæc, ut ſic dicam, eſurientia proximè exſatiatum iri. Tua enim effuſa in me benevolentia non aliud pollicetur. Quæ Tu mihi de Suecorum pacis inter vos & Britannos reſtaurandæ ſtudio ſcribis, pergrata ſunt. Hoc & aliorum, ut credo, Principum armata auctoritas ſumet ſibi exſequendum.

Suecorum ſtudium pro pace inter Anglos & Hollandos reſtauranda laudatur.

Quanto inter hæc impetu Galli ad bellum ferantur, ex his Illuſtriſſimi Petri Bruſſelli, Senatoris in Curia Pariſienſi Graviſſimi, quanquam pacis amantiſſimi, ad me nuper perſcriptis verbis cognoſces. Non pigebit hæc integra deſcribere. *Hic*, inquit, *cuncta in bellum vergunt. Novi delectus per Galliam habentur. Copiæ undique adverſus Anglos * veteres & novos Galliæ hoſtes contrahuntur. Claſſibus & maritima potentia validiores nobis eſſe, ut nunc res ſunt, nullus dubito. Timeo tamen, ne ubi noſmetipſos collegerimus, & claſſes noſtras adornaverimus, commeatu, copiis & rebus aliis ad uſum & militiam nauticam, quibus non indigemus, neceſſariis abundè inſtruxerimus, tàm cæci in nos odii & præcipitis de bello conſilii ſeriò certè, ſed ſerò eos pæniteat.*

Bruſſelli judicium de bello Gallorum contra Anglos.

** Angli veteres Gallorum hoſtes.*

Deſinant antiquas jactare victorias. Tunc temporis Gallorum viribus & copiis adverſus Gallos pugnabant, quibus plura & clariora virtutis bellicæ opera quàm ſuis confecerunt. Non iis cum Philippo Valæſio vel Johanne ejus filio, viris & Regibus ſanè ſtrenuis, verum furore & imprudentiâ cæcis, res erit, ſed cum Ludovico XIV. ditiſſimo & potentiſſimo terra marique Principe, tot victoriis claro, tot tantiſque expeditionibus felici, ſucceſſore illius Caroli VII. qui Superbos illos Galliæ triumphatores continuis per multos annos cladibus afflixit, & in inſulam ſuam noviſſimè relegavit totâ Galliâ ejectos, excepto Caleto, quod Henricus II. centum plus minus ab hinc annis duce Franciſco Guiſio eis eripuit. Hæc ille. Sunt quidem hæc ſpiritûs plena.

Regum Galliæ varia contra Anglos fortuna.

Rex Galliæ Ludov. 14. laudatur.

Caletum à Gallis recuperatur.

Sed magis mihi, fateor, illa placent, quæ pacem loquuntur. De hac nuper inter Electores ad Rhenum irrito eventu denuò agi cæptum, quod magnoperè doleo, pacis ſtudioſiſſimus. † Hujus ſpem Tuæ patriæ quidam faciunt, nullus facit meæ. Adeo ibi omnia diſſidiis magis magiſquè eheu! involvuntur. Æquitas hîc pro filo Ariadnæo eſt. Hæc ſola munere divino explicare labyrintheis plagis Rempublicam poteſt.

Pax Rhenana irrito eventu tractatur.

† Pacis Batavæ ſpes aliqua, Polonæ nulla, Cui obſtet iniquitas.

‡Ad privata ut tranſeam, in opere meo imprimendo Amici diligenter pergunt, & ad imponendum finem illis quæ inter utrumque noſtrûm communicata ad eos miſi, properant, propediem reliqua exſpectaturi, quæ mittere eis non poſſum, priuſquam illæ chartæ ad me redeant, jam ante menſem ad Te miſſæ. Has mihi, ut ſpero, proximus tabellarius adferet. Hodie & ante octo dies accepi prima figurarum Rudbeckianarum æri inciſarum experimenta. Identidem moneo Amicos, ut ſingularem diligentiam in earum editione adhibeant. Spero me hujus quoquè voti compotem evaſurum, ut brevi à Te accipiam nonnihil reſponſi de ſignificatione Cometarum, quò publicè aliquando conſtet de Tua ſuper hoc argumento ſententia. Atque hac ratione colophonem Tuis epiſtolis operi inſerendis impones.

‡ Auctor commercium literarum, quod cum Heinſio de argumento Cometico coluit, finire quamprimùm cupit.

Illuſtriſſimus Rautenſteinius, poſtquam Sereniſſimum Ducem Mecklenburgicum Chriſtianum compellaverit, navi ad Roſtochium in oſtio Varni conſcenſâ ad vos contendet ſecundis, quod opto, ventis.

Rautenſteinii iter Suecicum.

Pax nuperrime inter utrumque Sereniſſimum Ducem Mecklenburgicum redintegrata, lætis Cometarum nuperorem eventibus accedit. Utinam plura ſequantur ejuſdem generis! utinam & ubique perennent Te quàm diutiſſime incolumi & læto!

Pax inter Duces Mecklenburgicos Cometis ſucceſſit.

Holmiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 49.
ad 60.

Holmia Hamburgum *die* 3. *Martii Gregor.* 1666.

Heinſius Auctori de munere Prodromi Heveliani gratias agit.

Heinſii laus.

Pomponius Orator Gallicus ſalutat Regem, Proceres & cum Regiis Commiſſariis agit.

Belgæ fæderati fæderibus cum Dano & Brandenburgico initis paci ſtudent.

IMminens tabellarii diſceſſus, cum proximè ad te ſcribebam, adeò me urgebat, ut tùm oblitus ſim, gratiarum actione apud te defungi pro præclaro Prodromi Heveliani munere, quod fieri tamen occaſione illa omninò oportebat. Duplici nomine liber exquiſitæ notæ apud me ſummo eſt in pretio, cùm & à te homine optimo eodemquè amiciſſimo proficiſcatur, & coryphœum Mathematicorum Hevelium auctorem agnoſcat. Reponetur igitur in parte bibliothecæ meæ conſpicuâ, unde oculis meis identidem oberrando tui me admoneat. Orator Gallicanus Pomponius, poſt ſalutatum nudius ſextus Regem, nudius tertius Thalaſſiarcham, Cancellarium, & ærario Præfectum, ſingulos domi ſuæ convênit. Heſterno die cum Regiis Commiſſariis congreſſus eſt, iiſque herile mandatum expoſuit. Nos etiam pro cauſſâ noſtra digladiamus, nitente in contraria pro virili Miniſtro Britannico, qui cùm certò ſibi perſuaſiſſet, fore ut Danos infenſos experiremur, nunc deceptus ſemel hoc agit ſtenuè, eoque nervos omnes intendit ne denuò decipiatur. Electorem Brandenburgicum, qui opinabantur in partibus haud quaquam fore, non fuiſſe ſe divinos jam puto agnoſcunt. Sed utinam hæc omnia ad pacem convertat clementiſſimus Deus, cui nos Fœderati Belgæ ſtudemus unicè! Schedas, quas nudius tertius à Te accepi, quamquam deſideriis tuis ſatiſfactum vehementer cupiebam, tamen pervolutare non vacavit. Proximè illas à me habebis: quamquam hæc tàm puſilla, tamque frivola ac jejuna, lucem neutiquam merebantur. Nec eſt quod hâc tam turbata rerum facie quicquam majoris rei à me exſpectes, quem in partem curarum adſcivit Illuſtriſſimus Iſbrandius, nec alii partium noſtrarum miniſtri à conſiliis ſuis excludunt

Heinſii modeſtia, & occupationes, quæ non permittunt ei ſententiam de Cometis exponere.

N 64.
ad 49.

Hamburgo Holmiam die 16. *Martii Gregoriani* 1666.

Munus commendatur auctoris ſui meritis.

Benevolus erga amicos eſto, præſertim bonarum artium cultores.

Deſideria tua rationibus amici attempera.

Dantiſcani Poëtæ celebres Titius, Büthnerus & Paſtorius.

Pacis ſtudioſus eſto.

Næranus laudatur.

VEhementer mihi gratulor, Prodromi Heveliani munus gratum Tibi fuiſſe. Ita eſt munera auctoris meritis & benevolentiâ commendari. Quis autem merita Heveliana ſumma in re literaria, præſertim verò in Aſtronomica, ignoret? quem lateat ejuſdem in omnes literarum cultores, Te verò nominatim, propenſiſſimus ejus affectus? Mea quoque benevolentia erga te ſincera, ſi in rationes referri hîc meretur, non puto quenquam alacritate promtiori gratum Tibi officium unquam facturum eſſe. Quòd votis meis per omnia ſatiſfacere in tanto negotiorum aſſiduò æſtu nequeas, minimè miror, Teque ut deſiderium meum & continuum & importunum excuſes, ſummoperè rogatum eſſe volo. Accepi nuper Carmina ab Amicis Dantiſcanis, Titio & Büthnero: illius in Cometæ mei ſymbolum *Bona Bonis*, *Mala Malis*: hujus in nuperum certamen aquilarum. Hodie verò Paſtoriana in obitum Annæ Auſtriacæ Reginæ Franciæ accepi. Illorum apographa, horum impreſſum exemplum Tibi mitto, quem talia delectant & arbitrum habere gaudent. Quod de pace ſcribis, votis quoque meis, ſi quid unquam, convenit. Sed nondum ulla ſpes pacis affulget, omnibus ad bellum paratis. En Tibi etiam quæ à Doctiſſimo illo Nærano poſt longum ſilentium accepi. Hæc quoque pauca eruditionem ejus & pietatem in patriam eximiam monſtrant. Judicium de rebus Polonicis, ut ad res patriæ meæ veniam, ab exitu Conventûs regni, qui inſtat, dependet. Ad hunc celebrandum magno animorum, imo & armorum apparatu itur, univerſa Reſpublica in duas potentiſſimas partes diviſâ. Ego omnibus votis pacem reſtitutam expeto, ſed non exſpecto, niſi reſtitutâ prius æquâ libertate. En Tibi verſiculos, quos à quopiam Amicorum ex Pruſſia in hanc rem accepi:

Comitia inſtantia rerum Polonicarum ſtatum monſtrabunt.

Pax in Polonia niſi reſtitutâ libertate æqua reſtitui nequit.

Patria dum viguit florentibus inclita rebus,

Frendente

Frendente invidia nos quoque floruimus.
Invenit qua livor edax nos ſterneret arte,
Nam patriâ everſâ nos quoque concidimus.
Vivere dulce fuit cum libertatis honore.
Si liber nequeas vivere, dulce mori eſt.

Tot carmina nunc Tibi, Amiciſſime Heinſi, mitto, qui ea ingenioſè & doctè paterno exemplo pangere ſoles. Utinam Tibi liceat quamprimùm triumphum pacis almæ, toto orbe compoſitæ, canere, nobis vero & bonis ejus frui, & Tibi feſtivis gratulationibus accinere! Utinam verò proſpera ex pacis ubertate provenientia videre, audire & fruiſci, & Tibi quàm diutiſſimè incolumi & omnibus bonis detur! Illuſtriſſimum Iſbrandium ut meo nomine plurima ſalute impertias, meque illi aſſiduò commendes, majorem in modum rogo.

Heinſius pater & filius optimi poëtæ.
Votum pro pace univerſali.

Hamburgo Holmiam die 23. *Martii Gregor.* 1666. *N.* 65.

MAgnâ nuper ſpe excidi, poſtquam mihi proximè tabellarius, qui ad nos ex Septentrione à biduo acceſſit, nil prorſus literarum à Te attulit. Ita nec ſchedas illas, quas ad me nunc tandemredituras, ex temporis & promiſſi Tui ratione ſperaveram, accepi: haud exiguo rerum mearum incommodo: Typographus enim impreſſis illis quæ ad me miſeras, ego ad illum, non habet quod agat. Ita temporis & ſumtûs non leve fiet diſpendium. Ego tamen id majoribus Tuis negotiis tribuo, & æquo animo fero. Utinam illa permiſiſſent Tibi ſententiam de Cometis ferre! quod niſi nunc fiat, fieri tamen commodiori tempore poterit. Ut nobiliſſima hæc cæli phœnomena, ſigna phyſica certa & determinata, cumprimis eorum quæ à libertate humana pendent, & portenta, illa propriè & ſtrictè, ut in Scholis loqui amant, dicta, ac ordinarium naturæ curſum tranſcendentia, appellentur, inducere animum ut credam non poſſum. Signa eſſe ex intentione Dei, genus humanum per omnia opera ſua, illa præſertim rariora, ad virtutem ducentis, tùm ex facilitate obedientiæ humanæ vel contumacia, *a* tàm lætorum quàm triſtium, rationem moralis diſciplinæ ſecutus, ſemper judicavi. Hactenus *b* Cometam etiam portendere bona bonis, malaque malis credidi & adhuc credo. Ita verò ut in terra, *c* ſive animis hominum errorum & vitiorum portenta, calamitatum certiora Cometis ulliſque cæleſtibus ſignis prænuncia, monſtrare ſoleam. Hâc viâ mediâ, incolumi tàm naturali, quàm morali inſtitutione *d*, inter duo ſententiarum extrema & diſſidiorum quædam abrupta, progredior, & *e* Cometas nec timendos, nec temnendos, nec ſuſpiciendos per ſuperſtitionem, nec deſpiciendos per rerum neglectum, liberè pronuncio. *f* Imò verò, ut rariora & illuſtriora Dei opera, adſpiciendos, contemplandos, ac velut quoſdam juſtitiæ præcones, ac fideles officii admonitores & Conſiliarios, audiendos eſſe dicere ſoleo. Hâc ratione omnibus me, licet tantoperè inter ſe de hac re diſſentientibus, ſatiſfacere poſſe, ſpero. Atquè hæc Tibi, mi Heinſi! pro jure amicitiæ hac quoque vice proponere volui, ut aliquando plus otii, ac præſertim lætitiæ ex pace, ſaltem hîc vel illîc compoſitâ nactus, ſententiam Tuam de his dicas, quæ in Senatu Philoſophico Te digna & publico utilis ſit. Scio & fateor, rem de Cometarum generatione, ex qua operatio & ſignificatio eorundem pendet, eſſe ſatis arduam & explicatu perdifficilem. *Sed tentandum, dicendum, agendum eſt, duce conſcientiâ, comite prudentiâ, aliquid cum commodo generis humani conjunctum. †Tantò magis cum Tychone Magno duce, præſtantiſſimi quique, permulti certè Philoſophi, Cometas ex aëre in ætherem tranſduxerint. Quâ ratione fundamentum Cometomantiæ Aſtrologicæ eſt ſubrutum. Tolle enim Cometam eſſe exhalationem in aëre accenſam, omnes prædictiones à Cometarum barba, coma, cauda, colore, motu, ſitu peti ſolitas, uno ictu ſuſtu-

Silentium amici, etiam incommodum, æquo fer animo.
Cometæ non ſunt ſigna futurorum naturalia, nec propriè portenta:
Signa tamen ſunt ex intentione Dei & probitate vel improbitate hominis:
a Eaque lætorum & triſtium,
b Et ſic etiam portenta.
c Vitia hominibus calamitates, certius Cometis, aſtris & phænomenis cæleſtibus portendunt.
d Medio tutiſſimus ibis.
e Cometæ nec timendi nec temnendi,
f Imò vel ut fideles monitores audiendi.
Cometarum generatio explicatu difficilis: ab ea pendet eorundem operatio.
**Publicis utilitatibus ſtude.*
†Tycho Cometas cælo intulit primus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Rerumpublicarum diverſa fata.

leris. Sed hæc hactenus. De publicis verbum addo. Metus eſt bellum civile in patria mea denuò exoriturum, ſpes autem eſt in tua pacem reſtitutum iri. Qua de re plura proximè. Nunc Vale & ſalve.

No. 50. ad 61.

Holmiâ Hamburgum die 10. Martii Gregor. 1666.

Heinſius gratias Auctori de Prodromo Hevel. & Cometâ Kirſteniano agit.

EXcuſabam nuper tumultuariam mearum feſtinationem, per quam factum eſſet, ne tempeſtivè ſatis gratias egiſſem tibi pro Heveliano prodromo. Egi tunc tamen, ſed neglecto pari officio, quod debebatur pro Kirſteniano carmine, terſo atquè eleganti omnino, & cujus notæ pauca procuduntur hac tempeſtate. De phœnomeno in Andromeda agnoſcit errorem ſuum Rudbeckius, ut jam ſignificavi, faſſus Cometam non eſſe. Fragmentum illud Petronianum alios commentatores Lutetiæ invênit. Succi nil non agunt, ne in partes pertrahantur, nobis haud quaquam invitis, ſed indignantibus Britannis, qui ad arma convolari, quàm legationes inſtrui mallent. Miros haud dubiè hæc fabella ludos dabit, ſcriptis atrocibus utrinque ventilanda. Orator in Poloniam eſt deſtinatus Baro Andreas Liliehoeck, Vir eruditus & mihi amicus, cujus pater Suecici dux exercitus in Germania, puto, occubuit. Dandillæus Pomponius nudius tertius obitum Reginæ Matris huic Aulæ palam ſignificavit, die craſtino nuntiaturus ibidem bellum à Rege ſuo adverſus Britannos decretum. Aderam illi heſterno die pomeridianis horis, jamque de rebus publicis ſermonem cœperamus inſtituere, cum interventu Illuſtriſſimi Cancellarii colloquium fuit abrumpendum. Vir eſt eruditionis ac facundiæ eximiæ, nec minoris probitatis: cujus adventum huic Septentrioni publicè, mihi privatim gratulor. Illuſtriſſimo Rautenſteinio ſolitam ſalutem adſcribo. Vale, & mihi benè velle perge.

Sueci in hoc turbido medii volunt eſſe.

Liliehoeckius Baro ablegatur in Poloniam.

Pomponius Dandillæus laudatur.

No. 66. ad 50.

Hamburgo Holmiam die 26. Martii Gregor. 1666.

Æquo animo ferenda cuncta adverſa.

Patientia ſortem lenit.

Gratificare amicis de his quæ in tua ſunt poteſtate.

Heinſius Auctori amicus non è multis.

Kirſtenius laudatur.

HEri demùm literas Tuas accepi die 10. Martii Gregor. datas, quas die 10. Martii Juliani accepiſſe debui. Cauſam moræ ignoro, quæ certè, ut nuper indicavi, non exiguo meo accidit incommodo. Sed hæc & alia, quæ in vita humana contingunt, votis noſtris adverſa, æquo animo ſunt ferenda. Hac enim ratione ſors noſtra, alioqui per ſe ſatis acerba & gravis, lætior leviorque redditur. Gratum Tibi ut Prodromum Hevelianum, ita & Poëma Kirſtenianum, ipſi dicatum, fuiſſe, mihi eſt pergratum. Crede enim me perlibenter gratificari amicis de his, quæ ſunt in mea manu. Quidni verò Tibi gratificer de his, quæ vel à me exſpectare & vel exigere jure Tuo potes, vel quæ à me præſtari poſſunt? Tibi dico, mi HEINSI! quem ego inter primos amicos meritiſſimo numero. Kirſtenium Te ex illo poëmate rectè cognoſſe video & gaudeo. Talis enim qualem pronuncias eſt, mihi verò nexu amicitiæ conjunctus. Itaque de tàm benigno Heinſii præſtantiſſimi noſtra ætate Poëtæ judicio, meritò ei gratulor. Hæc quæ mecum paulò ante & nuperrimè de publicis rebus communicaſti, de bello non pauca, nil de pace loquuntur. Nempe vobis talia exſpectanda ſunt à nobis, qui proximi illis locis vivimus, in quibus belli & pacis arbitria fiunt. En itaque Tibi, quæ hinc inde ad nos his diebus perſcripta ſunt, haud exiguam ſcilicet pacis reſtituendæ ſpem affulgere. Ad me quidem quod attinet, jam diu votum meum ardentiſſimum pro pace publica noſti. Hanc enim ſemper opto, quâ nihil optabilius in rebus humanis datur. Ardua profectò res eſt, fateor, pacem tot Principibus & populis, multiplici voto viventibus, & capitali odio à ſe mutuò diſſidentibus, reſtituere. Sed cur de ejus felici deſperemus ſucceſſu, ſi Deus, ut videtur, gentis Chriſtianæ miſertus, pacem, rem tàm ſalubrem, utilem & perneceſſariam omnibus reddere velit?

Pacis Hollandicæ ſpes affulget.

Paci publicæ ſtude:

Hanc omnibus reſtituere difficile homini, Deo facillimum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

lit? Hoc autem ſi fiat, multum ſanè momenti meæ de Cometis ſententiæ accedet. Quem enim latebit (quanquam nec nunc latet quenquam) læta quoque Cometarum apparitionem è veſtigio ſequi? Tunc credo animo liberiori divitem feliciſſimi ingenii venam, in læto Almæ pacis argumento laxares, & carmen oliviferum, laureato æquale, pangendo Cometæ meo bonorum præcurſori accineres. Is enim tunc lætus inter lætos vincente veritate, æquitate & multâ populorum benevolentiâ, cantaret epinicia, quæ tamen nec nunc negligit, non paucis proſperis, quæ in orbe geruntur (quis enim hoc neget?) ſtipatus. Liceat ita apud Te de Cometa & pro Cometa loqui, quem quidam inter grata & læta tantum ſpectacula, fulgetris, tonitruis fulminibuſque oppoſita, numerant. Triſte & ferale ſyrma eum poſt ſe trahere plerique clamant, ut noſti. Ego, ut nuper indicavi, mediâ viâ progredior, & fateor læta triſtiaque ei ſuccedere, ſemperque eum omnes officii, ut ſic dicam, admonere. Quem enim non moveant, quæ bona malaque Cometas ſequuntur, ſi ea expendere & reputare velit? Ingerunt nempe ſe ubique oculis illuſtria divinæ juſtitiæ documenta, & præclara rebus inſita ad virtutem monita. Hæc etiam apud eos qui ſacris oraculis fidem dant ex integro, locum inveniunt. Itaque & Tu, Optime Heinſi! non, ut puto,

Cometarum apparitionem læta quoquè ſequuntur.

Cometas nuperos multa læta ſecuta ſunt.

Cometa his lætum illis triſte ſpectaculum.

Cometa lætos & triſtes habet eventus, & officii quemque admonet.

Officii nos admonent cuncta quæ in orbe geruntur.

Invitis oculis hæc mea verba leges.

Multum Te oblectationis ex converſatione cum Pomponio Oratore, capere, vehementer Tibi gratulor. Comitatus ejus cum impedimentis nuper in hanc urbem venit. Audiò verò ab omnibus dotes animi & virtutes ejus celebrari. Rem non ingratam mihi facies, ſi me tantæ & talis notæ viro commendes. Illuſtriſſimo Iſbrandio ſolemnem ſalutem adſcribo. Vale, & me conſtanter ama.

Pomponius Dandillæus laudatur.

Holmiâ Hamburgum die 17. *Martii Gregor.* 1666.

N. 51. *ad* 62. *&* 63.

NUdius tertius duos à Te faſciculos accepi, brevibus autem, ut res nunc ferunt, Tibi reſpondeo. Illuſtriſſimum Rautenſteinium ad nos cogitare gaudeo. Legationem hìc deſtinari in Britanniam ex me didiciſti, puto. Scripſi etiam Baronem Leliehoeckium in Poloniam publico nomine abiturum, qui mare apertum præſtolatur. Sed & Steno Bielke, Regni Senator, Aulam Danicam eſt aditurus, atquè inde Germaniam publiciſque negotiis incubiturus, an curaturus valetudinem dubiam, incertum. Ajunt Budanam bibliothecam ab Imperatore Conſtantinopolitano Cæſari munus oblatam. Quo nuntio vehementer ſum gaviſus. Non enim dubito in illa latere Scriptores cùm Græcos, tùm Latinos complures hactenus ineditos. Atque utinam catalogum horum Codicum ab Amico nonnemine conſequamur! Tu Vale & me ama.

Legatio Suecica in Britanniam, Poloniam, Daniam & Germaniam.

Bibliotheca Budenſis Cæſari à Turca dono oblata.

Hamburgo Holmiam die 30. *Martii Greg.* 1666.

N. 67. *ad* 51.

MEas omnes ad Te, Tuaſque ad me tutò perferri, licet aliquàndo hæ vel illæ triduo quatriduovè tardius reddantur, hôc præſertim rerum ſtatu, gaudeo. Illuſtriſſimus Rautenſteinius brevi, credo, vobis aderit, niſi jam adſit. Utinam tot ultrò citroque commeantes Legati Principum pacem honeſtam & certam concilient, generis humani bono! Stenonem Bielkium Senatorem Illuſtriſſimum & Sapientiſſimum de fama optimè novi; & ab omnibus judicium & probitatem ac humanitatem ejus eximiam commendari audio. Atque hæc omnia ita ſe habere credo, edoctus binis ejus literis, quibus aliquando reſpondit ad meas. Itaque gratulabor mihi de ejus in hanc urbem adventu. Id ei per occaſionem commodam, ſi Tibi cum eo familiaritas intercedit, in-

Legati Principum utinam pacem componant! Steno Bielke laudatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dices velim, dictâ ſimul officioſâ ſalute, quam & Illuſtriſſimo Ilbrandio adſcribo. Quæ de Bibliotheca Budenſi fama ad Vos pertulit, vera eſſe nemo dubitat. Si Dominus Rautenſteinius Ratisbonæ nunc ageret, facile per ipſum Catalogum illorum codicum habere potuiſſemus. Spero tamen alios quoque Amicos in id mei gratiâ operam daturos. De publicis rebus pauca quæ ſcribam habeo. Spes pacis reſtituendæ Batavis Tuis creſcit, meis Polonis decreſcit. Illud Tuæ patriæ gratulor: hoc doleo, utrumque ex animo. Vale ac mihi conſtanter fave, qui ſum quoad vivo.

Spes pacis Batavæ major, Polonæ minor.

Nobiliſſimo Tuo Nomini

Omni cultu, ſtudio & officio devotiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

N. 52.
ad 63.

Holmiâ Hamburgum die 24. Martii Gregor. 1666.

NUdius tertius literas abs te accepi. Quæ in adventum Rautenſteinii noſtri ſervata penès me cupis, ea diligenter & cum cura ſervabuntur. Ipſum propediem nobis adfuturum eſſe augurari licet. Subnatas mihi eſſe de novo occupationes, idque præter ſpem, quæ de argumento Cometico haudquaquam cogitare me ſinant, jam, puto, ſignificavi. Ajunt Cæſarem, quod, ni fallor, proximè indicavi, ab Imperatore Turcarum munus accepiſſe Bibliothecam Budanam, impenſis ſtudioque Matthiæ Corvini Regis clariſſimi inſtructam. In qua ingentem theſaurum præſtantium voluminum, hactenus luce publicâ fraudatorum, latere certus ſum: niſi aut impoſuerunt nobis, qui illam à ſe perluſtratam eſſe prodiderunt jam olim, aut ex illo ſcrinia iſthæc fuêre compilata, quod propediem intelligemus. Tu certè plurimùm me demereberis, ſi quid certi de hac re potes nunciare: ſum enim antiquitatis ſtudioſiſſimus. Nec tantum auctores veteres præcipuo in pretio habui hactenus, ſed illos quoque, qui ætate noſtra ad ornatum horum nonnihil contulerunt. Ex veſtratibus Andreas Patricius in Cicerone illuſtrando feliciter eſt verſatus. Quo impenſius optavi, ſed fruſtrà, videre, quæ is in varios Ciceronis, ac ſcriptorum alorum libros commentatus eſſe dicitur. Nam præter obſervationis ejus in fragmenta Ciceronis Venetiis editas, vix quicquam è viri politiſſimi lucubrationibus oculis meis ſeſe obtulit. Ajunt & Michaëlis Bruti in varios linguæ Latinæ ſcriptores obſervata exſtare, & Stephani Stephanii Philoſophica complura: tùm Petri Nunneſii Hiſpani Dialecticam Ciceronis in Polonia editam fuiſſe, librum vix ſemel Romæ * apud Lucam Holſtenium mihi oblatum. Si tu patriæ reſtituaris aliquando, quod vehementer velim, poſſit in his ſimilibuſque conquirendis opera tua mihi fructuoſa inprimis obtingere. Sed de his aliàs. ‡Quod ad alia literarum Tuarum capita attinet, ego pacem orbi Chriſtiano voveo quidem & precor toto animo, ſed timidè, & deſideriis meis, ut, quod res eſt, dicam, diffiſus. Adeò nulla apparent auſpicia, unde rem tàm optatam certi nobiſmet ipſis promittamus, aut ſaltem auguremur. Vale & mei memor vive.

Heinſius de argumento Cometico pluribus ſe cum Auctore agere poſſe negat.

Matthias Corvinus Rex Hung. laudatur.

Heinſius antiquitatis ſtudioſiſſimus.

Andreas Patricius in Ciceronem & alios veteres commentatus.

Jo. Mich. Bruti obſervationes in varios ſcriptores Latinos.

** Lucas Holſtenius Bibliothecæ vaticanæ præfectus.*

‡ Heinſius pacem in orbe Chriſtiano optat magis quàm ſperat.

N. 66.
ad 52.

Hamburgo Holmiam die 6. April. Gregor. 1666.

CUm proximus tabellarius hinc ad Vos abiret, tempore excluſus paucis Te compellavi. Brevitatem illam tumultuariam & ſubitariam penſo in præſentia qualicunque curâ, quam tenuitatis meæ, cujus mihi conſcius ſum, & otii, quod mihi inter multa negotia perexiguum eſt, ratio patitur. †Mereretur certè maximam Tua in ſcribendo & me amando maxima cura. Sed Tu, quâ es æquitate, facilis & gratus accipies, quæ à me præſtari poſſunt. Doleo vehementer

† Amor amorem trahat, ut magnes ferrum.

Æquitas contenta eſt iis quæ præſtari poſſunt.

ter Tibi majus otium non eſſe, ut de argumento noſtro Cometico ſententiam dicere poſſis. Sed, crede mihi, quicquid à Te provenit, etſi non uſquequaque votis meis conveniat, me boni & æqui conſulere. *De Bibliotheca Budana nuper Tibi reſpondi ad ea, quæ proximè ad me ſcripſeras. Commodum vero accidit, ut ſimul Tuas poſtremas & hanc narrationem de illa Bibliotheca Viennenſem acciperem. Vides hîc quoque non ſemper, nec per omnia famam rei veritati reſpondere. Inſignis tamen eſt illa Bibliotheca, de qua orbis literatus Auguſto Cæſari meritò gratulabitur. Ego dabo operam, ut catalogum illius Bibliothecæ Tuâ gratiâ conſequar. Andreæ Patricii noſtratis in Ciceronem lucubrationes vidiſſe me, ſaltem legiſſe, affirmare non poſſum. Joannis Michaëlis Bruti, qui inter noſtrates vixit, & Joanni Zamoiſcio, illi, omnibus modis Magno carus fuit, opus epiſtolarum aliaque olim habui. Ejus enim Bibliothecam, vel certè partem ejus præcipuam, egregiis Auctorum Græcorum & Latinorum editionibus inſtructum, ab Ava & Patre meo piæ memoriæ jure ſucceſſiones acceperam. Sed ejus proh dolor! in nuperi belli Polonici procella deperditæ, vix reliquias poſſideo, niſi melior fortuna & rerum temporumquè converſio (quam & Tu optas, quo nomine Tibi gratias ago) jacturam hanc aliquando reſarciat. Interim iſtis boni, quod ante poſſidebam, præſtantis reliquiis non ſecus ac tabulis è naufragio, vel naufrago datis gaudeo. Stephani Stephanii Philoſophica & Petri Nunneſii Dialecticam nunquam, ſi rectè recordor, vidi. Memor tamen horum librorum ero, &, ſi potero, Tibi eximio antiquitatis cultori, de iis gratificabor, non minus libentèr quàm meritò cuncta, rei literariæ & virtuti promovendæ convenientia ſemper eorum, *qui utramquè cordi curæque habeant, gratiâ facturus. De publicis rebus non eſt magnopere quod ſcribam. †Conventus Regni in Polonia, qui ad præſtitutam diem 17. Martii Gregor. initium Varſaviæ ſumſerat, poſtquam per octo dies integros ſtetit, nullam felicis progreſſus multò minùs exitûs ſpem de ſe fecit. Imo verò nondum electo Cameræ Equeſtris Præſide (Mareſchalcum Nunciorum Terreſtrium nos vocamus) & toto illo tempore contentionibus & diſſidiis extracto, nondum conventus ille initium cepit. Cæterum ſtudia partium Aulæ & Reipublicæ in Comitio & aliàs parent. Quin & ad bellum civile proh dolor! domeſticis & exteris barbariſque viribus gerendum omnia magis magiſque diſponuntur. Hi ſunt injuſtitiæ fructus: quæ niſi illic & alibi è medio tollatur, fruſtrà omnis de pace cogitatio & contentio ac labor ſuſcipitur. Quamobrem & Tu prudenter judicas, nos pacem orbi Chriſtiano optandam certò nobis promittere aut ſaltem augurari non poſſe. Ego ſupplex veneror Deum pacis, qui votis & cogitationibus noſtris majora patrare poteſt, ut non tantùm patriæ utriuſquè noſtrûm, ſed & toti orbi, juſtam & fidam pacem reddat. Vobis quidem eam, ſaltem terrâ (utinam verò & mari) reſtitutum iri, ut ſpes multorum fert, multum gaudeo. Utinam modò hæc certa ſit & brevi, in eam nos non temerè erectos fuiſſe, appareat! Illuſtriſſimo Rautenſteinio, quem certò vobis jam adeſſe conjicio, & per Te plurimâ ſalute impertio, velim communices hæc, quæ ad Te de publicis rebus ſcribo. Adſcribo & plurimam ſalutem Illuſtriſſimo Iſbrandio, ejuſquè ut & Tuo conſtanti favori me meaque commendo. Atque hæc eſt poſtrema epiſtola Tua meaque ex his, quas mutuò adhuc exaravimus, operi inſerenda. Reliquæ dehinc in privatis ſcriniis ſervabuntur: à me quidem diligenter Tuæ, ut merentur, cuſtodientur. Vale diu & proſperè.

**Bibliotheca Budana minor inventa eſt quàm fama vulgaverat.*

Fama non ubique rei veritati reſpondet.

Andrea Patricii lucubrationes.

Joannis Zamoiſcii laus.

Gratificare amicis benè de Republica merentibus ſtudiis eorum apta & in tua poteſtate ſita.

**Utilitatibus publicis conſule.*

†Comitiorum Polonicorum 1666. conditio.

Injuſtitia bella parit.

Pax juſtitiâ paranda & tuenda.

Paci publicæ fave.

Batavis Auctor pacem precatur.

Rautenſteinium Holmiæ Auctor ſalvere jubet.

Nobiliſſimo Nomini Tuo

Omni cultu, ſtudio & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

VI.

COMMUNICATIO UBSALIENSIS.

Hamburgo Ubſaliam die 11. *Julii Juliani* 1665.

Viri Clariſſimi, Doctiſſimi & Humaniſſimi,

ETſi ignotos ignotus apellarem, non poſſetis mihi, credo, vitio vertere, quòd homo bonarum literarum amans, Vos egregiè & ad publici teſtimonii gloriam illis exultos, imò in Senatu Reipublicæ literariæ præcipua loca occupantes, ad examinandum de illuſtriſſimis noſtræ ætatis phœnomenis Cometicis argumentum, humaniter invitarem. Verum enimvero à multo jam ſatis tempore, per omnibus modis Nobiliſſimum & Ornatiſſimum Virum Dominum Nicolaum Heinſium, Fœderatæ Belgicæ in Aula Veſtra Oratorem Ordinarium, Fautorem & Amicum mutuò honorandum, invicem nobis innotuimus, & non tantùm amicitiæ jura tàm Illuſtri parario contraximus, ſed & de dicto argumento contulimus. Itaque niſi Vos, ætate & eruditione inferior, compellarem prior, ſubruſtici cujuſdam pudoris & neglecti officii nota ne mihi inureretur, meritò vererer. Inſtituti mei ratio jam dudum me ad ſcribendum permovere potuiſſet. Etſi verò hæc officium iſtud aliquantùm differri permiſiſſet, tamen ut in præſentia vos alloquar, poſtremæ Heinſianæ literæ effecêre. Singulare namque quidpiam illæ mihi retulêre, quo nomine vobis, imò Celeberrimæ Veſtræ Academiæ toti gratulari, mei officii eſſe duxi. *Eſt verò illud, quod Sereniſſimus Rex Veſter ſtudiorum cauſſâ ad Vos ſe conferre, & in illa Muſarum ſede ſuam quoque figere Regiam velit. †Rariſſimum profectò, ſed omnibus hîc Principibus meritò jureque imitandum exemplum! *a* Videmus enim quantùm ſemper præſtiterint Principes literas humaniores, ſaltem quantùm opus eſt & convenit, amantes & tractantes contemptoribus earum veræque laudis, *b* quam ſtudiorum virtutumque exercitiis conſenſus generis humani ab omni tribuit memoria. *c* Cum itaque Sereniſſimo Regi Veſtro in hac tenera ætate, nec non Inclyto Regno Veſtro multùm utilitatis ex illo ejus ad Vos, ut bonarum artium domicilium, receſſu, obventurum ſit, tùm verò Celeberrimæ veſtræ Academiæ plurimum ornamenti acceſſurum eſt. Quæ enim major & vividioribus radiis agens lux eſt, *d* quàm illa Regiæ Majeſtatis Solaris? quæ etiam optabilior Vobis rigidæ ſubjectis Arcto obtingere potuit? Hæc pauca ſufficiant Vobis, quibus pro jure amicitiæ de tanta felicitate Inclytæ Veſtræ Academiæ gratulari debui: ſimul autem teſtari animum gratum, quem Sereniſſimo Regi Veſtro ad laudem aſſurgenti, quia *Sereniſſimis Patri ejus Carolo Guſtavo glorioſiſſimæ memoriæ, & †Patruo Adolpho Joanni Principi Palatino, Principi dico Generoſiſſimo, debere me profiteor. Sed jam ad inſtitutum meum venio. ‡Non vos latet, Viri Præſtantiſſimi, me in animum induxiſſe plurimas ex utraque Germania, Gallia, Britannia, Dania, Italia aliiſque mundi regionibus de nuperis duobus Cometis, altero Decembr. Januar. & Februario menſibus, altero menſe Aprili viſis Obſervationes & narrationes factas colligere, & in unum veluti faſciculum colligare, atque ſic publico exponere:

Rudbeckium & Fornelium Auctor magni facit.

Heinſius laudatur.

Juniores honore & officiis præveniant ſeniores.

**Upſalienſi Academiæ Auctor præſentiam Regiam gratulatur.*

†Principes ſtudiis operam dare debent.

a) Principes docti indoctis præſtant.

b) Laus virtuti & ſapientiæ debetur.

c) Regis liberalis inſtitutio in Republicæ utilitatem redundat.

(d) Regia Majeſtas inſtar Solis eſt.

** Benefactores mortui gratâ mente colendi.*

† Adolphi Joan. Principis Palatini laus.

‡ Ubſalienſibus Auctor rationem inſtituti ſui exponit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nere. Adjungere præterea varia lectu jucunda, ſcitu digna & obſervatu utilia ſententias & monita, quæ ex Phyſicis, Politicis, Hiſtoricis, Ethicis & Chronologicis ad me à Viris Illuſtri dignitate, eruditione, morumque probitate Clariſſimis, vel etiam à me ad illos ſcripta ſunt. Hos ferè XXX jam habeo, in Senatum Philoſophicum, ubi commodum fuerit, venire paratos. Siſtent ſe illùc Hevelii, Bullialdi, Bartholini, Riccioli, Kircheri, Curtii, Schotti, Placentini, Leuneſchloſſii, Gravii, Büthneri, Buſmanni, aliique quos recitare longum foret. Cum his autem & in his comparebunt longè plures, qui ſuas obſervationes & judicia de Cometis illis tradiderunt. Itaquè & Vos, Viri Clariſſimi! eâ quâ par eſt, obſervantiâ, & quidem per tantæ notæ Amicum communem Nobiliſſimum Heinſium, ut in hunc ipſum Senatum veniatis invito. Tu, Clariſſime Rudbecki! ſingularia quædam in hoc argumento nobis polliceris, quà verbis, quà egregiâ Tuâ eruditione. Itaque magno horum tenemur deſiderio: nec nos tantùm, ſed & plures alii, quibus ſpem horum fecimus; quæ jam eos pariter nobiſcum tenet ſolicitos. Tua, Clariſſime Forneli! quæ ad Ampliſſimum Heinſium miſiſti, habeo. Fac ut plura accipiam: illa enim quæ teneo, deſiderium plurium nobis ingenerant. Credo me utriquè Veſtrûm ſatis materiæ ad ſcribendum, in literis ſubinde ad communem Amicum exaratis, præbuiſſe. Velim autem id à Vobis fieri ſinè mora. Veſtra enim Heinſianis, ſicut iſthæc Rautenſteinianus, ratione temporis, quo commercium literarum de hoc argumento cum Eximiis illis & primæ notæ Amicis exerceo, id à me exigente, ſubjungenda erunt. *Clariſſimo & Humaniſſimo Scheffero plurimam ſalutem adſcribo: cujus nomen ex Heinſianis in opere meo celebrabitur. Aditus ei in illum Senatum ſemper patet. Valete, Viri doctrinâ Clariſſimi! diu & feliciter, inſigni Reipublicæ literariæ commodo, meis verò exiguis conatibus favete, qui ſum.

Eoſdemque ad idem ſtudii invitat.

Rudbeckium Auctor compellat.

Fornelium Auctor alloquitur.

Heinſiana Rautenſteinianis ſubjicere auctor primùm volebat.

** Schefferum Auctor ſalutat & in Senatum Philoſophicum invitat.*

Ad D. Olaum Rudbeckium & D. Jonam Fornelium, Profeſſores Botanices, & Matheſeos in Regia Acad. Upſal.

Clariſſimis Nominis Veſtri

Obſervantiſſimus

STANISLAUS de LUBIENIETZ LUBIENIETZKI.

Ubſaliâ Holmiam die - Julij 1665.

Nobiliſſime Ampliſſimeque Domine!

PRidem ſatiſfeciſſe me deſideriis oportebat Tuis, quæ prolixè ſignificavit mihi Collega & amicus meus ſingularis Dominus Schefferus, de Cometæ indole motuque, quem ſuperioris anni 1664. menſe Decembri, & præſentis menſe Januario Februarioque vidimus cumprimis, quem ejus hîc Ubſaliæ obſervaverimus curſum, idquè eo magis, quia video, meum de ea re judicium, licet exiguum, à bonitate ac humanitate Tua factum tanti, ut volueris id jungi aliorum longè Doctiorum, publicaque luce donari. Et profectò data mihi fuit occaſio non contemnenda cogitandi de Cometis, cum rara ſingularique Illuſtriſſimi Domini Cancellarii indulgentia impetraverim plerorumquè per Europam obſervationes de Cometa dicto, è quibus collegi peculiaria quædam, quod citrà arrogantiam dictum volo, non de Cometis ſolùm, ſed & Univerſo Mundi Syſtemate. Verum ei, qui quid meditatur ſecum, circumſpiciendum tempus, locus, occaſio, videndumque apud quos, quæ meditatus eſt, proloquatur, maximè cum videamus, ne quidem ipſum Dei verbum, ab ipſa prolatum ſapientia, potuiſſe liberum eſſe à multorum malorum bonorumque judiciis diverſis, in exitium non paucorum. †Ut eò minus, quæ concipiuntur ab ingenio humano, non ſubire multorum, bonorum aliquando, ſæpius verò peſſi-

Rudbeckius moram reſponſi apud Heinſium excuſat.

Magnus Cometes Mathematices ſtudioſus.

Rudbeckius ex multis obſervationibus aliorum egregiam commentationem de Cometa compoſuit: nec non de univerſo mundi ſyſtemate.

† Scriptores omnes malis quoque judiciis ſubjacent:

peſſimorum judicia neceſſe ſit. Quod tamen minus ægrè foret ferendum, niſi ad exemplum Apellis aliquando cum ſutoribus res eſſet ſimul, & periculum fortunarum omnium quandoquè adiretur. Quæ ego quoquè mecum perpendens, uniones porcis objiciendos non putavi, immaturos illos fortè, ſed qui aliquando poſſint matureſcere. Maximè cum pars hominum maxima dedita ſit ventri aut ambitioni ſuæ, pauci animum ejuſquè cultum reſpiciant. Quapropter & ob cauſas alias, quas prolixè hìc commemorare non neceſſe eſt, illas meditationes meas, quas prædixi, & non paucas alias igni tradidi, æternaque oblivione delevi. Sed quia pridem amiciſſimo Domino Scheffero promiſeram, me aliquid in gratiam Tuam chartæ commiſſurum, quò ſatiſfaciam pollicitationi meæ, fidemque ſervem ſemel datam, pauca quædem conſignavi, quæ hìc de Cometa obſervavi, & collata cum aliorum ſcriptis uberiorem de hac re præbere cogitandi materiam poterunt, ſic ut ſimul monſtretur via perveniendi ad non pauca necdum prodita, ſi qui liberius in hoc argumento verſari, ſuaque inventa publicare cupient. Ut quid certi de Cometarum eſſentia, loco, generatione, lumine motuque, aliiſque affectionibus prodatur, longâ opus eſt multiplicique experientiâ, quandoquidem qui in univerſum cupit quid concludere, is particularium cognitione inſtructus ſit, neceſſe eſt. Jam verò notum, licet veteres Philoſophi Ægyptii Chaldæique unà cum Græcis varia de eis obſervaverint, de illis tamen eorum obſervationibus ſententiam vix poſſe ferri, cum nil prodiderint de Cometarum illorum loco, motuve de die in diem. Sed & poſt illorum tempora pauci extitere tàm ſeduli, ut corporum ejuſmodi indolem indagarent in natura ipſa, plerique ex Scholaſticorum numero fuêre, qui Naturam ipſi ad ingenium cerebrumque ſuum formarunt, ſupervacuis quibuſdam ad id uſi vocabulis terminiſque, pro arbitratu ſuo. Hoc demùm ſæculo emerſêre quidam ex illis carceribus, inque Natura ipſa lumen, contemplatione corporum quæſivêre, via licet alia aliaque. *Sed cum Cometarum corpora rarò appareant, nequè certum idemque ſervent tempus omnia, nequè locum eundem, vel lumen, vel magnitudinem motumve, idcircò iis, qui in his inveſtigandis operam volebant ponere, non eſt data ſemper ea occaſio, quâ certi aliquid de his corporibus primùm adnotare, & dein ſtatuere valerent. Quanquam verò rariſſimè Cometæ cernantur, aliquid nihilominus de iis certi poſſet tradi, ſi pars Mathematicorum maxima procul à novitatis ſtudio abeſſet. †Vix enim Cometa in cælo apparuit, & implentur bibliopolia omnia prædictionibus innumeris eorum, quas pro ſuo quiſquè ſibi format ingenio, jam de hujus illiuſque Principis aut Regis obitu, jam de bello terrâ marique, jam de peſte, aliiſque mille iſtiuſmodi, idque, quod mirere, priuſquam iter ſuum Cometa vel dimidium abſolvit. Sed hoc fit ambitione, (*a*) quam procul abeſſe ab eruditorum animis oportebat. (*b*) Erat & hoc optandum, ut ne ſinguli deſcriberent Cometæ curſum pro ſuis hypotheſibus, ſive eæ Ptolomæi ſint, ſive Copernici, Tychonis, Carteſii, ſed diligenter notarent iter ejus, ſecundùm longitudinem & latitudinem, diſtantiamque apparentem a ſtellis fixis, contra quàm factum eſt in hoc Cometa, cujus ſunt, quos nominare nolo, ipſi ſatis noti Mathematicis liberiùs hæc ſtudia tractantibus, (*c*) qui miſerrimè ſic commenti ſunt iter, ut ſecundùm ipſos, iverit viam longè aliam, quam ire eum quiſquè vidit. Sanè quid ex his diverſis & ad arbitrium ac conjecturam cujuſquè, non rei veritatem formatis obſervationibus, veri poſſit colligi, nemo eſt, qui non intelliget.

Hominum etiam ineptorum.

Indignis bona objicere nolt.

Rudbeckius multas meditationes & commentationes combuſſit.

Cur animum ad ſcribendum impulerit exponit.

Cometicum argumentum perdifficile:

Veterum ſententia de eo dubia:

Nec novitiorum diligentia diſcendi avidis per omnia ſatisfacit.

Phyſices ſtudium hoc ſeculo maximè excultum.

** Cometicum argumentum quare ſit difficile.*

Cometologorum vulgò præcipitanter ſua in lucem protrudentium pravum morem Rudb. notat.

† Aſtrologicæ prædictiones ex Cometis factas Rudb. perſtringit:

Præcipuè quòd ſint prematuræ.

(a) Ambitio doctis non convenit.

(b) Cometologorum defectus,

(c) Quorundam & pudenda commenta.

Quæritur autem primò, utrùm Cometæ corpora ſint merè naturalia, generata ab aliis, & interitui obnoxia? num ab initio creata & ad conſummationem Mundi duratura?

Cometæ an corporà merè naturalia & ab initio creata?

Et videri Deus poteſt nunc creare Cometam, hominibuſque monſtrare, ut ſignum iræ ſuæ, imminentiſque pœnæ.

Eoſdem nunc creari probabile eſt:

Verum ſi hoc eſſet, Mathematicorum nemo, quantumvis doctus, ex unius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Motus eorum certò [illegible] nequit: Si aliquid huic vel illi regioni ſignificant, [illegible] neceſſe eſt.

& alterius diei curſu & ſitu, intelligere in anteceſſum poſſet, quo iter ſuum ſit deinceps inſtituturus Cometa, & quo ſecundum proportionem motus, id quod tamen fieri poteſt. Sed etſi regioni populove ſignum exhibere vellet, ut per illud ſevocaretur a peccatis ſuis, aut ſignificaretur aliud quidpiam, Cometa imminere illi ipſi regioni populove deberet, ſicut columna ignea imminuit ſupra Iraëlitas, eoſque duxit per deſertum, & ſtella Magos Chriſtum recens natum quærentes anteceſſit; vel ſicut aliqua prodigia, globi e. g. igniti, cælo lapſi, ante bella ingentia, mutationeſve alias ſunt viſa. Jam autem Cometa toti orbi habitabili poteſt viſus eſſe, ut iccirco mala iſta portendiſſe univerſo orbi ſit neceſſe, vel ſi certæ ejus parti, eam definire nemo valeat. Quod ſi omnium temporum evolvamus hiſtorias, deprehendemus, bella, peſtem & id genus ſæpiſſimè, nullo antecedente Cometâ. Sed & Cometæ viſi aliquando, nullâ ſequente notabili mutatione rerum, niſi quis, quæ ſex, octo, decem, pluribuſque annis poſt acciderunt, quam apparuit, ab ipſo dixerit ſignificata, aut quæ evenerunt ante, cum nonnunquam in medium talium interveniat. * Quod ſi Cometas eo fine Deus condit, ut ſignificent mutationes ejuſmodi, quid ita nullos legimus in S. litteris ante tot mutationes quæ populo Judaico evenerunt, cui velut ſuo & peculiari, haud dubiè mutationes iſtas ita præmonſtraſſet. Nullus legitur Cometa antè diluvium, nullus antè iter Iſraëlitarum per mare rubrum & Pharaonis internecionem, nullus ante tot ingentia eorum bella, nullus antè captivitatem eorum Babylonicam &c. Quare verò propius, (*a*) Prophetas Sanctos, veros fuiſſe Cometas, hodieque eſſe, Secundum illud Chriſti ipſius, (*b*) *habent Moſen & Prophetas.* Quanquam non ſit inconveniens, ſed potius laudandum, (*c*) ſi Theologi occaſione talium utuntur ad excitandam pietatem in mortalium animis, ſicut Deus ipſe ex aſpectu Iridis de totius univerſi, igne perituri, ſine nos jubet cogitare, cùm tamen (*d*) Iris naturalibus ex cauſis oriatur, (*e*) & ex fructuum ficulneæ contemplatione in memoriam revocare nobis liberationem noſtram. In eundem modum, ex Solis, Lunæque eclipſibus, aliorumque corporum naturalium mutationibus, docere noſtras infirmitates, & rerum citò tranſeuntium inconſtantiam poſſunt. (*f*) Quod ſi Cometa corpus eſt ab initio creatum cum corporibus aliis, neceſſe eſt, ut ſubinde ſubtrahat ſe viſui noſtro, tàm alte aſcendendo in cælos, ut ad eum acies noſtrorum oculorum non pertingat. Cumque non revertatur ſeque offerat viſui noſtro certo definitoque tempore & loco, certumque ſibique ſemper ſimilem teneat curſum, curſum ſuum motumve nec ex ſe habere poteſt, neque, ut alia corpora cæleſtia, regi ex certo ſtellæ planetæve curriculo, ſed tempore aliquo ſequi ſtellæ aut planetæ athmoſphæram ſive ſphæram vaporoſam, donec ab alterius ſtellæ ſphæra, cujus rapidior eſt motus, aut in cujus ſphæram alias deſcendit, abripiatur. Quemadmodum in ſchemate primo Cometa A: ſitus in Athmoſphæra ſtellæ B. tam longe à terra * ut ad eum viſus humanus non pertingat, curſum ejus ſequitur ab A. per D. uſque C. Poſtquam venit ad D. ſequitur Athmoſohæram ſtellæ F quia curſus ejus concitatior eſt, quàm ſtellæ B. vel quia plus deſcendit in illius ſphæram, ut apparet ex centro Cometæ prope D, & ſic ſuum deinde inſtituit curſum, ad illius ſphæræ motum à D. ad F. G. quo fit ut nobis fiat propior conſpicique poſſit, rurſumque è conſpectu noſtro abeat aſcendendo in H. I. aut K, vel rectius loquendo ſe ſubducat quodam tempore. Quod ſi longius ſequeretur aliarum ſtellarum planetarumve Sphæras, qui nobis propiores ſunt, ut L. &c. diutius à nobis conſpiceretur, donec ab aliarum ſtellarum ſphæris rurſum tolleretur in altiora. Hic oſtendendum eſſet, quam ob cauſam & quomodo Cometa ex ſphæra unius ſtellæ in aliam tranſeat, quare in maximo motu irregulari apparenti habeat motum regularem, & id genus, quæ nunc brevitatis gratiâ omittuntur. Id ſaltem hinc apparet, ſententiam de Cometa ſic creato non omnino abſurdam videri. Tantùm inquirendum eſt à Mathematicis duobus pluribuſve in

*Cometæ nullo [illegible] Nec ſemper [illegible] Cometis [illegible] tribuun[illegible] * Mutationes [illegible] (a) Prophetæ [illegible] (b) Scriptura S. [illegible] (c) Hæc tamen [illegible] (d) Iris naturale quid [illegible] ſed ſignificationem [illegible] habet. [illegible] Ex ſphæra [illegible] ſtellæ [illegible] tranſit.*


remo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47


N°. 22.

Figuræ I. 2. 12. Obſervationum Cometicarum, et demonſtrationum Mathematicarum, à Cl. Viro Olao Rudbeckio etc. Upſaliæ factarum, ad Communicationem Upſalienſem pertinentes.

Fig. 1.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47






Fig. 2.




Fig. 12

B. Stopendaal ſculp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

remotiſſimis à ſe locis conſtitutis, præſertim ſub Meridiano eodem, qui obſervaverunt ejuſdem Cometæ curſum eodem tempore, an ex parallaxi ejus viderint, poſtquam proximè ad nos acceſſit, eum diſparere, itemque in deſcenſu ſuo factum eſſe minorem minoremque. Sic enim certum foret corpus ejus eſſe generatum. Sed ex eo velle ſtatuere generatum, quod paulatim viſus ſit minor atquè minor, falſum eſt, cùm aſcendiſſe potuerit, & ſic receſſiſſe longius à viſu noſtro, licet eandem retinuerit magnitudinem. Quod ſi in loco ſummo, quantùm poteſt conſpici, ſublatus videtur, magnitudinis ejuſdem revera, non apparenter, (nam apparenter quidem quo eſt nobis propior, hoc videri major debet) cujus fuit, cum nobis eſſet proximus, tum eſt veriſimilius creatum eſſe corpus, quod duret perpetuò, quàm generatum. Hoc ergò primum eſt, quod magno ſtudio à Mathematicis inquiri debet, nequè ratione meliori poteſt fieri, cum Cometæ benè altè conſtituti ſint, quàm ſi in ultimis Septentrionis Sueciæve, ultimis Meridiei Africæve oris, ſub Meridiano uno iſthæc obſervatio inſtitueretur.

An ſit creatum corpus quod perpetuò duret vel generatum, ante omnia quærendum eſt.

Obſervationes in remotiſſimis & extremis locis ſub uno Meridiano multum ad Cometicam rem faciunt.

*Si Cometa generatur, neceſſe eſt, ut generetur ex effluviis aliorum corporum, terræ puta, Solis, planetarum, ſtellarumve aliarum, idque vel in, vel extra ſphæram eorum. †A terra non generari, ſatis manifeſtum eſt, demonſtratumque à Mathematicis, cùm à ſe tantum materiæ diffundere terra nequeat, etiamſi tota ſolvatur, quantum ad productionem tàm vaſti Cometæ corporis requiritur. Præterea nec Cometæ deprehenſi ſæpè ſtare in Sphæra terræ aut circà eam moveri, ut nunc alia omittam, quæ à Mathematicis produntur. Quanquam impoſſibile non videatur, ut Cometa generari in terræ vicinia incipiat, adſcenſuque ſuo attrahat amplius & amplius materiæ neceſſariæ. Sed tùm aliæ eſſent ejus apparentiæ, quàm nunc vulgo ſunt, de quo hac vice nolumus diſſerere. Si ab unius ſolius corporis effluviis generantur, ut Solis vel alterius, neceſſe eſt hæc corpora ingentis eſſe magnitudinis, quæ tantam de ſe prodere materiam poſſint, Cometamque moveri vel intrà ejuſmodi corporis ſphæram circulariter, à quo generatur, & perpetuò æqualiter diſtare ab illius centro, ut Cometa A. in ſchemate 2. circà Planetæ centrum B. movetur in circulo 1. 2. 3. 4. intrà peripheriam Sphæræ 5 6. 7. 8. motumque habeat valdè regularem, cum æqualiter diſtet ſemper à centro Planetæ. Aut Cometam recedere paulatim oportet a centro verſùs peripheriam Sphæræ. Ut Cometa K. in eodem ſchemate generatus propè Planetam C. vel circulariter ſed per modum Helicis, pergit per D. E. F. G. paulatim ad peripheriam, vel recto itinere tranſit à C. in H. Si generatur extra Sphæram, veroſimile ſit generari in triangulari ſpatio inter planetarum ſtellarumve fixarum ſphæras, ubi mutuò ſeſe tangunt. Ut in ſchemate primo in M. ubi motus eſt minimè concitatus, & iccirco materia ejus facillimè condenſari poteſt. Sicque poſtquam in tantam corporis concrevit magnitudinem ut tangat peripheriam ſphæræ alicujus ſtellæ planetæve N. L. aut E. ſequi ſphæram ejus, cujus concitatiſſimus eſt motus, vel in quam maximè deſcendit. Hic monſtrandum eſſet phyſicè, ſi Cometa generatur in corporis alicujus vicinia, quis ſit modus generationis ejus, cumque moveatur, utrum id per rectam fiat lineam, quaque fieri hac poſſit ratione, num potiùs per helicen aut alia aliqua figura, quoque iſtæc omnia evenire poſſint modo.

** Cometa an generatur?*

†Non generatur à terra:

Fortè tamen in vicinia terræ generari cæptus altiora petens augetur:

An ex effluviis unius corporis, ut Solis &c.

An in vicinia unius corporis?

Quomodo generari deberent intra, vel extra ſphæram aliquam, quæque ex diverſis hiſce ſententiis maximè eſſet veritati conſentanea. Sed hæc omnia comprehendere in epiſtola nimis longum foret. Qui hæc leget, ipſe deprehendet, quæ hùc pertinebunt. Nam ut imago eadem fundi poteſt ex ære, elaborari torno, fingi cera, ferro ſcalpi, ad eundem modum & in Phyſicis Mathematicisque idem poteſt eſſe effectus, demonſtrari nihilominus diverſimodè, eaque demonſtratio ejus maximè teneri, quæ eſt optima & certiſſima & evidentiſſima.

An extra vel intra ſphæram aliquam?

Harum quæſtionum uſus.

Porrò ut loquamur de Cometæ lumine, unde illud oriatur, primùm notari ejus diverſitas debet ratione ſpeciei externæ. Primùm enim aliqui Cometæ

Cometarum lumen unde oriatur.

caudam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

*Cauda eorum multiformis: Quidam eorum nullam habent: *Hæc ſemper à Sole in recta linea averſa: Colores ejus varii: Quandoque ſcintillat: Quid hæc ſit diſquiritur.*

caudam habere longam & in acumen deſinentem videntur, alii longam & in fine latè ſparſam, alii brevem, alii nullam, ſed figuram præferre rotundam roſæ inſtar, aut cum radiis minutis velut crinibus ambientibus. Eſt, ubi idem Cometa nunc nullam videatur habere caudam, nunc longam latamque, eamque modò rectam modò curvam. *Deinde obſervandum, caudam plerumque, quantum hactenus innotuit, directè à Sole eſſe averſam. Tertiò colores quoque caudæ eſſe diverſos, purpureos aliquando, aliquando flavos aut luridos. Quartò cerni quandoque ſcintillantem, & igniculos velut de ſe ſpargentem. Hæc ferè ſunt, quæ oculis inſtrumentiſque Opticis in eo poſſunt obſervari. Quod caudam attinet, oportet eam eſſe vel flammam, vel lumen ex Cometæ corpore proveniens, vel certè lumen à Sole, ſtellave alia, ſuo proprio prædita lumine in corpore Cometæ reflexum refractumve. Si flamma eſt, lumenve ſuccenſum in Cometa, poſtquam corpus ejus fuit generatum, ut fit in ſtellis cadentibus, globiſve ignitis, aliiſque ſimilibus meteoris, natis ex ſulphurea, nitroſa & vaporoſa materia, quæ perinde accenditur, ſicut fuligo in camino, quæ ad tempus non inflammatur dum colligitur ex lignis humidioribus, mox exſiccata ex aridioribus lignis, vel calore fotis, minima ex cauſa flagrat, non eſſet improbabile, ſi obſervatum haberemus à Mathematicis, dum diligenter obſervant aſtra, nec vident corpus ullum ſolito clarius obſcuriuſve, eo momento comparuiſſe Cometam lucidi corporis, cum lucida longaque cauda, ſatis manifeſtum foret, corpus illud igne flagrare. Sed cui Mathematicorum hactenus ſors ea accidit? Id potiùs invenimus cum eorum legimus Obſervationes, nullum ab ipſis primò obſervatum eſſe Cometam, ſed vel à ruſticis nocturna itinera facientibus, vel á vigilibus Urbanis, vel ab aliis per plateas graſſantibus. Sed nec illud abſonum eſſet, ſi id quod prædixi, obſervatum a Mathematicis haberemus, Cometam eò magis lumen ſuum amittere ac diſparere, quò ad nos propius accedat. Porrò contra hæc pugnare illo ſolo argumento, quòd Cometa habeat caudam averſam ſemper a Sole, non ſatiſfacit, demonſtrari namque poſſet, ſi neceſſe foret, flammas ſeſe flectere ad aliorum corporum, lucidorum aut obſcurorum certos motus. Sed ſi argumentum aliquod hic poteſt eſſe validum, id maximè videtur veriſimile, quod corpora omnia majora & accenſa in libero ſpatio ſive aëre, ubi ab una parte non eſt majus obſtaculum, quam ab altera, effugere flammam ſuam quærant, ut fit in ignibus miſſilibus in aëre, *ſtellis cadentibus, globis ignitis &c. Quæ omnia corpora eò, quo ſe vergunt †præmittunt caput, caudam verò trahunt poſt ſe. Quod non fit in Cometis, ‡qui quandoque caudam trahunt poſt ſe, quandoque eandem præferunt ante ſe.

Meteora ignita unde generentur.


*Cometarum obſervationes non à Mathematicis, ſed ab hominibus vulgaribus incipiunt. Cometæ cauda à Sole averſa. Flammarum flexio. *Stellæ cadentes. Globi igniti. †Ignita corpora trahunt poſt ſe caudam. ‡Cometæ alii caudam poſt ſe trahunt, alii præferunt.*

a) An lumen à ſtella quadam accipiunt? b) Solaris & Planetarum terræque orbis ad cælum ſtellarum fixarum comparatus inſtar puncti eſt. c) Cometa videtur potiùs à ſtella, in cujus ſphæram tranſit, quàm à Sole lumen reflexum habere. d) Sed obſtat Cometæ ſex ſigna Zodiaci peragrantis motus.

(*a*) Quod ſi lumen Cometæ accipiunt à ſtella quadam, lumen illud ſuum ſive caudam avertere ſemper à centro ſtellæ ejus neceſſe eſt, in cujus ſphæra conſtituuntur. (*b*) Nam ſi totus orbis Solis, in quo planetæ omnes una cum terra eunt, in comparatione cum cælo ſtellarum fixarum non major eſt, quàm punctum, neceſſe eſt ſtellam minimam, quæ in cælo puncti inſtar cernitur, eſſe ſi non tàm magnam, ac peripheria tota orbis Solis, minimùm tam magnam, ac eſt ſphæra Solis infra terram aut ſaltem ac corpus ipſius. (*c*) Quo poſito facilius Cometa ſuum lumen reflexum refractumque poteſt à ſtella habere, in cujus ſphæra eſt collocatus, quam à Sole, qui & minor eſt, & multis modis longius à Cometa remotus. (*d*) Sed hinc ſequeretur, Cometam, qui partem dimidiam ſignorum cæleſtium percurriſſe nobis videtur, ſæpè immutaſſe ſphæras & ſitum caudæ ſuæ, pro ſphæra ſtellæ cujuſlibet, in qua eſt collocatus. Nam impoſſibile eſſet ſequendo ſtellæ alicujus ſphæram, licet tanta ea eſſet, ut peripheria ſua tangeret centrum terræ, Cometam videri poſſe ſex Zodiaci permeaſſe ſigna. Ut Cometa F. Fig. 3. currens in peripheria B. C. D. ſtellæ A. tangentis centrum terræ E, non poteſt videri plura permeaſſe ſigna quàm hæc quinque G. H. I. K. L. Jam quis Cometa unquam terræ tetigit peripheriam, ut de centro ejus nihil dicam? Sed nec Cometa ullus viſus eſt mutare ſitum

caudæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N°. 23

Figura tertia Rudbekiana, ad Communicat. Ubſalienſem pertinens.




Fig. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

caudæ ſuæ, ſed perpetuò averſam habere è Sole. Unde ſequitur eum eſſe intra ſphæram Solis orbemve, in qua planetæ verſantur. Vel ſi inventus eſt Cometa curſum ſuum habere inter ſtellas fixas, ſequique ſphæras earum, neceſſe eſt ſtellam nullam ſuum proprium habere lumen, ſed mutuatitium à Sole, perinde ſicut Cometa.

Cometa eſt intra ſphæram Solis & Planetarum.

Stellæ an habeant lumen proprium.

Si vero ſimillimum videatur, Cometam lumen ſuum accipere à Sole, partim per reflectionem, quod liquet ex ipſo ejus corpore, partim per refractionem unde cauda ejus; neceſſe eſt corpus ejus, quando cauda æquè lata, vel latior corpore videtur, eſſe longè majus, quam apparet. Nam e. g. ſi Sol A. in fig. 4. radios projiceret ſuos ad peripheriam ſphæræ ſuæ vel circulum aliquem interiorem B. C. D. ſupponendo 100000. pro quibuſlibet decem gradibus, tangeretque Cometam, ut e. g. E. decem gradus magnum, nec collectis in eo radiis, per lineam rectam omnes 100000. tranſirent, corpus ejus non conſpiceretur, ſed cælum tempore nocturno in F. & E. ſimile haberet lumen ut in G.

Cometæ corpus per reflexionem, cauda per refractionem lumen à Sole habet.

Quod ſi corpus eſt nullos radios per ſe tranſmittens, ſed reflectens omnes, aut rotundum erit, & ſic æqualiter ab omni parte radii reflectentur, Cometaquè cernetur haud ſecus ac Planeta, lumen ſuum obvertens Soli, quanquam corpora ejuſmodi, ſi perfectè rotunda in peripheria circuli proxima illi corpori unde lumen accipiunt, maximè lucere neceſſe ſit.

Cometa an lumen ſuum obvertat Soli ut Planeta: & corpus ejus quale.

Aut corpus ejus erit planum, vel concavum, caudamque ſuam vertet verſus Solem, aut inæquale, præferetque Lunæ figuram. At nunc videmus Cometam caudam ſuam à Sole avertere, unde neceſſe eſt corpus ejus iſtiuſmodi naturæ eſſe, ut vel lumen omne, quod accipit a Sole A, tranſmiſſum conjungat. e. g. Cometa H. decem gradus magnus, 100000. radios accipit, quos omnes tranſmiſſos per ſe ob certam corporis figuram, quod in Opticis demonſtratur, nec ob temporis anguſtiam oſtendi poteſt, colligit in I. Sed hâc ratione Corpus Cometæ non cerneretur, verùm punctum I. præferret ſpeciem Cometæ cum cauda duplici, quarum una ſe obvertit Soli, ut K. alia avertit ab eo ut L. vel ſi 50000. reflecteret, corpus quidem ejus cerneretur, reliqui 50000. refrangerentur. Sed hoc pacto cauda ejus obſcurior eſſet verſus corpus K. & clarior verſus I. deſineretque in acumen, indeque rurſum dilataretur ad L. Aut corpus ejus ita figuratum ſit neceſſe eſt (id quod demonſtrari poſſet) ut 50000. radii penetrantes ſtatim propè N. in illa ſuperficiei parte, quæ à Sole eſt averſa colligantur in ipſa ſuperficie, aut propè eam & ſic diſpargantur verſus O.

Nam ſi lumen cerni debet alio in lumine, illud quod cernendum eſt, plures habeat radios, quàm alterum, oportet. Verùm ita impoſſibile, ut Cometæ cauda prope N. æquè videatur lata & magna cum ipſius corpore M. verùm minor, aut ſaltem ea pars corporis Cometæ, quæ eſt inter N. P. radioſque colligit, appareat ſola, non ut reliqua, quæ eſt extra id ſpacium inter T. V. & ſic pars multo maxima Cometæ non cernatur, ſuppoſito, quod dictum eſt, æquè latam cerni caudam propè corpus, ac eſt ipſum corpus.

Sed hîc obſervandum, ita nullam caudam in Terra Q. à nobis conſpectum iri, niſi radii collecti, quantumvis validi ſint propè N. & indè copioſe exeant verſus O. paulatim ſeſe ſeparando, inter P. & O. reflectantur verſus nos à corpore nebuloſo craſſove. Nam radii Solis R. euntes verſùs Cometam M. perque lineas rectas collecti in N. & rurſum diſperſi per lineam rectam ad O. non poſſunt ad viſum noſtrum pertingere in Q. niſi perpetuò ab alio nebuloſo craſſoque corpore inter P. & O. reflectantur, ſicut radii Solares à nebula ſurgente, ſi lucent inter nubes, ſpeciemque præ ſe ferunt virgarum, aut inter domos in plateis cum purgando excitatur pulvis. Evenit equidem ut ubique in cælo lumen reflectatur, tàm in G. & S. quàm in P. & O. ſed id nimis eſt exiguum, licet æqualis ſit nebula in G. & S. ac in P. & O. nam quia radii ſolares in G. & S. non ſunt conjuncti ac tot uniti reflecti poſſunt, ut in P. & O. idcirco lumen cerni tantum non poteſt. Hîc oſtendi poſſet, nullam eſſe tàm

 obſcu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Meteoron à Rudbeckio & Comite Magno Sueciæ Cancellario obſervatum ſimile Cometæ.

obſcuram noctem, ut non qui oculos haberet rectâ proportione accommodatos, omnia cerneret noctu, crederetque diem eſſe; nullumque eſſe diem tàm clarum, quem non diceret longè clariorem ipſo Sole. Sed hoc amplius expendendum illi, qui ab otio abundat. Ego ut clarius exponam, quæ ad caudam Cometæ pertinent, addam, quod nunc tertiâ vice obſervavi, meteoron quoddam. Primùm antè annos 16. poſt ſuperiori hyeme circa Feſtum Novi anni in Weimegaren, ubi primùm ſummo mane obſervavit Illuſtriſſimus D. Regni Cancellarius, mihique ſignificavit, denique dies quindecim circiter poſt. Id erat hujuſmodi: Cum Sol nondum eſſet ſupra horizontem, ſed poſt horæ dimidium demùm emergere deberet, nubes diametraliter ab oculo ſtabat verſus Solem figurâ ovali ut A. in fig. 5. quæ in medio ſuperficiei caudam habebat longam, ſurgentem verſùs cælum à Sole averſam ad gradus 76, ſed in inferiori parte propè B. nubes, quæ ſe obvertebat Soli O. non erat purpurea, ut fit aliàs mane per auroram, verùm ſuperfices ſuperior propè C C. luminis nonnihil habere videbatur, propeque D. finiri cauda, cujus longitudo meliùs cernitur in figura 5. circà litteram E. ubi F. exhibet nubem, G. Solem cælum totum ſuprà eam maſſam F. opertum nubibus H. I. K. unde nebula oriebatur in aëre, nixque procidebat rara & exigua. Quo plus Sol ſurgebat, hoc plus & nubes H. propè Horizontem ſurgebat verſùs I. ut Sol luceret tantùm inter H. & I. quo tempore paulatim cauda evanuit, idquè ut exiſtimo, ex eo primùm, quod nubes H. I. K. clarior clariorque fiebat, totuſque infrà aër, ſic ut cauda in nube F. cerni longius non poſſet, dein quod cauda paulatim ſeſe obvertebat viſui noſtro, unde nubes F. cerni quidem poterat, ſed abſque cauda ſtante Sole in M. lucenteque per F. ad oculum L. illuſtranteque omnes nubes ab H. in I. K. inter H. & F. quæ omnia puto rectius intellectum iri a Phyſicis & Mathematicis, ſi aſpicient figuram ipſam, videbuntque hoc meteoron habere multa cum Cometis communia, ſi rectè introſpiciatur. Quòd verò cauda Cometæ aliquando longior, aliquando brevior videtur, ejus rei poteſt eſſe cauſa, quod, ſi eſt ignitum aliquid, materia ejus ſit inæqualis conditionis, modò ſiccior & ſulphurea magis, modò humidior, ſicut fit in igne culinari; vel ut ſeſe obvertit noſtris oculis, id quod amplius probabitur, cum ad caudam venero, conſtantem ex ſola collectione radiorum Solarium, quæ in ſe poteſt quidem eſſe ſemper æquè longa, at nobis ob diverſum ſitum aliquando brevior, aliquando longior apparere. Cum in mucronem cernitur deſinere, videtur in eo ſimilis eſſe reliquis ignitis coloribus, quæ flammas habent in mucronem deſinentes. Quod ſi in fine latior eſt, oportet eſſe materiam ejus vehementer flagrantem, atque inæqualem, multo nitro mixtam. Ut in figura 8. Cometa conſtans ex ſex corporibus inæqualibus A. B. C. D. E. F. A flammam ſuam projicit verſus G. B. verſus H. C. verſus I. D. verſus K. E. verſus L. F. verſus M. quæ omnes flammæ latam caudam faciunt. Quod ſi Cometæ corpus foret pellucidum, cujus materia eſſet æqualis, ſemperque æquali numero radios colligeret & reflecteret, nihilominus nobis videri aliquando poſſet major cauda ejus, aliquando minor. Ut ſol ſit in M. fig. 3. & Terra in E, Cometa in γ. videretur nobis in cælo ſtare inter N. & P. cum cauda, cujus longitudo eſſet ab O. in P. Quod ſi eſſet in δ, videretur in cælo ſtare inter q. & r. & caudam habere ab r. in s. Quod ſi in E, ſtare videretur inter T. & V. caudamque habere ab V. in X. Quod ſi in H, ſtare videretur inter Z. & α. nullamque habere caudam, ſed orbiculatim undique de ſe radios minutos ſpargere, inter X. & Y. ac α. & β, & velut virgas aut capillos emittere.

Cometis cur aliquando longior, aliquando brevior.

Ignita corpora flammas habent in mucronem faſtigiatas.

Cometæ cauda, quandoque & ipſe Cometa non videtur, ob vicinitatem Solis vel Lunæ.

Eodem modo cauda ejus, etſi eſſet ignita, videri nobis poſſet modò longa, modo brevis, modò in Cometæ ambitu inſtar crinium. Fit & nonnunquam ut Cometæ cauda nobis planè non conſpiciatur, imò ipſe etiam Cometa, ſi nimium propinquet Soli, aut ſupra eum eat, vel nimium propinquet Lunæ plenâ luce fulgenti, aut penè plena. Quòd verò cauda Cometæ aliquando videa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura 5. et 8. Rudbekiana N°. 28

Fig. 8





Fig. 5.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

videatur curva, id eò accidere videtur, quòd radii Cometæ per corpus aliud craſſius, quàm reliqua, per quæ procedit Cometæ cauda, reflectantur. Ut Cometa A. in figura 6. refrangit lumen ſuum uſque ad B. ubi occurrit corpus craſſius ac nebuloſius, B. videlicet, quàm quod eſt inter A. & B. & poſt reflectit illud a B. in C. unde fit ut cauda videtur verſus B. Putare verò ex inæquali diſpoſitione corporis Cometæ poſſe fieri, ut radii ſeſe flectant, id erroneum eſt, fierique nunquam poteſt. *Omnis enim radius recta linea procedit, nec unquam flectitur, niſi ab alio interveniente corpore flectatur, à quo rurſum procedit rectâ lineâ, niſi denuò ab alio corpore flectatur. Quod non eſt neceſſe probari multis illi, qui vel tantillum ex opticis intelligit. Fieri equidem poteſt, ut ex diverſis partibus corpus Cometæ conſtet, quarum aliæ longiorem, aliæ breviorem faciant caudam, ut Cometa A. in figura 7. cujus una pars A. ſic eſt diſpoſita, ut radios demum colligat in C. & emittat in E, altera verò pars B. ut colligat ſtatim in D. & diffundat uſquè in F. unde poteſt fieri, ut cauda videatur curva prope C. Sed hoc cerneretur ſubſidio Tubi Optici, ſi tam inæquales radios Cometa emitteret. Si Cometæ cauda eſſet flamma, demonſtrari facilius poſſet, quomodo verſùs finem, aut in medio flecteretur. Quod colores ejus attinet, ut quod Cometæ quidam videantur luridi, alii pallidiores, alii rubicundi magis aut flavi, ex eo poteſt eſſe, quod vel corpus per ſe ejuſmodi eſt materiæ, quæ in ſe continet colores illos, vel quod ſphæra ejus ſtellæve, in qua eſt conſtitutus, effluvia habet ejuſmodi coloris. Sed & vapores terræ vicinæ idem poſſunt efficere, per quorum effluvia lumen ejus tranſmittitur ad noſtros oculos. Velut radii Solares tranſmiſſi per vitrum coloratum, aut plenum vini colorati, ejuſmodi coloris, cujus vinum vitrumve eſt, ad oculos aut corpus aliud transferuntur. Unde vero color ille ſit, & num rectè in verum apparentemve diſtinguatur, aliis relinquitur cogitandum. Quòd verò aliquando cauda Cometæ videtur ſcintillare, non eſſet vero alienum, ſi flamma foret, multiſque ac ſæpè hoc eſſet obſervatum. Si cauda ſolùm eſſet ex collectione radiorum, poſſet fieri, ut nonnunquam ſe mutaret, atque hic frequentiores, illic rariores haberet radios, id quod obſervavi ipſe in meteoro, de quo ſupra egi, cujus cauda aliquoties immutabatur ad nubeculæ mutationem, verùm tardius citrà ſcintillationem. Poſſet demum fieri ut aliquando clara die, qua in ſphæra Cometæ particulæ craſſæ & inæquales celeriter moverentur per caudam ejus, eæ radios ejus celeriter reflecterent ad noſtros oculos, unde cauda ſcintillare videretur, id quod arte quoque demonſtrari poſſet. An corpus ejus, ſive generatum ſit, ſive non ſit, ex æquali, num inæquali conſtet materia, oculis quidem noſtris cerni non poteſt, ſed per tubos, præſertim ſi ſit generatus, iterumque corrumpatur, (*a*) quod Celeberrimus Hevelius in Prodromo ſuo obſervavit, de hoc Cometa. (*b*) Sic an Cometæ corpus ſit rotundum, quadratum, planum, ovalis, aut alterius figuræ, id omne per inſtrumenta diſci neceſſe eſt, item utrum latus planum obvertat Soli, an ab eo avertat, vel angulum ei opponat. Utrum in curſu ſuo vertatur circa proprium centrum & axem, num vero latus unum idemque perpetuo Soli habeat oppoſitum. Quæ omnia pulchrè poſſent demonſtrari, ſed temporis brevitas non permittit. Poſtremo apponam hypotheſin, quam obſervavi ex naturali experientia, quæ ſat bene omnium cœleſtium corporum motus, luminiſque varias affectiones, & id genus demonſtrabit, poſtquam aliqua de nupero Cometa attulero. Hactenus enim in univerſum de Cometis aliqua diſſerui, quantum in epiſtola potuit fieri, & eo loco, in quo mihi contigit verſari. Quod ergo Cometam attinet, quem ſuperiori 1664 anno in Decembri obſervavimus, primum is nobis viſus 7. Dec. St. Vet. mane circa 6. & 7. ante caput Corvi, triangulum conſtituens prope æquilaterum cum oculo & roſtro Corvi. Longitudo erat 4. grad. Libræ, & latitudo 21. grad. 9. Decemb. erat Longitudo 1. gr. 45. m. Libræ latitud. 25. gr. 30. min.

Cometici corporis inæqualis diſpoſitio radiorum flexionem non efficit.

** Radius omnis in directum procedit.*

Cometa inæquales radios non emittit:

Ejus color diverſus unde provenіat?

An ſit verus & apparens.

Cometicæ caudæ ſcintillatio diſcutitur.

** Cometicum corpus, ſive generatum ſit ſive non, an ex æquali vel inæquali conſtet materia.*

(a) Hevelii ſententiam de generatione & corruptione Cometæ Rudbeckius proponit.

(b) Cometicum corpus quale ſit, quomodo poſitum vel conſtitutum, & quomodo moveatur.

Cœleſtium corporum motus.

Luminis variæ affectiones.

Obſervationes Cometæ hyemalis Upſaliæ factæ à 7. 17. Dec. ad 10. 20 Febr.

11. Dec.

11. Dec. Longit. 27. gr. 15. min. lat. 30. gr. 13. Dec. Longit. Virg. 13. gr. 30. min. lat. 38. gr. 10. min. 8. x. & XII. Dec. videri non poterat propter obſtantes nubes, ut & poſtea ad 20. Dec. & quia Horizontem noſtrum ſubiverat.

20. Dec. circa 7. veſpertinam cernebatur ante caput Leporis long: 8. gr. Gemin. latit. 37. gr. 15. min. o.

21. Dec. Long. 1. gr. 15. min. Gemin. latit. 33. gr. 5. min. ferè.

22. Dec. Longit. 25. gr. Tauri latit. 29. gr.

23. Dec. Longit. 20. gr. Tauri latit. 24. gr. 40. min.

24. Dec. Longit. 15. gr. Tauri. latit. 19. gr. 30. minut.

25. Dec. Longit. 11. gr. Tauri. latit. 16. gr.

26. Dec. ſtabat poſt lucidam mandibulæ Ceti verſus Occidentem, Longit. erat 9. gr. Tauri latit. 13. gr.

27. Dec. Longit. 6. gr. 15. min. Tauri latit. 10. gr. 30. min.

28. Dec. Longit. 4. gr. 15. min. Tauri latit. 8. gr.

29. Dec. Longit. 3. gr. 15. min. Tauri latit. 6. gr. 15. min.

30. Dec. Longit. 2. gr. Tauri latit. 5. gr. 12. min.

31. Dec. ut & 1, 2, 3, 4. Januarii 1665. non cernebatur propter nubes.

5. Januarii Longit. 29. gr. 15. min. Arietis latitudo nulla.

6. Jan. Longit. 28. gr. 45. min. Arietis latit. Borealis 45. min. ferè.

7, 8. Januarii non cernebatur propter nubes.

9. Jan. Longit. 27. gr. Arietis 30. minut. latit. 1. gr. 40. min. ferè.

10. Jan. Long. 27. gr. 10. min. ferè latit. 2. gr.

Poſtea 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, non cernebatur propter nubes.

22. Jan. Longit. 25. gr. Arietis, lat. Boreal. 5. gr. ferè.

23. Jan. Longit. adhuc 25. ferè gr. Arietis, at latit. Boreal. 5. gr. 15. min.

25, 26, 27, 28. Januarii rurſùm cerni non poterat propter nubes.

29. Jan. Longit. 25. gr. 30. min. Arietis latit. 6. gr.

30. & 31. Jan. ac 1. Febr. rurſùm propter nubes videri non poterat.

2. Febr. Longit. 26 gr. Arietis latit. 6. gr. 4. min.

3, 4. Febr. iterum diſparuit.

5. Febr. Longit. 26. gr. 5. min. latit. 7. gr.

6, 7, 8, 9. Febr. non apparuit.

10. Febr. vix amplius videri potuit, Longit. erat 27. gr. Arietis latit. 8. gr.

Rudbeckius ſuas obſervationes cum ſuis Collegis communicat, & cum Hevelianis confert.

** Cometicæ caudæ longitudo & ratio diverſa.*


Atque ita à 22. Jan. curſum ſuum vertere retrò eſt viſus cum ſignis Zodiaci, cùm ante iverit adverſus ea. Hoc eſt quod ego obſervavi, contulique cum Collegis meis Clariſſimo M. Petro Fontelio & M. Jona Fornelio, & M. Magno Celſio. Video & Celeberrimum Hevelium obſervaſſe mecum curſum ejus retrò ad 8. niſi fallor Februarii, quod puto rariſſimum, vel nunquam eveniſſe. *Quod caudam ejus attinet, in Decembr. ad 13. uſque manè ad 6, 7 aliquando & 8. gradus videbatur longa, ſed poſt 20. uſque ad 45. vel 6. grad. aliquando caudam habere nullam cum appropinquaret Lunæ, pleno lumine tunc fulgente. Quid cenſendum ſit de hujus Cometæ cauda, quæque cauſa fuerit, quod viſa ſit nunc longa, nunc brevior, nunc latior, nunc minus lata, interdum plane non ſit viſa, colores quoque immutârit, ab Hevelio aliiſque in Hollandia viſa curva fuerit, id ante declaratum eſt in univerſum de Cometis, unde & hoc in ſpecie judicari poterit.

Cometæ ſitus diverſus Upſaliæ, Hamburgi, Norinbergæ, Auguſtæ Vindelicorum &c.


Cometa videtur omnibus ſtellis fuiſſe altior.

Quod autem nobis verſus Septentrionem habitantibus, magis verſus Septentrionem ſitum obtinuiſſe ſit viſus, quàm Danticanis, Stadenſibus, Hamburgenſibus &c: quibus viſus eſt magis Auſtralis, & rurſùm Norinbergenſibus, Argentoratenſibus, Auguſtanis &c. adhuc magis Auſtralis, cum primum cerneretur in Libra, quod videri poteſt ex figura 9. in qua circulus A. exhibet ſitum curſumque ejus hìc Ubſaliæ, circulus B. in Germania Inferiori, B. in Superiori, ſi fides adhibenda Mathematicorum Obſervationibus, ſequitur inde Cometam vel fuiſſe altiorem ſtellis omnibus, quod liquet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Koninklijke Bibliotheek
Nationale bibliotheek van Nederland

Fold Out
FRONT PAGE

ProQuest
diadeis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Koninklijke Bibliotheek
Nationale bibliotheek van Nederland

Fold Out

BACK PAGE

ProQuest

diadeis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Koninklijke Bibliotheek
Nationale bibliotheek van Nederland

Fold Out
FRONT PAGE

ProQuest

diadeis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Koninklijke Bibliotheek
Nationale bibliotheek van Nederland


Fold Out
BACK PAGE

ProQuest

diadeis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura 10 *Rudbekiana ad Communicat. Upſalienſem pertinens.* *N.° 25.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

liquet ex fig. 10. ubi Cometa A, cernitur ab iis in B. magis verſus Septentrionem in C. ab iis verò qui verſus Auſtrum habitant in D, magis verſus Auſtrum in E. Quod ſi eſſet infrà ſtellas ſitus, ut ex. gr. in F. ab iis in D. cerneretur plus verſus Septentrionem in G, & ab iis in B. plus verſus Auſtrum in A, ſicut cernebatur cum eſſet in Leone, Cancro, Geminis, Tauro & Ariete; in Virgine verò à plerisque eadem videbatur diſtantia à ſtellis cæteris. Unde licet colligi, fuiſſe tùm inter ſtellas fixas, cumque cerneretur in Libra ſupra eas, cumque iret per Leonem, Cancrum, Geminos, Taurum & Arietem infra eas. Quamvis hactenus paradoxon videatur eſſe, *dari parallaxin inter, vel ſupra ſtellas fixas. †An verò tantæ differentiæ illius ortæ ſint ex effluviis Terræ vel Solis, amplius à Mathematicis quærendum atque Phyſicis, cum ad hanc rem tempus requiratur multiplexque experientia, collatioque diligentiſſimarum obſervationem inter ſe. Ego nil amplius nunc ago, quàm ut occaſionem præbeam aliis cogitandi, & quoniam incidi in hunc ſermonem, iterum optare cogor, ‡ut eſſent in Septentrione ultimo, ultimoque Auſtro, qui diligenter per inſtrumenta ſelectiſſima obſervarent, & planetarum, & fixarum ſtellarum motum ſitumque & diſtantias: *Quis ſcit, quando quidem poſt Ptolomæum ſitus ſtellarum majorum & diſtantia correcta ſunt, quæ videntur ſtare velut in una ſphæra, an non, ſi diligentius examinentur ſtellæ minores, & viſum noſtrum propè effugientes, collatæ cum majoribus, aliter appareant hîc verſus Septentrionem, quàm verſus Aſtrum. Notum, quàm multa ſint inventa in Botanicis, Anatomicis, Phyſicis & Mathematicis. Forſan inveniri plura poterunt in cælo, quàm eſt vulgo perſuaſum. Porrò, ſi quis (quando certè †nihil poteſt definiri de ſitu hujus Cometæ propter Obſervationes Mathematicorum longè diverſiſſimas, generatum fuiſſe propè Solem aut Planetam alium, aut eo proceſſiſſe à ſtella ſeu planeta alio) agere de motu ejus vellet, alia aliaque ratione poſſet demonſtrari. Ut in Fig. 11. ubi ſupponitur Cometam generatum fuiſſe vel aliunde veniſſe in Planetæ vel alius ignoti ſideris B. ſphæram F F, cum Sol A, cernitur in terra D, exiſtente in circulo ſuo annuo C C. in Signo Sagittarii propè E. ‡Hîc primùm cogitandum, terram pergere à D. in G. à G. in H, I, K. curſu ſuo annuo, gradum unum procedendo quotidie, ſic ut abſolvat gradus 360. atque dies totidem, donec ad primum ſuum locum D. revertatur. Equidem non plenum abſolvit gradum quotidie, ſed propter diſtinguendi difficultatem in circulò tàm parvo, hæc accuratio non attenditur, cùm Mathematicorum nemo ſit, qui non hoc intelliget. Jam terra D. à 1. Decemb. vertente ſe quotidie in punctis ſingulis à D. ad $\alpha\ \beta\ \gamma$, & Cometâ ſtante in ſphæra ſua F F prope M. 1. Decemb. Cometa cernebatur ante Solis ortum A. ſummo manè in cælo ſtellato N N N N. in Signo Libræ $8\frac{1}{2}$. gradu. Cape circinum, ejusque pedem unum pone in puncto circuli Terræ C C. propè 1. Decembris, quod notat diem 2. Decembris, & pedem alterum in puncto circuli Cometæ F F proximo 1. Decemb. quod notat ſimiliter 2. Decembris; his pedibus circini applica regulam exactam, quæ procedat in ſignum Libræ, & videbis ſignum Cometæ (*a*), qualis viſus eſt in cælo, quantumque fecerit curſum in comparatione ad ſtellas reliquas. Ita perge circino de die in diem, ut factum vides poſt diem quemque decimum, lineâ nigrâ ductâ, (*b*) ut 1. Decemb. 11. 21. 31: 10. Januarii 20. 30. & invenies exhibere optimorum quorumvis Mathematicorum obſervationes. *Atque licet non plus fecerit itineris unâ die in ſuo circulo, quàm alterâ, tamen intelliges, quomodo noſtris oculis ſit viſus in comparatione ad ſtellas alias 1, 2, 5, 7, 10, 16, 30, &c. gradus, aliquando planè nil procedere, iterumque recedere. Hæc omnia clariſſimè ex hac Figura poſſunt cerni, ‡ itemque quomodo primùm viſus eſt mane, poſt veſperi, & quomodo cauda ejus aliter atque aliter nobis viſa ſit. Non poſſunt propter Figuræ rationem, quæ fieri major non potuit, exhiberi omnia. †Intelligi tamen ab eo qui aliquam Matheſi dedit operam, benè poterunt. Itaque notandum primo,

An infrà ſtellas poſitus?

Colligitur fuiſſe modò inter, modò ſupra, modò infra fixas.

** Parallaxis datur inter vel ſupra fixas.*

† Mathematicis propoſita à Rudbeckio quæſtio.

‡ Obſervationes in ultimo Septentrione & Auſtro multum lucis rei Mathematicæ adderent.

** Stellarum majorum ſitus poſt Ptolemæum correctus:*

Fortè & minorum corrigendus.

† Obſervationes Mathematicorum longè diverſæ, nil ferè certi ut de Cometa habeamus faciunt.

‡ Terræ motus à Rudbeckio demonſtratur.

(a) Cometæ curſus ad curſum ſtellarum comparatus.

b) Obſervationum de Cometa optimarum inveniendarum ratio ſingularis proportionis denarii beneficio.

** Cometici motûs proportio.*

‡ Cometa mane & veſperi viſus.

† Mathematicis ſpecimen inveſtigandæ motus Cometici rationis & proportionis à Rudbeckio præbitum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Solis & terræ ad cælum proportio nulla.

mò, figuram tàm accuratè fieri non poſſe, ut neceſſe eſt; quia Sol cum Circulo terræ inſtar puncti eſt in comparatione cum cælo, ut ſic charta tanta requireretur, quantus totus mundus. Deinde exhibere figura deberet declinationes ejus a Septentrione verſus Auſtrum, & ab Auſtro verſus Septentrionem, quod & ipſum nequit fieri, niſi imagineris Tibi ejus circulum F F. partim infra papyri planum, partim ſuprà. Præterea & centrum ſphæræ ejus eſſe mobile deberet circa Solem, & ſic conſequentur ſphæra tota. Et tamen mirum videbitur etiam in hac figura demonſtrari omnia ſic ſatis accuratè poſſe. Præterea cogitandum, me non librum, ſed epiſtolam promiſiſſe, & viam, quam inire alii poterunt. In eadem Figura eodem modo applicatâ de die in diem regulâ potes deprehendere, quomodo viſus fuiſſet Cometa in reſpectu ad ſtellas, ſi primò ſtetiſſet prope Solem A, indeque proceſſiſſet per helicem lineam ab O. in P. ad Q, aut per rectum R. in S.

Cometa an inter ſtellas fixas ſit locandus.

Cometici motûs ratio diverſa:

Quod ſi quis ſtatuat Cometam eſſe inter ſtellas fixas, & à diverſis earum ſphæris motum accipere, exhibeat is figuram, quâ poſſit demonſtrare illum primò viſum eſſe tardius incedere, deinde certâ proportione curſum acceleraſſe, iterumque tardaſſe, prout viſus eſt à Mathematicis. Ex: gr: in Figura 1. Cometa ſtans in ſphæra ſtellæ α prope Æ. videtur nobis collocatus in α ſtare in cælo R R. prope S. poſt procedens in ejuſdem ſtellæ ſphæra in β, indeque in γ, cadenſque deinde in ſtellæ N. ſphæram pergit ad δE, indeque in ſtellæ E. ſphæra procedit ad I. D. F, indeque in ſtellæ X. ſphæra pergit per P. in Q. in quavis ea vel celeritate vel tarditate, ut diviſione punctorum in cujuſque ſphæra ſupponitur, cum quævis ſtella alia celeriorem, alia tardiorem poſſit motum habere. Atque ita totus ejus nobis exhibetur motus in ſphæra R R. pro ratione diviſionis ab S. in T. V.

Licet is videatur irregularis, exhibebitur tamen regularis quaſi in orbem vel in directum factus.

Ac licet motus ejus viſus fuerit tàm irregularis in cælo, exhibebitur tamen regularis, velut factus fuiſſet in circulum vel lineam. Id quod experimento naturali poteſt demonſtrari. Ut in Fig. 12. ſi quis ſtaret in A, & alius face longè abiret in tenebris ab E. in F. & G, omneſque hos faceret motus irregulares in eodem plano, tamen ei in A. videretur velut in circulum iviſſe à B. in C. & D, aut rectâ lineâ à B. in D.

Cometa contra S Z. & cum ipſis procedit.

Motûs ejus quotidiani diverſitas mirabilis.

Ex his omnibus eligi poteſt ratio, quæ cui videatur optima, ad demonſtrandum Cometæ hujus vel alius curſum. Sed adhuc proponam caſum, concluſionis gratiâ, videlicet ponatur, Cometam non modo contra Zodiaci ſigna, ſed & cum ipſis poſſe procedere, & vera eſſe, quæcunque in hoc Cometa Mathematici obſervarunt, apparebit mirabilem, imo plane alium & alium habuiſſe motum ſingulis diebus, cum ratione celeritatis, tum declinationis à Septentrione verſus Meridiem, aut à Meridie verſus Septentrionem, tum ſitus inter ſtellas fixas, ut videri obiter poteſt ex Fig. 13. in qua inter ſe collatæ ſunt nonnullorum obſervationes. In quibus diverſitatis tantæ reddere rationem difficile eſt, tamen ut eam explicemus, ut & reliquorum omnium ſiderum motus oſtendamus, & quomodo nobis videantur procedere, duo experimenta memorabo, quæ vidi, * verùm flammis nunc abſumta ſunt.

Experimenta Rudbeckiana ſingularia.

** Rudbeckiana flammis conſumta.*

† Globus ſitum & motum corporum cæleſtium oſtendens.

Primùm vidi artificioſum opus, in quo erat † globus maximæ figuræ, quæ exhibebat terram, vidi quoque Solem & Lunam, ſed longè minores, dein ſtellas reliquas adhuc longè minores. Cum oculum ponerem in centro terræ, terram cernebam in loco ſuo, Solem & Lunam non ita procul, ut neque ſtellas, terramque videbam non in centro univerſi, verùm longè inde diſtantem, ſi oculum collocabam in peripheria terræ, videbatur ea mihi ſtare velut in univerſi medio, Sol & Luna longè diſtabant, & adhuc longius ſtellæ. Unde judicabam, longè majores eſſe, quoniam tàm longè diſtabant. Si quæ movebatur ſtella, vel corpus aliquod aliud inter ſtellas, diverſimodè ſe mihi exhibebat, prout aliter aliterque collocabam oculum in peripheria terræ. Sed ſi oculum in centro terræ habebam collocatum, ſibi ſimilis erat ejus motus, quoquo me verterem. Plura alia cerni ibi poterant, quæ hic non poſſunt exponi.

Alte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura 13 Rudbekiana. N°. 29.

Fig. 13.



G. Gerritsz ſculpſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Alterum quod vidi, globus erat, qui movebatur in aqua; is habebat tubum rectum per medium ſui, ſine ullis valvulis, aut etiam piſtillis embolo inſtructis, quibus attraheretur aut comprimeretur aqua, neque movebatur vel ab aëre, vel ab igne. Sed ſi movebatur ab aqua, ipſe viciſſim movebat aquam, eamque ex ſe ejiciebat ab utraque parte, in qua aqua movebantur multa corpora rotunda minuta, & prout ei erant propiora, ita celerius procedebant, prout longius aberant alia, procedebant tardius, omnia in circulum, ſic ut centrum eorum eſſet globus dictus. Quædam eorum, præterquam quod in circulum irent, ſeſe circa centrum proprium volvebant, inſtar pilæ in aëre, atque ita alia minutiora corpora circa ſe vertebant, ſicut globus primus, qui in centro machinæ totius erat ſitus, cætera movebat. Eo qui in centro erat ſtante, ſtabant reliqua, eodemque movente ſe, movebant ſe & reliqua. Hæc vidi aliaque, quæ nunc exponi nequeunt. Unum dicam, vidi machinam ad exprimendas aquas in altum. Surgebat aqua per tubum perpendiculariter erectum, ſeque moventem, aquaſque copioſiſſimè emittentem, qui tamen neque valvulas habebat, neque quicquam, quod vel comprimeret vel attraheret aquam, aut eorum quidquam, quod ad hunc diem memoratum eſt à Mathematicis hydraulicas machinas deſcribentibus. Hunc tubum vidi idem habere principium ad elevationem aquæ, quod globus in centro collocatus ad movenda omnia alia corpora per aquam ſuam. Breviter, vidi in hiſce, quantum ad hunc diem ſcire volui de motu apparentiiſque omnium ſiderum. *Id quoque volupe eſſet noviſſe, quamdiu Sol, aliaque lucida corpora ſint ſupra Horizontem noſtrum, priuſquam lux eorum veniat ad noſtros oculos, quandoquidem experientiâ quadam ſciri poteſt, quamdiu lumen aliquod procedat priuſquam veniat ad noſtros oculos. †Nam ad hunc diem uſque tactus, odoratus, guſtus, auditus tarditatem judicavimus ex viſu: nemo vero inventus eſt, qui judicarat viſûs tarditatem, quia eſt celerrimus.

Globus in aqua mobilis & aquam movens ac ejiciens: in qua movebantur corpora rotunda in orbem, ut globus ille centrum eorum eſſet.

Machina ad exprimendas aquas in altum.

Hydraulicum experimentum novum.

Siderum motus & apparentias Rudbeckius qua ratione investigavit.

**Sol & alia lucida corpora quandiu ſupra horizontem ſunt priuſquam lux eorum à nobis videatur.*

†Senſuum reliquorum præ viſu tarditas.

‡ Viſûs tarditas à nemine judicata.

Hæc ſunt Nobiliſſime Ampliſſimequè Heinſi, quæ breviter, neque eâ, quâ debebant diligentiâ congeſſi, *ob varias multipliceſque occupationes alias, quibus obruor quotidie, ac tantùm non ſuccumbo. Tu cum cæteris amicis Tuis æqui bonique conſules, atque me, ut hactenus, ita porrò favore tuo perges proſequi. Scrib. Ubſaliæ. 11. Auguſti 1665.

** Rudbeckius ob multas alias occupationes parum diligenter ſe hæc conſcripſiſſe dicit.*

T. A. S.

OLAUS RUDBECK.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

VII.

COMMUNICATIO GEDANO-HEVELIANA.

Hamburgo Gedanum die $\frac{9}{19}$ Dec. 1664.

N. 1.

S. & O. Nobiliſſime Ampliſſime Humaniſſime Vir!

Hevelii merita & amicitiam Auctor magni facit.

TE mihi non tantùm de fama per Orbem clariſſima, ſed & de facie ac ſcriptis tuis egregiis (quibus Aſtronomiam, illam maximè ſublimem Philoſophiæ partem illuſtras) notum eſſe, vehementer gratulor. Tibi pariter ut notus fiam, ſtudium literarum humaniorum, ſed & commercium amicarum literarum, quod cum doctis hîc illîc exerceo, facit. Alliciunt & celebratiſſimæ virtutes Tuæ, præſertim ſingularis humanitas, cum inſigni & excellenti rei Aſtronomicæ ſcientiâ, quâ itidem delector, conjuncta. Nolim tamen meum literarum Tecum commercium, quod ambio, & a Tua Humanitate mihi polliceor, Tibi aliis, iiſque gravioribus, ſtudiis & negotiis occupato, negotium & moleſtiam faceſſere. Noſti quæ vincula viros literarum bonarum amantes conjungant. Patere itaque & Tu, Vir Clariſſime! Tibi hæc aptari, ut quantùm per ſeria Tua negotia & ſublimia ſtudia licebit, mecum fido literarum vinculo jungaris, & ſic etiam Clariſſimo Iſmaëli Bullialdo, Amico meo juxtaque Tuo ſingulari & integerrimo. Cum quo cum aſſiduum literarum colam commercium, (quod & nuperæ epiſtolæ exſcriptum exemplum huic adjunctum docet.) ſi & Tu idem deſideres vel, quod potius credo, poſſideas & exerceas, offero Tibi meam qualemcunque in literis mutuò curandis operam, fidam certè te induſtriam. Accedit his, quæ me ad ſcribendum impulerunt, rationibus, ſingulare incentivum Cometæ, quem ante aliquot dies obſervavimus, nudis tamen oculis. De quo quid à nonnullis Amicis meis hàc in Urbe degentibus, Viris eruditione præſtantibus (Joan. Alb. Huſwedelio, Joanne Garmers, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoribus, & Inclytæ hujus Reipublicæ Phyſicis Ordinariis: tùm Joanne Müllero Matheſeos Profeſſore) coram & ſcripto accepi, accipe & Tu paucis. Velim mihi de his tuam ſententiam aperias, quam libenter, cum viris illis doctrinâ & humanitate præſtantibus, quibuſcum aſſiduò ore & ſcripto loquor, & cum Doctiſſimo Bullialdo communicabo. Vale, Vir Excellentiſſime, & age feliciter diuque, bono publico, & me favore Tuo proſequi ne dedignare.

Commercium literarum cum eo exercendum expetit:

gratiâ Bullialdi.

Cometicum argumentum Auctor cum Hevelio tractare incipit.

Mullerus Prof. Matheſ. laudatur.

Ad Dn. Hevelium Reip. Gedan.
Senatorem & Mathematicum Excellentiſſimum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 2.

Hamburgo Dantiſcum $\frac{26}{16}$. *Decembris* 1665.

Humanitas homini optimè convenit.
Hevelium magni facit Auctor:
Cum eo judicia & obſervationes Cometæ à variis Viris doctis profectas communicat.
Hevelianis meritis debitum teſtimonium datur.
Gottorpiana Bibliotheca laudatur.

INvitavit me nuper ad Te literis compellandum ſingularis Tua, quæ per orbem celebratur, humanitas; (virtus homini maximè conveniens, imò eum conſtituens) tùm verò & excellentiſſima totoque pariter orbe clariſſima rerum Aſtronomicarum peritia. Incitavit autem novus Cometes, de quo variorum virorum doctorum judicia ad Te miſi, quæ Tibi non ingrata fore auguror. Adjungo nunc continuationem ejuſmodi obſervationum, antequam Pariſiis, Hafniâ & aliunde plura à Viris doctis accepero, quæ libens meritoque Tecum communicabo. A quo quantoperè mecum illorum nonnulli, quos ſcilicet hac in urbe degentes alloqui mihi licuit, mutuam humanitatis & induſtriæ vicem exſpectent, ex hac Huſvedeliana epiſtola, quam adjungo, vides. Nec dubito eandem aliis eſſe mentem. Tuo enim merito omnes Te velut Aſtronomorum noſtri ſeculi Principem, celebrant & colunt. Exſpectamus autem abs Te & accuratam Cometæ iſtius delineationem Tuâ diligentiâ & laude, cujus præſtantiſſima inſtrumenta, ſicut toto Orbe, ita & Gottorpii (ubi ea in inſtructiſſima & tot admirandis referta Bibliotheca Ducali vidi) magni fiunt, dignam. Unum addo antequam finio. Voluiſſem libenter Tibi adjuncta præterito die Martis mittere, ſed deſcribi tàm citò non potuêre. Vale Vir Eximie, in annos quàm plurimos, & quàm feliciſſimè inſigni Reipublicæ Veſtræ & literariæ ornamento ac commodo. Hoc Tibi ſtrenæ loco votum ſincerum mitto.

N. 3.

Hamburgo Dantiſcum die $\frac{30}{20}$ *Decembris* 1665.

Hevelio Auctor Hafnienſia mittit,
Deſcriptionem & delineationem Cometæ ab eo expetit & exſpectat,
Sententiam Guerichii ei aperit.
** Guerichius Pater Cometam prædixit beneficio anemoſcopii ab ſe inventi.*

TErtias haſce intra paucos dies do ad Te, Nobiliſſime & Clariſſime Heveli, literas, breves quidem & currente calamo, multis negotiis me circumſtantibus, exaratas, Tibi tamen, ut ſpero, gratas futuras, tùm ob affectûs in Te mei integritatem, tùm ob adjuncta quæ ab ultimis meis ad Te datis Hafniâ & aliunde accepi. Interea reſponſum Tuum quod nobis, quæ eſt ſpes & votorum noſtrorum hac in re ſumma, jucundum ſpectaculum, ſitum ſcilicet & motum Cometæ exhibebit, operimur. Ecce verò novum phœnomenon, & novam de hoc argumento ſententiam Ampliſſimi Domini Ottonis Gerichii Conſulis Magdeburgenſis, quam ex adjunctis cognoſces, * ut & prædixiſſe eum ante duos menſes Cometæ iſtius apparitionem, beneficio ſtatuæ tempeſtates, quas protrudere Cometas ille ſtatuit, indicantis. Fac ut quàm primùm tædio moleſtæ exſpectationis nos liberes, & benè ac feliciter Vale.

N. 1. *ad* 1.

Dantiſco Hamburgum die 20. *Decembris S. N.* 1665.

Hevelius humaniter reſpondet auctori & commercium literarum cum eo exercere, quantum per occupationes ſuas licuerit, promittit:
de ſuis obſervationibus eundem certiorem reddit,
ſitum, motum & ſtatum Cometæ deſcribit,

QUod commercium literarum mecum inire ſatagas, maximoperè quidem mihi gratulor, cum nihil mihi unquam ſit dulcius, quàm Præclariſſimorum Virorum conſuetudine frui. Sed doleo quòd adeò obſtrictus, imò penè obrutus ſim occupationibus tàm publicis quàm privatis, inprimis gravioribus ſtudiis cæleſtibus, ut non toties quoties quidem animus eſt, amicis hac in parte morem gerere poſſim. Attamen, quouſque tantùm impoſterum licebit, operam ſtudiaque mea Generoſæ Dominationi Tuæ promptiſſimè defero. Pro obſervationibus Cometæ gratias habeo debitas. Quem hic Gedani quoque à 14. Decembr. S. N. me ſedulò obſervaſſe ſcias; ſed crebræ aëris tempeſtates obſtiterunt quò rarius viſus fuerit. Initio cùm roſtro Corvi adhæreret, ſatis erat tardus: paulò autem poſt multò factus eſt velocior, ſic ut ad hunc diem uſque 28. Decemb. fere 56. grad. emenſus fuerit. Appropinquat jam Cani Majori, tendit ad Leporem, Eridanum, Cetumque verſus. Ex Orientali factus eſt

Occi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Occidentalis. Principio altitudo meridiana imminuebatur : jam verò in dies augetur capite, hucuſque ferè crevit, caudâ decreſcente. Accuratiores obſervationes meæ Sextantibus, Quadrantibus, Tubiſquè prælongis habitæ, reſervantur in Cometographiam noſtram quæ ſub prelo fervet; Sed vix intra annum lucem videbit. Interea rogo, ſi quæ obſervationes hujus Cometæ, imprimis ſolidioribus inſtrumentis acquiſitæ ad Tuas pervenerit manus, ut earum mihi facias copiam, valdè me Tibi obſtringes. Vale & me porrò amare perge. Saluta meo nomine quàm officioſe eximios Viros Dominos Joh. Mullerum & Mich. Kirſtenium amicos plurimùm honorandos.

Suæ Cometographiæ ſpem facit.

Obſervationes aliorum ſibi communicari petit.

Hamburgo Dantiſcum die $\frac{3}{13}$ *Januarii* 1665.

N. 4. ad I.

ACcepi ante octiduum Tuas gratiſſimas literas die 28. Dec. datas, ad quas è veſtigio reſpondere Tibi non licuit, præſertim cum exſpectarem reſponſum aliquod à Clariſſimo Bullialdo, quod die Sabbathi demum acceptum, en Tibi una cum Mullerianarum literarum apographis. Ad hæc cuncta, ſicut & ad illa, quæ die 26. & 30. Dec. ad Te ſcripſi miſique, Te pro Tua humanitate, licet variis negociis, præcipuè verò gravioribus ſtudiis cæleſtibus occupatum, reſponſurum eſſe, confido. Inter eos, qui Tuas Obſervationes exſpectant de Cometa cum delineatione, quæ non poteſt non exacta eſſe, & ſingularem artis & induſtriæ laudem mereri, eſt Illuſtriſſimus D. Joh. Erneſtus de Rautenſtein Neoburgicus, Miniſter Statûs & ad Conventum Imperii Ratiſbonenſem Legatus, Vir & literis egregiè politus, & de illis optimè meritus, Tibi quoque notus, qui etiam ea de re ad Nobiliſſimum Dominum Philippum Pelſium, Belgarum Fœderatorum apud Vos Reſidentem, per meas manus, meque conſcio, ſcripſit. Quanquam non deſint Hafniæ & hîc loci Viri Veteri uſurâ Tecum juncti, & alioqui Tui obſervantiſſimi & ſtudioſiſſimi, qui libenter id à Te, meâ qualicunque induſtriâ & ſincerâ benevolentiâ provocato fieri vellent. Iidem ſperant firmiter Te hanc oculorum & mentis oblectationem ſingularem ſibi non inviſurum. Nudius certè tertius ea de re locuti ſumus invicem, Clariſſimi Viri Kirſtenius, Mullerus, & ego, per quem illi plurimam ſalutem Tibi unà cum felicis & læti novi anni voto atque conſtantis benevolentiæ teſtimonio, adſcribunt, Mullerus verò etiam brevi ſe ad Te ſcripturum promiſit. Atque is Tecum ſentit, quod & ex ejus epiſtolis ad me datis vides, Cometam hunc, qui nuper ad Leporem conſpectus adhuc viſitur in cælo, unum eundemque cum priori eſſe. *Kirſtenius in diverſam potiùs ſententiam ibat, pede tamen tremulo. †Hafniæ quidam Vir Aſtronomicâ ſcientiâ imbutus diverſum eſſe hunc ab illo, Cometam, ex ſitu & motu ejus probare conatur. Accepi à prædicto Domino Rautenſteinio, quendam Celeberrimum in Germania Aſtronomum exiſtimare unum eundemque Cometam eſſe. Hîc Te velim ſententiam Tuam brevibus confirmare & adſtruere. An audiveris ‡Hallis Saxonum aliquem Aſtronomum eſſe, qui ante biennium circiter Cometæ iſtius apparitionem hoc tempore futuram prædixerit, quidve de talibus prædictionibus ſtatuas velim nobis indices. Nam & *Ampliſſimum Dominum Gerickium Conſulem Magdeburgenſem, duobus menſibus Cometam hunc prænunciaſſe nuper Tibi ſcripſi. †Velim itidem nos certiores facias de curſu Cometæ, an ſcilicet Majorem vel Minorem circulum peregerit. Nam & hîc diverſas video eſſe ſententias, nec cum Bullialdo Mullerum facere; Tu autem beneficio admirabilium Tuarum machinarum non minùs promtè quàm diligenter obſervare id potuiſti. ‡Omnes porrò gratulamur meritò Tuam Cometographiam lucem brevi viſuram. Utinam ſaltem vice ſtrenæ vertente anno Orbi literario tàm eximium opus exhibeas! Vale Vir eximie cum omnibus Tuis, & age feliciter, accepto ſincero voto in hunc ineuntem annum & plures alios, qui omnes ut Tibi ſint fauſti & læti, precor.

Dantiſco

Bullialdiana & Mulleriana Auctor Hevelio mittit.

Rautenſteinius Hevelio favet: Idem laudatur.

Hevelianas obſervationes varii amici per Auctorem expetunt.

Mullerus cum Hevelio conſentit, Cometam hyemalem unum eundemque eſſe.

** Kirſtenius initio putat hyemalem Cometam eſſe geminum.*

†Cometa hyemalis geminus ſtatuitur à quibuſdam: ab aliis unus tantùm,

‡prædictus ab Aſtronomo Saxonico ante biennium,

**& à Guerickio patre ante bimeſtre.*

† Hevelium de motu Cometæ Auctor conſulit:

‡De Cometographia brevi edenda ei gratulatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 2. ad 2, 3, & 4.

Rötliniana Hevelio placent.
Aſtrologicas prædictiones Hevelius rejicit.
Hevelius promittit generalem Cometæ deſcriptionem cum quibuſdam figuris.
Cometa hyemalis unus idemque ex matutino factus veſpertinus:
Ejus motum Hevelius deſignat,
Eundem futurum fuiſſe ſtationarium, imò retrogradum ſive directum prædicit:
**Motum ejus apparuiſſe inæqualem, re autem vera æqualem ſub circulo ferè maximo peractum fuiſſe aſſerit.*
Prædici Cometam poſſe Hevelius negat.
Aſtronomum Saxonicum Hevelius refutat.
Cometas ex conjunctionibus magnis prædictos non apparuiſſe Hevelius affirmat.
**Hevelius de Mulleri ſententia judicium fert.*

Dantiſco Hamburgum die 27. Jan. S. N. 1665.

PRo communicatis Obſervationibus Cometæ iterum iterumque gratias Tibi debeo; inprimis arriſit multùm judicium Hafniâ tranſmiſſum: quæcunque enim de prædictionibus Aſtrologicis Author diſſerit, in illis omninò ipſi adſtipulor. Amicis honoratiſſimis obſervata mea circa hunc Cometam acquiſita tàm avidè exſpectantibus, vellem equidem lubentiſſimo animo morem gerere; verùm cum integrum opus de Cometarum materia moliar, haud fieri poteſt ut plenam deſcriptionem & accuratam delineationem rerum omnium in hoc Cometa deprehenſarum hac vice exhibere poſſim. Verùm tamen, ut ex parte eorum deſiderio ſatiſfiat, conſtitui quantocyus generalem quandam hujus Cometæ deſcriptionem, cum quibuſdam Iconiſmus typis committere, quæ, quamprimum edita fuerit, delineationeſque manu meâ æri inciſæ, lubens amicis omnibus tranſmittam. Interea hæc Te ſcire velim, Cometam matutinum ſuo tempore veſpertinum factum eſſe, ſic ut unus tantummodò affulſerit, utut alii aliter ſentiant. Nam à prima apparitione continuè hucuſque illum obſervavi, abſit gloria! quàm accuratiſſimè. Curſum ſuum inſtituit (uti ex prioribus literis partim jam percepiſti) ex Corvo per Hydram, Navem, Canem Majorem, Leporem, Eridanum ac Caput Ceti die 23. Januarii in 26°. Arietis ſub latit. Boreali 4. ferè grad. ſub ſtellis ſcilicet Arietis hærebat. In medio ſui tramitis erat velociſſimus, circa extremitates verò multò tardior, atque nunc tardiſſimus. Menſe Februario, prout me obſervaturum ſpero, fiet Stationarius, imò retrogradus, vel, ut rectius dicam, directus, cum modò contra Signorum Seriem incedat. *Motum ſuum, utut inæqualem quoad apparentiam, reverà tamen æqualem & ſummè ordinatum, ſub circulo propemodum maximo exercuit; propemodum inquam, ut rectè intelligas. Siquidem omnes Cometæ non adeò præciſè ductum alicujus circuli maximi ſequuntur: quare autem & quomodo, Cometographia clarè oſtendet. Eximium Bullialdum à nobis in diverſum abire, tàm circà viam Cometæ, quàm quòd diverſos duos extitiſſe arbitretur, non eſt quod mireris, quandoquidem ex una aut altera obſervatione interrupta id ipſum decernere ille haud potuit: nullùs dubito, cùm omnia benè perpenderit, noſtraſque obſervationes viderit, quin ſententiam ſit mutaturus. At verò miror ſanè multùm, qui fieri unquam poſſit, cum Aſtrologi glorientur, ſe poſſe Cometas adeò præciſè prædicere, quod famoſus ille Aſtrologus Germanus circà pacem Turcicam, quæ eodem anno, quo bellum minatur, inita eſt, adeò enormiter aberraverit. Profectò adeò multa, imò contraria verba nonnunquam funditant, ut mirum eſſet, ſi caſu unum aut alterum non attingeret. Quàm mùltos Cometas ex conjunctionibus magnis prædixerunt, quorum nullus ſanè humanis oculis viſus eſt! *De cætero videtur Clariſſimum Dominum Mullerum in ea eſſe opinione, Cometam iter ſuum inflexiſſe. Sed nequaquam. Semitam enim, quam initiò iniit, conſtanter proſequutus eſt: quicquid verò de cauda diſſerit, ita omninò ſeſe habent omnia. An nucleum iſtum lucidum, de quo loquitur, nudis an armatis viderit oculis, libenter ſcirem. Ego quidem diverſos quoque annotavi, ſed prælongo Teleſcopio. Denique num Cometa in linea recta trajicere poſſit, & nihilominus ſub circulo ferè maximo videri, ſuo loco fuſè demonſtrabitur. Saluta amicos omnes. Vale & fave.

N. 5. ad 2.

Hamburgo Dantiſcum die $\frac{10}{20}$ Febr. 1665.

DUm in itinere Holſatico eſſem, literas Tuas die 27. Jan. datas, Sleſvici die 4. Febr. accepi; ad quas nunc demum, poſtquam domum reverti, reſpondere licet. Hafnienſis ille amicus meus Tuuſque, eſt Joannes Michaël

Röthlinius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Röthlinius Sereniſſimo Principi Regio Daniæ à Secretis Cameræ, olim in Urbe veſtra Sereniſſimi Regis ſui negotia agens, inter Viros egregios meritò collocandus, qui Te certè plurimi facit, & in illa de uno ac gemino Cometa controverſia, totaque de hoc phænomeno diſputatione, plus Tibi ſoli quàm cunctis aliis tribuit fiditque. Paria & ego cum eo facio in eo, quod curioſas Aſtrologorum prædictiones, credulis ſatis noxias, utpote his ſecuritatem, illis metum ingenerantes, non morer. Ingenioſè, fateor, nonnulli ex dodecatemorio Libræ (cui antiqua ejuſdem notæ curioſitas, religionem & juſtitiam ſubeſſe voluit) (a) bellum religionis: ex dodecatemoriis Tauri & Arietis, ut & ex ſignis Hydræ Aquaticæ, Navis Jaſonis, Orionis Viri bellicoſi, Eridani & Ceti, quæ Cometes vel peragraverit vel attigerit, bellum, idque navale, in mentes hominum præſagiis iſtiuſmodi deducere allaborant. Sed videbimus quid de aliis dodecatemoriis & ſignis cæleſtibus, quæ itidem Cometa vel permeavit vel attigit, ſtatuent & elicient iidem quibus talia tractare, & populo proponere placet. Libenter videbo quid de Virgine & Cancro, quid item de Cratere, Cane Majore & Lepore dicturi ſint, & quâ ratione hæc ſuo inſtituto accommodaturi. Interim libenter patiar eos frui propriâ libertate, & ingenio habenas laxare, dummodo nec ipſi curioſitate abrepti & in avia delati impenetrabilia arcana tentent divinæ ſapientiæ, nec alios à tramite recti vel deſperatione vel audaciâ aberrare faciant. Cui magis de cæleſtibus quàm cæleſti voci, imò cui, niſi huic ſoli tutò, & citrà periculum ſalutis, credere debemus? Atqui hæc nec à ſignis cæli metuendum nobis, gentium ritu, nec ea requirenda & inveſtiganda, perverſorum more, eſſe monet. Huic itaque obediamus. * Interim his ſignis, quæ citrà exſpectationem votaque noſtra eveniunt, ad pœnitentiam veram & ſeriam, ac avertendam à nobis decretam & imminentem vindictam divinam commoveri nos patiamur, † non ut trunci lapideſque, ſed ut à Deo creati, rationis præſtantiâ, vi ingenii, perſpicuitate judicii, libertate arbitrii, arcanorum divinæ voluntatis notitiâ præditi. Quid in hanc rem ad Clariſſimum Abrahamum de Grau, Matheſeos in Academia Franeckerana Profeſſorem, ſcripſerim, adjuncta docet charta, quæ & plura alia, ſcitu haud indigna, Tibi indicabit. Inter quæ videbis etiam, quanti Te Tuo merito R. D. P. Albertus Curtius faciat, quæ Tecum communicari Illuſtriſſimus Rautenſteinius, ille politiori literaturâ & morum probitate Excellentiſſimus Conſiliarius & Legatus Neoburgicus voluit, ad elicienda plura, quæ ſunt ipſiſſima ejus verba, ut & hæc; *Gratias maximas ago, quod mei apud Dominum Hevelium tàm honorificam mentionem G. D. V. facere voluerit, à quo Viro tanto & tàm celebri, beneque de Republica literaria merito, noſci & amari non minus cupio, quàm à cæteris ejuſdem ſimilibus.* quæ 5. Febr. ad me exaravit. Sed & aliàs honorificam & jucundam Tui mentiónem facit. Equidem lubens intelliget, Te velle veluti Prodromum quendam Cometographiæ Tuæ in lucem emittere, quod & nobis hîc agentibus gratum auditu fuit. Vale bono publico longùm ac proſperè, Vir Præſtantiſſime.

Röthlinius laudatur, Maximi Hevelium facit, Prædictiones Aſtrologicas improbat.

Aſtrologicas prædictiones ex Cometæ motu captatas Auctor refutat.

(a) Bellum religionis vel navale an Cometa portenderit?

Scripturæ Sacræ monita de ſignis cæli nec metuendis nec inveſtigandis.

**Signa cæli nos officii admonent.*

† Libertate aliiſque donis divinis rectè utere.

Rautenſteinius laudatur:

Magni Hevelium facit.

Prodromi Cometici inſtitutum Hevelio Auctor gratulatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Dantiſcum die 17. 27. *Februarii* 1665.

Viro Nobiliſſimo & Ampliſſimo Domino

JOHANNI HEVELIO

Senatori Gedanenſi

JOHANNES MÜLLERUS

S. P. D.

QUamvis jam dudùm ære, quo Tibi, Vir Ampliſſime, obſtrictus ſum, me liberare in animo habuerim, varia tamen fuerunt, quæ id hactenus præpedivêre. Ut igitur diuturno ſilentio finis aliquando imponeretur, hiſce literis operam dare volui. Principiò itaque memini gratias Tuæ Amplitudini me adhuc debere maximas, quòd non ſolùm humaniſſimis ſuis literis me inviſere, ſed & profundiſſimæ eruditionis volumine, *De Mercurio in Sole viſo*, aliiſque rariſſimis cæli phœnomenis, me donare non fuerit dedignata. Maximoperè equidem Tibi obſtrictum me eſſe profiteor, pro hoc fœtu mentis manuumque Tuarum, omnium doctorum admiratione digniſſimo. Quis enim eſt, qui non indefeſſæ mentis doctæque manus nobile conjugium unico in homine obſtupeſcat? Sed præſtat hæc & alia acutiſſimi Tui ingenii monumenta, per ſe æterna, ſilentio præterire, quàm eorum magnitudinem

Culpâ minus ſubacti deterere ingenî.

Cæterùm cum Te per communem noſtrum Amicum has literas curantem, mearum talium qualium de Cometa nupero opinionum (quas ipſius obnixæ petitiones mihi ante tempus extorſerunt) participem factum eſſe cognoſcam, intermittere non potui, quin hiſce literis paulò clarius eaſdem explicarem, præmiſſis prius iis, quæ liberis oculis in Cometa ſine ullo inſtrumentorum, ſub manibus artificum adhuc hærentium, adminiculo, uſurpavi.

Primò omnium Cometa novus & inſignis conſpectus fuit à militibus hujus Urbis in vallo, & quidem nocte, quæ fuit inter diem 2. & 3. Dec. St. V. anni nuper elapſi 1664. Quod ubi reſciviſſem ego, proximè ſequenti ſtatim nocte veritatem experiri non deſtiti. Veſpertinâ enim horâ undecimâ diei 3. Dec. S. V. quæ erat Saturni, in publicum prodii, an verè novum aliquod cæli phœnomenon adeſſet exploraturus. Poſtquam igitur horas quatuor ſub dio tranſegiſſem, frigore exiſtente intenſiſſimo, tandem horâ tertiâ matutina die $\frac{4}{14}$ Dec. tractus albicans ſupra horizontem noſtrum, propè ortum Solis brumalem, aſcendit, & ſubſequentis Cometæ caudam exhibens, famam non fuiſſe falſam indicavit. Paulò quippè poſt oriebatur Cometes mole ſatis magnâ, & nucleo prælucido, adhærens roſtro Corvi, parumper tamen eo tùm occidentalior, tùm auſtralior. Color caudæ erat pallidus, ipſius verò Cometæ nucleus colorem Veneri vel Jovi ſimilem monſtrabat. Sequenti biduo cælum apud nos nubibus tegebatur.

Secundò eundem Cometam videre mihi contigit die $\frac{7}{17}$. Dec. quæ erat Mercurii. Hora enim tertiâ matutinâ iterum oriebatur, & à roſtro Corvi verſus Notozephyrum longiùs remotus, faciebat cum fixis in capite & dicto roſtro Corvi Δ^{lum} ad roſtrum obtuſangulum, quale formant cornua Arietis. Crura Δ^{li} obtuſi videbantur ſe habere ut 2. ad 1. hoc eſt, recta jungens Cometam Roſtro, erat dupla rectæ interjacentis Roſtrum & Caput Corvi.

Tertiò diſjectis nubibus, majore mole & prolixiore caudâ apparuit Cometes die $\frac{8}{18}$. Dec. horis, ut ſolet, matutinis, & verſùs Notozephyrum à dictis Corvi

ſtellis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſtellis porrò factus remotior, iterum cum iiſdem Δ^{lum} paulò obtuſiore (ut judicabam) quàm antea angulo ad idem roſtrum formabat, cujus crura proportionem duplam ſuper tripartientem quartas, hoc eſt, quàm 11. ad 4. habere putabam.

Diebus 9. & 10. Dec. St. V. cælum non favebat.

Quartò horrendâ magnitudine & caudâ altero tanto adauctâ conſpexi Cometam die $\frac{11}{21}$. Dec. quæ erat Dominica tertia Adventûs Salvatoris noſtri. Hujus enim diei manè horâ ſecundâ (prout horologia hujus urbis indicabant) ille ſupra noſtrum horizontem ſe elevabat, & triquetro Hydræ proximus caudam videbatur terminare in tribus ſtellis ejuſdem rectæ, cor Hydræ proximè ſequentibus.

Interjecto deinde tempore uſque ad diem $\frac{20}{30}$. Dec. cælum erat nubibus tectum.

Cum itaque dicta die $\frac{20}{30}$. Dec. veſperi auditâ nonâ oculos in excelſum levarem, & innumeram fixarum multitudinem contemplarer, non ſine ſtupore Cometam pallidi coloris, nucleo etiam ſatis lucido in Lepore deprehendebam. quem quidem initiò à priore diverſum eſſe credebam, ſed poſtea accuratiore mentis trutinâ omnibus perpenſis eundem eſſe comperi. Secabat autem hîc Cometa tunc rectam, quæ fixas in dextro armo (Bayero) & infra oculum Leporis jungit, in duas partes, quarum Orientalis dupla erat partis Occidentalis. Eratque motus Cometæ proprius verſùs Borrhozephyrum adeò celer, ut ſingulis horis alium ſitum cum fixis habere obſervaretur. Cauda apparebat nulla, tùm ob viciniam Lunæ, tùm ob Solis in primo Capricorni Decano hærentis ferè oppoſitionem, quæ caudam ſurſum tendentem vel planè non, vel exiguâ magnitudine apparere cauſatur.

Die $\frac{21}{31}$. Dec. cælum non erat ſudum.

Die 22. Dec. Calend. Juliani (quo etiam in ſequentibus utor) Cometa veſperi horâ nonâ efficiebat Δ^{lum} rectangulum iſoſceles ferè cum præcedentibus humero & pede Orionis. Angulus rectus erat ad præcedentem ſive ſiniſtrum pedem Orionis. Cometa præcedebat. Cauda ob dictas rationes videbatur nulla.

Die 23. Dec. veſperi Cometa adhærebat Stellæ Orientaliori trium (in globis Janſonii) in eadem recta propè mandibulam Ceti, quarum occidentalior Bayero non eſt informis, & vocatur ad mandibulam. Cauda ad Orientem tendens non adeò longa colore conſueto erat prædita.

Die 24. Dec. veſperi hora dimidiâ decimâ cælo exiſtente ſereno, Cometa cum media in ore & præcedente trium in capite Ceti formabat Δ^{lum} ad mediam in ore rectangulum, cujus cathetus Orientalis ſive recta Cometam cum dicta media copulans, mihi videbatur tripla reliquæ catheti. Cometæ cauda obumbrabat quaſi mediam prædictarum trium informium.

Die 25. Dec. horâ octavâ veſpertinâ Cometa æquali intervallo diſtabat à media dictarum informium, & mediâ in ore ceti, ita ut rectâ jungente has fixas eſſet paulò borealior.

Die 26. Dec. cælum erat nubilum.

Die 27. Dec. Cometa veſperi horâ 7. cum lucida mandibulæ & media in ore Ceti conſtituebat Δ^{lum} rectangulum iſoſceles. Δ^{lus} rectus erat ad Cometam utraque fixâ borealiorem. Cauda erat modica & coloris conſueti, uti etiam aliis diebus. Hora 9. ejuſdem veſperæ Cometa unam rectam cum media in ore Ceti & præcedente trium occupabat, quam media in ore bifariam ſecabat. Utraque fixa erat Cometâ auſtralior.

Die 28. Dec. cæli inclementia Cometam tegebat.

Die 29. Dec. veſperi hora 9. rectam, quæ fixam in fronte Ceti (Bayero), & ſubſequentem in capillamento interjacet, ita diſpeſcebat Cometa, ut ſegmentum Orientale duplum eſſet ſegmenti Occidentalis. Videbatur etiam cum lucida mandibulæ & media in ore efficere Δ^{lum} ad mediam in ore rectangulum.

Die 30. Dec. veſp. hor. 9. Cometa medium, inter dictam in fronte Ceti fixam, & accedentem in juba eidem Bayero, tenebat locum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Die 31. Dec. veſp. 7. hor. eandem rectam Cometa cum eadem in fronte Ceti & ſequente in vinculo boreali Piſcium Bayero, faciebat, ita ut ſtellam in fronte ad Orientem linquens, duplo majori intervallo diſtaret ab altera. Cauda ad Ortum vergebat.

Calendis Januarii hujus anni 1665. cælum veſperi nubibus tegebatur.

Die 2. Jan. Cometes medium inter ſæpius dictam in fronte Ceti ſtellam & inferiorem trium in nexu boreo (Bayero) Lini Piſcium occupabat.

Diebus 3. & 4. Jan. cælum non erat ſudum.

Die 5. Jan. veſp. hor. 8. Cometa cum clara Lini borealis & ſiniſtro cornu Arietis ($_\beta$ Bayero) quas ſequebatur, efformabat Δ^{lum} æquilaterum: eandem etiam rectam cum fronte Ceti & dicta clara, eum inter utramque medium obtinere judicabam.

Diebus 6. & 7. Jan. cæli facies erat inconſpicua.

Die 8. Jan. hor. 8. veſp. Cometa dextrum ſive ſequens cornu Arietis (Bayero α) & clara Lini bor. exhibebunt Δ^{lum} ad Cometam meridionaliorem rectangulum, cujus cathetus minor, hoc eſt diſtantia Cometæ à dicta clara Lini, æqualis apparebat rectæ eandem claram & ſiniſtrum cornu Arietis connectenti.

Die 9. Jan. veſp. hor. 6. Cometa tardior factus vix locum mutaſſe videbatur.

Die 10. Jan. Cometa primam inter ſtellam Arietis & Nodum Lini poſitus, ab hoc tribus, ab illa una parte aberat.

Die 11. Jan. Locus Cometæ inſenſibiliter videbatur mutatus.

Die 12. Jan. Cometa cum clara Lini bor. & antecedente cornu Arietis (Bayero $_\beta$) fingebat Δ^{lum} iſoſceles rectangulum ad Cometam Orientaliorem.

Die 13. Jan. mutatio Cometæ ratione loci ferè erat inſenſilis.

Die 14. Jan. Cometa iterum Δ^{li} rectanguli iſoſcelis figuram exhibebat, cum prima ſcilicet ſtella Arietis & clara Lini bor. ut Δ^{lus} ad Cometam orientaliorem eſſet rectus.

Die 15. Jan. veſp. hor. 9. Cometa in eadem ferè erat recta, in qua ſunt prima ſtella & præcedens cornu Arietis, utrâque tamen fixâ auſtralior, ita ut ejus diſtantia à prima ſtella Arietis eſſet quinque partium, à præcedente verò cornu 7. Dico Cometam ferè in eadem recta fuiſſe cum dictis fixis: erat enim ille hâc rectâ paulò orientalior.

Die 16. Jan. cælum nos aſpectu Cometæ excludebat.

Die 17. Jan. Quamvis præſentia Lunæ impediret contemplationem Cometæ, jam per plures dies imminuti, notabam tamen eum rectam lineam, quâ die 15. Jan. erat orientalior, in dicta proportione occupare.

Die 18. Jan. cælum nubibus tegebatur.

Die 19. Jan. Cometa erat eadem rectâ, de qua antea, in dicta proportione occidentalior.


Die 20. Jan. & ſeqq. hucuſque cæli facies ferè ſemper fuit obſcura, ut Cometa quidem interdum comparuerit, ſed non adeò diſtinctè, ut de ejus loco certi quid affirmare quiſpiam potuerit. Nunc verò planè eum diſparuiſſe credo.


Atque hæc ſunt, Vir Ampliſſime! quæ hactenus in miro & raro hoc phœnomeno, quod certè magnâ & utiliſſimâ acceſſione rem Aſtronomicam locupletabit, nudis oculis obſervare potui. Quod verò attinet ad ea, quæ de ejus motu ad Nobiliſſimum Dominum de Rolis perſcripſi, ipſemet ego nihili facio; quia me quaſi oportuit ante tempus aliquid conſignare, quò magno ejus deſiderio & petitioni morem gererem. Nec potui quicquam Aſtronomo dignum hac de re proferre, cum accuratæ obſervationes, quibus hypotheſes ſunt ſuperſtruendæ, & juxta earum tenorem conformandæ, nos deſtituant. An verò motus Cometarum fiant in circulis: an verò ſint trajectiones, ſive in rectis lineis conficiantur, adhuc ſub judice lis eſt & manebit. Ego quidem fateor me potiùs in illam abire ſententiam, motus Cometarum fieri in rectis lineis, aut, etiamſi non fiant, poſſe tamen per has trajectiones ſalvari. Meliora tamen & certiora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figuræ motus Cometici inæqualitatem demonſtrantes ad Communicat. Ampliſſ. viri D. Ioan. Hevelij etc. pertinentes.

N.º X





B. Stopendael ſculp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

certiora edoctus, hanc opinionem relinquere non dubitabo. Videtur quidem nuperum phœnomenon velle evincere motus Cometarum fieri circulariter; ſed licet id apertè indicet, non tamen de omnibus Cometis idem verum eſſe ſtatim conſtabit. Poſſe autem Cometas motu proprio æquabiliter incedere in recta linea, & nihilominus videri in circulo ferè maximo (dico *ferè maximo*, ob parallaxin) inæquabiliter moveri, ſequenti diagraphe ſatis clarè innoteſcet. Sit enim ex. gr. Cometa aliquis, qui æquali tempore æqualia ſpatia AC, CD, DE, EF, FG, GB, ſubtenſæ AB, trajiciat, dico oculum in L. conſtitutum Cometæ locum ad fixas (quas vulgò ſphæricam ſuperficiem ſitu ſuo exhibere credimus) expendendo, collocare in A, c, d, e, f, g & B, nec poſſe ſolo viſu dijudicare, an Cometa in ſubtenſa A B, an verò in arcu A e B moveatur, quia utrobique in initio & fine, propè A & B, tardius, in medio celerius moveri videtur, uti ex Opticis notum eſt, & præcedens diagramma oſtendit. Nam rectarum æqualium AC, CD, DE, EF, FG, GB magnitudines apparentes ſunt inæquales, quia earum aliæ aliis obliquius oculo obverſæ, angulos ALC, CLD, DLE &c. inæquales producunt. Licet inæqualitas illa major vel minor ſit, pro diverſa oculi L remotione. Eadem ratio eſt, ſi Cometa circulariter motus ſuæ periodi arcum perigeum BCD (vid. ſequens ſchema) conficiat, & æquali tempore æquales arcus BE, EF, FC, CG, GH, HD abſolvat. Perinde enim ut antea, initio & fine hujus arcûs, propè ſtationes ſcilicet in B. & D, videbitur tardus, in medio verò eò celerior, quò perigeo C factus fuerit vicinior. Atque eadem etiam phœnomena oſtendet Cometa oculo M, ſi juxta diviſionem ſubtenſæ B D (hoc eſt inæquabiliter) feratur. Verùm ut modum hujus epiſtolæ faciam, deſino hiſce (quæ Tuæ Amplitudini ſunt notiſſima) diutius immorari. Hæc itaque, Vir Ampliſſime! occaſione novi Cometæ ad Te perſcribere, Tuæque cenſuræ lubens volenſque ſubjicere volui, nullus dubitans, quin, pro ſingulari humanitate Tua, ea ſis amicè accepturus, Scholaſque Mathematicas doctioribus certioribuſque obſervationum Tuarum Aſtronomicarum hypotheſibus ſis donaturus. Vale feliciſſimè divinæ tutelæ etiam atque etiam commendatus. Dabam Hamburgi XIII. Cal. Martii Anno vulg. Æræ Chr. CIↃ IↃC LXV.

Hamburgo Dantiſcum $\frac{17}{27}$ *Febr.* 1665. *N. 6.*

EX quo ante octiduum ad Te ſcripſi, accepi literas a Clariſſimo Bullialdo, die 13. hujus menſis datas, quibus de nupero phœnomeno hæc inſerit: Se cum deſiderio expectare Tuas obſervationes, & à Viris in Italia doctis R.D.P. Joanne Baptiſta Ricciolo & Dominico Caſſino factas, quandoquidem necdum ullam accuratam obſervationem viderit. Optimè autem cum Aſtronomis agi, cum Te Obſervatorem, incomparabili induſtriâ inſtrumentiſque præſtantiſſimis inſtructum habeant, ex cujus Herculeis laboribus ingentia ad rem Aſtronomicam commoda redundatura ſint. Cæterùm quod ad Cometæ materiam ſpectat, ſatis eſſe ſi dicatur, materiam illam æthereram eſſe, & galaxiæ non valdè abſimilem, & plura divinando dicenda non eſſe, quæ demonſtrari nequeant. Quamvis autem me certiorem reddiderit, ſe eadem ad Te perſcripſiſſe, ego tamen nolui hîc quoque officio meo deeſſe, dummodo addam obſervaſſe eum Cometam ad d. 10. hujus menſis, ſed exiguæ magnitudinis, vix ſextæ magnitudinis ſtellam adæquantis. Id verò officii libenter Tibi præſto. Ea tamen ſini fateor, ut & Tu pro eximia Tua rerum Aſtronomicarum ſcientia & humanitate, non mihi tantùm ſed & illi communi Amico, cui præcipuus in Republica literaria locus & honos debetur, ſatiſfacias. Qua ratione & Clariſſimi Mulleri implebis vota, cujus en Tibi literas, eruditionis & benevolentiæ in te plenas. His quod addam habeo nihil, niſi ut teſter nos magno cum deſiderio Prodromum Tuæ Cometographiæ præſtolari. Deus Te, Vir Excellentiſſime! diu incolumem bono publico eſſe velit!

Bullialdi ſententia de Cometæ hyemalis obſervationibus.

Hevelium Bullialdus magni facit.

Cometæ materia.

Bullialdi obſervatio Cometæ die 10. Febr.

Et laus.

Mullerianas literas Auctor Hevelio mittit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Et commendat.

P. S. Dum incluſas Mullerianas ad Te, Vir Ampliſſime! datas conſidero, video, quantum quidem ego de his judicare poſſum, eſſe magna cum cura ſcriptas. Cæterùm & illius & omnium aliorum, etiam Clariſſimorum & Præſtantiſſimorum Mathematicorum animadverto in Te ſolum converſos oculos & directam exſpectationem, quæ Tibi gravis adverſaria oppoſita eſt, facilè Tuâ excellenti ſcientiâ & induſtriâ ſuperanda. Nec immeritò. Primas enim Tibi in re Aſtronomica omnes tribuunt. Itaque ut videas quanto & rei Aſtronomicæ, & Tui captus ſim ſtudio, *offero Tibi operam meam in edendo Tuæ Cometographiæ Prodromo, cui ſeorſum adderem, quæ de Cometa hinc inde ab Amicis accepi. Curarem autem librum nitidè imprimi in Hollandia, cum inſertis tabellis cum cura delineatis & æri inciſis, vel abs Te ipſo (hoc enim utraque ita præſtat felix manus Tua

*Spem à bonis de te conceptam vince. Hevelianis meritis debitum teſtimonium datur, *Ejus Prodromum Cometicum Auctor ſuis ſumtibus ſe editùrum offert,*

Hoc ut non melius nôrit depingere Apelles;
Fingere vel fuſo doctius ære Alyron.)

Tabellas æri inciſas ab eo, ſi fieri poſſit, ſibi tradi poſtulat.

vel ſecundùm delineationes à Te factas à perito quopiam in Hollandia ſculptore. Quod ſi dederis mihi tabellas æri abs Te inciſas, id Tibi ſpeciatim numero exemplarium ſecundùm æquitatem exſolvi curabo. Sin autem ſolum exemplar libri & delineationes adjunctas dederis, id etiam exemplaribus ſecundum eandem æquitatem Tibi penſabitur. Velim tamen cum Nobiliſſimo Pelſio, Amico communi, ea de re conferas. Iterum vale, & candorem meum boni & æqui conſule, mentem autem Tuam ſuper hac propoſitione mea mihi quàm primùm aperi.

N. 3. ad 5. & 6.

Dantiſco Hamburgum die 3. Aprilis 1665.

Hevelius tardum reſponſum excuſat, Promiſſum Prodromum Cometicum ſe jam compoſuiſſe nunciat,

TIbi ipſi omnino imputandum habes, quòd aliquanto ſerius ad binas Tuas mihi gratiſſimas literas reſpondeam. Nam quia Tu ſimul cum aliis Viris Eximiis & Amicis honorandis à me ſummoperè poſtulaſti, ut minimùm aliquid, antequam tota Cometographia abſolveretur, de nupero Cometa in lucem exponerem. Ideoque ſepoſitis aliis curis omnibus, nec non relicto ipſo etiam commercio literario, nihil potius duxi, ex ipſo die, quo Regiomonto Dantiſcum redii, quàm ut deſiderio Veſtro (utut initiò planè aliter decreverim) quantum hac vice ob temporis anguſtiam potuerit, ſatiſfacerem, atque ſic Prodromum quendam Cometicum concinnarem. Quem divinâ annuente gratiâ penitus jam quoque conſcripſi atque prelo commendavi, non dubitans, quin ſpatio unius menſis penè in publicum prodeat. In quo opuſculo non ſolùm hiſtoriam generalem hujus Cometæ ſatis plenam, ſed & diſſertationem de Cometarum omnium motu, generatione, variiſque phœnomenis habebitis. Adeo ut hiſce pagellis ſimul omnibus Amicis, quibus per literas ita plenè hactenus morem gerere nequivi, nunc ad interrogata, quæſtioneſque omnes propoſitas plenius reſpondere poſſim. Breviter quidem pertractata ſunt omnia, nihilominus tamen perſpicuè ſatis mentem hypotheſinque meam intelligetis. Reliqua verò, quæ nonnemini forſitan vel adhuc obſcura, vel nimis ſtrictim pertractata eſſe videbuntur, *Cometographia noſtra, propediem ad umbilicum perducenda, fuſiùs clariuſque elucidabit ac demonſtrabit. (a) Quod operam verò Tuam in edendo hocce opuſculo mihi adeò humaniter offerre haud es gravatus, debitâ gratiarum actione agnoſco; (b) at verò cum nitidam & politam Typographiam ipſemet, non ſine ſumtu, in ædibus meis poſſideam, treſque typographos alam, facilè intelligis, quod ſatius fuerit, ut ea omnia me præſente typis exſcribantur. Nam profectò, abſente Autore, nunquam Aſtronomica illa, inprimis numeris repleta, tantâ diligentiâ, quantâ quidem debent, in publicum proferuntur. (c) De cætero percepi à Nobiliſſimo Pelzio Tibi propoſitum eſſe variorum Clariſſimorum Virorum Obſervationes de hoc


*Ejus rationem paucis exponit, *Uſum Cometographiæ indicat, (a) De ſtudio edendi hunc Prodromum Auctori gratias agit, (b) Typographiam ſe habere propriam & tres alere typographos perſcribit, (c) De inſtituto opere Auctori gratulatur,*

Cometa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



I. Winterſteyn ad vivum delineavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura obſervationum Cometic. hic Hamburgi à Cl. viro D. Ioan. Mullero Matheſ. in Ill. hujus urbis Gymn. Prof. præſentibus Cl. Viris D. Ioan. Alb. Huswedelio, et D. Mich. Kirſtenio Med. Doct. etc. in domo Auctoris factar. ad Communicat. Hevelianam pertinens. N.° 15.

1. Obſervatio Cometæ libero oculo facta d $\frac{4}{14}$ Apr. 1665 hora dimidia tertia matutina.

2. Obſervatio facta d $\frac{5}{15}$ Aprilis 1665 hora tertia matutina.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa ſimul edere: id quod, ut puto, Aſtrophilis haud poteſt eſſe ingratum. (*d*) Quare cum ab Amico quodam varias etiam obſervationes ex Gallia, Germania & aliis regionibus obtinuerim, ſi ita viſum erit, verbulo tantùm ſignifices, lubens tranſmittam: (*e*) literas autem meas, cum nihil ſolidi de hoc Cometa contineant, tùm ipſemet prolixius meliorique ordine ſententiam meam, quantocyus in Prodromo ſim expoſiturus, non judico eſſe adjiciendas. Clariſſimos D. Kirſtenium, nec non D. Mullerum velim humaniſſimè ſalutes, quibus autem citius non ſum reſponſurus, quam ubi à cura typographica omninò liberatus fuero. Figuræ enim æri incidendæ multum mihi faceſſunt negotii. Domini Ottonis Gerrichii opinio de Cometis, facillimo negotio refutari poſſet, ſed non eſt hujus loci. Fallitur ſanè multum, quòd putet Cometam partem eſſe aëris, vi tempeſtatis cum impetu divulſam, tùm quòd omnis motus in Cometis motu unico terræ annuo ſalvari poſſit: prout aliquantò dilucidius ex Prodromo noſtro Cometico percipies. Vale & vive feliciter.

(d) Obſervationes varias ad ſe aliundè miſſas offert,
(e) Suas epiſtolas operi non eſſe inſerendas cenſet,

Sententiam Guerichianam improbat.

N. 4.

Dantiſco Hamburgum die 7. April. 1665.

RECens illud inſigne cæli phœnomenon, quod denuò clariſſimè ſummo mane affulget, in cauſſa eſt, cur haſce ad Te dederim literas. (*a*) Obſervatus autem eſt novus hic Cometa heſternâ die mane ab hora 1 36 ad 4. 36 à me ſummâ diligentiâ in pectore Pegaſi, & quidem in 14 ♓ & latitudinis Bor. 26° 36 circ. Progreditur motu directo, ſecundum nimirum ſeriem ſignorum in ſuâ orbitâ ſatis veloci. Caput ejus perlucidum eſt, albicantis coloris, quanquam aliquanto minus, ac illius nuperi: caudam eo die præ ſe ferebat 14°. longam; tendit verſus Piſcem Boreum. Dominus noſter Büthnerus adſtruere quidem hodie conatus eſt, cum Obſervationibus meis intereſſet, hunc Cometam illum priorem eſſe, qui in Ariete evanuit; ſed crede, longè fallitur. Nam planè novus eſt, qui ſine dubio ex Serpentario & Antinoo prodiit, motu tendens planè contrario, tùm etiam ſub longè diverſo angulo inclinationis orbitæ: de quibus autem alio tempore plura. Rogo, ut quantocyus hæc nova Domino Eraſmo Bartholino, cui nuper die 4. hujus menſis reſcripſi, referas, & ſi quid de hoc Cometa ab aliis perceperis, pariter nobiſcum communices. Saluta Amicos omnes. Vale.

Hevelius obſervationem & judicium de verno Cometa Auctori mittit.
(a) Cometa vernus ab Hevelio obſervatus,

Alium eſſe ab hyemali probat.
Büthnerus Cometam vernum eundem cum hyemali eſſe putat.

N. 7. ad 3. & 4.

Hamburgo Dantiſcum die $\frac{1}{11}$ *April.* 1665.

TE gravibus ſtudiis cæleſtibus dies noctesque occupatum ad literas meas non protinus reſpondiſſe, is miretur qui Te non novit. Tua enim eximia humanitas, Tuam officii omnibus exhibendi promtam voluntatem, extra omnem dubitationis aleam ponit. Tuæ verò aſſiduæ & ſublimes occupationes facilè Te, reſponſum vel officium aliquod differentem, cuivis æquo excuſatum reddent. Hac in Te æquitate utuntur Clariſſimi & Humaniſſimi Viri Kirſtenius & Mullerus, quibus ſalutem plurimam nomine Tuo retuli, cum mihi, commodiſſimo loco ad ſpectanda phœnomena habitanti, nudius tertius adeſſent. Quippe cum iis Cometam nuper ad nos, veluti viribus auctum (adeò cauda nunc eſt longè quàm initiò major) reverſum obſervavi, ut & hoc mane præſente & Clariſſimo Huſwedelio, Tui cum omnibus ingenuis cultore, qui unà cum illis plurimam Tibi mittit ſalutem, Mullerus verò etiam hanc rudi, ut dici ſolet, penicillo, ſcilicet ſine omnibus inſtrumentis factam & obſervationem & delineationem. Cometam non occidiſſe, Italis Clariſſimi Bullialdi noſtri literæ indicant. Credimus & Te continuum ejus curſum obſervaſſe. Qua de re abs Te doceri cupimus; nempe, ut Phocylides monet,

Silentium amici occupati æquo fert animo.

Kirſtenius, Mullerus, tum & Huſwedelius in domo Auctoris vernum Cometam obſervant.

Obſervatio Mulleriana Cometæ verni in domo Auctoris facta.

Τλῶ

Artifici in ſua arte credendum eſt.

Τὴν σοφίην σοφὸς ἰθύνει, τέχνας δ' ὁμότεχνος.

Sapientiam ſapiens dirigit; artes autem qui ejuſdem eſt artis.

Hevelianis meritis debitum teſtimonium datur:

Tantò magis quòd Tu Aſtronomicæ artis non tantùm ſis particeps cum tot aliis, ſed & ſcientiſſimus ac conſultiſſimus præ tot aliis. Nam Te profectò Deus nobis excellentiſſimum Mathematicarum

- - - - - - - rerum dedit eſſe Magiſtrum,

Ejus Prodromus & Cometicus & Cometographia exſpectatur, & commendatur.

quem verſiculum Virgilianum, ut & eum Phocylideum de Te hodie, ſuffragantibus Viris illis Doctiſſimis recitavi. Atquè hi jam, ſed & alii gaudent plurimùm Te nobis Cometographiæ Tuæ Prodromum promittere brevi, favente Deo, præmittendum Auguſto illi operi, de quo jam ille orbem literatum, præcipuè verò Mathematicos compellat:

Cedite Romani Scriptores, cediteGraji.
Neſcio quid majus naſcitur Iliade

Auctor benevolentiam officioſam erga Hevelium teſtatur.

Amicum inſtar theſauri reputa.

Auctor de inſtituto ſuo eum Hevelio confert.

Hevelianis meritis dibitum teſtimonium datur.

Auctor inſtituti rationem Hevelio exponit, & cauſſas.

Amicis recta monentibus obſequere:

Juſtas eorum excuſationes admitte:

‡ Eoſdem in conſilium adhibe.

in ſua ſcilicet ſerie, ſignorum & phœnomenôn cæleſtium ſeriem, naturam & motum deſcribens. In quo promittendo quod mihi quoque illud expetenti partem aliquam tribuere velis, pro Tua ſolita humanitate & in omnes honeſtatis ac literarum amantes benevolentia facis. Crede mihi poſſe me gratum aliquod Tibi officium facere in commendandis (quanquam ſcripta Tua accuratiſſima nativâ ſuâ commendatione gaudere, nec meâ indigere ſcio, niſi quod tamen index & nuncius illis opus ſit) Tuis ſcriptis, & diſtrahendis Tuis exemplaribus. Qua de re cum præcipuis Urbis hujus Bibliopolis, Königio, Hörtelio & Neumano locutus ſum non ſinè ſucceſſûs ſpe. Sed & ipſe me hîc illic amicorum operâ, quos mihi ubique per Dei gratiam, diuturno uſu & magno ſtudio, theſauri vice comparavi, non pauca exemplaria diſtracturum ſpero. Quod ad inſtitutum meum attinet, ita eſt me velle varias Virorum Præclarorum obſervationes, narrationes & judicia de nupero Cometa edere in publicum. Nam Amici ad id faciendum me hortantur, utile opus hoc publicè fore judicantes. Mathematicæ quidem rei parùm utilitatis adferet, cum tot Viri Ingenioſiſſimi eam ſcriptis doctiſſimis illuſtrent. Tu verò præ cæteris, Magne Heveli, à cujus manu inimitabili, utpote & pingenda ac fingenda ære ſcribere, & ſcribenda pingere & fingere doctâ, tùm verò & ſingulari rerum Aſtronomicarum ſcientia, tùm inſtrumentorum artificioſiſſimorum & aſſiduæ diligentiæ, ſed &, quam ſub tecto tuo politiſſimam & accuratiſſimam, ac ſuprà hominis privati fortunam aſſurgentem habes, typographiæ præſtantia, nil niſi ſingulare aliquid exſpectant. Sed aderunt Politica multa, Hiſtorica ac Moralia, quæ Amici publicè grata & utilia fore judicant. Quorum hortatibus & monitis obedio, ne non tantùm plus quàm verecundè & modeſtè amicis repugnans, ſed & invidus ac publici emolumenti negligens videar. Atque ita ſpero pro Tua æquitate Te vitio mihi non daturum, quòd talia tentem. Optaveram quidem Tuum Prodromum meo operi adjungi potuiſſe; nam ille huic plurimùm lucis attuliſſet. Sed excuſatio Tua eſt juſtiſſima. Certum enim eſt neminem ſub Sole melius Tua Te ipſo edere poſſe, præſertim cum typographiam adeò felicem domi Tuæ habeas. ‡ Verum tamen puto ex conſilio amicorum integrum mihi eſſe aliquid tentare in iſtis, & illo quidem modo, qui cum commodo publico ſit junctus.

Homero doctiſſima carmina pangente, poëmata Ciceronis & aliorum ad perpetuas tenebras non ſunt damnata.

Non ſi priores Mæonius tenet
Sedes Homerus

ideò aliorum Poëtarum, & vel illa, judice Satyrico, ridenda Ciceronis poëmata latent:

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Nec ſi quid olim luſit Anacreon
Delevit ætas. L. 4. Carm. Od. 9.

Ut alicubi Lyricorum anteſignanus canit, cujus dives adhuc in carmine luxuriabat vena, cum ingenioſiſſimi poëtarum Ovidii ſuavitatem Roma jam amplexa ex ea voluptatem perciperet. Nec Thaletis excellentiſſima philoſophiæ contemplativæ poſſeſſio ulla ratione diminutam ſe eſſe queſta eſt, quod ſimul tunc terrarum ocellus & ſapientiæ altrix Græcia Solonem, qui illius philoſophandi rationes expers, civitatem legibus & moribus condebat, coluit quod eadem. Vel quod eadem Biantem, in extrema pauperie magnanimum & ditiſſimum, quia cunctis cum patria urbe amiſſis omnia ſua ſecum portantem, habuit. Laudi ceſſit & aliis civilis & moralis diſciplinæ ſtudium, licet ſola tunc Thaletis philoſophia ultra uſum ad contemplandum ſeſe extulerit, ut ait Plurarchus in Solone. Recta quippe ratio docet, in viros literarum & virtutis amantes non cadere, ut bona invideant iis qui cum illis aliquo communium ſtudiorum vinculo juncti ſunt. Imò ſi conſtanti Ciceronis, Viri ſuo ſeculo omni ex parte præſtantiſſimi ſententiæ credimus, *nemo alterius, qui ſuæ confidit, virtuti invidet.* Philipp. 10. Et tamen verum eſt illud ejuſdem effatum: *Plerique ſunt invidi, maximeque eſt hoc commune vitium & pervagatum.* l. 2. de Orat. Te proinde, Ampliſſime Heveli! quem Reſpublica literaria ut ſummum Aſtronomum colit, ſecurum eſſe jubeo, Soli tuæ gloriæ tantis meritis partæ nullam me Eclipſin allaturum. Et quanquam benè ſciam face nullâ illi opus eſſe, ſi quid tamen tenuis Muſa mea valet, dabo operam, ut me id officii, quod candor ab homine ingenuo exigit, in Te feciſſe, & Tu fateare, & univerſus orbis literatus videat. Et certe, ut quod res eſt dicam,

Paupertas dives, ſi ſuo contenta vivit læta.

Invidia non convenit ſtudioſis bonarum artium.

Ciceronis laus.

Hevelium maximi Auctor facit in re Aſtronomica,

Suamq; erga eum benevolentiam teſtatur:

Nulla meis ſine Te quæretur gloria rebus.
Nam Mathematicarum Tibi maxima rerum
Verborumque fides.

Ideoque rara eſt inter aliquot epiſtolarum à me vel ad me adhuc exaratarum decades, quæ non æquum meritis Tuis præbeat teſtimonium. Hujus rei aliquot ſpecimina ad Nobiliſſimum Pelzium communem Amicum nuper miſi. Ita Tuarum ad me literarum, ſed à Te pro lubitu recognoſcendarum, exempla, coram tot Viris literatis reticeri, ſalvâ & Tua & mea exiſtimatione nequeunt. Atque hoc nullâ ratione vel invidiam vel etiam dedecus quoddam conciliare Tibi poterit. Imò

Cum eodem de edendis ejus literis & obſervationibus deliberat;

Pulchrum eminere eſt inter Illuſtres.

Cæterùm ut & Tibi & mihi ſatiſfiat, votaque utriuſque noſtrûm in unum conviant, velim mihi Tuam generalem Cometæ obſervationem mittas, quò æri incidi, & ſicut aliis, ita & illis quas mihi ex Hiſpania, Italia & Germania acceptas offers, (quo nomine ego tibi gratias ago, quantas poſſum, maximas) ſub Tuo nomine edendis addi queat. Nam neque hoc Tuis luminibus, ut puto, officiet. Quod ſi tamen aliter Tibi videatur, ego invito Te nihil de Te ſtatuam, & contentus ero ſolis Tuis epiſtolis, in quibus Te ad Prodromum Cometographiæ, demùm ad hanc ipſam referes. Vale Vir Eximie quàm diutiſſimè bono publico, & mei in Te ſinceri ſtudii certus eſto.

Oblatas ſibi aliorum obſervationes expetit.

P. S.

Adhuc in ære Tuo fui, Nobiliſſime & Clariſſime Heveli, nondum Tibi dato ad literas priores die 3. Aprilis datas, & à me ante triduum acceptas reſponſo, & ecce, quæ eſt ſingularis Tua humanitas tantis digna meritis, novo me Tibi officii nexu divincis. *Hodie enim novas accepi literas, eaſque nuncias novi

**Hevelius de verno Cometa ab hyemali diverſo Auctorem per literas certiorem fecit,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa vernus ab hyemali diverſus, Obſervatus ab Auctore 4. 14. Apr.

Cometæ, quem Tu quidem alium à priore eſſe ſtatuis. Quod ego ex variis conjecturis, diverſitate ſcilicet ſitus, motus & magnitudinis colligebam, at nunc fidem Tibi do. Nam ex veteri dicto, Artifici, tantò magis tàm excellenti, in ſua arte credendum eſt. Obſervavi ego hodierno mane, ſed nudis oculis, ortum fuiſſe Cometam quadrante horæ ante 2. prope ortum Solis æſtivum: caudam proiiciebat, præſertim oriens, quàm longiſſimam, exiſtens in brachio Andromedæ vix extrà Tropicum Cancri ad 15. vel 16. gradum Arietis. Intuebar eum uſque ad horam dimidiam quintam. Paulò ante diſparuit caput Andromedæ. Unà cum Cometa diſparuit Lucida Capella, ſed ecce poſt hos paulùm

Juppiter.

> Aureus affulget jucundo ſydere terris
> Juppiter, unde juvans dicitur eſſe pater

Cum Clariſſimo Bartholino Tuam obſervationem communicabo hodie, ſi potero; ſin minus, proximè Deo volente id fiet. Iterum Vale.

N 8. *Hamburgo Dantiſcum die* 21. *April. S. N.* 1665.

Curtii epiſtolæ duæ ad Rautenſteinium de Hevelio. Aſtrologicas prædictiones Curtius parvi pendit. Cometa vernus. Stella nova in Cygno. †Guſtavo Adolpho Regi Sueciæ naſcenti & denaſcenti ſtella inſolita præluxit.

PAuca de novitio Cometa quæ habebam dicenda, & nomine Clariſſimorum Virorum Kirſtenii & Mulleri Tecum communicanda, ad Te ante dies octo miſi. En jam quæ rogatu Illuſtriſſimi noſtri Rautenſteinii mittere Tibi debui à R. D. P. Curtio ad Eum perſcripta, quæ ad Te ſpectant. Prior epiſtola hæc in ſe habebat:

Sum negotioſus & inter ſacra aliaque munera vix tantum mihi ſupereſt, ut Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ comprecer felices quas expectamus Ferias, plenaſque cæleſtium benedictionum, quarum munere vana & falſa ſint quæ in æſtatem proximam de cælo & de Gallinario metuunt. Ajunt novum ſidus in cælo lucere in conſtellatione Andromedæ, mutareque locum, magnitudinem, ſtationem, Dominus Hevelius ſciet, qui Theoriam novæ ſtellæ in Cygni pectore identidem lucentis perſpectam habet. †Eam Sereniſſima Sueciæ Regina putat Parenti ſuo natalem, & mortis prodromam fuiſſe. Mittam illi ſanè hiſtoriam cæleſtem perlibenter. Sed exemplum Auguſtæ petendum. Hìc enim promptum non habeo. Atque illud ipſum erit acephalum, numeriſque non ſemper integris. Tamen ut dixi, mittam. Neoburgo die 3. Aprilis 1665. Poſterior, utraque enim ſimul Ratiſbonam erat allata & ad me miſſa, hæc continebat:

Cometa vernus à Curtio obſervatus.

Temporis & tabellarii culpa eſt, quod priore hebdomade nullæ literæ adfuerunt: tamquam ſi Saturno & Mercurio imputarem hæc vitia ſilentum. Interim nobis Cometam denuò videre datum eſt manè ex Solis radiis emergentem. Stetit non longè adjunctus à Quadrilatero volantis Pegaſi, poteratque hodie rectius obſervari, ſi cælum faviſſet. Domino Hevelio mittam exemplum Hiſtoriæ Cæleſtis quamprimùm Auguſtæ habuero. Sed velim ab Illuſtriſſima Dominatione Veſtra excuſari acephalum, & abortientibus interdum literis malè habitum. Neoburgo die 10. Aprilis 1665. Hinc vides quanti Te, Magne Heveli! merito tuo me non tantùm conſcio & teſte, ſed & indice faciant Rautenſteinii, Heinſii, Bullialdi, Curtii, præclara certè in Republica literaria nomina. Hæc enim ſe magnis meritis & egregiis ingenii facinoribus orbi jam dudum prodiderunt, & feliciter pararunt proſperam ſui memoriam à grata poſteritate ſollicitè conſervandam. Vides Præſtantiſſimos quoque Aſtronomos ad Te velut ad vivum Oraculum, quo Urbs veſtra æternùm illuſtris elucet, appellare. Tantum abeſt ut quis laudes Tuas deterere, vel Tibi

Rautenſteinii, Heinſii, Bullialdi, Curtii laus. Famam bonam præclaris facinoribus para.

> \- - - - - - - detrahere auſit
> Hærentem capiti multâ cum laude coronam.

Deſiderium amat feſtinationem.

Crede mihi magno cum deſiderio (cui nihil ſatis feſtinari noſti) exſpectamus Prodromum Tuæ Cometographiæ, antequam hæc ipſa conſpiciendam ſe nobis præbeat. Ergo quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

- - - - - - quid gaudia noſtra moraris?

Urge Opus; urget enim Te noſtra exſpectatio, nos tædium. Siderum Conditor & Rector Tibi propitius adſit, ut mirabilia ejus opera oculos ad videndum habentibus exhibeas, & cælum ſpirantes ſperanteſque animas ad verum ejus cultum excites. Cum autem in poſtremis Tuis ſpem feceris plura Te nobis de novo Cometa ſcripturum fuiſſe, hæc à Te exſpectamus. Si tamen id Tibi per Tua aſſidua ſtudia (ſcio enim Te perdium pernocemque Tua agere) facere licet. Cognoſcere cumprimis aveo vel ex Te vel ex Clariſſimo Büthnero, quæ nunc ei de novo Cometa mens ſit, vel demùm

Aſtronomici ſtudii finis.

Büthnerus ab Hevelio initio diſſentit.

- - - - - quæ nunc animo ſententia ſurgat.

Video enim alios quoque Mathematicos idem cum eo ſentire. Vale.

Cometa vernus cum hyemali unus & idem eſſe putatur.

Hamburgo Dantiſcum die 25. Aprilis S. V. 1665. *N. 9.*

S. P. En Tibi, Ampliſſime Heveli! quæ de novo Cometa Hafnia accepi ſcitu digna. Accepi etiam hodie Clariſſimum Concium, Mathematicum Regiomontanum, itidem aſſerere hunc Cometam eundem eſſe cum priori, quod Tu me melius ſcies. Clariſſimus Abrahamus de Grau, Prof. Franequer. in ſuis d. 15. hujus menſis datis literis, hodie mihi redditis, apertè non decidit hanc quæſtionem. Vocat tamen novum Cometam, qui ſibi primùm die 16. 26. Martii viſus ſit, procedens è Pegaſo verſus Caput Andromedæ. At verò celeberrimus quidam Mathematicus die 3. 13. hujus menſis ſcribit tunc Cometam in Pegaſo extitiſſe. Sed cur ego noctuas Athenas mitto? nempe ut Tibi probem integram meam fidem, ſinceritatem & benè de Te merendi voluntatem. Vale diu & feliciter.

Concii Prof. Math. Regiom. ſententia de Cometa verno.

Gravii ſententia de Cometa verno.

Cometa an die 3. 13. Apr. in Pegaſo extiterit.

Gedano Hamburgum die 13 Maji 1665. *N. 5. ad 7, 8, & 9.*

HActenus nulla potior mihi fuit cura, quàm ut Tuo aliorumque Clariſſimorum Virorum deſiderio ſatisfacerem, promiſſumque ſolverem, conſcribendo nimirum & edendo Prodromo noſtro Cometæ antecedentis: jam verò opuſculo illo ad binas Tuas multo mihi gratiſſimas reſpondeo, Prodromumque etiam ipſum Cometicum ſimul hiſce, & quidem per tabellarium ordinarium, quò eò citiùs illius Te redderem participem, Tuis ſubjicio oculis. Ex ipſo frontiſpicio ſtatim vides, quid cauſæ fuerit, quòd hæ pagellæ alterius operi haud potuerint annecti; attamen Tibi utique eſſe integrum in eadem materia quidvis etiam ſtatuere, penitùs Tecum ſentio; præſertim, cum certum ſit, intentionem hanc Tuam in commodum cedere publicum. Nefas igitur eſt, ſi hocce laudabile Tuum propoſitum quiſquam vel ſecùs interpretari, vel invidere vellet: in me profectò tantum abeſt, ut ſuſpicio aliqua invidiæ cadere poſſit (prout ipſemet noſti, & jam ſæpius cum Nobiliſſimo Domino Pelzio loquutus ſum) ut potius ſuaſor fuerim, quò quantocius Obſervationes ac Sententiæ, quotquot extent, Eruditorum Virorum, eo modo, uti propoſuiſti, à Te ederentur. Quem in finem, ipſiuſque operis eò magis promovendi cauſſâ, promiſſas quoque obſervationes hinc inde ab Amicis acquiſitas, nunc Tibi ſimul communico, ut ſi quid in iis dignum notatu reperiatur Tuis adjicere poſſis. Perge igitur alacriter in ſuſcepto opere, & fac ut quamprimùm illud abſolvas; non mihi ſolùm, ſed, crede, omnibus rerum cæleſtium cultoribus, cumprimis quibus ſcientia naturalis promovenda curæ cordique eſt, facies rem gratiſſimam. Porrò, Generalem Cometæ antecedentis deſcriptionem nullam conſcripſi, *poteris tamen eam ex Prodromo facillimo negotio conſtruere, ſimul ex eo excerpere, quæcunque

Hevelius Prodromum Cometicum Auctori mittit:

Eundem operi iſti adjungi non potuiſſe docet,

Libertatem ſentiendi Auctori integram relinquit,

Inſtitutum ejus approbat,

Ad edendum quamprimùm opus hoc hortatur,

Promiſſas variorum obſervationes mittit,

Opus hoc gratum & utile fore auguratur:

**Excerpi quædam ex ſuo Prodromo, eaq; , ut & literas ſuas operi inſeri permittit:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

cunque viſum fuerit, nec moleſtè feram, ſi literas meas, dummodo tanti ſint pretii, Tuis adjunxeris. De reliquo, ex hocce qualicunque opuſculo nunc

Rationem Prodromi exponit:

etiam intelliges ex parte hypotheſin noſtram Cometarum, tùm quid de variis quæſtionibus ſtatuam, nec non quâ ratione Cometarum phœnomena univerſa & ſingula rectè & debitè ſalventur. Tibi verò aliiſque Viris Doctiſſimis, quid

Judicia aliorum de eo liberè ſibi indicari poſtulat:

de his noſtris contemplationibus videatur, non dubito, quin, pro eo amicitiæ nexu, quo obſtringimur, ſuo tempore lubens libereque, more Philoſophico ſis expoſiturus. De poſteriori autem Cometa, quid mihi ſtatuendum ſit:

An Cometæ verni Prodromum præmittere Cometographiæ debeat, Auctorem conſulit,

an is omninò in Cometographiam rejiciendus; an verò pariter ex parte luci in anteceſſum exponendus? adhuc hæreo. Quod ſi tamen Tibi, Amiciſque viſum erit poſterius eſſe amplectendum, non minus iſtum laborem perlibenter

Uſum ſuæ Cometographiæ ſpecialem docet.

primâ occaſione ſuſcipiam: quò accuratam aliquam illius Deſcriptionem & Delineationem, imò etiam ipſas nudas obſervationes, quarum haud paucas poſſideo, abſque omni tamen calculo, qui Cometographiæ reſervatur, in gratiam Aſtrophilorum præmittere poſſim. Cometam autem hunc à die 6. Aprilis S. N.

Cometæ verni brevis deſcriptio Heveliana:

ad 20. ejuſdem menſis exquiſitè majoribus noſtris Inſtrumentis æneis, ſingulis ferè diebus dimenſus ſum: diutiùs quidem non licuit: quippe dies 21. & 22. nubili prorſus extiterunt; at die 23, licet cælo undique ſereno, tamen jam nuſquam ejus veſtigium deprehendebatur: ſic ut eo die planè ſeſe jam ſubduxerat. Progreſſus eſt continuo motu directo, ſecundùm ſcilicet Signorum ſeriem, in dies tamen tardiori à 14. grad Piſcium, quantum ego obſervavi, ad 2. grad. Tauri, latitudinem ſemper diminuendo. In prima enim Obſervatione 26° 36. in ultimâ verò tantùm 13° Boream verſus removebatur. Ductum itaque planè eun-

Ductum ejus Hevelius prædixit:

dem, infrà videlicet caput Andromedæ per Piſcem Boreum, quem initiò die 7. Aprilis S. N. Tibi prædixeram, ſequutus eſt. Ratione capitis, facie planè

Diverſitas ejus ab hyemali,

aliâ, quàm ille prior luxit: nam in hujus capite, beneficio præſtantiſſimi Teleſcopii, ſingularia quædam deprehenſa ſunt, quæ diſtinctè adumbrare, manuque meâ æri incidere, Deo volente, animus eſt. Percepi inſuper plurimos

Hanc confirmat, & contrariam ſententiam refutat.

eruditiſſimos Viros adhuc in ea eſſe ſententia, hunc ultimum Cometam omninò cum priori eſſe eundem. Sed profectò, miror, quòd talia ſtatuere audeant, quæ omni rationi prorſus contrariantur, tùm quæ ex ſolo globo artificiali longè ſecus omnibus, quibus ductus tramitis tàm antecedentis, quàm ſequentis rectè tantùmmodo cognitus eſt, patent. Neque verò Cometa hic, ut nonnemini, de quo ſcribis, viſum fuit, in Perſeo extitit, nec eò pervenit motu retrogrado: ſed penitùs ex Serpentario ſidere oppoſito, motu directo prodiit, atque ſic infrà Aquilam & Delphinum, per pectus Antinoi, nares Equulei & Pegaſum ad cornua uſque Arietis ferè viam ſuam duxit. Clariſſimus atque Do-

Büthnerus Hevelio de Cometa verno aſſentit,

ctiſſimus Dominus Büthnerus, communis noſter amicus, jam folia quædam de hocce Cometa evulgavit; ex quibus percipio, ſententiam ſuam jam mutaſſe, atque mecum planè ſentire, novum videlicet omninò hunc eſſe Cometam: non dubito quin pariter reliqui omnes, dummodò rem rectè conſideraverint, opinionem arreptam ſint mutaturi. Nam multis evidentibus rationibus ſuo loco, debitè demonſtraturus ſum duos diverſos apparuiſſe Cometas. Deniquè plu-

Hevelius gratum animum in Rautenſteinium, Curtium & Auctorem teſtatur.

rimùm Tibi debeo, quòd tàm varia, non ſolùm ex literis Illuſtriſſimi Domini Rautenſteinii, ſed etiam Reverendi P. Curtii, mecum communicare volueris: agnoſco inde & Tuum & P. Curtii prolixiſſimum erga me affectum, cumprimis Illuſtriſſimi Domini Rautenſteinii propenſam erga me voluntatem, quam ut aliquando viciſſim demereri poſſim, ſedulò annitar: interea eos meo nomine alioſque omnes nobis benè cupientes quàm humaniſſimè ſalutes, meaque promptiſſima officia iis offeras, etiam atquè etiam à Te contendo. Propediem

Exempla Prodromi ſui amicis promittit,

per Lubecam, cum hâc vice per tabellarium (ut facilè intelligis) haud fieri potuerit, illis quoque, ut & Domino Kirſtenio & Müllero, quos pariter meis ver-

Ut judicia eorum exploret.

bis ſalutabis, Prodromum noſtrum exhibebo; ut ſic & horum Doctiſſimorum Virorum judicium de hocce quali quali opuſculo noſtro, inter tot curas occupationeſque

neſque feſtinanti calamo conſcripto impetrare non nequeam. Vale & me amare perge.

Poſt ſcriptum.

Has dum obſignare volebam, Tuæ mihi gratiſſimæ die 25. April. St. Vet. datæ exhibentur. Gratias denuò Tibi debeo pro literis Clariſſimi Bartholini, ut puto, mecum communicatis. Libenter ſcirem an meas die 3. Apr. S. N. ad illum datas acceperit. Oblitus ſum tibi ſignificare, nuper die 4. Maji S. N. veſp. horâ $11\frac{1}{2}$ globum haud vulgarem igneum, ut milites noſtri certò aſſerunt, ex aëre hîc Gedani magno cum clangore decidiſſe. *Globus igneus 4. Maji ad Gedanum ex aëre lapſus.*

Obſervatio Cometæ Anno 1664. & 1665.

Coloniæ ad elev. poli gr. 51. *& Leodii ad elev. poli gr.* 50. 46′.

Obſervationes Colonienſes & Leodienſes Cometæ hyemalis.

HIc Coloniæ primùm viſus eſt 13. Decemb. deinde per intervalla ſerena die 22. Decemb. neutro die à me obſervatus 22. Decemb. accuratè obſervatus eſt Leodii horâ 4. matut. quando elevabatur ſupra horizontem gr. 14. 36. & cum Spica Virginis & ſtella, in oculo Corvi ferè conſtituebat unam lineam rectam: diſtabat autem ab illa in oculo Corvi gr. 16. 43′. à Spica Virg. gr. 36. 35′. à Corde Leonis gr. 43. 3′. Cauda recta projiciebatur verſus Cor Hydræ, & aliquoties euſque videbatur pertingere, diſtabat autem Caput Cometæ à Corde Hydræ gr. 31. 15′.

Ego cùm primùm vidi nocte natalem Domini inſequente, id eſt, 26. Decemb. manè circa quartam, quando jam imminebat horizonti, quo die iterum accuratius obſervatus eſt Leodii in velo Argus, poſt malum 8. circiter gr. conſtituebat lineam rectam cum corde & ſecunda jubæ Leonis, & aliam rectam cum ſequenti, quæ eſt in flexu colli Hydræ, & ea quæ eſt in compage inferioris pedis Leonis. Horâ 12. noctis diſtabat à Corde Hydræ 22. gr. 33′. à Cane majore 39. gr. 5. m. hora $2\frac{1}{4}$. diſtabat à Cane majore 38. gr. 55′. à Cane minore 43. gr. 36′. à Corde Leonis 45. gr. 1. min. altitudo Cometæ tunc erat 9. gr. altitudo Spicæ Virg. hora 2. & $\frac{1}{2}$. gr. 23. min. 52. Cauda brevior erat quàm 22. Decemb. & rectà tendebat verſùs Canem minorem. Eodem die 26. Decemb. oriebatur hîc Coloniæ ex vaporibus horizontis paulo poſt 11. noſtratem in amplitudine ortiva gr. circiter 55. Cauda nulla diſtingui poterat. Cùm circa Meridianum erat, ultrà 9. gradus non elevabatur. Cauda maximè ſpectabilis erat manè circa horam 3. diei 27. Decemb. & rectà aſcendebat verſùs Procyonem, videbaturque jam creſcere, jam minui, ut difficulter obſervaretur caudæ terminus. Cum jam immineret horizonti, à quo pluſculum diſtabat, quàm Sirius, ex Cane minore & Sirio & Cometa efformabatur triangulum ad Canem Majorem prope rectangulum, latere à Cane Majore ad Cometam paulò longiore altero. Deinceps ob nubes & nebulas non potuit obſervari.

Die 30. Decemb. circa horam 10. cum paullulùm ſerenaretur aër, viſus eſt ſine omni cauda in collo Leporis diſtans à Regel in pede Orionis, quæ communis eſt cum fluvio gr. 9. quot etiam inde diſtare obſervatus eſt Leodii hora 9. veſp. à Cane majore 20. Elevabatur autem tunc Regel gr. 31. 15. min. Cometa gr. 22. Canis major gr. 19.

Die 31. Decemb. circa horam 10. auſtralior ex tribus illis parvis ſtellis in enſe Orionis & Regel & Cometa, & quæ aliquanto lucidior eſt in primo flexu fluvii unam quaſi rectam lineam faciebant, & tunc elevabatur Cometa gr. 27. Regel 30. à Regel autem diſtabat gr. circiter 11. à Cane majore 30. qui eleva-

batur g. 21. eratque rectà infra primam curvaturam fluvii. Et hoc die non videtur obſervatus Leodii.

Die 1. Jan. hora 5. veſpertina & $\frac{1}{2}$. elevabatur Cometa gr. 15. 15′. cum oculis Tauri elevaretur gr. 31. humerus Occidentalior Orionis 16. gr. 36. diſtabat ab oculo Tauri gr. 25. à Rigel 15. Leodii eo die obſervarunt, quòd diſtaret à pede ſiniſtro Orionis gr. 15. 42′. ab oculo Tauri gr. 24. 56. ab humero Orionis dextro 29° 26. quando pes Orionis ſupra horizontem erat gr. 11. 46.

Eodem die hora 8. hîc elevabatur gr. 30. humerus Occidentalior Orionis gr. 35. 36. à quo Cometa diſtabat gr. 21. 56. à Regel 15° 36. Et erat in fluv. Eridano in illa curvatura prima, immediatè infra ſtellas illas tres, ibidem conjunctiores, adhuc ſine cauda.

Die 3. Jan. veſperi hora 6. raptim obſervatus eſt ob inconſtantiam auræ, & Lunâ nondum orta iterum viſus eſt cum cauda, ſed multo quàm nuper breviore & ſpiſſiore, ſed in fine latiore, eaque jam ad ortum vibrabatur rectà verſùs humeros Orionis. Stella in pede Erichtonii viciniore cornu Tauri, & oculus Tauri & Cometa erant quaſi in eadem linea recta, eratque jam ſupra fluv. prope os Ceti. Hora 7. & $\frac{1}{2}$. elevabatur Cometa gr. 36. 36. & diſtabat à Regel gr. 31. quæ ſtella gr. 22. 45′. elevabatur, oculus Tauri gr. 50. 36. min. à quo diſtabat grad. circiter 26.

Leodio ita ſcripſerunt: die 3. Jan. viſus eſt circa 5. & $\frac{1}{2}$. veſperi habens caudam 10. circiter pedum, quoad apparentiam, averſam de more à Sole, adeoque verſus Orientem protenſam, faciebatque lineam rectam cum utroque humero Orionis, elevabatur ſupra horizontem gr. 29. 46. diſtabat ab oculo Tauri gr. 23. 43′. ab humero ſiniſtro Orionis 29. gr. 34′. à Lucida in ore Ceti gr. 8. 36. pes ſiniſter Orionis elevabatur gr. 9. 26. fuit igitur ante os Ceti diſtans ab eo gr. 3. 36 infra æquatorem gr. 2.

Ab hoc tempore hîc Coloniæ viſus non eſt uſque ad 7. Jan. Leodii tamen viſus eſt 5. Jan. horâ 6. veſpertinâ iterum caudatus paullò occidentalior, quam ſtella in ore Ceti, à qua diſtabat gr. 0. m. 55. iſta ſtella videbatur per caudam Cometæ. Cauda erat protenſa verſùs ſiniſtrum genu Tauri. Diſtabat Cometa ab oculo Tauri gr. 25. 55′. à Lucida ſupra caput Arietis gr. 23. min. 12. à cornu Tauri communi cum pede Erichtonii gr. 42. m. 0. Altitudo Cometæ ſupra horizontem gr. 41. m. 10. hora 6$\frac{1}{4}$. altitudo pedis Orionis gr. 18. m. 0. Oculus Tauri, ſtella in ejuſdem pectore, erant in eadem linea cum Cometa.

Die 7. Jan. hîc iterum raptim obſervatus eſt ob inconſtantiam auræ, circa ſextam cum cauda majore quàm nuper, qui vibrabatur uſque ad ſtellas conjunctiores in armo Tauri, eratque corpus Cometæ in medio 4. ſtellarum in capite Ceti, quæ faciunt quaſi Rhomboidem hora 7. elevabatur Cometa gr. 42. 12. Oculus Tauri 49. à quo videbatur diſtare grad. 32. à Regel 43.

Leodio ſic ſcriptum eſt: Viſus eſt Cometa in capite Ceti inter oculum & ſtellam in capillamento: cauda erat protenſa verſùs duas auſtrales in ſectione Tauri. Propter intercurrentes nubes non potuit undequaque exacta fieri obſervatio, per lucida tamen intervalla aliqua obſervata ſunt. Diſtabat Cometa ab oculo Tauri gr. 29. m. 23. hora 6. & $\frac{1}{2}$. ſiniſter pes Orionis, os Ceti & Cometa videbantur eſſe in eadem linea recta. Diſtabat à pede Orionis gr. 41. m. 50. hora 9. & $\frac{1}{2}$. ab oculo Tauri gr. 29. 28. min. Nec plura Leodio accepimus.

Die 8. Jan. veſperi ſtatim viſus eſt, atque aliæ ſtellæ prodierunt, & paulò poſt elevabatur gr. 43. 45. min. Oculus Tauri 36. circiter quia nubecula inter capiendam altitud. intercurrit. Hora 9. elevabatur Cometa grad. 37. 45′. Oculus Tauri 55. gr. diſtabat Cometa à Regel gr. 47. Cauda erat longa 22. circiter grad. hora 12. & $\frac{1}{2}$. occumbebat iiſdem ſtellis quibus conjunctior erat, ſed intra vapores, in quibus evaneſcebat.

Die 12. Jan. erat in pedibus Arietis, nam cornu Arietis & occidentalior ſupra lineam Æquinoctialem poſt lucidiorem Ceti cum tribus Stellis, quæ ſunt in ea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

in eadem linea recta verſus eclipticam, & Cometa, ferè faciebant unam lineam rectam, Cometa tamen plus declinabat ad Occidentem. Elevabatur grad. 47. diſtabat ab oculo Tauri gr. 35. 3′. ab humero Orientaliore Orionis gr. 36. 30. à Lucida Ceti gr. 14.

Die 14. Jan. fuit in ipſa quaſi ecliptica, diſtabat à lucidiore Ceti gr. 16. min. 10. ab oculo Tauri gr. 35. 26. qui elevabatur gr. 43. 30. diſtabat à Lucida in capite Arietis gr. 12, 15′. elevabatur Cometa gr. 49. 33′. Deinceps tardiſſimè progreſſus eſt, & hæſit inter Arietem & Linum piſcium, nec ulterius aliquid obſervatum eſt cum aliqua cura. Viſus adhuc eſt 5. Febr. ſed valdè obſcurè, deinceps fuit turbidum cælum uſque huc ad 11. Febr. quo hæc ſcribo, exſpectans viciſſim aliquid notabilioris Obſervationis.

Addo Obſervationum quaſi compendium, ut obiter calculavi & correxi 22. Decemb. hora 4. matutina longitudo fuit 27. gr. ♏. latit. auſtralis 31. gr. decl. auſtr. 27° 27′. horâ 2. matut. longit. 2. gr. ♏. Latit. 43. 40. Decl. 29. gr. 30. Decemb. circa 10. veſpert. longit. gr. 13. ♊ Latit. 40° 30. Declin. 18°. 31. Dec. veſperi long. 0. ♊ latit. 35. decl. 13. 30. min. 1. Jan. Longit. 26. 18′. Latit. 30°. Decl. 10. gr. 3 Jan. veſperi longit. 15. gr. ♉. Latit. 19. declin. auſtr. 2. gr. 30. min.

5. Jan. hora 6. longit. 10. gr. ♉. Latit. 12. 30. decl. Borea. 3. gr. 7. Jan. veſperi longit. 6. gr. ♉. Latit. 8 decl. Bor. 5. 30. &c.

Obſervationes Cometæ conſpicui menſe Decemb. 1664.
Pariſiis à P. Petito Monluciano.

Obſervationes Pariſienſes.

DE novo Cometâ monito die 16. Decemb. & ad obſervationes parato, diebus 17, 18, 19. nubes obſtiterunt: die verò 20. circa horam à media nocte quartam trans nubes illuxit aliquantulum, nilque aliud ex eo profeci, quàm certiorari inſolens aliquid in ea parte cæli natum eſſe, in qua nullæ ſtellæ tantæ magnitudinis eſſent, quæ albedinem, quam intuebar, poſſent efficere.

Die verò 21ª. circa eandem horam mihi viſus eſt Cometa caudatus in meridiano, altus circiter 12. gradus diſtans ab Arcturo quaſi 63. & à Procyone 64. gr. circiter, ita ut hunc in triquetra ſeu reflexu caudæ Hydræ judicaverim.

Die 22ª. eadem hora ejus altitudo meridiana tantiſper major viſa eſt, diſtantia verò à Spica Virg. 35. circiter grad. & à corde ♌ 47°. Unde colligitur tunc fuiſſe in 28. gradu circiter Virginis: cauda ipſius dirigebatur ad chotum ſeu ſeu brachium Auſtrinum 69. paululùm ſupra cor Hydræ. Diebus 23, 24. nubibus aër, & pluviæ hunc abſconderunt. Die verò 25. ipſâ nocte quâ Sol juſtitiæ novus toti mundo illuxit ab annis 1664. ex æra vulgari, cælum undique conſpicuum, & ad voluptatem ſerenum obſervationibus favit, ſic itaque viſus eſt Cometa major ſtellâ primæ magnitudinis, ſed ſine fulgore & ſcintillatione; nec ſtellas tertiæ claſſis, quoad ſplendorem ſuperans. Hunc circumſtabant quaſi crines albi, qui in caudam lumine pallido niveam, & unius circiter gradus latam, paulatim deſinebant, tandemque poſt longitudinem 8. aut 20. graduum evaneſcebant. Notandum etiam ſtellulam ſextæ magnitudinis, quæ in antenna navis locatur in globis, trans caudam illuxiſſe, quæ cauda tantillum arcuata, & ad Horizontem inclinata videbatur. Locus ipſius erat in 3. ferè gradu Virginis, extra Tropicum Capricorni $5\frac{1}{2}$. circiter grad. Siquidem viſus eſt diſtare à Sirio 42° 26. & à corde Leonis 43. 10 min. à corde Hydræ 21. grad. omnia hæc circumcirca, nec enim tunc majoribus Inſtrumentis, ob defectum pinnacidiorum ad hanc rem commodorum uſus ſum, aliàs id acturus, ſi perſtet Cometa. In recta erat linea cum corde Leonis, & illa quæ propior eſt, & ſub corde Hydræ in eadem etiam recta cum Spica Virginis & medio Corvi.

In recta etiam Sirii & inter caput Galli & pedem Unicornis, quas Tycho, & antiqui in ſumma puppis Argo locabant, rectumque angulum faciebat ab illa ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ad ventrem Leonis, qui ſubeſt Eclipticæ, & Bayero dicitur, ad dextram axillam, ex quibus omnibus collatis locus ipſius ſatis innoteſcit in 3°. Virginis cum Latitudine circiter 42. motus diurnus 6. aut 7. graduum inæqualiter contra ordinem ſignorum. Cauda ſeu totum corpus Cometæ protendebatur rectà ad lucidam caudæ Unicornis parumper arcuatum.

Die verò 26ª. eadem horâ viſus eſt in recta linea per Spicam Virginis & medium 4. ſtellarum Corvi, æqualiter ab illis & capite & pede Corvi ductâ.

In recta etiam per cor Hydræ & linguam Leonis, & in recta per Procyonem, & genua Geminorum, ex quibus judicatur progreſſum fuiſſe ad 28°. circiter Leonis cum Latitudine paulò minore dierum præcedentium: Teleſcopiis non fuit ſpectabilis, ob defectum luminis & corporis, ſicut nec anteà. Si occurrat aliud obſervandum, agemus, idem faciant cæteri Phyſici & Mathematici, ut ex omnium Obſervationibus aliquid veri & novi poſſit oriri.

Diligentia plurium in re literaria juvat veri inquiſitionem.

Cometa caudatus Argo-navis Anno MDCLXV. *obſervatus in Collegio Societatis Jeſu Pragæ ad S. Clementis menſe Januario.*

Obſervationes Pragenſes.

COepit hîc apparere veſperi in decurſu Decembris inſtar ſtellæ nebuloſæ, ſed Cometæ ſuſpicionem ſuſpendit alter Cometa ſub ſigno Corvi, circa tempus matutinum comparens.

1. Januarii notabilior apparuit ad Eridanum fluvium, ſed ſine cauda: fortè propter plenilunium, adeoque dubios adhuc reliquit ſpectatores.

2. Cælo nubibus obducto nil videri potuit.

3. Apparuit, ſed necdum caudatus, ad fauces Ceti progreſſus.

4. Primùm apparuit caudatus, ſed ob nubium denſam conglobationem tempore adeò anguſto ut obſervationem eluderet.

5. Serenato cælo conſpiciendum ſeſe dedit. Inventa autem eſt ejus diſtantia ab oculo ♉. gradus 25. à Plejadibus grad. 23. à crure Occidentali Orionis gr. 35. longitudo caudæ gr. 11.

6. Nubilo cælo non comparuit.

7. Obſervata ejus diſtantia ab oculo ♉. gr. 29. à Plejadibus gr. 23. 36. a pede Occidentali Orionis grad. 41. caudæ longitudo grad. 10.

8. Diſtantia illius ab oculo ♉. grad. 30. a Plejadibus grad. 24. cauda grad. 5. quanquam intra eandem obſervationem cauda variabat, nunc major nunc minor apparens, maxima circa Occaſum.

9. Exiguo tempore intra nubium intercapediem apparuit, modicùm progreſſus: a latere habens ſtellam, quæ eſt ſupra oculum Ceti.

10. Intercalaribus nubibus apparuit exiguus, & ex præcognitis noſcibilis.

Porrò ſemita illius curſûs indicat a ſigno Columbæ Noë, aut Argo Navi ortum habuiſſe.

Cometa hyemalis ſupra Lunam luxit:

Videtur autem eſſe ſuperlunaris ſeu æthereus, & quidem valdè altus, cùm nullam habuerit notabilem parallaxin Horizontalem.

Ille in Lepore viſus maritimis locis mala minari putatur.

Porrò ſi, ut cecinit Manilius, Nunquam futilibus excanduit ignibus æther, & Deo placet aſteriſmis cæleſtibus, utpotè ab hominum inſtitutione & acceptione notis, pro ſignis ſuæ in nos adverſionis uti; ſicut olim Gen. 9. in ſignum fœderis aſſumpſit arcum cæleſtem: cùm hujus Cometæ curſus ab Argo Navi cœperit, & trajecto Eridano in Ceto ſeu Balena deſinat, videtur in mari, aut civitatibus maritimis eventus portendere extraordinarios. Cujus etiam præcurſor matutinus in Hydra prælufit: Si tamen ab hoc diverſus eſt, ex curſu enim ipſo, & ſemita, videtur idem Cometa qui in Decemb. apparuit ſub Corvo circa Hydram, in Januario potuiſſe apparere circa Eridanum, præſertim cùm curſus illius ad initium celerrimus fuerit.

Idem fuit cum illo in Corvo.

Obſervatio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Obſervatio Constantienſes, & Pragenſes.

Obſervatio Cometæ Conſtantiæ facta 20. Decembris 1664. per R. P. Lamparter miſſa.

COmetæ locus apparens, ſive viſus horâ 4. mat. fuit inter hæc tria ſigna Auſtralia Corvi, Crateris & Hydræ, ita ut cum ſtella quartæ magnitudinis in labro Crateris, Corvo viciniore, & ſtella illa, quæ in ventre Hydræ eſt, fecerit perpendiculum perfectum. Medius verò quoad latitud. duabus ſtellis tertiæ magnit. in capite Corvi, à cujus tamen Corvi magis Auſtrali ſtella in capite diſtabat quoad longit. ferè 5. grad. aut 4. Barbam (eſt enim barbatus Cometa) Occidentem verſùs longam 12. gr. latam verò circa extremitates 4. grad. extendit, ita ut terminetur proximè infra duas ſtellas quarta magnit. in ventre Crateris, ejuſdem ferè latit. exiſtentes. Adeoque corpus ſtellæ declinavit ab ecliptica 24. gradibus ab æquatore 25. Cum ejus longitudo fuerit quaſi directè ſub ipſa ſectione eclipticæ & Æquatoris. Altitudo ſupra Horizontem videbatur eſſe 15. graduum. In Meridiano autem, quem attigit hora 5. 18. grad., adeoque à noſtro Zenith diſtabat 66. gr. Color eſt pallidus & albicans, corpus Veneris magnitud. non multùm excedit quoad aſpectum. Eadem horâ 4. diſtabat à Spica Virginis juncta differentia Longit. & Latit. 27. gr. Hæc Conſtantia. Pragæ verò licet etiam ſit obſervatus, nunquam tamen horridior ac in vigilia S.S. 3. Regum ſub veſperum, a ſiniſtro crure Tauri ad dextrum aſcendens, Orionis clypeum verſus, erat 15. non jam barbatus ſed caudatus, & quidem ad 10. gr. ea protenſa à parte Meridionali in Orientem, eratque magnit. ſtellæ quartæ. Ita Pragâ.

Cometa hyemalis in Corvo barbatus,

In Lepore caudatus.

Obſervationes Olomucenſes.

Obſervatio Cometæ à Matheſi Olomucenâ à 26. Decembris Anno 1664. uſque ad 14. Januarii incluſivè Anni 1665.

Decembr. 26.

POſt dimidium noctis, quæ diem 25. Decembris, ſeu Natalem Domini conſequitur, horâ tertiâ matutinâ viſus eſt Cometes, & primùm a me obſervatus Janovicii 5. milliaribus Olomucio, verſùs Septentrionem in altitudine poli 40° 56. in longitudine verò, ſi tabulis credendum, in eodem cum Vienna Meridiano.

Fuit autem diſtantia ejus, dum quadrante poſt tertiam meridiaret a Sirio 42° ab Alpharad autem ſeu corde Hydræ $30^{\circ}\ 45'$. Adeoque valdè Auſtralis ejus ſitus, ſcilicet in velo Argo navis. Caudam ingentem ſurſum verſùs inter Septentrionem & Occidentem projecit, verſùs ſtellam informem tertiæ magnitud. (quæ propinqua Æquatori, & quaſi media inter Sirium & Regulum, ſive Cor Leonis) ferè illam contingendo, adeoque per gradus nunc quidem 20. nunc 28. nunc etiam 37. radios à Sole receptos ejaculando, conſtantiùs tamen perſeverabat in longitudine graduum 28. Color ipſius Cometæ & caudæ ex albo liveſcens, quanquam in ortu a vaporibus pipio & rubeſcente tingeretur. Diameter ejus viſualis, Veneris diametrum nonnihil excedere videbatur, ſi una cum cortice pellucido ſeu Athmoſphæra ſua, quâ ſemper veſtitus apparet, accipiatur. Nucleus autem lucidior ſtellam ſecundæ magnitudinis æquabat.

Cometæ cauda longiſſima.

Decembr. 28.

Poſt dimidium noctis, quæ diem 28. conſequitur, horâ item tertia Cometa jam 18° 56. progreſſùs verſus Sirium, adeoque occidentalior ſimul & Borealior deprehenſùs eſt in ſtatione modicum elevatus, ſupra duas illas in Argo-navis antenna collocari ſolitas, tertiæ magnitudinis, diſtantiâ verò a ſe invicem gr. 3. Habuit igitur curſum ferè Eclipticæ parallelum. Diſtantia ejus a Sirio 23° min. circiter 5. ſed a corde Hydræ 30° 30. Cauda ejus (ferè in linea parallela caudæ;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quam habuerat nudius-tertius) protenſa erat uſque ad informam tertiæ magnitudinis, quæ verſus Caniculam aſcendendo, diſtat ab Æquatore gr. 9. a Sirio autem gr. 17. 36. Adeoque conſtans caudæ longitudo fuit 22° 25'. Exindè uſque ad Calendas Januarias cælum nubilum obſervationi invidit.

Januar. 1. Olomucii denuò poſt 5. veſpertinam aperto & ſerenato cæli vultu Cometa illicò, quanquam jam caudâ truncatus, mihi agnitus in admirationem me excivit, quod poſt quadriduum jam Eridano tranato in vicina Æquatori ripâ conſiſtentem conſpicerem. Quare convocatis aliis Patribus, præſertim Philoſophiæ Collegis, obſervationis teſtibus, deprehendimus horâ 6 & $\frac{1}{4}$. locum ejus inter Regel Orionis & Lucidam Ceti, infra tamen Æquatorem, prope duas quartæ magnitudinis in Eridano, quarum Occidentaliorem prorſus eclipſabat. Diſtantia ejus à Lucida in rictu Ceti 20° 5'. à Regel Orionis 17°. Undè colligitur die 29. Decemb. jam tranſiiſſe poſteriora Canis majoris, & fuiſſe in ipſo Tropico Capricorni. Die 30. in poſteriori pede Lepuſculi. Die 31. ultrà & infrà Regel Orionis ad Auſtraliorem ripam Eridani. Cauda aliqua nonnunquam ſeſe evibrabat in Ortum, nonnunquam in Occaſum. Hoc ob viciniam Lunæ ex parte Orientali, illud ob viciniam Solis ex parte Occidentali.

Januar. 2. Horâ ſextâ $\frac{1}{4}$. veſpertinâ conſtitit prope informem infra Æquatorem 4° 36. abſitam (quâ tamen erat Occidentalior ipſe Cometa) inter Regel Orionis & lucidam Ceti, ab hac diſtabat Cometa 13 32'. Sed ab illo 22° 45'.

Januar. 3. Eâdem horâ jam erat infra mandibulam Ceti, ſed adhuc infra Æquatorem, diſtans à Lucida in rictu Ceti 7° 46. à Regel 28° 37'.

Januar. 4. Eâdem horâ jam attigit Æquatorem diſtans à Lucida Ceti 3 ab oculo Cancri 26°. Sed

Januar. 5. Cælo, ut nunquam ante, ſudo atque ſereno, ingenti rurſus cauda, ſed (uti per Solem ab Occaſu viciniorem fieri oportuit) verſus Ortum protenſa, omnibus noſtris & externis ſeſe pulchrior ſpectandum exhibuit. Erat hora ſeptima veſpertina viciniſſimus Lucidæ Ceti, ſed tamen nonnihil Occidentalior. Caudam per ipſam Lucidam Ceti projecit parallelè ipſi Eclipticæ per 19° 25'. uſque ad ipſam ferè ſtellam quartæ magnitudinis poſt dextrum genu Tauri, diſtantem ab humero Orionis ſiniſtro 17° 5'. & ab oculo Tauri 8° 52' Diſtantia Cometæ ab oculo Tauri erat (horâ ſeptimâ $\frac{1}{4}$) 27° 15'. à Lucida in fronte Arietis 23°.

Januar. 6. Nubilum Cælum.

Januar. 7. Cælo rurſum ſcenam ſideream oculis dante Cometa denuò apparuit, & accuratè obſervatus, horâ ſextâ veſpertinâ in naſo Ceti repertus eſt. Erat altitudo ejus ab Horizonte quadrante magno obſervata tunc 43° 54'. at verò horâ 7$\frac{1}{4}$. dum præciſè Meridianum tranſiret, fuit meridiana ejus altitudo deprehenſa 46° 36. diſtantia ejus à Lucida Ceti obſervata exhibuit 5° 56. à Lucida Arietis 19° 6'. Cauda nonnihil jam imminuta ſeſe extendit adhuc quaſi parallelè Eclipticæ, nonnihil tamen verſus Æquatorem declinando, id quod poſterioribus diebus ſemper fuit magis & magis obſervare. Extendit ſe autem ad 11° uſque ad initium pedum Tauri, uſque ad duas illas valdè ſibi vicinas quartæ magnitudinis, quæ inter oculum Tauri & Lucidam Ceti interjacent, ita tamen, ut huic viciniores abſint tantùm 8° 16. ab oculo verò Tauri gradibus ferè 18. Deinceps a. m. nocte Cometa obſervatus non multùm incurſu ſuo accelerare viſus, & denique cum iiſdem ſtellis fixis paulò poſt horam primam noctis occubuiſſe deprehenſus eſt.

Unde ingens ejus hoc tempore altitudo, & ſuper aëream regionem elevatio non obſcurè colligitur.

Januar. 8. Horâ 7. 15. rurſus dum Cometa Meridianum tranſiret, ejus altitudo accuratè & tertiò iterata deprehenſa 46° 51. Diſtantia ejus à Lucida Ceti 7° $\frac{1}{2}$. à ſtella vero quartæ magnitudinis, quæ in rictu adhuc ſupra lucidam 5° elevata eſt, & ad quam caudam Cometa projecit fuit 6° 16. Cauda Cometæ fuit tantùm 6°

10'

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

16. promovit Cometa valdè tardè in curſu ſuo intra diem tantùm duos gradus.

Cælum obductum. Januar. 9.

Horâ ſeptimâ altitudo Mer: Cometæ 48° horâ ſeptimâ ¾ altitudo Cometæ 46° 26. Plejadum Mer: altitudo 63° 5′. Diſtantia Cometæ à Lucida Ceti 11° 6′. à Lucida Arietis 14° 30′. Lucidæ Ceti, à Lucida Arietis 23° 30′ horâ 9. meridiante Regel, altitudo Regel 31° 20′. altitudo Cometæ 37° ½. Cauda Cometæ tantum 6°. Januar. 10.

Horâ octavâ ½ Cometa altus fuit 42° cum oculus Tauri meridiaret 46° ab Horizonte elevatus. Fuit Cometa jam ferè in vertice Ceti. Diſtantia ejus à Lucida in rictu Ceti fuit 30° 20′. à Lucida item Arietis 13°. Cauda Cometæ videbatur nonnihil longiùs ſparſa quàm heri, ſed id ſereniori auræ tribuendum. Januar. 11.

Nubilum. Januar. 12.

Cometa jam fuit in pedunculo Arietis ſiniſtro. Diſtantia ejus à Lucida Ceti fuit 14° 25′. à Lucida Arietis 11° 50′. Cauda 5° tantùm (ſed debilis, uti & ipſe Cometa) portendebatur ab Ecliptica jam notabiliter verſùs Æquatorem declinando. Januar. 13.

Jam ipſam Eclipticam attigit & tranſcendit Cometa horâ 6. altitudo Cometæ Meridiana 51° 4′. deprehenſa eſt. Horâ verò ſeptimâ ¼ altitudo Cometæ fuit 48° circiter. Diſtantia ejus à Lucida Arietis 18° & 16. à Lucida Ceti 16° 30′. Multùm jam debilis graditur verſùs cornua Arietis, ubi illum ſpatio circiter unius hebdomadæ extinguendum arbitramur. Januar. 14.

Cum tot ſigna aquatica ex profeſſo adierit, vix dubium nobis relinquit, regionibus marinis atque aquaticis ingentia mala, uti & navalia prælia, & aquarum grandes inundationes, præter morbos & mortes magnorum Principum, & communem aliquam peſtilentiam, quam color lividus & Saturninus, item Hydræ, & ſigna alia quamplurima teſtantur portendere. Deus à nobis mala avertat! Hactenus quidem nunquam terris noſtris, ſed tantùm Indis & Oceano Meridiano verticalis fuit.

Cometa hyemalis maritimis locis triſtia portendere putatur.

Non Europæis ſed Indis verticalis.

NB. Illud curioſè obſervandum, Cometam in curſo ſuo, eam figuram expreſſiſſe, ut ſimilis videri poſſet Latinæ literæ G. vel potius falci; aut etiam initiò delineationis alicujus Navigii.

In curſu ſimilis literæ G. vel falci.

N. 10. ad 5.

Hamburgo Dantiſcum die 9. 19. Maji 1665.

TAndem mihi hodiernus tabellarius Prodromum tuum Cometicum attulit, opus, ut à multis me indice cum tædio exſpectatum, ita mihi cumprimis gratiſſimum. Nam & multa jam ex eo, cui percurrendo nonnihil temporis ſuetis laboribus ſuffuratus ſum, didici, pluraque longè diſcam plus otii nactus: &, quæ tua eſt ſingularis humanitas & in me benevolentia, aliquas mihi in illuſtri illo opere partes eſſe vis.

Hevelianum Prodromum Cometicum Auctor accipit lætus.

Haud equidem tali me dignor honore.

Quòd tamen meum conſilium de præmittendo Cometographiæ Prodromo Tibi ita placuerit, ut in illo Herculeo & Atlantico opere occupatus, hunc quoque ſat moleſtum laborem ſubire volueris, eſt de quo mihi gratuler, ritè me ſcilicet & feliciter officio boni Amici (quod nunquam non pro virili exequar) defunctum fuiſſe. Verùm tàm eximii operis laus Tibi in totum debetur. Multa enim profectò de Cometarum Origine, ſitu & motu, tum & parallaxibus ac diſtantia a terra, aliiſque rebus huc ſpectantibus, Tuus iſte præcurſor dicit. Ita majorem exſpectationem cùm tædioſo deſiderio, quod omnem celeritatem accuſat tarditatis, conjunctam, Cometographiæ Tuæ animis omnium in adventum tanti, ut ſic dicam, Legati erectis injecturus, ſi quid ego de his judicare poſſum, certò eſt.

Et cum Cometographia ſimul commendat.

Deſiderio magno nulla feſtinatio ſatiſfacit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Liber vendibilis.

Hic meret æra liber Soſiis: hic & mare tranſit,
Et longum noto ſcriptori prorogat ævum.

Et quidni is multos doceat multa, dum te multa ante hac non ita certo explorata in aſſiduis & pernocibus obſervationem Tuarum (quarum numerum tot centurias implentem & incomparabilem diligentiam omnis mirabitur ætas) vigiliis didiciſſe nunciat. Diſcent profecto ex hoc libro multa Aſtronomorum, alioqui clarorum & præſtantium multi. Niſi forte quidam reperiantur contumaces, quibus volupe, ideoque ſolemne eſt, omni animi oriſque contentione διαφυλάττειν τὴν θέσιν, & contra apertam veritatem jurata placita tueri, ne cogantur ſuis opinionibus nuncium remittere,

Contumacia quibuſdam viris eruditis ineſt.

& quæ
Imberbes didicêre, ſenes perdenda fateri.

Bullialdius laudatur.

Eximius Bullialdus, ſicut Virum illum undique Doctiſſimum vocare ſoles, qui in ſecunda Cometæ prioris apparitione primo adſpectu a Te diſſenſerat; ſed mox habita die 9. Jan. Cometæ obſervatione, operi Tuo & meo quoque (quicum Vir ille Præſtantiſſimus eandem communicârat) inſerenda, Tibi conſenſerat, plurimum viſo & perlecto Tuo opere gaudebit. Sed & R. D. P. Curtius, qui mihi, proxima occaſione per Illuſtriſſimum Dominum Rautenſteinium non pauca operi meo inſerenda, obſervationes ſcilicet Romæ & Ingolſtadii habitas, miſit. Gaudebit & Clariſſimus Bartholinus, aliique Viri Doctiſſimi & Aſtrophili, Tuam Cometographiam & hunc ejus Prodromum ſolicite præſtolantur. Quos inter erit amor ille literarum & Literatorum Illuſtriſſimus Rautenſteinius, tum & per omnia Nobiliſſimus Heinſius, qui Tibi per me multa cum ſalute, hanc ſuperiori ſeculo de inſigni illo Anni 1577. Cometa habitam Lutetiæ obſervationem, ſi forte Tuo inſtituto nonnihil prodeſſe poſſit, mittit. Atque ita gratulor mihi, me Tibi, pro tam eregiis obſervationibus, operi meo inſerendis (de quibus ut de Prodromo Cometico maximas iterum iterumque Tibi ago gratias) hoc licet alienum hoſtimentum mittere. Tu pro ſolita humanitate, ut Nobiliſſimus Heinſius Te id ritè & grato quidem animo accepiſſe intelligat, facies. Commendavit enim mihi hunc libellum, ut ad Te tuto deferatur proximis literis ante dies decem datis. His adjunxerat autographum Clariſſimi Fornelii Profeſſ. Math. Ubſalienſis, qui Cometam in Corvo & Lepore conſpectum unum eundemque fuiſſe concedit. Difficilem autem aſſenſum motu Cometæ inſolenter inæquali, nec perfecte circulari, ſed per quoſdam veluti anfractus exacto, excuſat, nec non ſe idoneis inſtrumentis deſtitutum eſſe fatetur. An vero nuperrimus Cometa idem cum priori ſit nec ne? haud facile judicatu pronunciat. Cæterum audi, Magne Heveli! quid Clariſſimus ille Heinſius de me ad me ſcribere ſuſtinuerit. *Quas Tu*, inquit, *de Cometis collegiſti obſervationes, eas videre vehementer & hiſce manibus contrectare deſidero. Fac igitur quæſo, ne longa exſpectatione rei optatiſſimæ maceremur, aut potius enecemur.* Ait porro, deprehendiſſe ſe omnino diverſum fuiſſe nuperrimum Cometam ab illo priore, cum curſum plane contrarium inſtituat. Cur autem ego illa quibus Vir ille egregius magnas ſpes de me concepiſſe ſe tectatur Tibi affero? Officium quidem ſinceri amici Tibi, ut ſpero, gratum futurum facio, meque non temere opus hoc aggredi, ſed votis tanti Viri & aliorum obſequi teſtor. Sed forte eo ipſo exſpectationem quoque Tuam majorem reddam. Atque hanc jam ut gravem adverſariam nonniſi maximo ingenii, doctrinæ & rerum Mathematicarum apparatu (quo defectus non ſine metu vobis, quibus jus amicitiæ magnis meritis partum in me magnum eſſe agnoſco, authorem arduam aggredior) ſuperandum, video mihi eſſe oppoſitam. (b) Polliceor autem mihi orbis literati & Chriſtiani, de quo benè mereri ſtudeo, benigna judicia. (c) Cæterum gratiſſimum mihi fuit legere in epiſtola tua Te mihi facultatem

Adſentit Hevelio.

Rautenſteinii laus.

Heinſius laudatur.

Mittit Hevelio obſervationem Cometæ 1577.

Fornelius de Cometa hyemali Hevelio adſentit.

De verno dubitat.

Heinſius operis hujus editionem urget.

Et vernum Cometam ab hyemali diſtinguit.

a) Auctor impulſu Amicorum ad opus hoc edendum accedit, non ſine metu, tenuitatis ſuæ conſcius,

b) Nec tamen ſine conſcientia ſtudii in bonum publicum & ſpe æquitatis & benevolentiæ publicæ.

(c) Heveliana operi huic inſerenda gloriæ illi erunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

cultatem dare, non ſolum Tuas literas ad me de argumento Cometico ſcriptas operi meo inſerendi, ſed & quæ velim, ex Tuo libro excerpendi & meis adjungendi. Quâ in re nil fiet quod non in magnam Clariſſimi nominis Tui laudem cedat. Vale, & de meo conſtanti affectu certus eſto, paremque mihi retribue.

Hamburgo Dantiſcum die $\frac{16}{26}$ *May.* 1665. **N. 11.**

ACcepi hodie recte faſciculum Tui Prodromi Cometici exemplaria X. præter ea quæ amicis dono miſiſti, continentem. Opportunè ſanè. Cum enim ante octiduum exemplar primum per tabellarium accepiſſem, copia ejus videndi feceram Magnifico & Ampliſſimo Domino Conſuli Mollero, talium avidiſſimo & egregiè perito, ac inſigni ſtudio literas humaniores literatoſque proſequenti, tum Clariſſimis Viris, Huſwedelio & Mullero. Sed illa ipſâ die cum è veſtigio exemplar ilud meum ad Illuſtriſſimum quendam Virum Mecenatem meum mittendum mihi eſſet, aliquot ſolummodò horas delectatione eorum ex adſpectu & curſoria lectione Tui libri perceptæ dedi. Ita majus deſiderium in animis eorum, nec non aliorum, ad quorum aures fama libri Tui pervenit, excitavi. *Ignoti* nempe *nulla cupido* animum inceſſit tangitve. Cumprimis verò Clariſſimus Kirſtenius, poſtquam me Prodromi Tui exemplum accepiſſe accepiſſet, literulas ad me heri dedit, quibus fruendi illius copiam dari ſibi ardenter poſtulavit. Sed mox ei per literulas meas, dehinc & voce viva heri rem, prout ſe habet, enarravi. Commodum itaque accidit, ut accepto hodie tuo faſciculo, confeſtim ei, ut & Clariſſimo Mullero deſtinata exemplaria miſerim; quod quidem utrique pergratum extitit. Muneri enim tàm eximio geminam gratiam (*duplex* nempe *eſt bonitas*, *ſimul ut acceſſit celeritas*, ſicut vetus verbum Publii Syri, ni fallor, & experientia crebra docet) eô ipſo, quod tàm citò illud dederis, conciliaſti. Aderat autem mihi amicus bonæ notæ, cum afferretur faſciculus: qui cum adeſſe Tui Prodromi exemplaria didiciſſet, in argumentum ſingularis benevolentiæ duxit, potuiſſe ſe tria exemplaria redimere. †Cuperet autem ille, ut pariter nuperrimi Cometæ Prodromum in lucem emitteres, ac Cometographiæ præmitteres. Idem judicat & optat Clariſſimus Kirſtenius, eâ de re heri à me rogatus Clariſſimum Mullerum eâdem operâ compellare & conſulere rem eandem volui. Sed eum domi non inveni. Cæterum & prædictus Ampliſſimus Dominus Conſul Mullerus deſiderat Tuas præclaras de Cometis lucubrationes quamprimùm videre. Atque hoc erit, ut firmiter credo, votum Illuſtriſſimi noſtri Rautenſteinii, Nobiliſſimi Heinſii, & aliorum Clariſſimorum Virorum, qui Te Tuaque meritò magni faciunt: quorum & ego ſuffragiis calculum meum adjicio. Prodromi enim Tuæ Cometographiæ expectationem ejus Tuaſque laudes non deterent, tædium verò illius detergent. Exemplaria Illuſtriſſimo Rautenſteinio & Reverendo Curtio deſtinata quamprimum fieri poterit, promovebo. ‡Quod ad opus meum attinet, en Tibi quæ iterum ab Illuſtriſſimo Rautenſteinio die 18. & à Nobiliſſimo Heinſio die 13. Maji data, ante biduum accepi. Magis magiſque perſpicio, imò ſentio, gravem illam adverſariam, tantorum Virorum aliorumque magnis meritis Inclytorum, Tuique ipſius, Magne Heveli *(qui mihi hîc præcipuo conſendus es loco) exſpectationem mihi oppoſitam. Porrò ex Prodromo iſto Tuo allegare nonnulla cum Tua laude non negligam, & per omnia integram benevolentiam, & Tuæ mutuæ in me, & Tuis magnis meritis in Rempublicam literariam debitam teſtabor. †Vide verò quid Schepferus de Rudbeckio ad Nobiliſſimum Heinſium ſcribat, eum videlicet nova quædam prorſus aliiſque intentata de hoc argumento Cometico polliceri. (*a*) Erigimur in novas ſpes, nec largorum promiſſorum auctorem invidia deprimemus: (*b*) ſed potius votis cumu-

Heveliani Prodromi Cometici exempla Auctori & amicis grata.

Mullerus Conſul Hamburgenſis laudatur.

Ignota non appetimus.

Dat bis qui citò dat.

Prodromum Cometicum Hevelii amici libenter vident:

† Similem de Cometa verno præmitti Cometographiæ optant:

Hujus conſilii uſus.

‡ Auctor de opere ſuo ad Hevelium refert:

**Suam erga eum benevolentiam teſtatur:*

†De Rudbeckiana ſingulari circa Cometas ſententia eum monet.

a) Invidia literarum cultoribus non convenit.

b) Laus vera veræ virtuti debetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

cumulatum promovebimus ad ſcandendum laudis faſtigium, in quo quemque ſua ponit Virtus repulſæ neſcia ſordidæ; & quæ, ut addit Venuſinus vates:

Virtus à judicio & favore vulgi non pendet.

Intaminatis fulget honoribus:
Nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Hevelium Auctor in re Aſtronomica maximi facit.

Hæc Tibi, Clariſſime Heveli, principem in Senatu Aſtronomorum deputavit locum. Ut tibi fidem amicitiæ per omnia ſervem, mitto Tibi autographa 4. Tuarum literarum ad me de argumento Cometico datarum. Has enim omnes unà cum Obſervationibus mihi à Te miſſis, meiſque ad Te exaratis literis, præfixo titulo, *Communicatio Dantiſco-Heveliano* (in tales quippe titulos *Communicatio Ratiſbona-Rautenſteiniana*, *Neoburgo-Curtiana*, *Holmia-Suecorum Heinſiana*, *Lutetia-Pariſiorum Bullialdiana*, *Roma-Kircheriana* &c. dividere conſtitui) operi meo inſerere animus eſt. Tu Tua prout libet recognita ad me remitte faveque cœptis. Fac ut publico bono benè & diu valeas, me verò pari benevolentia porrò complectere.

N. 12. *Hamburgo Dantiſcum die $\frac{19}{29}$. Maji 1665.*

Hamburgenſes Bibliopolæ præcipui.

Kirſtenius Hevelio ſingulari ratione amicus.

Hevelianis meritis debitum teſtimonium datur.

Opus hoc in dies creſcit.

Hevelium in re Aſtronomica maximi Auctor facit.

ILla X. Prodromi Cometici exemplaria extemplò diſtraxi. Socii noſtri Samuel Konigius & Zacharias Hertelius multas mihi egêre gratis de datis aliquot exemplaribus. Clariſſimi Viri Kirſtenius & Mullerus deprædicare ſatis laudes Tuas, de tàm pretioſo & docto munere, Tuaque inſigni humanitate glorIantes, nequeunt. Cum illo ſatis diu heri in Bibliopolio Könignano locutus ſum. Plenus certè eſt Optimi in Te affectûs, plenoque ore & corde laudes meritas Tibi admetitur, Teque omnes alios vias & ſemitas Cometarum inveſtigandi rationem docuiſſe fatetur. Verbo, tribuit Tibi quod debetur præclaris Tuis meritis. Jam jám accipio Literas à Clariſſimo Bullialdo die 22. Maji ſcriptas, quibus mihi facultatem ea quæ mecum de Cometa communicavit, libro meo inſerendi concedit. A Reverendo & Celeberrimo Viro Athanaſio Kirchero ſingularia quædam heri accepi. Ita & is, ut & Ricciolus & Curtius Socii celeberrimi, meum illud opus augebunt ornabuntque. Tua in illo, MAGNE HEVELI, familiam ducent, etſi de ordine communicationum necdum certi quidquam ſtatuere potuerim. Sed omnes norunt quo loco ſit in orbe Aſtronomico habendus. Pro jure amicitiæ mitto Tibi excerptum ex ſcripto Gallico de Di-Cometa, & Tri-Cometa, ut judicium tuum de his cognoſcam. Proximè Tibi miſſurus ſum, ut ſpero, exemplum literarum ad R. P. Curtium, cui ad illas, nuper Tibi manu qua datæ erant miſſas, reſpondebo, ita ut Obſervationem ſive Theoriam Cometæ Ingolſtadienſem in multis cum tuo Prodromo convenientem illi exhibeam. Quod reliquum eſt, Humaniſſime Vir, illud ſolum ad ſummam votorum Tua ex parte deſidero, ut præcipuæ operis mei ſub titulo *Communicationis Dantiſco-Hevelianæ* parti inſerere mihi Tuâ cum bonâ veniâ liceat obſervationes à Te factas & doctiſſimè fictas, ære Prodromo additas. Clariſſimum Buthnerum meo nomine pl. ſalutabis & de reſponſo monebis. Vale, feliciter age & conſtanter fave.

N. 13. *Hamburgo Dantiſcum die 2. Junii Gregor. 1665.*

Impedimenta bonis propoſitis varia objiciuntur.

SPem Tibi nuper feci, miſſurum me eſſe exemplum reſponſi ad illas Curtianas, quas abs Te præſtolor. Sed nondum illud perficere potui, ob moleſta quædam negotia, ſtudiorumque, quorum profectò teneor deſiderio, impedimenta. Hæc verò mihi vel amicitiæ vel etiam officii ratio ſubinde literis operam dare volenti, objicit. Neque etiam inficias eo, me non tàm ſegniorem, quàm remiſ-

remiſſiorem paulo in illis veſtris ſublimibus myſteriis Aſtronomicis per intenſum aliquot dierum præteritorum æſtum redditum eſſe. Certius tamen nunc ſpero, proximè me fidem Tibi factam promiſſi, quam religioſe omnium honeſtatis ab omni ævo amantium more cuſtodire, in parte officii pono, præſtiturum juvante Deo. Interim hæc pauca accipe, †quæ nupera mea vota de exemplaribus Tuarum obſervationum Prodromo Cometico inſertarum tot quot libri mei exemplaria imprimentur, (ſiquidem id ſine Tuo incommodo fieri poſſit) mihi largiendis, & ære meo comparandis in memoriam revocabunt. Hæc etiam tibi indicabunt, *me jam heri cuidam amicorum bonam libri mei partem, quæ introitum operis & vagas de Cometis hinc inde allatas narratiunculas continet, in Hollandiam deferendam, per Dei gratiam, tradidiſſe. ‡Id enim Amici à me adhuc reluctante, & opus ſaltem ad menſem unum atque alterum dilaturo, ardentibus & validis precibus extorſerunt. Jam Communicationes illæ ex ordine ſequantur neceſſe eſt. His omnibus Tua communicatione inter primas poſitâ, inſigne ornamentum Tui Clar. nominis ſplendor conciliavit. *Fac itaque ne diu vota noſtra moreris. Exemplaribus illarum Obſervationum non tàm citò indigeo, dummodò mihi Tua voluntas quamprimum ſit perſpecta. Iconiſmi etenim illi, etiam poſtquam exemplaria, de quorum numero necdum quicquam decrevi (hîc nempe in ponendis illorum rationibus rerum quoquè mearum rationes mihi erunt advocandæ in conſilium) fuerint perfecta, imprimi, ſaltem iis, ubi præſto fuerint adjungi facilè poterunt. Ego autem breviuſculas notas numeros iconiſmorum explicantes, & Tecum brevi communicandas, adjiciam: quandoquidem mihi pro ſingulari Tua humanitate, ea quæ mihi placuerint, ex opere Tuo excerpere & meo inſerere integrum eſſe voluiſti. Clariſſimis Viris Huſwedelio & Mullero, nec non egregiè docto Viro Juveni Henrico Syvero, Mathematicarum ſed & aliarum Philoſophicarum diſciplinarum, Tuique nominis Illuſtriſſimi cultori eximio, his diebus adfui, cumque illis de Prodromo Cometæ nuperrimi Cometographiæ præmittendo contuli. Conſentiunt Clariſſimo Kirſtenio, & exoptant, quamprimùm Prodromum illum videre. Cæterùm Mullerus iterum iterumque gratiis Tibi de munere Prodromi Tui actis, & plurimâ ſalute adſcriptâ *petiit à me, ut Te conſulerem, annon p. 7. lin. 18. pro conjunctione Solis oppoſitio ſubſtitui debeat, cujus ibid. lin. 9. & p. 6. lin. 19. feciſti mentionem? Quæſivi hac occaſione paulò poſt ex Syvero, annon ibi putaret aliquid eſſe mutandum? Idem planè ad hoc reſpondit, de quo me Mullerus monuit. Percepi autem illos velle de nonnullis Te conſulere. Hoc enim Tibi fore gratum literis Tuis indicibus affirmavi. Quod reliquum eſt, en Tibi nuncium ab Illuſtriſſimo Rautenſteinio noſtro ad me de novo Cometa die 22. Maji viſo, nudius tertius perlatum. De quo quæ ſit Tua ſententia, verbo haud gravatim mone. Clariſſimo Büthnero plurimam ſalutem adſcribo & impertio, ac de literis non minus à docta, quàm amica manu die 17. 27. Maji datis, ad quas nunc reſpondere non poſſum, ſed nec tàm citò, tot aliis laboribus prægravatus potero, maximas gratias ago, meaque promta defero obſequia. Vale Illuſtriſſimum cæli Aſtronomici ſydus in annos quàm plurimos, & radiis Tuæ ſcientiæ tenebras cælo Aſtronomico hîc illîc incubantes feliciter diſcute, mihique & meis ſtudiis conſtanter fave.

Remiſſiorem animum Vir bonus habeat, nunquam ſolutum ab honeſtis occupationibus.

Promiſſa præſtat.

†Auctor Obſervationum Cometicarum exempla numero exemplorum operis ſui reſpondentia ab Hevelio obtinere cupit,

** Initium Operis in Hollandiam mittit,*

‡ Urgentibus amicis:

** Ideo votis ſuis ab Hevelio quamprimum ſatiſfieri poſtulat.*

Henr. Syverus laudatur.

Hamburgenſes amici conſentiunt in Prodromum Cometæ verni Cometographiæ præmittendum ab Hevelio:

**Quem etiam de nonnullis dubiis conſulunt.*

Cometa an 22. Maji viſus fuerit?

Büthnero Auctor debitam benevolentiam teſtatur.

Hamburgo Dantiſcum die 5. *Junii Gregor.* 1665. N. 14.

SI quis, felici graviſſimarum & gratiſſimarum ſimul rerum peritiâ præſtans, & laude humanitatis, omnibus patentis, adque præſtanda grata officia pronæ inclytus, multorum etiam longè diſſitorum importunam in difficilioribus quæſtionibus reſolvendis, & ſolida rerum cognitione impertienda diligentiam experiatur neceſſe eſt: Tu certe es, cui conſentiens Virorum Doctiſſimorum vox præſtantiſſimam rei Aſtronomicæ tribuit ſcientiam. *O quam multum heri Clariſſi-

Præſtantes Viros per literas & viva voce meritò conſulimus.

** Kirſtenius ſingulari ratione Hevelio favet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Heveliani labores admiratione digni.

Clariſſimus Kirſtenius de orbitâ Cometæ à Te monſtrata & certis paſſibus ſignata, tum de motu Cometæ accurate indicato, aliiſque, quæ Prodromus Cometographiæ Tuæ attulit & explicuit, mecum unà iterum gaviſus eſt. Et quis non Tuos iſtos maximos, & inſignes labores, quos unum hominem dies noctesque exantlare potuiſſe merito ſera mirabitur ætas, maximi faciat gaudio cum ſtupore in eis concurrente? Ego omnium hîc minimus, quanto ſtudio intra hoc breve temporis ſpatium ac inter continuos, nec exiguos profectò labores, Tuo Prodromo incubuerint, teſtatur apographum iſtud epiſtolæ nudius tertius ad R. Curtium exaratæ, in qua comparationem Tuarum & Ingolſtadienſium obſervationum inſtituo, & ubi ac quantum conſentiatis quadam tenus exhibeo. Quod ſi qua in re mentem Tuam non ſatis aſſecutus fuerim, *Tuum erit me monere & docere, diſcere ſemper, cumprimis hîc abs Te, certæ fidei magiſtro, paratum. Crede vera dicenti; non pudori, ſed laudi id mihi ducam. ‡Multùm enim profectò intereſt à qua manu ictus, inſtitutio & monitio veniat. †En verò & Prodromi Tui Tuo conſenſu factum quoddam compendium, quod ad obſervationes Tuas ei inſertas attinet. Hanc epitomen iconiſmis Tuis addere, & operi meo, Deo volente, inſerere animus eſt. Sed vide quo candore Tecum agam, dum nihil ſine Te de Te decernere volo. Dabis, quæ Tua eſt benevolentia, operam, ut hæc quamprimum ad me redeant, ne forte retardentur labores mei. A Clariſſimo Gravio Prof. Franequ. hodie multa & egregia, quæ ad rem inſtitutam faciunt, accepi. En Tibi apographum epiſtolæ Kircherianæ. Clariſſimo Büthnero ſalutem plurimam adſcribo, at non reſcribo tot laboribus preſſus. Excuſet velim æquitas ejus dilati officii neceſſitatem mihi invito impoſitam. Vale Vir Humaniſſime & Præſtantiſſime! ac mihi porrò fave.

Auctor comparationem inter Hevelianas & Ingolſtad. obſervat. inſtitutam ad Hevelium mittit.

** Diſcendum eſt ſemper.*

‡ Auctoritas ubique multùm valet.

†Hevelianarum obſervationum compendium Auctor ad eum mittit.

Obſervationes Dantiſco Hevelianæ ex Prodromo ejuſdem Cometico in compendium redactæ.

Obſervationes Hevelianæ Cometæ hyemalis in compendium redactæ.

Cometici capitis die 4. 14. Decemb. conſtitutio:


OBſervatus eſt eximius hic Cometa primùm à me (Johanno Hevelio) hîc Gedani Anno 1664. Die Solis 14. Decembris St. Gregor. ſub horam quintam, in quadrante Orientali ad Euronotum propè roſtrum Corvi, vix ab eo ſemi gradu diſtans, Favonium verſus, altus 9. grad. ab Horizonte in 8. gr. Libræ, ſub Latitudine Auſtrali 22. grad. Caput erat ſatis conſpicuum, ſubflavi coloris, luminiſque debilioris, & aliquanto obtuſioris, ut reliquarum ſtellarum, planetarumque. In meditullio ejus lucidius quoddam lumen trium vel quatuor minutorum in diametto, ſtipato alio obſcuriori ac tenuiori ſive capillitio, apparebat. Meditullium corporis animadverſum ex uno ſolo clariori nucleo, ſed ex pluribus particulis ſive corpuſculis, tùm denſioribus & lucidioribus, tùm tenuioribus & obſcurioribus, majoribus & minoribus conſtans, interſperſâ aliâ diverſæ denſitatis ſubtiliori materia, ad inſtar effigiei ſub Numero 1. in Iconiſmo A. delineatæ. Cauda 14. gr. longa, à capite tenuior, ſub extremitate verò magis magiſque divaricabatur, decurrens inter ſtellam, baſin Crateris dictam, & eam borealiorem ſub Cratere, propius tamen baſi. Die 15. Dec. Hora 4. matutina, deprehenſus eſt verſari in 7. gr. 20′. Libræ ſub. 22. gr. 20′. latit. Auſtralis: eratque Meridiana altitudo ad 20. min. imminuta, progreſſus curſu retrogrado, (hoc eſt, contrà Signorum ſeriem) Tropicum verſùs Capricorni ſpatio 24. horarum per integrum penè gradum. Caput vix quicquam immutatum videbatur, niſi quòd nucleus & materia univerſa corporis aliquanto ferè conſtipatior lucidiorque per tubum apparuit: ut facies ſub Numero 2. commonſtrat. Cauda verò paulo brevior II. graduum circiter, ſpecie tamen ſatis notabili & luminoſa, aſcendere baſin verſùs crateris viſa eſt. Die 16 & 17. Decemb. totum cælum erat nubilum. Sed

Corporis ipſius conſtitutio:

Caudæ ejuſdem conſtitutio.


Cometæ curſus retrogradus.

Die 18. Decemb. Ex diſtantiis ejus (Cometæ) denuò captis, didicimus Cometam



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

metam hora 4. mane in tertio gradu, 45′. Libræ ſub Latit. Auſtrali 25. gr. 36. extitiſſe, atque ſpatio trium dierum 4. gr. 16. motu retrogrado progreſſum eſſe in ſuo tramite, nec non altitudinem meridianam 1. gr. 25. min. imminutam eſſe, Tropicum Capricorni jam ſupergreſſus erat. Caput aliquantillum majus clariuſque apparebat, cujus & nuclei materia pariter plus pluſque condenſari videbatur; prout Numero 3. delineavimus. Cauda 12. gr. æquè lucida ac die 15. protendebatur verſùs Cor Hydræ & Procyonem. Diameter totius Capitis æquabat 15. min. quæ prima die apparitionis vix 12. minuta expleverat.

Cometa Tropicum Capricorni ſupergreſſus:

Die 19 & 20. Decemb. Nubibus cælum erat tectum. At

Die 21. Decembris horâ 4. 15. min. viſus eſt Cometa ſub Cratere † in Hydra in 28. gr. Virginis & latit. Auſtr. 30. gr. Altitudo ejus Meridiana à die 18. decreverat 2. gr. 4′. ſiquidem tantùm 9. graduum 16′. 30″. adhærente refractione reperiebatur. Unde manifeſtum erat, Cometam motu proprio 6 gr. 31′. confeciſſe. Capitis diameter tota ad 18. minuta excreverat, videbatur quoque ferè clarius. Cauda hac die planè inſolens erat: non ſolùm quòd ultrà 22. gr. in Longum, & in latum 1. gr. 36. imò ad 2. gr. ferè excurrebat, ſed quod, ſi accuratè oculos ad eam intenderes, ex parte circa cuſpidem incurveſceret, & quidem concavitate deorſùm, Horizontem ſcilicet verſùs: inſtar illius Anni 1618. aliorumque. Dirigebatur inter ſecundam & quartam à corde Hydræ; ita tamen, ut curvitate in ſecundam à corde magis propenderet.

† Ex Libra tranſivit in Virginem: Ut in dies declivior, ſic ſucceſſivè velocior factus: Caput ejus excrevit, Cauda longiſſima

Nonnihil incurvata,

Ad quam ſtellam extenſa.

Die 22. Dec. Nubila obſtiterunt.

Die 23. Dec. Hærebat ſub Hydra in 22. gr. Virginis & latit. Auſtrali 34. gr. 36. ejuſque altitudo Merid. ad 2. gradus decreverat: quandoquidem non 7. gradus eo die excedebat. Motus verò proprius à die 21. 7. gr. ferè confecerat. Cauda verò inſignis 20 gr. circiter exporrigebatur in directum rurſus ad primam à corde Hydræ occaſum verſùs.

Cometæ conſtitutio & curſus die 23. 13. Decemb.

Die 24, 25, 26, 27. Ne ſemel quidem Cometa emicuit. Verùm

Die 28. Dec. hora 1. illum in Auſtro prope Meridianum vix 6. gr. ſupra Finitorem elevatum detexi, ſitum in puppi ſub clypeo navis in 4. gr. Leonis ſub Latit. 49. gr. 36. Auſtrali, poſtquam confecerat in ſuo tramite immenſum itineris ſpatium 38. graduum. Diameter ejus 22′. ferè deprehenſa eſt. ‡ Caput criſpo ac denſo cinctum erat capillitio, ejuſque nuclei adhuc denſiores. Cauda longitudine 7. gr. ferè * inſtar caudæ pavonis, velut Iconiſmus ſub Numero 5. figuræ A. clarè oſtendit, ad Septentrionem omninò protendebatur.

*Immenſum ſpatium in ſuo tramite & in longit. ad 18. 28. Dec. peregit. ‡ Quale tunc caput & quam longam caudam habuit. *Pavonis inſtar Cometæ cauda.*

† Die 29. Decemb. ſub veſpera horâ 9. 36. Cometa rurſùs 10. gr. altus eluxit, infra ſiniſtrum pedem anteriorem Canis Majoris, in Longitudine 28. gr. 46. Geminorum, & Latitudine 47. gr. altit. Merid. ex globo (cælum enim nubibus obumbratum erat) colligebatur jam ultra 12. gr. excreviſſe, *motus in ſua orbita ſpatio 43. horarum 23. gr. & 46. ferè.

† Cauda vel potius barba recta ferè ſurſum porrigebatur 1. gr. propemodum. Caput præterea hirſutum, cujus diameter 24′. ‡ in ſui meditullio lucidiſſimum & denſiſſimum nucleum colore ferè igneo exhibebat, qui alia diverſæ denſitatis materia, nucleiſque minoribus intermixtis circumdabatur, ut habet delineatio ſub Numero 6.

*† Cometa ex matutino veſpertinus factus: * Curſus ejus inſignis, † Caudæ & capitis conſtitutio: ‡ In hoc nucleus lucidiſſimus obſervatus:*

Die 30. Dec. circa 10. veſpertinam Cometa in collo Leporis deprehenſus eſt perquam lucidus & conſpicuus, barbam 1. gr. à circulo verticali paululùm recedentem ſpargens Euronotum verſùs ad pedem dextrum Orionis. *Caput idem, niſi quòd nucleus ille rotundus intermedius ex centro quaſi dimoveri ad limbum ortivum videretur. Extitit in 12. gr. 46. Geminorum in Latit. Auſtrali 40. gr. 16. Aſcenſio Rect. 76. gr. 36. atque Declin. 17. gr. 16. altus in meridie 18. gr. 27′.

** Hic quaſi loco movetur.*

Die 31. Dec. Veſperi hora 6. Cometa jam ad 14. gr. ſupra Horizontem aſcenderat, corpore aliquantò imminuto quod ad diametrum, colore verò albicanti, ac ſatis ſplendido. Vix Regel, vel ſiniſtro pedi Orionis vel quicquam cede-

Caput ejus decreſcere incipit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

re videbatur. Faciem nonniſi largior nuclei ſeceſſus à centro, limbum verſus ortivum, mutaverat. Cauda longitudine 1. gr. ferè verſum medium cinguli Orionis projiciebatur. Qualem ſub Numero 8. adumbratum vides. Hærebat horâ 9. veſpertinâ in 2.gr. 46. Geminorum, & Latit. Auſtr. ferè 34. gr. In motu ſuo aliquantò remiſſior factus, ſiquidem ſpatio 34. horarum, tantùm 11. gr. 16. tranſierat. Aſcenſio itaque recta prodiit 66. gr. Declin. 12. gr. 36. Auſtr. exiſtente ejus altitudine meridianâ hoc tempore 23. gr. 13′. 50″.

Et motus reddi remiſſior:

Anno 1665. Die 1. Januarii horâ 8. veſpertinâ Cometa infra ſtellulam in Eridano, dictam aliàs tertiam, à primo flexu ad dimidium gradum ferè, verſùs Libonotum incedebat. Caput ferè idem, ut & materia interioris corporis: nucleus tamen ille major, ſolidior, lucidiorque, jam aliquantillum à ſuo priſtino ſplendore remiſerat. Locum terminabat Longit. 24. grad. 26. Tauri, & Latit. Auſtr. 27. gr. 45′. Aſcenſ. Rect. 58. & Declin. 8. gr. 26. Motus itaque diurnus Cometæ extitit. 9. gr.

Et nucleus ille priſtinum fulgorem amittere:

Die 2. Januarii totus erat turbidus.

Cauda rurſum fit grandior,

Die 3. Jan. Sidus illud crinitum emicuit cauda 3. gr. circiter, ſparſa ad mediam ferè ſtellam trium informium ad mandibulam Ceti exiſtentium. Verſabatur autem in 14. gr. 26. Tauri & Latit. Auſtr. 19. gr. Peregerat in ſuo itineris ductu 12. gr. 36.

Die 4. Januarii caliginoſa nox nullas obſervationes dedit.

Die 5. Januarii occidente Sole hora 4. 30. min. affulgente mandibula Ceti, ſimul Cometam, quod ad popularem aſpectum id temporis ab inferiore parte dictæ ſtellæ 36. remotum occidentem verſùs conſpeximus. Horâ 6 & 7. antequam Luna oriretur, Caput, licet ex parte imminutum, perquam tamen erat conſpicuum, nec non cauda ad 14. gr. excurrens, præſertim circa eductionem notabili lumine ac denſitate, quali vix hactenùs unquam gaudebat. Extendebatur autem ipſa coma quod ad directionem ad 4. in clypeo Orionis. Nuclei verò illius clarioris vix veſtigium amplius ſupererat, ut ſub Numero 11. fig. A. delineavimus. Circa horam 9. mandibula Ceti, Cometa & illa in ore Ceti ſub linea ferè recta conſpecta eſt: eratque Longitudo phœnomeni 8.gr. 46. Tauri Latit. Auſtr. 13′. Aſc. Rect. 40. gr. 26. Decl. 2. gr. 26. Boreal. Motus verò prius à die 3. ad 5. 8. gr. 26. & altitudo Meridiana 38. gr. 8′. 45″. obſervata eſt.

Nucleus magis magiſque debilior.

Die 6. Jan. ab hora 6. ad 11. veſpertinam, Caput Cometæ probè adhuc lucidum colore ſubargenteo 8′. duntaxat apparuit. Nuclei interiores materiaque diſſolvi deprehendebantur. Quod ad ſitum, conſtituit Cometa eo tempore cum mandibula Ceti & illa in ore triangulum propemodum æquilaterum. Cauda 15. gr. egregiè clara decurrens inter ſtellas in pede & paleari Tauri, ad dextrum ſcilicet genu, nonnunquam quaſi ſcintillabat fluctuabatque, ac ſi per intervallum comprimeretur, rurſùs dilataretur, novoſque veluti radios vibraret ac evomeret. Cometa ipſe verſabatur in long. 7. gr. Tauri, & latit. 10. gr. 36′. Auſtr. exiſtente. Aſcenſ. rect. 38. gr. & Declin. 4. gr. 4′. Boreal. Peregit itaque uno die 3. gr. in ſuo tramite, ſub latitudine Meridiana 39. gr. 41′.

Cauda longior, & quidem ſcintillans.

Die 7. Jan. paulò poſt horam 4. veſpertinam Cometam vidimus capite decreſcente, nihilo tamen minus abundè claro, coloris argentei & albicantis: quin etiam nucleis in languidiorem quaſi maſſam coëuntibus: ſicuti ſub Numero 13. delineatus eſt. Coma inſigniter longa 13. gr. & Lata minimùm 2. gr. & amplius, projecta eſt ad ſtellam, quæ ſequitur tertiam in armo Tauri. Longitudo autem Cometæ detecta eſt in 5. gr. 36. Tauri. Latitudo Auſtralis 8. gr. 36′. Aſcenſ. rect. 35. gr. 36. Declin. Boreal. 5. gr. 23. atque altit. Merid. 40. gr. 59′. 4″.

Die 8. Jan. Nubila cælum totum ſubtexerant.


Die verò 9. Jan. horâ 6. veſpertina caput phœnomeni ferè in priſtino deprehendimus ſtatu, nec non caudam, niſi quòd aliquanto longior 15. gr. excurreret ad ſecundam in armo Tauri, occupabat Longit. 2° 56. Tauri, Latit. 5. gr. 46. Auſtr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Auſtr. Aſc. Rect. 32 gr. & Declin. 7 gr. 23′. intervallo verò 2. dierum 3 gr. 45′. emenſus.

Cometæ facies mutata.

Die 10 Jan. poſt 5. veſpertinam obſervatus materiam interiorem capitis plus pluſque diſſolutam, prout ſub Numero 15. adumbravimus. Caudam verò & rariorem & breviorem, 12 grad. tantùm inter ſupremam & ſecundam in armo Tauri decurrentem exhibebat. Longit. ejus tùm extitit 2. gr. Tauri. Latit. 4 gr. 46. Auſtr. Aſcen. rect. 31 gr. & Decl. 8 gr. 11′. motu verò proprio, ſpatio 24. horarum 1 gr. 31′. abſolvit.

Die 11 Jan. Cometa caput pallidum & ſubobſcurum, minuſque ratione Diametri: caudam verò 18 gr. circiter ad ſupremam & ſecundam ferè in armo Tauri vibratam protulit. Verſabatur eo tempore in 1 gr. 29′. Tauri, Latit. Auſtr. 3 gr. 36. confecto itineris intervallo à die heſterna hucuſque 1 gr. 26.

Die 12 Jan. Semel quidem inter nubes Cometa emicuit cum cauda ad ſeptem octovè gradus rariori, ſed protinus à nubibus abreptus eſt, ut nihil amplius certi inſtrumentis deprehendi potuerit.

Die 17 Jan. veſperi Corpus Cometicum aliquantò diminutum, tùm rariori & tenuiori materia præditum: ſicuti effigies ad Num. 16. exhibet, commorabatur in Longit. 28 gr. 26. Arietis, & Latit. 1 gr. ſed boreali: poſtquam à die 10. ad 17. uſque curſu ſuo 6 gr. 14′. confeciſſet. Cauda conſtans 8 gr. circiter, ſubobſcuris & rariſſimis radiis tendebat ad oculum boreum Tauri.

Die 18 Jan. Cælum nobis minimè arriſit. At verò

Die 19 Jan. cadente Sole, obſervationes rurſus continuatæ ſunt. Caput multùm decreverat, lucidius tamen ac ſcintillans apparuit, ſitum autem nucleorum materiæque interioris facies ſub Num. 17. commonſtrat. Cauda debilis 8 gr. & frequenter pariter radians. Long. Cometæ animadverſa eſt 27 gr. 46. Arietis Latit. 1 gr. 45′. boreal. Aſcen. Rect. 25 gr. Declin. 12 gr. 36′. boreal. Ratione motus proprii jam ad tantam redactus erat laſſitudinem, ut à die 17. ad 19. uſque tantùm 10. gradus 4′. trajecerit.

Die 20 Jan. hora 7. veſpertina Caput valdè erat diminutum. Cauda pertenuis & albeſcens 7. gradus circiter ad ſtellam præcedentem in collo Tauri ſub Pleadibus exporrecta. Commorabatur Cometa id temporis in Long. 27 gr. 25′. Arietis, & in Latit. boreal. 2 gr. 12′. in motu verò ſuo proprio vix hac die 27′. peregit.

Lunæ lumen vicinum Cometæ ſplendorem imminuit.

Die 21 Jan. veſperi Cometa obſervatus eſt capite minore & obſcuriore, tum cauda breviori, duobus tantummodo gradibus longa extitit, Luna tamen præſens, maximâ parte, eo tempore iſtam obſcuritatem palliditatemque Cometæ induxerat. Nam protinus poſt Lunæ occaſum, & caput lucidius & cauda longior 4. gr. ferè, ad primam in eductione caudæ Arietis directa, obſervabantur; & quidem in 27 gr. 26. Arietis in Latit. 2 gr. 36′. Bor. confectis in motu proprio, 24. horarum intervallo 24. min.

Die 22 Jan. totus extitit nebuloſus. At verò

Cometa exutus cauda ob Lunæ vicinitatem:

Caput ejus varios in ſe nucleos & materiam diverſam oſtentavit:

Non tamen rotundum.

Die 23 Jan. Cælo arridente Cometa noſter denuò animadverſus eſt, corpore admodum tenuis debiliſque: caudæ verò vix veſtigium apparuit: prout ex Fig. B. ſub Numero 20. patet. Quod ad popularem adſpectum autem, caudâ, ut dixi, penè caruit: attentiori tamen obſervatori comam 30′. vel 40′. Helleſpontum verſus projicere viſus eſt. At Teleſcopio conſideratus, caput inſigni lumine, tùm ſpectabili magnitudine adhuc gaudebat: in ſinu ſuo diverſos nucleos, materiamque diverſæ denſitatis fovens, lumine debiliori cinctam.

Diſcus autem, quod notabile, minimè abſolutam præ ſe ferebat rotunditatem, ſed aſperam, laceratamque, cuſpidibus hinc inde leviter eminentibus. Commorabatur in 27 gr. Arietis in Latit. Bor. 3. gr. motu proprio duobus diebus 41′ conſumſerat.

Die 24, 25, & 26. Januarii continuò ſubobſcuræ noctes extiterunt.

Die 27 Januarii hora octava veſpertina ex unica diſtantia, quantùm acquirere licuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa tardus & cauda exutus.

licuit, cognovi Cometam ſpatio quatuor præcedentium dierum 1 gr. 1′ progreſſum eſſe, tùm lineam iſtam rectam, ex ſecunda per primam Arietis ductam, Eclipticam verſùs jam tranſcendiſſe, atque nunc in 26 gr. 46. Arietis, & Latit. Bor. 4 gr. hærere, admodum obſcurum & omni cauda orbatum, propter Lunam vicinam.

Die 28 Januarii circa horam ſextam, utut cælo admodum annuente, adeò tamen imminutus pallidusque, inermibus videbatur oculis, ut vix ægrè per rimulas pinnacidiorum deprehendere Cometam potuerimus. Verumtamen nonnullæ diſtantiæ extortæ ſunt, ex quibus didicimus à 23 hucusque 1 gr. 20′ tranaſſe: exiſtente videlicet in Long. 26 gr. 30′ Arietis, & Latit. 4 gr. 12′ ferè. Quali ferè facie interior pars capitis tùm reſplenduerit, delineatio ad Num. 21 Fig. B. apertè oſtendit.

Die 29, 30, 31, & 1. Februarii nihil certi penitus annotari conceſſum fuit.

Cometa reviviſcit, ejus conſtitutio & motus.

Die 2 Febr. verò horâ quintâ veſpertinâ Cometa iterum proſperè detectus eſt egregia ſpecie. Animadvertimus itaque à die 23 Jan. ad 2 Februarii phœnomenon trajectione ſua 2 gr. 8′ 25″ & hâc die ultimâ vix 8′ promotum: in Eclipticæ verò Longitudine 26 gr. 20′. Arietis, & latit. Bor. 5 gr. 8′ verſari. Videbatur quod ad latit. Stationarius, maximè in latum jam protendens motum. Caput 3′ imò 4′ capillitio penè exutum, claritate nihil cedebat primæ ſtellæ Arietis. Materia interior erat rarior, & nuclei ferè deleti. Cauda duorum graduum cum dimidio, interdum trium graduum ſed pertenuis, tendens ad ſtellulam in collo Arietis ſub cornu.

Die 3 Febr. horâ ſeptimâ veſpertinâ iterum conſpectus eadem ferè ſpecie quâ heſterno die, ſpatio 24. horarum, tantùm 5′ 3″ progreſſus erat, & hærens in eadem long. 26 gr. 26 vel ſaltem 26 gr. 19′ Latitud. 5 gr. 13′ obtinebat: conſtitutus in una eademque recta cum capite Andromedæ & mandibula Ceti.

Die 4 Febr. horâ ſeptimâ veſpertinâ Cometa vix ultra 4′ progreſſus, caput 3′ vel 4′ referebat, lumine rariori Latit. Bor. auctior evaſerat 3′ ſcilicet 5 gr. & 16′.

Die 5, 6, 7, 8, 9. Februarii ob continuas nives, aëriſque turbas nulla obſervatio facta eſt. At

Die 10 Febr. horâ ſeptimâ veſpertinâ Cometa Tubo optico conſpectus videbatur 26 gr. 40′ Longit. & 6 gr. 20′ ferè Lat. Bor. occupare, & viam reflectere, caput Arietis verſùs.

Die 11 Febr. Cælum nubilum nullam obſervationem conceſſit.

Facies ejus iterum mutatur.

Die 12 Febr. veſperi horâ 6½ Cometa in conſpectum prodiit admodum diminutus, pallidus & ſubobſcurus, ut vix ſtellæ quintæ magnitud. æquiparari potuerit. Loco caudæ radiolum quendam pertenuem & obſcurum primam Arietis & collum verſùs ſpargere videbatur. Situs erat ut cum eadem Arietis & collo ſub cornu triangulum ferè æquicrurum conſtitueret: cujus baſin Cometa & ſtella in collo, reliquæ verò binæ diſtantiæ crura referebant, ita ut ductâ rectâ per ſecundam & primam Arietis in baſis medium incideret. Longit. deprehenſa eſt 27 gr. Arietis, & Latit. bor. 6 gr. 30′ motus autem proprius à 2 Febr. ad hunc 12 Febr. 1 gr. 45′. Ex quibus elucet, quòd jam motu velociori inceſſerit, & ſub ductu ſuo incurvato uno die 13′ confecerit.

Cometa directus curſum incitat.

Die 13 Febr. Tubo deprehenſus eſt Cometa 1 gr. vel paulò plus adhuc à prima Arietis diſtare, hærens in 27 gr. 13′. Arietis: in Latit. 6 gr. 35′ confectis motu proprio 25. horarum ſpatio 14′.

Die 14 Febr. horâ ſextâ 30 min. Cometa quidem conſpectus eſt, ſed ob nubila locari nequivit.

Die 15, 16 & 17, nihil animadvertimus.

Die verò 18 Febr. horâ ſeptimâ veſperi Cometam offendi prope ipſam primam ſtellam Arietis, atque ad ejus ſiniſtram, mediam ſcilicet Capitis Arietis & Plejadas verſùs, vix 5 vel 6′ ab ea ſtella prima remotum. Hinc Longitudo ejus conſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

conſtabat 28 gr. Arietis atque Latit. 7 gr. 10′. Boreal. perrexerat motu ſuo directo à 12 ad hanc 18 Febr. per 1 gr. 40′ ſive 1 gr. 42′ ſex ſcilicet diebus ferè tantum cæli ſpatium emenſus, quantum præcedentibus 10. Atque ita motus diurnus ultimo obſervatus exſtitit 21′ cum die 4 Febr. tantùm 5′ procederet. Reſpectu capitis erat pallidiſſimus: nihilominus 2′ circiter in diametro, ſed cauda prorſus exutus: prout ſub ſchemate B. Numero 28 eum delineavimus.

Motus ejus diurnus varius:

A die 19 Febr. uſque ad 7 Martii per nubes obſervare non licuit: hoc verò die veſperi horâ octavâ Cometam quidem omni diligentia inter aſtra quæſivimus, ſed nullus amplius conſpectus fuit.

Tandem evaneſcit.

Hæc ſunt quæcunque hìc Dantiſci, divinâ affulgente ope, de hoc Cometa obſervare nobis licuit: non quidem ipſæ obſervationes ſextante & quadrante Orichalcicis ampliſſimis debitâ ſollicitudine & diligentiâ captæ, quæ ultrà 450 excurrunt, atque in ipſam Cometographiam reſervantur; ſed eâ ſolummodò ratione, quâ Cometæ loca beneficio majoris globi, motumque proprium ex diſtantiis deduximus. Quæ tamen nihilo ſeciùs, ut puto, ſatis ſunt accurata; prout ſuo tempore calculus noſter docebit.

Obſervationum Hevelianarum numerus.

Hæc ut facilius & certius comprehendere quivis poſſit ac contemplari, tramitem iſtum curſumque Cometæ delineatum dedimus. Ubi notandum, quòd nudi iſti circelli in orbita delineati loca Cometæ ad eos dies, quibus hìc Gedani à nobis obſervari haud potuerunt, ad proportionis ductum motûs diurni, horam ſcilicet octavam cujuſvis diei veſpertinam referant: ut ita velocitas diverſa & motûs decrementum, tùm ubi ſtationarius, ſimul directus fuerit, percipiatur.

Dantiſco Hamburgum die 2. Junii 1665.

Num. 6. ad 10. & 11.

EXemplar Prodromi mei Cometici die 13. Maji tranſmiſſi Te recte accepiſſe lætor: non dubito quin nunc etiam reliqua exemplaria, quæ amicis deſtinavi, acceperis. Rogo itaque ut quantocius illis Amicis honoratiſſimis opuſculum illud tranſmittas, officiaque noſtra porrò offeras, utinam ad guſtum Clariſſimorum illorum Virorum ſit compoſitum: ſed dubito. Nam fateor feſtinanti calamo ob anguſtiam temporis à me eſſe conſcriptum, plurimaque leviter tantummodò eſſe attacta, quæ fuſiori dilucidatione opus alioquin habent. Verùm quæ hac vice lubens præterii, volente Deo, Cometographia ipſa exhibebit. *Eximio Domino Heinſio cumprimis multùm debeo pro benevolo illo erga me affectu, tùm quòd libellum Aſtrologicum de Cometa 1577. mihi communicare voluerit.

Hevelius officioſus in amicos.

De ſuo Prodromo modeſtè judicat.

**Heinſio Hevelius gratias agit de benevolentia ac obſervatione Cometæ 1577.*

Ego profectò hac vice amorem illum demereri aliter haud poſſum, quàm tranſmittendo in ſignificationem reciproci noſtri affectûs, Prodromo noſtro, quem, ut æqui bonique conſulat, obnixè rogo. Pro communicatis literis illis atque obſervatione Romana gratias habeo debitas, Tibique ea remitto, quæ voluiſti. Referunt illi Obſervatores Romani borealem Cinguli Andromedæ, juxta quam ſecundus Cometa (ut loquuntur) apparuit, à vero ejus loco ad duos gradus receſſiſſe, alteramque novam in vicinia videri. Verùm hæc obſervatio contrariatur reliquorum omnium obſervationibus. Siquidem † nullus omninò Cometa illorum (ſive duos ſive tres ſtatuas perinde erit) qui à Decembri apparuerunt, juxta borealem cinguli Andromedæ conſpectus eſt. Prior namque in Ariete evanuit, alter poſterior ſub capite, atque ita ad 14. circiter gradus iter carpſit. Deinde ‡ hanc borealem cinguli duos gradus deflexiſſe, multò citiùs affirmatur, quàm probatur. Hoc quidem certiſſimum, ſtellam illam dictam in Catalogis omnium nondum rectè eſſe reſtitutam. Nam ex meis Obſervationibus ad dimidium circiter gradum ſecundum longitudinem aliter ſita eſt. Siquidem diſtantia capitis Meduſæ ab illa ſtella ex calculo Tychonico provenit 25°, 26′, 20″: at verò ex mea obſervatione 25°, 56′, 35″. obſervata eſt.

Et exemplum Prodromi mittit,

Obſervationem Romanam & ſententiam de ſecundo Cometa verno dijudicat.

† Cometa nullus juxta borealem cinguli Andromedæ apparuit.

‡ Andromedæ cinguli borealis non mota eſt loco,

Nondum tamen rectè reſtituta

Hinc facilè patet longitud. Tychonicam illius ſtellæ debito eſſe majorem. Non propterea tamen ſequitur, etiamſi locus illius ſtellæ ſit erroneus, quòd ſtella illa debitum locum mutaverit. Plurimæ enim ſtellæ in Catalogo Globiſque inveniuntur (quod tamen ſalvo honore & exiſtimatione omnium dico) quæ correctione indigent, non quòd vero loco fuerint emotæ, ſed quòd nondum fuerint ritè conſtitutæ, ut ſuo loco plenius aliquando in Machina noſtra cæleſti dicetur. Denique novam aliam in vicinia illius borealis apparere dubito. Nam poterit quidem ibidem adeſſe quædam globo nondum inſcripta, ſed non omninò recens exorta: ut hujus generis quàmplurimæ per totum cælum inveniuntur, ac ego etiam Globo jam meo feliciter annumeravi. Vale feliciter & meo nomine amicos omnes ſaluta.

Hevelii Machina Cæleſtis.

Hevelius quaſdam ſtellas globo ſuo annumeravit:

P. S. Scriptâ jam epiſtolâ ſuperiore accepi tuas literas die 26. Maji ſcriptas, amoris & benevolentiæ denuò plenas; quem autem benevolum Tuum erga me affectum quomodo demereri poſſim, ſanè neſcio. Interea gratias tibi habeo magnas pro iis omnibus, quæ nobiſcum communicare voluiſti. At literas meas haud opus fuiſſet remittere. Pertinet enim maximè ad veritatem promovendam, ſeriemque rerum ac ſtudiorum cujuſcunque melius apertiuſque intelligendum, ut ea quæ ſcripta ſunt, ſcripta maneant; atque ita meo quali quali judicio optimè facies (ut apertè cum amico candido loquar) ſi amicorum literas planè immutatas omnes orbi erudito exponas, quò cujuſcunque Authoris ſententia, judicium rationeſque, atque ſic diverſitas opinionum rectè omnibus pateat. Literas itaque meas cum proximo tabellario remittam, pleniuſque reſpondebo. Nova illa inventa Clariſſimi Rudbeckii avidiſſimè exſpecto. Vale.

Benevolentiam Auctoris gratam habet,

Eidemque ut Amicorum epiſtolas immutatas edat, ſuadet,

Et deſiderat Rudbeckiana.

Hamburgo Dantiſcum poſtrid. Kal. Jun. Juliani 1666.

Num. 15. *ad* 6.

DUm paro ad Te haſce meas, ut officio reſponſi ad Tuas amiciſſimas & eruditiſſimas literas poſtrid. Kal. Junias Gregoriano ſtilo exarates ritè defungar, ſuperveniunt varia impedimenta, quæ parùm abeſt, quin me ad deferendum Tibi ſtudium & officium meum properantem medio in curſu ſufflaminent. Sed vincit ea & è medio ſubmovet amor in te meus, unaque cultus Nomini Tuo magnis meritis in Republica literaria clariſſimo debitus. De exemplaribus Prodromi Tui ritè curatis jam Tibi ſatiſfeci. Obſervationem illam Romanam quod attinet, nudius tertius de ea monui Kircherum, ut, quiſquis auctor ejus fuerit, Tibi nobiſque hic ſatiſfaciat. Tunc autem & ad Ricciolum literas dedi, & hanc rem itidem monui, ut & ille judicium ſuum ſuper hac controverſia ferat. *Utrique Prodromum Tuum prodiiſſe indicavi, ut & Italia ſciat eum jam Cometographiæ ſpes maximas per orbem noſtrum ferre, † & ſimul ſtrenuè ac feliciter in ſtadio laudis decurrere. Nam de eo certum Te eſſe jubeo, non meo, qui hîc ferè nullus ſum, ſed omnium Doctorum Virorum qui hac in Urbe degunt, nomine. Itaque tanto lubentius illa ex Prodromo excerpta & typos Cometicos à Te doctiſſimè æri inciſos explicatura futuro Operi meo, Deo volente, inſeram. Quod quanto ſtudio Illuſtriſſimus Rautenſteinius, Amor ille literarum literatorumque ambiat, Teque ſimul proſequatur, nuperrimæ ejus epiſtolæ incluſum huic apographum teſtatur. En verò Tibi & Bartholinianas! Hodie eas accepi, nec non obſervationes ejuſdem Viri Doctiſſimi, ut & Diſſertationem Medicam Fratris ejus Thomæ, Anatomicorum noſtro ævo facilè Principis, de Cometis: cuncta Operi eidem inſerenda. Sed Romam revertor, ubi tamen nunquam fui. Expendas velim illam Obſervationem, annon novum aliquod phœnomenon illîc locorum fuerit viſum? Certè Clariſſimus Gravius Franequeræ lumen, aliquam lucem, ſi quid ego hîc video, adfert meæ ignorantiæ. Quid autem hâc de re die XI. Martii St. Jul. ad me ſcripſerit, adjunctum apographum docet. Cum deſiderio, ne dicam tædio, Tuam ulteriorem hujus rei explicationem præſtolabor. Literas Tuas nudius tertius in Bibliotheca ædis Cathe-

Officium facturus impedimenta removet.

Auctor Kircherum de obſervatione Romana monet:

Nec non Ricciolum,

** Utrumque de Prodromo Heveliano certiorem reddit.*

† Prodromi Hevel. laus.

Rautenſteinii laus.

Bartholinorum fratrum ſymbolæ operi inſerendæ & laus.

Gravii laus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cathedralis (cujus cura Eruditiſſimo illi viro Juveni Henrico Syvero, ſtudiorum & meritorum Tuorum ſtrenuo cultori, commiſſa eſt) cum Amicis magna cum voluptate legi. Contulimus, dum globus inſignis ad manum eſſet, Tua ſingularia cum communibus, quibus gaudemus adhuc, & mirati ſumus (erant autem noſtrûm plures) illam haud levem, 14. ferè gr. diſtantiam ſcil. in deſignando Cometæ ad boreal. cinguli Andromedæ ſtellam itinere, cumque tædio illam, quam Te demonſtraturum promittis, viam ingredi feſtinamus. Globos omnes Te correcturum, & nova ſtellarum lumina eis illaturum, fixaſque ipſas meliùs fixurum, jam antehac ex Cl. Buthnero intellexi. Quas Tibi pro hoc beneficio grates noſtra & poſtera referet ætas? Vive proindè diu feliciterque eximium rei Mathematicæ mearumque, ſi quæ ſunt, vel in cenſum hunc referri poſſunt, rerum decus. Unum propè exciderat memoriâ de literis Tuis, quarum autographa ad Te nuper miſi, ut eas prius videres, quam illæ lucem. Tueri hîc quoque volui officium meum, quô me cogitationes Tuas viciſſe video. Neque enim hoc à me poſtulaveras neque exſpectaveras. Quin etiamnum ut aliorum quoque Amicorum epiſtolas immutatas planè Orbi Erudito, quò cujuſque mens & diverſitas opinionum tantò melius pateat omnibus, edam auctor mihi es. Sed ſatiſfeci jam hîc officio meo erga alios quoque Amicos. Alioqui major ſententiarum diſcrepantia à me protracta in lucem fuiſſet. Qua ratione in amicitiæ leges peccaſſe me crediďiſſem. Fateor autem me omni ſtudio niti, ne fortè à quopiam negligens alicujus, imò diligens cultor omnis officii à quolibet dicar. Puto enim id ſacere ad fovendam amicitiam, rem in vita civili maximè neceſſariam & jucundiſſimam, mihi præſertim acerbo rerum noſtrarum ſtatu. Et propriâ edoctus experientiâ novi ſæpè nos vel pro jure amicitiæ, vel multis negotiis preſſos calamo effundere ea quæ nollemus in lucem proferri, imò volumus centum ſervata clavibus intrà clauſtra ſilentii & privatos amicitiæ parietes cuſtodiri. Nempe ut in ſermone volubilis lingua, ita & in hoc literarum commercio familiari penna præpes artificioſa iſta lingua (per quam tot terrarum mariumque immenſis diſſiti ſpatiis mutuum, licet mutum miſcemus ſermonem) haud raro mentem præcurrit. Cæterum ſat benè ſcio nec Tibi mentem hanc fuiſſe, ut alicubi in amicitiæ & ſilentii, quod multa bona habere Græca ante Romanam docuit Sapientia vetus, peccarem: ſed tantùm, ut cujuſque literis in medium productis ſententiam ejus in hoc de Cometis argumento manifeſtarem. Verumtamen cuique hîc de proferendis in lucem ſuis aurem vellere officii mei duxi. Hac ratione δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, ut Græcorum, *poſteriores curas ſapientiores*, ut Latinorum fert vetus verbum, habebimus. Et cecinerunt quidem jam nonnulli palinodiam, me ſolo conſcio. Nec mirum. Nam ipſe Auguſtinus, quem nonnemo Sapientiſſimum Sanctiſſimorum & Sanctiſſimum Sapientiſſimorum dicere non dubitavit, luci, mox relicturus lucem, in illis duobus Retractationum libris, idem fecit. Habebimus tamen hîc ſat opinionum, etiam portentificarum, dum quomodo iſta Cometarum portenta fiant, moveantur, diſpereant, minimùm diſpareant, differentes audiemus. Quippe in tanta humani ingenii imbecillitate & rerum difficultate, fieri aliter nequit quin hallucinemur quandoque & vacillemus ſubinde. Eminentiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Conditor Baronius in capite ferè vaſti illius operis, dum diverſas de annis & aſſumtione B. Virginis, caſtiſſimæ antè partum, in partu & poſt partum (quod parergon meritò hîc inſero) Servatoris noſtri Matris, in cælum, ſententias refert, referente Spondano, in hæc verba erumpere ſuſtinuit: „*Non poſſumus non vehementer mirari tantæ rei hiſtoriam, vel ſaltem tem-* „*pus migrationis ejus ſic à ſcriptoribus prætermiſſum, ut opus fuerit, quid huic vel illi de* „*ea re fuerit revelatum, inveſtigare Tolerandum tamen eſſet, ſi omnes æque in ean-* „*dem ſententiam conſpirarent, aut ſi unius vel alterius anni ſpatio diſſiderent. At* „*cum monſtroſa quædam inter eos diſcrepantia reperiatur, quinam potius audiendi erunt?* * Quod ſi ita comparatum eſt in rebus fidei, ubi de cæleſti hæreditate adeunda agitur,

Syveri laus.

Cometæ ſitus ab Hevelio deſignatus alius eſt à vulgari.

**Heveliana merita in rem Aſtronomicam maxima.*

Amicitiæ leges cum curâ ſervandæ.

Amicitiæ laus.

Edenda non ſunt privatim & extempore ſcripta.

Lingua & penna præcurrit ſæpè mentem.

Silentii multa eſt utilitas.

Secundæ curâ meliores.

Sententiam mutare licet.

Diſſenſus de Cometis ingens.

Baronius laudatur.

Multùm diverſas ſententias de annis & aſſumtione B. Virginis recenſet.

Et de his addubitat.

**F. dei capita clara S. Scripturæ veritate fundata ſint oportet.*

agitur, quid miremur talia in rebus Aſtronomicis, ubi in cælo contemplando & motu orbium ejus inveſtigando, phœnomeniſque in eo obſervandis occupamur? Unicuique tamen convenit, opus, imò neceſſe eſt certa ſequi, ibi præſertim, ubi, ſi uſquam, bis peccare non datur, quia pluſquàm de capite, de ſalute ſcilicet animæ æternæ res eſt. A Te certè multi Viri Docti multa in Aſtronomicis diſcent, quod nonnullos confitentes jam audivi. Sed jam, *Magne Heveli*! Vale & Salve.

Hevelius multa, clara & firma in re Aſtronomica reddet.

N. 7. ad 12. & 13.

Dantiſco Hamburgum die 10. *Junii* 1665.

Hevelius ſuas & aliorum de re Cometica literas mutari non vult,

Literas illas, quas voluiſti, Tibi remitto, & quidem immutatas. Nam ſicuti jam percepiſti ex meis poſterioribus literis, minimè conducet hiſtoriæ Tuæ cometarum, ut ea, quæ ſemel ſtatuta à quopiam fuêre, deleantur, vel alia ſententia ſubſtituatur. Hæc dum ſcribo binæ aliæ Tuæ literæ die 29. Maji S. N. & 2. Junii datæ mihi traduntur; ad quas quidem hâc vice plenè reſpondere haud poſſum; brevibus tamen hæc te ſcire velim: cum intelligam, quod meis leviuſculis conatibus tantum tribuas, ut etiam Iconiſmos illos Prodromo noſtro adnexos, Tuo operi inſerere ſatagas, gratias habeo de tanto eximio Tuo ergà me affectu: ſed doleo, quòd tuo deſiderio, utut vel maximè velim, ſatisfacere hâc vice nequeam. Iconiſmi enim illi, non ſinè aliquo labore & temporis jacturâ, ut facile intelligis, manu meâ inciſi, præprimis ad Cometographiam pertinent, eique adhuc ſunt ſuo tempore inſerendi, atque ſic denuo ſæpius prælo ſubjiciendi. Idcirco cùm illis adhuc maximè opus impoſterum habeam, tum ne conſumantur, neceſſum eſt, ut operi illi, cui deſtinati ſunt, integri conſerventur. Imò etiamſi eos, illum in finem nunc ſtatim prælo ſubjicere vellem, nullo tamen pacto id fieri licet, antequam tota Cometographia ad finem perducta typiſque exſcripta fuerit: quippe literæ illæ, in tabulis illis A, B, C. immutandæ ſunt, ſecundum illum ordinem in Cometographia ſuſceptum, qui necdum mihi conſtat. Adhæc, cum in ampliori formâ Figuræ iſtæ adumbratæ fuerint, opus verò tuum, ſine dubio in quarto prodibit, neſcio, anne commodius ſit, delineationes illas Tabulis etiam arctioribus exhibere; atque ita poſſunt illæ, quod mihi minimè erit adverſum, à quopiam Artifice iterum delineari ærique incidi. De reliquo rectè D. Müllerus advertit, quòd pag. 7. l. 18. pro conjunctione oppoſitio ſubſtitui debeat. Nam quemadmodum pag. præcedente 6. lin. 19. vides, etiam ex ſubſequentibus, inprimis loco Cometæ & Solis clarè liquet, nunquam mihi aliam fuiſſe mentem, quàm quòd ſcribere voluerim, in oppoſitione: inter feſtinandum verò accidit, quòd conjunctio ſcripta fuerit. Poteris igitur ea, nec non marginale corrigere. Quod ſupereſt, quia ita placet, exemplaria aliquot Prodromi mei, nec non Selenographiam prima occaſione per Lubecam tranſmittam; cujus pretium ordinarium aliàs eſt 8. Imper. Amicis tamen ac Bibliopolis pro 6. Imper. quodlibet exemplar concedam. De ſcripto illo Gallico, de quo nonnulla mihi communicare Tibi placuit, judicium meum, uſque dum totum opus videre ac perlegere continget, ſuſpendo. Tempus docebit, an verbis facta reſpondeant. Vale, & priſtino amore & favore proſequere.

Suas figuras & obſervationes operi huic inſerendi facultatem Auctori concedit,

Illas ſe in uſum Auctoris imprimere non poſſe aſſerit.

Quædam in Prodromo ſuo corrigi permittit,

Judicium de ſcripto illo Gallico ſuſpendit.

N. 16. ad 7.

Hamburgo Dantiſcum die 6. 16. *Junii* 1665.

ACcepi rectè cum hodierno tabellario literas Tuas die 10. currentis S. N. ſcriptas, iiſque incluſa literarum Tuarum apographa antehac à me ad Te miſſa, in quibus nihil prorſus mutare voluiſti. Adeò in iis quæ de cælo, vel currente calamo commentaris, immobilis, incomparabilium Obſervationum Tuarum, velut cælifer Atlas certus es, ſicut Terram potius quàm cælum

Hevelium ſua immutata relinquere auctor laudat,

Laudat & ſingularem ejus in re Aſtronomica peritiam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

lum moveri cum Pythagoræis, & illo primo Pruſſiæ Veſtræ Hipparcho Co- *Terræ motus.*
pernico (cujus ego epitaphium in patria illi Urbe Thorunenſi aliquando vi-
diſſe me in æde Cathedrali memini) contendis. Quod autem ad aliorum li-
teras attinet, de iis jam Tibi ſuperioribus meis ſatiſfeci. Te in Prodromo *Æquus ami-*
p. 7. pro Oppoſitione conjunctionem Solis errore calami poſuiſſe, quivis æquus *cus eſto,*
& talium peritus, quia & antecedentia & ſequentia idem docent, perſpiciet.
Scriptum illud Gallicum velim mihi remittas, & aliquid de eo judicare velis.
Aliud enim exemplum mihi ad illud reſponſuro non reliqui. Typos Cometi-
carum Tuarum Obſervationum libro meo, qui in folio imprimetur, inſerendos
libenter habuiſſem, ſi fieri id potuiſſet. Sed æqua & præſtitu poſſibilia ab Ami- *Et æquum ab*
cis poſtulanda eſſe, lex antiqua & res ipſa docet. Exemplaria Prodromi cum *eis poſtula.*
deſiderio exſpecto, & brevi Tibi 10. Imper. thaleros numerari faciam Gedani.
En quæ Illuſtriſſimus Rautenſteinius de Te ad me ſcripſit die 8. hujus menſis,
quæ Tibi fidem facient, quanti Te ille faciat: qualia plura jam antehac à me
habuiſti. Itaque perge ſtrenuè in Tuis laboribus, quos dies noctesque, in per-
ficiendo inſigni illo Cometographiæ opere, exantlas, & ut alter Atlas tantam *Hevelius al-*
cæli molem ſuſtines. Deus cæli conſtantem valetudinem & proſperos ſucceſſus *ter Atlas.*
Tibi largiatur, quo præclaris ingenii Tui monumentis, non tantùm hoc noſtrum
ſeculum, ſed & ſecutura cum magno ſcientiæ Aſtronomicæ & publicæ utilita-
tis incremento decores & locupletes! Id Tibi ex animo vovet, Tuoque favori
ſe & exiguos conatus ſuos commendat &c.

Dantiſco Hamburgum die 16. *Junii* 1665. *Num.* 8. *ad* 14.

NImiùm ſanè (ut pace Tua dicam) benevolo Tuo erga me affectui indul- *Auctoris be-*
ges, dum mihi, conatibuſque meis longè majora attribuas, quàm iis *nevolentia*
omnibus, ut mihi videtur, meritus unquam fuerim. Idcircò eò magis Tibi *Hevelio gra-*
obſtringor, quo minus laudes illæ, quas in me tàm abundè confers, mihi jure *ta.*
competunt. Compendium Prodromi mei à Te concinnatum Tibi remitto: ni- *Hevelius*
hil enim inveni, quod contra mentem meam occurrat. Dummodò videas, ut *compendium*
numeri rectè ſint deſcripti, atque correctè imprimantur, cumprimis curabis, *Prodromi ſui*
ut Signa Zodiaci non characteribus, ſed litteris exprimantur. Quid verò mihi *approbat,*
de Iconiſmis meis omninò ſtatuendum ſit, jam ex præcedentibus literis perce- *Circa ejus editionem*
piſti. Benignè igitur Te interpretaturum puto, quòd petitioni Tuæ hâc vice, *quædam mo-*
ob Cometographiam, morem gerere minimè poſſim. Literæ Tuæ ad Admod. *net,*
Rev. P. Curtium mihi valdè arriſerunt. Agnoſco, Te quoque haud modicum *Cæptis &*
temporis Speculationibus Cometarum concedere, Teque Prodromum meum *ſtudiis Aucto-*
oculo haud fugitivo legiſſe, ſed omnia probè conſideraſſe. Si quæſtionem il- *ris favet.*
lam mihi propoſuiſſes: cur nimirùm P. Limberer priorem Cometam barbatum, *Cometa hye-*
poſteriorem crinitum & caudatum appellaverit? Sic Tibi reſpondiſſem: Non *malis barba-*
memini quidem rationes has proferendas apud ullum aliquem me legiſſe Aucto- *tus, vernus*
rem: verumtamen arbitror haud injuriâ poſſe ejus generis Cometas hunc in *crinitus &*
modum nos diſtinguere. Nam barbatus aliquis, cælum ſuſpiciens, caputque *caudatus quæ*
attollens, barbam antrorſum verſùs exporrigit, eò nempe, quò iter meditatur. *ratione dici*
Cauda verò eſt pars poſterior animalis, & ſemper in curſu ſequitur. Hinc jure *poſſit.*
Cometa ille prior, cum comam contra ſeriem ſignorum, in partes ſcilicet ante-
riores, quò iter tùm temporis inſtituebat, projiceret, appellatus barbatus. Dein-
de, quia ſub exitum anni elapſi, & initium currentis, Cometa à pleriſque ex-
utus omni ferè jubare, vel barbâ, & ſolummodò radiis crinibuſque in orbem
cinctus viſus eſt, meritò dicitur crinitus. Ultimò, veſpertinus factus, crines
prælongos invertens, atque ortum verſùs ad partes poſteriores caudam expo-
nens, convenienter caudatus denominatur. Quippe, cùm idem ſemel ſuſce-
ptum iter ſtrictè contra ſeriem Signorum perageret, comam verò poſt ſe tra-
heret, capite curſui expoſito, ut animalia caudam: ideò rectè Cometa is prin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

cipiò barbatus, in medio ſui curriculi crinitus, & ſub finem caudatus appellatur. Verùm quæſtionem hanc Rev. P. Curtio & Clariſſimo P. Limberer dirimendam relinquo; qui ſine dubio rationes adhuc ſolidiores hujus rei producent. Sed nolo diutiùs Te, aliàs occupatiſſimum, morari, qui non minus occupationibus penè obruor: cumprimis cum accedat deſcriptio & delineatio Cometæ poſterioris concinnanda, ærique incidenda. Exinde ſi impoſterum in reſcribendo aliquantò tardior fuero, nonniſi ſtudiis negotiiſque id adſcribas velim. Vale literarum decus atque ornamentum.

Hevelius Cometæ verni deſcriptionem & delineationem parat.

Hamburgo Dantiſcum die 30. *Junii* 1665.

N. 17.
ad 8.

MInimè adhuc neglectui erat mihi debita literis Tuis doctiſſimis & humaniſſimis die 16. Junii datis reſponſio. Ut enim in aliis officiis præſtandis cuilibet Amicorum, præſertim præcipuorum, qualem Te mihi & omnibus probis magna Tua merita humanitate condita fecerunt; ita & in reſpondendo ſolenne mihi eſt (abſit jactantia verbo) agreſtem & inhumanam negligentiam fugere. Sed noſti, nos aliquando, quæ tamen eſt quædam noſtra infelicitas, non eſſe noſtri juris, nec ſemper officio hoc vel alio erga Amicum, etiam primi commatis, defungi poſſe. Atque hoc mihi infortunii ab integra hebdomade, ex quo Tuas illas acceperam, obtigit. Niſi tamen dicam jus excuſationis & veniæ utrique noſtrûm hîc competere. Nam quominus Tibi è veſtigio, illis, quæ per communem Amicum Nobiliſſimum D. Pelſium Tibi impertii cum ſalute officioſa, minimè contentus, reſponderem, duo effecerunt, quæ ad utrumque noſtrûm ſpectant. Alterum eſt, quòd adhuc ſummo ſtudio incubuerim adornando, & quàm ociſſimè cum expedito curſore mittendo, Doctiſſimis illis & Celeberrimis Viris Ricciolo & Kirchero Prodromi Tui Cometici prodromo, quod etiam divinâ gratiâ perfeci, adjunctis quibuſdam parergis, vel ex Tuis vel ex aliorum Amicorum literis, quæ commodè textui Tuo adjungere potui. Quo ipſo & illis Amicis, & Tibi cumprimis rem gratam facere volui: Quem finem an fuerim aſſecutus, veſtrum erit judicare. * Ego verè teſtari poſſum, me eum Tibi, quanti Tuum iſtum laborem faciam, tùm & illis una monſtrare voluiſſe. Alterum verò, quòd exſpectarim à quibuſdam Amicis, ea de quibus Te conſulere potius quàm monere vel judicium ferre de Tuo illo ſcripto præclaro (quod Tu quidem ab illis fieri voluiſti) volunt. Nam eorum ſpem à multo tempore mihi fecerant. Sed cum hoc præſtare per alias occupationes nondum potuerint, ego diutius officii mei vicem differre nolui, ne tanti Amici negligens videar. Sunt enim & mihi præter debitam ſcriptionis vicem cauſſæ, quæ me ad ſcribendum impellunt. Ac primùm quidem deſcribere Tibi debeo, quæ Te communes amici Illuſtriſſimus Rautenſteinius & Nobiliſſimus Heinſius de Te ad me ſcripſerunt. Quæ ille die 18. Junii ad me ſcripſit Tecum communicanda, de accepto ſcilicet Tuo Prodromo ſibi gratiſſimo, non dubito Te ex Nobiliſſimo Pelſio accepiſſe. Poſtrema ejus die 16. Junii, ut & Heinſiana die 24. ejuſdem menſis data, mihi utraque nuperrimè reddita, quæ fuerint, adjuncta apographa docent. Heinſium ego nuper monui, me ex Tuis litteris intellexiſſe, Te illi exemplum Prodromi Tui mittere decreviſſe. Sed accedo ad alia, quæ in Prodromo illo Tuo legi & notavi, & de quibus Te conſulere debeo. Sum enim optimè de Tua humanitate & æquanimitate perſuaſus. Atque ita certò mihi promitto, Te, quibus legibus literati vivant, memorem, non tantùm non ægrè candorem meum & libertatem ingenuo dignam laturum, ſed & me in iſtis, in quibus hæreo, informare non neglecturum. Pag. 3. in illis verbis, *eumque ad Ortum vergentem & retrogradum contra ſcilicet ſeriem ſignorum*, dubium oriri poſſe, indicaſſe Tibi ſufficiat. Alia, ſi opus fuerit, aliàs dabo. Nunc ad Hiſtorica & Chronologica venio, illa ſcilicet quæ ad Cometas pertinent. In his animadverto non pauca examinanda inveniri. Certum eſt paucos Cometas ante

Impedimenta multa benevolentiæ ſe opponunt,

Prodromi Cometici Heveliani Prodromum ſe gratiâ Riccioli & Kircheri compoſuiſſe & illis miſiſſe Hevelio Auctor indicat.

** Hevelio per omnia benevolentiam debitam Auctor teſtatur.*

Negligens amici ne ſis.

Auctor occaſione Prodromi Hevelium de nonnullis conſulit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ante Chriſtum natum fuiſſe ab Auctoribus annotatos. Sed cùm Alſtedius ſex tantùm annotârit, Eckſtormius in ſua Hiſtoria Comet. 28. minimùm enumeravit: poſt Chriſtum vero natum ad illum Anni 1618. ducentos amplius iſte, cùm ille tantùm 154. putârit. At verò Lavaterus & Keckermannus ab Auguſto ad ann. 1556. ſolùm 117. Ricciolus ab Anno ante Chriſtum natum 480. ad poſt Chriſtum natum 1618. Cometas 154. numerant. Quanta hìc diſcrepantia! Sed leviora iſta ſunt, fateor, quæ tamen, velut in tranſitu, attingenda erant. Venio ad alia Te propiùs ſpectantia. Pag. 33. ponis Cometam quadrimeſtrem Anno Chriſti 380. apparuiſſe. Patere, Vir Humaniſſime! ut diſcam à Te quis eum annotârit? Augebit enim cenſum Cometarum, nec à Faſciculi Temporum auctore Rolevinckio, nec à Funccio, nec à Calviſio, nec à Bucholzero, nec à Sigonio, nec à Ricciolo, nec ab Abſtedio, nec ab Eckſtormio (quos habeo, & evolvi, tres verò poſtremos in enumerandis Cometis diligentiſſimos experior) annotatus. Ibidem Cometas ſemeſtres ponis 4. ſcilicet Anno Chriſti 60, 146, 337, 1240. Ricciolus tantùm tres, inter quos unus tantùm Tuus eſt, ille poſtremus. *Quod ad Cometam illum Anno 60. attinet, hunc intelligit Alſtedius ponens eum in annum 62. æræ, quam ille, ut & Helvicus, Funccius, aliique Chronologi putant, ‡veræ, quæ vulgarem biennio ſuperat. In annum 60. æræ ſcilicet vulgaris ponit eum & Eckſtormius, ſemeſtremque notat. Funccius & Calviſius nullam durationem ejus deſcribunt, ille ad ann. 62. æræ illius veræ, hic ad 60. æræ vulgaris. Milichius quoque ſemeſtrem illum anni 60. ſub Nerone pronunciat in Plin. l. 2. c. 25. quem Plinius aſſiduum dicit. Pronunciat autem Alſtedius ut eundem, ita & illum anni 66. (ſicut & Funccius ante eum aliique putant ſecundùm æram veram) qui Ricciolo æram vulgarem ſequenti, eſt 64. fuiſſe ſemeſtrem. Nihil de durationis tempore habent alii, putà Funccius, Eckſtormius, qui ſoli ex illis, quos adduxi, eum annotant. Venio ad Tuum Cometam Anni 145. ſemeſtrem. Nullus illorum auctorum ullam ejus facit mentionem. Ita poſtquam me de ortu & parente ejus certiorem feceris, proli Cometicæ fœcundæ eum, ſicut Tu ſtellas incognitas proli Uraniæ, ut corpora corporibus cæleſtibus comparare liceat, annumerare non dubitabo. Succedit Cometes Anni 337. inter Tuos ſemeſtres ordine tertius. In eundem annum ponit eum Alſtedius: ita ſecundùm æram vulgarem ponendus erit in annum 335. quod innuit Faſcic. Temp. & Bucholzer. (niſi tamen uterque, indefinitè putans, in anni 337. initium eum referant, ſicut Sigonius facit) exprimit autem Eckſtormius, ſed tempus durationis non ponit. Ricciolus verò eum prorſus ſilentio præteriit. Quartus Tibi Cometa ſemeſtris eſt ille Anni 1240. quem & Ricciolus talem aſſerit. Alſtedius eum notat, at tempus apparitionis non definit. Funccius, Calviſius, Bucholzerus, Sigonius eum non commemorant. Sed nec Eckſtormius, niſi ille ſit, quem in Ann. 1239. collocat. Illum Riccioli Anno 603. viſum Cometam, quem ſemeſtrem dicit ex Joan. Prætorio, nullus illorum Auctorum tamdiu fulſiſſe ait. Ita dum rationes Veſtras puto, invenio 6. dum verò & aliorum rationes excutio, reperio 8. Cometas qui ſenis menſibus durarunt, nempe Anno ſecundum æram vulg. à Chriſto nato 60, 64, 78, 145, 337, 603, 906 & 1240. Plures ſi dentur, inveſtigabo, Deo volente. Unicus reſtat Cometes, prorſus ſingularis, octimeſtris nempe à Te productus, in Annum 375. relatus. Hic puto erit Alſtedio annotatus ad Annum 377. à Funccio, Calviſio, Bucholzero & Ricciolo omiſſus, ab Eckſtormio, Sigonio in Ann. 375. poſitus. At iſti de duratione nihil. Annon verò error eſt in numero? Nam Anno 975. octimeſtrem annotat Calviſius ex Cedreno, & Eckſtormius ex Schoſſero, omiſſum à reliquis. Exſpecto porrò abs Te reſponſum de illo phœnomeno ad borealem cinguli Andromedæ, quod Gravianæ obſervationi, à me Tibi miſſæ, pro Tua eximia harum rerum peritiâ & hnmanitate debes. Si quid interim de hoc phœnomeno ibidem obſervato Franequera, vel Roma, vel etiam aliunde, quod non immerito,

Cometarum Catalogi à variis compoſiti.

Cometa Anno Chr. 380. an quadrimeſtris?

Cometarum annotatores quos Auctor ſequitur.

Cometæ ſemeſtres quot ab Auctoribus putentur, & putandi ſint?

** Cometa ſemeſtris Anno Chriſti 60. aliis 62.*

‡ Epocha Chriſti vera vulgarem biennio excedit.

Cometa ſemeſtris Anno Chriſti 66. aliis 64.

Cometa ſemeſtris Anno Chriſti 145.

Cometa ſemeſtris Anno Chriſti 337.

Cometa ſemeſtris Anno Chriſti 1240.

Cometa ſemeſtris Anno Chriſti 603.

Cometæ ſemeſtres octo ab Auctore putantur.

Cometa octimeſtris Anno Chriſti 375. vel potius 975.

Auctor reſponſum de phænomeno ad borealem cinguli Androm. ab Hevelio poſtulat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa an menſe Majo apparuerit?

ritò, ut vicem officii, ſpero, accepero, ejus Te mox faciam participem. De Cometa die 30. Maji S. N. Lipſiæ viſo ſcripſit mihi Amicus: De illo die 22. ejuſdem menſis ad Ratiſbonam viſo, jam ante feci Te certiorem. An verò conjiciendum certò ſit, obſervatum tunc fuiſſe circa Favonium, in extremitate Tauri ſeu in capite, veſperi circa horam 11. cum hora 10. adhuc fuerit lucidum nimis crepuſculum, libenter ex Te diſcam. Sed vide quàm multiplicentur illuſtria iſta phœnomena. Cracoviâ die 8. Junii à Reverendo Viro D. Wojenſcio Canonico Cracov. Doctiſſimi illius in re Medica, &, ni fallor, Mathematica, Viri filio, ideoque literis humanioribus inſtructo, perſcriptum eſſe accepi, Cometam ibi ingentem, barbatum, circa horam noctis 11. ſæpius viſum fuiſſe. En denique quæ Ratiſbona accepi, triduò ante exceſſum Sereniſſimi Archiducis Franciſci Sigiſmundi, ſupra Oenipontem viſo. Quid de his omnibus habeas, judiceſve velim vel tribus verbis expone, & Vale benè ac proſperè.

Tum & menſe Junio. Wojenſcius Medicus Cracov. celeberrimus.

Cometa dicitur triduo morti Archiducis ultimi præluxiſſe.

N. 9. ad 15, 16 & 17.

Dantiſco Hamburgum die 8. Julii 1665.

AD litteras Tuas die 16. Junii datas, ob varia negotia brevibus tantùm hâc vice reſpondeo. Videris mihi Te cum aliis Viris eruditis, adhuc in ea hærere opinione, quòd ad cingulum Andromedæ, juxta Obſervationem Romanam & Clariſſimi Gravii, alium intermedium quendam illuxiſſe Cometam. Sed ego planè aliter ſentio, & perſto in ſententia: nimirum nonniſi duos tantùm diverſos à menſe Novembri anni præcedentis hucuſque viſos obſervatoſque eſſe Cometas. Largior quidem lubens, Obſervatores illos Clariſſimos aliquod eâ in cæli parte deprehendiſſe phœnomenon; ſiquidem ferè eo ipſo tempore, probè memini, me pariter tale quidpiam oculis meis percepiſſe; ſed nequaquam tamen iſtud phœnomenon Cometam extitiſſe concedo. Conducet igitur, ut hæc quæſtio magni momenti funditùs examinetur ac diſcutiatur: quid videlicet id extiterit, quod Obſervatores illi ſolertiſſimi circa Andromedæ partem borealem deprehenderint? tùm quot Cometæ reverà hoc anno apparuerint? Verùm hæ quæſtiones, cum literis hiſce brevioribus expediri haud poſſint, conſtitui Deo favente, opuſculo meo propediem edendo de poſteriori Cometa, eas dare demonſtratas. Non dubito, quin Tibi aliiſque ſatiſfaciam, ſententiamque meam cum reliquorum obſervationibus optimè conciliem, quin etiam commonſtrem, quid iſtud fuerit, quod menſe Majo tam Ratiſbonæ, quàm Warſaviæ inſtar Cometæ obſervatum eſt. Exemplaria Prodromi mei 16. tùm 1. Selenographiæ. 1. Mercurii. 1. Saturni & 1. Epiſtolarum jam Lubecam tranſmiſi, quæ à N. Hamburgi accipies. Decem illos Imperiales heſternâ die hîc rectè accepi. Scriptum Gallicum cum gratiarum actione remitto; de quo tamen, cùm opus ipſum nondum viderim, nihil quicquam judicare poſſum, videntur tamen omnia valde mira, quæ quomodo fieri poſſint, nondum ſatis capio. Interea precor Deum, ut opus Tuum ſuſceptum, feliciſſimè ſuccedat, Teque ſalvum & incolumem in rei literariæ commodum diutiſſimè conſervet. Vale.

Hevelius putat Auctorem aſſentire Romanis de tertio Cometa, Hanc opinionem refutat.

Scriptum Gallicum remittit, judicium de eo ſuſpendit.

N. 18. ad 9.

Hamburgo Dantiſcum die 17. Julii 1665.

SCriptum illud Gallicum quod abs Te exſpectavi, utpote quo adhuc opus habeo, jam jam accepi unà cum literis die 8. Julii ſcriptis, mihi longè gratiſſimis: ad quas pauca è veſtigio repono. Quod ad phœnomenon illud ad borealem cinguli Andromedæ viſum attinet, ego nihil determino. Nec enim tantum mihi arrogo, ut de his judicium ferre valeam. Volui tamen quæſtionem hanc Tibi proponere ut Tuam ſententiam expiſcarer. Sed hanc Tu exponere mihi noluiſti, utpote in Præclarum opus Tuum Cometographicum relatam. Quod uti minimè miror, imo æquum & conveniens judico, ita fateor me

Auctor de phœnomeno ad borealem cing. Androm. viſo ſententiam ferre non vult.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

me libenter viſurum, ſi vel verbo dicas ſententiam Tuam, de qua dum mentionem, ſimul & ſalivam nobis moves, tam de illo phœnomeno, quàm de reliquis. Quæ tamen de re ſtatues id quod æquum & decorum eſt. Scito enim me antiqua amicitiæ regulâ, ut ab amico juſta, poſſibilia & grata poſtulentur, in amicitiâ colenda, nihil habere antiquius. Exemplaria Prodromi aliorumque librorum Tuorum cum deſiderio exſpecto & pretium Tibi mox, Deo volente, gratus pro iis refundam. Dum iterum iterumque epiſtolam Tuam relego, perſpicio Te propediem opuſculum de poſteriori Cometa editurum. Conjicio itaque Te Cometographiæ Tuæ Prodromum alterum reſpectu poſterioris Cometæ præmiſſurum eſſe. Quod ſi ita eſt, gratulabor multùm Te id quoque meis & aliorum amicorum precibus dediſſe. Votum Tuum pro ſucceſſu operis mei conceptum mutuo voto gratus penſo. Et quia † Tu quoque meis conatibus ſtimulos utilitatis publicæ & laudis addis, omnem à me, quantum fieri poterit, movebo moram, ne in vota & monita veſtra (paria enim faciunt tecum Illuſtriſſimus Rautenſteinius, Nobiliſſimus Heinſius aliique Amici) publicaque commoda injurius evadam. Quod reliquum eſt certus ſum de Tua, ſicut nuper dixi, æquanimitate & ſingulari humanitate. Huic & Clariſſimus Bullialdus, aliiſque virtutibus & meritis Tuis, in epiſtola libri Ptolemæi de judicandi facultate & animi principatu ab ſe editi, quem jam jam accipio, & ad Tecum colendam ſinceram amicitiam magis magiſque ſtimulor, dignum teſtimonium præbuit. Itaque mitto Tibi, ea quæ in lectione Tui Prodromi Cometici notavi cum Eruditiſſimo illo Viro Henrico Syvero, Tuorum meritorum reique Aſtronomicæ ſtrenuo cultore, Tibi proponenda. Quædam apertè indicant errores eſſe calami, vel per ſolitam Typographi incuriam irrepſiſſe. Alia nos ſuſpenſos tenent, ita ut Te conſulere neceſſe habeamus. Ad hæc reſponſum abs Te exſpectabimus cum deſiderio. Quod ſi obtinemus ex voto, à Te correcta poterunt, ſi ita fieri velis, inſeri vel adjungi Prodromo Prodromi Tui Cometici, à me gratiâ Amicorum Italorum compoſiti, ut ibi illius operis Tui præclari compendium veluti cum annotatiunculis & correctione prodeat. Valere Vir Ampliſſime, Te jam juberem, cùm epiſtola hæc jam ſatis verboſa, vereor ne & moleſta, præſertim Tibi gravioribus ſtudiis occupato, evaſerit. Sed unum ſupereſt Tibi perſcribendum, me heri paulò poſt x. veſpertinam cum aliquot è domeſticis meis, inprimis * Martino Ruaro, Doctiſſimi illius & Clariſſimi Viri Urbis Veſtræ olim incolæ, cui cognominis eſt, filio, docto juvene, liberorum meorum Ephoro, obſervaſſe ad occaſum tale ignitum phœnomenon. Apparuerunt primùm duæ faculæ in linea recta in medio nube, inſtar cinguli, diviſæ. His paulò poſt à latere ſiniſtræ partis inferioris aſſiluit tertia facula. Ex his compactum corpus lucidiſſimum, in medio tamen nube, velut cingulo diviſum, paulò poſt ad ſiniſtram, ſcilicet verſùs novum templum inclinare, & minui magis magiſque cœpit, & ita diſparuit ante horam undecimam, luce clariori poſt ſe inter ſpiſſas nubes relictâ. His Te tandem, Vir Clariſſime benè valere & feliciter agere cupio.

Æquitate in colenda amicitia nihil ſit antiquius.

Hevelius Cometæ verni Prodromum promittit,

Succeſſum felicem Auctori precatus, paria ab eo refert.

† Auctor hortatu amicorum & ſtudio publicæ utilitatis urget opus.

Auctor occaſione Prodromi Hevelium de pluribus conſulit.

Phænomenon 6. 16. Julii veſperi ab Auctore hic Hamburgi obſervatum.

** Ruarus Martinus pater & filius laudantur.*

Hamburgo Dantiſcum die 25. Auſtuſti 1665. N. 19.

QUod à multo tempore nec ſcribas nec reſcribas mihi, Tuis gravioribus laboribus adſcribo. Non dubito enim Te omni ſtudio & virium niſu ad edendam Tuam Cometographiam, quod maximum præſtantiſſimi Tui ingenii monumentum, & opus incomparabile orbis, literatus magno cum deſiderio & tædio exſpectat, incumbere. Crede mihi omnium animi, aures oculique in illud, velut Aſtronomici ingenii miraculum, directi ſunt, & quamprimum illud ſibi exhiberi, avidè præſtolantur. Neque verò putes me palpum Tibi obtrudere. Provoco enim ad totius non tantùm Senatûs Aſtronomici, in quo ſine æmulo & rivali dominaris, ſed & Reipublicæ literariæ judicium. Fidem

Cometographia præcipuum Hevelii opus magno cum deſiderio exſpectatur.

Hevelianis meritis debitum teſtimonium datur,

Conſentiente orbe literato.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Kirſtenius Cometam ſuum Hevelio inſcribit.

Hevelius comparatur Copernico, Tychoni & Keplero.

** Kirſtenius laudatur;*

† Gratus in Hevelium;

Plura exempla ſui Poëmatis de Cometa Auctori tradit inter amicos diſtribuenda.

**Bartholinus Eraſmius in ſententiam de gemino Cometa hyemali inclinat.*

dictis faciunt illa quæ ut antehac ab Illuſtriſſimo Rautenſteinio, Nobiliſſimo Heinſio aliiſque Viris Ampliſſimis, ita nuperrimè à Celeberrimis Societatis Jeſu Philoſophis Ricciolo, (de cujus valetudine nihil ab illo tempore accepi) Kirchero & Schotto, tùm Doctiſſimo Grutero perſcripta ad Te miſi. En quæ Clariſſimus Bullialdus, tot teſtimoniis maximæ virtuti Tuæ meritò datis, non contentus, poſtremis litteris ad me die 14. Auguſti datis inſeruit. En verò etiam graviſſimum & ampliſſimum, ſed meritis Tuis par debitumque teſtimonium, à Clariſſimo Kirſtenio datum, qui Tibi per me haſce literas, iiſque incluſum Cometam ſuum, verſibus doctiſſimis adornatum, ac nomini Tuo Clariſſimo dicatum, mittit. Gratulor Tibi has laudes ſummas Copernicianis, Tychonianis & Keplerianis proximas in rei Aſtronomicæ ſcientia, ut ab aliis Viris talium peritiſſimis, ita & ab hoc *Viro Doctiſſimo, inque Aſtronomicis verſatiſſimo tributas. † Is verò etiam gratum Tibi animum hoc publico monumento de Prodromo Cometico, quem ei per me miſeras, teſtari ſe voluiſſe mihi dixit, nec pauca quæ de Te vel Tui occaſione de argumento Cometico inter nos locuti fueramus, inſeruit. Cæterùm poſt miſſas ad me haſce literas mihi heri adfuit, & plura exemplaria Cometæ iſtius ſui Tibi aliiſque Amicis promittit, quæ ego per Amicum notum, Deò volente, diligenter curabo. ‡ Quæ Clariſſimus Vir Eraſmius Bartholinus nuper de Cometis commentatus eſt, jam, ut puto, videris. Honorificam quidem Tui mentionem ibidem facit. Sed in ſententiam de gemino Cometa in Corvo & Lepore inclinat. De qua judicium Tuum, ſi fas eſt, libenter intelligam, unà cum aliis Amicis hac in urbe degentibus. Clariſſimo Büthnero, permultis impeditus negociis necdum reſcribo: ſed plurimam ſalutem ei adſcribo. Dabo operam ut meo erga illum officio defungi quamprimum poſſim, certus humanitatis & æquitatis ejus. Heinſianas includo ad Dominum Pelſium mittendas, eaſdemque commendo. Vale Vir Ampliſſime & Humaniſſime, rem feliciter age, ac mihi conſtanter fave.

N. 20. *Hamburgo Dantiſcum die 28. Auguſti* 1665.

Buſmaniana Auctor cum Hevelio communicat.

Auctor ex Hevelio de Prodromo Cometæ verni quærit.

Deſiderio magno etiam feſtinatio mora eſt.

Stella meridie viſa, fortè Venus.

QUamvis nondum quidquam reſponſi ad aliquot meas abs Te acceperim (quod uti occupationibus Tuis graviſſimis & aſſiduis adſcribo, ideoque haud quaquam miror, ita Te mihi captato temporis momento commodo brevi reſponſurum ſpero) & proximè ſcripſerim, tamen & nunc ſcribo. Nam ex eo tempore Clariſſimi Viri D. Buſmani, Hannoverenſis Medici & Phyſici celeberrimi literas, ante octo dies ſcriptas accepi. Itaque volui earum copiam Tibi facere. Cum autem de Te loquantur, imò Te alloquantur, facies pro eximiâ Tua humanitate rerumque naturalium ſcientiâ, ubi per graviora negotia Tua licuerit, ut quid ad hæc reſpondere debeam, ex Te intelligam. Cumprimis verò ex Te cognoſcere aveo, nec ego tantùm, ſed & plures Amici, hac in urbe degentes, an ſperare debeamus poſterioris Cometæ Prodromum, quem nobis Tuæ literæ promittebant, menſe Majo ad me ſcriptæ, dummodo id votis & ſtudiis noſtris congrueret. Quod ita eſſe aliquot literis meis Tibi teſtatum eſſe memini. Nam cum magnum deſiderium accelerari omnem feſtinationem velit, perquam libenter fieri vellemus ut longæ moræ, antequam ingens illud & mirandum Cometographiæ opus, ultimam manum experiatur, & in lucem prodeat, ſubeundæ & tolerandæ tædium Prodromus, ſicut nuper factum eſſe gratulamur, promtâ ſuavitate detergat. Itaque priuſquam Tibi graviſſimæ occupationes ad priorum literarum mearum capita reſpondere permittant, velim verbo innuas, an & quam citò hunc Præcurſorem exſpectare debeamus. Faſciculum exemplorum Cometæ Kirſteniani jam promovi Lubecam. Hodie inter 12. & 1. horam pomeridianam viſa eſt ad Auſtrum ſtella ſplendida: quæ fortè erit Venus, ſine dubio jam pleno lumine fulgens: quam ideò ſub luce Solis in diſtantia 60. ferè graduum videri mirum non eſt. Sed hîc Tua ſententia au-

dienda,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dienda, prius autem expetenda foret, ſi id occupationes Tuæ permitterent. Vale, & age proſperè.

Dantiſco Hamburgum die 5. Septembris 1665.

VEniam dabis, pro ſumma Tua erga me humanitate & benevolentiâ variis occupationibus, graviſſimiſque laboribus, quos ratione recentiorum Cometarum aggreſſus ſum: cumprimis verò maximo meo mœrori atque dolori, quem nuper ob præmaturum & inſperatum chariſſimi ac unici filioli mei obitum percepi, quòd tardiùs quàm meritò debebam ad Tuas plurimas mihi jucundiſſimas reſpondeam: eaſque ob cauſſas etiam brevibus me ad ſingula Tua quæſita expediam. Primò; Phænomenum illud, quod Romani Obſervatores aliqui, tùm Clariſſimus Gravius ad borealem cinguli Andromedæ viderunt, minimè Cometa, ſed ſtella tantummodò eſt nebuloſa; quæ Tubo tamen conſpecta, ſimilem ferè ſpeciem Cometæ exhibet; nec nova aliqua modò prognata eſt, ſed à plurimis jam annis ibidem extitit: quippe à Simone Mario anno 1614. jam obſervata eſt, ut pluribus in deſcriptione mea poſterioris Cometæ edendâ, dicturus ſum. Egregiè itaquè illuſi ſunt Viri illi eximii ab illa ſtella. Quod ſi verò negent, exeant, aſpiciant Andromedam, eodem loco, ubi antea, illud ipſum invenient phœnomenum: nempe uno gradu paulò plus diſſitum à boreali in Cingulo, catenam verſus, Andromedæ. Quæris ſecundò: An alterum Prodromum poſterioris Cometæ ſim Cometographiæ præmiſſurus? conſtitui quidem ita, ſi Deo ſic viſum fuerit, cum quibuſdam Iconiſmis. Sed præpedior: cum papyrum ad imprimendum piratæ nuper mihi abſtulerint. Hinc exſpectandum erit, donec aliam ex Batavia mihi comparavero; id quod autem vix intrà menſem unum aut alterum fieri poterit. Interea Obſervationes meas utriuſquè Cometæ, quas Cometographiæ reſervaveram, calculo ſubjiciam, quò ſimul eas tàm nudas quàm Enodatas edere poſſim. Ad quod negotium Clariſſimus Dominus Auzotius me impellit, epiſtolâ quâdam ad Doctiſſimum Dominum Petitum perſcriptâ, ac Pariſiis recens editâ: qui partim meas Obſervationes in dubium vocare, ſuſpectaſque reddere ſatagit. Sed annuente divino Numine demonſtraturus ſum, me Inſtrumentis meis omnia rectè ac accuratiſſimè obſervaſſe, atque ita eruditis rem poſtmodum dijudicandam committam, quis noſtrum, ab ipſo initio ad 12. Febr. rectiùs Cometam obſervaverit, & quiſnam circà motum diurnum aberraverit.

Hevelius mæret unicum filiolum exſtinctum.

Sententiam fert de phænomeno ad boreal. cing. Androm. viſo Cometam referente. Stella ad bor. cing. Andromedæ 1614. obſervata.

Prodromum Cometæ verni Hevelius certò promittit.

Auzutii ad Petitum, Hevelium in certamen Cometicum provocavit.

Tertiò ad illa quas annotaſti circà Hiſtoriam Cometarum, plenè quidem hâc vice reſpondere nequeo, ſed brevibus ſaltem quædam attingam: reliqua Deo dante pleniùs ex hiſtoria noſtra Cometarum, Cometographiæ quoque inſerenda, ſuo tempore intelliges. * Cometam illum, qui anno Chriſti 380. apparuit, Rockenbachius annotavit. De illo autem anno 145. hæc te ſcire velim, † quòd contrà mentem cecederit, quòd illum inter illos, qui ſemeſtri ſpatio affulſerunt, repoſuerim, quippe alium arripere volui. ‡ Nam hîc nonniſi per ſex adſpectabilis fuit, auctore Rockenbachio; ſic ut in illo aberraverim. Quod autem facilè fieri interdum poteſt; dum enim ad plurima inter feſtinandum attenti ſumus, accidit non raró, ut in uno aut altero exorbitemus. * Errare ſiquidem humanum, & nos homines admodum ad errores ſumus proclives. Vix puto unum adeo felicem futurum, qui opus quoddam abſque omni errore edere poſſit; imò dum nonnunquam errores alterius annotamus, errorem committimus. Id quod Tibi ipſi, Vir Honoratiſſime, obtigit. Nam ſtatim lineâ quartâ ejuſdem pagellæ, ubi menda indicare voluiſti, ipſemet exorbitaſti. Siquidem pag. 10. lin. 30. ſcribis: *Progreſſus Cometæ ſpatio 24. horarum ponitur* 5° 36. *cùm rectius ex mente Authoris videatur notari deberi* 5′, 30″ quæ tamen verba non pag. 12. ſed 16. inveniuntur. Ad hæc, mi amice, quis attentus & harum rerum benè gnarus Lector, non primâ fronte perſpicit hæc ita ex errore typographi deſcendiſſe,

Hevelius Hiſtoriam Cometarum Cometographiæ inſerturum ſe ait.

**Cometa 380 à Rockenbachio annotatus:*

† Ille anni 145. non fuit ſemeſtris.

‡ Hevelii candor & modeſtia.

**Errare humanum eſt.*

Corrigenda in Prodromo Heveliano ex ejus mente.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

diſſe, cùm conſequentia & antecedentia loca, illa benè illuſtrent. Etenim motus diurnus die 2 & 3. Febr. non extitit aliquot graduum, ſed ſaltem minutorum. Sic etiam pag. 16. lin. 37. ubi expreſſa eſt longit. Cometæ 16°. 20′. ſtatim ſubſequitur, vel ſaltem 26°. 19′. Agnoſco interea & Typographos & Correctores circà gradus & minuta, dum ſigna diverſa arripiunt ′ pro °, & ° pro ′, facilè aberrare poſſe; id quod etiam in tabula altera pag. 21. factum eſt: ſed quis adeò præceps, qui primo intuitu illud non agnoſcit? In Tabula verò priori circà motum diurnum 23°, 36 nullus commiſſus eſt error: ſed Tu iterum ipſemet aberraſti, dum ab 28. die Decemb. hora matutina, ad diem 29. hor. 9. veſpertinam tantummodò 23. horas numeras, cum ſint 43. horæ: deinde tempora & horarum ſpatia cujuſvis diei benè diſtinguenda ſunt, & à quo termino hic motus adeò diverſus & inæqualis numerari incipitur; quæ clarius explicari poſſent ſi vacaret. Pag. 29. lin. 2. nulla ambiguitas. Nam phænomenum etiam retrogreditur, quando iter reflectit, etiamſi tunc procedat ſecundum ſeriem Signorum. Pag. 18. lin. 22. etiam rectè locutus ſum: in directum nempe dicunt Aſtronomi quod ſecundum Seriem Signorum progreditur. Sic etiam pag. 19. lin. 12. & pag. 4. lin. 8. omnia rectè ſe habent: ſed neceſſe ut rectè accipiantur, ac attentè legantur. Reliqua ubi legi debet altus pro alto: Hyperbolica pro Ruperpolica; ſtatuunt pro ſtatuant, leviora ſunt, quàm ut de iis verba facere neceſſum ſit. At pag. 28. lin. 22. non pro *atque* legi debet *adque*, ſed pro *collum*, *collo* legatur. Sic & pag. 3. pro *Ortum vergentem* legatur *occaſum*, quam plagam reliqua verba ſubſequentia ſatis clarè indicant, tum lapſum eſſe calami. Verùm de his ſatis.

Hevelius erga Auctorem benevolus,

De cætero, rogo titulum Hiſtoriæ Cometicæ Eckſtormii mihi indices, vel potius ſi proſtat, eum auctorem mihi emas, pecuniam libenter reddam; mea enim intereſt eum legere. Imperiales illos 11$\frac{1}{2}$ nondum accepi, nec intellexi à quonam eos accipere debeam. Denique gratias habeo debitas pro communicatis quibuſdam Eruditorum Virorum literis, quos omnes velim quàm officioſè ſalutes. Has dum finio literas, poſteriores Tuæ die 25. Auguſti datæ mihi traduntur, teſtes priſtini amoris atque ſingularis affectûs Tui; quem quomodo demereri queam, ſanè neſcio.

In Kirſtenium gratus, Modeſtus,

Interea gratias habeo quas poſſum maximas & Tibi & Clariſſimo Domino Kirſtenio, inprimis quod Cometam ſuum, acutiſſimi ingenii ſui fœtum, nomini meo inſcribere, meque multis elogiis præter omne meritum exornare haud fuerit dedignatus, ut ſuo tempore fuſius declarabo, animo aliquantò à triſtitia liberiore. Interea officia mea ipſi deferas, meoque nomine prolixiſſimas ipſi agas gratias etiam atque etiam rogo.

Diſſenſum Bartholini à ſe miratur, adſenſum ſperat,

Clariſſimi Eraſmi Bartholini Cometam vidi, miror ſanè in illa quæſtione illum adhuc hæſitare; non dubito tamen quamprimùm obſervationes meas viderit, quin unicum tantùm Cometam in Corvo & Lepore habiturus ſit. Vale Vir Generoſiſſime, & condona triſtiſſimo animo adeò confuſè ad omnia tua reſpondenti.

Poſt ſcriptum.

De Prodromo Cometæ verni certiorem Auctorem reddit,

Dum obſignare volebam haſce, Tuas die 28. Aug. accipio, ad quas pariter breviſſimè reſpondeo. Obſervationes meas recentiorum Cometarum cum diſſertatione & deſcriptione, præſertim poſterioris Cometæ, quamprimum potero in lucem editurus ſum, opuſculum enim maximi eſt laboris.

** Ut & de Venere luci viſa.*

* Stellam, quam vid").

Reſpondet Buſmano apud Auctorem, Prædictiones Aſtrologicas parvi facit.

Clariſſimi Buſmanni hac vice reſpondere nequeo, ſed omnia illa in Cometographiam rejicio. Noviſſimum verò Cometam prænuncium fuiſſe novarum turbarum in Polonia, valde dubito. Quibus iterum iterumque valeas, omneſque amicos nobis benè cupientes ſalutes peto.

Hamburgi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Dantiſcum die 11. *Septembris Gregoriani* 1665.

N. 12. *ad* 10.

MInimè opus erat ut ſolicite ſilentium Tuum apud me excuſares, qui benè novi quantos labores in edenda Tua Cometographia aſſiduè ſubeas. Fateor tamen mihi longè gratiſſimum reſponſum Tuum exſtitiſſe, hoc ſolo ingratum, quòd triſtem de exceſſu chariſſimi & unici filioli Tui nuncium attulerit. Doleo ſanè & ego (dolebunt & omnes Amici Tui, hic & alibi agentes, poſtquam id acceperint) immaturâ filioli Tui morte, maturâ tamen, utpote vitæ datoris & rerum arbitri decreto ſancitâ. *Hujus voluntati ſubſumus, & eidem ſubmittamus nos per omnia oportet, ut gratiam ejus inexhauſtam ad tollenda & reparanda damna modeſtâ patientiâ provocemus. Meritò hùc referam illa Senecæ: ‡ *Sapiens ad omnem incurſum munitus & intentus, non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus & contra illa ibit & inter illa.* Ep. 59. tum & illa: *Non affligitur ſapiens liberorum amiſſione, non amicorum. Eodem enim animo fert illorum mortem quàm ſuam exſpectat* ep. 74. At quanto majori virtute, univerſum quoque mundum vincente, *induit nos Chriſtiana diſciplina, non tantùm ſolatiorum hîc in terra, ſed & æternorum gaudiorum in cælo conſequendorum monſtrans iter. Atque hoc Tibi ex amicitiæ & officii homini Chriſtiano convenientis ratione ſincerè precor. Doleo & damnum illud à piratis, maria hac tempeſtate infeſta habentibus, illatum, tanto plus quòd & publicum cum Tuo privato conjunctum ſit, deſideratiſſimi operis (talem enim Cometæ poſterioris Prodromum hic & ubique eſſe, certus eſto) editionem retardaturum. Obſervationum Tuarum utriuſque Cometæ editionem, quam ſeorſum nobis dare promittis, pariter cum ingenti deſiderio exſpectamus. Varia Te jam experiri hominum judicia non eſt quòd mireris. Nam

Dole malis alienis.

**Divinæ voluntati te in omnibus ſubmitte.*

Modeſtus eſto.

Patientiâ Dei miſericordiam invita.

‡ Sapiens nemo niſi patiens, ad omnia fortiter excipienda paratus.

Fortitudo Stoica Cedit Chriſtianæ.

**Piis data ſolatia in terra, eoſdem manent gaudia in cælo.*

- - quot capitum vivunt totidem ſtudiorum
Millia.

Judicia hominum ſunt varia, quin & ſtudia.

Atque hoc omnium ſeculorum teſtatur memoria. Ideoque Vir bonus & ſapiens, quem ex Seneca paulò ante deſcripſi, nequaquam invidiâ vel iniquitate aliorum, ſed nec ullo animi metu ambiguo ab honeſto propoſito abſterreri & vel dimoveri ſe patitur, quin potius deſtinatum forti & conſtanti carpit iter pede

Bonus Vir indefatigabilis, immobilis, invictus, imò victor eſt præmii certus.

- - - - - multa laborum
Præmia laturus.

Hoc etiam ad Te, Magne Heveli! refer, & in Te virtutis cultoribus, bono exemplo ad optima quæque & laudabilia excitandis, exhibe. Intrepido mentis corporiſque oculo adverſa præſentia, vel imminentia & minantia ſpecta, & omen quidem Deus prohibeat: Cæterum in ea & Tu natus es tempora, in quibus animum firmare expedit conſtantibus exemplis. Sed quod apud Te hîc dico, ad me quoque, invidiæ malevolorum expoſitum, & varia itidem judicia mox experturum, pertinere duco. Quis vero æquus neſcit vel fateri nolet cuique viro honeſto liberam non ſolùm mentem ſed & linguam, virtutis præſertim ſtudia commendantem, eſſe debere? Quòd mihi adeò modeſtè & placidè ad ea, quæ occaſione Prodromi Tui propoſueram, reſponderis, gratiſſimum eſt. Fateris enim quædam inter tot graviſſimos labores incogitanti Tibi excidiſſe, alia typographorum & correctorum incuriâ ſubrepſiſſe: quale & in me, vel meo Scriba (id enim rectè non memini, uter noſtrum illa exarârit) notas. Ita nos *labi & errare non ſolùm poſſe, ſed & debere*, ut dicit & docet alicubi Magnus in Republica literaria Vir J. Lipſius,

Fortitudine indue animum.

Firma animum conſtantibus exemplis.

Libera mens & lingua virtutis cultori convenit.

Errant Scriptores, ſcribæ, typographi.

Scimus & hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim.

Veniam mutuis erroribus debemus.

Fff Velle

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hiſtoriam Cometarum Auctor Hevelio gratulatur, & de ſuo inſtituto ejuſdem argumenti certiorem reddidit.

** Eckſtormii hiſtoria eclipſium Cometarum & Pareliorum.*

Velle Te Cometographiæ Tuæ Hiſtoriam Cometarum addere, valdè rei literariæ gratulor, quamvis idem argumentum ſim tractaturus, ut noſti. Niſi tot Amicis fidem in eo addixiſſem, lampada Tibi porrigerem. Sed noſti in juvanda re literaria tentandum & deſudandum eſſe omnibus pro virili: Nam rectè ille dixit: *Non omnia poſſumus omnes.* * Eckſtormius Hiſtorias Eclipſium, Cometarum & Pareliorum Helmæſt. Anno 1621. edidit. Libenter Tibi hunc librum comparabo, ſi potero. Cum Clariſſimo Kirſtenio Tuam epiſtolam hodie communicavi. Quod ad obſervationem Romanam & Franequeranam phœnomeni ad cingulum Andromedæ Boreal. attinet, gratias Tibi ampliſſimas ago de ſolido reſponſo. Hæc pauca quæ repono ad Tuas, hodie mihi redditas, è veſtigio & manu itidem feſtinâ, velim boni & æqui conſulas. Vale, feliciter age & fave conſtanter.

N. 22.

Hamburgo Dantiſcum die 15. Septembris 1665.

Auctor de nonnullis amplius Hevelium Prodromi occaſione conſulit.

INſigni mihique tot experimentis probatæ humanitati Tuæ confiſus, proximis literis ſubjicio majori cum cura deſcriptum Obſervationum noſtrarum ad Prodromum Tuum exemplar. Addidit mihi hic animum & modeſtia Tua, & erga me benevolentia, ac rei literariæ juvandæ ſtudium ſingulare, cujus nuperrimæ Tuæ literæ manifeſta præbent documenta. Quibus de cauſſis volo, ſi Tu id fieri velis, Prodromo Prodromi Tui, à me Italorum Amicorum cauſſa compoſito, addere pauca illa quæ in illo libro Tuo cenſes eſſe corrigenda. Hoc enim non tantùm de longè latèque celebrata clariſſimi nominis Tui famâ vel minimum decerpere non poterit, ſed ut magnam eruditionis, ita majorem modeſtiæ & ſtudii publicæ utilitatis laudem Tibi conciliabit. Adderem enim illa pauca, quæ Tibi tot ſtudiis cæleſtibus dies noctesque diſtracto & feſtinanti exciderunt, Te conſentiente & volente correcta eſſe: reliqua ſi quæ occurrerint, ab erudito & æquo lectore facilè corrigenda. Qualia & illa ſunt ad marginem in fine pag 52. & initio 53. poſita, *ex eo quod Cometæ ſunt corpora diſcea &c.* quæ ad proximum §. *Ideoque*, pertinent, & hîc poſita, illîc omittenda ſunt. Non amplius recordor, quid tunc p.4. lin.8. annotarim. Non enim hanc annotationem in meis tabulis reperio. Tu ſi id tanti eſſe judices, me monebis. Cometas novos literæ Neoburgenſes & Amſterodamenſes ferunt. Illîc enim viſa fuiſſe inſolita ſtella fertur, quam talem eſſe Curtius negat. Fortè Jovem vel Venerem, dum radii ejus per nubeculam oblongam & è regione aſtri viſuſque noſtri ſubjecta diſtenduntur, pro Cometis ducunt, quò eos & aliquot Cometarum viſorum experientia, & de pluribus ſparſa fama facilè inducere poteſt. Eckſtormii librum Tui cauſſâ heri quæſivi, ſed fruſtrà fui. Videbo an alia aliqua ratione eum Tibi comparare queam. Meretur enim iſtius Viri induſtria Tuæ adjungi eidemque famulari. Licet verò ille ſingulari diligentiâ annotet Cometas. Non tamen illum quadrimeſtrem Anni 380. annotavit. De quo quòd me certiorem reddideris, gratias Tibi ago debitas. Velim autem etiam reſpondeas de illo octimeſtri Cometa, quem in Ann. 375. ponis, cujus ego hanc durationem non poſſum apud Auctores, qui ad manum ſunt, invenire. At dixi inveniſſe me alium octimeſtrem Anno 975. Dic itaque verbo quæ de illo Tua ſit ſententia. Clariſſimus Kirſtenius intra octo dies ad nuptias ſecundas, utinam ſecundo omine! tranſibit. Clariſſimum Mullerum nudius tertius vidi & compellavi. Humaniſſimè Te ſalutat. Illam ſtellam, quæ ante paucos dies cælo ſereno viſa eſt, cor Leonis eſſe putabat. At dixi illam Tibi eſſe Venerem, quod etiam Eruditus ille Vir-Juvenis Syverus initiò affirmavit. Vale Vir Ampliſſime & Humaniſſime. Clariſſimum Büthnerum ſaluta, ſilentium diuturnum inter tot labores excuſa, vicem officii tamen ei promitte. Vivite felices memores & vivite noſtri.

Cometarum novorum fama orbem replet.

Stella Jovis vel Veneris facilè pro Cometa reputari poteſt.

Eckſtormii laus.

Kirſtenii ſecundæ nuptiæ.

Mullerus ſtellam luci viſam cor Leonis eſſe putat.

Dantiſco

Dantiſco Hamburgum die 30. Septembris 1665. — *N. 11. ad 21. & 22.*

CUm iterum verba facias de erroribus typographicis Prodromi Cometici corrigendis, volui ſententiam meam ſincerè dicere, me ſcilicet omnia corrigere velle in opuſculo meo primâ occaſione edendo: ubi omnia illa, quæ erronea ſunt, in catalogum referam. Interea cum compendium ex Prodromo confeceris, poteris in ipſo opuſculo, ſi meis planè verbis loquaris, re ipſa illa corrigere, quæ reverà corrigenda ſunt, utut talia ſint, quæ quilibet harum rerum gnarus primâ fronte ipſemet videt, tàm ex antecedentibus, quàm ex conſequentibus. Errores illos typographicos. E.g occaſum pro ortu; altus pro alto; 44° 20 pro 4° 1'; 5' 30" pro 5° 30; 26° 26 ♈ pro 16° 26 ♈; In frontiſpicio tabulæ poſt o ' pro ' "; hyperbolica pro Pyperbolica; ſtatuunt pro ſtatuant. Hæc inquam per me Tibi integrum erit in Tuo compendio re ipſa corrigere.

Corrigenda in Prodromo Heveliano ex ejus mente.

Quæcunque de novis Cometis narrant, nullo ſanè nituntur fundamento, cum præter binos etiam à Te conſpectos, nulli amplius hoc anno apparuerint. Cometa ille, qui per octo menſes fulſit, non Anno 375. ſed 975. extitit, id quod etiam corrigendum erit. Plura vide apud Lycoſthenem & Rockenbachium. Amicos omnes, inprimis Clariſſimum Dominum Kirſtenium & Clariſſimum Dominum Mullerum, quàm officioſiſſimè ſaluta, quibus quamprimùm tantùm à laboribus ſuſceptis longè graviſſimis paullulùm reſpiravero, reſponſurus ſum. Vale & fave.

Cometæ tantùm duo hoc anno 1665. viſi.

Cometa octimeſtris Anno Chriſti 975. non 375. apparuit.

Hamburgo Dantiſcum die 6. Octobris Gregoriani 1665. — *N. 23. ad 11.*

REm gratam mihi literis Tuis poſtremis die 30. Septembris datis, hodie verò huc perlatis feciſti, quòd mentem Tuam de erroribus, qui in Prodromum Cometicum irrepſerunt, declaraſti, Te nimirum velle eos in opuſculo Tuo brevi edendo ſummatim recenſere. Ego certè nunquam rem tàm delicatam tetigiſſem, ni ipſa Tua humanitas modeſta, bonique publici ſtudioſa, eam mihi in manus porrexiſſet, & ita quidem ut Amicorum judicia exquirerem. Cum vero etiam Prodromum Tuum Te conſentiente in compendium redegerim, tantò libentius de his Te conſului. * Itaque qui didici nil contra æquitatem & amici voluntatem facere, non plus in eo quàm permittis faciam. Librum verò illum Tuum cum deſiderio unà cum omnibus Amicis benèque Tibi cupientibus exſpecto. Rudbeckianam de Cometis commentationem cum XI. figuris, quarum duæ deſunt, per Nobiliſſimum & Humaniſſimum Heinſium nuper accepi. Ibi quoque, ut & ubique meritam laudem feres. Clariſſimo Büthnero plurimam ſalutem adſcribo, utcunque per Te meo in illum officio perfungens. Quamprimùm me, Deo juvante, aliis laboribus expedivero, ad binas ejus humaniſſimas literas ritè reſpondebo. Nec Rockenbachium pro me, nec Eckſtormium pro Te, utrumque ſollicitè quæſitum, invenire hîc poſſum. Vale & conſtanter fave.

Hevelii humanitas & modeſtia Auctorem ad illa dubia ex Prodromo cum Amicis proponenda invitavit.

** Æquitatem para & tuêre amicitiam.*

Rudbeckii commentarius de Cometis & figuræ.

Hamburgo Dantiſcum die 7. Novembris S.V. 1665. — *N. 24.*

CUm uterque noſtrûm aſſiduis laboribus diſtringamur, æquam veniam mutuo dabimus ſilentio. Ego me in Tuis rationibus, ut puto, omni ære alieno liberavi, vicem reſponſi abs Te exſpectans, tùm & nuncium de Prodromo Cometico ſecundo, ſive altero illo opere, quod ad vindicandam Tuam ſententiam Clariſſimo Auzutio opponere paras. Hujus amicitiam Clariſſimus Bullialdus mihi conciliavit, ita ut mihi illas ſuas Ephemerides Cometicas miſerit. Ego hoſtimenti loco miſi ei Tuum Prodromum, quem habuit acceptiſſimum. Confidenter in ſuis ad me literis de ſententia ſua loquitur, Tuumque

Æquitate fove amicitiam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Famam bonum tuêre. Amicitiam illæſam ſerva. Veritati cede. Controverſias amicorum compone. Amici uſibus conſule, votis obſequere. Cometa an autumno apparuit.

opus avidiſſimè ſe exſpectare, teſtatur. Integrum erit utrique veſtrûm opinionem & exiſtimationem veſtram cordatè, ut veritas obtineat, illæſâ amicitiâ tueri. Ego, ſi quis apud Vos meis precibus locus dari poteſt, velim hanc controverſiam amicè, Clariſſimi Hugenii & Bullialdi, vel etiam aliorum communium amicorum, reique Mathematicæ apprimè peritorum operâ, componi. Quâ in re ego omne quod juſſeris faciam, ut & omnia, quæ Tibi grata fore cognovero. Scio enim hanc eſſe amicitiæ legem, uſibus amici conſulere & votis obſequi. Clariſſimus Iſaacus Gruterus nuper me certiorem fecit, Prodromum Tuum è typographeo Janſſoniano cum quibuſdam neſcio cujus annotationibus prodiiſſe. Scripſi ad illum, ut me plenius de hac re edoceat. Novum Cometem menſe Septembri apparuiſſe, negat Curtius, Schottus, Buſmannus, quod ex eorum literis habeo. Sed Rudbeckius adfirmat, locumque ei nuper exeunte Octobre Juliano in Andromeda aſſignavit, qua de re Heinſianæ literæ, nuper ad Te per nautam miſſæ, Te docebunt. Fac, Vir Amiciſſime! ſciam quid de hoc apud animum tuum ſtatueris, & an opus Tuum contra Auzutium perfectum ſit, quod videre quamprimùm geſtio. Certus porrò eſto, me Tuis magnis & præclaris meritis teſtimonium dignum ubique dare, quotieſcunque res fert. Vale diu & feliciter.

N. 12. ad 23. & 24.

Dantiſco Hamburgum die 28. Novembris 1665.

Hevelius in amicos officioſus ſilentium excuſat. De opere rationum & obſervationum Cometicarum difficili ejuſque editione Auctorem certiorem reddit:

CUm nullum prægnans argumentem hactenus habuerim, à quo tuas poſteriores die 6 Octobris datas obtinuerim, lubens hucuſque ſcriptionem hanc meam differre volui, non ignorans, Te aliis multis graviſſimis negotiis nullo non tempore eſſe diſtrictum, ſic ut nefas eſſe duxerim otioſis literis Te interpellare; præprimis cùm & ego non minùs occupatiſſimus fuerim opuſculo meo, quod ſub manibus verſatur. Nam ob fuſiſſimum calculum, maximum mihi faceſſivit laborem; quem autem, Deo favente, ferè jam exantlavi. Spero, ſi Altiſſimo ità porrò viſum fuerit, me poſt Feſtum Epiphan. typis Tractatum iſtum commiſſurum. Quo in ſtatu tuum verſetur opus libenter itidem cognoſcerem. Videmus quantùm temporis requiratur ad quædam typis evulganda, ne dicam conſcribenda, præſertim ſi innumeris numeris omnia prius elicienda & conquirenda ſunt. Hæc dum ſcribo literæ tuæ die 17. Novembris ſcriptæ mihi traduntur, ad quas nunc ſimul reſpondebo. Gaudeo quòd amicitiam contraxeris cum Clariſſimo Domino Auzotio, quem profectò ob vividum ſuum ingenium, atque raram rerum Aſtronomicarum atque Opticarum experientiam, inter maximos quoſque hujus ſeculi Viros repono. Atque idcirco non eſt quod verearis, etiamſi aliqua magni momenti quæſtio inter nos verſetur, ratione prioris Cometæ, amicitiam exinde poſſe obnubilari, ſed potius tibi perſuadeas velim, affectum reciprocum eâ ratione poſſe magis magiſque confirmari, ſi quod ſentiam candidè & apertè, pari modo, ut ipſe Auzotius fecit, humaniter tamen & decenter, veritatis unicè gratiâ, in medium proferam. Operæ enim pretium eſt, ut & ego audiar, reſque ab utraque parte diſcuriatur, examinetur. Atque tùm facilè controverſia illa componetur. Non vereor ipſi Domino Auzotio, aliiſque Viris Eruditis rem totam dijudicandam committere. * Cumprimis manifeſtum fiet, an hallucinatus fuerim in motu diurno circa exitum Januarii & initium Februarii? ut pag. 8. ſuarum literarum meminit, tùm circa magnitudinem faciemque, an aliquid alieni exhibuerim? Quorſum autem die 12. & 14 Februarii, quo nudis oculis atque debitis organis, Sextantibus ſcilicet & Quadrantibus obſervari à nobis deſiit, utrum ad primam an verò ad ſecundam Arietis ſtellam viam perrexerit, tàm ex Dn. Auzotii quàm meis obſervationibus, inter ſe exquiſitè poſtmodum collatis, unicuique ſatis evidenter ſuo tempore patebit. Si Prodromus meus Cometicus denuò Amſterodami prodierit, rogo ut primâ occaſione mihi unicum exemplar compares, atque tranſmittas,

Eidem de amicitia Auzutii gratulatur, hunc laudat. Illæſâ amicitiâ diſcrimen illud fore aſſerit. Sua ſe decenter propoſiturum & judicio doctorum ſubmiſſarum promittit. Amicè hanc controverſiam compoſitum iri ſperat.

** Controverſiæ ſtatus inter Hevelium & Auzutium de motu Cometæ hyemalis, ejuſque exitu.*

† Hevelius Prodromi ſui editionem ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mittas, quò videam quid commentaria illa ſibi velint, & quiſnam illius rei auctor ſit. Miror ſanè, quòd me inſcio id tentaverint. Clariſſimi Rudbeckii Commentarium parirer nondum vidi. Vellem tamen eum quantocius legere. Novus autem iſte Cometa, quem dictus Auctor in Andromedam refert, nonniſi eſt ſtella illa nebuloſa in ejus cingulo: quæ tamen inter Cometas nullo jure refertur. Heinſianas literas, quas promittis, necdum accepi: quid cauſæ ſit, ignoro. Vale, diuque & feliciter vive.

cundam ſe inſcio factam miratur.

Quamprimùm Rudbeckii Commentarium de Cometis videre cupit.

Novum Cometam auctumnalem ſtellam nebuloſam in Andromedæ cingulo eſſe affirmat.

Hamburgo Dantiſcum die 28. Novemb. Juliani 1665.

N. 25. ad 12.

MInimè miror ſilentium tuum. Tantò verò magis hoc excuſatione dignum eſt, quòd & argumentum ſcribendi defuerit, & Tibi tot moleſtæ & longæ computandæ & componendæ rationes fuerint. Gratulor Tibi librum Te Tuum, omnium votis expetitum, nobis & publico, ferè pro ſtrena daturum. Id ego, ſi vel maximè vellem, præſtare non potero, ob inſignem Operis molem. Hanc ut argumenti diverſitas, & communicantium non illiberalis copia, nec parca induſtria bono publico attulit: ita & apud æquos rerum æſtimatores & bonarum artium amantes, ut ſpero, excuſabit, vel etiam commendabit. Tu quâ es humanitate, fac ut Tuum librum quamprimùm perfectus fuerit, accipiamus. Promtam pariter officii vicem à me præſtolare. Gratum mihi quoque fuit ex Te intelligere, vere me Clar. Auzutio, Hugenio aliiſque Amicis de Tua modeſtia & æquitate pollicitum eſſe. Macte eximiâ tàm raræ exulcerato hoc ſeculo virtutis gloriâ & ingenio, Heveli, excellentiſſime cæli interpres! Mea ſi quid valet hîc opera, ea Tuis votis & ſtudiis omni ex parte dicata eſt. De exemplo Prodromi Tui à Janſonio, ut accepi, editi, libenter Tibi gratificabor, poſteaquam ejus copia mihi facta fuerit. Scripſi tunc eâ de re ad Amicum. Sed nil reſponſi ab eo uſque adhuc accepi. Crede mihi non parùm nobis in commercio literarum, aliiſque liberalibus inſtitutis belli Monaſterienſis iniquitas incommodavit. De qua & ego queri debeo. Scribo itaque de eadem re ad alium amicum, ut voto potiâre tuo, ſi illi rumori conſtat fides, ſæpè alias affecta & afflicta. Interim ego ſtrenæ loco deſtinavi tria Prodromi à Te editi exempla, Almæ Academiæ Hafnienſi, & Clariſſimis Bartholinis Thomæ & Eraſmio: quorum ille Conſilio ſuo Medico de Cometis ſuâ ſponte, & ſupra meritum quidem meum, de me me benè meritus eſt, ut noſti. In his enim terris, ubi nullus ſuſpicioni vel invidiæ locus eſt, gentilitium, non à ſtemmate mutuatum gero nomen, quod ex Nobiliſſimo Pelſio jam diu cognôris. Nuncius de novo Cometa non confirmatur aliunde. Nec ego ex eo tempore quidquam à Clar. Rudbeckio per Nobiliſſimum Heinſium, imò nec ab illo ipſo (quod miror, utpote ejus eximiæ benevolentiæ & in colendis literarum commerciis amicitiæque juribus diligentiæ, quam Rautenſteinianæ ſupparem meritò dixerò, contrarium) magis 15. abhinc diebus accepi. Tu verò quòd nondum illas, quarum ego prænuncius fui, acceperis, miror: Sed memini me Tibi ſcribere, Clariſſimum Heinſium ſuas ad Te deferendas nautæ cuidam tradidiſſe. Noſti autem hoc hominum genus ferri navi, quæ ſæpe ventis ludibium debet, ac ferre fidem, quæ itidem ſæpius par levibus ventis, promiſſa in ludibria vertit. Ego Heinſium eâ de re hodie monebo. Tu verò an ille nauta ludificans vel ludificatus dici mereatur, quamprimùm nuncia. Rudbeckii, ſcriptum ſat curioſum & longum, ad Heinſium pertinet, & à me illius ſolertiæ benevolentiæque debetur. Itaque cum nullum in mora periculum eſſe exiſtimem, de eo commentario Tecum communicando ad eum hodie retuli. Alioqui libenter occaſionem iſtam benè de Te & publico merendi, ſi res mihi integra foret, arriperem. Spero enim Te non pauca illic inventurum, quæ ſingularem Tuam provocabunt ſagacitatem & cœleſtem induſtriam, magno rei Mathematicæ totiuſque literariæ emolumento. Ut autem, quantoperè præclari nominis Tui famæ conſultum eam, teſter, cuncta illa

Computationes Aſtronomicæ ſunt perdifficiles.

Auctor tardam operis editionem mole excuſat.

Hanc varietate grata & utili commendat.

Hevelii modeſtia & æquitas laudatur.

Modeſtia hoc ſeculo rara eſt.

Bellum literarum cultoribus adverſum eſt.

Heveliani Prodromi exempla Auctor dono mittit Amicis.

Bartholinus Thomas Conſilio Medico de Cometis ſuam ad Auctorem epiſtolam adjunxit.

Heinſiana in colendis literarum commerciis diligentia.

Rautenſteinianæ diligentiæ Heinſiana ſuppar.

Rudbeckianum ſcriptum Auctor ſe ſtatim Hevelio mittere non poſſe affirmat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Prodromi Heveliani exempla Auctor inter amicos distribuit.
Auctoris ſententia de phænomeno Romano fert non eſſe Cometam.
Hevelius alter Hipparchus.
Auctoris erga Hevelium benevolentia ad omnia officia præſtanda eſt promta.

illa Prodromi Tui exempla cum debitâ commendatione Amicis & Fautoribus dono ſero, ita ut etiam unum in Novo-Chilonienſi Parnaſſo, meæ in illum juxtà & Te obſervantiæ & benevolentiæ monumentum, deponere ad me retulerim & apud me decreverim. Stellam illam in cingulo Andromedæ, quam indicas, non dubito eandem eſſe cum illa, quæ Romæ & Franequeræ obſervata pro Cometa habita eſt. Poſtquam hucuſque literas iſtas ſcripſi, accipio literas à D. Buſmanno, die 24. Nov. S. V. Hannoveræ datas, longe eruditiſſimas mihique gratiſſimas, de argumento haud levi, quod explicandum ipſi propoſui, de ætate ſcilicet illius Magni Aſtronomi Hipparchi, ad cujus gloriæ ſocietatem Te, Magne Heveli, conſentiens orbis literarii judicium admiſit: tùm de ætate Mithridatis Magni, nec non de Cometis circà mortem Ludovici Pii. Alioqui de nuperis Cometis nihil epiſtola ejus habet. Accipio & Heinſianas pariter longè acceptiſſimas die $\frac{15}{25}$. Nov. datas, errore quodam, qui in curandis literis noſtris ſæpè committitur, ſerius juſto mihi redditas. Sed nec illla Cometici argumenti quidquam continet, quod alias ad Te perſcribere non negligerem. Clariſſimo Büthnero, cui ſalutem adſcribo, ſi velit aliquid ex Tuo Rochembachio mei cauſſâ excerpere, dabis, quæ Tua eſt humanitas, hujus libri copiam. Literas Tuas Clariſſimo Kirſtenio ſtatim reddi curavi. Quàm gratæ illi Tuæ fuerint, vel ex eo apparet, quòd aliquot exempla Poëmatis ſui Cometici Tibi inſcripti mihi miſerit, Amicis dono mittenda. Vale & mihi conſtanter fave.

N. 26. *Hamburgo Dantiſcum die 19. Jan. Juliani 1666.*

Silentium diuturnum Auctor apud Hevelium excuſat.
Novi anni felix auſpicium amici amicis precari ſolent.
Æquo animo accipe quæ à candore amici proficiſcuntur.
Impedimenta varia objiciuntur edere aliquid volentibus.

EXierunt duo menſes, ex quo nil ad Te literarum dedi. Tùm quòd exſpectarem reſponſionem ad meas ultimas: tùm quòd nimiùm eſſem occupatus, idquè aſſiduò: tùm deniquè quòd nil magnæ rei ſcribendum haberem. Ita nec novi anni felix auſpicium, & continuatam in plures annos valetudinis & ſucceſſuum proſperitatem Tibi de more precatus ſum epiſtolâ ad Te ſcriptâ. Feci tamen id corde & literis ad communes Amicos Nobiliſſimum Pelſium & Doctiſſimum Büthnerum ſcriptis. Facio & nunc antequam Januarius Gregorianus prætereat. Tu, quâ es eximiâ humanitate & æquitate, cuncta quæ à manu candida veniunt, boni & æqui conſule. Magnum profectò deſiderium tenet nos Tui Prodromi ſecundi, & ſyntagmatis rationum & Obſervationum Cometicarum. Sperabamus enim Te nobis iſta, imò & Cometographiam ipſam, pro ſtrena daturum fuiſſe. At nihil horum comparet. Verum enimverò ipſe demùm experior, quàm gravia impedimenta objiciantur aliquid publico committere volentibus. Tantò magis ſi quid arduum & ingens ſit, quale tuum opus eſt. Sed nec meum leve & facile eſt: idquè horis tantùm ſuccíſivis (nam meliores vitæ tuendæ cura & officii ratio ſibi vendicat) peragendum. Quo loco ſint opera Tua, fac ut ſciam. Amici apud Batavos in meo opere urgendo pergunt. Figurarum æri cum debita cura incidendarum haud exigua copia, nec parva libri moles juſtum tempus requirit. De Commentario Rudbeckiano nondum Tibi gratificari potui. Cum enim ante tres hebdomades per Ornatiſſimum Juvenem Ambroſium Cariſium, Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri Petri Cariſii, Legati apud Fœderatos Belgas pro Sereniſſimo Danorum Rege Reſidentis, filium apographum ejus in Bataviam mittere decreverim, nolui autographum ſimul caſibus itinerum, hâc præſertim tempeſtate, exponere. Sed cùm is iter de die in diem differre neceſſe habeat, ego id officii ergà Te differendum diutius non ratus, ſcriptum hoc & ipſam Rudbeckii manum Tibi mitto. Votis enim Tuis Humaniſſimus Heinſius, conſenſit. Speramus non parùm utilitatis inde redundaturum in publicum, poſtquam hanc commentationem curioſam expenderis. Heinſius optaret figuras Te Rudbeckianas ſimul habere poſſe. Sed has menſe Novembri in Hollandiam miſi. Quamprimum autem inde eas habere potero, etiam non perfecto opere, nec aliis figuris ſculptis, libentèr eas ad Te mittam, ut ſtudiis

Cariſius pater & filius.

Rudbeckianum autographum Auctor Hevelio mittit.

Tuis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tuis & uſibus publicis conſulam. * Hiemalem Cometam fama vulgare non deſtitit. Imò verò ei locum in plaga Orientali, curſum Septentrionem verſus, tempus horam quintam matutinam aſſignavit. Sed artis periti nihil de eo hic vel alibi, quod ſciam, obſervarunt. Fecit me nuper Humaniſſimus Büthnerus certiorem, voluiſſe Te ei meâ gratiâ Rockenbachii Tui copiam facere, ſed illum ex ſuo exemplari ea jam tunc deſcribi curaſſe, quæ ab eo poſtulaveram. Ego nihilominus gratias Tibi de hæc promta benevolentia ago. Vale quàm diutiſſimè & quàm feliciſſimè.

Utilitatibus publicis ſtudet.
** Cometam hyeme 1666. apparuiſſe fertur.*
Gratus officii & promtæ benevolentiæ eſto.

Dantiſco Hamburgum die 13. *Febr.* 1666. *N.* 13. *ad* 25. & 26.

QUantò rariùs amicos nunc litteris compello, tantò diligentiùs ea, quæ præ manibus habeo, curo; ſed utut omne tempus, quod reliquum tantùm ab aliis occupationibus tàm publicis quàm privatis fuit, illis negotiis ac ſtudiis hactenus tribuerim, neutiquam tamen citius deſcriptionem meam poſterioris Cometæ, cum Mantiſſâ Prodromi ad umbilicum omnino perducere potui: quippe non ſolum opuſculum hocce ſub manibus, præter opinionem excrevit, ſed etiam maximi fuit laboris, tantum prolixiſſimum expedire calculum, ut ſuo tempore videbis. Jam verò gratiâ divinâ euſque ſum progreſſus, ut poſt paucos dies, dummodò gratiſſimas quaſdam occupationes, quæ ſeſe noviſſime, ob recens natam mihi filiolam, obtulerunt, expedivero, prælo illud ſum commiſſurus: nihilominus tamen menſes aliquot excurrent, priuſquam typis, uti optimè noſti, penitùs exſcribi, atque Icones manu meâ æri incidi poſſint. Interea iterum iterumque literatos omnes rogo vehementer, ut judicium de illis controverſiis inter Dn. Auzoutium & me exortis, euſque ſuſpendant, quò eò accuratius poſtmodum rem iſtam decernere poſſint. Pro Commentario Rudbeckiano magnas tibi habeo gratias; oculo fugitivo tantùm adhuc illum perluſtravi: video tamen ingenioſè ac accuratè conſcripta eſſe omnia, multaſque prægnantes quæſtiones moviſſe: de quibus autem, ut mihi videor, penè omnibus in Cometographia aliiſque ſcriptis meis, ſi non omninò ex compoſito, implicitè tamen paſſim nobis jam ſermo fuit. De Parallaxibus verò inveſtigandis beneficio altitudinum Meridianarum in diverſis terræ regionibus, planè aliter ſentio, eas nimirum multò certius, aliis diverſis rationibus, etiam ab uno obſervatore, explorari poſſe, de quibus autem hâc vice plura dicere nequeo. Nullum Cometam poſt illum menſe Aprili in cælo apparuiſſe, pro certo habeas velim, quicquid etiam ſentiant alii. † Puto tamen nonnullos phœnomenon illud ad cingulum Andromedæ, quod hactenus & adhucdum, ex Oriente, ſingulis diebus Septentrionem verſus motu ſcilicet diurno proficiſcitur, arripuiſſe. * A Clariſſimo Eraſmo Bartholino, prævia ſalute, explores velim; an exemplar illud Prodromi, per Dn. Pelzium ipſi jam olim tranſmiſſum, acceperit? tùm quo in ſtatu verſentur Obſervationes Tychonis, quas avidiſſimè exſpectat orbis Aſtronomicus. Literas Celeberrimi Heinſii tandem accepi, ad quas etiam proximo tabellario reſponſurus. § De illis phœnomenis nuper Romæ in Jove; † umbrâ ſcilicet Jovialium, atque peculiari maculâ in ipſo corpore Jovis obviâ, ‡ ex quâ motus hujus Planetæ circa axem periodicus accuratè ſtabilitur à Joſepho Campani, nec non eximio Caſſino detectis, ac quibuſdam epiſtolis ſatis fuſè deſcriptis, Romæque editis Menſe Octobris & Novembris, non dubito quin jam perceperis. * Ad quam maculam videndam Clariſſimus Hugenius itidem tubum præparat longiſſimum. Vale literarum egregie cultor, omneſque amicos ſaluta, inprimis vero Clariſſimum Mullerum roges velim, ne meum diuturnum ſilentium ſequius interpretetur.

Silentium ſuum Hevelius pariter excuſat continuis laboribus.
Cometæ poſterioris deſcriptionem cum mantiſſa Prodromi Hevelius brevi promittit.
Hevelius nova prole auctus:
Rogat Viros doctos ut judicia de controverſia inter ſe & Auzutium ortâ ſuſpendant:
De Commentario Rudbeckiano gratias agit & judicium fert.
Ab Rudbeckio de ratione inveſtigandarum parallaxeωn diſſentit:
Nullum Cometam poſt Vernum apparuiſſe affirmat:
† Originem illius erroris in phœnomeno ad cingulum Andromedæ demonſtrat:
** Ab Eraſmio Bartholino an exemplum Prodromi ſui Cometici dono miſſum acceperit, & quo loco obſervationes Tychonis ſint, quærit.*
§ De phænomenis & obſervationibus Romanis auctorem certiorem facit, maculam Jo-

† *Jovialium ſtellarum umbræ, & macula in ipſo Jove.* ‡ *Motus Jovis circa axem periodicus.* * *Hugenius ad Jovis videndam tubum præparat longiſſimum.*

Hamburgo

N. 27.
ad 13.

Silentium amici [illegible] Tibi moleſtum publicè utile fore cogita.
** Gratulare amico de [illegible] & benè ei precare.*

Hamburgo Dantiſcum die 26. Februarii 1666.

NUllum eſt dubium Tuum ſilentium eſſe diligentiæ, quam perficiendo operi tàm benè inchoato impendis, documentum. Gratulamur Te nobis brevi Cometæ poſterioris Prodromum daturum, cum Tibi hujus conſilii auctores extiterimus, *tum verò etiam Te nuper filiola auctum eſſe. Simul autem optamus, ut & filiolæ iſti, à matre rubenti, & puerperæ Tuæ, Tibique ipſi omnia ex voto eveniant. Si ſcire licet, quot figuras obſervationum Cometæ poſterioris nobis in Prodromo ſis daturus, libenter id ex Te cognoſcam. Scripſi ad Amicos, Viros rei Aſtronomicæ gnaros, Te optare, ut judicia ſua de hac, quæ Tibi cum D. Auzutio intercedit, controverſia tantiſper ſuſpendant, uſque quò liber Tuus prodierit. Nec dubito eos hac æquitate erga Te uſuros. Rudbeckiana Tibi placuiſſe gaudeo. Figuræ ejus jam æri apud Batavos inciduntur. Cui labori aliquot menſes dandi erunt; ſed & reliquis, nempe recognitioni communicatorum inter me & amicos, tum proſequendæ Hiſtoriæ Cometicæ. Novum Cometam Clariſſimus Rudbeckius nondum aſſeruit. Necdum quidquam Heinſiana induſtria ab eo obtinuit, quod ad fidem dicto præſtandum faciat. Tu verò quod ſententiam tuam toties affirmes, à me nomine Amicorum hîc degentium gratias debitas accipe. Illas epiſtolas Italicas, quæ Jovis orbem exploratum dant, non vidi. De Campani tamen obſervatione & organo præſtantiſſimo, quod jam antea aliquid cognoverim, Kircherianæ benevolentiæ debeo: ſicut Schottianæ Doctiſſimum Ricciolum vivere, & editâ Geographiâ & Aſtronomiâ reformatâ, Chronologiam quoque reformatam nobis dare velle, imò brevi daturum eſſe. Ad Clariſſimum Eraſmium Bartholinum proximè, volente Deo, ſcribam, & monebo de illis obſervationibus Tychonis, quas Tu, alter Tycho, jurè meritoque urges. Vale diu & feliciter.

Amicos inter de aliqua re diſputantes æquitatem mediam adhibe.
Rudbeckius Cometam novum non aſſerit.
Campani obſervatio & teleſcopion eximium.
Hevelius, alter Tycho, in Tychonis obſervationes inquirit.

N. 28.

Hamburgo Dantiſcum die 2. Aprilis Gregoriani 1666.

CUm paulò ante & nuperrimè denuo per literas Nobiliſſimi Heinſii edoctus ſim, Clariſſimum Rudbeckium Tuæ tandem acceſſiſſe de illo phænomeno in Andromeda obſervato, ab eo pro novo Cometa habito, ſententiæ, mei officii eſſe duxi, Te hac de re facere certiorem. Qua occaſione ex Te, niſi ſit moleſtum, libenter diſcam ſitne id quippiam Cometæ cognatum, vel affine, nec ne? Tum, an ulla ignita impreſſio ſive trajectio (quas meteora eſſe, & in aëre fieri conſtat) Cometa dici poſſit, ſi aliquantum duret? Nam Cometas quoſdam ſublunares & aëreos dari, multi eorum, qui eos cælo intulerunt, ac Tibi noti ſunt, inter quos & communis noſter amicus Ricciolus eſt, concedunt. Atque Te ipſum eò propendere animadverto, ſi quid hîc video. Adhæc Keckermanus olim veſter, & Petrus Creuſter Aſtronomus, hora tantùm $1\frac{1}{2}$ duraſſe Cometam Anno 1527. ajunt. Joannes Schulerus autem Profeſſor Bredanus, qui vivit, ac nuper admodum Cometologiam ſuam, quam Te vidiſſe arbitror, doctam ſanè, ſed tamen Cometis iniquam, & ſecundùm Aſtrologica placita factam edidit, Tuæ accedens aliorumque ſententiæ, Cometas ſcilicet ex corporum cæleſtium exhalationibus ſive effluviis generari, eoſdem Meteora ætherea appellat. Ad hæc, Clariſſime Heveli, duobus tribuſve verbis velim reſpondeas. En verò Tibi, ne ſine ſymbola Te conveniam, obſervationes ſtellæ illius in Ceto miræ, quam Tu præclaro opere illuſtraſti. Has in urbe iſta * Eruditus & induſtriâ perinſignis Vir ille Juvenis Henricus Sivers, ſicut antehac, ita & nuper admodum menſe Februarii factas mecum communicavit, eo fine, ut ad Te has mitterem. Cum verò proximo die Martis tardius eas acceperim, propterea nec meas iſtas literas ad Te deſtinatas mittere tunc poteram. Noctuas quidem Athenas, qui hæc ad Te mitto. Sed dabis id meo in Te can-

Rudbeckius Hevelio aſſentit de phænomeno in Andromeda viſo.
Trajectio an Cometa ſublunaris dici poſſit, ſi aliquamdiu duret.
Cometæ aërei dantur.
Cometæ breviſſima duratio vix horam excedit.
Joan. Schulerus laudatur: De ejus Cometologia judicium,
Aſſentit Hevelio de Cometarum generatione.
Stellæ in ceto miræ obſervationes Siverianæ.
*Vid. hæc in communicat. Siveriana.
Hevelius in re Aſtronomica maximi fit ab Auctore.

dori,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dori, in bonas literas ſtudio. Adultarum & concubiarum, imò & *inſomnium magis*, ut cum Tacito loquar, *quam pervigilium* Tuarum noctium obſervationes, magno præſtantiſſimorum inſtrumentorum apparatu ſubnixæ, pluria ejuſdem generis dabunt. Sed Tu, ſat benè ſcio, alienos labores acceptos habes, nec Tuæ vel ſcientiæ vel diligentiæ imitamenta aſpernaris, ne qui Te ſuſpiciunt eos deſpexiſſe videâre. Vale.

Hevelii æquitas & modeſtia.

Hamburgo Dantiſcum die 16. *April.* 1666. *N.* 29.

NOn diu Te nunc morabor, ſed potius paucis me expediam. Nam & Te ſcio, & me fateor aſſiduò eſſe occupatum. Ideo neque nunc Tuas curas & operas turbarem, niſi hæc, quæ ad Te pertinent, à Clariſſimo Viro Iſaaco Grutero haud ita pridem accepiſſem. Sunt verò iſta mihi reddita ſimul, licet diverſis temporibus ſcripta. Si quid typographo illi indicari velis, me mone. Ego dabo operam, ut id per Amicum fiat. En Tibi quæ nuper ad Clariſſimum Bullialdum amicum communem de Cometis circa mortem Ludovici Pii viſis, dedi in tabellis, ut res planior redderetur, propoſita. De his velim ſententiam Tuam brevibus dicas. Cum autem illum Cometam anno Chriſti 837. in Virgine viſum Auctor quidem vitæ Ludovici Pii, non more Planetarum in Orientem perrexiſſe dicat, Aventinus verò ei contradicat, velim verbo hîc quoque ſententiam Tuam indices. Vale & age feliciter, ac fave conſtanter.

Gruterus de Prodromo Heveliano apud Batavos denuò edendo ad Auctorem ſcribit.

Contradictio inter auctores de uno Eodemque Cometa anni 837.

Dantiſco Hamburgum die 17. *Aprilis* 1666. *N.* 14. *ad* 27. *&* 28.

DEſcriptio mea poſterioris Cometæ, nec non Mantiſſa Prodromi Cometici jam ſub prælo ſerio ſervet: quamprimùm typis penitùs exſcripta erit, quod ultimo Maji fieri poſſe, Deo annuente, ſpero, Vobis quantocius tranſmittam. Hucuſque computando, ac conſcribendo hocce opuſculo ſatis mihi fuit negotii; nunc Iconiſmos æri incidendos, quorum quinque ſunt, aggredior. Phœnomenum illud ad Cingulum Andromedæ, pro nullo Cometa, ſed tantùm pro ſtella quapiam nebuloſa haberi poteſt, quanquam diverſam faciem ab aliis nebuloſis exhibet: de qua in opuſculo meo aliquantò plenius dicendum erit. Nulla aërea impreſſio, ſive trajectio, etiamſi aliquantiſper duret, tum caudam inſtar Paraſelenarum ac Pareliorum eſt, referat, poteſt dici Cometa. Non ignoro quidem plurimos inveniri, utpote Ricciolum, alioſque, qui nonnullos aëreos Cometas nonnunquam dari, ſtatuunt, ſed ego planè aliter ſentio, nullum videlicet genuinum Cometam in aëre generari, ac toto durationis tempore ibidem ſubſiſtere. Sæpius quidem largior, plurimos per aërem noſtrum ſublunarem trajicere, ſed brevi tantum temporis ſpatio in eo commorari poſſe, prout plurimis exemplis, Cometâ nempe 1472, 1618, 1652, aliiſque demonſtrari poſſet; ſed de his in Cometographia pleniùs. Sic ut minimè eò propendeam dari Cometas etiam aëreos, ſed merè æthereos, ex materia ut plurimùm ætherea prognatos; atque ſic non æterna, ut plurimi hoc noſtro ævo exiſtimant, ſed temporanea eſſe corpora, ac nullâ ratione, certâ periodo redeuntia. An phœnomenum iſtud, cujus Keckermannus & P. Creüſter meminit, genuinus fuerit Cometa valdè dubito, cum nullis probis obſervationibus & rationibus unquam potuerit probari. Dictus Keckermannus alioquin omnes Cometas aëreos eſſe voluit; purus enim putus Philoſophus Peripateticus fuit, ut probè noſti. Schuleri Cometologiam non vidi: ſi Hamburgi proſtet, ut eam emas, ac per Lubecam, datâ occaſione mihi tranſmittas; humaniſſimè peto, pecuniam lubentiſſimè quantocius reſtituam. Pro Obſervationibus iſtis miræ ſtellæ in collo Ceti, Clariſſimi Henrici Syverſi, quem meo nomine ſalutes rogo, gratias habeo debitas: optimè meis obſervationibus in Hiſtoriola mea hujus ſtellæ exhibitis, reſpondent.

Hevelius poſterioris Cometæ deſcriptionem & Prodromi Cometici Mantiſſam brevi ſe daturum promittit.

Phænomenon illud in Andromeda pro Cometa non habendum.

Trajectio nulla, etſi aliquandiu duret, & caudam præ ſe ferat, pro Cometa habenda.

Cometas ullos in aëre dari Ricciolus & alii ſtatuunt; Hevelius negat:

Multos tamen per aërem noſtrum trajicere concedit.

Phænomenon anni 1527. Cometam fuiſſe Hevelius dubitat.

Syveri obſervationes ſtellæ miræ in Ceto Hevelio gratæ.

Stellam miram in Ceto Anno 1666. ad m. Aprilis Hevelius non obſervavit:

Eam m. Julii redituram augurat: ſaltem poſt Solſtitium brumale reverſuram auguratur.

dent. Ad quam hactenus ad finem uſque Januarii probè & diligenter attendi; ſed à duobus & amplius annis prorſus latuit: menſe autem Febr. & Martio, non memini me ad locum illum, neſcio quâ incuriâ, utut ſæpius plurimas obſervationes eo tempore peregerim, attendiſſe; ſic ut illam minimè adhuc viderim; fieri tamen potuit, ut eo tempore à Clariſſimo Syverſio indicato prodierit; de quo ipſi gratulor, eam conſpexiſſe. Attendendum igitur erit nobis omnibus, an menſe Julio denuò apparitura ſit? Sed vix puto euſque eam poſſe perdurare; poterit tamen poſt Solſtitium Brumale redire. An Aſtronomia Reformata Riccioli jam edita ſit, & an Hamburgi proſtet, ſcire valdè deſidero. Si tibi obtinget occaſio ad illum ſcribendi, meo nomine illum humaniſſimè ſalutes; ego aliquoties ante aliquot annos ad illum ſcripſi, ſed nullum planè reſponſum obtinui, quî factum ſit, neſcio. Vale proſperrimè.

N. 30.
ad 14.

Hamburgo Dantiſcum die 20. 30. Aprilis 1666.

Cometa anni 1527. in dubium vocari, ſed & Cometis annumerari poteſt.

Stella anno 1033. trajiciens 14. amplius diebus durat.

Kirſtenius Hevelio amicus:

Stellam miram in Ceto hoc anno nondum obſervavit,

Inſidiaturus ei redituræ.

**Siverus Hevelio per Auctorem reſpondet.*

Schuleri Cometologiam Auctor Hevelio mittit.

Crenſeius Cyprianus commendatur.

Permutatio librorum æqua inter amicos fit.

Pax inter Batavos & Epiſc. Monaſter. concluſa:

Speratur & Anglicanam reſtitutum & Rhenanam confirmatum iri.

Cometis læta ſuccedunt.

Auctoris conſtans erga patriam pietas.

NOn diffiteor Cometam illum anni 1527. qui vix ultra horam duravit, in dubium vocari poſſe. Quia tamen à Clariſſimis Aſtronomis, ipſoſque Ricciolo & apud eum Joanne Vogelino & Cornelio Gemma, in cenſum Cometarum relatus eſt, ſatis tutò eum Cometis annumerari poſſe arbitror. In controverſiam veniunt, ut animadverto, hîc ſicut ubique, quæ inſolentia ſunt. Nempe tàm de annuis, quàm dialibus Cometis dubitatur. Illi extraordinariis phœnomenis, hi meteoris accenſentur. Sed quid de ſtella Anno 1033. auctore Calviſio à Septentrione verſus Meridiem trajiciente, & à die 28. Februarii ad 15. Martii durante, ſentias, dic verbo. Idem fac ad illam nuper propoſitam Auctoris vitæ Ludovici Pii & Aventini, de eodem Cometa anni 837. contradictionem. Apud Clariſſimum Kirſtenium heſternâ die amiciſſimam Tui mentionem in lectione Tuarum literarum feci. Is Te humaniſſimâ ſalute impertit. Non licuit illi tam beato eſſe, ut ſtellam illam miram Ceti hoc anno obſervaret. Invigilabit tamen, &, ut ſic dicam, inſidiabitur ei brevi, ut ſperat, redituræ. *Cum paulò ante literas Tuas Humaniſſimo Sivero communicaſſem, rem me gratiſſimam ei feciſſe perſpexi. Plurimam ille reddit ſalutem Tibi. Neque verò ei per Januarium ſtella illa apparuerat, licet aliquoties cœlum pro deſiderio Auditorum luſtraverit. Neque tamen videtur ei tunc primum illam prodiiſſe, utpote quæ fuerit jam valdè magna, ſed fortaſſis per aliquot dies præcedentes, vel etiam in fine Januarii jam apparituram fuiſſe, ni cælum nubilum prohibuiſſet. Aſtronomia Reformata Riccioli jam prodiit in lucem, ſed hîc nondum proſtat. Imò verò ejuſmodi libri perrarò in has oras perferuntur. Ubi ad eum ſcribere mihi contigerit, officio ſalutationis Tuo nomine apud eum ritè defungar, imò & literas Tuas rectè curabo ac reſponſum obtinebo, ut ſpero. Cometologiam Schuleri heri ad Te miſi per Generoſ. Cyprianum Crenſium, Rautenſteinianum & Peltzianum Amicum, meum verò etiam popularem, qui, qua eſt humanitate in amicos officioſa, librum illum D. Peltzio tradet. Pretium pro eo nullum exigo niſi mihi alicujus libelli Tui exemplum fortè mittere velis. Spero nos aliquando volente Deo commutationem exemplarium æquam facturos, poſtquam Tuum meumque opus fuerit abſolutum. Vale Vir Clariſſime, & ad opera Tua præclara edenda proſperè incumbe. Addo verbum. Pax inter Præſulem Monaſterienſem & Batavos die 9. 19. hujus menſis feliciter concluſa, & mutuis Delegatorum ſubſcriptionibus firmata eſt. Speratur verò & Anglicanam compoſitum & Rhenanam confirmatum iri. Quis non videat læta quoque Cometis è veſtigio ſuccedere. Vos quidem id etiam experimini, qui vobis, ut ab aliis accepi, de tantâ omnis generis frumenti ſecundo Viſtula & Bugo ad Vos ex Polonia & Ruſſia devecti copiâ, quanta ab integris decem annis non fuerit viſa, gratulamini. Qua de re & ego vobis ac patriæ gratulor, cui pacem juſtam & fidam ſemper opto ex animo. Iterum Vale.

VIII. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

VIII.

COMMUNICATIO HAFNIA-RÖTLINIANA.

Hamburgo Hafniam die $\frac{9}{19}$ Decembris 1664.

Nobiliſſime Domine.

MAgno honori duco me poſſidere Tuam bonam & conſtantem amicitiam, quæ me excitat, ut faciam Tibi copiam eorum, quæ habeo communicanda Cl. D. Bartholino de Cometa, quem videmus hîc loci ſex diebus. Obnixè peto, ut excuſes quòd de unâ fideliâ duos dealbem (ut eſt in proverbio) parietes, dum Tibi perlegendæ mitto, quæ ſcripſi alteri Amico, quodque Tibi præbeam iſtam incommoditatem, ſperans Te cum aliqua delectatione iſta lecturum, & me honoraturum Tuo reſponſo ſuper hac re, tùm illud etiam poſtulaturum à Clar. Bartholino. Quod reliquum eſt certum Te eſſe jubeo, quòd ſim ſincerè, Nobiliſſime Domine,

Tibi omnì ſtudio & obſequio addictiſſ.

STAN. LUBIENIETZKI.

Ad Dn. Joan. Melchiorem Rötlinium, Sereniſſ. Principi Regio Daniæ & Norvegiæ à Secretis Cameræ.

De Hambourg à Coppenhague le $\frac{9}{19}$ Decembre 1664.

Monſieur.

JE tiens à grand honneur de poſſeder vôtre bonne & conſtante amitié, laquelle m'excite à vous faire part de ce que j'ay à communiquer à Monſieur le Docteur Bartholini, touchant la Cométe, que nous voyons icy depuis ſix jours. Vous priant treshumblement de m'excuſer de ce que je fais ainſi d'une pierre deux coups, vous adreſſant ce que j'ay écrit pour un autre Ami, & de Vous donner cette incommodité ſous l'eſperance, que Vous en aurez quelque contentement, & m'honoreroz de Votre reponce ſur ce propos, en la demandant auſſy de Monſieur le Docteur Bartholini, & Vous aſſeurant, que je ſuis ſans aucune reſerve à jamais Monſieur

Amicitia jucunda & utilis poſſeſſio.

Eadem operâ duos demereri licet.

Voſtre tres affectionné & tresobeiſſant ſerviteur

DE LUBIENIETZ.

Hafnia Hamburgum die $\frac{13}{23}$ Decembris 1664.

Nobiliſſime Domine.

ACtis Tibi gratiis de Tua poſtrema communicatione, ut ordinaria eorum quæ in terra geruntur, ſic & de extraordinaria eorum quæ apparent in cælo, eàque, quod plus eſt, factâ in confidentia per literas ad Cl. Thomam Bar-

De Coppenhague à Hambourg le $\frac{13}{23}$ Decembre 1664.

Monſieur.

A*Pres Vous avoir remercié de Voſtre derniere communication, tant de l'ordinaire touchant ce qui ſe paſſe en terre, que de l'extraordinaire de ce qui paroiſt au ciel, & qui plus eſt, en confidence ſous le cachet volant de celle pour Monſieur Thomas*

Amicitia confidentiam juſtam requirit.

tholinum ſcriptas, quas mihi apertas miſiſti, quaſque ego ei ſtatim reddidi, non poſſum quin Tecum conferam de Cometa, quem nos

Obſervationes Cometæ Hafniæ & Hamburgi conveniunt.

etiam vidimus his diebus præteritis in his terris, eodem prorſus tempore, loco, curſu, eadem figura, magnitudine, eodem colore, & per omnia eundem, ſicut apud vos & alibi obſervatus fuit, exceptâ caudâ, quæ hic inventa eſt, ſicut oculus de hac re poteſt judicare, unâ haſtâ longior. Quicquid ſit, non dubito Aſtronomos fore facilius concordes ſententiis in deſcriptione

Aſtrologi ægrè conveniunt circa Cometarum operationes.

iſtius Cometæ, dummodò Aſtrologi poſſint concordes fieri circa ejus operationes & effectus. Memini, cum Dantiſci eſſem, audire me dicentem Ampl. Dn. Hevelium, Magnum Aſtronomum, ſed qui rideat Aſtrologiam, quòd non deſideraret amplius quàm videre & contem-

Cometographiam Hevelius diu meditatur.

plari adhuc unum Cometam, poſtquam tot obſervationes, tanquam curioſiſſimus orbium cœleſtium ſpeculator notavit, ut poſſit ultimam manum imponere operi, quod in manibus habeat, &

Cometa ornamentum naturæ.

detegere omnes qualitates hujus belliſſimi ornamenti naturæ. Quod ad me attinet, ego non ſum in hac re magis curioſus, quàm ut ſciam veram generationem, materiam, quantitatem, qualitatem; verbo, naturam hujus corporis, quæ ſola videntur mihi ſuſcipere demonſtrationes poſſe: relinquo quæ reſtant

Rötlinius Aſtrologis non favet.

conjecturis & obſervationibus Aſtrologicis, fallaciarum magis ſuſpectis quàm infallibilitatis. Nam quod ad hoc attinet, omnes ſciunt, ſicut rem notiſſimam,

Cometa an præſagiat mala pariter & bona?

communitèr credi quòd Cometa non ſit aliud quàm malum argurium, & nil præſagiat quàm peſtes, bella, famem, ſterilitates; verbo, multa mala. Sed ſi è contrario dicatur Cometam iſtum promittere grandem fertilitatem, divitias immenſas, cornucopiæ, pluviam nummorum aureorum, grandinem roſarum nobilium, glaciem adamantinam, ventum ambrarum, ſpargentem ſeculum aureum, & paradiſum terreſtrem, credo unum eſſe tàm difficile demonſtratu ac

Scaliger fatetur quibuſdam Cometis ſucceſſiſſe mala, quibuſdam verò bona.

alterum. Scio benè Scaligerum in ſuis exercitationibus alicubi non deſſiteri, pluribus Cometis ſucceſſiſſe grandia infortunia, ſed etiam non audere negare, ali-

Bartholini, à qui elle a eſté renduë à l'inſtant, je ne puis m'empeſcher de m'engager avec Vous ſur le ſujeɛt de la Cométe, que nous vîmes auſſy ces jours paſſez en nos quartiers juſtement au temps, au lieu, en cours, en figure, en grandeur, en couleur, & en tout, comme chez vous & ailleurs on a obſervé, hormis la queüe, qu'on a trouvée ici, à ce que l'oeil en peut juger d'avoir plus d'une pique de long: Quoy qu'il en ſoit, je ne doute pas, que les Aſtronomes ne ſoyent facilement d'accord touchant la deſcription de cette Cométe, pourveu que les Aſtrologues ſe puiſſent accorder touchant ſes operations & effects. Je me ſouviens, que lors que j'eſtois à Dantzic j'oüi dire à Monſieur Hevelguen, grand Aſtronome, mais qui ſe mocque de l'Aſtrologie, qu'il ne deſiroit que de voir & contempler encor une Comete, depuis tant d'obſervations que par le moyen de ſes ſpeculations fort curieuſes il avoit marquées, a fin d'achever cét ouvrage, qu'il a entre les mains & de decouvrir toutes les qualités de cét embelliſſement de la nature. Pour moy, je ne ſuis curieux que de ſçavoir la vraye generation, matiere, quantité, qualité, en ſomme, la nature de ce corps, choſes ſeules, qui me ſemblent eſtre ſuſceptibles de demonſtrations & laiſſant le reſte à des conjectures & obſervations Aſtrologiques plus fallibiles qu'infallibles. Car quant à cela, tout le monde le ſçait, comme une affaire notoire, que communement on croit, que la Cométe n'eſt qu'un mauvais augure, & ne preſage que des peſtes, des guerres, des famines, des ſterilités, & en un mot beaucoup de maus. Mais ſi au contraire on dit que cette Cométe-cy promet une grande fertilité, des richeſſes immenſes, une corne d'abondance, une pluye de ducats, une grêle de roſes nobles, une glace de diamans, un vent d'ambre gris, un ſiecle d'or & un paradis terreſtre; je croy que l'un eſt auſſy difficile à demonſtrer que l'autre. Je ſçay bien, que Scaliger en ſes exercitations an un certain paſſage ne des advoüe pas, que pluſieurs Cometes n'ayent en une ſuite de grands deſaſtres, mais auſſy il n'oſe nier que quelques Cometes n'ayent porté de fort bonnes adventures. Pierre Gaſſende, un Mathematicien Pariſien, va encor bien plus loing: Mais je n'oſe pourtant pas prendre ſon parti de pœur de paſſer pour profane.

quos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quos Cometas apportaſſe valdè bonos ſucceſſus. Petrus Gaſſendus Mathematicus Pariſienſis, progreditur hîc longius. Verùm ego non audeo aſſumere defendendas partes ejus ; vereor enim ne pro profano habear. Iccirco conſultum judico allegare ejus propria verba, quæ extant in vita Peireskii lib. 3. pag. 245, 246:

c'Eſt pourquoy je trouve bon d'alleguer ſes propres termes, qui ſont tels dans la vie de Peireske, ou pour mieux dire, in vita Peireskii *lib.* 3. *pag.* 245, 246:

Gaſſendi ſententia de Cometis Rötlinio parum pia videtur.

„Non eſt poſtremum argumentum imbecillitatis humanæ ad iſta expaveſcere, „quibuſcum res noſtræ nihil commercii, habent. Mirum cur ſaltem Deo non „credatur, dum à ſignis cæli nihil metuendum jubet, ſcilicet ipſe ſigna non „faciens, ex quibus non expoſitis, quid futurum ſit caveri non poſſit. Niſi „autem Deus Cometam calamitatum ſignum conſtituat, undenam eſſe in Co„meta poteſt aut futurorum notitia, aut effectus ſignificandi? Annon ille per„git viam ſuam, ut naturalia cætera, parumquè ejus intereſt, quid humanæ gen„tes inter ſe moliantur. Ac iſte quidem *(anni ſcilicet* 1618.*)* dictus eſt porten„diſſe clades poſtmodum ſecutas. Sed nempe ante non fuerant bella, peſtes ac „Reges mortui? Nullæ jam 20. poſt annis excitantur tragœdiæ? Referunt ad„huc ad Cometam. Verum erit cur pari jure exorituras referant turbas, quouſ„que novus Cometes ſit, qui oblivionem iſtius creet, tametſi ante centum an„nos appariturus non fuerit.

Hocce eſt quod Gaſſendus ratiocinatur, qui pluſquam ſatis refutatus eſt, quantum ad poſtremam propoſitionem attinet, & iſtam prædictionem ab Anno hujus ſeculi decimo octavo, intra centum annos nullum appariturum Cometam. Obligabis me, cum me facies participem eorum, quæ accipies de iſta materia ab illis, quibus talia cognoſcere datum eſt.

c'Eſt ce que Gaſſende en raiſonne n'eſtant refuté que trop quant à la dernière propoſition, & cette prædiction que depuis l'an dishuict, en cent ans il n'en aura point. Vous m'obligerez, Monſieur, de me faire part de ce que Vous apprendrez touchant cette matiere de ceux qui y connoiſſent quelque choſe.

Hamburgo die $\frac{20}{30}$ *Dec.* 1664.

EPiſtola Tua, quâ Tibi placuit me honorare die 13. currentis menſis, mihi dedit experimenta certa non ſolùm Tui ſinceri affectûs, ſed etiam egregiæ cognitionis quam habes eorum quæ videntur in cælo & geruntur in terra. Diſcurſus, quem apud me facis de Cometis, mihi videtur adeò ſublimis, bellus & politus, ut non poſſim eum ſatis æſtimare, nec laudare hoſce qui ſe occupant ad contemplationem horum myſteriorum. Quantum ad me, Nobiliſſime Domine! ſcis benè meas continuas occupationes, quibus me addixi per rationem ſtatûs, ſcilicet meorum negotiorum privatorum. Adeò ut quod ad originem

De Hambourg le $\frac{20}{30}$ Dec. 1664.

Epiſtola arguit eruditionem & amicitiam, utriuſque certa index.

C*Ette dont il Vous a plû m'honorer du* 13. *du courrant, m'a donne des preuves infallibles non ſeulement de Vôtre ſincere affection, mais, auſſi de la belle connoiſſance, que Vous avez de ce qui ſe paſſe au ciel & ſur la terre. Le diſcours, que Vous me tenés des Cometes, me ſemble ſi releve, ſi beau & ſi poli, que je ne le puis aſſez eſtimer; ni loüer dignement ceus qui s'occupent à la contemplation de ces choſes miſterieuſes. Quant à moy, Monſieur, vous ſçavez bien des continuelles occupations, aus quelles je me ſuis engage par raiſon d'eſtat, ſçavoir de mes affaires privées. Tellement que pource qui eſt de l'origine & vraye definition, ou bien au moins de quel-*

Rötlinii eruditionem Auctor commendat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cum eo communicat Virorum doctorum de Cometis judicia, litem hanc ſuam facere nolens.

Huſwedelius laudatur.

Aſtrologiam Judiciariam improbat Auctor.

Hevelius laudatur.

Aſtrologi incertum ſuorum placitorum agnoſcunt.

& veram definitionem, vel minimum aliquam ſolidam & fundatiſſimam deſcriptionem Cometæ attinet, non poſſim melius Te contentum reddere, quam factâ Tibi copiâ literarum & judiciorum, quæ habeo à Viris doctis & præſtantibus de hac re. Ideò inſtantèr Te precor, ut me excuſes de eo, quòd non ſim ingreſſurus profundum talis diſcurſûs, qui eſt adeò difficilis ad decidendum, ſicut res ipſa teſtatur, & confirmant iſtæ literæ Cl. D. Huſwedelii, quem cum tot aliis inter præſtantiſſimos hujus urbis reputo; Tùm ut gratam habeas iſtam libertatem, quâ utor adhuc, participem Te faciens horum exemplarium, literarumque mearum ad Cl. D. Bartholinum ſcriptarum, quas iterum non obſignatas Tibi mitto, in quibus videbis aliquid amplius, quod tangit hanc rem, quam in Tuis literis tractas. Quibus dum ſatisfaecere aliqua ratione volo, dico liberè, me quoque Aſtrologiam, quæ Judiciaria appellatur, habere pro curioſitate prohibita in Sacra Scriptura. Hoc etiam ſatis notum eſt, fuiſſe eam improbatam edictis Imperatorum & aliorum Principum. Quam ob rationem Ampliſſimus D. Hevelius, quem & ego æſtimo & exiſtimo Magnum & Excellentiſſimum Aſtronomum, & Illuſtrem in Republica literaria Virum, irriſit Aſtrologiam, adde quod illi ipſi qui eam manibus verſant & caram habent, agnoſcant hæc:

que ſolide & fondamentale deſcription de la Cométe, je ne vous pourrai mieus contenter, que par des copies des lettres & advis, que j'ay de gens d'eſprit & de qualité ſur cette matiere. Avec quoy je vous prie tres inſtamment de m'excuſer de ce que je ne m'engagerai trop dans un tel diſcours, qui eſt ſi mal aiſé à decider, à ce que la choſe meſme temoigne & confirme cette lettre de Monſieur le Docteur Huſwedel, lequel je tiens, avec tant d'autres pour un des plus galants hommes de cette ville-ci, comme auſſi d'aggreer cette franchiſe, dont je me ſers encore en vous faiſant part de toutes ces copies & de ma lettre ſous le cachet volant pour Monſieur le Docteur Bartholini, où Vous verrez encor quelque choſe, qui touche cette matiere, que Vous traitez dans Vôtre lettre. A la quelle Vous voulant ſatisfaire aucunement, je Vous dis franchement, que je tiens auſſy l'Aſtrologie, qu'on appelle judiciaire, pour une curioſite deffendue dons la Sainte Eſcriture. Cela eſtant aſſez certain, qu'elle à eſté reprouvée par les Edits des Empereurs & autres Princes. A raiſon de quoy Monſieur Hevelius, que j'eſtime auſſy pour Tres Excellent Aſtronome, & Illuſtre perſonnage dans la Repub. des gens de lettres, s'eſt moqué de l'Aſtrologie, veu que ceux-meſmes, qui la manient & cheriſſent, avoüent, que

Sapiens dominabitur aſtris.
Aſtra regunt homines, ſed regit aſtra Deus.
Aſtra inclinant, ſed non neceſſitant.

Cometarum apparitionem exceperunt multa notabilia.

Ita ut ego ejuſdem ſim Tecum ſententiæ, ſcilicet tales conjecturas & obſervationes Aſtrologicas magis fallaciarum eſſe ſuſpectas quàm puras. Quod attinet ad præſagia, quæ communiter attribuuntur Cometis, fateor plurimas res valdè notabiles accidiſſe poſt apparitionem Cometarum; unde venit iſta regula, quæ jam pro lege habetur, *Nullus Cometa impunè viſus.* Neque verò ſolùm populus eſt, qui ita de hac re judicat; ſed præſtantiſſimi quiquè Viri erant olìm & ſunt adhuc in eadem ſententia.

De ſorte que je ſuis de meſme avois avec vous, ſçavoir que telles conjectures & obſervations Aſtrologiques ſont toujours plus fallibles. Pour ce qui eſt du preſage, qu'on attribue communement aus Cometes, j'avoüe, que pluſieurs choſes fort remarquables arriverent apres l'apparition des Cometes; d'où vient cette maxime, qui paſſe deja préque pour loy, Nullus Cometa impunè viſus. *Et ce n'eſt pas ſeulement le peuple, qui en juge de la ſorte: mais les plus habiles hommes ont eſté jadis, & ſont encor de meſme avis.*

Cicero l. 2. de nat. Deor. c. 21. Tum facibus viſis cæleſtibus, tùm ſtellis his, quas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Græci Cometas, noſtri Cincinnatas vocant, quæ nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum prænunciæ.

Cometis præſignificandi, imò & operandi vis ab antiquo tempore tributa.

Virgil. l. 1. Georg. - - - - - - - *diri toties arſère Cometæ.*
Lucan. l. 1. Et terris mutantem regna Cometen.
Tibull. l. 2. eleg. 6. - - - - *belli mala ſigna Cometes.*

Ut non recenſeam permultos alios. Propter quod quidam exiſtimarunt Cometas (qui, ut quod verum eſt dicam, ſunt meteora rara) eſſe opera extraordinaria ſolius Dei & ſecreta naturæ, quæ Deus monſtret habitatoribus terræ, ut eos doceat res futuras. Cujus opinionis fuit Joannes Damaſcenus, unus de antiquis Theologis

Pour ne parler en de tant de quantité d'autres. C'eſt pourquoy quelques uns ont eſtimé les Cometes, de veritables meteores rares, pour les œuvres extraordinaires de Dieu ſeul, & ſecrets de la nature, que Dieu monſtroit aus habitans de la terre, pour leurs enſeigner des choſes qui doivent arriver. De la quelle opinion fut Jean Damaſcenne, un des anciens Theologiens

Cometæ habiti pro extraordinariis Dei operibus & ſecretis naturæ futura prænunciantibus.

Damaſceni opinio de Cometis ſatis tuta in tanto aliarum incerto.

L. 2. de Orthodoxa fide c. 7. Thaddæus Haggecius l de Comet. obſerv. & Chriſt. Pelargus ad diem l. Damaſceni.

Qui meo judicio eunt in medio tot opinionum ex toto contrariarum ſatis ſecurè, monſtrando non ſolùm cauſſam univerſalem, quæ eſt Deus ipſe, ſed etiam finem iſtius operis, quod facit monendo generi humano de rebus futuris. Quò poſſunt transferre illa quæ Sacra Scriptura dicit de Scopis deſtructionis, & de gladio ebrio in cælo, quanquam illa explicentur etiam de peſte & aliis flagellis Dei. Nova ſententia Ampliſſimi Domini Guerichii Conſulis Magdeburgenſis fundatur ejus inventione admirabili parvæ ſtatuæ incluſæ vitro, quæ ſignificat conſtitutionem aëris: quam machinam ego vidi apud ejus Filium Nobiliſſimum Dn. Reſidentem Sereniſſimi Electoris Brandenburgici in hac Urbe Legatum. Forte, ut mihi videtur, favebit illi opinio illorum, qui dicunt, radios Solis tangentes aliquam partem aëris, quæ ejus lumen excipere poſſit, eamque penetrantes & inflammantes vel illuſtrantes ad minimum, facere iſtam longam caudam, vel etiam formam alicujus barbæ vel comæ, quam obſervamus in Cometis. Cui proximè accedit quod Scaliger, Vir ille Excellentiſſimus, quem Tu quoque allegaſti, docet exercit: 79. ubi pariter docet ſententiam Apiani, & ita ratiocinatur:

Leſquels, à mon avis, vont parmi tant d'opinions toutes contraires, aſſez ſeurement, en monſtrant non ſeulement la cauſe univerſelle, qui eſt Dieu meſme, mais auſſy la fin de cét œuvre, qu'il fait pour avertir le genre humain des choſes futures. A quoy ils peuvent transferer ce que la Sainte Eſcriture dit du balai de deſtruction & de l'épeé enyvrée au ciel, quoy que cela s'explique auſſy de la peſte & autres fleaus de Dieu. La nouvelle ſentence de Monſieur Guericke, Bourgemaiſtre de Magdebourg, eſt fondée ſur l'invention admirable d'une petite ſtatuë, enfermée dans le verre, qui ſignifie la conſtitution de l'air, la quelle j'ay veüe aupres de ſon fils Monſieur le Reſident de S. A. E. de Brandenbourg en cette ville-ci, & il me ſemble qu'elle eſt favoriſée de l'opinion de ceus, qui diſent, que les rayons du Soleil touchant quelque partie de l'air, la quelle eſt ſuſceptible de ſa lumiere, & la penetrant & inflammant ou illuſtrant au moins, font cette longue queüe, ou bien la forme d'une barbe ou d'une chevelure, que nous obſervons aus Cometes. A quoy approche ce que Scaliger, Tres Excellent Perſonnage, qu'avez allegué auſſy, enſeigne exercit. 79. où il enſeigne pareillement la ſentence d'Apien & raiſonne ainſi:

Deus auctor omnium.

Scripturæ quædam loca ad Cometas referri poſſunt, illos præſertim, qui ſcoparum & gladii ſpecie apparent.

Guerichii Patris ſententia de Cometa, avulſâ & illuminatâ aëris particulâ, quibus rationibus fundatur:

Favet ei Heraclides Ponticus, Teleſius.

Apianus, Scaliger.

Itaque Cometam arbitror eſſe vaporem vi tractum ab aſtrorum aliquo in aëris regionem ſummam, cujus vaporis natura non ſit ardens, ſed miſta materia, tanquam fumus aut fuligo recipiens Solis radios, atque ideò viſibilis & tranſmittens eos, atque ideò caudata.

Cujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Præſertim verò Epigenes.

Cujus ſententiæ fuit etiam quidam antiquus Philoſophus, nomine Epigenes, ſicut refert Seneca lib. natur. quæſt. 7. c.3. & 6. Iſta ſententia hocce pro fundamento habet, quòd cauda Cometæ ſe extendat in partem Soli oppoſitam:

Cometæ cauda ſemper à Sole averſa.

De la quelle ſentence fut auſſy un ancien Philoſophe, nomme Epigenes, à ce que Seneque raconte l. nat. qu. 7. c. 3. & 6. Cette ſentence ayant pour fondement ce, que la queüe de la Comete s'étend du coſté oppoſé au Soleil:

Cujus radii refracti in Cometæ coma vel cauda faciunt illam ſparſam, hanc in longum exporrectam

Cometæ infra Lunam ſubſiſtere à Peripateticis creduntur, ſaltem quandoque.

Præſuppoſito hocce, Cometas generari & ſubſiſtere, minimùm quandoque infra Lunam, id quod Peripatetici dicunt. Suprà dictæ ſententiæ Ampliſſimi Dn. Guerichii, quòd tempeſtates per lumen radiorum Solis faciant Cometas, videtur favere illa ſententia Theophraſti Paracelſi, qui attribuit integram gubernationem aëris, fulminum, ventorum, tempeſtatum, grandinum, terræ motuum, Dæmoni, (quem Scriptura Sancta appellat Principem, qui habeat ſuam ſedem & poteſtatem in aëre, quod etiam hiſtoria Jobi confirmat) vel illa Caſparis Peuceri & Joannis Bodini, qui docent, Genios & Dæmones habere magnam poteſtatem in aëre & ſupra terram per permiſſionem Dei. Quòd ſi hoc poſſit rationibus defendi, res meâ ſententiâ foret expeditu facilior. Sed utcunque hoc ſe habeat, clarum eſt per eventus, quòd Cometæ ſignificent, minimum præcedant plurimas res inſignes. Nam ſi deſideras videre conjunctos Cometas cum morte Magnorum Principum, exempla Auguſti, Claudii, Neronis, Veſpaſiani, Conſtantini Magni, Imperatorum Romanorum, & tot aliorum Principum ſunt ante oculos. Sed quot, quæſo, Magni quoque Principes ſunt mortui ſine apparitione ullius Cometæ? Quòd ſi velis videre conjunctos dictos Cometas cum tot malis, quæ eos ſunt ſecuta, hiſtoriæ iis ſunt plenæ. Ego nonnulla ſolum ex iis notabo. Poſt tot alios Carolus Sigonius de Occid. Imper. l. 10. p. 163. notat Cometam, qui apparuit Anno 410. ante captam Urbem Romam per Alaricum Regem Veſtrorum Gothorum, & ante maximam miſeriam, quæ in mundo viſa unquam fuit. Notat etiam ſingulare exemplum, quod nunc allegabo benè propoſito conveniens, reſpectu Natalitiorum Chriſti, quæ celebrata ſunt die Jovis præterita ſecundum novum ſtilum, & celebrabitur die

Guerichii ſententiæ favere videtur Paracelſiana, & aliorum.

Diabolus princeps aëris, Deo permittente, multum poteſt.

Cometæ ſignificant multas res notabiles, ſaltem præcedunt.

Principes multi à viſis Cometis fato functi.

Sed permulti etiam nullo apparente Cometa.

Cometarum apparitionem ſecuta ſunt multa mala.

Romam à Gothis captam præceſſit Cometa.

Preſuppoſé avec cela, que les Cometes s'engendrent & ſubſiſtent, au moins quelque fois, au deſſoùs de la Lune, ce que les Peripaticiens diſent. La Guericke, que ce ſont les tempeſtes, qui par la lumiere des rayons du Soleil font les Cometes, ſemble encor de pouvoir eſtre favoriſee par la ſentence de Theophraſte Paracelſe, qui attribuë entierement le gouvernement de l'air, des foudres, des vents, des tempeſtes, des greles, des tremblemens de terre au Demon, (que l'Eſcriture Sainte appelle Prince, qui à ſa reſidence & puiſſance dans l'air, ce que l'hiſtoire de Job confirme auſſy) ou bien par celle de Caſpar Peucere & de Jean Baudin, leſquels enſeignent, que les Genies & Demons ont grande puiſſance dans l'air & ſur la terre par la permiſſion de Dieu. Or ſi cela peut eſtre maintenu, la choſe à mon avis ſera plus facile à expedier. Quoy qu'il en ſoit, il eſt clair par des evenemens, que les Cometes ſignifient au moins precedent pluſieurs choſes remarquables. Car ſi vous deſirez voir la conjoincture des Cometes avec la mort des Grands Princes, les exemples d'Auguſte, de Claude, de Neron, de Veſpaſien, de Conſtantin le Grand, tous Empereurs Romains & de tant d'autres Princes ſont devant les yeus. Mais combien de Treſ-Grands Princes auſſy ſont morts ſants apparition d'aucune Comete? Et ſi vous voulez voir la conjoincture des dites Cometes avec tant de maux, qui les ont enſvivis, les hiſtoires en ſont pleines. J'en marqueray ſeulement quelques uns. Apres tant d'autres Carolus Sigonius de Occid. Imp. l. 10. p. 163. marque la Comete, qui aparut l'an 410. devant la priſe de la Ville de Rome par Alaric Roy de Vos Gothes, & devant la plus grande miſére du monde, qui fut jamais. Il note auſſy un ſingulier exemple, que j'allegueray à cette heure bien à propos au regard du Noël, qui fut Jeudy paſſe ſelon le nouveau ſtile, & ſera celebré

Di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Solis proximè venturâ ſecundum ſtilum veterem. Refert enim l. 17. de regno Italiæ p. 31. quòd poſtquam Cometa apparuit (factum id eſt Anno 1223.) in urbe Brixia plus quàm duo millia hominum fuerint obruta ruinâ templi poſt ſacrum Miſſæ finitum in feſto Natalitiorum, & tota Italia fuerit valdè turbata & diſpertita in duas factiones contrarias, Guelphorum, qui erant pro Papa, & Gibellinorum, qui erant pro Imperatore. Habeo adhuc librum, cui titulus eſt *Antiquitates Britanniæ*, in quo p. 54. video Anno 678. Cometam fuiſſe viſum, qui duraverit tres menſes integros, & additum de eo eſſe tale judicium:

Dimanche qui vient Selon le vieux ſtile. Car il conte l. 17. de regno Italiæ p. 31. qu' apres que la Comète parut (c'eſtoit l'an 1223.) dans la ville de Breſſe plus de deux milles hommes ont eſté actablez de la ruine du temple apres la Meſſe finie à Noël, & toute l'Italie fut grandement troublée & partagée en deux factions contraires des Guelphes, qui eſtoyent pour le Pape, & des Gibellins, qui eſtoyent pour l'Empereur. J'ay encor un livre intitulé Antiquitates Britanniæ, *dans lequel p. 54. je voy, que l'an 678. la Comète avoit eſté veüe durant trois mois entiers, & qu'on y adjoute tel jugement:*

Triſtem caſum præceſſit Cometa.

Guelphorum & Gibellinorum factiones à viſo Cometa ortæ.

Cometarum apparitionem ſecuta mala.

Ac hæc quidem ſtella (ut ſolet) ingentem Britanniæ calamitatem portendebat:

Quod etiam ibi confirmatur exemplis notatis à Venerabili Beda. Et p. 75. exemplum eſt notatum, quod Tibi afferam adhuc bono jure, quoniam tangit nationem Danicam:

Ce qu'on y confirme auſſy par des exemples notéz du Venerable Bede. Et je puis encor vous citer un autre exemple fort à propos de la page 75. puis qu'il touche la nation Danoiſe:

Anno Domini 906. Cometa apparuit ferè per dimidium annum, præſagientibus nonnullis inde multam ſanguinis effuſionem, magnam hominum cædem & ſtragem, quæ paulò poſt in prælio inter Danos & Anglos commiſſo ſubſecuta eſt. In quo utriuſque gentis ingens nobilium numerus corruit.

Sed non jam plura in hanc rem afferam quàm unum exemplum trium Cometarum, qui fuerunt viſi Anno 840. 841 & 842. quos ſecuta eſt è veſtigio rebellionis reiteratio Ludovici Junioris contra ſuum proprium Patrem Imperatorem Ludovicum Pium: tùm diviſio quæ evenit inter tres filios iſtius Imperatoris, quæ fuit funeſta Imperio & tot aliis Regnis: nec non invaſio Sarracenorum in Italiam facta, & direptio urbis Romæ. His omnibus hôc mane viſis, cum ægrè potuerim inter tot occupationes afferre aliqua exempla ad reddendum Tibi meum officium, hîc finio. Niſi quòd, ut Tibi mutuam reddam vicem reſpectu illorum Petri Gaſſendi verborum, quæ Tuis literis inſeruiſti, afferam Tibi propoſito conveniens exemplum dicti Imperatoris Ludovici Pii, lectum mihi adhuc hodie in ejus vita p. 471. præſertim cum Cometa, qui tunc apparuit, non valdè longè fuerit diſſitus à loco, in quo præteritis his diebus apparuit.

Mais je n'en apporteray plus qu'un ſeul des trois Cometes, qui ont eſté veües l'an 840. 841 *&* 842. *les-quelles furent ſuivies d'abord de la rebellion reiterée de Loüis le Jeune contre ſon propre Pere l'Empereur Loüis le Debonnaire, de la diviſion ſurvenuë entre les trois fils de cetui-ci, la quelle a eſté funeſte à l'Empire, & à tant d'autres Royaumes, de l'invaſion des Sarraſins dans l'Italie, & du pillage de la ville de Rome. Ce qu'ayant tout regardé ce matin, & à grande peine entre tant de depéches pouvant apporter quelques exemples pour vous rendre mon devoir, je ne m'y arreſte. Si non que pour vous rendre la pareille au regard du paſſage de Pierre Gaſſende, qu'avez mis dans vôtre lettre, je Vous apporteray à propos l'exemple du ſuſdit Empereur Loüis le Debonnaire, l'ayant leu encor aujourd'huy dans ſa vie p.* 471. *joinct que la Comète qui parut alors, n'étoit pas trop loin du lieu, où elle parut pas jours paſſez.*

Cometa magnus Anni 839. paulò ante mortem Ludovici Pii, nupero Cometæ in Corvo ſitu ſuppar.

Ludovici Pii Imp. judicium de Cometa viſo pium.

Sapiens tempus redimere novit.

„ Anno 839. mediante feſtivitate Paſchali, dirum ſemper ac triſte portentum „ ibidem Cometæ ſydus in ſigno Virginis apparuit, in ea parte ejuſdem ſigni, „ quæ penulam ejus ſubter caudam ſerpentis ſimiliter corvumque confringunt. „ Quod cum non more errantium ſeptem ſyderum Orientem verſùs peteret, „ per 25. dies (quod mirum eſt dictu) idem ſydus & Leonis & Cancri, nec non „ & Geminorum tranſiens ſigna, in capite Tauri tandem ſub aurigæ pedes „ igneum globum jubarum prolixitatem depoſuit, quas uſquequaque porrexe- „ rat antea. Quam rem cum primum Imperator talium ſtudioſiſſimus conſpe- „ xiſſet, conſtitit, & antequam quieti membra committeret, accito quodam, „ itemque me qui hæc ſcripſi, & qui hujus rei ſcientiam habere credebar, per- „ contrari ſtuduit, quid ſuper ea mihi videbatur? Cui cum tempus peterem, „ quo faciem ſyderis conſiderarem, ac per hæc rei veritatem inveſtigarem, & „ cognitam in craſtinum nunciarem, Imperator ratus (quod erat verum) tempus „ me redimere velle, ne cogerer triſte aliquid reſpondere, perge (inquit) in „ mœnia huic domui contigua, & nobis quæ proſpexeris nuncia: novi enim „ à me hanc ſtellam nequaquam præteritâ veſperâ viſam, vel à te monſtratam; „ ſed ſcio ſignum Cometarum eſſe, de quo jam præteritis locuti ſumus die- „ bus. Quid autem tibi portendere videatur, edicito. Cumque aliqua dixiſſem „ & tacuiſſem: Unum eſt (inquit) quod adhuc ſilentio premis: mutationem „ enim regni mortemque Principis hoc monſtrari portento dicunt. Cumque „ ego teſtimonium Prophetæ in medium protuliſſem, quo dicitur, A ſignis „ cæli ne metueritis, quæ pavent gentes: ille ſolitâ uſus magnanimitate & pru- „ dentia, Non alium inquit, timere debemus præter illum qui noſtri & hujus „ creator eſt ſyderis: ſed ejus clementiam non ſatis mirari & laudare poſſu- „ mus, qui noſtram inertiam, cum ſimus peccatores & impœnitentes, talibus „ dignatur admonere indiciis. Quia ergo & me & omnes communiter hoc tan- „ git oſtentum, omnes pro poſſe & ſapere ad meliora feſtinemus: ne forte mi- „ ſericordiam, illo prærogante & noſtra impœnitudine impediente, nos illâ in- „ veniamur indigni.

Ludovici Pii mors Cometam ſecuta.

Cometæ & præcedunt & ſequuntur multa mala & bona.

Cometa fuiſſe putatur illa columna ignea in deſerto, & ſtella in Natali Domini.

Cometas bonos dari docuêre veterum nonnulli.

Poſtea deſcribit obitum dicti Imperatoris, qui evenit anno 840. verſus finem Junij. Ecce ſatis exemplorum, quæ teſtantur Cometas ſignificare multas res notabiles per ſapientem, juſtam & gratioſam diſpoſitionem divinam. Sed quot res ſimiles evenerunt ſine ullâ apparitione Cometarum? Denique ego conſentio omnibus illis, qui dicunt Cometas præſagire etiam, ſi non grandem copiam & abundantiam divitiarum, bonorum, oblectationum, quam homines poſſunt deſiderare inſtar ſeculi aurei vel paradyſi terreſtris, & Tu notas ſtilo ſubtili, at ſaltem grandium bonorum. Tantò plus ſi Cometa fuit qui conduxit populum Iſraëlis in deſerto, & Sapientes viderunt tempore nativitatis Noſtri Domini, ſicut plures affirmant. Ultra hoc ſapientia antiqua nos docet, dari etiam bonos Cometas. Servius ad lib. 1. Georg. & ad Æn. 10. & ad Eccl. 9. Unus de antiquis Philoſophis, nomine Chæremon, obſervavit quondam,

Apres quoy il decrit le treſpas du dit Empereur, qui fut l'an 840. vers la fin de Juin. Voici aſſez d'exemples, qui temoigneat, que les Cometes ſignificat beaucoup de choſes remarquables par la ſage, juſte & gracieuſe diſpoſition divine. Mais combien de choſes ſemblables arriverent ſans aucune apparition des Cometes? Apres tout cela je conſens à tous ceus, qui diſent, que les Cometes preſagent auſſy, ſi non de grande foule & abondance de richeſſes, de biens & de contentemens, que les hommes peuvent deſirer en forme d'un ſiecle d'or, ou de paradis terreſtre, & Vous la marquez de vôtre ſtile fort ſubtile, mais au moins de grands biens. Tant plùs ſi c'eſtoit la Cométe, qui avoit conduict le peuple d'Iſraël au deſert, & les Sages ont veu au tems de la nativité de Nôtre Seigneur, à ce que pluſieurs maintiennent. Outre cela la ſageſſe ancienne nous apprend, qu'il y a auſſy de bonnes Cometes. Servius ad lib. 1. Georg. & ad Æneid. 10. & ad Eclog. 9. Un des anciens Philoſophes, nomme Charemon, avoit

Cometam

Cometam præſagire etiam mutationem in bonum, ſicut Origenes notat l. 1. con. Celſum. Et certè ſi velimus requirere hiſtorias, credo nos in hanc rem ſat exemplorum inventuros. Denique benè convenit capere aliquas bonas admonitiones ex Cometis & aliis meteoris, ac ſi Deus pro bonitate ſua loquatur nobis per iſta ſigna. Certum eſt illum ſignificare per hæc ſuam voluntatem, & nos impellere ad pœnitentiam. Notavi huic fini egregium locum in Comment. Wolfg. Muſculi in Matth. 2. p. 12.

obſervé jadis, que la Comete preſage auſſy le changement en bien : à ce que Origene marque l. 1. con. Celſum. Et ſi nous voulons rechercher des hiſtoires, je croy que nous en trouverons aſſez d'exemples. Et fin il eſt bien ſceant de tirer quelques bons avertiſſemens des Cométes & autres meteores, comme ſi le bon Dieu parloit à nous par ces ſignes. Certainement il fait entendre par iceux ſa volonté, & nous pouſſe à la repentence. J'ay remarqué à cette fin des beaus paſſages au Comment. de Wolfg. Muſculc in Matt. 2. p. 12.

Cometæ officii admonent mortales.

Muſculi ſententia de ſignis cæleſtibus rectis.

„Solet quidem Deus res magnas, ut regnorum mutationes, ingentes clades „&c. cæleſtibus indiciis præmonſtrare, de quibus plenæ ſunt etiam gentium hi„ſtoriæ. Et mox: Altera aſtrorum obſervatio (qua ſi quid extra communem ordinem inter ſydera cæleſtia deprehenditur, quid portenti ſubſit, expenditur) „rariſſimos hodie ſui ſtudioſos habet. Requirit enim animum rerum divina„rum ſtudioſum & obſervantem, & ſingularem numinis adflatum. Prior (certi „illius & perpetui curſûs ſyderum) in abuſum à nonnullis rapitur, qui non „contenti, quæ certa ars illa habet, editis libris ſpargere etiam quæ ex illa „diſci non poſſunt, ut ſingulares clades ſive peſtis, ſive bellorum, ſive famis, „item Magnorum Regum interitus, Pſeudo-prophetarum ortus, ſectas &c. „magna temeritate certis annis minantur. Et cum inter ſe tàm ſint diverſi, „tamque innumeris modis fallant lectorem, tamen impunè ſua ſomnia editis „libris ſpargunt, & inveniunt qui cupidè legant. Hi libelli præterquam „quòd vulgi curioſitatem alunt, multis ſæpenumerò malis occaſionem præbent, „jam olim digni, quibus inter Chriſtianos nullus eſſet locus.

Pio animo aſtra obſerva.

Aſtrologia quædam habet certa, multa verò incerta, quibus curioſi decipiunt & decipiuntur.

En, Nobiliſſime Domine, quibus volui Tibi reſpondere ſuper argumento de Cometis, mihi promittens de Tua bonitate & humanitate, grata Te habiturum quæ in hanc rem potui notare currente calamo, & me excuſaturum, ſi aliquo modo fallor, præſertim cum hæc in confidentia inter duos Amicos gerantur. Reſtat ut ſcias, nos etiam die 11. 21. currentis menſis obſervaſſe caudam Cometæ haſtâ longiorem. Sed ex illo tempore non vidimus eum. Cauſſa erunt nubes ſpiſſæ. Imò nec hôcce mane vidimus eum, quamvis cælo claro. Ego maneo verè &c.

Voilà, Monſieur, ce que j'ay voulu vous répondre ſur le ſujet des Cométes, me promettant de vôtre bonté & courtoiſie, qu' aggreerez ce que j'en ay pû noter à la haſte, & me pardonnerez ſi je m' abuſe aucunement, veu que cela ſe paſſe en confidence de deus amis. Au reſte, vous ſçaurez, que l' 11. 21. du courant nous avons obſervé auſſi la queüe de la Comete longue d'une pique. Mais depuis nous ne l'avons pas veu à cauſe des nuées épaiſſes, ni meſme ce matin, quoy qu'il faiſoit clair. Je demeure veritablement &c.

Amici ſententiam modeſtam ſemper boni & æqui conſule.

Cometæ cauda longa.

Hafniâ die 17/27. Dec. 1664.

HÆc epiſtola deberet Tibi, Tuâ præcedente id exigente, afferre aliquod à Clariſſimo D. Bartholino reſponſum de majeſtate (ut ſic dicam) iſtius Cometæ, qui præſentiâ ſuâ honorat noſtrum horizontem, ſicut & veſtrum. Sed nondum quidquam redditum mihi eſt ab illo

De Coppenhague le 17/27 Dec. 1664.

SUivant Voſtre precedente celle-cy Vous devoit apporter quelque reſponce de Monſieur le Docteur Bartholini, touchant la Majeſté de cette Comete, qui honore noſtre horizont auſſy bien que le voſtre. Mais rien ne m'a eſté renduë encor de ſa part, en outre que je doute, ſi l'adreſſe de la

Cometas cum pietate contemplare & de iis loquere.

Bartholini fratres laudantur.

Viro. Præterea dubito, utrum ritè & ſine errore Tuas direxeris, quum non Doctor Thomas ſit, ſed Eraſmius, qui Aſtronomiam tractat. Quidquid ſit, Viri iſti eximii non negligunt officia civilitatis præſtare illis, qui eos literis ſuis honorant, ita ut ſine dubio & Tu ſatiſſactionem ſis accepturus.

Voſtre a eſté juſte & ſans abus, attendu que ce n'eſt pas le Docteur Thomas, mais Eraſme, qui ſe meſle de l'Aſtronomie. Quoy qu'il en ſoit, ces braves gens ne manquent point de civilité envers ceux, qui les honorent de correſpondence, ſi bien que ſans doute Vous en aurez de la ſatiſfaction.

Hamburgo die 23. Decemb. S. V. Anno 1664.

Bartholinum Thomam priuſquàm Eraſmium Auctor meritò de Cometis conſuluit.

EN Tibi denuò hoc literularum ad Clariſſimum Dn. Bartholinum, ad quem ego priores direxi, tanquam ad eum, cujus amicitiam ſingularem honori mihi duco, ea fini ut per eum, velut proxenetam Clariſſimus Dn. Eraſmius Bartholinus Frater ejus, qui etiam eſt unus de meis Amicis, mihi faciat gratiam in dando ſuo judicio de Cometa. En inter alia, quam ad manum habeo, continuationem ſententiæ Ampliſſimi Domini Guerichii, quam mecum communicavit Nobiliſſimus Filius ejus Sereniſſimi Electoris Brand. Reſidens, qui mihi gratum facit habendo mihi honorem ſingularis ſuæ amicitiæ. Tu feres de hac re judicium liberè, cum ſcias hìc non agi de ullo capite fidei, quamvis in hoc quoque quivis libertatem ſuæ conſcientiæ retinere debeat. Ego maneo &c.

Guerichio filio. Auctor ſpeciali amico utitur.

Liberè judicia de ſacris & profanis.

De Hambourg 23. *Decemb. S. V. l'An* 1664.

VOici derechef une petite lettre pour Monſieur le Docteur Bartholini, à qui je me ſuis addreſſé, comme à une perſonne, qui m'honore d'une amitié ſinguliere, afin que par ſon moyen Monſieur le Docteur Eraſme Bartholini Son Frere, qui eſt auſſy de mes Amis, me faſſe la faveur de donner ſon jugement ſur la matiere de la Comete. Voici entre autre ce que j'ay pour la continuation de la ſentence de Monſieur Guericke, qui m'a eſté communiquée ces jours ci par Monſieur Son Fils le Reſident de S. A. E de Brandenb. qui me fait la grace de m'honorer de ſon amitié particuliere. Vous en pouvez donner Vôtre jugement librement, ſçachant qu'il n'y va pas d'aucun article de foy, quoy qu'en cela un chacun doit retenir ſa liberte de conſcience. Je demeure &c.

Hafniâ die 27. *Decemb St. V. Anno* 1664.

POſtquam didici ex Tuis literis, quibus placuit Tibi me honorare, per proximum tabellarium ſcriptis, Te à Cl. D. Eraſmio Bartholino exſpectare judicium de Cometa, uſus ſum tempore opportuno, ita ut paulò poſt in Regiam veniens eum compellarim, & rem hanc conſiderationi ejus ſubjecerim. Fatetur ſe Tuam præcedentem epiſtolam accepiſſe à Fratre ſuo Clariſſimo Thoma, quod ipſum ſatis cauſſæ mihi dedit, ut ei redderem & alteram Tuam epiſtolam, quam uſque adhuc ſervavi, ideò quòd ejus Frater nondum reverterit. Aperuit eam ſtatim & percurrit leviter quantum locus ille permiſit, & teſtatus eſt ſe Tibi eo nomine eſſe valdè obligatum, ac pro-

Tempus idoneum & locum opportunum ad quamvis rem diſpice.

De Copenhague le 27 *Dec. S. V. l'An* 1664.

APres avoir appris par celle, dont il Vous a pleu m'honorer de cet ordinaire, que c'eſt Monſieur le Docteur Eraſme Bartholini, dont Vous attendez le jugement touchant la Comete, j'ay pris le temps à propos, de ſorte que peu apres je l'allay trouver à la Cour & m'adreſſay à luy, & mis cette matiere ſur le tapis. Il m'advoüa qu'il avoit receu Voſtre precedente par la voye de Monſieur Son Frere Thomas, ce qui me donna aſſez de ſujet de luy rendre auſſy l'autre, que juſques ici j'avois gardée, à cauſe que ſon dit frere n'eſt pas encor de retour. Il l'ouvrit incontinent, & la parcourut legerement, autant que ce lieu luy permit, en ſuite il teſmoigna de Vous avoir beaucoup d'obliga-

misit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

miſit mihi ſe Tibi mox aperire vellede hac re ſententiam ſuam. Fabricatio hujus ſtatuæ ſive imaginis divinatricis Ampliſ. D. Guerichii ipſi eſt ita cognita, ut ego quoquè eo monſtrante cognoverim, quod eam poſſit facere exactè, imò ex parte id mihi dixit, reſervans ſibi nihilominus ipſum ſecretum. Quod ad meam attinet ſententiam de opinione & definitione Ampliſſimi Dn. Conſulis illius, quam propoſuit de Cometa, quantum quidem ego poſſum mentem ejus intelligere ex toto hocce diſcurſu, quem pro tua bonitate mecum communicaſti, præcipuè

tion, & me promit de Vous en decouvrir ſon ſentiment au pluſtoſt. La fabrique de cette ſtatuë ou image devinereſſe de Monſieur Guericquen luy eſt tellement cognuë, qu'il me fit connoiſtre, qu'il la ſçavoit faire exactement, voire il m'en dit une partie gardant toutefois le vray ſecret. Pour moy, touchant l'opinion & la definition, que Mon dit Sieur le Bourguemaiſtre met en avant la Comete, & ſelon que je puis tirer de tout ce diſcours que Vous avez en la bonté de me communiquer notamment

Guerichianâ anemoſcopii inventum Bartholino notum Rötlinius teſtatur,

quòd Cometa ſit particula aëris vi procellæ ſingularis in vacuum abrepta & radiis Solis illuminata,

Rötlinius Guerichianæ ſententiæ opponit argumentum.

oppono hîc iſtud unicum agumentum:

j'y oppoſe cet unique argument:

Si Cometa eſt talis particula aëris &c. ſequitur ad conſtitutionem Cometæ abripi ac in vacuum illud transferri non ſolum ſemiſſem, trientem aut quadrantem aëris, ſed ſapè univerſum aëreum ſyſtema. Conſequens eſt abſurdum. Ergo. Connexum probo: quia ex diſtantia Cometarum patet quoſdam fuiſſe & eſſe ejus magnitudinis, ut omnem, adeoque non particulam, ſed omnem aërem non adæquent, ſed ſuperent magnitudine, & hoc ipſum corpus quod curioſorum curioſitatem omnium nunc ſuſpendit credo aëre vaſtius eſſe ſine proportione.

Impacientèr deſidero reſcire aliquid ex Ampl. D. Hevelio de natura Cometarum; nam ſcio habere illum aliquod opus ſubjiciendum prelo. Ut redeam de cælo in terram, hoc habeo Tibi dicendum, quòd ſim perfectè &c.

Je ſuis impatient d'apprendre quelque choſe de Monſieur Hevelius touchant la nature des Comêtes; car je ſçay, qu'il a quelque œuvre ſous la preſſe. Pour retourner du ciel en terre, j'ay à Vous dire, que je ſuis parfaitement &c.

Hamburgo $\frac{2}{12}$ *Januar.* 1665.

DUm Tibi mitto literas ad Cl. Dn. Eraſmium Bartholinum non obſignatas, nil habeo magnæ rei ad dicendum Tibi de argumento Cometico. Quod ad meam opinionem attinet, quam Tibi propoſueram, ſcilicet quòd radii Solis ſemper oppoſiti Cometis in linea recta, penetrantes iſtam materiam quæ ſuſcipere poteſt illorum lumen, faciant Cometas, videtur mihi uſque in præſens eſſe vero ſimilis, hôc additô, quòd qualitas dictæ materiæ contribuat etiam nonnihil huic rei, & adjuvat radios Solis ut faciant caudam vel comam vel barbam, quam videmus in Cometis: quanquam hocce intelligatur in eo

De Hambourg le $\frac{2}{21}$. Janu. l'an 1665.

VOus envoyant la lettre pour Monſieur le Docteur Eraſme Bartholini ſous le cachet volant, je n'ay pas grande choſe à Vous dire au ſujet de la Comete. Pour ce qui eſt de mon opinion, que je Vous avois propoſée touchant ce que les rayons toûjours oppoſez aus Comêtes en ligne directe penetrant cette matiere ſuſceptible de leur lumiere, font les Cometes, il me ſemble júques a preſent d'eſtre vray ſemblable, en adjoûtant, que la qualité de la dite matiere contribue auſſy & aide les rayons du Soleil a faire la queüe ou chevelure ou barbe, que nous aus Cometes, quoy que cela s'entend dans ce que j'ay raiſonné la deſſus au 20. du paſſé. Je ſuis preſt toutefois de

Cometarum caudas fieri à Sole materiam eorum luminis ſui capacem penetrante Auctor aſſerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quod ratiocinatus ſum de eo in literis die 20. præteriti menſis ſcriptis. Sum nihilominus præſto, ut plura de eo inquiram, & ſequar id quod inveniam convenientius veritati; quanquam hæc in talibus, cum non ſit fundata, ſicut illa religionis Chriſtianæ, immobili & inexpugnabili auctoritate Sacræ Scripturæ, non poteſt aliter ſtabiliri quàm puris ratiocinationibus & conjecturis. Quod ad opinionem Ampliſſimi D. Guerichii attinet, ſpero me in hanc rem obtenturum ab illo plura eam declaratura, & quidem per Nobiliſſimum Filium ejus. Quod reliquum eſt, maneo &c.

Veritas Philoſophica non æquè certa ut Chriſtiana.

Scripturæ Sacræ auctoritas invicta.

m'en enquêter plus & de ſuivre ce que je trouveray plus convenable à la verité, quoy que celle-ci dans ce point ne ſe fondant, comme celle de la religion Chreſtienne, ſur l'immuable & impugnable autorité de la Sainte Ecriture, ne peut eſtre eſtablie que rar des pures raiſonnemens & conjectures. Quant à l'opinion de Monſieur Guericke, j'eſpere d'en obtenir de luy plus d'éclairciſſement, par le moyen de Monſieur Son Fils. Avec quoy je demeure &c.

Hafniâ die 6. 16. Jan. 1665.

PEr Tuas præcedentes, de quibus, ut & poſtremis, multum Tibi debeo, edoctus ſum inter alia, Tibi communicata quædam fuiſſe de Cometa ab Ampliſſimo Domino Hevelio, Aſtronomo præſtantiſſimo, quem ego omnibus aliis noſtri temporis præfero, abſit dicto invidia & præſumtio: Ideo Te rogo, ſi ejus literæ, quarum Te copiam Domino N. feciſſe nuper mihi ſignificaveras, ferunt aliquid ſupra communem ſententiam, me earum velis facere participem. Ego ipſe habeo in animo eum precari expreſſè ut mecum de ea re communicet ſuam ſententiam; ſed hoc differo paulùm, ut capiam tempus propoſito magis ſerviens, præcipuè quando iſte Cometa peraget ſuum curſum, ita ut Vir ille poſſit facere integram hiſtoriam, & examinare hoc rarum phœnomenon ab initio ad finem, & à prima comparitione ad diſparitionem. Certior factus ſum ex Hollandia, Theologos ibi ducere pro atheiſmo, ſi aliquis velit negare, quòd Cometa præſagiat & augurium aliquod præbeat; ad quod ego reſpondi, ſi Theologi per hocce medium poſſint lucrari aliquas animas, id illis imputatum iri pro dolo bono, & pia fraude. Ego conor ut longè ſim tàm à ſuperſtitione, quàm ab atheiſmo, manſurus ex toto corde &c.

Hevelium maximi Rotlinius facit.

Tempus idoneum ad rem quamlibet diſpice.

Cometæ præſagia negare an impium ſit?

De Copenhague ce 6.16. Janu. 1665.

PAr Voſtre precedente, dont je Vous ſuis auſſy bien redevable que de la derniere, j'ay appris entre autres choſes, que Vous avez eu quelque communication touchant la Comête de la part de Monſieur Hevelius, Aſtronome dont je fais plus d'eſtat que de tous les autres de noſtre temps ſans reproche touſjours & ſans preſumption, Vous ſuppliant, ſi ſa lettre, dont Vous me mandates alors de l'avoir en copie envoyée à Monſieur N. porte quelque choſe par deſſus le commun, de m'en faire part. Moy meſme j'ay deſſein de le prier expreſſement de m'en communiquer ſon ſentiment; mais je le differe encor pour prendre le temps plus à propos, notamment quand cette Comête aura achevé ſon cours, en ſorte qu'il puiſſe faire une hiſtoire entiere & examiner cette rareté d'un bout à l'autre, c'eſt à dire du commencement juſques à la fin, & de la premiere comparition à la diſparition. L'on me mande de Hollande, que les Theologiens y tiennent pour atheiſme, ſi quelqu'un veut nier, qu'il ne preſage & n'augure quelque choſe, à quoy j'ay reſpondu, que ſi les Theologiens par ce moyen peuvent gagner quelques ames qu'il leur ſera imputé pro dolo bono & pia fraude. Je taſche de m'eſloigner auſſi bien de la ſuperſtition que de l'atheiſme, eſtant de tout mon cœur &c.

Hamburgo die $\frac{6}{16}$. Jan. Anno 1665.

EXcuſes velim, quòd Tibi toties incommodem Te compellens de argu-

De Hambourg le $\frac{6}{16}$. Janu. 1665.

JE Vous demande pardon de ce que je Vous donne tant d'incommodite ſur le ſujet

mento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mento Cometico. Sed ſcis eos, qui volunt aliquid diſcere, facere id in ordine ſuo, & invenire ſat rationum ut excuſent ſuam libertatem, quamvis excedat quandoque terminos modeſtiæ. Tua humanitas, quam novi, mihi promittit, Te in bonam partem accepturum libertatem quâ utor, tantò magis quòd commercium literarum quod colo de argumento Cometico ſit jam grandius & per conſequens gratius. Vides hîc ſat materiæ eſſe pro exercendis etiam magnis ingeniis, non ſolùm quod attinet ad generationem & operationem Cometarum, ſed etiam an Cometa, quem videmus in præſentia, ſit idem cum priori, nec ne. Qua de re vellem habere aliquam informationem, ſicut & obſervationes Clariſſimi D. Eraſmii Bartholini, quæ erunt ſine dubio curioſæ. Qua in re conſequenda precor ut me adjuves, quum ego ſim verè &c.

de la Cométe. Mais vous ſçavez, que ceus qui veulent apprendre quelque choſe, font cela ordenairement, & trouvent aſſez de raiſons pour excuſer leur liberté, quoy qu'elle ſurpaſſe quelque fois les bornes de la modeſtie. Vôtre courtoiſie, que je connois, me promet, que Vous prendrez en bonne part la franchiſe, dont je me ſers, d'autant que ma correſpondence ſur l'entretien des Cométes devient plus grande & par conſequent plus agreable. Vous voyez qu'il y a aſſez de matiere pour exercer meſmé les grands eſprits, non ſeulement pour la generation & operation des Cométes, mais auſſi ſi la Cométe, que nous voyons à preſent, eſt la meſme avec la premiere ou non. De quoy je voudrois avoir quelque information, comme auſſi les obſervations de Monſieur le Docteur Eraſme Bartholini, qui ſeront ſans doute curieuſes. En quoy je Vous prie de m'aider, puis que je ſuis en verité &c.

Diſcere qui volunt, ſunt diligentes, liberi, quandoque & importuni.

Hominem maximè humanitas decet.

Libertatem amici modeſtam æquo fer animo.

Cometicum argumentum multa ſedulò diſcutienda proponit.

Hafniâ die $\frac{10}{20}$. *Januarii* 1665.

CUm Tuis poſtremis literis accepi & illas ad Clariſſimum D. Eraſminm Bartholinum, quas ipſi è veſtigio tradidi, exſpectans ea quæ tandem dabit publico de Cometa, de quo incœpit commercium literarum exercere cum Magno Aſtronomo degente Florentiæ, cui nomen eſt Vincentio Viviani, Mathematico Magni Ducis: hac ratione principali motus, quòd ille locus unum eundemque habeat meridianum cum noſtro, ita ut noſter Bartholinus credat, obſervationes iſtius Florentini poſſe ſibi ſervire multum rei declarandæ. Quod reſtat, præmoneo Te, me brevi poſt tempore obligatum iri nexu officii ad conficiendum quoddam iter, id quod ſiſtet curſum commercii noſtri literarii, quod mihi erat gratiſſimum. Ego maneo ubique & per totam meam vitam &c.

De Copenhague le $\frac{10}{20}$. Janu. 1665.

PAr le moyen de Vôtre derniere, j'ay bien reçeu celle pour Monſieur le Docteur Eraſme Bartholini, & la luy ay fait tenir incontinent, attendant ce qu'en fin il donnera au public touchant la Cométe, ſur laquelle il a commencé une correſpondence avec un Grand Aſtronome à Fleurence, qui porte le nom de Vincenzo Viviani Mathematicien du Grand-Duc, à raiſon principalement, que ce lieu là a un meſme meridien avec le noſtre, en ſorte qu'il croit, que les obſervations de ce Fleurentin luy pourront ſervir de beaucoup d'éclairciſſement. Au reſte, Monſieur, je Vous adverti, qu'en peu de temps je ſeray obligé de faire un voyage, ce qui arreſtera le cours de nôtre correſpondence, quia m'a eſté fort agreable. Je demeure par tout & toute ma vie &c.

Bartholinus commentarium de Cometa meditatur.

Florentia & Hafnia conveniunt meridiano.

Hamburgo die 13. *Januarii* 1665.

PLura in præſentia non habeo ab Ampliſſimo Domino Hevelio, quem & ego maximi facio, tanquam Excellentiſſimum Aſtronomum noſtri ſeculi, & mihi promitto de ejus civilitate, eum mihi detecturum brevi ſuam ſententiam de ar-

De Hambourg le 13. Janu. 1665.

JE n'ay plus rien à preſent de la part de Monſieur Hevelius, dont je fais treſgrand cas auſſi, comme d'un Tres-Excellent Aſtronome de noſtre ſiecle, & me promets de ſa civilité, qu'il me découvrira bien tôt ſon ſentiment ſur le ſujet des Co-

Hevelium Auctor quoque maximi facit.

gumen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

gumento Cometarum. Commercium literarum, quod Clariſſimus D. Bartholinus inchoavit cum hocce Mathematico Florentino de argumento Cometæ, mihi eſt gratiſſimum, ſperanti eum ſingularia quædam inde habiturum, mihique eorum copiam facturum, vel certè eum publico daturum, quæ illinc acceperit. Ego quoque ſpero me poſſe conferre cum aliquibus Magnis Mathematicis Italiæ de eodem argumento, eâ fini ut inde habeam aliquid ſingulare. Tantò magis quòd quidam meorum Amicorum approbent commercium literarum, quod ſatis grande colo cum diverſis viris doctis de iſta materia, quod aliquando meis uſibus ſervire poterit. Quantum ad judicium illorum Theologorum de præſagio Cometarum, vellem illos prædicare ſuis Auditoribus quòd eorum vitia ſine ullis Cometis præſagiant ſatis malorum. Tu facis perquam benè, quòd teneas viam ſecuram inter ſuperſtitionem & atheiſmum. Sunt plurimi, qui tegunt iſtum illâ & zelo importuno ac ſanguinolento. Quod reſtat, Nobiliſſime Domine, ægrè mihi eſt, quòd Tua commoditas non permittat continuo honore me afficere gratiſſimi Tui literarum commercii. Ego pariter maneo Nobiliſſime Domine

Communicanda ſunt utilia.

Auctor meditatur commercium literarum cum quibuſdam Viris doctis in Italia degentibus.

Vitia hominum ſat malorum abſque Cometis prænunciant.

Media via tutiſſima.

Superſtitio & zelus ſanguinarius ſæpè eſt pallium impietatis.

Impietatem & ſuperſtitionem, ut duos ſcopulos, vita.

Tuus omni obſequio & affectu

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

metes. La correſpondence de Monſieur le Docteur Bartholini, qu'il a commençée avec ce Mathematicien Florentin ſur le ſujet du Comete, m'eſt agreable ſoùs eſperance, qu'il en aura quelques particularites & m'en ſera part, ou bien qu'il donnera au public ce qu'il en reccura. J'eſpere auſſi pouvoir conferer avec quelques Grands Mathematiciens d'Italie ſur le même ſujet, afin d'en avoir quelque choſe de ſingulier. D'autant que que quelques uns de mes Amis trouvent bon, que j'entretienne une aſſez grande correſpondence avec divers gens d'eſtude ſur cette matiere, ce qui me pourra ſervir à l'advenir. Quant au jugement de ces Theologiens là ſur le preſage des Cométes, je voudrois qu'ils preſchaſſent à leurs Auditeurs, que leurs vices ſans aucuns Cométes preſagent aſſes de maus. Vous faites fort bien de tenir la voye aſſeurée entre la ſuperſtition & l'atheiſme. Il y en a pluſieurs, qui couvrent cetui-ci par celle-là, & par le zele importun & ſanglant. Au recte, Monſieur, je ſuis bien marri de ce, que vôtre commodite ne Vous permet pas de me continuer l'honneur de vôtre treſagreable correſpondence. Je demeure pareillement à jamais Monſieur

Vôtre tresobeiſſant & tresaffectionné Serviteur

DE LUBIENIETZ.

IX. COM-

IX.

COMMUNICATIO HAFNIA-BARTHOLINIANA.

Hamburgo Hafniam die $\frac{9}{19}$ Decembris 1664.

S. & O. Vir Clariſſime, Doctiſſime & Humaniſſime,

POſtulabat amicitiæ, à me Tecum & cum Clariſſimis ac Doctiſſimis Fratribus Tuis initæ, ratio, ut à vobis ante triennium propè digreſſus literis vos compellarem, quæ amicitiam fovere vulgo creduntur. Sed noſtis, me etiam tacente, *fidem amicitiæ non deſiderare ſyngrapham,* (ut Symmachus alicubi ſcribit) & longe ſolidiori, æquitatis ſcilicet & ſinceritatis, utriuſque à recta conſcientia cuſtoditæ, fundamento, quàm ullum papyraceum eſſe poteſt, innixam eſſe. Et ego quidem dicere poſſum, ſuffragante veritate, me erga vos mutuum, licet mutum adhuc, ſervare candida mente affectum, & contractæ amicitiæ jura, ut cum omnibus viris, eruditione & morum probitate præcellentibus, ita & vobiſcum, Viri Excellentiſſimi, ſanctè colere & ſincera benevolentia, debitoque cultu omnes proſequi. Silentium meum facilè quemvis æquum excuſaturum credo, cui modò de aſſiduis meis laboribus & occupationibus conſtiterit. Sed ſi ita vobis videatur, rumpenda ſunt ſilentii vincula, reſerandus ſtilus, & loquendum mutuò nonnunquam eſt per talem ſatis fidam mentis amicæ internunciam. Qua in re ego officio meo non deero. * Ut Te nunc ſingulariter compellem, Vir Excellentiſſime & Amiciſſime, facit novus iſte, qui nunc in cælo ab aliquot diebus ardere videtur Cometes. Inflammat nempe animum meum ad ſcribendum & judicium veſtrum exquirendum prodigioſus iſte (ut ita loquar) ignis. ‡ Qui utinam bellorum internecinorum & parricidalium, ſed & cunctorum vitiorum furores, † quibus orbis conflagrat Chriſtianus, obfuſcet & extinguat, ac æternæ ſalutis ſtudioſa cæleſtique igne incaleſcentia pectora, ad vitam emendandam, & viâ pietatis ad ipſam beatæ immortalitatis, Chriſtianis propoſitam, metam ducendam attendat! * Quæ de hoc Cometa à Viris in hac urbe doctrinâ, ac præcipuè rerum Mathematicarum & naturalium ſcientiâ eminentibus, Huſvedelio, Garmeſio & Joanne Müllero, ſcripto & coram accepi, Tibi mitto. Paria Dantiſcum ac Pariſios aliorſumque ad Amicos talium apprimè gnaros, ad provocandam eorum induſtriam, & eliciendas accuratas obſervationes promoveo. Tu pro tua eximia humanitate & in me benevolentia, rerumque naturalium peritia, fac ut judicium Tuum de hoc Cometa cognoſcam. Ego præterea, quæ aliunde accipiam, Tecum communicabo, † & per Te cum aliis Viris doctis in illa Muſarum Regia Tecum agentibus, notis pariter & ignotis, quos omnes debito cultu proſequor, debito favore complector, & plurima ſalute impertio, benè memor, quantum humaniorum literarum amans (quo in cenſu merito me pono) earundem Antiſtitibus (quo in Senatu vos

Literis fovetur amicitia: non neceſſariò tamen.

Amicitiæ fundamenta æquitas & candor.

Mutuus, mutus licet affectus, inter amicos vigeat oportet.

Silentium amici occupationes excuſant: quod tamen rumpendum aliquando eſt.

Epiſtola mentis interpres.

** Bartholinum Thomam quibus de cauſis Auctor ſcripto adeat.*

‡ Cometa officii monet mortales.

† Chriſtianorum quæ ſint vitia, & quæ debeant eſſe officia.

** Auctor Bartholinis & aliis Amicis quæ de Cometa habet mittit, ut mutuam benevolentiæ vicem referat.*

† Hafniæ amicos non paucos Auctor habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Bartholinorum trium fratrum meritis debitum teſtimonium datur.

principem locum meritis veſtris vobis vendicatis vel certè obtinetis) debeat. Valete longum, agite feliciter, & mihi favete conſtanter

Omnium Veſtrûm

Obſervantiſſimo & ſtudioſiſſimo,

Subſcribo

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ad Dominam Thomam Bartholinum, Med. Doct. & Regium in Acad. Hafn. Profeſſ. Honorarium.

Hamburgo Hafniam die 23. Decembris S.V. 1664.

S. P. Clariſſime Doctiſſime & Humaniſſime Vir!

Bartholinum Thomam ad ferendum de Cometa Corvi & Leporis judicium iterum iterumque Auctor ſollicitat.

** Cometa in Lepore viſus à priori diverſus eſſe videtur.*

‡ Auctor cum Bartholinis plura, ut Gerrichiana aliaque communicat.

† Gerrichiana Auctor Hafniam mittit.

ANte 14. dies dedi ad te epiſtolam, quò & jura priſtinæ amicitiæ renovarem, & judicium Tuum de Cometa nuper conſpecto exquirerem. Cum verò interea temporis ille nobis octiduo integro non viſus, * iterum nudius tertius conſpiciendum ſe, & tempore quidem apparitionis, ſitu & motu diverſus à priori, atque ita materiam diſputandi an unus idemque cum priori ſit, præbuerit, majorem in modum peto, ut Veſtrum hac de re judicium cognoſcere mihi detur. ‡ Adjungo ego, quæ de hoc argumento jam à nonnullis Amicis reſponſi vice, quæque aliàs ab Amicis communicata († ut ſunt iſta Ampliſſimi Domini Ottonis Gerichii Conſulis Magdeburgenſis, quæ Filius ejus, hac in urbe Sereniſſimi Domini Electoris Brandenburgici nomine reſidens, mihi tradidit) accepi, idem in poſterum quidem facere paratus, ſalutem plurimam Clariſſimis Fratribus Tuis adſcribo, Teque bene valere jubeo

Ad eundem.

T. Omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Hamburgo Hafniam die 2. 12. Januarii 1665.

S. P. Vir Clariſſime Doctiſſime & Humaniſſime!

Bartholinus Thomas laudatur:

Eum prius quàm Fratrem ejus Eraſmium cur compellarit Auctor.

Rotlingium Principi Regio à Secretis Auctor literarum ad Bartholinos curatorem adhibet.

Bartholinus Eraſmius laudatur.

Hamburgenſis de Cometa Corvi & Leporis deliberatio.

Hevelii laus & ſententia de Cometa Corvi & Leporis uno eodemque.

BInas ad Clariſſimum Fratrem Tuum Thomam Bartholinum, Virum in Republica literaria præſtantiſſimum, dedi literas, & quaſdam Virorum Doctorum & Aſtronomicâ ſcientiâ præditorum obſervationes miſi, ſed ea fini, ut hæc ad Te quoque ſingulariter (utpote qui profeſſâ induſtriâ talia tractas) ſcripta & miſſa cenſerentur. Noſti enim mihi ſingularem cum Clariſſimo Fratre Tuo interceſſiſſe amicitiam, ita ut non abſque cauſſa Te per eum compellare, & de his conſulere voluerim. Cum autem illo abſente ab Urbe meas literas Tibi ab Amico Nobiliſſimo & Humaniſſimo Domino Rötlingio, Sereniſſimo Principi Veſtro Regio à Secretis, redditas fuiſſe acceperim, gratum id omnino mihi accidit, & ſpero, quæ eſt Tua eximia humanitas, me abs Te brevi reſponſionem habiturum. Nam me ſingulari deſiderio Virorum Aſtronomieæ ſcientiæ laude conſpicuorum (quos inter Te eximium eſſe bene novi) obſervationes & judicia de hoc Cometa cognoſcendi teneri, facile vel ex his, quæ ad Vos miſi perſpicies. Heri ſuper hoc negotio cum Clariſſimis Viris Domino Kirſtenio & Domino Mullero (qui honorificam Tui mentionem fecere, ille vero etiam Te de hoc phœnomeno aliquid publici juris feciſſe mihi retulit) contuli, & cum inter nos ſermo familiaris de Cometa iſto, an qui nuper in capite Leporis apparuerit unus idemque cum illo, qui primum ad roſtrum Corvi apparuerat, ſit necne? haberetur, Kirſtenius potius in hanc ſententiam alium eſſe hunc à priore, inclinabat. Mullerus, conſtanter aſſeruit eſſe unum eundemque. Certè Præſtantiſſimus ille Aſtronomus Joannes Hevelius ejuſdem eſt ſententiæ, & die 28. Decembris ſcribit mihi, *Cometam appropinquaſſe jam Cani Majori, tendere ad Leporem,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Leporem, Eridanum, Cetumque verſus, ex Orientali factum eſſe Occidentalem, paucis mentem ſuam exponens, reliqua ad ſuam Cometographiam, quam ſub prælum brevi tradere velit, vix tamen viſuram intra annum lucem, reſervans. Eſt & celeberrimus quidam in Germania Aſtronomus, qui itidem unum eundemque Cometam eſſe exiſtimat. Clariſſimus Iſmaël Bullialdus, in literis ad me datis, indicat die 31. Decembris novam ſtellam fulgidam, quamvis albicantis coloris, non longè à pede Orionis ſiniſtro Rigel apparuiſſe; ſed ſe non putare Cometam eſſe. Hunc porrò circulum Tropicum Capricorni in aſteriſmo Corvi ſecuiſſe, infra deinde lapſum magnæ ſphæræ circulum non deſcripſiſſe ait, quod hic quibuſdam minus probari video. Tu quid de his ſtatuas, tum & de ſententia Viri Ampliſſimi & Clariſſimi Domini Gericken Conſulis Magdeburgenſis, quem noſti, fac ut ſciam. Quod reliquum eſt, Clariſſimis Fratribus Tuis, quorum amicitiæ & converſationis ſuaviſſimæ memoriâ animum meum paſco & recreo, plurima & officioſâ ſalute adſcriptâ, lætum hunc annum ineuntem pluresque alios vobis, Viri Doctiſſimi, Inclyta Fratrum Triga, & ſplendida Illuſtris Academiæ Veſtræ Lumina, ſed cum primis Sereniſſimo Regi, Principum Optimo & Laudatiſſimo, totique Sereniſſimæ Regiæ Domui, ac univerſo Regno veſtro, ex animo precor. Vale Vir Egregie, & conſtanti benevolentia me proſequere

Bullialdus Cometam Leporis prima vice cum exigua barba viſum non putabat eſſe Cometam: Ejus de Cometa ſententia.

Amici abſentis memor eſto.

Officioſus in amicos eſto.

Auctor debitam benevolentiam erga Bartholinos, Academiam Hafnienſem & Aulamque teſtatur.

Ad Dominum Eraſmium Bartholinum, Med. Doct. & Regium in Acad. Hafn. Mathemat. Profeſſ.

T. Studioſiſſimus & Obſervantiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Hafnia Hamburgum 21. Ianuari 1665.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo Domino

STANISLAO LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ
ERASMUS BARTHOLINUS S. P. D.

SUmmam declaraſti benevolentiam, conjunctam pari erga me amore, in mittendis per communem noſtrum amicum obſervationibus nuper animadverſi Cometæ. Gratiſſimis tuis literis atque curioſo deſiderio prius ſatiſfacere ſtatueram, niſi exiſtimaſſem expectandum ipſius Cometæ, quem jam jam imminutio magna luminis & caudæ promittebat, diſceſſum. Verum quoniam per octiduum nobis ſtellarum aſpectum nubila ademerint, ulteriori mora officium amicitiæ, diligenter a me ſanctequе ſemper ſervandum, non duxi intermittendum. Obſervationes, quas deſideras, Cometæ exactiſſimas tibi denegant idonea inſtrumenta aliaque impedimenta, quibuſcum luctari neceſſe habemus. Motum ex ſingulorum dierum obſervationibus ſufficienter cognovimus. Initio quidem à militibus animadverſus, à me vero primùm die 21. Decembris, quo poſt perpetua nubila & tempeſtates reddita ſerenitate, obſervatus eſt ſub pede Orionis lucido, pone aures Leporis; unde progreſſus contra ordinem ſignorum verſus plagas Septentrionem inter & Occidentem medias, pertigit ad loca ſub cornu poſteriori Arietis. Hæc exactius ad numeros revocata, cum animus ſit in publicum, Deo propitio, emittere, tuæ humanitatis erit, Vir Nobiliſſime, proſpicere ut aliorum obſervatis interea frui liceat, quibus Cometarum doctrina ulterius illuſtretur. Quæ à Clariſſimo mihique amiciſſimo Domino Bullialdo perſcripta narras, quantum admirationis in animo meo, tantum deſiderii reliquerunt, uberius eam rem cognoſcendi, ſimul & exſcriptum literarum; plane enim diverſus erit à noſtro, modo hiſtoria obſervationis ritè ſe habeat. Nam ea quæ de reliquis binis in Corvo & Lepore narrantur, plane conſentiunt cum obſervatis noſtris. Cauſam efficientem & materialem Cometarum, nuper

Cometa exeunte Januario Gregoriano ad occaſum vergere animadvertitur.

Obſervationes Bartholinianæ à die 12. Dec. Jul. incipiunt.

Cometæ in Lepore obſervati curſus.

Bartholinus Eraſmius affectum erga Bullialdum & diſſenſum ab eo indicat:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Sententiam Gerrichianam de origine Cometarum & Vacuo reprobat.

**Eclipſis Lunæ 21. & 31. Januarii 1665. Hafniæ obſervari per nubes non potuit.*

nuper inventam à Celeberrimo Viro Domino Gericken, oppugnabunt facilè, ſi non expugnaverint, ii qui armantur contra vacuum. Me ſuſpenſum tenet in præſentia dubium de procellis, quas ſæpè oriri conſtat ſine apparente Cometarum generatione, aliàs athmoſphæra vix ſufficeret. * Eclipſis Lunæ obſervationi hoc mane fruſtra quoque invigilavimus, nuſpiam lunari corpore in viſum noſtrum incurrente. Hiſce Vale, Vir Nobiliſſime, & me ama.

Hamburgo Hafniam die $\frac{7}{17}$. Februarii 1666.

S. P. Vir Clariſſime Doctiſſime & Humaniſſime.

Bartholini Eraſmii dotes commendantur.

Officioſus in amicos eſto.

Obſervationes à Bartholino Auctor poſtulat, nec non judicium de Cometa Corvi & Leporis.

** Bullialdus cum Hevelio Cometam in Corvo & Lepore unum eundemque eſſe ſtatuit.*

‡ Cometam in Corvo & Lepore unum eundemque fuiſſe multi Viri docti ſtatuunt.

† Curtius ſententiam de Cometa mutat & Hevelio accedit.

**Cometam in Corvo & Lepore geminum eſſe ſtatuit Olearius & alii.*

Libertas Philoſophica omnibus cordatis competit, ideò in quovis ferenda eſt.

TAlem te per omnia eſſe egregia ingenii monumenta, conſentientia orbis literati judicia; ſed & literæ Tuæ nuper ad me datæ loquuntur. Ad has quod extemplò non reſponderim, mea ab Urbe in Holſatiam profectio effecerat. Inde poſtquam ante aliquod dies feliciter per divinam gratiam reverti, & negotiorum expediendorum, quæ me abſente increverat congeriem amovi, ad Te quoque & officium in Te meum revertor. Multum Tuæ humanitati debeo, quod me reſponſo benevolo beare, & ſententiam Tuam de nuper viſo Cometa quodammodo exponere volueris. Sperabam tamen ex illo Regali faſtigio Aſtronomico obſervationes exactiſſimas, quas Tu deficientibus idoneis quibuſdam Inſtrumentis dare Te mihi non poſſe, ſcribis. Velim tamen mecum Tuas de motu phœnomeni quotidiano Obſervationes communices, & certiorem allatis aliquibus rationibus reddas unus ne idemque vel geminus ille fuerit Cometes? quamvis Te illam cum Hevelio aliiſque eximiis Aſtronomis ſequi ex litteris Tuis certò mihi colligere videar. *Hanc & Clariſſimum Bullialdum, re ex pluribus obſervationibus melius perſpecta, poſtremis literis 23. Januarii St. N. datis, quas Ratiſbonam mittere me oportuit, confirmare conjicio. ‡Quam etiam D. Huſvedelius & Profeſſor Matheſeos Müllerus Viri Clariſſimi, hac in Urbe degentes, firmiter tenent & tuentur. †R. D. P. Albertus Curtius, Neoburgi Palatinorum agens, putabat duos nobis viſos fuiſſe Cometas, adducta in rationem & teſtium oculatorum narratione. Tandem tamen plus Hevelii accuratiſſimis obſervationibus, ſed & ipſis rationibus firmis, quam vel ſuis nuperis meditationibus, vel teſtium, qui ſe oculis ſuis duos Cometas viſiſſe referebant narrationi, tribuere viſus eſt. Clariſſimus Abrahamus de Grau, Matheſeos in Alma Friſiorum Profeſſor ſtatuit etiam unum eundemque viſum fuiſſe Cometam. *Alii contrariam tuentur ſententiam, ſicut Holmia, Lipſia & ex aliis locis accepi. Inter hos eſt & Clariſſimus Adamus Olearius, quicum nuper ea de re Gottorpii contuli. Alii denique rem hanc in medio relinquunt. En porrò Tibi & communi noſtro Amico harum exhibitori, quæ pro confirmanda ſua ſententia Ampliſſimus Dominus Gerichius Conſul Magdeburgenſis me accurante attulit. Quæ velim uterque veſtrûm boni & æqui conſulat. Mores enim in talibus nos eſſe oportet libertatis Philoſophicæ, quæ ut omnibus ingenuis hominibus, ita cumprimis inquiſitoribus veri digna eſt, ac propterea nulli vitio verti, tantominus noxæ eſſe debet. Vale Vir Clariſſime, & mihi porro fave. In cujus rei ſignum illa quæ poſtulavi, brevi, ut & quæ typis publicis exſcribere decreviſti ſuo tempore, ſi Deus nos ſuperſtites hic eſſe voluerit, exſpecto. Iterum Vale

Ad Dominum Eraſmium Bartholinum, Med. Doct. & Regium in Acad. Haſn. Math. Prof.

T. Obſervantiſſimus & Studioſiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Hafniam die $\frac{21}{31}$. Martii 1665.

S.P. Vir Clariſſime, & Doctiſſime Humaniſſimeque,

AD literas Tuas die 21. Januarii ſcriptas die 7. Februarii ego reſpondi, & quæ ab Ampliſſimo Domino Gerichio, pro confirmatione ſententiæ ejus acceperam, ad Vos miſi. Cum autem necdum quidquam reſponſi tulerim & certo ſperem meas literas Vobis recte redditas eſſe, volui his teſtari deſiderium meum, quo teneor reſponſi Tui, ſtimulante hinc inde magis magiſque Amicorum conſilio ad edenda ea quæ de Cometa nupero & collegi & ſcripſi, ne ſcilicet premerem ea quæ illis luce digna & publice utilia fore videntur. Et non diffiteor quidem, accedentibus illorum monitis, coràm & per literas datis (quibuſdam etiam eorum Obſervationes ſuas huic fini mihi tradentibus) operam me magis magiſque dare, ut Syſtema quoddam ex omnibus, quæ ad manum ſunt componam, tale cui non tantum Mathematica & Phyſica, ſed & Politica, Hiſtorica, & Ethica multa inſint, atque ita breve Encyclopediæ compendium, quod & jucundum & utile ſimul ſit. * Quibus in duobus prudentia ſummum laudis apicem, ad quem omnibus cordatis enitendum eſt, ponit. Fundamenti vero loco pono, utilitatem illam ita cum honeſtate conjunctam eſſe, ut nil niſi virtutem intendat, quærat, tractetque, præbitâ induſtriæ, quamvis mediocri, ſed bonum publicum quoquo modo promovere cupidæ, ſat commodâ occaſione. Nam conſpectô Cometâ, exploratâ, quà datur, ejus origine, expenſis, quæ eum ſequi ſolent, bonis maliſque, obſervatoque ejus peculiari motu per cœlum, terras, vaſtaque maria diſcurrere, tùm verò & cuncta, quæ hìc illic aguntur, notare, licet libetque. Id conſilii & inſtituti Tibi, Vir Clariſſime, aperire volui, ut Tibi ejus conſtet ratio, noriſque me etiam illa, quæ ad Clariſſ. Fratrem Tuum, Teque de hoc argumento ſcripſi, operi illi inſerturum. Ad quod ut & Vos, quippiam Veſtri nominis famâ & luce dignum conferatis, peramanter invito. Quid de Tuo tractatu de Cometa ſtatueris, annon jam lucem ſcilicet viderit, vel mox viſurus ſit, fac ut ſciam. Vale & conſtantem mihi benevolentiæ Tuæ affectum ſerva, qui ſum

Auctor reſponſum apud Bartholinum urget, eique conſilium de opere hoc edendo aperit.

Encyclopædiæ quoddam compendium hoc opere Auctor præbet.

**Prudentiæ apex in jucunditate utili & honeſta ſitus eſt.*

Cometici argumenti ratio Auctori adamata.

Bartholinos ad conferendas hùc ſymbolas Auctor invitat.

Ad eundem. *Tui ſtudioſiſſ. & obſervantiſſ.*

STAN. LUBIENIETZKI.

Hamburgo Hafniam die $\frac{7}{17}$. April. 1665.

Viro Clariſſimo, Doctiſſimo & Humaniſſimo

ERASMIO BARTHOLINO, Med. Doctori, & Regio in Academiâ Hafniâ Mathematici Profeſſori Celeberrimo.

STANISLAUS LUBIENIETZKI. *S.P.D.*

DUm ad ſuperiores meas reſponſum Tuum, tanquam mutuam officii, quod nobis multis nominibus debemus, vicem præſtolor, ut Te nunc compellem, Clariſſimus Hevelius facit. Is enim poſtridiè quàm obſervaverat Cometam novum die ab hinc decima, dedit ad me literas, quibus me certiorem reddit, ſe poſt mediam noctem hora ſcil. 1. 36. ad 4. 36. novum Cometam in pectore Pegaſi, & quidem in 40°. ♓ & latitud. Bor. 26°. 36. circ. diligentèr obſervaſſe. Hunc ſcribit progredi motu directo, ſecundum nimirum Signorum ſeriem in ſua orbita ſatis veloci. Caput ejus perlucidum eſſe, albicantis coloris, quanquam aliquantò minus quàm illius nuperi: caudam eo die præ ſe tuliſſe 14°. lon-

Cometa novus in Pegaſo obſervatus, à priori diverſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

14°. longam; tendere verſûs Piſcem Boreum. Se non dubitare alium eſſe Cometam & planè novum, (etſi Dn. Büthnerus contrarium adſtruere conaretur) qui certò ex Serpentario & Antinoo prodierit, motu tendens planè contrario, tùm etiam ſub longè diverſo angulo inclinationis orbitæ. Cum autem à me petat ut hæc quamprimùm ad Te perſcribam, cui ille aliquot ante diebus reſponderit, nolui erga illum & Te, tanquam Amicos omni obſervantia & benevolentia proſequendos, officio meo deeſſe. Tu pro Tua humanitate & illi & mihi reſpondebis. Clariſſimo Fratri Tuo Thomæ Bartholino, Amico meo ſingulari, pl. ſalutem nomine meo nunciabis. Ab eo quoque reſponſi vicem opperior. Valete Uterque Viri in re literaria Illuſtres. Valeat & ſalveat Frater veſter.

Officioſus in amicos eſt.

Bartholinos magni Auctor facit.

Hafnia Hamburgum die $\frac{11}{21}$. April. 1665.

Clariſſimo Viro,

Dno. STANISLAO LUBIENIETZKI,

Amico Eximio

ERASMUS BARTHOLINUS.

GRatiſſimas à Te perſcriptas die 21. Martii & die 7. Aprilis St. V. literas accepi, magnum humanitatis Tuæ pignus, cujus ſolicitudine reſponſum diutius differre pudet. Ad prælum jam mittebatur hiſtoria Obſervationum Cometæ anni præcedentis, cum ecce die 30. Martii S.V. nova Fax mane nobis oritur, cauda prolixiore, quàm præcedentis Cometæ. Conſuetis organis locum ejus deprehendimus medium Pegaſi in 27° piſcium cum latitudine Boreali 25° motum verò in conſequentia ſignorum uſque ad ſigni Arietis extremas partes, latitudine in dies decreſcente. Contendentibus hîc Viris eruditis non diverſum eſſe Cometam à priori, me oppoſui, rationibus non tantùm ex contrario motu (id quod in uno eodemque contingere poſſe arbitrabantur ſicuti in Planetis retrogradis) ſed etiam ex quantitate motûs, diverſitate anguli interſectionis & magnitudine diametri, quæ adeo diminuta erat, cum viſum noſtrum effugeret, ut, ſi generationem Cometis concedamus, tantam molem tàm brevi tempore reaſſumere non poſſet, & ſi coæva reliquis ſtatuamus corpora, tàm ſubitò propinquus accedere, emenſo longiſſimo itinere nequiverit. Ampliſſimi Domini Hevelii ſuffragium, quod ſignificas, ſuſpicio, quem ſcio hæc acri magnoque judicio, ſicuti omnia expendiſſe. Porrò perquàm jucundum mihi fuit audire, moliri Te ſylloges operum & ſententiarum de Cometa editionem, ne ſine fructu poſteritatis multa egregia abeant. Tantùm jam indulſit Frater precibus noſtris, ut Conſilium Medicum de Cometa conſcripſerit, quod edetur in vulgus, ad Tuas quoque quamprimùm reſpondere paratus. Literas meas Tuæ voluntati permitto, hiſtoria verò obſervationum, cum publici ſit juris, Tuo quoque conceditur arbitrio: ſed cave ne egregium opus nævo hoc deformes. Salutem Tibi mittit Frater & mecum Te valere jubet.

Cometa novus in Pegaſo Hafniæ obſervatus, à priori diverſus.

Planetæ retrogradi contrarium habent motum.

Bartholinus Hevelio conſentit de Cometa novo in Pegaſo: inſtitutum Auctoris approbat, eumque de Fratris ſui Thomæ Conſilio Medico de Cometis certiorem facit.

Hamburgo Hafniam die $\frac{18}{28}$. Aprilis 1665.

Viro Clariſſimo, Doctiſſimo & Humaniſſimo

ERASMIO BARTHOLINO Med. Doctori & Regio Math. in Acad. Hafn. Profeſſ.

STANISLAUS LUBIENIETZKI *S.P.D.*

EX poſtremis Tuis ante octiduum datis Te Ampliſſimo Hevelio de novo Cometa adſentire lubens intellexi. Nam & hic omnes, quibus de talibus judicium

judicium ferre competit, in hac ſententia ſunt. Quorum rationes & demonſtrationes me ſequi convenit. Non diſplicere Tibi meum de edendo Syſtemate Cometico inſtitutum, pergratum mihi lectu in Tuis poſtremis fuit. Magni enim, ut par eſt, Tuum judicium facio: benè gnarus Te eximiâ eſſe eruditione, & rei Mathematicæ ſcientiâ excellere. Quam ob cauſſam etiam inſto apud Te precibus, ut mecum obſervationes Tuas, vel ſi quid præterea aliud operi meo inſertum velis, communices. Nullum enim detrimentum præclara nominis Tui fama hac ratione faciet, dum ſcilicet Tua ſub Tuo nomine cum orbe erudito communicabuntur. Gratum etiam mihi fuit ex Tuis certò cognoſcere, Doctiſſimum Fratrem Tuum conſcripſiſſe conſilium de Cometis, mihique brevi polliceri reſponſum. Nihil enim vulgare ab illa manu exſpectandum eſt. Velim ei plurimam ſalutem nomine meo deferas. Eandem Tibi, Vir Humaniſſime, & unà proſpera quæque precor, meque Tuo conſtanti favori commendo.

Hamburgi degentes Viri docti Cometam in Pegaſo novum eſſe cenſent: quibus Auctor aſſentit.

Hafniâ Hamburgum Cal. Maji St. Veteri 1665.

Viro Generoſo & Nobiliſſimo

STANISLAO LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ *S.P.D.*

THOMAS BARTHOLINUS.

QUàm grata fuit epiſtola favoris & priſtini amoris interpres, tàm ingratum accidit argumentum, quòd datâ temporum cælique occaſione, * quæ Tua eſt curioſitas & Naturæ ſcientia, inter nos agitari cupis. Augurii tamen eventum ſapiens ſpernit, nihilque intervenire ſinit, quod amicitiæ faciat divortium. Dudum verò in reſpondendo fuiſſem promptior, niſi me prædium meum avocaſſet, ubi à curis urbanis, & penè dixerim literariis remotus, prorſus aliud agebam. Jam verò in urbem reverſo aurem vellicat frater Clariſſimus Eraſmius Bartholinus, ut pudore ſuffundar, quod deſidiam, inuſitatam hactenus apud me, in ſcribendo incuſare poſſint amici, quibus anteà ad omne obſequium fui paratiſſimus. Nempe, deteritur cum ætate calamus, ſegniorque manus torpet, quo fato eſt vicinior. Ne tamen meam animam eſſe credas inter cæli omina fulgentem, quod de Julio olim ſuſpicabantur, ſive ut modeſtius veriuſque loquar, ne me mortuum exiſtimes, quod non pauci in Germania eruditi & faventes, falſo rumore de me ſparſo, doluerunt, paucis verbis teſtabor, quanti tuam voluntatem faciam, & quantum amicis, etiam ſemivivus debeam. De prodigioſo verò illo igne cæleſti, qui variis mundi plagis oſtenſus eſt, inuſitatæ magnitudinis & ætatis, judicium meum exquiris, quod valde miror: Cælum enim ejuſque incolas relinquere coactus fui, alio ſtudiorum generi implicitus, hominique me totum addixi, terrarum incolæ & vicinioris notitiæ amico. Unde quicquid de Cometa utroquè nuper viſo, ex obſervationibus nocturnis dici poteſt, abundè frater, harum rerum peritus, ad Te perſcribet. Video tamen aliquid mihi, ut Medico, relictum, quo Cometarum prognoſticum nonnihil illuſtretur. Penes Te ſit judicium, ſi ingenio magis quam veritati litem, quia ſcribendi occaſionem dediſti, dabis quoque veniam, ſi ſcribendo extra viam communem deflectam. Cometam tanquam cæli abſceſſum concipio, qui ſua habet incrementa & declinationes. Unde autem materia in tumorem congeratur, penes me dijudicari non poteſt, an ex orbe noſtro fœtido exhalationes adſcendant, an ex cæli orbibus malè habentibus effluvia in globum hunc compingantur, incertum eſt, quanquam poſterior ſuppoſitio à Mathematicorum filiis facilius admitti poſſit, qui cælum corruptioni & generationi eſſe obnoxium fatentur, nec ità facilè concedent terrenas exhalationes ad diſtans cælum permeare.

**Bartholinus Thomas amicitiæ conſtantiam Auctori teſtatur,*

Silentium profectione ab Urbe excuſat,

Negligentiæ ſuſpicionem ab ſe amolitur,

Se, vergente in ſenectutem ætate (utpote quinquagenarium ferè) tardiorem ad ſcribendum reddi, fatetur:

Vivere tamen, ſecus quàm mendax fama ſparſerat, teſtatur:

Sententiam de Cometa, Medico convenientem, fert,

Ingenio indulgens, docendo ſcilicet Cometam eſſe cæli abſceſſum, qui ſua habeat incrementa & declinationes,

Quæſtionem de materia Cometarum decidere nolens, à Peripateticorum tamen ſententia in partes Hevelii & aliorum, qui idem de cælo & Cometis docuerunt propendet:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

permeare. Quicquid autem horum ſit, quamcunque generationem Cometarum ſumamus, certum erit è materia conſtrare, quæ diſſolvi, quæque ad nos remeare poſſit, ſive calida, ſive ſicca, ſive quacunque alia qua corpora noſtra & ſublunaria alia vel calore accendantur, vel ſiccitatibus areſcant. Fauſta enim ominari ex hoc cæli abſceſſu vel rupto vel rumpendo non auſim, quia ſymptomaticus eſt, haud criticus, nec cum ſymphoria luxit, ſed in humanâ hyeme præcedente, febres, dolores laterum exitiales apud nos produxit, & incredibilem armentorum ſtragem: ideoque univerſi morboſum ſtatum indicat, vel eo magis quod unus abſceſſus morbificam materiam evacuare non potuit, ſuccedente altero in Pegaſo. Ex utriuſque magnitudine & duratione, idem prognoſticum elicimus. Exceſſus enim materiæ malignæ indicatur: quæ quum in nihilum redigi non poſſit, nec diſſipari, ad nos redit noſque inficit. Hinc Coi noſtri extat oraculum Coac. 365. *ſi evaneſcat, neque in exteriores partes converſum ſit, neque iſta diebus judicatoriis contingant, perniciem denunciare.* Quæ verò incommoda metuenda, non æque liquet, quia abſceſſus remoti naturam ignoramus, an ſiccitate, vel calore, vel utroque exitium terigenis immineat. Ad omnes verò terræ incolas ſpectare exiſtimo, quos aſpexit ſidus crinitum, præſertim verò illos, qui Corvo, Hydræ, navi, Cani Majori, Lepori, Eridano, Ceto ſubjiciunt, quæ cæli ſigna prior Cometa emenſus eſt, vel Pegaſo ſubſunt, ubi alter hujus anni Cometes fulgere viſus: ante omnes verò, Arietis clientes ſibi timere debent, ubi utriuſque Cometæ quidam quaſi concurſus fuit. Ego quidem decreta Cometarum tanti non facerem, niſi veſtigia me terrerent. Habent quippe plerumque triſtem cataſtrophen, & ex mea ſuppoſitione cauſſam præternaturalem, morboſi corporis indicinam, unde, ut cum Medicis loquar, mali ſunt ut ſignum, & ut cauſa. Auget ſuſpicionem aliorum ſignorum pravorum συνδρομὴ (concurſus) quam circa eadem Cometæ utriuſque tempora notavimus. Ignes enim cælo ceciderunt, ſanguineis guttis nives rubuerunt, ſpectra obſervata, monſtra generata, abortus crebri viſi, mille alia portenta memorantur, quæ deficere naturam vel laborare indicant. Mitius quoque de his omnibus judicarem, niſi vitia mortalium peſſima, numerum prodigiorum ſuperarent. Illis moveor, ut de felici augurio deſperem, boniſque etiam malè augurari cogar, quum enim, ut Sapiens loquitur, vitia proſunt, peccat qui rectè facit. Deus faciat ut vitia emendentur, ne oſtenta noceant. Ad fortuita deinde conſurgamus, & quicquid inciderit, ſciamus non eſſe tàm magnum quàm rumore jactetur. *De ulceroſa hæc cæli affectione natum mihi ſub manibus conſilium Medicum, ſiquidem Medicinam admittit inevitabilis rerum ordo, quod mittam quamprimùm ex prælo emerſerit, ut inter tot Magnorum Virorum lucubrationes, etiam ingenii noſtri vel luſum vel nugas, circa controverſum tritumque jam in orbe argumentum legas. Seriò enim rem arduam expendere, otium non ſinit, nec forſan rerum Mathematicarum infantia. Tu Vir Generoſe, impolitam reſponſionem pro promptâ benè de Te merendi voluntate interpretare, meque porrò amare perge. Vale feliciter ſi per tot cæli minas potes.

Hafniâ Hamburgum die 27. Maji 1665.

Generoſo Viro

Dno. STANISLAO LUBIENIETZKI

ERASMIUS BARTHOLINUS *S.P.D.*

DEſideratum à me diu officium tua erga me ſumma benevolentia ulterius differri non patitur. †Nam cum tardiorem editionem opuſculi de Cometis, Typographus aliique qui figuris cælandis operam condixerant, ſpondeant,

Et materiam Cometæ, quæcunque illa ſit, diſſolvi, & in humana aliaque ſublunaria corpora agere contendit:

Fauſta Cometam ominari, dicere non audet, triſtia portendiſſe nuperum nec potuiſſe unum tot mundi peccata expiare, ideoque duos apparuiſſe,

Utriuſque materiam ad nos rediiſſe, noſque infeciſſe, abſceſſûs ritu, dicit,

Incommoda, Cometæ effecta, determinare non vult,

Hæc tamen illos magis reſpicere ait, qui ſideribus quæ Cometæ peragrârint, ſubjecti fuerint:

Præſertim ſigno Arietis: Malorum non tantùm ſignum, ſed & cauſſam eſſe Cometam ſuſpicatur:

Auctâ ſuſpicione concurſu aliorum triſtium ſignorum, ut ſunt ignes cælo cadentes, ſanguis, nives tingens, ſpectra & alia:

Tùm verò & vitiorum generis humani perquam multorum, & propè deſperatorum:

Hæc ut corrigantur, & ita mala omina procul abſint, optat:

** Conſilium Medicum de Cometa poſtquam lucem viderit, miſſurum ſe eſſe promittit.*

† Bartholinus Eraſmius promiſſas obſervationes ſuas mittit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura obſervat. Cometæ prioris, Hauniæ fact. ad Communicat. Cl. viri D. Erasmi Bartholini M.D. & Regii Math. prof. pertinens. Nº. 31



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

deant, exſcriptum obſervationum, quas prioribus epiſtolis promiſeram exhibeo.

Anno M DC. LXIV. die 23. Dec. S.V. Hafniæ hora urbis $7^{ma.}$ veſpertima, altitudine Orientali, Aldebaran exiſtente 47. gr. 26. m. obſervata eſt diſtantia Cometæ ab Aldebaram, 23°. 23′. ejuſdemque à Rigel diſtantia 21°. 15′. Ad Sextantis quoque vitium emendandum, accepta eſt diſtantia inter Aldebaran & Lucidam ♈, 35°. 29′. & cum vera diſtantia ex calculo & Obſervatis Tychonicis deberet eſſe 35°. 32′. conſtitit Sextantem peccare in defectu 3. minutis primis, quæ diſtantiis hiſce ſunt addenda. Altitudo quoque Cometæ fuit Orientem verſus 31°. 16′. Cauda ob Lunæ ſplendorem non apparuit. *Obſervationes Hafnienſes.*

Die 24. Dec. ſtatim poſt Solis occaſum, altitudine Aldebaran obſervatâ 23°. 48′. in plaga cæli Orientali, ſumpta eſt diſtantia Cometæ à Lucida Capellæ 51°. 56. Deinde diſtantia ejuſdem à Lucida ♈ 35°. 29′. horâ urbis ſexta veſpertina erat altitudo Aldebaran 23°. 53′. & à Lucida Capellæ 52°. 13′. colore plumbeo apparuit Cometa.

Die 25. Decemb. horâ urbis decima veſperi, cum aſcendiſſet ſupra Horizontem Orientalem Aldebaran 48°. 13″. diſtabat ab ea Cometa 25°. 11′. & à Lucida ♈. 25°. 16. nec non à Rigel 32°. 29′. Altitudo verò Cometæ obſervabatur 28°. 26.

Die 26. Decemb. veſperi, poſt auditam horam ſeptimam ſumebatur altitudo Cometæ meridiana 36°. 47′. Diſtantiæ verò accipi non poterant propter ventum vehementiorem.

Die 27. Decemb. veſperi inter horam quintam & ſextam, procellâ ingenti ſurripiente ſubinde aſpectum, diſtabat Cometa à lucida Capellæ 51°. 52′. ab Aldebaran 27°. 39′. à pede Heniochi 42°. 55′. Altitudo Cometæ 37°. 6, Meridiana ferè.

Die 28. Dec. primò mediocriter quidem ſerenum fuit, ſed nubes ſtatim conſpectum turbarunt & nix decidit. Affulgente ſerenitate horâ urbis $6\frac{1}{2}$ veſpertina, accepta eſt diſtantia Cometæ à Lucida Capellæ 50° 15′. deinde ad Aldebaran 28° 31′. eratque poſterior in cornu Arietis altero in meridiano.

Die 29. Dec. ſubito cum apparerent ſtellæ, animadverſa fuit Cometæ diſtantia à Lucida Capellæ 51° 27′. & à Lucida ♈ 16° 52′. Deinde hora urbis $5\frac{3}{4}$. obſervabatur Cometæ diſtantia ab Aldebaran 30° 41′. Altitudo Cometæ tùm fuit 39° 3′. Denique exiſtente Lucida ♈ in meridiano diſtantia fuit Cometæ à lucido pede Erichtonii 44° 26. & à capite Andromedæ 40° 18′. Altitudo quoque Cometæ tùm ſumpta eſt 40° 21′. Et paulò poſt meridiana ejuſdem altitudo 40° 45′.

Die 30. Decemb. diſtabat Cometa à Lucida Capellæ 51° 22′. à capite Andromedæ 38° 48′. altitudo verò Cometæ erat 40° ſonuitque hora urbis quintam. Altitudo Meridiana Cometæ fuit 41°. 49′.

Die 31. Decemb. nubes condiderant aſtra.

Anno M DC LXV. die 1. Januarii, nivoſum cælum, Cometa verſùs Occaſum obſcurius paulò ſpectabatur, mox tamen diſparuit.

Die 3. Januarii hora quinta veſpertina diſtabat Cometa à lucida Capellæ 52°. 16′. à capite Andromedæ 33° 59′. Deinde ab Aldebaran 35° $5'\frac{1}{2}$. & cum eſſet poſterius cornu ♈ in meridiana, accepta fuit diſtantia Cometæ ab extrema ala Pegaſi 28° 49′. nec non à Lucida pedis Erichtonii 48° 18′.

Hora ſexta urbis diſtabat Cometa à Lucida Capellæ 51° 49′. à capite Andromedæ 33° $38'\frac{1}{2}$. Altitudo meridiana Cometæ tùm erat 44° 32′. & ſtella, quæ eſt in baſi Trianguli ad ductum borealem, erat in Meridiano cum Cometa.

Die 4. Januarii cum meridianum tranſiret cornu poſterius ♈, diſtabat Cometa à lucida Capellæ 51° 55′. & à capite Andromedæ 32° $53'\frac{1}{2}$. Deinde, poſtquam jam lucida ♈ tranſiviſſet meridianum, diſtabat Cometa ab extrema ala Pegaſi 28° 22′. Horâ ſextâ urbis erat altitudo meridiana Cometæ 45° 7′. diſtantia verò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometæ à capite Andromedæ 32° 43′. & à lucida Capellæ 51° 51′. Poſtea, cum eſſet lucida in mandibula Ceti in meridiano, erat diſtantia Cometæ à lucida Capellæ 51° 47′.

Die 5. Januarii hora veſpertina urbis 6¼. cum altitudo Aldebaran in Orientali plaga eſſet 48° 45′. & Cometæ in Occidentali eſſet 42° 6. diſtabat Cometa à lucida Capellæ 52° 5′. à capite Andromedæ 31° 53½′. & mox diſtantia ſumpta Cometæ a lucido pede Heniochi 48° 42′. nec non ab extrema ala Pegaſi 27° 9′. Altitudinis meridianæ Cometæ obſervationem; nix decidens incertam reddidit.

Die 6. Januarii horâ urbis quinta veſpertinâ, cum elevaretur Lucida ♈ verſus Orientalem partem 55° 53′ diſtabat Cometa à Lucida Capellæ 52° 23′ & à capite Andromedæ 31° 13′. Deinde exiſtente ſecundâ ♈ in meridiano, diſtantia ſumebatur Cometæ a lucido pede Erichtonii 49° 17′ nec non ab extrema alæ Pegaſi 27° 3′. Paulò poſt tranſiit cum Cometa Meridianum lucida ♈, altitudine meridiana Cometæ exiſtente 45° 51′. & altitudine meridiana lucidæ ♈ 56° diſtantia autem Cometæ a lucida Capellæ 52° 6′ & a capite Andromedæ 31° 16′. Cum tranſiviſſet meridianum, & eſſet altitudo Lucidæ ♈ 55° 49′ diſtabat Cometa a Lucida Capellæ 52° 36 & a capite Andromedæ 31° 31′.

Die 7. Januarii obſervata fuit altitudo meridiana Cometæ 46° 25′, & diſtantia Cometæ a lucida Capellæ 52° 23½′. nec non a capite Andromedæ 29° 9′. Sed Sextans propter ventum vehementiſſimum ſuſtineri tutò non potuit. Nix quoque turbavit operas.

Die 9. Januarii, poſtquam diem 8. infructuoſam nobis reddidiſſet ingens nivium moles ventis præcipitata, ſumpta fuit Cometæ diſtantia a lucida Capellæ 52° 28′. & a capite Andromedæ 29° 41′. altitudine Cometæ exiſtente 47° 48′. cælum verò paulò poſt nubibus tegebatur horâ urbis quinta: ideo huic obſervationi non ſatis fidendum.

Die 12. Jan. Diebus 10. & 11. nubibus obſcurabatur cælum, jam verò hora 5¼ urbis, poſtquam Cometa nuper tranſiiſſet Meridianum, inventa fuit altitudo ejus 47° 56. nec non diſtantia ejus a Lucida Capellæ 52° 22′ a capite Andromedæ 28° 18′. eratque tùm lucida ♈ in meridiano.

Die 24. Jan. à die 13. Jan. ad hunc uſque nulla affulſit ſerenitas. Etſi enim die 13. Januarii obſcurè appareret Cometa, cum nuper ſecunda ♈ tranſiiſſet meridianum, tamen fulgore Lunæ impediebatur viſus; mox etiam ſecutâ tempeſtate ventorum nubibus inducebatur cælum, antequam organa ad obſervationem ritè diſponi poſſent. Hâc veſperâ autem horâ 5½ exiſtente altitudine oculi ♉ 48° 46 & Cometæ 44°, diſtabat Cometa a capite Andromedæ 25° 49′. & a lucido pede Erichtonii 51° 6′. Hora 6¾ ſequente cum eſſet in meridiano Aldebaran, diſtabat Cometa a lucido pede Erichtonii 51° 6′ a capite Andromedæ 25° 58′ eratque altitudo Cometæ 38° 46′.

Die 31. Jan. Ad hunc uſque diem perpetua nubila. Ergò exiſtente jam Aldebaran in Meridiano obſervabatur diſtantia Cometæ a lucido pede Heniochi 50° 56′ nec non a capite Andromedæ 25° 31′.

Die 7. Febr. hora urbis ſeptima cum elevaretur Canis minor ſupra Horizontem Orientem verſus 36° 26′. accepta eſt in Occidentali plaga diſtantia Cometæ a capite Andromedæ 24° 33′ & ab Aldebaran 49° 47′. Non tamen accurata fuit hæc obſervatio interventu nubium. Sequentibus diebus non potuit obſervari Cometa, propter cælum nubilum, exilitatem corporis & Lunæ ſplendorem.

Clariſſimi Hevelii Prodromum Cometicum nondum videre licuit, quem avidè ab Auctore exſpecto. Optimè Vale.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Hafniam die $\frac{18}{28}$ Auguſti 1665.

Clariſſimo Viro

D. ERASMIO BARTHOLINO, Med. Doctori, & Regio in Acad. Hafnienſi Math. Profeſſori,

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ. *S.P.D.*

QUòd tamdiù ad Clariſſimi Fratris Tui THOMÆ BARTHOLINI, Tuaſque literas, illas Kal. has ſub exitum Maji datas, mihi ſimul poſtr. Kal. Junii redditas ſiluerim, nulla negligentia officii, tantominus animi in utrumque veſtrúm proni & benevoli remiſſio, ſed ingens gravium occupationum multitudo effecit. Hanc Vos credo noſſe, qui etiam facile per vos ipſos conjicere poteſtis, quantus in edendo vaſto meo opere incumbat mihi labor. At verò me illam mutuam reſponſi & benevolentiæ vicem gratantem tunc accepiſſe, & in colenda amicitia eſſe & fore conſtantem, certos vos eſſe jubeo: ut & me ſemper ad ea, quæ vobis grata fore intellexero, promto futurum animo. *Quas mecum communicaſti obſervationes Cometicas mihi longè gratiſſimas, utpote ex loco illo celeberrimo & à tanto Viro profectas, operi meo ſtatim tunc inſerui. Cujus editio tardior, Te forte inter alia ad commentarium de Cometis edendum, contra quàm tunc facturus fuiſſe videbâre, permovit. Quicquid ſit, ego non tantùm Tibi & Inclytæ veſtræ Aulæ & Academiæ; (de utraque enim optimè mereris) ſed & Reipublicæ literariæ, de qua pariter benè & multa cum laude mereri non deſinis, †de hoc docto & eleganti Commentario gratulor. Gratulor autem Tibi & de tam excellenti & illuſtri Patrono Witzio, cujus non tantùm bellicam virtutem & prudentiam pervigilem in rebus dubiis adverſiſque propriâ quoque experientiâ edoctus, verum & eximias animi & ingenii dotes, adeoque amorem in literas & literatos ſingularem, probe novi: ſicut jam ante Sereniſſimo & Optimo Regi veſtro gratulatus ſum de tali Miniſtro. ‡Gratulor verò & mihi, quòd honorificam mentionem facias obſervationum Cometicarum ab Ampliſſimo Hevelio & Cl. Büthnero Gedani factarum, quas ex literis eorum per meas manus miſſis habes. Nam cum eaſdem mecum communicarint operi meo inſerendas, pergratum eſt eas à Te tanto Viro commendari. *Verumtamen Tu in ſententiam de gemino Cometa Corvi & Leporis inclinas, imo fide Norvegicarum & Holſaticarum obſervationum pro hac decernis, certè decretum paras. Qua de re velim me moneas, ut id operi meo & Tuæ communicationi, velut tabulis publicis, inſeratur. †Maximum Inclytæ Daniæ & rei Mathematicæ, quin imo ſuperioris ſeculi decus Tychonem Brahæum, Virum undecunque Nobiliſſimum, quòd contra Ricciolum defendas, rem Te dignam facis. Ex poſtremis Riccioli literis (quarum autographum mitto Tibi, ſed ita ut ad me brevi redeat) eum concatenatis morbis ad vitæ periculum vinctum, & propè victum jam fuiſſe didiceram. Sed ab eo tempore nihil de ſtatu valetudinis ejus, vel ab illo ipſo, vel à ſociis ejus Kirchero & Schotto accepi. Ab utroque autem multa eaque egregia operi meo indenda. *Sed & ab utroque Gerrichio, Patre & Filio. Iſte quidem Anemoſcopii illius prognoſtici delineationem & deſcriptionem, aliaque quædam; ille verò ſententiæ ſuæ de Vacuo, motu terræ, & generatione Cometarum ex procellæ impetu avulſa aëris parte radiis ſolaribus illuminata (quam ſententiam meritò ad Epigenem refers, quod ego quoque in literis ad eum datis feci) explicationem & confirmationem dedit; cujus generis plura, credo, mihi dabit occaſione literarum mearum, quas ad eum hoc menſe dedi. Quod ad effectus Cometarum attinet, mihi quidem longè eſt gratiſſimum, quòd Te ſententiæ meæ habeam paratum vindicem. Come-

Auctor dilatum reſponſum apud Bartholinum excuſat.

Amicitia fidei conſtantiam deſiderat.

Amicus amico grata præſtet officia.

**Obſervationes Bartholinianas Auctor ſtatim operi inſeruit antequàm à ſuo Auctore publicis typis committerentur.*

†Invidiam omnem à mente Viri boni publicæ utilitatis ratio removeat.

‡Obſervationes Hevelianas & Büthnerianas Bartholino placuiſſe, meritò Auctor gratulatur.

**Bartholinus pro Cometa gemino Corvi & Leporis decretum parat fide Norvagicarum & Holſaticarum obſervationum nixus.*

†Tycho Brahe laudatur, à Bartholino contra Ricciolum defenditur.

**Gerrichiorum Patris & Filii communicationem gratam ſibi eſſe Auctor teſtatur.*

tam pro nuncio & Propheta cœleſti non eſſe habendum, cum res noſtras ignoret & curſum deſtinatum perficiat (quæ & excellentiſſimi Gaſſendi mens & ſententia fuit) dicis: atque id quidem ex rei veritate & publicæ quietis ratione. Ego tamen fateor me Cometam nuncium & præconem cæleſtem appellare; ſed Ethicè, ſine ulla Phyſicæ vel fatalis neceſſitatis mixtura. Eadem de cauſſa, moralis ſcilicet diſciplinæ reſtituendæ, Cometam, licet neſciatur an futura portendat, tantominus triſtia, non tantùm triſtia, ſed & læta nunciare, tàm his quàm illis apparitionem ejus ſemper ſequentibus, dicere ſoleo. Bella in orbe continua eſſe, † ut & aſſiduo homines in tàm vaſto terræ ſyſtemate naſci & mori, & ſic etiam jugitèr triſtia lætis miſceri, ei qui rem integram penſitat, & geſta humani generis oculo mentis adſpicit, patet. Prudenter itaque mixturam illam & viciſſitudinem rerum aſſeris, nec poſſe nos continuis frui gaudiis: tùm calamitates eſſe vitiorum luxuriantium tonſuram, & peccatorum inſolentium coërtiones, adeoquè Deum etiam tum cum caſtigat, paternum in nos animum teſtari ingenioſè & piè doces. Illa quoque experientiâ confirmantur, bella huic noxia, illi eſſe fructuoſa: his damnum, dedecus, interitum, illis commodum, victoriæ decus, rerum augmentum ferre: Cometam ideò etſi bella portenderet, non eſſe timendum, cum bella pariant pacem & tranquillitatem. Sed nec tunc timendum fore, cum ſignificaret peſtem vel mortem miſeriâ, ſenio morbove fractis. Nam acerba quidem hæc ſunt, ſed ſueta, ordinaria: ut hùc meritò illud Euripidis referam, *Hei, hei, quid hei? quæ nos preſſère, humana ſunt.* Adhæc utilitate ſuâ, nobis multum, ſi ex neceſſitate, ut vulgo dici ſolet, virtutem facere velimus, profuturâ non carent. * Quid verò teſtatius quàm Cometas Mithridati, Alexandro, Auguſto aliiſque felicia omnia fuiſſe? tum & nullis apparentibus Cometis (niſi hos cum Pythagoræis aliiſque æterna credamus ſidera) bella exorta fuiſſe? Quòd ſi magnorum Mathematicorum, Tychoniana veſtigia intrepido pede calcantium ſententia, cælo Cometas aſſerens ſtat fixa, meritò urges Cometam non portendere, neceſſario ſcilicet, multo minus efficere tempeſtatem, ac ſine fundamento veri Cometis à Poëtis & Aſtrologis tantos effectus tribui. Novi & ego quoſdam hâc & aliâ viâ decipere & decipi. Sed verum etiamnum illud vetus eſt: ‡ *Singuli decipere & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Plin. in Paneg. itemque illud occaſione Cometæ illius, qui *Helicen & Burin ortu ſuo*, ut utar Senecæ verbis, *merſit*, quemque Ephorus in duas ſtellas diſceſſiſſe dixit, ab eodem Seneca memoriæ traditum: *Quidam creduli, quidam negligentes ſunt: quibuſdam mendacium obrepit, quibuſdam placet. Illi non evitant, hi appetunt. Et hoc in commune de tota natione: quæ approbare opus ſuum & fieri populare non putat poſſe, niſi illud mendacio aſperſit. Ephorus verò non religioſiſſimæ fidei ſæpè decipitur ſæpe decipit.* l.7. nat. qu. c.16. Vates aſtrologos, Ægyptiis illis ſimiles, contra conſcientiam ſua venditare, ut imponant populo, dum dicis, adſentis Verulamio, qui ſimile quid & de quibuſdam Theologis dicit l. de ſuperſt. Summos Aſtronomos præſagia Aſtrologica rejicere, Tuo quoque exemplo comprobatur. Illud porrò pium & prudens eſt, ut læta Cometæ auguria ad pietatem nos excitent, & admoneant Solis bonitatis divinæ undiquè omnia colluſtrantis, cum genuinum Solis lumen ad nos averſa cauda reflectat. Utinam Sol ille radiis felicibus Auguſtiſſimum Regem Veſtrum, qui tantâ munificentiâ ſtudia Veſtra cœleſtia & aliàs bonas artes humi jacentes in altum extollit, totamque Sereniſſimam Domum ejus, reficiat & gaudiis repleat. Sum adhuc in ære Clariſſimi Fratris Tui Thomæ, cui quidem non reſcribo, ſed plurimam ſalutem adſcribo. Illud faciam abundantius nactus otium, Deo volente. Hoc facio, quod differri nec debet, nec poteſt, poteſt autem verbo perfici, at illud non item. Ad Te mihi pauca dicenda ſuperſunt, & quidem ex quadam inſtituti neceſſitate. Conſtitui operi meo Hiſtoriam Cometarum addere, ſubjecto brevi indiculo lætorum & triſtium eventuum eos ſecutorum. Video enim longè plures annotari poſſe Cometas, quàm hactenus factum eſſe animadverto,

Cometa pro nuncio & Propheta cæleſti quatenus non ſit habendus.

Cometa nuncius & præco cæleſtis dici poteſt Ethicè, remota omni Phyſica neceſſitate.

† Naſcuntur & moriuntur continuò homines.

Bonorum malorumque perpetua eſt mixtura & viciſſitudo.

Calamitas eſt tonſura vitii, virtutis occaſio.

Deus caſtigando prodeſt.

Bella his nociva illis ſunt utilia.

Cometa non timendus, etſi bellum portendat, vel peſtem, vel mortem.

Bella ferunt pacem.

Mors manet omnes.

Patienter ferenda, quæ ſcimus certò eventura.

Mala in bonum cedunt.

** Cometæ felices quibuſdam Principibus: non efficiunt bella; nec neceſſariò tempeſtatem portendunt, & immeritò tot malorum infamiâ onerantur.*

Deceptores cavendi: quorum impoſturas tempus revelat.

‡ Prudentia cavet impoſtorum artes.

Creduli mendacia arripiunt.

Negligentes fraudibus patent.

Mendaciis ſua impoſtores commendare amant.

Fidem religioſè præſta.

madverto, quod vel in Solis ſemeſtribus expertus jam ſum, per Dei gratiam non infeliciter. Nam cum Alſtedius, ut & Eckſtormius duos indicet, Ricciolus tres, Hevelius quatuor, ego octo exploravi & in ordinem redegi. Reliquorum catalogum Ricciolus compoſuit, ut 154. in univerſum computet: Alſtedius 160: Eckſtormius ad 200. extendit. Hunc longius protendi poſſe jam expertus ſum. Fidem facit & commentarii Tui doctiſſimi epilogus, dum meminit Cometæ ab Iſlandis annotati ad ann. 1222. ab exteris verò auctoribus neglecti. Tu qui diſcrimen æræ vulgaris à vera noſti, velim me doceas annon hunc Cometam annotet Keckermannus & Eckſtormius ad ann. 1223. Tum an Iſlandici Annales meminerint Cometæ anno 1104. antequam Hecla ibidem prima vice ignem evomuiſſet. Eckſtormius ex Sebaſt. Franco ad ann. 1103. annotavit Cometam in ſpecie igneæ flammæ viſum, qui ſi in Iſlandia ad ann. 1104. relatus ſit, idem unuſque eſſe poterit, obſervato illo æræ vulgaris & veræ diſcrimine. Cometam qui anno 1301. ante mortem Caroli Martelli (ſecundum Te Magni) apparuerit, Ricciolus itidem ex Spendano notat, & ad eundem ſimul mortem Andreæ Regis Hungariæ refert. Atqui Carolus Martellus, ille Siculus, ſive ſolus, ſive cum filio Regnum Hungariæ tenuit (diſſentiunt enim Annales Hungarici & Blondus apud Bonfinium) longè poſterior Andreâ & ſuperſtes ei fuerit, ita ut à multis & filio Carolo, qui anno 1342. obiit, ſuperſtes fuiſſe dicatur. Cometam autem ad 1300. annotat Eckſtormius, tum Rockenbachius & Alſtedius, quorum iſti & anno 1301. quoque viſum eſſe Cometam memorant. Ita vides, Vir Doctiſſime! quàm non pauca hic quoque examinanda occurrant. Quod reliquum eſt, velim excuſes multam libertatem meam, quâ in Te compellando & interpellando utor, rei literariæ promovendæ intentus. Tempus & charta Vale Tibi dicere jubent.

Cometarum ſemeſtrium catalogum Auctor in ordinem redegit:
Ut & aliorum, non parum auctum.
Iſlandicus Cometa ab aliis auctoribus omiſſus.
Heclæ primum incendium Anno 1104.
Dubium de Carolo Magno propoſitum Bartholino.
Andreæ Regis Hung. mors.
Caroli Martelli Siculi mors.
Cometa 1300. & 1301.

Hafnia Hamburgum die 26. Sept. 1665.

Vir Nobiliſſime, Doctiſſime.

EX hoc quoquè benignitatem tuæ naturæ perſpexi, quòd opuſculum meum omni commendatione deſtitutum, non tantùm accuratè perlegeris, ſed & in majus extuleris, gratiſſimis tuis literis exaratis die 18. Auguſti, ſed tardius redditis in prædio meo Lindholm, quo me feriæ Academicæ invitaverant. Publica deinde Academiæ negotia in diverſis Provinciæ partibus me diſtinuerunt uſque ad præſens momentum, quo ad dubitationes Tuas reſpondere aggredior. Iteratò conſului Annales Iſlandicos utroſque, & excerpſi Cometas omnes ibi annotatos ad annum 1301. quos coincidere cum iiſdem ab authoribus memoratis (anno 1066. quem ſecuta hyems, copia nivium momorabilis, 1222, 1240, 1264, 1273, 1301) duobus exceptis ſed omiſſis, 1222, & 1273. Sed neſcio cujus incuria irrepſit mendum illud, cujus meminiſti, cum Carolus Magnus excuſum deprehendam pro Carolo Martello. Cometæ anni 1104. iidem Annales non meminerunt. Operationem ipſam in gratiam juventutis adſcripſi à pag. 19. verſ. 15. ad p. 31. & à pag. 35. verſ. 7. ad pag. 37. verſ. 8. nec non à pag. 39. verſ. 6. ad pag. 42. quæ jure poſſent à Mathematico omitti, & compendioſius imprimi. Fratris Conſilium Medicum de Cometa excuſum typis, unà cum epiſtolâ tibi miſſâ datâ occaſione mittam. Ignoſce brevitati, quæ ſi modum excedit, imitatur Tuam benignitatem. Vale.

Tuus

ERASMIUS BARTHOLINUS.

Bartholinus Eraſmus judicium Auctoris de ſuo Commentario Cometico acceptum habuit.
Ad dubitationes Auctoris reſpondet.
Bartholinus Carolum Magnum pro Carolo Martello in ultima pagina Comment. ſui poſitum eſſe fatetur,
Fratris ſui Thomæ Conſilium Medicum Auctori promittit, unà cum epiſtola ad eum ſcripta opuſculo illi ſubjecta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Hafniam die $\frac{3}{13}$. Octabris 1665.

S. P. Vir Clariſſime, Doctiſſime, Humaniſſime.

ACcepi nuper rectè Tuas die 26. Sept. datas literas, quibus meas m. Aug. ſcriptas, & illud qualecunque de doctiſſimo Commmentario Tuo judicium placuiſſe Tibi, teſtaris. Equidem gratum mihi eſt, cum aliquid præſto viris laude dignis gratum. Te verò cum Clariſſimo Fratre Tuo, cujus erga me benevolentiam indicas, inter præcipuos, ut in Republica literaria, ſic in mea amicitia pono. Hodie tandem in librum illum Fratris Tui incidi, & vidi ſubjectam ei eſſe epiſtolam ab eo ad me ſcriptam. Prævenit ille illuſtri officio promtam meam bene de ſe merendi voluntatem. Utinam debitæ meæ modeſtiæ & præſenti ſorti titulo Illuſtris abſtinens, conſuluiſſet! Ille enim nonniſi in aliqua dignitate poſitis, vel ſplendidiſſima patrimonia & latifundia poſſidentibus competit: mihi vero neutrum, quin potius opprobrium Chriſti. Inſpexi quantum aliæ occupationes, hoc præſertim die literis ſcribendis & tabellariis expediendis deſtinato, patiebantur, Fratris Tui Librum doctum ſanè & politum. Animadverto illum Cometis non parum efficaciæ tribuere. Qua in re fortè à Te diſſentit. Sed de his aliàs rectius, poſtquam librum perlegero, quem ut Auctoris munus accipiam Te accurante gratus. Quod mei cauſſâ Cometas ex Annalibus Iſlandicis excepſeris & annotaris, pergratum accidit. Illos anni 1066. & 1264. annotant Ricciolus, Eckſtormius & Alſtedius. De reliquis oritur dubium, quod velim tollas. Nam Eckſtormius Cometas annotat ad ann. 1223. 1239. 1241. & 1300. Alſtedius verò etiam illum anni 1223. Funccius & Calviſius ex illis, non niſi duos notant, Anni ſcilicet 1066. (quem & Bucholzerus memorat) & 1264. Illius Anno 1273. nullus horum meminit. Velim itaque circumſtantias ejus mihi perſcribas: nec non de obſervationibus Cometæ ultimi à Te habitis reſpondeas, idque quamprimum. Veſtra enim cum prima occaſione, quæ ſe flagrante Monaſterienſi in Batavia bello, certa obtulerit, Amſtelodamum mittenda ſunt prelo ſubjicienda. Ideò & Clariſſimo Fratri Tuo brevi, Deo volente reſpondebo. Cui nunc plurimam ſalutem adſeribo. Vale & mihi porrò fave.

Bartholinos magni æſtimat Auctor.

Illuſtris titulum Auctor non recipit.

Auctoris de Thomæ Bartholino Commentario Cometico judicium.

Dubia nova Bartholino ab Auctore de Cometis propoſita.

T. Omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Hamburgo Hafniam die 21 *Octob.* 1665.

Viro Clariſſimo & Doctiſſimo

THOMÆ BARTHOLINO, Med. Doct. & Regio Profeſſori

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ. S. P. D.

QUàm grata & mihi Tua epiſtola Kal. Majis data, at poſtr. Kal. Junias Julianas huc perlata, fuerit, nolim Te ex tardo reſponſo meo menſuram capere. Ipſa Tua æquitas Tibi id indicaverit eodem puncto temporis, quo illam ſcripſiſti. Documento fuerit & mea erga Te benevolentia, ut fundatiſſima, ita Tibi aliiſque teſtatior quàm ut aliquibus fucatæ amicitiæ lenociniis indigeat. Silentium ſatis pertinax, quo in hanc diem uſus ſum, excuſabunt apud Te variæ & aſſiduæ, nec leves occupationes meæ, non tantùm quas gravis fortuna imponit, ſed & rei literariæ juvandæ & publicæ utilitatis promovendæ ratio exigit. Ne quid nunc dicam me librum Tuum, cujus ſpem Clariſſimus Frater Tuus Eraſmius Bartholinus fecerat, adhuc exſpectaſſe, quò copioſiùs ſcribendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſcribendi argumentum conſequerer. Sed tandem illum in publica taberna libraria inveni & comparavi, ne officii vicem diutiùs differre neceſſe haberem. Hanc quidem præſtare Tibi non neglexiſſem, utinam tàm felix, quàm non parcus in ſcribendo! Nempe quia debitum epiſtolæ Tuæ doctiſſimæ & amiciſſimæ reſponſum, operi meo aliquando erat inſerendum. Cum verò nunc benevolentia Tua epiſtolæ illius ad calcem Conſilii Medici de Cometa editione meum promtum benè de Te merendi ſtudium anteverterit, tanto magis mihi nunc ad reddendam reſponſi vicem properandum erat. Ingratum de Cometa argumentum pia meditatio, docta commentatio, amica tractatio, tùm & ſolida boni ominis exſpectatio gratum reddere, præſumtæque opinionis acerbitatem edulcare poteſt. Sapiens enim, quod melius me noſti, apis inſtar, etiam ex ſpinoſis carduis & amaris herbis mel exſugentis, ingrata quoque reddit & habet grata, & quamvis animum ejus adverſa tentent, Fert tamen, ut debet, caſus patienter amaros. Tantò magis cum & proſpera illis grata vice continuò ſuccedant, & triſtia non raro efficaci lætiorum veritate refutentur. Exemplo eſt acerbus ille de Te rumor, quem pudore ſuffuſum eſſe gratulor, & longævâ ac commodâ valetudine largiter penſari opto. Quod Te de Cometa conſuluerim, mirari non debes. Noveram enim non tantùm Te judicium de hac re Clariſſimi Fratris Tui Eraſmii Bartholini, qui Mathematica ſtudia cum Medicis feliciter conjunxit, exquirere, & ad me pro jure ſingularis amicitiæ perſcribere, ſed & ipſum Te, pro inſigni Tua & ſolidâ eruditione, rerumque naturalium ſcientiâ, ferre poſſe. Hoc ſi modeſtia Tua non videt, vel prædicare recuſat, meus tamen candor diſſimulare minimè poterat. Cæterum & Clariſſimus ille Frater Tuus Eraſmius, ſuas de Cometa obſervationes operi meo inſerendas mecum communicarat, quas poſtmodum mutato conſilio publici juris fecit, addito doctiſſimo Commentario, qui mihi delectationis, publico utilitatis plurimum attulit. Vindex enim ille eſt acerrimus & tutiſſimus meæ de Cometis ſententiæ; eos ſcilicet non tantum triſtia, ſed & læta portendere, vel potius hæc illorum apparitionem excipere, cum illi mortalia ignorent, & curſum deſtinatum perficiant, perpetuo mortalibus inter bonorum malorumque, quales & ipſi ſunt, vices verſantibus, at Deo Opt. Max. mala quoque bonis in bonum dirigente. Congruit quidem veritati plurima mala Cometis plerumque, & ferè ſemper, quod affirmas, ſed & quod negas, haud raro bona eſſe ſecuta, nec non adverſa quoque eos præceſſiſſe, quod ipſe fateris. Quod ſi verò, ut credibile eſt, mala longe ſint plura, nemo id mirabitur, qui longe plures malos in orbe dari queritur & dolet: Ita nempe mixtura utrobique multum, & meritiſſimo quidem, eſt inæqualis Inter hæc Cometas & alia cæleſtia ſigna, præconum inſtar, mortales pleno curſu non ad metam ſalutis & brabeum æternæ beatitatis artâ, ſed æterni exitii barathrum tritâ viâ contendentes inclamare, officii admonere, & inter eoſdem, ut cujuſque fert genius, minas & ſpes ſpargere, non invitâ veritate, ad mentem Ethices dici poſſe reor. At verò Tu, Vir Doctiſſime, Cometam tanquam cæli abſceſſum, qui ſua habeat incrementa & declinationes, conſideras. Memini me legere de Keplero, Magni Tychonis veſtri olim diſcipulo, eum Cometas monſtris comparaſſe marinis, & velle eos naſci ex craſſæ aëris pinguedinis excremento, in unum apoſtema ad purgandum cæleſtem auram coacto, ad avertendas triſtes à ſole maculas. Has pulcherrimum illud cæli ornamentum, apparentibus Cometis, non deformare, Mathematicorum quorundam obſervavit ſolertia. Keplerus verò uti abſceſſum, ita & labem cæli vocat Cometam.

Accipio omen, lævum licet, ſed dextrâ manu, & ad dextram transferendum. Abſceſſus non tantum in cælo (nempe eum in Sole, à nobis tranſito Æquatore in Polum Antarcti cum magis magiſque recedente videmus) ſed & in terra locum habet. Cumprimis verò eum in nobis ipſis ſentimus, vitioſis humoribus (quod ex arte & experientia in Conſilio Tuo Medico docet) in

unum

unum aliquem locum corporis noſtri concurrentibus, & apoſtemata, violentioribus remediis digna, efficientibus. Utinam non ſentiat Chriſtus in corpore ſuo, poſtquam tanta pars ejus tàm longè à primæva integritate receſſit. Quod tantum abſceſſum ille, ut ſic dicam, gratiæ divinæ exceperit, tùm & iſte Cometarum, quem vocas, identidem excipiat, minime mirandum nobis eſt, qui juſtam Dei ſapientiam veneramur. Optamus autem meritò, ut, quemadmodum de acceſſu Solis, repetito mediæ illius lineæ tramite, ad noſtrum Arcticum polum redeuntis, nobis gratulari ſolemus, omnes acceſſum Solis gratiæ divinæ venerantes gratanteſque experiamur. Hunc nobis & iſte cæli abſceſſus pollicetur, ſi bono ut genio, ita & omini acceſſum præſtamus. Generationem & corruptionem in cælo negare licuit Cardano ſubtili, & Scholæ Peripateticæ, placitis Magiſtri ſui nimium addictioni, Tibi contrarium affirmare libuit. Et certe vero convenientius videtur utramque cælo & omnibus rebus creatis, ſolo excepto omnium Creatore, competere. Has partes Clariſſimum Hevelium (quem novum cæli Atlantem meritò vocas) poſt alios fortiter tueri, ex Prodromo ejus Cometico cognôris. Unde venit illius de eructationibus Planetarum Cometas componentibus ſententiæ præſidium. Quod ſi illæ, ut probabile eſt, continuò (ut omnia creata cum morbis vitiiſque ſuis luctantur) fiant, non mirum ſubinde corpora illa Cometica conflari, quæ toties videmus, licet fortè ſæpius & conſpectum noſtrum fugiant. Fauſta ex tali cæli abſceſſu ominari, æquè ut infauſta, ut puto, licet, ex jure, quod inſolentibus portentis obtigit, quo quotidiana apud nos exciderunt. Contribuere tamen illa cæli ſymptomata & purgamenta materiam aliquam vitioſam orbi inferiori, quem juſta Dei potentia frequenter ventorum procellis, aëris infectionibus, terræ motibus, aquarum eluvionibus, officii admonet, terret, tandem & plectit, non negaverim. Sed ſemper hæc ex illis profluere, & exinde materiam exſpectare reclamat experientia, quæ hæc frequentius quàm Cometas videri docet. Niſi quis etiam in tanto arduæ rei incerto poſitus, ſtatuat materiam illam (ſiquidem in cælo diſſipari, & locum ibi, ut ais, invenire nequeat) igne, cuncta impura & nocitura impunè devorante, conſumi, nec deorſum per tot immenſa cæli ſpatia deſcendere, ac per circulationem, quæ Tua eſt ſententia, ad nos redire. Tùm etiam dicat producendis vitioſis vaporibus ſurſùm favente naturâ aſcenſuris, aërem turbaturis & infecturis, tellurem ſufficere. Adhæc affirmet opinionem ſuam illâ veritate experientiæ, ſæpius nobis ſine ullâ Cometarum apparitione, talia exhibentis, fundari. Denique à cæli abſceſſu cælo magis vicino, quàm terræ remotiſſimæ periculum eſſe, contendat. Tu ipſe æſtatem calidam & cadaveribus Thracum noxiam, autumnum humidum, & inhumanam hyemem nuperum Cometam præceſſiſſe ais: experientia varia bellorum & morborum monſtra, peſtem quoquè ex Africa ad Batavos allatam, quæ & noſtras attigerat terras, producit. At qualis illa hyems, quæ injectis mari compedibus & ſtrato glaciali ponte, integros exercitus in viſcera regni veſtri tranſtulerat? qualis illa belli, metropoli veſtræ inviſa, procella, nullo Cometâ prælucente, extitit? Hæc enim quæ exeunte Anno 1657. geri cœpta, triennio prope variâ fortunâ geſta ſunt, ad apoſtema Cometicum Anno 1652. viſum referre, foret apoſtema longè diſſitum reſiliendo attingere. Et quot quæſo exempla *Mortem* & *Martem* in humanum genus, nec ipſis eorum rectoribus exceptis, nullo præmiſſo Cometæ prænuncio ſævire docent! Ita ſive adſint, ſive abſint Cometæ, ſive excedant recedantve, ſive minus: ſolæ terræ eluvies terræ filiis, peſte vitiorum infectis, juſtâ Dei vindictâ pœnam meritam ferente, inficiendis pares ſunt. Adhæc verò propinquum & naturæ conveniens videtur, ne illæ cæli fœces inexputabilibus intervallis remotæ, arctis & repugnante naturâ deorſum deſcendere, &, ſi Ariſtoteli credimus, ut tecum ſolidis cæleſtium orbium compagibus ruptis, ac impenetrabilitate, ut tecum loquar, cæli ſuperatâ, aſſiſtentium illarum intelligentiarum jura involare &

violare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

violare cogantur. Quanquam quæ de intelligentiis à Stagirite dicuntur, ex hoc veluti veri confinio ad Angelos bonos commodè referri poſſunt. Horum enim miniſterio Deum à principio in cælo & terra uti, hos regna tueri; pios cuſtodire, ducere per avia, ignem exſtinguere, maria compeſcere, ſaxa potentius ferro perrumpere, imò ferrum frangere, impiorum myriadas puncto temporis ſternere, terram commovere aliaquê miranda & horrenda, Deo volente, patrare, ſacra pagina docet. Eadem Deo permittente malos Angelos malis hominibus, ut organis ſuis, ad affligendos pios uti, ignem cælo deducere, maximas in aëre tempeſtates ſubruendis fundatiſſimis domibus & opprimendis hominibus ciere, aliaque poteſtatis in aëre exercendæ indicia edere, locuples teſtis eſt. Idcircò hi bonos Angelos, Dei voluntate, Cometis bono humani generis uti: illi malos, malo ejus iiſdem abuti, incolumi pietate dicunt. Nempe unius rei multiplex cauſſa (ut Tu ipſe doces) & multiplex uſus dari poteſt: & quæ vera ac utilia, quæque contrà falſa & noxia ſunt, non uno modo proſunt & obſunt. Sapienti Philoſophia, illa præſertim cæleſtis, cuncta, etiam peſſima, in bonum vertit, ſicut non minus prudenter, quàm piè doces. Idem ille eſt, quocunque ſitus loco, & non movetur, etſi terrificum communi ſententia Cometæ ſidus videat, eundem bonæ mentis tenens gradum. Quod vel ſolus Seneca egregiè docet. Signa decuriis ſtellarum addita, voluntatis humanæ libertate ingenitâ & quæſitâ doctæ methodi induſtriâ utentis, ſigna ſunt, Arabibus & Europæis diverſa. Noſter Aries, illorum fortè Lupus; noſter Leo, illorum Lepus, ut aliquid virtutis ſtellis, proinde & hominibus ſubjectis, certum ſpei vel metûs afferant, non injuriâ vereor. Imò verò reor (ut libertate quam à Philoſophis diſco, in expectorando ſenſu apud amicum pectus utar) libertati, & induſtriæ Viri ſapientis jus ſuum vi iſtius inolitæ opinionis adimi. Atque Tu hoc contrà deliria Priſcillianiſtarum, ſed & Manliana (Maniliana dicere volui) imperia quaſi à ſtellis accepta, & humani corporis partibus compedum inſtar injecta fortiter defendiſti. Triſtia & noxia multa Cometas noſtros anteceſſiſſe, experientia docet: eademque monſtrat, læta & utilia illos ſequi, & pollicetur plura ſecutura. Sed talia non ex æquo omnibus obveniunt. Eandem aquam ex fluenti & diverſis vaſis & diverſa fini hauriunt viri fœminæque. Hæc illis ſitis reſtinctionem, caloris nimii temperamentum, virium refocillationem, his morbum mortemque affert, quod Tu memorabilibus exemplis doces. Idem Sol in cera & luto diverſimodè agit, quod omnibus notum. Vinum quo nunc abſtinere, carnes, quibus parcè uti, valetudinis conſervandæ cauſſâ jubes, iiſdem hominibus diverſo ſcilicet tempore; multò magis diverſis, & proſunt & obſunt: Sic & in humanis, quæ Cometa portendere, vel etiam efficere putatur, huic triſtia, illi fiunt læta, & contrà: quod exemplis Alexandri & Darii aliorumque prudenter confirmaſti. At neque læta illa & proſpera triſtium mixturâ carent; quam in Mithridate, Auguſto aliiſque meritò monſtras. Nempe ut ille ait: *Nil eſt ab omni parte beatum.* Felicitas humana plus fellis quàm mellis habet. Adeo & illa quæ Cometam inſecuta eſſe oſtendimus, bona, aloë luctûs vel incommodi cum melle lætitiæ commiſto non carent. At verò Tu Medicum & Aſtronomum ſimul agens, non tantùm ingenioſè; ſed & ſolidè abſceſſum illum cæli non criticum; ſed ſymptomaticum vocas, ut ita poſtquam de cauſſa & ſigno morbi dixiſti, ex Medici Catholici officio cæli terræque morbos ſanare volens, Philoſopho obedias ἐν τῷ περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς, (in præſagiis ex ſomno captari ſolitis) tria iſta ponenti, αἴτιον, σημεῖον καὶ σύμπτωμα. [cauſſam, ſignum & ſymptoma] Quippe morbus ille non eſt ſolutus, niſi tamen hîc in melius, illîc in deterius mutatus fuiſſe dicatur, quod ad caſus ſive eventus, quæ etiam ſymptomatum nomine veniunt, in terris attinet. Acceſſiones enim boni & mali non tantùm huic vel illi naturali & civili corpori, ſed & pluribus ſimul ab ortu Cometarum, quia & ab ortu rerum omnium, non deſunt. Ita nuper hinc peſtis & bellum receſſit, illùc acceſſit. Hei nimirùm omnia ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Sole viciſſitudinum & corruptionum vitiis, velut morbis, laborant, (quod itidem prudenter mones) præcipuè verò mundus hîc inferior, & minimè mundus, tot vitiorum morbis ſcatet, ut omnium animi animæque Medicorum fatiget, ſæpè etiam eludat, induſtriam. Inter hos præclarè Te, Vir Excellentiſſime, geris, dum ſalubribus non tantùm corpus, ſed & animam præceptis curas. Quid enim aliud volunt, quibus aſſeris, Deo non eſſe difficile fatum Cometarum, quandò piis precibus exoratur, in melius vertere, dum morti eripit & exitio deſtinato mutatâ in miſericordiam irâ, ſi ſupplicia vota miſerint mortales? Quid illa, quibus Chriſtianos à vera pietate & fide remotos, Paganis ſimiles à Deo tractari pro meritò, vitæ emendationem inculcans ais, nullaque in eum merita eſſe quibus gratiam Cometarum mereamur? Alia plura ut ſileam. Cæterùm velim credas me, licet benignius de Cometis judicem, Veronæ manſurum, nec Placentiam, niſi cum bonis & laudatis divortium unquam facturum eſſe. Apertè dico Cometas & alia ſigna cæleſtia nec temnenda, nec timenda, nec deſpicienda, nec ſuſpicienda: ſed mente numinis metuente, officiorum pietatis ſtudioſâ conſideranda eſſe. Eadem mihi planè hîc, quæ Clariſſimo Fratri Tuo ſæpius non minus laudato, quàm nominato Eraſmio Bartholino, mens eſt, à qua nullum religioni & bonæ menti periculum. Nempe officiis Virtutis, occaſione argumenti Cometici, commendandis & inculcandis nihil mihi prius, nihil eſt antiquius. Imò verò hoc unicè ago. Benignius illud judicium noſtrum, illa quoque regula juris abs Te allata, *In dubiis benigniora eſſe præferenda*, excuſat & tuetur. Vitiis ſolis bellum indiximus. Hæc enim ſunt, Te quoquè judice, monſtra in Utopiam releganda, hi mobi curandi, hæc portenta deteſtanda. Veriſſimè de his Milichius: *Quanquam Cometas inter prodigia rectè numerant, tamen ſi verè volumus judicare, multo triſtiora prodigia ſunt in Republica ingenia monſtroſa, quæ delectantur novis & abſurdis opinionibus, & conturbant artes & leges, quàm ulla in cælo faces viſæ, aut terræ motus, aut ſimilia ſigna, quæ in elementis interdum exiſtunt.* in Plin. l.2. c.25. p.189. Hæc tot monſtra ſi Chriſtiana, verè Heroica & pluſquam Herculea virtute doment Arietis clientes, (in quo cenſu poſiti Galli, Burgundi, Suevi aliique populi altiſſima pace fruuntur & κέρας ἀμαλθείας (cornu copiæ) è regione Cometæ, ad invidiam orbis, oſtentant) non puto eis à phaſi cincinnati ſideris eſſe metuendum, etſi iſta circa illud ſidus concurrens utrumque Cometam nobis detexerit. Tantominus iis, quibus Gemellorum, Cancri, Leonis Virginis & Libræ ſub dominibus altis contigit ſedes figere ex præſcripto eorum, qui cælum metantes varia inſignia æthereis ædibus appenderunt. Nam Flandros, Boruſſos, Italos, Sileſios, Livones alioſque populos ſignis illis, quæ Cometa percurrit, ſubjectos, impunè adhuc utrumque Cometam vidiſſe, videmus & videbimus, ſi non ubique, at paſſim, vel certè hîc & illîc. Adeò aſtra nullam univerſalem & inevitabilem legem nobis ſunt latura, imò nullam, ſi Aſtræam è cælo reductam, ut par eſt, colamus. Hujus rei & illa terreſtria portenta admonent. Et magis quidem, quàm orbium ſuperiorum & temporum gratæ ingratæque vices, cæli calor, pluvialis humor, terrea ubertas, aliaque quibus id juris voluntate divina in nos competit. Ac proinde etiam non raro terris à Deo immittuntur. Quorum tamen plura, quæ vulgus miratur, ſueto rerum curſui imputanda eſſe, Vos laudatiſſimi Naturæ Scrutatores & Indices docetis, quod Tu egregio exemplo comprobas. Verumtamen ut omnia, etiam ordinaria, & certis vereque periodicis ortûs, durationis, operationis & occaſûs legibus adſtricta, Dei opera, mortales officii commoneant, & ad virtutem ſtrenuè ſectandam incitent, par eſt. Nam vitia quàm hîc etiam obſint, crebrò vident & ſentiunt ipſi, qui eis indulgent. Servi enim, iique miſerrimi ſunt, qui libidinibus, quàm legibus ſervire malunt. Optimè Cicero, ut ſolet, & ſapienter, etiam dum paradoxa loquitur: *Si ſervitus ſit inobedientia fracti animi atque abjecti & arbitrio carentis ſui, quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos ſervos eſſe?* Horum

autem

autem conditionem omnium aliorum ſervorum longè pejorem, & prorſus deterrimam eſſe, quòd neminem habeant quem interpellent, apud quem ſe venales petant, nullumque locum quò fugiant & in quo requieſcant, cum ſecum ſe trahant, docet alicubi Auguſtinus. Sed ſufficit divinæ vocis oraculum, *ſtipendium peccati mortem eſſe*, illam ſcilicet æternam. Ne quid nunc dicam de pravæ conſcientiæ carnificina, quàm noverant & ſenſerant impii. Niſi quod, etſi hæc abeſſet, virtus ſit in expedito & tuto, vitium in arduo & ancipiti, imò in præcipitio, ſi difficultates & moleſtias ambitioſis, avaris, guloſis, ebrioſis, iracundis aliiſque id generis hominibus aſſiduò devorandas conſideremus. Quicquid verò de vulgo fiat, ſapiens ſuum officium novit & tenet. *Vitia erunt donec homines*, inquit Tacitus: *ſed nec hæc continua, & interventu meliorum penſantur*. At mali nullam nequitiæ ferunt mercedem, præter momento prætereuntis gaudii titillationem, cum morſibus furentis conſcientiæ morſibus conjunctam, ut non immeritò ille dixerit:

- - - cur tamen hos tu
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Quæcunque autem porrò majoris partis hominum futura eſt peccandi licentia & protervia, Sapientis eſt etiam magnis & difficillimis morbis admovere medicinam. Ille enim eſt humani generis Medicus. Ille cum tot vitiorum morbis aſſiduò luctatur. Ille tot monſtra univerſæ naturæ inimica debellat & proſternit. Non deſperandum illi de mali criſi amica, nec de meliore Cometarum omine. Hoc certe anno, crede mihi, apud nos à viſis Cometis pauci fuêre ægroti, morbi epidemici nulli, ſed ſalubri adhuc per Dei gratiam uſi ſumus aëre, ſinè ullis alicujus momenti morbis. Atqui ante Cometas longè plurimis conflictabamur cum moleſtiis, morbis, ipſaque febre contagioſâ, ſævâ ſatis, quæ pleriſque peſtis nomine veniebat. Quis novit annon iſte cæli, quem dicis, abſceſſus futurus ſit criticus, licet adhuc viſus fuerit ſymptomaticus? Nam etſi huc uſque nec juſto tempore, nec debitâ quantitate, nec cum ægri (mundi ſcilicet) optata tolerantia conjunctus fuerit, fieri poterit, ut exercito & purgato, ut ſic dicam, vitiorum pleno corpore per tot divina judicia, tandem juſto tempore, quod deſtinârit Deus, & debita quantitate, & cum conferentia ægroti conjunctus fiat. Quod à Deo cæleſti Medico, animarum ut creatore, ita & curatore perfectiſſimo ardentibus expetendum votis eſt. Sed finio tandem verboſam epiſtolam, Tibi, ſpero, nauſeam lectionis non allaturam. Imò verò eam optimo in Te & bonum publicum affectui adſcribas velim. Tuam ſcriptionem terſam & doctam habui gratiſſimam. Tu quoque meam, licet rudem, grato accipe animo. Utere mutuâ libertate Philoſophicâ. Semper eam in Te & unoquoquè exoſculabor, dummodo per eam bonis artibus & uſibus publicis benè conſulatur. Vale, Vir Eximie, cum Tuis diu & feliciter, nec ullam Tibi morbi vel invaletudinis moleſtiam Sol mox ad nos rediturus afferat, ſed ſemper luceat Tibi lætus.

Hamburgo Hafniam die 10. *Nov.* 1665.

RESpondi non ita pridem Clar. Fratri Tuo ad illam epiſtolam, quam ad me dedit, & typis publicis poſthac mandavit. Reſpondi antehac Tibi ad Tuam: ita ut mutuam benevolentiæ vicem ab utroque Veſtrûm opperiar. Præcipuè verò abs Te de Obſervationibus poſterioris Cometæ, & de ſententia pro duobus Cometis in Corvo & Lepore lata, quam fide Norvagicarum & Holſaticarum Obſervationum adſtruere videbaris. His nunc addo duo. Alterum eſt de Obſervationibus, ſi quas habes à Vincentio Viviani Mathematico Florentino,

tino, quas Te per literas à veteri illo Amico poſtulaſſe Ornatiſſimus Dn. Röttlinius mihi indicaverat. Alterum de novo Cometa, de quo vide quid Nobiliſſimus D. Heinſius ex relatione Rudbeckiana ad me nuper ſcripſerit. Conſului de hâc re Ampliſſimum Dn. Hevelium, alioſque, qui nil tale ſe in cælo obſervaſſe firmiter ajunt, & Venerem fuiſſe opinantur. Tu velim indices, quid hîc ſentias. Non latebit Te quod ab aliis accipiam. Quanto ſtudio merita & Clar. Fratris Tui apud Illuſtriſſimum Dn. Rautenſteinium, Miniſtrum Status Neoburgicum, & Legatum ad Conventum Imperii Ratisbonam celebrem, (quod & aliàs ex officii ratione facio) docebit Te adjunctum ex meis & Rautenſteinianis literis excerptum. Tu fac ut officio in illum fungar, accepto à vobis operum veſtrorum catalogo. Vir enim ille inter primos literarum humaniorum & literatorum cultores meritò eſt ponendus. De opere meo nil aliud nunciandum habeo, quam quòd apud Batavos ſub prælo ſit & ferveat. Spero illud ante vernas nundinas Francofurtenſes, Deo juvante proditurum, niſi belli tempeſtas impedimenta injiciat & retardet inciſio figurarum, quarum numerum nuper Clariſſimus Rudeckius 13. ſuis, ad me per Nobiliſſimum Heinſium miſſis, auxit. Clariſſimum Fratrem Tuum plurimâ ſalute impertias velim. Vale & ſalve Tu quoque.

Hamburgo Hafniam die 28. Nov. Juliani 1665.

Reſponſionis officium liberale. Liberales operæ literatis conveniunt. Bartholinorum fratrum humanitas. Scriptio extemporalis inter amicos locum invenit. Auctor quæſtiones tres Viris doctis proponit. Exempla Prodromi Heveliani & Cometæ Kirſteniani mittit, ſui verò operis promittit fratribus Bartholinis, Et per eos Academiæ Hafnienſi.

HAſce breves literas ad Te do, non quòd Tibi vel Clar. Fratri Tuo Thomæ Bartholino debeam reſponſum, ſed quòd vos mihi, pro jure amicitiæ. Serviles enim operæ in Repubublica literaria locum non habent. Novi præterea quæ ſit utriuſque Veſtrûm humanitas & ergà me benevolentia. Utraque, fateor, me ad ſcribendum allicit, qui cum boni commatis amicis, quales Vos eſtis, anno σχεδιάζειν (ex tempore ſcribere) & confabulari de re quapiam, quæ aliquo uſu in publicum ſe commendet. Si argumentum ſcribendi (quod tamen utrique veſtrûm meæ poſtremæ dederant) deeſſet, darem promtus aliud, de ætate Hipparchi, & Mithridatis Pontici, illius Mathematici, hujus Regis Magni, tùm de Cometis circà mortem Ludovici Pii conſpectis. Hæc enim inter diſſidentes Hiſtoricorum & Chronologorum ſententias agitata, in ſuſpenſo relicta adhuc hærere mihi videntur. Dum exempla veſtrarum commentationum de Cometis exſpecto, ſtrenæ imminentis vice utrique Veſtrûm duo exempla tàm Prodromi Cometici Heveliani, quàm Cometæ Kirſteniani Clariſſimo Hevelio inſcripti, mitto, mei autem operis, licet in molem nec levem nec vilem ſurrecturi, ſi vivo, promitto, ut teſter publicè, quanti Vos & Inclytam gentem Veſtram faciam. Quapropter in eorundem librorum exemplis mittendis, & promittendis, parem benevolentiam Almæ Veſtræ Academiæ per Vos ejus Antiſtites teſtor. Erit hoc qualecunque grati animi, quà publicè, quà privatim teſtandi chartaceum quidem, attamen

- - monumentum ære perennius.

A Bartholinis Catalogos Cometarum commodari ſibi poſtulat. Hafnia optimis Bibliothecis abundat.

Quod ſi fortè Vobis ad manus ſint libelli, quibus ad pertexendam Hiſtoriam Cometarum valdè indigeo, Abrah. Rockenbachii & Georgii Cæſii Catalogus Cometarum, velim eos mihi ſaltem commodetis. Non enim alibi eos reperire poſſum. Veſtram autem Urbem ſelectis & Optimis Bibliothecis abundare, benè novi. Exemplaria illa tabellario hinc ad Vos luce craſtini abituro tradam. Valete uterque feliciſſimè.

Hafniâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hafniâ Hamburgum die 23. *Novembris* 1665.

QUamvis abundè ſufficiat mihi in edendo opuſculo de Cometis, quod deſiderio multorum utilitatique juventutis apud nos ſatisfeci; tamen gratulor mihi tàm de Tuo, quàm de Illuſtriſſimi D. Rautenſteinii teſtimonio, quorum judicio plurimùm tribuo. Cognovi autem beneficio tuo penetraſſe ad Illuſtriſſimum Virum famam de opuſculo meo, quo laudis meæ ſpatio & peregrinatione lætarer, niſi parciſſimus voluptatum, quæ ex gloria dependent, famam non tàm incitari optarem quàm reprimi: & cum multos mortales ad cupiditatem gloriæ natura excitaverit, me contrà, multum ac diu penſitatus amor obſcuritatis & ſeceſſûs, communibus hiſce vinculis jam exemit. Ignoſcas igitur ſi precibus tuis non obſequar in recenſendis quibuſdam meis editis nugis, quas tamen ſi tantus amor eſt cognoſcere, legere potes in nuper edito opere, cui titulus; Academia Regia Haunienſis, in ſuis Regibus, Conſervatoribus & Profeſſoribus repræſentata, ab Eraſmo Pauli Windingio, Hauniæ in quarto Anno 1665. nec non in fratris mei D. Thomæ Bartholini edito tractatu, qui Ciſta Medica inſcribitur. De Cometa obſervato à D. Rudbeckio nihil audivi. A Wincentio Wiwiani nullum redditum fuit reſponſum, neſcio an ſuperſtes ſit nec ne. In Obſervationum Holſaticarum & Norrigicarum examine non licuit aliquid tentare, quippe quas nondum obtinui. Conſilium de Cometa fratris mittam primâ oblatâ occaſione: opuſculum meum tibi miſſum puto redditum eſſe, aliàs requiri poteſt apud N. Hiſce vale & fave.

Bartholinus Eraſmius Commentarii ſui de Cometis rationem reddit.

De Rautenſteinii benevolentia ſibi gratulatur.

Ab omni gloriæ cupiditate alienus,

Opera ſua enumerare recuſat.

Ambitionem fuge.

Vincentius Viviani.

Obſervationes Holſaticas & Norvegicas Bartholinus non accepit.

Hamburgo Hafniam die 8. *Decemb. Juliani Anno* 1665.

GRatiſſimas Tuas die 23. Novembr. Juliani datas nuper accepi, conſtantis benevolentiæ indices, quarum apographum è veſtigio ad Illuſtriſſimum Rautenſteinium miſi, dubio procul ei rem gratam facturus. Libri iſti, ad quos me remittis, præſto mihi non ſunt, ut votis Viri illius Amiciſſimi, & alioqui bonarum artium & Virorum doctorum amantiſſimi, in conſignandis operum utriuſque Veſtrûm indicibus ſatiſfaciam. Dabo autem operam ſedulò, ut id à me, amotâ quorundam negotiorum mole, quamprimùm fieri poſſit. Tu quoquè, qua es humanitate & ſolertia, da operam, ut illas obſervationes Holſaticas & Norvagicas potiâre, quò tandem certum Tuæ de Cometis in Corvo & Lepore viſis ſententiæ videamus. Exemplum libri Tui nondum recuperare licuit. Vale, Vir Doctiſſime, & mihi porrò fave.

Rautenſteinii laus.

Obſervationes Holſaticas & Norvagicas Auctor à Barth. poſtulat.

Hamburgo Hafniam die 16. *Januarii Juliani Anno* 1666.

DUm reſponſionis vicem à Te & Clariſſimo Fratre Tuo Thoma Bartholino exſpecto, & variis iiſque aſſiduis nec levibus occupationibus diſtringor, factum eſt, ut officii negligens erga utrumque veſtrûm quodammodò extiterim. Nam nec felicem novi anni ingreſſum, & unà progreſſum ac egreſſum, pluriumque ſimul annorum conſtantem proſperitatem Vobis adhuc de more precatus ſum: nec iſta Rautenſteiniana ad Vos perſcripſi. Exit ferè menſis ex quo hæc ad me perlata ſunt, ex quibus Viri illius illuſtriſſima dignitate conſpicui erga utrumque veſtrûm benevolentiam cognoſcere datur. Hanc Vos grato animo excepturos, idque etiam, quæ veſtra eſt humanitas & prudentia, teſtaturos, ſpero. Dignus equidem ille eſt omnium Virtutis & ſapientiæ ſtudioſorum cultu & affectu. Nam ſive in actu eſt, ſive aliquid temporis publicis negotiis ſubtrahit, & contemplationi vacat, ſemper & ubique vivit officii memor.

Strena votorum amicis mittenda.

Gratus ac memor officii eſto.

Rautenſteinii laus.

Officii memor vive.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Proſis multis, paucis, proximis, tibi.

Otium Sapienti convenit.

Hoc nempe ab homine exigitur, quod ex Seneca noſti, *ut proſit hominibus, ſi fieri poteſt, multis: ſi minus, paucis: ſi minus, proximis: ſi minus, ſibi. Nam cum ſe utilem cæteris efficit, commune agit negotium.* l. de Vita beata c. 30. vel potius de otio aut ſeceſſu ſapientis. Quæ ideò adduxi, quia ille hujus rei mentionem facit, ſeque veſtra & aliorum Virorum Doctorum ſcripta, poſtquam ſe negotiis publicis ſubduxerit, & otium liberale conſecutus fuerit, lecturum ſperat. Clariſſimi Fratris Tui Commentationem Medicam de Cometis nuper accepi. Credo & Vos à me miſſa Hevelianorum & Kirſtenianorum exempla accepiſſe & grata habuiſſe. Valete quàm diutiſſime & quàm feliciſſime.

Hafniâ Hamburgum die 27. Jan. Jul. 1666.

Bartholinus Eraſmus ſilentium diuturnum apud Auctorem excuſat,

Benevolentiam erga eum teſtatur,

De ſtrena ſuo & Fratris Thomæ & Academiæ nomine gratias agit,

Et conſtantiam in affectu pollicetur.

Joan. Meyer Mathem. Holſatiæ celebris.

Obſervationes Holſaticas Bartholinus à Meyero ſe nondum habere poſſe nunciat.

LOngioris epiſtolæ neceſſitatem mihi imponerent variæ eædemque ſuaviſſimæ ad me datæ literæ, niſi benevolentiam tuam & comitatem, quaſi judicium mearum occupationum, quibus ex utroque munere Medico & Mathematico diſtringor, reſpicerem. Agnoſco perennem in amore conſtantiam, votaque tua quibus felix hujus anni auſpicium precaris; ego tibi viciſſim, ut hunc annum & plurimos alios quàm feliciſſimos agas opto, & affectum reciprocum polliceor. Pro gratiſſima Academiæ noſtræ, fratri, mihique tranſmiſſa ſtrena, nomine omnium gratias ago meritas, nec non, quòd nullam intermittas occaſionem tàm apud noſtros, quàm apud exteros nos ornandi, dabimus operam ut Tuam memoriam etiam apud nos & per nos prorogari cognoſcas. Deſideratos à Te libros, multâ ſed ſupervacuâ diligentiâ hîc requiſivi. Joannes Meyer, qui Obſervationes Holſaticas Cometæ promiſerat, negat ſe pollicitis ſatisfacere poſſe, antequam negotiis hîc in Aula expeditis, domum reverſus fuerit. Hiſce Vale & me amare perge. Frater D. Thomas Bartholinus tibi plurimam ſalutem mittit, & mecum reliquos apud vos communes amicos ſtrenue valere jubet.

Hamburgo Hafniam Kal. Februar. Iuliani 1666.

Silentium amici æquitas excuſat.

Auctor à Bartholino promiſſam ex obſervationibus Holſaticis de Cometa brumali deciſionem poſtulat,

Nec non à Thoma Bartholino reſponſum.

Riccioli opera nova.

NOn eſt quod operoſe excuſes diutius dilatam reſponſionis vicem. Novi bene quibus & legibus Amici vivant, & laboribus Viri Præſtantiſſimi perpetuò exerceantur. Nec Vos inpoſterum mirabimini meum ſilentium, niſi mihi Vos compellandi neceſſitatem, ſaltem officium, veſtra benevolentia loquens vel urgens cauſa impoſuerit. Aſſiduus enim operis mei editionem urgeo. Cui utinam addi poſſit ſententia Tua, ex rationibus obſervationum Holſaticarum & Norvagicarum inter ſe collatis deciſionem de Cometa brumali gemino promittens! Supereſt autem ad id ſatis temporis, ut vel ex ordine utriuſque Veſtrûm Bartholinianæ Communicationi inſerantur, vel ad calcem operis iſthæc addantur. Itaque ut hanc rem cordi curæque habeas, majorem in modum rogo. Quòd exiguam illam, chartaceam ſcilicet ſtrenam grato animo exceperitis, mihi quoquè gratum eſſe agnoſco. Id enim officii ex animo ſincero & benevolo erga vos profectum eſt. Quicquid aliàs præſtari à me utrique Veſtrûm gratum poteſt, mea opera nunquam Vobis deerit. Atque hoc haud gravatim Clariſſimo Fratri Tuo D. Thomæ Bartholino cum ſalute plurima nomine meo nunciabis. Literas meas benè longas eum accepiſſe non dubito. Ad has ille, qua eſt egregiâ humanitate reſpondebit, ſi id merebuntur. Schotianæ literæ, decurrente Januario Gregoriano ſcriptæ, nunciant R. Ricciolum non tantùm vivere, ſed poſt editam Geographiam & Aſtronomiam Reformatam, Chronologiæ reformandæ operam darę. Propoſui ei & proponam amplius quædam hujus generis, Chronologo tanto & tàm ejus quàm meo inſtituto convenientia. Vale feliciter.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Hafniam die 9. Martii Juliani 1666.

DUm ad literas meas poſtremas Kal. Februariis Julianis datas reſponſum exſpecto, viſum eſt elapſo menſe integro Te compellare. Sed tribus ferè verbis. Labores enim mei in componenda præſertim Cometarum Hiſtoria valdè excreverunt, ita ut eis, inter tot alias occupationes, ſingulari divinâ gratiâ ſufficiam. Haud ita pridem accepi literas ab Ampliſſimo Hevelio, qui Te amicè ſalutatum cupit, & an exemplum Prodromi ejus Cometici, quod curandum Nobiliſſimo Peltzio Fœder. Belg. Reſidenti, Viro Amiciſſimo & Humaniſſimo commiſerat, acceperis, quærit? Tum verò etiam in obſervationes Tychonianas, quo ſcilicet loco illæ ſint, & an brevi exſpectandæ ſint, cum Orbis Aſtronomicus avidiſſimè eas exſpectat, inquirit? Hæc ille noſtræ ætatis Tycho. His quod addam nil habeo, niſi quòd ego quoquè abs Te obſervationes Holſaticas, & ex earum cum Norvagicis comparatione ſententiam de Cometa in Corvo & Lepore viſo decretoriam exſpectem. Vale cum omnibus Tuis feliciter, cumprimis cum Clariſſimo Fratre D. Thoma Bartholino, qui ſemper à nobis ſalveat.

Hevelius Bartholinum apud Auctorem compellat:

In Obſervationes Tychonianas inquirit;

Alter Tycho.

Bartholinio Auctor benevolentiam ſuam teſtatur.

Vivite felices, memores & vivite noſtri. Tibull. el. 5.

X. COM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

X.

COMMUNICATIO MAGDEBURGO-GUERICHIANA.

Hamburgo Magdeburgum die 4. 14. Martii 1665.

S.P. Ampliſſime & Prænobilis Domine,

NOn dubito facilè Te excuſaturum eſſe hanc libertatem, quâ utor in Te literis compellando, Tuaque gravia negocia ac ſtudia interpellando. Eximia Te etenim eſſe humanitate certò comperi, quæ vel maximè Viros in Republica eminentes & ſcientiæ laude conſpicuos decet. Adhæc ſingularis amicitiæ jura cum Nobiliſſimo Domino Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario & Reſidente Spectatiſſimo, Filio Tibi cognomine & percaro, colo. Per quem etiam cum Te de Cometa nuper viſo aliquoties conſuluerim, & Tu pro eximia illa humanitate Tuam ſententiam ſemel atque iterum explicare dignatus fueris, multum utrique veſtrûm me debere profiteor. Equidem Filius Tuus Te non nomine ſolùm, ſed & ſcientiâ rerum naturalium egregiâ & humanitate aliiſque virtutibus refert. Sententiam tuam de Cometarum origine cum Viris doctis, Filio Tuo & conſentiente & idem faciente, communicavi. Quæ quia nova videtur eſſe, varia eam judicia experiri oportuit. Hafnienſis mei Amici judicium Nobiliſſimus Filius Tuus, ad Te, me rogante, miſerat. Huic Tu confirmationem Tuæ ſententiæ oppoſuiſti, quam dudum quidem ego Hafniam miſi, ſed nihil inde reſponſi retuli. Ab aliis quoquè Viris doctis reſponſum ſuper ea re exſpecto. Tu interim velim Tuam ſententiam planius, ſaltem plenius explices. Præcipuè verò illa perquam ardua & tantoperè diſputata de motu terræ & ſpatio vacuo principia, quibus Tua de Cometarum origine ſententia nixa eſt, tùm rationibus tùm ſingularibus aliquibus experimentis confirmes. Ita enim viris doctis eorumque magnæ exſpectationi, quæ Tibi tanquam gravis adverſaria oppoſita eſt, ingenioſâ Tuâ induſtriâ vincenda, ſatiſfacies. Conſtitui nempe Deo volente opus quoddam, inque eo varias Virorum Doctiſſimorum & Præſtantiſſimorum obſervationes, narrationes & judicia, quæ mihi ad manum ſunt, & tractu temporis plurimæ, ut ſpero, erunt, cum orbe literato & Chriſtiano communicare. Huic candorem & conatum meum benè de humano genere merendi probatum iri confido. Omnem enim dabo operam, ut operi illi non tantùm Phyſica & ex Aſtronomiæ penetralibus depromta, ſed & Politica & Moralia aliaque in vita humana utilia inſint, ut ita & jucundum & utile ſimul eſſe poſſit. Qua de re mentionem feci in epiſtola ad Clariſſimum Joannem Ravium, Sereniſſimo Electori Veſtro à Conſiliis & Bibliothecis heri data, cujus exemplum hiſce literis adjungo. In qua etiam videbis me Tuam ſententiam quodammodo, veritatis indagandæ ſtudio, tueri. Cæterùm pluribus id egi in epiſtola ad Amicum Hafnienſem Gallicè ſcripta, quam tunc cum Nobiliſſimo Filio Tuo, ut & plurima alia, utpote cum eo utar Amico integerrimo, communicaveram. Feci tamen id facioque magis inquirendo, quàm

Humanitas Viros in Rep. præſtantes decet.

Guerichiis patre & filio amicis Auctor utitur.

Guerichii patris & filii meritis debitum teſtimonium datur:

Illius de Cometis ſententia varia judicia experitur.

* Vid. illa ſuprà in Communicat. Guerichiana N. IV.

Guerichianæ ſententiæ principia.

Auctor ſententiam Guerichii firmis rationibus probari cupit,

Eidem inſtitutum ſuum de hoc opere edendo aperit,

Ejus rationem & utilitatem in publicum deducit.

Auctoris ad Ravium Elect. Brand. Bibliothec. epiſtola.

Guerichii ſententiam Auctor veri inquirendi ſtudio quadantenus tuetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Veritati cede judice conſcientiâ.

demonſtrando veritatem, cui ſoli me judice conſcientia cedere profiteor. Tuum erit, Vir undique Præſtantiſſime, me meique ſimiles amplius de Tua ſententia informare, eamque & rationibus firmis & demonſtrationibus invictis munire tutamque reddere. Velis etiam mihi indicare, an ad probationem Tuæ ſententiæ rectè variorum Virorum Clariſſimorum attulerim ſententiam, Epigenis puta, Apiani, Cardani & Scaligeri, quas in epiſtola adjuncta recenſeo. Attuli in hanc rem & alibi ſententiam Theophraſti Paracelſi, qui cenſet tempeſtates, ventos, fulmina, grandines terræque motus excitari à Dæmone. Ad quam confirmandam adduci poteſt hiſtoria liberorum Jobi, tempeſtate à Satana excitata, Dei permiſſione oppreſſorum, & auctoritas Scripturæ Satanam Principem in aëre dominantem appellantis, adductaque à me eſt. * Produxi tunc & ſententiam Caſp. Peuceri & Joan. Bodini, qui ſtatuunt Dæmonas & genios magnam permiſſu divino, in aëre & ſuper terra exercere poteſtatem. Velim inquam me certiorem reddas, an talia meritò ad probandam Tuam ſententiam attulerim. Id quidem ego reor. Nempe quia Tua ſententia fert tempeſtates, quæ partem aëris avulſam, † & ut Plinii verbis utar l. 2. c. 48. *correptam ſecum in cælum referant, ſorbeantque in excelſum*, in qua demùm hæc radiis ſolaribus illuminata cauda illa Cometæ conſpiciatur. Porrò me ſine conſilio & opera Nobiliſſimi Filii tui, Amicorum meorum Optimi, nihil circa editionem Tuarum obſervationum facturum, & per omnia fidem & candorem ſtudiorum officiorumque meorum probaturum Tibi, ſecurum te eſſe, Ampliſſime Domine, jubeo. Quod reliquum eſt, Te quàm diutiſſimè bono publico rebus mortalium intereſſe, & quam proſperrimè cum omnibus Tuis in hac miſeriarum convalle agere, ac pluribus excelſæ mentis monumentis orbem literarium exornare & locupletare, ut ſummus rerum moderator velit, cupio ex animo.

Theophraſtus Paracelſus putat tempeſtates & terræ motus eſſe à dæmone.

Jobi liberi à Satana permiſſu divino tempeſtate oppreſſi.

** Peucerus & Bodinus dæmonas & genios multa in aëre divinâ permiſſione agere opinantur.*

† Guerichiana ſententia ſuperior videtur ſententiæ Epigenis, Apiani &c.

Ampliſſimæ Tuæ Dignitati

Omni ſtudio, cultu & officio addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ad Dominum Otthonem Guericke Conſulem Magdeburgenſem.

Excerptum ex literis Ampliſſimi D. Ottonis Guericke Conſulis Magdeburgenſis ad Nobiliſſimum D. Reſidentem Brandenburgicum filium ſuum datis.

Magdeburgi die 26. Martii 1665.

DOminum Lubieniecium velim meo nomine ſalutes, & cum ſententiam, quam Præfecto arcis Lipſienſis de Cometis dederam, jam Hamburgum quoquè miſerim, nihil amplius de ea re dicendum habeo, quin potius conſtanter tueor, Cometas ex avulſa particula aëris oriri. Equidem & nuper, die ſcilicet 12. Febr. cum homullus ille mutationis aëris index, in inferiori parte vitri ſtaret, ſubiit animum cogitatio, Cometam oriturum. Sed cum omnes videre non poſſimus, nec ſequitur certo, quod prædictum eſt, ita ut hoc in vilipendium abeat, ideò nil de hac re ſcribere auſus ſum. Nunc autem cum non tantùm famâ publica

Guerichius ſuam de Cometis ſententiam conſtanter tuetur: Novum Cometam verum præſagivit.

Magdeburg den 26. Martii 1665.

DEn Herrn Lubienietzki laße ich gantz dienſtlich grüſſen / und weil das ſentiment / ſo ich dem Schloß-Haubtmann zu Leipſig vom Cometen gegeben / auch ſchon nacher Hamburg geſchickt habe / ſo weiß darüber nichts mehres / ſondern bleibe noch dabey / daß van einem abgeriſſenen particul luffts ontſtehen. Habe auch warhafftig am verſchienenen 12. Febr. wie daß Wettermännchen abermahls ſoo niedrig ſtund / die gedancken gehabt / daß ein Comet entſtehen würde. Weil wir ſie aber nicht alle zu ſehen bekommen / und es folgt darauf nicht gewiß / was prophecenet wird / ſo giebts ein ſchlechte anſehen; derowegen hiervon nichts in die feder bringen mögen. Nunmehr aber da nicht al-

fuerat,

ferat, iterum ante 4. hebdomades novum Cometam apparuiſſe, ſed & ego eum hodie, ipſo Paſchatos feſto circà tertiam matutinam verſùs Orientem ſitum viderim, idcircò mea theſis tanto certior reddita eſt. Quid autem tot Cometæ brevi interjecto tempore apparentes ſignificent, ſoli Deo notum eſt.

lein die aviſen melden / daß ſich ſchon vor 4. wochen wiederumb einer ſehen laſſen / ſondern ich auch den ſelben heute am Oſtertage frühe umb 3. uhr recht im morgen ſtehend geſehen / ſo werde meine ſache deſto gewiſſer gemacht. Was nun ſo viel Cometen auff ein ander bedeuten werden / iſt Gott bekandt.

Hamburgo Magdeburgum die 3. Junii Juliani 1665.

REctè Tibi literas meas fuiſſe redditas, ex adjuncta ſcheda literis, quas ad Nobiliſſimum Dominum Reſidentem Brandenburgicum Filium Tuum, Amicum meum conjunctiſſ. die 26. Martii dederas, certò intellexi. Ex illo tempore cum variis Viris doctis de argumento Cometico, & hac occaſione de Tua ſententia contuli. Horum judicia, quæ Tuæ ſententiæ minus favent (quod & hæc adjuncta ex literis Clariſſimi Viri Leuneſchloſſii Profeſſ. Heydelberg. tum R. D. P. Riccioli excerpta teſtantur) accepiſſe me fateor. Idcirco mei officii eſſe duxi, Te & per Nobiliſſimum D. Filium Tuum antehac, & per has literas monere & rogare, ut adhibitis validiſſimis rationum, & experimentorum machinis, ſententiam Tuam de Vacuo & generatione Cometæ tuearis. Velim etiam aliquid adferas ad probandum illum de motu terræ opinionem. Fateor quidem eam canæ antiquitatis auctoritate munitam. Scio enim Platonem ex ſententia quorundam, Pythagoram certò, & inventorum ejus æmulos, ſuperioribus verò ſeculis Cuſanum Cardinalem, Copernicum, aliosque eorum ſectatores propoſuiſſe, & rationibus probare voluiſſe. Video tamen eandem eſſe magnis, & validis machinis, ex Scriptura Sacra & Philoſophia depromtis oppugnatam, & crebro ariete quaſſatam. Patere, Vir Ampliſſime, & Senex Venerande, ex officio ingenui candoris & ſingularis quâ Te ac Nobiliſſimum Filium Tuum proſequor, benevolentiæ obſervantiæque Tibi hæc à me dici, me in requirendo à Te reſponſo non tàm meæ (licet libenter meritòque fateor multùm ſplendoris operi meo à Clariſſimo nomine Tuo acceſſurum) quàm potius Tuæ exiſtimationis rationem æquam habere. Neque verò etiam eſt, cur Tibi ſuſpicio aliqua oboriatur id Operi Tuo, quod de vacuo moliris, ſi fortè ego Tua quædam operi meo inſeruero, detrimenti aliquid allaturum. Sub nomine enim Tuo iſta publici fient juris, & titulum Communicationis Magdeburgo Guerichianæ præferent. Hâc nempe ratione & aliorum Virorum Clariſſimorum nomina memoriæ poſteritatis perenni commendare Deo propitio decrevi. Inter alias objectiones, quibus ſententia Tua impugnatur, hæc etiam occurrunt. Certò conſtat, & nuper quoquè compertum eſt Cometas eſſe in æthere. Videtur præterea materiam eorum non eſſe in terræ viſceribus, vel aëre quærendam, neque etiam terram tantùm materiæ, quantùm ad generandum immenſæ magnitudinis corpus Cometicum, vel multorum annorum curriculo evaporare & contribuere poſſe. Adhæc fida experientia docet in altiſſimis montibus nullos ventos dari, nullas procellas ſentiri. Contrà has objectiones Tuam ſententiam munias neceſſe eſt. Vale & quæcunque pro Tua ſententia propugnanda & confirmanda habueris ad Nobiliſſimum D. Filium Tuum mitte ac mihi favere perge.

Guerichio de Cometis non aſſentiunt Viri docti:

Eum ideo, ſententiam ſuam rationibus & experimentis firmet Auctor monet.

Motum terræ ſtatuit Guerichius, & alii.

Guerichium patrem & filium Auctor eximia benevolentia proſequitur.

Guerichianæ de Cometis ſententiæ objecta.

Magdeburgo Hamburgum die 29. Maji 1665.

Nobiliſſime Domine, Amice plurimùm colende.

JAmdiu eſt, cum ego ad Tuas, ſale humanitatis ſparſas, non reſpondi, quod accidit non oblivione Tui mea, neque aut negligentia: ſed, quod ipſe meis

Guerichius pater ſilentium excuſat,

occupa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

occupationibus tàm publicis quàm privatis, occupatus, nec dubitans de Tuis Te interpellare veritus ſum. Tu ſi quid hîc delictum, cunctationi condona: vides, quæ differuntur non auferuntur. Valdè ampla materia eſt, quam in Tuis, & iis, ad Dominum Ravium, Suæ Serenitatis Electoralis Brandenb. Conſiliarium & primarium Bibliothecarium, nupere datis, tractas: proinde quæſtiones illæ, quas dare voluiſti, ſi quis illarum ſcopulos ſuperare, & plenis velis in portum invehere vellet, ex fundamento, omnibus erroneis ſubductis, tractari deberent. Hoc autem multùm temporis & laboris requireret, inque una epiſtola comprehendi non poſſet. Iſta principia autem & fundamenta, quibus opiniones meas ſtabilire puto, in meo brevi edendo opere, de quo extractum, per filium meum ſummè memoratæ S. Serenitat. Electorialis Conſiliarium & Reſidentem Hamburgum noviter communicavi, plenariè latèque comprehenduntur, ita ut violentos contrariorum ictus ſuſtinere & loco reſponſi ſatis eſſe poſſit. In hoc enim de ſpatio Vacuo, in quo Syſtema Mundi & omnia corpora mundana ſubſiſtunt, tractatur, quod nimirùm ſit ſpatium Infinitum, immenſum, ſeu, ut ita dicam, univerſum. In quo omnes Dei creaturæ (inter quas principaliores ſunt corpora mundana, prout ſunt Soles, Planetæ & Planetarum ſociæ) certo in ordine conſtitutæ ſint, atque ſic Sol noſter cum Planetis ſuis viſibilibus, Mercurio ſcilicet, Venere, Tellure, Marte, Jove, Saturno conſtituat noſtrum mundum: hoſque Planetas ſuas habere virtutes vel effluvia corporalia, & incorporalia, aëremque noſtræ Telluris eſſe ejus effluvium corporale; quod nihil aliud eſt, quàm odor ejus, tellurem in certo pondere (nimirum ut pondus eſt aquæ 20. ulnarum Magdeburg. altæ) circumſtans. Ideòque aër Tellurem ſequitur & per virtutem Telluris conſervativam, motu non ſolùm diurno circumducitur; ſed & unà cum Tellure annuo ſpatio à Sole circumfertur. Inſuper poteſt hic aër dividi in regiones, quarum ſupremam Cometæ, ſeu avulſæ tempeſtates ſibi vendicant, donec (quando altius aſcendere nequeunt, quia ſpatium ibi incipit purum, & ab omni materia vacuum, in quo nullum amplius adminiculum, ad ſe altius promovendum adeſt) ſicut pyrobolus (vulgo Ragkete) vagum illum & irregularem motum exercent. * Quæ Epigenis, Appiani, Cardani, Scaligeri ſententias concernunt, illa tranſeant, quoniam verbis expreſſis non ſunt appoſita, & earum copiam non ſtatim ad manus habeo. An ſecundùm Paracelſi ſententiam tempeſtates à Dæmonibus excitentur, de hoc etiam fuſè eſſet ſcribendum, & inter Dæmones diſtinguendum. In ſumma hæ quæſtiones per breves literas tractari non poſſunt, quia alia principia, veræ ac evidentes demonſtrationes alium producunt ſenſum, aſſenſum & effectum: è contrà diſcrepantia in ſyſtemate Mundi & rationum parit diſſenſum. Quæque autem vera ratio & experimenta commendant, ſolida firma & æterna ſunt. Sed ne longum faciam, & ſtyli ubertate licentius exſpatiari videar, filum ſcriptionis abrumpo. Te divinæ tutelæ, me verò Tuo favori commendans maneo

Vacuum Guerichius definit.

Syſtema mundi Guerichianum.

Terra planeta à Guerichio annumeratur.

Planetarum vires.

Aër cum terra junctus non tantùm motu diurno ſed & annuo cum ea circumducitur.

Cometæ Guerichio avulſæ tempeſtates occupant ſupremam aëris regionem, vago motu feruntur.

** Guerichius ſententias aliorum ſilentio tranſit, ad illum Paracelſi verbo reſpondet.*

Nobiliſſimæ Dominationis Veſtræ

Officioſiſſimus

Otto Guericke
Conſul Magdeburgi

Magdeburgo Hamburgum die 22. *Julii St.V.* 1665.

QUas non ita pridem ad me dediſti literas, ut per eas meam de Cometis ſententiam explorares, illas equidem rectè accepi. Quamquam autem non diffiteor, me in perſcrutandis iis, quæ ad accuratiorem Cometarum conſideratio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſiderationem pertinent, non magnoperè ſollicitum fuiſſe, eò quòd in Opere meo de *Spatio Vacuo* (in quo Syſtema mundi & omnia corpora mundana ſubſiſtunt) in poſterum, volente Deo, publicando, occaſio mihi defuerit materiam iſtam tractandi: quia tamen, Vir Nobiliſſime, ſententiam meam adeò inſtanter efflagitas, hanc qualemcunque meam tenuitatem haud poſſum denegare. Ut vero ſententia mea eò clariùs intelligi poſſit, neceſſarium erit è dicto Opere meo pauca quædam experimenta excerpere, & huic tractationi præmittere.

Guerichius ſententiam ſuam plenius explicat.

Experimenta Guerichiana ex opere ejus de Vacuo excerpta.

1. Quòd Aër ſit Terraquei globi odor, ſeu, quòd aër ſit virtus aliqua corporea, quæ ex aqua terraque effluit, in ſpatium proximè circumſtans: quod ſpatium aliàs, ſi aër non eſſet, ab omni corpore vacuum, aut inane eſſet. Tellus itaque aëre, velut indumento molli, circumdata eſt, illumque per virtutem illam, quam Conſervativam vocamus (de quâ & aliis virtutibus mundanis in libro noſtro ſingularia experimenta exhibituri ſumus) certo in pondere, & quidem tanto, quantum aquæ pondus viginti ulnas Magdeburgenſes altum, premere poteſt, continet, ac unà ſecum, nec obſtante annuâ ejus latione, circumfert.

Aër Guerichio quid ſit.

Aër tellurem circumdat, à qua in certo pondere continetur & cum ea circumfertur:

2. Quòd propter hanc gravitatem aër in ſe valdè ſit compreſſus, eâ tamen naturâ, ut magis adhuc comprimi, & contra quoquè, ubi majus obtinet ſpatium, amplius ſeſe dilatare aut latius extendere poſſit. Ideòque quando duo vaſa vitrea, quæ Pharmocopolæ Recipientia vocant (è quorum uno omnis aër extractus, ipſiuſque orificium, mediante ſingulari aliquo epiſtomio, concluſum eſt) arte ita conjunguntur, ut aër illa nec ingredi nec egredi poſſit, tùm, aperto epiſtomio, aër ex altero vaſe, aëre adhuc repleto, ita extenditur, ut in evacuatum tanto impetu irruat, ut etiam impoſitos lapillos, magnitudine nuces avellanas ſuperantes, flatu diſjicere queat. Quemadmodum hâc de re Rev. Dn. Pater Schottus in Technicâ ſuâ curioſâ libro I. Mirabilium Magdeburgicorum, legi poteſt.

Poteſt comprimi & dilatari.

Et ex vaſe extrahi.

Ex altero vaſe aëris pleno ex , & in ev :cuatum cum impetu irruere, & lapillos diſjicere flatu.

3. Ipſa ocularis talium experimentorum inſpectio teſtatur, quòd minimæ illæ aëris, ut ita dicam, bullulæ, in aqua latentes, quæ etiam propter parvitatem videri nequeunt, in ſpatio Vacuo, aut Vaſis vitreis evacuatis, ita ſe extendant, ut majores nucleis ceraſi, atque ita plus quàm centies majores fiant. Ex quo colligitur (quandoquidem aër inferior à ſuperiore vehementer premitur, & quidem circà nos propè terram in tanta gravitate, quanta eſſet aquæ, xx. ulnarum altitudine cingentis) aërem inferiorem multò graviorem ac denſiorem: quantò autem altiorem, tanto ſemper leviorem, rariorem ac tenuiorem eſſe, atque propterea in quatuor regiones dividendum, de quo Operis mei libri V. caput IX. de Diviſione aëris in regiones, aliquando legendum erit.

Aër in vacuo extenditur,

Quò inferior eo gravior,

Quò altior eo levior,

Ideò in quatuor regiones dividendus eſt:

4. Idem teſtantur experimenta in hoc, quòd in montibus, imò etiam in turribus atque altis ædificiis levior ac tenuior reperiatur aër, quàm proximè ad terram. Ex quibus omnibus, & plurimis aliis experimentis, ad rem præſentem facientibus, certò conjicitur, quòd aër non ſolùm, quò magis ac magis altitudine ſuâ adſcendit, eò magis ac magis rarior & levior reddatur; ſed etiam ſi ad 10. millia ut puto, vel ad 20. millia milliaria Germanica perveniat, de eo nihil omninò amplius reſtet, ſpatiumque ibi incipiat purum & ab omni materiato vacuum.

Nunc ſurſùm tenuiorem eſſe probatur.

Spatium purum omnis materiæ expers poſt quartam & ſupremam aëris regionem.

5. Porrò experimenta teſtantur, pondus aëreæ ſphæræ interdum mutari, præſertim, decidente pluviâ (quando enim ex aëre multùm aquæ emittitur, tùm ille fit levior, contrà quando aër iterum aquam recipit, fit gravior.) Quod ut præſagirem machinulam aliquam confeci, ubi in oblongo & anguſto aliquo vaſculo vitreo, inſtar canalis facto, imaguncula quædam Viri è ligno artificioſe ita facta, ut aëre ſuſtineatur, ab eodem liberè moveatur, & digito mutationem aëris ejuſque ponderis pro diverſo tempore, indicet. Ubi contingere interdum ſolet, ut imaguncula iſta ſolito inferius ſeſe demittat, quod certum eſt indicium

Aëreæ ſphæræ pondus mutatur.

Pluviâ decidente aër fit levior.

Anemoſcopii Guerichianum inventum.

Vid. ſupra fig. Num. IX.

Mmm 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

indicium eodem tempore aërem præter ſolitum leviorem eſſe factum, & tùm quoquè experientia probat, quòd maximæ & horrendæ exiſtant tempeſtates, licet illæ ſint ultrà C, aut ducenta milliaria. Unde colligitur tempeſtates (quæ proculdubio è cavernis montium oriuntur & in altum adſcendunt) tunc ſimul aliquam aëris particulam attrahere, & illud aëris pondus, locis iſtis incumbens, levius reddere, & conjunctione hâc magnas tempeſtates excitare: quæ, ubi in altum adſcenderunt, ut plurimùm hinc inde, modò orientem, modò occidentem, vel aliam plagam verſùs motum ſuum dirigunt, imò etiam directè deorſùm feruntur, ut etiam arbores radicitùs evellant.

Tempeſtatum longinquarum index.

Ex quibus præmiſſis omnibus ita concludi poſſe exiſtimo: Si ejuſmodi tempeſtates in altum adſcendere, curſum quoquè ſuum ad quamvis mundi plagam dirigere, & pro vi ac vehementia ſuâ aliquot centum milliaria ſuprà terræ globum hùc illùc moveri, imò etiam horribili vehementiâ decidere poſſunt: quidni etiam eædem cum aëre ſuo, cui implicitæ ſunt, extraordinariè in altum uſque ad tertiam aut quartam aëris regionem adſcendere, & ibidem inſtar pyroboli (vulgò Rachette) ulterius adſcendere non valentis, hinc inde vagari poſſent?

Pyrobolis æquiparantur Cometæ.

Et quum etiam Tubi Optici ſatis nobis declarent, Cometas nihil aliud eſſe, quàm nubem conglobatam, quam radii ſolares penetrant, & in rariori aëre vel aura caudam Cometæ cauſſantur: idcircò opinor, talem tempeſtatem interdum unà cum recepto humidiore aëre uſque ad obſcuram altitudinem rarioris & ſiccæ aëris regionis ferri, ibidem à Sole illuminari ac perluſtrari, & quò propior ſit terris, eo majorem caudam, & quo remotior, eo minorem quoquè illam ob tenuiorem ſemper aërem apparere.

Opticum experimentum de Cometis.

Cometa nubes conglobata à Sole illuſtrata,

Quò vicinior terræ, eò majorem caudam, quò remotior à terra, eò minorem caudam habet.

Ubi tamen nihil obſtat, quod nonnulli Cometis tantam magnitudinem, majorem etiam univerſo terreſtri globo, adſignant, ipſoſque ultrà Lunam poſitos eſſe ſtatuunt: quum impoſſibile ſit mortalibus, eorum diſtantiam, altitudinem & magnitudinem metiri, quoniam locus eorum verus (ut Aſtronomi vocant) propter motum irregularem ac breve temporis ſpatium, quo apparent, reperiri non poteſt. Nam locus verus per crebras revolutiones, & viciſſim ex hoc, unà cum loco viſo, parallaxis inveniatur neceſſe eſt. Quoniam autem illa haberi non poſſunt, nec diſtantiam quoque & altitudinem Cometæ metiri ullus poteſt. Quod ſi igitur altitudo incognita eſt, & magnitudo pariter incognita erit: ac propterea minimè credendum, tantam eſſe Cometarum magnitudinem, quanta illis vulgo adtribuitur. Concedi tamen hoc poteſt, talem cum nubibus, vel humido aëre, conjunctam tempeſtatem, in tanta altitudine ad decem & pluria millia milliaria, ubi aër non amplius premit, contrà vero, conglobata illa materia ſpatium ſeſe liberè extendendi habet, plus quàm tricies, quadragies aut quinquagies ſeſe dilatare poſſe, ac fuerat antè, quum in ea altitudine, quâ nubes ſunt, exiſteret.

Cometæ magnitudo & ſitus ſupra Lunam certò ſciri nequit:

Cometarum locus verus inveniri non poteſt, ideo nec parallaxis: ergo nec diſtantia & altitudo eorum: Et ſic quoquè magnitudo:

Illa tamen avulſa tempeſtas ſurſum delata dilatari valde poteſt:

Quòd verò Cometæ caudati non altiùs, quàm aëreæ regiones ſe extendant, adſcendant, ex hoc facilè colligi poteſt, quòd ipſorum caudæ nihil aliud ſint, niſi refractiones radiorum ſolarium in iſto obſcuro ac raro aëre vel aurâ. Nam ſi in ſpatio puro & ab omni materia vacuo (quod vulgo Æther vocatur) exiſterent, non eſſent Cometæ caudati, ſed criniti, ſeu roſæ; quibuſcum longè aliter comparatum eſt, quique probabiliter quieſcunt, nobis autem ob annuam telluris lationem moveri videntur, niſi fortè & Sol attractione ipſis alium ſimul motum attribuat: quum experimentis ad oculum demonſtrari poſſit, quòd ignis attrahat aërem eumque abſumat, ita quoquè talis Cometa à Sole (quem probabiliter igneum quid eſſe opinor) ad ſe attrahi & tandem etiam abſumi poteſt.

Caudæ vero eorum nil niſi refractiones ſunt radiorum Solarium in aura:

Has non haberent, ſed criniti ſeu roſæ apparerent, ſi ætherei eſſent:

Criniti probabili ratione quieſcunt, moveri tamen ob annuum terræ motum videntur, niſi & Sol motum quendam eis det.

Hæc ſunt, quæ pro meâ tenuitate, de Cometis nunc conſignare, & ad petitum Tuum, Præ-nobilis Vir, tranſmittere volui, paratus ab aliis, qui exactiùs hæc callent, meliora doceri. Ingenuè enim fateor, accuratiorem de Cometis ſpeculationem nec profeſſionis meæ, nec otii hactenus fuiſſe: quare etiam

Guerickii candor & modeſtia.

atque

atque etiam contendo, ut hoc quidquid literarum boni conſulere, & quæ in medium allata ſunt dextrè interpretari velis. Vale & vive quàm feliciſſime.

Hamburgo Magdeburgum die $\frac{5}{15}$. Auguſti 1665.

PAulò poſtquam literas die 3. Junii Juliani ad Te dederam: redditæ mihi fuerunt Tuæ die 29. Maji ſcriptæ. Ad has reſpondere prius nolui quàm ad meas illas acciperem abs Te reſponſum, quod antè octiduum mihi obtigiſſe, multùm mihi gratulor. Video enim in utraque epiſtola inſignem humanitatem, Viris in Magiſtratu poſitis, docente Senecâ & rectâ ratione, vel maximè convenientem. Video & haud vulgarem in me benevolentiam, quo nomine Nobiliſſimo & Splendidiſſimo D. Reſidenti Brandenburgici Filio Tuo, meo autem Amico plurimùm colendo, multùm me debere agnoſco.

Guerichiorum erga Auctorem benevolentia.

Video denique ſingularem rerum naturalium ſcientiam. Utraque epiſtola Tua, ſicut mihi tot gravibus de cauſſis fuit acceptiſſima, ita reſponſi vicem, humanitati & amicitiæ lege æquitatis debitam, jure ſuo exigit. Dilati abs Te reſponſi culpa nulla eſt. Itaque veniæ dandæ nullus in me locus eſt: ſed nec ſolicitè & anxiè qnærendæ, ut puto ſunt ſcriptionis meæ excuſationes. Vir enim ampliſſimæ tùm dignitatis, tum eruditionis, tùm exiſtimationis es. Ideò omnibus pateas oportet: tantò magis mihi, qui & diſcendi ſtudio & arctæ amicitiæ cum Nobiliſſimo Filio Tuo neceſſitudine nemini cedo. Quòd tot & tàm arduas quæſtiones in argumento Cometico Tibi juxtà ac tot aliis Viris doctis propoſuerim, illa ſagax & indefeſſa diſcendi, quodcunque admirandam divinam ſapientiam cuncta ritè conſtituentem & ordinantem doceat, cura in Tuam quoque curiam penetrans, & ex ea proveniens in vero inquirendo curioſitas, nunquam non in laude poſita, effecit.

Libertas judicandi & diſputandi cuivis integra eſto: Hanc ſibi relinqui Auctor, qui eandem omnibus dat, mutuo petit.

In hoc autem ſtudiorum genere judicandi, & ſua quæ vel certa, vel ſaltem probabilia crediderit proferendi, & quantum licet, aſſerendi libertas cuique integra eſto. Me aliena nunquam ad invidiam irritat: meam verò eripiendi mihi ut nemo facultatem habet, ſic nec cogitationem ſuſcipere debet. Quam ſi vel ad animum admittat, mihi propriæ ejuſque debitæ libertatis & exiſtimationis tuendæ cura incumbet.

Guerichiana operi inſeri Auctor cupit:

Excerptum illud ex opere Tuo, quod ad Te per Nobiliſſimum Filium Tuum remiſi, ſi libro meo inſeri volueris, mihi reſtitues, ſicut & reliqua, illa præcipuè ad amicum Lipſienſem à Te ſcripta. Sin autem, epiſtolis Tuis de hoc argumento ſcriptis contentum me eſſe oportebit.

Ejuſque ſententiam examinat.

Sententiam Tuam de *Spatio Vacuo* & *motu Telluris* (quam Planetis inſeris) tùm & de generatione Cometarum, quiſque Virorum Doctorum libertatis ſuæ jure uſus, ſicut & quamvis aliam, examinabit. Hæc, ut & quævis alia, varia variorum judicia experiatur, neceſſe eſt.

Libertas humani ingenii in expendendis aliorum ſententiis.

Noſti enim quanta ſit vis humanæ libertatis: noſti quibus legibus in Republica literaria vivatur. Quod ad ſententiam Tuam de Cometis, quos avulſas tempeſtates eſſe vis, ſpeciatim attinet, de hac, utpote inſtituto meo conveniente, pauca mihi hîc dicenda erunt. Te cuncta boni & æqui conſulturum, ſicut id à me poſtulaſti, & me id feciſſe ex veritate ſcito, certus ſum, idque etiam à Te majorem in modum peto.

Epigenis ſententiam de Cometis cum Peripatetica Libavius componit.

Sunt qui Epigenis Philoſophi Byzantini ſententiam cum Peripateticorum ſententia combinent, ut Libav. p. 44. tract. probl. Comet. Nam *Princeps Ariſtoteles* (inquit) *materiam Cometis aſſignat ex halitibus terræ natam, motu vel Solis radiis accenſam, & in regione elementari infra Lunam conflagrantem.* Et infra cum Chaldæis & Ariſtotele *Cometas halitus accenſos ſtatuiſſe, & in aëre ſuperiori alimentis igni idoneis pleno ali, & tandem conſumtâ materia extingui* dicit, & Appiano aliiſque *Cometas halitus non accenſos ſed à ſolis radiis illuſtratos* docentibus opponit.

Cometa an halitus accenſus vel tantùm à Sole illuminatus.

Certè & Plutarchus l. 3. de placit. Philoſoph. c. 2. Epigenis ſententiam refert, quòd ſtatuerit ſpiritum terreni quid habentem in ſublime ferri ibidemque igneſcere. Plinius ſententiam ejus de Cometis non

attingit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

attingit. Sed Seneca cum cura ſingulari refert & refellit ſimul. Memorat quidem ipſi videri Cometas accendi turbine quodam aeris concitati & intorti l. 7. nat. quæſt. c. 3. ideo & infrà turbinem & particulam aëris torti ex mente ejus

Epigenis & Ariſtotelis ſententiæ diſcrimen.

c. 6. & 9. vocat. Verùm quæ de vi turbinis, qua avelli & agitari Cometas dixit Epigenes, prodit, à mente Ariſtotelis, qui Soli exhalationes illas è terra & mari extrahenti, & in ſupremam aëris regionem elevanti vim hanc tribuit,

Guerichius ab Epigene diſſentit, dum Cometam à Sole illuminari non accendi ſtatuit; quæ & Veterum & recentiorum quorundam ſententia eſt: Cætera Epigeni aſſentit.

aliquantum diſtant: quamvis uterque ignes illos in aëre accendat. Hîc Tu ab Epigene abis, & vero propiori accedis ſententiæ, quæ Cometam eſſe meteoron ſublunare, ſive halitum à Sole illuminatum non accenſum ſtatuit, & non tantùm Appianum, Scaligerum & Teleſium, auctores nuperos, ſed & Heraclidem Ponticum & Metrodorum, de quibus Plutarchus loc. cit. defenſores agnoſcit. Cætera Epigenis cum Tua ſententia conveniunt, de duobus ſcilicet Cometarum generibus, quorum alii ardorem undique effundunt, nec locum mutant & criniti ſunt, à Te Roſæ quoquè dicti, alii in unam partem ignem vagum in modum comæ porrigunt, quos Tu beneficio auræ hùc illùc mirabiliter circumvagari & caudas oſtentare ais. Quod tantò lubentius tango, quòd & Nobiliſſimus Filius Tuus me ut hoc facerem, & Senecæ teſtimonium, quod c. 6. lib. cit. extat, deſcriberem monuerit. Itaque quæ illîc Seneca objecit Epi-

Epigenis & Guerichii ſententiæ oppoſita.

geni, Tibi quoquè removenda erunt, ut ſententia Tua firmè conſiſtat, nempe Cometas & quietiſſimo aëre apparere, nec cadere cum vento, & ut non incipere, ſic nec creſcere vento. Tùm in uno loco apparere, non hùc illùc inſtar venti impelli. Sed & videri ſuprà quàm ventis ire liceat. Adhæc varium, alios in ortum, alios in occaſum, omnes in flexum carpere iter (quod non daret ventus) & motu quidem compoſito, non vago, diſjecto & verticoſo, qualis ille turbinum ſit. Diutius præterea quàm turbines, qui omnem longiorem

Cardani ſententia de Cometis.

Scaligeri ſententia de Cometis.

moram à ſe abigant, durare, & quæ ſunt alia. Apianum tibi faventem vidimus. En Tibi & Cardanum, cui *Cometes eſt globus in cælo à Sole illuſtratus, per quem illius tranſmiſſi radii pone caudam faciunt.* Imò & Scaligerum, qui ſic ad iſta: *Corpus*, inquit, *eſt Cometes, & tàm denſum, ut illuſtrari, tàm rarum, ut tranſmittere queat radios. Id quod etiam videmus in globo vitreo.* Et paulò poſt. *Vaporem arbitror vi tractum ab aſtrorum aliquo in aëris ſummam regionem, cujus vaporis natura non ſit ardens, ſed miſta materiæ, tanquam fumus aut fuligo, recipiens Solis radios, atque iccircò viſibilis, & tranſmittens eos, atque ideò caudata.* Exerc. 79.

Paracelſi & aliorum de dæmonibus ſententiam cur Auctor de argumento Cometico agens produxerit.

** Philoſophia Chriſtiana Scripturam magiſtram ſequitur.*

† Dæmones ſive Angeli boni miniſtrant Deo in operibus ejus.

‡ Rothmanus Scaligeri acer adverſarius, ſtatuit Angelos bonos halitus leviores in ſublime deferre, ut à Sole illuſtrentur & in Cometas caudatos vel barbatos exeant.

Nec Paracelſum, nec Dæmones, qui excitent procellas temerè memoravi. Boni & mali dæmones hîc veniunt in conſiderationem. *Libertate agimus Philoſophica, auctoritate tamen Sacrorum oraculorum nixi. Iccirco tunc exemplo Jobi & auctoritate Scripturæ egi. Sine hac etenim nuſquam ſapere volo. † Nunc etiam de bonis Dæmonibus ſive Angelis dicam. Horum miniſterio Deum in multis operibus peragendis ab ipſo rerum exordio uti, ſæpius in Scriptura Sacra legimus. ‡ Chriſtophorus Rothmanus, qui cum illo Scaligero certamen in campo, ut ſic dicam, Cometico, ſubire non detrectavit, in quadam ad Tychonem epiſtola opinatur, Angelorum bonorum opera halitus terrenos leviores in ſublime ferri & ſupra Lunam deferri, ut ibi à Solaribus radiis permeantibus illuſtrati, in formam Cometarum caudatorum vel barbatorum exeant, & in eam partem dirigantur & deferantur Angelico miniſterio, quò eos deferri vult divina providentia, ad incutiendum mortali generi terrorem. Hæc ſententia non diſplicuit Fromondo, placuit Franciſco Reſtæ, defenditurque à Cabæo, ut docet Ricciolus Almag. c. 6. p. 38. N°. 12. Qui & Damaſceni & Tanneri aliorumque ſententias in hanc rem ibidem citat. Et fateor quidem hanc ſententiam Theologicè & Ethicè eſſe optimam, dummodò talis Philoſophicè ſit, quod ad materiam & cauſam efficientem Cometæ attinet: in eo jam magis probanda, quòd exhalationes ſupra Lunam efferat, & à Sole non accendi, ſed illuminari dicat, quod contra Peripateticos illi Philoſophi ſupra memorati propugnant. Nempe igitur & Scaligero favet Rothmanus, quatenus materiam illam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

illam Cometicam illuminari non accendi docet, ut & Libavius, Licetus aliique, qui ex materia cæleſti addenſata & illuſtrata componi dicunt, & Cometas in cælo locant: quæ ſententia eſt & Carteſii & Ludovici Columbi aliorumque; tùm & Tychonis, Longomontani, Kepleri, multorumque Virorum Clariſſimorum à Ricciolo recenſitorum. Quippe hi etiam Cometas non eſſe corpora ardentia, ſed perſpicua & tralucentia ſtatuunt, ſicut & ex antiquis Artemidorus Caudam Cometæ eſſe ab humore radiis Solis illuſtrato dixit. Præcipuè verò cum Rothmano facit Guiduccius, Galilæus, Areſius & Prætorius, qui Cometas dicunt eſſe halitum terreſtrem ſupra Lunam elevatum & ibi illuminatum: niſi quòd de Angelorum in iis dirigendis opera nihil habeant.

Atque hæc ſunt quæ de argumento Cometico ad Te hac quoque vice, non amplius Tibi hîc moleſtus futurus, perſcribenda mihi eſſe duxi. Licet autem Te de his accuratè examinandis non eſſe magnoperè ſolicitum dicas, ſpero tamen Te ad iſta mihi aliquid reſponſurum eſſe. Cui ego interim de illis ex opere Tuo celeberrimo exerptis magnas ago gratias. Et ut ſymbolam aliquam Tibi referam, dabo Tibi ea quæ nuper à quopiam Amicorum accepi. * Sermonem ille habuit cum Viro quodam docto, qui dicebat ſpatium neceſſario eſſe corpus, cum conſtet trinâ dimenſione, quod eſt proprium corporis: unde concludebat, ſpatium non poſſe eſſe vacuum corpore: alioqui ſi hoc tolleretur à ſpatio, iſtud periturum, & terminos inter quos intercedit ſpatium, coïturos eſſe. Sed ille reponebat 1. Si ipſum ſpatium foret corpus, tum corpus foret in corpore, cum aliquod corpus foret in ſpatio, quod & alter abſurdum ducebat. 2. Cum quæſtio eſt de Vacuo, non hoc quæritur, an ipſum ſpatium ſit corpus nec ne, ſed ſive corpus ſit, ſive non, an poſſit eſſe abſque alio corpore quod in eo contineatur. Ad hæc aliquid reſpondebat alter. Sed ille non fuiſſe ſibi ſatisfactum dicebat. Ita tunc utrinque diſceſſum eſt. Fieri autem poteſt, ut de his amplius coram vel per literas conferant. Hæc ſi ad meas manus perveniant, faxo ut ea mox à me habeas. Crede enim mihi vera dicenti, undique me rei literario prodeſſe velle, atque in id omni ſtudio & conatu ferri. Illum abs Te affabrè ex ligno factum homullum, in vitro aeris vacuo iſtius mutationem indicantem, ſæpius apud Nobiliſſimum Filium Tuum video. Illo quoque referente didici homullo illo inferiora petente maximas tempeſtates ad C, vel CC, milliaria in diſſitis à nobis locis ſævire. Cum verò iſtius inventi crebra futura ſit in meo opere mentio, imò ipſa ejus delineatio & deſcriptio communicationi Nobiliſſimi Filii inſerenda, velim me paucis doceas, quomodo me expedire debeam dubiis, quæ mentem involvunt. Variare tempeſtatem pro varia ſoli & cæli diſpoſitione docet experientia. Non tantùm alta montium juga, ſed & his adſita, tùm verò & maritima loca crebris & vehementioribus perflari & concuti ventis ſentimus. Illa paluſtria & multas exhalationes generandis pluviis aptas ſurſum mittentia frequentibus rigari pluviis videmus. Ægyptum autem feracem, orbis horreum, etſi paludibus abundantem, pluviarum tamen expertem ſolo Nilo irrigari didicimus. Ita hîc quoquè rerum apparent vices! Tempeſtates æquè ut aliæ res triſtes & lætæ ubique terrarum alternis ſuccedunt. Nec dubitandum videtur, etſi nos hoc vel illo loco cælum intueamur ſerenum, nec ullis nubibus exaſperatum, alibi tamen ingentes dominari ventos & procellas: ſicut & Comicus cum experientia ait: *Hîc Favonius ſerenus eſt, hîc Auſter imbricus.* Unde igitur certi eſſe poſſumus homullum illum nobis, adſpicientibus ſitum ejus, inferioribus accedentem, indicare procellas & leviorem aerem, qui tantùm ſudo gaudemus, & graviorem aerem intra C, vel CC, milliaria experimur? Utinam ſcire liceret, quis ſitus homulli illius, ſi & apud nos & ultra C, vel CC, milliaria foret, tum quæ utrobique inque locis interjacentibus aëris ratio, & tempeſtatis conſtitutio! Hîc ad experientiam optimam & fideliſſimam rerum magiſtram recurrendum eſt. Ignoſce, Ampliſſime Domine, quòd tantum humanitati Tuæ & Nobiliſſimi Filii Tui Amici integer-

Guerichiana ex opere excerptum Auctori pergratum.

** Spatium an neceſſariò corpus,*

An poſſit eſſe vacuum corpore.

Corporum penetratio non datur.

Spatium an detur corpore vacuum.

Literariæ rei commoda pro tua virili promove.

Anemoſcopion Guerichianum aëris rationem indicans.

Dubia Guerichio ab Auctore propoſita.

Ægyptus nunquam pluviâ ſed tantùm Nilo irrigatur.

Anemoſcopion Guerichianum quomodo ſimul procellas & ſerenum indicare poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

integerrimi familiaritati fidam, ut utraque hîc ferè abutar. Sed hic mos eſt curioſorum diſcendi, & ſtudioſorum publica commoda propagandi: qui etiam cum moleſtus, & ut ſic dicam, importunus evadit, laude, quia utilitate, non caret. Ego verò, tantum abeſt ut Tuas literas boni conſulere & dextrè interpretari nolim, ut potius ingentes Tibi de iis agam habeamque gratias, ſimulque Te rogare neceſſe habeam, quò hac æquitate & benevolentia verboſam hancce epiſtolam excipias. Vale longum & proſperè, Vir Neſtoreis annis digniſſime, ac mihi porro fave.

Hamburgo Magdeburgum die 17. Martii Juliani 1666.

Moleſtiam creare noli amicis, cumprimis occupatis & ſenibus.

Diſcendi avidi quando que ſunt amicis moleſti.

Auctor à Guerichio patre reſponſum poſtulat.

Guerichii patris communicatio cur non ſit communicationi Guerichii filii adjuncta.

QUanquam nondum ad poſtremas illas literas, quas ad Te die 5. Auguſti Juliani anno præterito dederam, reſponderis, tamen nunc quoquè brevibus hiſce compellare Te volui. Nullam Tibi moleſtiam creare volo, nec unquam volui, cum & graviores Tuas occupationes, & cum morbis ipſaque ſenectute, quam ipſam morbum eſſe vulgo dicimus & experimur, conflictantem valetudinem nôrim. Si quid tamen tale quid à me factum eſt, id Tu pro humanitate Tua, diſcendi deſiderio quo ſemper teneor, adſcribes. Nihil aliud in præſentia à Te poſtulo & peto, quàm ut aliquid reſponſi, ſi per graviora negotia, cumprimis per affectam valetudinem & gravem ætatem licet, des ad illas meas literas quibus quæſtiunculas quaſdam magnâ, æqua tamen ut puto libertate, Tibi propoſui. Non enim multum temporis ſupereſt, cum ſatis diu reſponſionem Tuam exſpectarim, ita ut inter me & Te communicata illis inter Nobiliſſimum Filium Tuum & me communicatis adjungere non potuerim. Sed jam diutius exſpectare non poſſum. Nam illa Tua meaque ſimul intra menſem certo ſubjicientur prelo, ſi Deus voluerit. Poſſet quidem reſponſum Tuum ad calcem operis addi; ſed mallem illud huic epiſtolæ ſubjici. Verum tamen dum hæc ſcribo, nihil Tibi præſcribo. In poſtrema epiſtola feceram mentionem privati colloquii, quod uni Amicorum meorum cum Viro quodam Doctiſſimo interceſſerat, de Spatio Vacuo. Ex eo tempore nil amplius de hoc argumento ab illo Amico accepi. Socius tamen ejus hujus rei meminerat. Et his quidem verbis: *Vir ille Doctiſſimus voluit nobis perſuadere, ipſum quoquè ſpatium eſſe corpus, cum trinam dimenſionem habeat. Sed nondum id nobis perſuaſit. Nam quamvis Mathematici ita vulgò corpus definiant: tamen fortaſſis omnis dimenſio & quantitas eſt corporea, ſolida nempe & materialis.* Hæc tunc ille. Plura de his ab utroque illorum exſpecto, quæ ſi accepero, ea Tui & publici juris faciam. En Tibi Ampliſſime Domine, epiſtolam Clariſſimi Viri Joannis Mülleri Matheſ. in Gymnaſio Urbis hujus Profeſſ. quam ad me tunc cum argumentum Cometicum mutuò tractaremus ſcripſerat. Facit enim in ea mentionem Tuæ de motu Cometæ ex motu terræ proveniente ſententiæ, idque ita, ut ei non pauca opponat. Dubito enim an ejus copiam Tibi vel Nobiliſſimo Filio Tuo antea fecerim. Tu velim aliquid ad iſta quoque reponas. En Tibi etiam, quæ nuper ad me R. D. P. Schottus, de Te ſcripſit, & quæ ego reſcripſi, tum quid Illuſtriſſimi D. Campi Mareſchallus Wirtzius de Vacuo ſentiant, & à me Schotto in rem Tuam ſcribi voluerit. Hæc Tibi fore grata non dubito. Et certe tàm illuſtris, & acumine ingenii, ac prudentiâ præſtantis Viri judicium de Te honorificum, magni faciendum eſſe nemo non videt. Quapropter & ego Tibi eo nomine gratulor, ut & collatum à Sereniſſimo & Sapientiſſimo Imperatore Leopoldo Tibi Filioque Tuo nobilitatis honorem, virtutum & meritorum utriuſque Veſtrûm præmium. Gratulor Tibi cumprimis confirmatam à morbo valetudinem, quâ commodâ omnique ſimul proſperitate, ut quàm diutiſſimè fruaris, ex animo opto.

Spatium non eſt corpus.

Corpus quid.

Quantitas omnis non videtur eſſe corporea.

Mulleri epiſtolam Guerichio Auctor mittit, in qua ille non pauca ei opponit.

Wirtzius adſentit Guerichio de Vacuo. Laudatur.

Guerichio collatum à Cæſare nobilitatis honorem gratulatur Auctor, ut & reſtitutam valetudinem.

Magdeburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Magdeburgo Hamburgum die 2. Aprilis S. V. 1666.

Guerichius pater auctori gratum animum ob benevolentiam teſtatur.

PErjucundæ mihi fuerunt proxime Tuæ literæ, quibus mihi cùm de recuperata per Dei gratiam valetudine, tum de clementiſſimè collatâ à S. Cæſareâ Majeſtate nobilitate, gratularis. Teſtaris enim hoc pacto ſatis abundè & propenſum ac conſtantem tuum erga me affectum, & maximum tuum deſiderium, quo meum, ad prolixas illas tuas, ſuperiore æſtate de Cometis ad me datas, reſponſum hactenus deſideraſti. Verum pro tuo candore facile judicabis, in me quidem nullam fuiſſe moram, ſed morbum iſtum, ſatis gravem ac diuturnum, propoſitum hoc meum ſufflaminaſſe. Ego verò plurimùm lætatus ſum, quòd divina bonitas interea temporis Te ſalvum atque incolumem præſtiterit, ut ſuſceptas tuas de Cometis meditationes ad finem optatum perducere & publicæ luci exponere potueris. Cui erudito tuo operi etiam meam de Cometis ſententiam inſerendam eſſe arbitraris, eumque ob finem quoque accuratiorem meæ ſententiæ explanationem in ultimis tuis à me exquiris. Quamvis autem qualemcunque meam hac de re conjecturam Tibi denegare non facile velim, proteſtor tamen (ut in ſuporioribus à me factum) denuò, & profiteor me in perſcrutandis iis, quæ ad accuratiorem Cometarum conſiderationem pertinent, non magnoperè ſollicitum fuiſſe, eò quod in Opere meo de *Spatio Vacuo*, occaſio mihi defuerit materiam iſtam tractandi. Non gravabor tamen ex laudatis illis tuis literis quædam repetere, deque illis mentem meam Tibi, ut petis, aperire. Tuum erit de re ipſâ liberè arbitrari. Adducis in tuis varias veterum Philoſophorum, cumprimis Epigenis & Ariſtotelis de Cometis, ſententias, ſimulque exponis quo pacto Libavius Epigenem cum Peripateticis conciliare conatus fuerit, quibuſque in punctis mea ſententia cum Epigene convenire, quibus vero ab eo abire videatur, quæ prolixius nihil attinet hîc commemorare. Reſpondeo autem, non eam eſſe meam opinionem, quòd materia Cometarum ex halitibus terræ naſcatur, ac radiis Solis accendatur: ſed materiam eam conſtare ex turbine quodam in locis ſubterraneis generato, qui ex cavernis terræ aut montium erumpens, particulam aëris (ut omnes turbines facere ſolent) attrahit, eâque involutus præter communem conſuetudinem, non deorſum ad terram, ſed magis magiſque ſurſum fertur, uſque dum eò pertingat, ubi aër valdè dilatatus, nulluſque ventus ibidemque ex innato ſpiritu turbido inſtar pyroboli huc illuc vagetur, & a Sole, ut nubes aliqua, illuminetur, tandemque ab eo abſumatur, quemadmodum in literis meis 22. Julii anni præterlapſi ad Te datis eadem ferè perſcripſi. Num verò iſtiuſmodi turbines in terræ cavernis à Dæmonibus quibuſdam excitentur aut efficiantur, nec ne, dictu videtur difficillimum, neque ego facilè affirmare auſim. Præterea ex illis Tuis quoque intellixi, quendam Amicorum tuorum ſermonem habuiſſe cum alio quodam viro docto de *Spatio vacuo*: quorum hic adſerere non dubitaverit, *ſpatium neceſſariò eſſe corpus, quum conſtet trinâ dimenſione: unde concluderetur ſpatium non poſſe eſſe vacuum corpore, alioqui ſi hoc tolleretur à ſpatio, iſtud periturum, & terminos, inter quos intercedit ſpatium, coituros.* Ad hoc reſpondeo, ſpatium illud in ſe nullam prorſus admittere dimenſionem. Spatium enim eſt id cujus eſt continere, capere; in quo nimirum omne corporeum ſuum eſſe vel ſubſiſtere habet, aut habere poteſt: nulli cedens, nec tantum cedens, quantum eſt corpus receptum; permanens atque immobile, indiviſibile, ubique omnia penetrans, cui nihil infert eſſe repletum vel inane. Unde per nudum intellectum concipitur non eſſe, quia non eſt hoc aut illud, quod poteſt videri, tangi &c. ſed eſt ab omni materialis naturæ conditione abſtractum quid, à quo omnia infinitè diſcrepant, ita ut nihil ſit ac fieri poſſit, quod ad æqualitatem ejus ullo modo pertingat; ſed quidquid ſecundum trinam dimenſionem men-

Mutuam benevolentiam erga Auctorem teſtatur.

Suam de Cometis ſententiam à Peripatetica diverſam eſſe docet.

Eandem explicat & confirmat.

Sententiam quoquè ſuam de Spatio Vacuo exponit & aſſerit.

ſuratur, id omne ſecundum corpus, non verò ſecundum ſpatium ipſum, menſuratur. Et quamvis ſpatium, exempli gratia alicujus conclavis, quatenus à materiato quodam circumſcriptum videtur, ſecundum ipſum illud materiatum mente quis concipere velit, tamen ille mentis conceptus ſpatio ipſi nihil quidquam dare nec detrahere poteſt; verum dimenſio iſta verè fit ſecundum ipſius corporis ſitum & quantitatem, non autem ſecundum ſpatium ipſum, quia ſpatium eſt tam intra, quam extra illud corpus. Quòd verò ulterius colligi poſſe alter exiſtimaverit, *ſpatium non poſſe eſſe vacuum corpore, alioqui ſi hoc tolleretur à ſpatio illud periturum, & terminos inter quos intercedit ſpatium coituros.* Verum enim verò conſequens illud contrarium eſt meis experimentis, quæ evidenter atque ad oculum demonſtrant, quod omnis aër ex vaſe vitreo rotundo extrahi poſſit, quo extracto, nihil in vaſe relinquitur, niſi ſpatium purum & ab omni materiato evacuatum. Nec ſequereter ſi corpus tolleretur à ſpatio, ipſum quoque ſpatium periturum: quando enim exempli gratia turris aliqua deſtrueretur, ſpatium, certè illud, quod antea occupârat, manebit, in quo vel nova turris, vel alia moles ſurrogari & collocari poſſet. Neque etiam ſequitur, *ſublato corpore terminos inter quos intercedit ſpatium coituros*, & ut Carteſius libr. de Princip. Philoſ. part. 2. n. 16. ſcribit: *Vaſis latera ſibi invicem fore contigua.* Hoc etenim in vaſe illo vitreo rotundo non fieri, experientia teſtatur: licet aliter eveniat in Vaſe vitreo non rotundo, cujus latera ob gravitatem aeris exterius prementis, confringuntur. Sed de talibus liber meus de Spatio vacuo plenius exponet, eaque in lucem proferet, quæ antehac incognita fuerunt.

Nec non anemoſcopii ſui inventum tuetur & uſum ejus deducit.

Tandem quod attinet Imagunculam illam, ſeu (ut ita loquar) homulum ex ligno factum, quem in vaſe vitreo oblongo & ab aëre vacuo conſtitutum, motu ſuo aëris mutationem indicare poſſe ſignificavi; eum equidem primò ea intentione non confeci, ut magnas illas tempeſtates indicaret, qua de re etiam ne cogitavi quidem. Quoniam verò per crebra atque evidentia experimenta obſervavi, quod aërea ſphæra circa noſtrum Horizontem, quando pluit, aut antè etiam quàm ad noſtras terras pluvia pertingit, ſemper aliquantò levior fiat, & quidem eam ob cauſam, quia multum aquæ ex aëre decidit: in eam cogitationem deveni, quòd ſi talis machinula fabricaretur, in quâ homunculus ille, ex ligno factus, vel pro gravitate aëris attolleretur, vel pro ejus levitate deprimeretur, & digito ſuo differentiam præciſè atque accuratè indicaret, imminens quoque pluvia præſciri ac præcognoſci poſſit. Incertus tamen in eo fui, quòd, ſi illa imaguncula extra conſuetum ordinem ſe ad quartum, quintum aut ſextum punctum demitteret, inferior illa depreſſio ſemper ingentes tempeſtates ac procellas (etiamſi ad C. aut CC. milliaria Germanica à nobis abſint) portendere poſſit: quum tamen in tali caſu experientia poſtea per relationes ſcriptas docuerit, eodem tempore per tempeſtates ſive in mari, ſive in terrâ maximas factas eſſe calamitates, licet in noſtro loco ventus tum non adeo vehemens fuerit. Quæ verò propria & proxima hujus rei cauſſa ſit, hactenus explorare nondum potui, nihilominus tamen tales tempeſtates ſemper ex machinulæ illius indicio cognoſco, quamvis non ita præciſè colligere poſſim, quo in loco iſtæ fiant, quod ipſum tamen ex novellis (ut vocant) poſtea innoteſcit. Quamquam verò nullum mihi dubium eſt, quin aër in ejuſmodi locis ſeu regionibus, ubi tranquillus eſt & ſine vento, in æquali pondere circa Tellurem exiſtat, animadvertitur tamen alteratio noſtræ ſphæræ aëreæ, non ſolùm, quando imaguncula iſta tempore pluviæ aut tempeſtatis deprimitur, ſed & quando interdum præter ſolitum ad 3. 4. aut 5. punctum ſupra medium attollitur, quo tempore procul dubio neceſſe eſt aërem multum aquæ, & quidem in mari (paludinoſa enim loca ad hoc ſufficere nequeunt) ad ſe attrahere. Equidem optarem, machinulam illam meam in Oceano, ubi ſæpè brevi temporis ſpatio navigationes ad C. CC. CCC. & plura milliaria confici poſſunt, uſurpari, non dubitarem quin per eam plura explorari atque inveſtigari poſſent.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Sed quid mihi inde gratiæ, ſi ego arcanum illud, cujus experimenta magno meo ſumptu feci, cuivis gratis communicarem? Hæc ſunt, Nobiliſſime Domine, quæ ad binas tuas ultimas pro meâ tenuitate hac vice reſpondere potui. Vellem ita ea eſſe comparata ut curioſo tuo deſiderio ac limato judicio ſatisfacere poſſint. Confido interea tuo candori; quod qualemcunque meam in dubio & intricato hoc argumento ſententiam, meliorem in partem ſis interpretaturus. De me nihil aliud tibi certius promittere habeo, quam quod animum meum ad quævis humanitatis officia ſemper habiturus ſis promptum atque paratum. DEUS Te ſervet incolumen; Vale & ſalve plurimum.

Cometæ qui moveantur vel quieſcant ex Guerichii ſententia.

P. S. Quod ad judicium Clariſſimi D. Mulleri, Math. in Gymn. Hamburg. Prof. de mea ſuper Cometarum motu ſententia attinet, memini me in epiſtola mea die 22. Julii 1665 ſcripſiſſe, Cometas quidem caudatas auræ beneficio moveri, ſed cum Cometis crinitis ſeu Roſis longe aliter eſſe comparatum: hos enim quieſcere, nobis tamen ob annuam telluris lationem quaſi moveantur, videri, niſi forte & Sol attractione ipſis alium ſimul motum attribuat, cum experimentis ad oculum demonſtrari poſſit, quod ignis attrahat aërem eumque abſumat, ut ita talem Cometam Sol (quem probabiliter igneum quid eſſe opinor) ad ſe attrahere, tandem etiam abſumere poſſe judicetur. Atque hæc ad verum ſententiæ meæ intellectum deligenter obſervari cupio.

Hamburgo Magdeburgum die $\frac{19}{29}$ Aprilis 1666.

Amici fures temporis.

CItius, fateor, ad literas Tuas tàm doctas, quàm amicas die 2. Aprilis Juliani datas, mihi pergratas reſcribere debui. Sed variæ occupationes ab Amicis multa curæ meæ commendantibus, tùm urbem tranſeuntibus meque viſitantibus, mihi oblatæ, præter alios labores me impediverunt. Nunc itaque ſtatim ab abſolutis Paſchalibus feriis defungor meo erga Te officio. Gratias Tibi imprimis de Tuo tàm benevolo & humano reſponſo ago. Tanto magis quod Tuam de Cometis ſententiam illuſtràris. Hos Te & antea quoque ex avulſa aëris particula, procellæ vi ſurſum delatâ, ibidemque illuminatâ generari ſtatuiſſe credidi. Te pariter duplices Cometas, caudatos ſcilicet qui in ſuprema aëris regione vagentur, & crinitos ſeu Roſas in ſpatio puro conſiſtentes, qui probabiliter quieſcant, docuiſſe rectè memineram. Neque id etiam miratus fui, cum ſciam & à rerum naturalium ſcrutatoribus doceri Cometas eſſe tùm mobiles, tùm immobiles. Niſi quòd tamen hi ob minus evidentem motum ita vocentur. Quæ aliquando Tibi de Dæmonum poteſtate in aëre turbando & ciendis procellis attuli, ea nec ſacrâ nec profanâ auctoritate carent, ut tunc dixi. Hæc tamen quod ad Cometas attinet, non aſſeveravi, ſed ut probabilia Tuo aliorumque Virorum doctorum & experientiæ exemplis præſtantium judicio ſubmiſi. Inventus nuper eſt, qui Cometam malum genium eſſe publico ſcripto docere voluerit. Fateor eum teſtimoniis S. Scripturæ & rationibus ex ea petitis agere. Mihi tamen, ut ingenuè dicam quod ſentio, id quod vult, non perſuadet, qua de re alias egi. Hæc autem iſtis literis inſerere, neceſſarium non judico. Quare enim Tibi his moleſtus eſſe pergerem? Quanquam & mihi quoque nunc temporis editioni operis mei quam diligentiſſime impendendi ratio habenda eſt. Quæ de ſpatio, vacuo & mutatione aëris per homullum Tuum vitro incluſum ſignificata diſputas, experientiæ teſtimoniis comprobata fidem invenient. Ego verò Tuum ſtudium & erga me benevolentiam, ac in confirmanda Tua ſententia diligentiam & candorem, non tantum boni & æqui conſulo, ſed & me Tibi eo nomine plurimum debere fateor, meaque officia ſtudia mutua Tibi defero. Licet autem prægrandis operis mei editio omne tempus meum ſibi depoſcat & à me exigat, quod à reliquis laboribus ſupereſt, tamen fieri poteſt ut paulùm plus otii nactus mentem meam de his exponam. Sin minus: (revera

Guerichii ſententia de Cometis.

Cometæ mobiles & immobiles.

Dæmonum poteſtas in aëre.

Cometa malus genius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

(revera enim colligendis & corrigendis quæ de argumento Cometico ſcripſi ad amicos, tum & perficiendis quæ in Hiſtoria Cometarum reſtant, vix ſufficio) hæc epiſtola communicationum noſtram claudet, Tibique de Tua induſtria & benevolentia debitas gratias aget. Vale, Ampliſſime Domine, quam optime & quam diutiſſime, mihi autem conſtantem ſerva benevolentiæ vicem.

XI. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XI.
COMMUNICATIO LUTETIA-PARISIORUM-BULLIALDIANA.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 13. *Dec. Gregor. Anno* 1664. *N.* 49. *ad* 20.

Viro Clariſſimo & Doctiſſimo

ISMAELI BULLIALDO

STANISLAUS LUBIENIETZKI *S.P.D.*

MUltum profectò Tuæ benevolentiæ & facilitati debeo, Vir Humaniſſime, quòd inter tot graviores occupationes colendo mecum literarum commercio frequens vaces. Quocirca nollem ullam officii erga Te mei partem negligere. En Tibi nunc pauca, quæ à communi amico Illuſtriſſimo Legato Neoburgico Domino Rautenſteinio nuperrimè accepi. Quæ illi, ut & R. D. P. Curtio nomine Tuo perſcribi póſtulas, libenterque meritòque faciam. Nihil ſupereſt aliud, quàm ut Te certiorem faciam, nocte proxima à vigilibus ſummo mane viſum eſſe magnum Cometam, de quo quæ certa habuero, proximè, ſi vivo, Tecum communicabo. Vale.

Bullialdum de viſo primùm Hamburg. Cometa Auctor facit certiorem.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 20. *Dec.* 1664. *N.* 50.

AD poſtremas Tuas literas die 5. hujus menſis datas proximè Tibi è veſtigio reſpondi. Hodie nullas à Te accepi, cum nondum tabellarius, dubio procul itinerum iniquitate impeditus, acceſſerit. Ita paucis Te nunc compello, idque meritò facio, non tantùm ex ratione officii, & commercii literarii, quod nobis mutuo intercedit, ſed & ſingulari inſignis iſtius Cometæ, qui ab hinc octo diebus hîc primum viſus eſt, intentivo percitus. De hoc variorum Virorum, ut in omni literarum genere, ita & in Mathematicis diſciplinis magna cum laude exercitatiſſimorum, judicia & obſervationes quas jam nactus ſum Tibi mitto. Tu pro amicitiæ noſtræ ac eximiæ Tuæ humanitatis, ſed & excellentis rerum Mathematicarum notitiæ & magnæ exſpectationis noſtræ ratione, paria mihi, perque me aliis Viris doctis, referes. Vale & conſtanter fave.

Cometicum argumentum cum Bullialdo Auctor tractare incipit.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 19. *Decembris* 1664. *N.* 21. *ad* 48.

Bullialdus ſingularem benevolentiam & in literarum commercio colendo diligentiam Auctori teſtatur.

Generoſiſſimo Viro STANISLAO LUBIENIECIO de LUBIENIETZ

ISMAEL BULLIALDUS *S. P. D.*

QUamvis mihi non liceat per aliquas occupationes amicis nunc ſcribere, Tibi tamen, Vir Generoſiſſime, qui tam officioſus es in amicos tuos, reſcri-

reſcribere & ad ultimas tuas Decemb. tertia die ſcriptas reſpondere mihi viſum eſt. Cometa longam comam ſeu caudam ante ſe ab ortu ad occaſum producens ab octo diebus à noſtris viſus eſt. Die 13. primum conſpectus hìc eſt. De quo phœnomeno die 15. monitus fui: ob nubes tamen & pluvias indeſinenter aërem obtenebrantes, ſemel ſolùm, & inter nubium hiatum videre eum licuit, hocque ſolum notare potui, inter Corvum, Craterem & maximè auſtrales tres ſtellas Hydræ ipſum tunc apparuiſſe, & aliquot gradibus infra Tropicum Capricorni conſtitiſſe. Vale Vir Generoſiſſime, & Illuſtriſſimum Dominum Rautenſteinium plurimum nomine meo ſaluta. Scribam ad eum aliàs. Iterum Vale.

Cometa die 13. Dec. 1664. Pariſiis primum viſus, à Bullialdo ſtatim obſervari non potuit.

Obſervatio Bullialdi prima.

Bullialdus Rautenſteinio amicus.

N. 51. ad 21.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 27. Decembris 1664.

Gratiſſimæ mihi ſunt literæ Tuæ die 19. hujus menſis datæ: ad quas brevibus reſcribo. Illis, quas Tibi ante octiduum miſi Virorum doctorum obſervationibus & judiciis de Cometa novo, addo adjuncta. Hæc quanti Te Tuo merito hìc, ſicut & ubique terrarum in orbe literario, Viri docti faciant, & quàm ardenter Tuum hìc judicium deſiderent, Te docebunt. Eadem miſi ad Clariſſimum Hevelium alioſque nonnullos Viros doctos, quibus cum Tua, quæ exſpecto, ut & illorum Tecum, libenter communicabo, & ſic Aſtronomicorum arcanorum, quod ingenuè fateor, expers, (nam à limine tantùm illa edita Aſtronomicæ ſcientiæ templa ſerena ſalutare contigit) dum mutuam tot veſtrûm diligentiam exacuam, niſi aliud poſſim

Auctor ſe à lumine tantùm Aſtronomiam ſalutaſſe fatetur.

- - - fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi

& faciam quod olim Mercuriales ſtatuæ fecerunt, monſtrabo viam, quàm nondum emenſus fui. De Tua tàm amicitia quàm diligentia ſingulare quid hìc mihi polliceor. Vale, Vir Clariſſime, diu & feliciter, proſperè age, ac me amare perge.

N. 22. ad 49.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 2. Januarii 1665.

De Cometa quæ notavi hìc paucis deſcribam, cum pauca ſint, nec exacta, cælo enim ferè turbido, nec adhibitis inſtrumentis, mihi obſervatus Cometa eſt.

Cometa in Corvo quando Pariſiis viſus.

Die Decembris 12. primùm noſtris viſus fuit, die 14. mihi nunciatum, ſed aëris caligo nubeſque perpetuæ ad 18. impediverunt ne videre poſſem, ſed neque illo die clarè viſus. Cum à roſtro Corvi jam receſſiſſet, & infrà Tropicum Capricorni jam deſcendiſſet. Interceſſerunt deinde quominus videre potuerim uſque ad 21. cum deprehendi curſum illius proprium eſſe ab ortu in occaſum, jam enim à Corvi aſteriſmo receſſerat, & in recta ferè linea videbatur cum Auſtraliori trium triquetri Hydræ (• Bayero) & auſtraliorem fundi vaſis (β Bayero) caput Cometæ non multùm diſtabat à parvula ſub baſi Crateris, quæ Tychoni eſt Auſtralior duarum, ſub fundo Crateris (χ Bayero) ſupra quam cauda Cometæ paululùm eminebat, caput minus lucidum apparuit quàm die 18. cauda in magno circulo videbatur obtinere 15. grad. circiter.

Obſervatio Bullialdiana Cometæ in Corvo.


Die 22. cælo valdè turbido hora 5. matut. viſus eſt Cometa infrà Auſtraliorem duarum, quæ ſunt ſub fundo vaſis, Tychoni (χ Bayero.) Cometæ azimuth erat occidentalius azimutho fixæ 15'. circiter, ſub nubibus pars caudæ latebat, quæ illis diebus ad Solem dirigi videbatur.

Poſtremâ vice viſus eſt Cometa die 25. mane cælo valdè ſereno; ferebatur ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura obſervat. Comet. Lutetiæ Pariſiorum m. Dec. Aº. 1664. à Cl. Viro Isma



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cl. Viro Ismaele Bullialdo factar. ad ejusdem Communicationem pertinens. N.o 41.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ad ſtellas quæ ſunt in malo Navis, & longè infrà Tropicum Capricorni deſcenderat. Cauda tenuiſſimi luminis erat, & ad Solem non dirigi videbatur, in boream quippe nimis declinabat. Viſus deinceps mihi non eſt Cometa, qui circulum Tropicum ♑ in aſteriſmo Corvi ſecuit, infra deinde lapſus magnum ſphæræ circulum non deſcripſit.

Die verò 31. menſis elapſi nova ſtella fulgida, quamvis albicantis coloris, non longè à pede Orionis ſiniſtro Rigel apparuit, quam Cometam eſſe non puto. Heri & hodie caligo vetat, ne ipſam videre hîc poſſimus. Ad D. Hevelium proxima hebdomada rectà ſcribam. Vale.

Cometa ad Leporem viſus primùm à Bullialdo pro Cometa non habetur.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 10. Januarii Anno 1665. *N. 52. ad 22.*

AD literas Tuas die 2. Januarii datas mihi pergratas, è veſtigio reſpondeo. Ac primum multum me Tuæ humanitati & benevolentiæ, quæ me tàm doctâ, & tàm amicâ epiſtola beavit, debere agnoſco. Neque verò mihi ſoli, ſed & aliis viris talium rerum ſtudioſis ac curioſis, non tantùm hâc in urbe, ſed & alibi viventibus, quibuſcum hæc Tua communicare non negligam, rem feciſti gratam, quod eorum, quæ jam tunc de Cometa obſervaveras, nos participes reddere volueris. Optaremus omnes Te ex voto obſervationes Cometæ tanto Aſtronomo dignas, inſtrumentorum idoneorum beneficio facere poſſe, unde multus uſus in nos & publicum proveniret. En Tibi quæ Dantiſco & aliunde de hoc argumento accepi. Illa quæ à D. Ottone Guerichio Conſule Magdeburgenſi Tibi mitto, nova Tibi, ut puto, erunt. Cuncta tamen fore grata, nullus dubito. Oſtendent enim Tibi Clariſſimum Hevelium & alios præſtantes ætate noſtra Aſtrophilas, ad obſervandum & deſcribendum Cometam magno ſtudio incumbere. Hunc, qui ad Leporis aſtrum ſub exitum anni proximi apparens ſolem nunc ſequitur, alium eſſe ab illo, qui in Corvo apparuit & Solem anteceſſit, ſunt qui dicant. Alii tamen, quos inter præcipuo loco communis noſter amicus Clariſſimus Hevelius habendus eſt, unum eundemque Cometam eſſe aſſerunt. Spero Te poſtquam plures obſervationes de iſto reduce ad nos facto Cometa feceris, ſententiam Tuam nobis expoſiturum. En Tibi, quæ ego paulò ante ad Amicum quendam Hafniam de hoc argumento ſcripſi. Vale, Vir Clariſſime & Amiciſſime, age proſperè non tantùm in hunc novum annum, quem Tibi fauſtum precor, ſed & in plures alios: mihi autem ſemper fave.

Bullialdianæ obſervationes amicis gratæ, Plures expectantur.

Guerichii patris ſententiam de Cometis Auctor cum Bullialdo communicat.

Cometa in Corvo & Lepore geminus an ſimplex.

Hamburgo Lutetiam die 23. Januarii 1665. *N. 53.*

ANtequam poſt paucos dies iter ingrediar Holſaticum, quod mihi in Aulam Gottorpianam ſuſcipiendum eſt, paucis Te, Vir Humaniſſime, in præſens compello, ut ſatiſfaciam mori & officio in Te meo. Brevitatem meam ſupplebunt varia à variis de Cometis ſcripta. De his judicium Tuum exſpecto. Vale. Salutaris à Clariſſimis Viris Hutwedelio, Kirſtenio & Mullero.

Bullialdo multa de Cometis Auctor [illegible]

Lutetiâ Hamburgum die 23. Januarii 1665. *N. 23. ad 50, 51 & 52.*

LIteras Tuas accepi [illegible], quarum poſtrema die hujus menſis 10. ſcripta eſt: multas etiam chartas & libellos de Cometa adjunctos [illegible] inveni, de quibus [illegible] gratias Tibi maximas habeo. Si [illegible] ad collocanda [illegible] magnitudine, bipedalis enim eſt ipſorum radius, ſed ſat bona inſtru-

Bullialdus [illegible] de Cometa [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Loco ſe commodo ad faciendas obſervationes deſtitui dolet.

Obſervationem accuratam unam tantùm mittit.

Guerichii patris ſententia de Cometis Bullialdo non probatur.

inſtrumenta quæ poſſideo, commodumque habuiſſem, plura præſtare potuiſſem. Sed unicam tantùm ex omnibus Obſervationibus meis circà hunc Cometam habui die 9. hujus menſis, quæ rei Aſtronomicæ inſervire probè ac citrà errorem queat, quam huic epiſtolæ meæ ſubjungam: eam ut cum Borealiorum Pariſienſi climatum Aſtronomis communices, quidque illi eadem die obſervarint, ut pariter ab illis obtineas, rogo. Reſponſo ſuo Dominus Joannes Mullerus, Dn. Ottonis Geriken de Cometarum itinere ſententiam & opinionem rectè confutare mihi videtur: proprium quippe Cometæ habent motum, ſive impreſſum, ſive à naturali propenſione materiæ provenientem, cujus phaſes motus terræ annuus diverſificare poteſt. Materiam autem Cometarum eſſe molis aëreæ, terræ circumfuſæ, procellâ avulſam partem, ut gratis à D. Ottone dicitur, gratis quoquè negare poſſumus. Talem propoſitionem vix admiſſibilem eſſe omnes notæ melioris Philoſophi pronunciabunt, negabuntque ejuſmodi partium avulſionem in atmoſphæra evenire poſſe, intrà quam longè à ſupremis terminis procellæ gignuntur. Mitto Tibi duos faſciculos, unum Tibi directum, alterum prænominato D. Joanni Mullero. Utrique veſtrûm Ptolemæi de facultate judicandi libellum & D. Auzout de Cometa diſſert. mitto. Vale.

Bullialdus librum Ptolemæi de facultate judicandi ab ſe editum Auctori & Müllero mittit.

Obſervatio Bullialdiana.

Januarii die 9. anno 1665. alto Rigel ad ortum 23° 36. Cometa diſtabat à ſtella, quæ Tychoni eſt infrà oculum Ceti 36′. erat Cometa ſuperior. Azimuth Cometæ erat occidentalius azimutho fixæ 3′. ut plurimum. Alto Rigel gr. 25. 41′. eadem ferè diſtantia apparebat. Stella quæ eſt ſuprà oculum erat ſub parte ſuperiore caudæ in extremitate ferè.

N. 54. ad 23.

Hamburgo Lutetiam die 14. *Februarii* 1665.

ABſolvi favente divinâ gratiâ feliciter iter meum Holſaticum. Ex quo nuper domum redux factus redeo ad colendum Tecum cumque aliis amicis literarum commercium, meumque erga vos officium. Epiſtola Tua die 23. menſis elapſi ſcripta, qua ad meas tres ſimul reſpondes, mihi eſt pergrata. Docet enim me, grato te animo accepiſſe & diligenti oculo legiſſe illa quæ Tibi de argumento Cometico miſeram excutienda. Judicium Tuum, maximè de rebus Aſtronomicis, maximi facio: judicandi libertatem, ut in quovis fero, ita in Te quoquè ſingulariter veneror, qui doctiſſimum Ptolemæi librum de facultate judicandi edidiſti, doctiſſimo commentario illuſtraſti, & ad me, ut & ad Clariſſimum Virum Dominum Mullerum, munus miſiſti. Hoc cum deſiderio uterque præſtolamur. En Tibi quæ paulò ante rurſus de argumento Cometico hinc & illinc, cumprimis verò Dantiſco, accepi. Quod ad Guerichianam ſententiam (cujus en Tibi confirmationem) attinet, animadverto ei cum illa Epigenis, qualem deſcripſit Seneca, convenire. Spero hæc Tibi fore grata, qui de talibus ſolidum judicium ferre potes. *Quapropter peto, ut id experiatur, & liberum quidem, illa mea epiſtola ad amicum Hafnienſem data. Tibi enim, ut artifici & magiſtro, in talibus fidem dandam eſſe ſcio. Velim etiam verbo dicas, quid de ejuſmodi prædictionibus Aſtrologicis, quales nuper ad Te miſi, & nunc mitto, hinc & illinc allatas, ex Cometarum apparitionibus petitas judices. *Mihi, fateor, talia curioſa nunquam placuerunt. Sed & ſecundum æquitatem, quicunque geſta in orbe ab omni memoria repetit, multa mala & triſtia, eaque maximè memorabilia, ſed & læta, fateor, ſine ulla Cometarum apparitione accidiſſe agnoſcat oportet. Vale Vir Humaniſſime.

Bullialdi judicium Auctor magni facit:

Liber Ptolemæi de facultate judicandi ab eo editus & commentario illuſtratus.

Guerichianam de Cometis ſententiam cum illa Epigenis comparat.

Auctor judicium Bullialdi de ſua ad Rö:linum epiſtola exquirit:

Tùm de prædictionibus Aſtrologicis ex apparitione Cometarum peti ſolitis:

**Suam de Cometarum eventibus ſententiam ei exponit.*

Lutetiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Lutetiâ Hamburgum die 13. Februarii 1665. N. 24. ad 53.

IN omnibus de Cometa ſcriptis literis nullam accuratè factam obſervationem legi: quapropter Illuſtriſſimi Domini Hevelii obſervationes percupidè exſpecto, & alias in Italia à R. P. Joan. Baptiſta Ricciolo, & Dominico Caſſino factas. Unam Obſervationem me habuiſſe Januarii nona jam monui, ex qua cum aliis collata diſtantiam Cometæ à terra colligere poterimus. Si inſtrumenta, quæ habeo, in loco commodo collocare potuiſſem, obſervationes bonas ac utiles feciſſem plures. Verùm præſentibus acquieſcendum eſt. Optimè cum Aſtronomis agitur, cum Illuſtriſſimum Hevelium Obſervatorem incomparabili induſtriâ, inſtrumentiſque magnitudine ac diviſione accuratâ inſignibus inſtructum habeant: ex ipſius quippe Herculeis laboribus ingentia ad rem Aſtronomicam commoda redundabunt. Ex literis meis poſtremis, quid de hujus Cometæ materia ſentiam, procul dubio intellexiſti. Sufflaminandi ſunt animi impetus, quibus abrepti de rebus abſtruſiſſimis, tanquam notiſſimis, plurimi audaciſſimè decernunt, tantaque confidentiâ de illis ſtatuunt, ac ſi, in qua regione naſcuntur, ipſi præſentes eorum ortui primo adfuiſſent. Per analogias quaſdam ſolas ad ſublimium illorum contemplationem accedere licet; propterea ne in errorem nos ipſi alioſque trahamus, hoc dicere ſenſu ac ratione dictantibus ſufficit, materiam illam æthercam eſſe, & Galaxiæ non valdè abſimilem. Plura qui dicit divinare vult, demonſtrare verò ac docere non poteſt. Ad Illuſtriſſimum Dominum Hevelium hoc de argumento breviter ſcripſi, eademque Tecum communicavi. Diebus 3. 6. & 10. hujus menſis Cometam adhuc vidi, & per ductus linearum rectar. fixas conjungentium ipſius locum notavi. Atque de Cometa hactenus, qui in obſervatione ultima ſextæ magnitudinis ſtellam vix æquabat, & abſque tubulo viſibilis mihi amplius non erat. Illuſtriſſimum Dominum Rautenſteinium officioſiſſimè ſaluto, omneſque Viros illos Clariſſimos Hamburgenſes. Omnia Tibi fauſta precor. Vale Vir Generoſiſſime.

Bullialdus Hevelium maximi facit: ejus obſervationes exſpectat: Tùm â Ricciolo & Caſſino factas.

Heveliana merita Bullialdus prædicat.

Modeſtè tractanda abſtruſa.

Temeritas etiam impervia invadit & perſcrutatur.

Bullialdi de materia Cometæ ſententia.

Cometa Hevelio ad diem 10. Februarii viſus & obſervatus.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 21. Februarii 1665. N. 55. ad 24.

ACcepi rectè hodie Tuas die 13. Februarii datas, ad quas en Tibi reſponſum breve, quia è veſtigio datum. Niſi quòd brevitatem ejus penſent quæ de Cometa ad nonnullos Amicos Clariſſimos Viros, quoſdam etiam Matheſeos Profeſſores his diebus dedi, hiſce literis adjuncta. Ad quæ, ut & ad ſuperiora hâc de re à me ad Te & miſſa (ab aliis ſcilicet accepta) & ſcripta, reſponſum exſpecto, & judicium ſimul, quod à Viro tantæ eruditionis, & talis notæ amico, non poteſt mihi non ſatiſfacere. Exſpecto autem & illas Italicas obſervationes, quas memoras & commendas. Munuſculi vice eas abs Te accipiam. Ex adjunctis intelliges, me ex literis Amici Londinenſis nuperrimè ad me perlatis didiciſſe, & Cometam die 9. 19. Decembris primùm Londini obſervatum, à Rege totaque Aula conſpectum fuiſſe, & dari in Hybernia aliquos Mathematicos, qui illam de duobus diſtinctis Cometis foveant opinionem. Intelliges autem & Clariſſimum Hevelium in priore de uno tantùm Cometa à nobis viſo perſtare ſententia, & R. D. P. Curtium plus ejus induſtriæ indefeſſæ & ſingulari ſyderum ſcientiæ, quàm aliorum, imò & propriis rationibus antehac contrariis, & illorum, qui ſe duos unâ nocte Cometas vidiſſe ajunt, narrationibus, fidei tribuere. Vale, & me benevolentia Tua complecti porrò perge.

Bullialdo multa ſua & aliena Auctor communicat de Cometico argumento ſcripta: Ejus judicium magni facit.

Londini Cometa primùm die 9. 19. Dec. obſervatus.

Cometas duos quidam ſtatuunt hyeme conſpectos, Hevelius unum.

Curtius Hevelium magni facit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 6. Martii 1665.

N. 25. ad 54.

Bullialdus pro uno Cometa hyemali ſtat.

Itali unum tantùm Cometam hyeme obſervarunt.

Bullialdus ſententiam de uno Cometa aſſerit, diſſentientes in viam revocat:

Suam de materia Cometarum ætherea, galaxiæ ſimili ſententiam explicat.

AD Cometam venio. Ad Te antea me ſcripſiſſe memini Cometam unicum nobis apparuiſſe, quem die 31. Decemb. præteriti ad occaſum ſiniſtri pedis Orionis viſum, aliquam eſſe novam ſtellam ſuſpicatus fueram; ſed ab illa ſententia ſtatim receſſi. Unicum porrò fuiſſe eundemque ad ortum & occaſum viſum confirmant literæ ab Italis ſcriptæ, qui poſtremis Decembris diebus Cometam quotidie obſervarunt; quorum obſervationes, cum ad me pervenerint, tecum communicabo. Suecos interim, Danos & Germanos monere debes, ut opinionem de duobus viſis Cometis conceptam deponant, nec in eum errorem induci ſe patiantur. De Cometæ materia quod dicam aliud non habeo, niſi ipſam affinem eſſe ac valdè ſimilem Galaxiæ: ætheream eſſe, nec unde niſi à Galaxia procedat, aut quo ipſa ſe recipiat ſciri poſſe. Conjecturas cunctas valdè infirmas vacillanteſque eſſe, nulliſque fundamentis veriſimilibus eas niti, & inſanæ arrogantiæ vicinum eum eſſe putandum eſt, qui de corporeis & materialibus phantaſiâ ſolâ duce, non verò ſenſu, decernere audet. Solas à terra exhalationes in ſublime latas Cometas generare non poſſe certum eſt. Nec admittenda Domini Gerichii ſententia mihi videtur, cum molem elementarem aëris à procella ſic convelli & diſcerpi vult, ut ab ea pars avellatur, & in Cometæ formam tranſeat. Ut gratis aſſeritur gratis quoque negare poſſemus: ſubjiciemus tamen hanc rationem, quod ſcilicet experientia antiquorum & ultimorum temporum demonſtrârit, in altiſſimorum montium jugis nullas procellas nulloſque ventos pervenire aut ſentiri. Gerichii ſententia ex illa Epigenis deducta eſt, ſed in eo ambæ differunt, quod Epigenes intrà molem elementarum, & aëris confinia Cometas coërceat: at turbine in ſublime eos propelli Seneca negat, quod ille ab Epigene adſumptus, terrenas exhalationes ſuprà Lunam efferre nequeat. Romanus quippe Philoſophus ille Cometas ſupra Lunam fulſiſſe cenſebat. Et hic ultimus noſter ſuprà Lunam quoque evectus eſt, die ſaltem 9. Januarii Lunâ longe ſuperiorem fuiſſe mihi conſtat.

Guerichianæ de Cometis ſententiæ Bullialdus quædam opponit:

Et in quo cum illa Epigenis conveniat vel ab ea abeat, oſtendit.

Seneca Cometas ſuprà Lunam extulit.

Scriptis Aſtrologicis non immoror: quamvis enim ignes illos in terrena agere non negaverim, aliquid prædicere certi, & ad perſonas, res vel loca effectus ipſorum determinare, poſſibile mihi non videtur, utque prudenter adnotaſti plures inſignes eventus per orbem terrarum viſi, non conſpectis Cometis, ſunt.

Bullialdus Auctori de Cometarum eventibus aſſentit.

*Ab Anno 1618. ad 1652. Europa noſtra Cometam non vidit. Aut igitur ſtupendo illi, anno 18. hujus ſeculi viſo, cauſæ omnium bellorum, cladium, mutationumque aſſignandæ erunt, aut multa Cometarum phaſi & operatione ceſſantibus contingere poſſe aſſerendum. †Ridendumque proculdubio cunctis cordatioribus Philoſophis ſe præberet, qui Cometæ uni effectus ad annos 34. extenderet, cum æternorum corporum effectus ad tres annos vix extenderint Aſtrologi. Sententiam meam præterea ſcire de illo, Hamburgo die 20. 30. Dec. 1664. ‡Hafniam ſcripto Gallico, antè duos ferè menſes mihi tranſmiſſo cupis, quid ſentiam, ni memoria me fallat, per epiſtolam jam ſignificavi; ſed denuò, quoniam id rogas, ingenuè repetam. Scriptum illud ad rem Aſtronomicam parùm conducit, cum nullis obſervationibus nitatur auctor: doctus tamen & eruditus in eo deprehenditur, quòd Virorum aliquot illuſtrium ſententias & opiniones dilucidè enarret ac explicet; ac hiſtoriarum Chronologiæque peritum ſe oſtendat, Cometarumque plurium viſorum tempora & eventus illuſtres, qui poſtea ſecuti ſunt diligenter adnotet. Nihil præterea de illo opuſculo dicendum, & ad quæſita reſpondendum habeo. Ad Illuſtriſſimum Dominum de Rautenſtein ſcribendi otium non ſuppetit: quæſo, ut meo nomine eum officioſiſſimè reſalutes, & ut R. P. Albertum Curtium quoquè ſalutet, roges. Vale Vir Generoſiſſime.

**Cometis non apparentibus plurima mala, eaque maximè memorabilia, in orbe fiunt.*

† Cometæ effectus ad 34. annos extendi nequeunt.

Stellarum effectus vix ad tres annos extendunt Aſtrologi.

‡ Bullialdi judicium de epiſtola ab Auctore Hafniam die 20. 30. Dec. ad Röslinum ſcripta.

Hamburgo

Hamburgo Lutetiam die 14. Martii 1666. *N. 56.*

IN dies imò in horas exſpecto reſponſum Tuum, quod vota mea implebit; meque non pauca de argumento Cometico abs Te illuſtrata docebit. Si tabellarius à Vobis ad nos hodie tempeſtivè accedet, illud mihi, credo, adferet. En Tibi nunc alia ejuſdem generis. Nil deeſt quàm ut Te rogem quo hæc boni & æqui conſulas, hiſque per otium relectis & examinatis, judicium de iis feras, quod velim experiatur amplius mea illa epiſtola ad Amicum Hafnienſem Gallicè ſcripta. Libenter enim illud videbo, ut mentem Tuam perſpectam habeam tàm de rebus, quæ in illa epiſtola continentur, quàm de ſtilo, quo exarata eſt. Tantò verò magis id exopto, quòd Veſtrâ Linguâ eam conſcripſerim, in qua hominem peregrinum terſè, vel etiam rectè, idque de rebus majoris momenti, ſcribere poſſe, arduum eſt. Dum hæc ſcribo, literas Tuas benè longas & doctas & gratas accipio, ad quas tempore excluſus reſcribere nunc non poſſum. Faciam id, Deo volente, proximè. Vale & conſtanter fave.

Auctor judicium Bullialdi de epiſtolâ ſua Hafniam die $\frac{20}{30}$ Dec. ſcripta amplius requirit.

Hamburgo Lutetiam die $\frac{11}{21}$ Martii 1665. *N. 57. ad 25.*

BEnè antehac conjectabam, fore ut pro eximia Tua humanitate & vaſtâ rerum Philoſophicarum ac Politicarum ſcientiâ, integri menſis ſilentium ubere reſponſo penſares. Tale enim attulerunt nobis literæ Tuæ die 6. hujus currentis menſis Martii exaratæ; quibus, ſi citrà adulationis ſuſpicionem (quam tamen merita Tua omnibus laudibus ſuperiora diſpungunt) id quod ſentias coràm Amico de illo ipſo dicere licet, nihil ad teſtandam ſolidam tàm eruditionem quàm amicitiam omninò deeſt. Næ ex animo id de Tuis dico: etſi ipſa illa ad nauſeam uſque docta Critice & anxia ponderandæ amicitiæ cura, majori ſæpè licentia quàm libertate agens, de utraque judicandi poteſtatem ſibi arroget. Mihi quidem abundè ſatiſfactum eſſe fateor libenter meritòque, & agnoſco gratus, multùm me Tuæ humanitati debere, quæ me in conſortium ſtrictioris amicitiæ & frequentis commercii literarii admiſerit. Equidem magis magiſque conſidero, quanti præclara ingenii Tui facinora & magna merita in Rempublicam literariam collata, immortali memoriæ gloriæque commendata, orbis doctior faciat, quantiſque laudibus Te proſequantur Viri ipſi quoquè magnis meritis Clariſſimi omnique laude digniſſimi. Id his diebus in Ampliſſimi Hevelii, Viri profectò indefeſſâ in pertractandis ſtudiis cæleſtibus diligentiâ Excellentiſſimi, quibuſdam libris relegere mihi jucundum fuit. Idcirco creſcit in me gaudium, quòd mihi à pluribus annis firma Tecum neceſſitudo intercedat. Hanc fovere & perennem reddere omni ſtudiorum atque officiorum ope annitar. Et ut ad argumentum, quod de Cometa à principio tractamus, deveniam, multum mihi gratulor, quòd ad ſuperiores epiſtolas meas ſuper hâc re ad Te ſcriptas, ſufficienter & ex animi mei ſententiâ reſponderis. Ac primum quidem Tuam ſententiam de unico Cometa confirmas, quam pondere rationum & ſuffragiorum prævalere video. Hæc Te ex Italia à R. D. P. Joanne Baptiſt. Ricciolo, quem Magnus Hevelius magni facit, mihi quoquè famâ notum, & Dominico Caſſino, quorum in prioribus literis Tuis mentionem feceras, per literas eorum prænuncias, jam habere, libenter intellexi. Lubentiſſimè illa ipſa & integras Mathematicorum illorum Præſtantiſſimorum obſervationes, quarum ſpem & poſtremæ Tuæ literæ mihi faciunt, ſum viſurus. Magnum huic ſententiæ momentum adjicit ſuffragium R. D. P. Athanaſii Kircheri, cujus en Tibi obſervationem tandem correctam, & iter illud Cometæ à Magno Viro ſignatum, quod, ut vides, imperitiâ Scribæ fractum, ex

Critici ſæpè de eruditione & amicitia aliena licenter judicant.

Bullialdi amicitiam & literarum commercium Auctor magni facit.

Cometa unus tantùm hyeme 1664. & 1665. viſus.

Kircheri laus, obſervatio, iter Cometæ.

 meliori,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

meliori, etiam illo ad Sereniſſimum Ducem Brunſuicenſem Auguſtum miſſo, impletis lacunis, & correctis erroribus, integritati ſuæ, ut puto, reſtitutum eſt. Quâ de re Tuum erit judicare, meque an rectè ſe cuncta habeant, monere.

Obſervationes varias Auctor Bullialdo mittit.

Mitto ſimul & alias obſervationes Tridenti, Lucernæ, Dilingiæ, ſed & ad Veſtrum Lugdunum (ita ut, hoc præcipuè reſpectu, me noctuas Athenas mittere videri alicui poſſim, non tamen Tibi, cujus æquitas & ſincera benevolentia, quâ me mutuò proſequeris, mihi eſt perſpecta) factas.

Rautenſteinius laudatur.

Has Excellentiſſimus Dn. Rautenſteinius, Vir cunctis laudibus Illuſtriſſimus, & ut plurimis aliis, ita & utrique noſtrûm amicitiæ vinculo conjunctiſſimus, à R. D. P. Alberto Curtio unà cum ejus literis, quæ ſcripto iſti adjunctæ ſunt, acceptas Tecum communicari voluit.

Buſmannus Kirchero aſſentit.

Rever. Kirchero accedit Cl. Chriſtianus Buſmannus Phil. & Med. Doctor ac Phyſicus Hannov. ordinarius, qui in literis ſuis, nuper ad me datis, veſtigia illius ſequitur, ſuaſque obſervationes cum Kircherianis magnâ ex parte convenire gaudet.

Mathematicorum diverſa de Cometa hyemali ſententia.

Niſi me memoria fallit, indicavi Tibi, Mathematicos Hollandos & Anglos (utinam utriſque tàm benè in ſolo ſaloque conveniat!) pro uno Cometa ſtare, non Hybernos tamen: Rev. Curtium verò à priore ſententia receſſiſſe, poſtquam Hevelianam ex me per dictum Amicum Ratisbonenſem intellexiſſet. Ex aliis Germaniæ locis nihil amplius de hac materia accepi. Ex Dania reſponſum exſpecto. En verò quæ Ubſaliâ Suecorum die 14. 24. Februarii pro duobus Cometis antè quatriduum à Clariſſimo Nicolao Heinſio, Ordinum Belgii Fœderatorum in Aula Holmienſi Oratore ordinario miſſa, utpote ad eum perſcripta accepi.

Ubſalienſis Mathematici ſententia de Cometa expenditur.

In quibus puto errore calami poſitum eſſe 30. gradus Cometam uno die aliquando proprio motu peregiſſe, cum ſatis conſtet 40. gradus eum abſolviſſe, quod me & hæc Tridentina & illa Hannoverenſis obſervatio docuit.

Cometici motûs inæqualitas demonſtratur.

Quod ad motus Cometici inæqualitatem attinet, edoctus ſum ſubjecto ſchemate, quod primùm ab Henrico Syvers, Viro juvene eximio Philoſophiæ cultore, deinde à communi noſtro Amico Clariſſimo Joanne Müllero, utroque familiaritate mecum juncto, accepi,

In quo diagrammate Cometæ C motus, qui fit in orbita CHN per ſpatia æqualia CD, DE, EF, FG, GH &c. determinatur in circumferentia CTN ab oculo exiſtente in ejus centro O intervallis inæqualibus, nimirum CP, PQ, QR, RS, ST &c. quæ exinde faciunt apparere motum Cometæ initiò tardum, medio velociſſimum, in fine iterum tardum, quod & Tridentinus Obſervator aſſerit. Libenter tamen ex Te intelligam, an hæc motûs Cometici inæqualitas dubitationi alicui & ſuſpicioni de duobus Cometis relinquat locum.

Ubſalienſis Mathematici ſententia expenditur.

Non enim hoc ſufficiens eſſe ſententiæ de duobus Cometis documentum, ſicut Ubſalienſis Matheſeos Profeſſor judicat, ipſe animadverto. Nam ſi vel ex ejus hypotheſi ita argumentari velim: ſi Cometa in Corvo toto apparitionis tempore nonniſi duos gradus per ſingulos dies conficiebat, & nullus Cometa tàm inæquali motu progreſſus legitur, ut qui per diem duos gradus primo, per 5. dies 10. gradus peregerit, poſtea intrà 9. dies plus quàm 100. gradus peregiſſe animadverſus fuerit, ſequitur Cometam in Lepore diverſum eſſe ab illo priori. Atqui verum eſt antecedens, ergo & conſequens: poſſet negari conſequentia Majoris. Nempe non ſequitur, ſi hic & ille & iſte Cometa tali vel tali motu inceſſerit, omnes ita inceſſiſſe, eò quòd multa fiant in cælo, quæ nunquam antè facta, aut ſaltem non ſatis accuratè obſervata fuerint. Poſſet fortè & antecedens in dubium vocari, vel quòd diſtantia Cometæ à die $\frac{12}{22}$ Dec. ad $\frac{21}{31}$ ejuſdem non impleat 100. gradus, vel quòd intrà duos treſve, tantò magis intra 9. dies Cometa 100. pluresve gradus in proprio circulo perficere valeat, liceat initio tardius longè progreſſus fuerit, quod exemplis docetur.


Cometæ diſtantia à $\frac{12}{22}$ ad $\frac{21}{31}$ Dec.

Quod autem, ut tantò majus pondus ſuæ opinioni addat, Ubſalienſis Profeſſor, diſtantiam à primæ apparitionis ultimâ obſervatione die 12, 22. Dec. facta ad poſterioris apparitionis primam obſervationem die 21. 31. Dec. factam ultrà 100. gradus extendit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura motus Cometici inæqualitatem demonſtrans ad Communicat. Cl. Viri D. Iſmaelis Bullialdi pertinens.

N.º 34



B. Stopendael ſculp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tendit, id dubitationi ſubjacere meritò dixi. Nam diſtantia illa tantum ad 82. (juxta rationes Syverii, Ubſalienſes magis approbante Mullero) gradus eſt extendenda. Perſcripſi ego ad Clariſſimum Heinſium, qui etiam indicat Profeſſoribus Ubſalienſibus in eo convenire, quòd duos diverſos ſtatuant Cometas, ſed ſe Ampliſſimo Hevelio in contraria eunti potius accedere, quò Tuam ſententiam illis exponat. Promittit autem ille mihi plura de hoc argumento, quorum Clariſſimus Schefferus ſpem ei fecit, ego verò Tibi eandem fide integerrimi Viri facio, ſi quæ ſcilicet viſu & pretio haud modico digna fuerint. De ſententia Ampliſſimi Domini Guerichii (quam ut tueatur nuper eum monui) non ampliùs Tibi moleſtiam creabo: quandoquidem ad hoc poſtulatum abunde & doctè mihi reſponderis, ut & ad illud de prædictionibus Aſtrologicis. Quas, illas præſertim curioſas, quæquè pro oraculis venditantur, Scripturæ Canonicæ & publicæ quieti adverſas ac meritò rejiciendas eſſe judicio. In mea ſententia, multa ſcilicet & mala antè vel citra ullam Cometæ apparitionem, & bona poſt eam in tàm vaſto terræ orbe (quem magna genii & ingenii humani diverſitas agit, & in quo ſapienti & juſtâ permiſſione divinâ

Aſtrologicas prædictiones curioſas Auctor cum Bullialdo improbat.

Auctoris de Cometarum eventibus ſententia à Bullialdo approbata.

Velle ſuum cuiquè eſt, nec voto vivitur uno:)

conſpecta eſſe, magis confirmor, poſtquam Tu graviſſimum calculum ei adjeciſti. Sunt autem etiamnum nonnulli, Viri alioqui probi & docti, ſed præconceptæ illi de certâ prædictionum Aſtrologicarum veritate opinioni multùm tribuentes, qui anni 1618. Cometam, quod is 30. diebus apparuerit, annis itidem 30. in bello Germanico operatum eſſe, monſtrant. Atqui ipſi, quòd à Te, tàm bono & certo Magiſtro didiciſſe me gratus agnoſco, æternorum corporum effectus vix ad tres annos extendere ſolent. Paria hîc facis quoquè cum Ampliſſimo Hevelio, qui quantoperè prædictiones illas averſetur, ex libris, & ex ore ejus credo benè noſti. Me omnem impietatem, imò rerum divinarum cæleſtiumque contemtum vel minimum ex animo deteſtari, liberè profiteor, ut & ſupremi Numinis ſacrorumque debito reſpectu nihil mihi antiquius eſſe. Ideò procul à me abſit omnis ſuſpicio (quâ ſæpiſſimè per ſummam injuriam temeraria malitia prægravat innocentes) quaſi non ſatis religioſè de rebus ad religionem pertinentibus, & inſtantium judiciorum divinorum metu pietatem inculcante loquar. Nam pio corde & ore, vel cum impio fidenter dico-

Cometa anni 1618. bellum 30. annorum attuliſſe multis putatur.

Bullialdo & Hevelio de vanitate prædictionem Aſtrologorum benè convenit.

- - - Procul hinc procul eſte profani.

Nempè & ſecundùm ſolam rationem & civilem inſtitutionem, impietate potiorem eſſe ſuperſtitionem, hac autem rectam Dei colendi rationem, ſecundùm perfectiorem veritatis inſtitutionem judico. Adeòque vel piis, quas vocant, fraudibus, & à ſuperſtitione petitis cerimoniis imperitum vulgus ſtringere, & mentis libidine vagum religare religione & religioſum facere (licet vetus illud dictum, cum grano tamen, ut dicitur, ſalis acceptum, non ignorem:

Religentem oportet eſſe, religioſum nefas)

Religioſum eſſe in vitio poſitum.

conſultiùs longè, quàm in impietatem prolabi ſinere, vel in eam ullâ ratione protrudere, ſtatuo. Verumtamen dum perfectam formamus veritatem, infallibilem, Scripturâ Sacrâ duce & pia antiquitate teſte, fidei & pietatis magiſtram, vaticinia quoquè illa Aſtrologorum è medio tollenda meritò decernimus. Alioqui hinc nimia ſpei, illinc in deſperationem projecta temeritas ad res novandas, & orbem terræ confundendum ſtimulis illorum, quod & noſtra vidit ætas, permoventur. Quamobrem non tantùm veritati, quâ nihil ſalutariùs ideoque nihil ſanctius ſervandum nobis eſt, ſed & publicæ tranquillitati, vel maximè convenire ſentio, ut ab ejuſmodi pernicioſis dogmatis ſimpliciorum animi revocentur, vel etiam quâ licet, præſerventur. Cavendum ſane eſt, ne ſcilicet occaſio temeritati illorum relinquatur ulla, quibus *nulla compoſitis rebus ſpes, omne in turbi-*

Veritas ex Scriptura & antiquitate ad pietatem petenda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Mathematici ſive Chaldæi Romæ inviſi, ut malorum auctores.

in turbido conſilium, ſicut in Othone ad imperium per cædem Galbæ & Piſonis graſſante ſcribit Tacitus I. hiſtor. Qui apertè ut noſti, notat feciſſe id eum *urgentibus etiam Mathematicis, dum novos motus & clarum Othoni annum obſervatione ſyderum affirmant. Genus potentibus infidum, ſperantibus fallax.* Atque dum id pluribus porrò proſequitur, agnoſcit *Othonem tanquam peritia & monitu fatorum prædicta accepiſſe, cupidine ingenii libentius obſcura credendi.* Sed & alibi ſagaciſſimus aulicarum artium inveſtigator agnoſcit: *Libonem Druſum improvidum juvenem & facilem inanibus ad Chaldæorum promiſſa, Magorum ſacra, ſomniorum etiam interpretes à Firmio Cato Senatore impulſum*, tandem periiſſe tædio & deſperatione, poſtquam majeſtatis in Senatu accuſatus & convictus eſſet Annal.2. Atque hanc non dubito eſſe cauſam illius odii, quo Mathematicos, Chaldæis & Magis accenſitos, publicæ pacis cuſtodes proſecuti ſunt. Facta & repetita in eos Senatus-conſulta & non tantùm decretam, ſed & effectui datam exſilii pœnam apud eundem Tacitum aliquoties videre eſt. Suetonius quoquè de Tiberio ſcribit: *Expulit & Mathematicos: ſed deprecantibus ac ſe artem deſituros promittentibus, veniam dedit.* Vitellius verò iiſdem ad cædem uſque, etiam inauditis, ſed delatis tantùm infenſus fuit, eodem Tranquillo teſte. Et, ut pluria in hanc rem omittam, Valerius lib.1. refert Anno ab Urbe condita 614 *Chaldæos intra decimum diem ex Urbe atque Italia abire juſſos eſſe, levibus atque ineptis ingeniis, fallaci ſyderum interpretatione, quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem injicientes.* Scio quidem Magnos etiam Viros Aſtrologicis prædictionibus non parùm tribuere. Verumtamen ego ſentio magis hoc Manilio Poëtæ, quàm Viro Chriſtiano convenire. Huic enim revelata & præcepta in Scriptura Sacra & cum iis congruentia, non autem illi repugnantia, ut ſunt iſthæc, ſufficere debent.

Mathematici Italiâ pulſi.

Unum addo antequam finio epiſtolam, libenter me à Te doceri velle, quid ſecundùm leges Aſtronomicas judicandum ſit de illo Cometa, qui tunc cum Carolus VIII. Italiæ arma intuliſſet, apparuerit. Nam Scaliger quidem annotat obſervatum eum fuiſſe in occaſu Solis, & intra paucos dies ante ortum. Sed addit: *Quanquam alius is à priore dici fortaſſe poſſit. Nos enim duos ſimul vidimus, alterum matutinum, alterum veſpertinum multis diebus, diverſâ latitudine* Exerc.79. Adhuc unum, ſingularis Tuæ humanitatis & amicitiæ fiducia, rogo: quid ſtatuas de ſententia illa quam recenſet Plin. l.2. c.25. hæc ſcilicet: *Sydera eſſe perpetua, ſuoque ambitu ire, ſed nonniſi relicta à Sole cerni.* Accepi enim ei faviſſe Clariſſimum Veſtrum Gaſſendum, ſed & ſplendidiſſimum ac ſapientiſſimum Oratorem veſtrum Canuthum. Vale, Vir Humaniſſime.

Cometa circa ann.1492. Scaliger duos Cometas ſe vidiſſe affirmat.

Cometæ an ſidera perpetua.

N. 59. *Hamburgo Lutetiam Pariſ. die* 4. *Aprllis* 1665.

Auctor de hoc opere edendo ad Bullialdum refert.

Operis hujus edendi rationes.

ID conſilii, quod hortatu variorum Amicorum ſuas de nupero Cometa obſervationes ac judicia mecum communicantium, de his omnibus in unum faſcem colligendis & edendis ſuſcepi, ante dies octo Tibi aperire tempore excluſus non potui. Non enim auſus ſum me illis opponere, ne quæ illi & grata & utilia publicè futura judicarent, orbi meliori invidere velle viderer. Quæ interim ab Illuſtriſſimo D. Rautenſteinio communi Amico noſtro accepi, unà cum prioribus, quæ ad me perſcripſerat, accipe. Accipe & ingenuam confeſſionem, me ubique debitum magnis Tuis meritis teſtimonium citrà ullum vel Tuæ modeſtiæ, vel mei candoris periculum, nihil affectui dare. Quanquam & is, ſi veritatem habeat ſociam, rectum judicium non tantùm non corrumpit, ſed commendat. Talis, qualem Te ubique deſcribo, Vir Magne, non tantùm à me ex animo haberis, ſed & reipſa es. Patere itaque, quò ita ut veritas & exempli imitandi ratio exigit, de Te apud Amicos loquar, quos idem mecum, cumque omnibus literarum amantibus dicturos non dubito. Cunctis enim, qui Te & literas norunt, meritò commendatus es, ideoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

- - πολλῶν κείμενος ἐν στόμασι.

(- - multorum poſitus in ore)

Mihi certè ſingulari ſtudio ac cultu proſequendus es ob ſingularia Tua in me, ſed & in orbem literatum merita. Itaque Tuum conſilium & judicium de hocce meo inſtituto requiro, utpote & Tuæ ſolidæ eruditionis, & meæ tenuitatis conſcius, ac ſaluberrimi illius Phocylidei memor

Μηδέ ποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς.
Τὴν σοφίην σοφὸς ἰθύνει, τέχνας δ' ὁμότεχνος.
Οὐ χωρεῖ μεγάλην διδαχὴν ἀδίδακτος ἀκούειν.
Οὐ γὰρ δὴ νοέουσ' οἱ μηδέποτ' ἐσθλὰ μαθόντες.

(Nunquam judicare homines ſiveris imperitos:
Sapientiam ſapiens dirigit: artes autem qui ejuſdem eſt artis.
Non capit magnam doctrinam, qui non didicit audire.
Nihil enim intelligunt, qui nunquam bona didicêre.)

Ampliſſimus quidem & Clariſſimus Hevelius, ut antea ex me quoquè cognoſti, opus Cometicum molitur. Sed ego ſtudiis ejus nequaquam obſtare, imò potius meritam laudem ubique tribuere volo. Nempe hanc ei ulla unquam ratione invidere nec poſſum, nec debeo, nec volo. Nam iterum monet ille Sapiens Græcus, ut noſti,

Hevelii & Auctoris opera Cometica ſibi mutuo non obſtant.

Μὴ φθονέῃς δ' ἀγαθῶν ἑτάροις, μὴ μῶμον ἀνάψῃς.
Ἄφθονοι οὐρανίδαι καὶ ἐν ἀλλήλοις τελέθουσιν.
Οὐ φθονέει μήνη πολὺ κρείσσοσιν ἡλίου αὐγαῖς.
Οὐ χθὼν οὐρανίοις ὑψώμασι νέρθεν ἐοῦσα.

(Ne invideas bona ſociis, ne reprehenſionem affigas.
Sine invidia etiam cælites inter ſe degunt.
Non invidet Luna præſtantioribus Solis radiis,
Nec terra altitudini cæleſti, licet ipſa ſit infra.)

Et certè ego quondam agelli cultor felicis

Ἀγρὸν γάρ τι λέγουσι Ἀμαλθείας κέρας εἶναι.

(Agrum etenim dicunt Amaltheæ cornu eſſe.)

ſed & genere agricola, unde à ſtemmate trium vomerum roſam ambientium gentilitio, lingua noſtra Rola ſive ager dicto, Rolitſius vocor, cum Uranio illo Viro nequaquam in comparationem venire poſſum. Ita nec ſuſpicio invidiæ in me cadere poteſt. Verumtamen non puto ejus maximo opere tenues meos conatus impediri poſſe, quominus ſcilicet ego, qui, ut Amicis videtur, publico utilia collegi, conſilio & monitis eorum obediam. Accedit quòd ego cum Mathematicis Phyſica, Politica, Hiſtorica & Ethica intexere ubique ſtudeam. Quòd ſi & Tu, Vir Clariſſime Tua ad me de hoc argumento perſcripta noſtris adjungi volueris, multum ſplendoris & ornamenti nobis accedet. Vale & me amare perge.

Auctor Rolitſius à ſtemmate gentilitio vocatur.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 3. Aprilis 1665.

TRibus literis Tuis, Vir Generoſiſſime, nunc me reſpondere convenit. Priores 21. Februarii, alteræ Martii die 14. ac poſtremæ 21. ejuſdem ſcriptæ ſunt. Vellem equidem promptius & frequentius reſcribere poſſe, ſed plura incidunt, quæ hoc præſtare præpediunt, ætaſque ſexagenaria minus alacrem & idoneum reddit. Altera illa epiſtola Tua de Cometæ Diatriba Gallicè ſcripta, ut ſententiam meam, quantum ad ſtylum pertinet, tibi aperiam, poſtulas, reſponſum accipe. Honeſtè & eleganter ſatis ſcripta profectò eſt: pluresque ſunt

Bullialdus raritatem literarum ſuarum excuſat: Judicium fert amplius de illa Auctoris epiſtola Hafniam ſcripta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſunt Galli, qui doctorum nomen ſibi adſumunt, elocutionis nitore inferiores, mirorque peregrinos hanc ſcribendi idiomate Gallico facultatem adeò feliciter aſſequi poſſe. Scriptum illud, prout expetis, ad Te remitto, deque mecum communicato gratias ago. Cum ad te pervenerit, illa quæ corrigenda animadvertiſti, manu propriâ emendabis. In citandis allegandiſque authoribus eam ſemper cautionem adhibui, ut alienam fidem, ſi adfuerunt libri, nunquam ſim ſecutus. Magnis illis Viris quantum ſit deferendum non ignoro, ſed ſingulos ſenſu proprio uti, authorumque teſtimonia in ſententiam ſuam trahere velle, mihi compertum eſt. Quapropter qui verum genuinumque ſenſum authoris cognoſcere cupit & poteſt, ipſius textum legat, & antecedentia atque ſequentia trutinet & expendat. Ad tertiam epiſtolam ut aliquid Tibi reponam, hæc addo, & à Clariſſimis Viris R. P. Ricciolo, & Dominico Caſſino nihil literarum me accepiſſe Tibi affirmo. Sereniſſimus Princeps Leopoldus ab Hetruria de ipſorum Obſervationibus me monuit. Lucubrationes ſuas Dominicus Caſſinus adornat ac editurus eſt. Hoc idem de R. P. Ricciolo affirmare non auſim. Ad me ſi exemplaria mittantur, unum Tibi promitto. Obſervationes illæ Tridentinæ, Lucernenſes aliæque adjunctæ ὁλοσχερέστεραι & craſſiores ſunt, quàm ut ex illis concludi ac elici operæ pretium aliquod queat. Duos fuiſſe Cometas nullus deinceps, habitis non interruptâ dierum ſerie obſervationibus ſpretis, niſi temerè affirmabit. Ubſalienſes duos Cometas quòd adhuc aſſerant fuiſſe, excuſandi mihi videntur, cum per biduum ſuprà ipſorum horizontem Cometa ortus non ſit. Verùm ab Illuſtriſſimo Domino Hevelio Italiſque, quibus ſemper fuit viſibilis, edocti ab opinione præconcepta receſſuri ſunt. † Interrogas præterea, an motûs Cometæ inæqualitas ſuſpicionem aliquam de Cometa duplici viſo movere queat? Nullum poſſe reſpondeo. Quòd enim tardè moveri primò ſit viſus, deincepſque accelerare gradum, tandemque illam celeritatem remittere ac tardius moveri deprehenſus, ipſum à terra remotiſſimum in principio ac fine, in medio verò curſûs ſui, cum & caput ipſius maximum tunc apparuerit, terræ propiorem fuiſſe ſolummodò arguit. At per circulum motum fuiſſe vix credam, à Februarii die 3 directè ferri fuit obſervatus. Atque de Cometa hactenus, cujus effectus quibus impendant, æſtas proxima manifeſtabit. Influunt proculdubio in hæc inferiora, ſed ab eis quæ afficiantur, nullus prævidere vel prædicere citra errorem poteſt. Ut Dominum Nicolaum Heinſium, Fœderati Belgii ad Suecos Ablegatum, Dominumque Joannem Mullerum meo nomine ſalutes rogo. Vale.

Teſtimonia Virorum præſtantium injuſtè allegantur & detorquentur.

Textum authoris citandi inſpice & contextum conſidera.

Leopoldus Magnus Dux Hetruriæ Bullialdum compellat.

Bullialdi judicium de obſervationibus Tridentinis & Lucernenſibus &c.

Cometas duos hyema es Bullialdus negat.

Ubſalienſes excuſandi quòd duos Cometas hyeme viſos putârint.

† Cometæ motus inæqualis diverſos Cometas non facit.

Cometæ hyberni motus non fuit circularis, ſed potius rectus.

Cometæ agunt in inferiora, ſed effectus ejus determinari & prædici non poſſunt.

Hamburgo Lutetiam die 11. *Aprilis* 1665.

N 60.
ad 26.

EQuidem meritiſſimo dicere ſoleo, multùm me Tuæ humanitati & erga me benevolentiæ debere, quòd me tàm frequenti literarum Tuarum commercio digneris. Tantum abeſt, ut earum raritatem ægre feram. Te enim & variè diſtractum & annis gravem eſſe, ſcio. Quamobrem de mea æquitate, ſed & de ingenti gaudio, quòd ex lectione Tuarum literarum ſemper capio, certum Te eſſe jubeo. Meam illam de Cometa exercitationem epiſtolarem veſtrâ linguâ conſcriptam tantum Tibi placuiſſe, mihi gratulor. Scio tamen judicium illud ab amico profectum eſſe. Nobis peregrinis ſufficit, ſi quid veſtra lingua ſcribamus ignorantiæ & ignaviæ non obnoxium, & ab æquis judicibus tolerandum. Italicas obſervationes libenter habuiſſem, Tibique de ſpe earum mihi facta, gratias ago. Ego tales ad Te miſi, quales ab Amicis accepi. Spero me etiam aliquid de hoc argumento à Reverendis & Clariſſimis Viris Kirchero & Ricciolo (utrumque enim literis compellavi) obtenturum. Nempe, ne quid Te, Vir Amiciſſime, rerum mearum lateat, monitis ut aliorum Amicorum, ita præcipuè Illuſtriſſimi Domini Rautenſteinii, communis Amici noſtri, permotus

Bullialdi eximia erga Auctorem benevolentia.

Senes & occupati rarò literas ſcribunt.

Judicium amicorum juſto benignius eſſe ſolet.

Italicas obſervationes expetit & exſpectat Auctor.

Auctor cum Bullialdo de hoc opere edendo confert.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

motus ſum (quod me proximè Tibi indicaſſe recordor) ut cuncta quæ de hoc argumento à variis Viris doctis accepi, vel etiam ad eos ſcripſi, in unum colligam, nec publico invideam, cujus uſui hæc inſervire poſſe illi putant. Atque hoc illorum precibus & monitis dedi. Cum autem Tu non pauca ex his videris, fac ut ſciam, quid de ejuſmodi obſervationum & narrationum Cometicarum Syntagmate judices, an ſcilicet commodum aliquod ſit allaturum, & quâ ratione componendum. Ita præclarè de me & publico merebere. Ego quidem, fateor, non pauca ex hiſtoriis & civili ac morali diſciplina, imò ex Phyſicis, illîc aptè inſerere inſtitui, ut opus tale omnibus & acceptum & utile eſſe poſſit; verumtamen judicium Tuum lubens videbo. Cum autem antehac, Vir Doctiſſime, Cometæ materiam Galaxiæ non abſimilem eſſe dixeris, paucis hâc de re tecum hîc conferre volui. In Galaxia æquè ac in Cometis variare opiniones, apud * Libavium legere me memini. Verum tamen Cometæ Libavio ſunt concretiones æthereæ inſtar ſtellæ & galaxiæ. Nam ſicut hanc ex condenſatione ætheris & aëris, ita & Cometas æthereos concreſcere docet, ad probl. 19 & 21. p. 60 & 61. Paulò inferius p. 64. inter argumenta Peripatetica ponit: *Eadem eſt Cometarum materia, quæ Galaxiæ, ſtellarum cadentium, trabium, draconum volantium &c. Sed hæ ſunt incenſiones.* In l. Meteor. 8. *Eadem eſt natura galaxiæ & Cometæ, qui circa Planetam conſiſtit.* Mox p. 65. teſtatur Jovium dixiſſe quòd *Cometa apparuerit in Ariete ſub Septentrionali parte Galaxiæ.* Pag. verò 66. ex Scaligero refert *Cometam Attalo regnante apparuiſſe diffuſum, qui uſque in æquinoctialem circulum venerit, ita ut illam plagam cæli, cui lactea nomen eſt, in immenſum extentus æquaret.* Hæc * Senecæ eſſe noſti. Si ſub Galaxia apparent Cometæ, inde deducit, eos denſatam partem aëris eſſe, non ignes. Verum enim verò cum ex ſententia Peripatetica dixerit p 66. *eandem eſſe Cometis & Galaxiæ materiam*: ex ſententia quoque contraria, *eandem eſſe naturam Cometæ quæ galaxiæ* p. 70. ait. Hanc enim ſparſum Cometam eſſe volunt, ideò incenſum halitum Cometam eſſe negant, cum galaxia talis halitus non ſit. Sed hæc ſufficiant. De his velim verbo mentem Tuam mihi exponas. De honore, quo Te ſereniſſimus & literarum virtutumque laudibus Clariſſimus Princeps Leopoldus ab Hetruria dignatur, Tibi gratulor. De diverſo motu Cometæ mihi abs Te ſatiſfactum eſſe agnoſco. Memini me Tibi haud ita pridem ſcribere de Cometa, qui Rege Veſtro Carolo VIII. Italiam invadente, apparuerit, & à Scaligero Seniori memoratus fuerit. De hoc nil mihi reſpondiſti. Credo quòd non neceſſarium id judicâris. Conſtat enim ex ejus mente, tunc ut & poſtea, duos Cometas, alterum veſperi, alterum mane viſos fuiſſe. Sed nec latet nos ex mente aliorum unum tunc & aliàs Cometam, qui ex matutino veſpertinus, vel ex veſpertino matutinus evaſerit, viſum fuiſſe. Apud Nobiliſſimum Dominum Heinſium, ut & Clariſſimum Dominum Mullerum ſatis frequentem Tui mentionem me facere, certus eſto. En Tibi litteras à Clariſſimo Viro Domino Joanne Placentino, Matheſ. in Academia Francofurtenſi Profeſſore, quas mihi ad Te mittendas commendavit unà cum majori faſciculo, quem cum mercibus lento itinere ad Te perferendum curabo, ſumtûs non neceſſarii vitandi cauſſâ. Vale Vir Humaniſſime & mihi porrò fave.

Bullialdi judicium de operis hujus propoſito & methodo Auctor exquirit.

Cometæ materia an galaxiæ ſimilis.

* tract. problem. de Comet. p. 51.

Cometæ Libavio ſunt concretiones ætheræ.

Galaxia condenſatio ætheris & aëris.

Galaxiæ & Cometæ eadem materia Peripateticis.

Cometa longum cæli tractum quandoque occupat.

* l. 7. NN. QQ. c. 15.

Galaxiæ & Cometæ eadem natura Anti-Peripateticis.

Cometa & galaxia quibuſdam idem eſt.

Cometa non eſt halitus incenſus, ſed illuminatus.

Cometa qui Caroli 8. in Italiam irruptionem præceſſerit,

An tunc & poſt annum 1500. geminus viſus fuerit.

Placentini literas Bullialdo Auctor mittit.

N. 62.

Hamburgo Lutetiam die 2. Maji 1666.

Epiſtolarum conſcribendarum ratio Auctori familiaris.

IN ſcribendis ad amicos literis, ſtilo non tantùm facili & parabili (qui meus eſt mos) ſed & impolito ſæpius inter multas occupationes utor. Reſplendeat illis ſolo candore, qui mihi in colendis amicitiis ante omnia eſt. Cum autem de æquitate aliorum certò perſuaſus ſim, tùm verò Tibi & Illuſtriſſimo Bruſſello communi Amico id exiguum quod à me fieri poteſt, gratum ſemper eſſe, perſuaſiſſimum eſt mihi. Novi enim utriuſque veſtrûm æquitatem & erga me bene-

Candor in colenda amicitia palmam obtinet.

Bruſſelli & Bullialdi æquitas & humanitas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Auctor quærit ex Bullialdo an ſua operi huic inſeri permittat.

Æquitate & benevolentiâ conſtanti ac officioſa conſervatur amicitia.

Diſſimulatio amicitiam conciliat & fovet.

benevolentiam. Accipite ergò hæc pauca grato animo. Brevitatem enim eorum adjuncta penſabunt. Inter quæ invenies quædam de argumento Cometico ab Illuſtriſſimo Rautenſteinio & Nobiliſſimo Heinſio communibus amicis ad me his diebus miſſa. Vides jam, quantoperè illi operis mei editionem urgeant. Spero Te votis eorum meiſque non defore, ut ſcilicet mihi liceat operi inſerere ea, quæ ego & Tu inter nos de argumento Cometico communicavimus. Scio verò multùm lucis libro meo à clariſſimi nominis Tui ſplendore acceſſurum. Perſuaſiſſimum porrò habeto, me quidem ſingularem delectationem ex omnium epiſtolarum Tuarum, tùm eruditione variâ, tùm benevolentiâ plenarum capere, interim tamen me nec ægrè habere, etſi Tu rarius ſcribas, & officio meo in aſſiduè colendo literarum commercio deeſſe nolle. Atque id me jam Tibi antehac indicaſſe recordor. Quod me nunc repetiiſſe nec pudet, nec piget. Nam ſi diſſimulatio illa Horatiana, vitia amici benignè interpretans, certè &

Hæc res & jungit, junctos & ſervat amicos. l. 1. Sat. 3.

Vale, Vir Humaniſſime, & feliciter age.

N. 27. ad 59, 60, & 62.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 1. Maji 1665.

Bullialdus raritatem literarum excuſat:

Ejus de hoc opere judicium.

Hevelium Bullialdus maximi facit.

Cometarum ortus & generatio in abdito latet.

Scire omnes natura appetunt.

Incerta & ignota aſſerere noli.

Cometas in cælo Bullialdus locat.

Bullialdus ſuam de Cometis ſententiam confirmat.

Galaxiæ ſuppar Cometarum materia.

Diſcrimen Cometæ hyberni & verni.

Lactea via an materiam Cometarum miniſtret, Bullialdus dubitat.

Literis Tuis à Martii die 28. ſcriptis hâc unâ meâ reſpondebo, cum epiſtolis frequentibus ſcribendis, ut jam tibi, Vir Generoſiſſime, ſignificavi, incumbere amplius nequeam. Opus illud tuum, quod ſub manu habes, non dubito quin egregium ſit: de Cometis enim in eo multa hiſtoricè, politicè ac phyſicè diſſeris; ad rem Aſtronomicam ut conducere poſſet, valdè vellem. Sed cum obſervationes accuratas nullas, quantum quidem ego adhuc ſcio, habueris, quæ ad Aſtronomiam ſpectant, ab illis qui loca amborum Cometarum idoneis inſtrumentis obſervarunt, exſpectanda deinceps erunt. Ab Illuſtriſſimo Hevelio quæ ſunt in lucem edenda, rem ipſam perficient. Circà cauſas Phyſicas immorari nimis, utile non puto. Vel enim veterum de illis opiniones deſcribendæ ſunt, & ad prægrandia, magiſque turgentia alieno ſucco volumina apparanda, ſunt congerendæ, vel aliqua nova ſententia proferenda. Illud paſſim & à permultis præſtitum: hoc ita arduum eſt, ut de ortu Cometarum quicquam, niſi obſcurum, incertum, & conjecturis potiſſimum innixum, diſſerere non poſſimus. Undè illorum materia emanet ac effluat, qualis ipſa ſit, motum ei quis motor imprimat, quo ſe recipiant, ubi ſe abſcondant illa corpora, ignotum ſemper erit. At humanus intellectus ſciendi rerum cauſas avidus, ut adſequatur illas, perpetuos labores, eoſque ærumnoſos ſuſtinebit. Sapientiores interim ac λογικώτεροι, ut aliquid rationi conſentaneum, & à temeritate immune aſſerant, ab aſſertione dogmatica abſtinebunt. Hæc quidem nobis jam notiſſima ſunt, materiam illam non terreſtrem, non ab elementari mole avulſam, ſed intrà planetarum orbitas, vel ſuprà ipſas conteneri, eas percurrere, & longiſſimè ſuprà Lunam à terra diſſitam eſſe eam aliquando analogam, aut non abſimilem Galaxiæ, oblata ipſius ſpecies, ut ſentiamus facit: ſubalbicans enim & lucida Cometæ qui Anno 1652. menſe Decembri conſpectus eſt, materia ad id ſuſpicandum induxit: illeque, qui proximè elapſis menſibus Decembri ac Januario fulſit, circumfuſâ, ſpeciem ſtellæ intrà Galaxiam lucentis exhibuit. Poſtremi verò hujus, qui Aprili menſe viſus eſt, materia compactior, vividum magis lumen vibrans omnium oculis patuit, adeoque minorem ad Galaxiam proportionem, quam duos præfatos, habuiſſe hunc Cometam agnoſcendum. An lactea via ejuſmodi materiam miniſtret & ſuppeditet, ab aliiſque cauſis variè digeratur, magis minuſve condenſetur, quis certò affirmare queat? Habet ſuam veri ſimilitudinem Galilei de materia Cometarum

metarum probabilis ſententia. Ex maculis Solaribus Cometas produci, ac ex Galaxia prodire, æquè incertum. Unum mirandum eſt, Cometarum caudas ad Solem, ut plurimum dirigi, vel ab illa directionis linea non multum divergere. Talis, iſque perpetuus ferè ad Solem reſpectus, ut ab hujus energia & operatione illas caudas oriri cum ratione ſentiamus, facit. At de modo magna controverſia eſt, alii namque alium aſſerunt. Sed de Cometis ſatis dictum hactenus ſit: de quibus cum nihil ſcripſerim, nihil quoque operi tuo conferre poſſum. Eruditam ad Clariſſimum Virum Nicolaum Heinſium epiſtolam Tuam legi, Tuique erga me animi benevoli, dum in illa honorificam de me mentionem facis, teſtimonium præbuiſti. Gratias ideò Tibi maximas habeo, & Tibi multum me debere agnoſco. Epiſtolæ tuæ Aprilis XI. ſcriptæ adjunctum erat à D. Johanne Placentino editum folium. Ut meis verbis ipſum ſalutes & gratias agas rogo. Grandes illos chartarum faſciculos curſoribus committere commodum non eſt, quòdque illum à D. Placentino Tibi, ut ad me cures, tranſmiſſum cum gravioribus mercibus, curru hùc advehendis conſarcinaveris, prudenter feciſti. Cometam poſtremum ſemel contemplatus ſum, ruſque abire, ut ipſum conſpicerem, oportuit, cum ex hac domo, in qua vivo, Horizontem cernere nequeam. * Aprilis die 16. mane oriri ipſum vidi in eodem Azimutho cum ſtellis quæ ſunt in tiara Cephei, & in recta linea ſitum ſtellæ, quæ in erectione ſedis Caſſiopeæ & Cinguli Andromedæ. Ita ut 24. circiter gr. ♈ tenuerit, & ſupra Tropicum Cancri tribus gradibus verſus Polum Bor. conſtiterit. Caput ipſius, ut prædixi, luce ſplendidiore ac vividiore, quàm antecedentis, lucebat, minus verò cernebatur, ejuſque diameter beſſem diametri Jovis vix adæquabat.

Galilei ſententia de Cometis veroſimilis.

Solis maculæ an Galaxia Cometis dent originem incertum.

Cometarum caudæ, in partem à Sole averſam ferè ſemper prominentes, à Sole producantur oportet.

Amicorum ſtudia & officia grata habeto.

Bullialdus rus ex urbe abit Cometam contemplaturus.

Obſervatio Cometæ verni à Bullialdo 16. Aprilis facta.

Poſtremis Tuis literis, ut de inſtituto opere tuo ſententiam meam tibi aperiam expetis. Hujus epiſtolæ initio ingenuè ſatis mentem meam explicui, ampliuſque hîc ſubjungam gratum ac utile fore illis, qui Aſtronomicam præciſionem non ſectantur, hiſtoriarum monumentis, exempliſque ab eis repetitis contenti. Illis pariter jucundiſſimum erit, qui de Rerumpublicarum Regnorumque revolutionibus inſignibuſque eventibus, non rationibus tantum Politicis, ſed etiam ex illis impune nunquam viſis phœnomenis, aliquid conjicere ac prævidere conantur. Omnibus denique quibus rerum phyſicarum hiſtoria, deque illis diſſertationes gratæ ſunt & acceptæ. Cunctis itaque hominibus opus tuum placiturum exiſtimo, cum omnes illa egregia, nec vulgaria ſcire ſummoperè appetant. Vale, & à Dominis Fromontiis brevi mittendam Aſtronomiam noſtram exſpecta.

Bullialdi judicium de hoc opere.

Bullialdus Aſtronomiam ſuam Auctori munus mittit

Hamburgo Lutetiam die 16. Maji 1665. *N. 64. ad 27.*

ANte octo dies reſponſi aliquid dederam ad literas Tuas Kal. hujus menſis datas. Sed feſtina manu & currente inter molem negotiorum, quæ me urgebant, calamo id feceram: ſicut fieri aſſolet, cum humanitati & induſtriæ Amicorum è veſtigio reſpondere, & mutuo officio defungi volumus. Meretur autem illa Tua epiſtola, magna cum judicii cura laudeque & gratia ſinceræ benevolentiæ exarata, minimum geminum reſponſum, vel certè cum aliqua cura datum, non extemporale, qualia fundere quandoque tempore excluſi, & tamen officium facere volentes cogimur, alii vero etiam ſolent naturæ ductum ſequentes, quorum ſi quis vel ad poëſin animum applicet

> \- - - - amet ſcripſiſſe ducentos
> Ante cibum verſus, totidem cœnatus; Etruſci
> Quale fuit Caſſi rapido ferventius amni
> Ingenium. Horat. l. 1. Sat. 10.

Cum itaque reſponſum ante dies octo velut abortivum fœtum in rationes non

Occupati brevi & tumultuaria ſcriptione uti ſolent.

Diligentiæ laudem nullus etiam amicorum præripiat Tibi.

Extemporalis ſcriptio boni & æqui conſulenda.

Caſſius Parmenſis ad ſcribendos verſus promtiſſimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Epiſtolas ad Bullia.dum ſcriptas non omnes Auctor operi inſeruit. referam, accipe nunc facilis hæc pauca vice reſponſi data: quanquam & hæc ipſa præcipitante tempore αὐτοσχεδιαστί in chartam conjecta. De opere meo ut aliquid Tibi dicam convenit: quidam Viri Doctiſſimi & Mathematici egregii obſervationes ſuas, velut Symbolas, conferre ad me cœperunt. *Amici ſymbolas Auctori ad opus hoc componendum mittunt.* Inter quos & R. D. P. Curtius eſt, à quo plura ex fide promiſſi præſtolor. Alii vero vota mea ſe non fruſtraturos polliciti ſunt. Spero itaque opus meum volente & favente Deo, Mathematicis quoque utile vel certè haud ingratum fore. *Opus hoc Mathematicis utile.* Id enim præſtabit vel ipſa ſententiarum & obſervationum ac narrationum de Cometis varietas. Quæ ſi in cibis, quamvis non ſine cachexias periculo, delectat: tanto juſtius hîc delectabit, non tantùm innocua, ſed & utilis. At verò quotidianâ non tantùm ſtudiorum & conatuum, ſed & bellorum experientiâ teſte

- - - utilitas juſti propè mater & æqui

à plerìſque habetur. Spes igitur mihi affulget, iſtum, tenuem licet, induſtriæ meæ conatum, multiplici utilitate non tantum Mathematices, Phyſices aliarumque Philoſophiæ partium cultoribus, ſed & Politicis ipſiſque Viris Principibus, (quorum commoda ſingulari ſtudio hîc promovemus) cunctiſque bonarum literarum bonorumque morum amantibus, non parum ſeſe commendaturum. *Philoſophorum veterum ſententias de Cometis recenſere tædioſum.* Veterum Philoſophorum ſententias de Cometis recenſere longum, fateor, operoſum, & moleſtum undique; ſed & poſtquam idem tot alii induſtriâ felici perfecêre, ut prudenter mones, inutile, certe non neceſſarium foret. *Guerichiana de Cometis ſententia quodammodo nova.* Novam quodammodo de hoc argumento ſententiam promet Ampliſſimus Vir D. Gurichius Conſul Magdeburgenſis. Aliunde quoque novitatis cujuſdam, cujus naturâ avidum humanum genus, ſpes, imò promiſſio mihi facta eſt. De operationibus Cometarum omniumque aſtrorum non paucæ opere illo continebuntur ultrò citròque diſputationes. Sed hæ intertextæ erunt ſtudiò ſalutaribus publicè privatimque Politicis & Ethicis monitis ac exemplis, velut gemmulis è gazis veterum Philoſophorum Græcorum pariter & Latinorum depromtis. Cujus induſtriæ ſpecimina in aliquot epiſtolis meis ad Te vel alios exaratis Tibi dedi. Noſti autem Illuſtriſſimo D. Rautenſteinio Amico utrique noſtrûm maximoperè colendo, hanc philoſophandi rationem plurimum placere. Sed & *Amicis inſtitutum Auctoris probatur.* alios hilari fronte hocce meum de orbe Chriſtiano benè merendi ſtudium (hoc enim ad Dei gloriam & meam proximique ſalutem unicè intendo & ago) excipere, vana &

- - - - prava
Ambitione procul — Horat. l. 1, Sat. 6.

Judicium eſto liberum, ut ſit utile. dicere poſſum. Ecce verò quæ heri in hanc rem à Clariſſimo Heinſio & per eum ab Ubſalienſibus Profeſſoribus accepi. De quibus ſi judicium ferre candidum, ut ſoles, volueris, rem profectò & mihi & illis, & omnibus talia libenter lecturis feceris. Nemo etenim eſt in Republica literaria, qui non clariſſimum nomen Tuum colat, & eximiam Tuam eruditionem ſuſpiciat. Quæ etiam cauſa eſt, ut mihi magnoperè gratuler, illud quoquè operi meo multum lucis allaturum. Vale eximium ſeculi decus, & hæc pauca eaque (aliter enim inter multas occupationes fieri non poterat) deproperata accipe gratus. His enim reſpondeo ad illam epiſtolam Tuam longè doctiſſimam & amiciſſimam, quæ vel trinum mereretur reſponſum.

Hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.

Iterum vale & ſalve ab eo quo Te nemo, ſat benè ſcio, majori honore & benevolentiâ proſequitur.

Lutetiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 22. *Maji* 1665.

N. 28.
ad 62.

CItius literis Tuis 2. & 9. menſis currentis ad me datis, quàm ſperaveram, reſpondeo. Gratias Tibi maximas habeo, quod tàm officioſus erga me ſis, ut ſtatim non reſcribenti epiſtolas narrationeſque rerum novarum, non exſpectato reſponſo, mihi continuo tranſmittas, hocque nomine ita me obſtrictum fateor, ut excuſatio, quamvis legitima & vera, pudorem nequeat ex animo prorſus excutere. Pauca etiam apud nos nunc occurrunt quæ curioſorum animos ſciendi avidos valdè delectare poſſint. Quod de Cometa utroque antea Tibi ſcripſi, libro Tuo, quem de ejuſmodi argumento edere ſtatuiſti, inſerere poteris, quamvis tanti pretii ea mihi non videantur, ut docti ex illis fructum magnum ac voluptatem capere poſſint. Aſtronomiæ Philolaicæ exemplar ad Te curandum paratum penes me habeo. Poſt aliquot hebdomadas, ut à mercatoribus notis Dominis Fromontiis reſcivi, accipies Ptolemæi de facultate judicandi libellum. Vale & vive felix.

Obſequium amicos parat.

Induſtria induſtriam acuit.

Bullialdus ſua operi huic inſeri permittit, modeſtè de iis judicans.

Aſtronomiam Philolaicum Bullialdus Auctori dono mittit.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 30. *Maji* 1665.

N. 66.
ad 28.

DUm morem meum ſervans meas ad te paro literas, Tuæ die 22. menſis hujus decurrentis ſcriptæ, mihi redditæ ſunt, quæ quia eum Tibi placere aſſerunt, me tanto magis ad ſcribendum invitant. Quomodo etenim ego vix quadragenarius non ſim alacer, qui Te ſexagenarium non impigrum videam eſſe in ſcribendo? De illa quidem ætate ſexti ſeptennii quam attingo, Solon dixit:

Amico quæ placent, fac ſtudioſè.

Ætas Auctoris & Bullialdi.

Juniores diligentia à ſenioribus vinci non debent.

Τῇ δ' ἕκτῃ περὶ πάντα καταρτύεται νοὸς ἀνδρὸς
Οὐδ' ἔρδειν ἔθ' ὁμῶς ἔργ' ἀπάλαμνα θέλει

(Sexto in omnibus abſolvitur viri mens,
Nec amplius æquè ineluctabilia paragere opera vult)

Quadragenarius.

at de illa quam Tu impleſti:

Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται μαλακώτερα δ' αὐτοῦ
Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τε καὶ σοφίη.

(Nono adhuc aliquid poteſt: verum remiſſior eſt ipſius
Ad magnam virtutem tàm lingua quàm ſapientia.

Sexagenarius.

Quanquàm ille de eo, quod uſu frequentius eſt, loquitur: ſæpè tamen aliud experientia teſtatur. Multos qui vix ſextum Septenarium implent, deſtituit: multos item, qui nonum, magnum illum climactericum, ſuperant, velut reſtitutus ad res præclarè gerendas excitat animi corporiſque vigor. Cum itaque Tibi officium meum gratum eſſe (id enim verbis & mutua officii viciſſitudine teſtaris) videam, næ illius negligens, ſalvâ verecundiâ, eſſe nequeo. Breviores tamen ad Te dandæ mihi erunt aliquando literæ, cum perficiendo operi meo, quod tantoperè expoſcunt Amici & publici boni rationes, dare operam, & in id omni conatu incumbere me oporteat. Gratulor mihi, cui Tu, Vir Doctiſſime, largiris, ut Tua meo illi operi inſerere liceat. Multum enim lucis Tua meis, quæ cum tenebris ignorantiæ adhuc conflictantur, adferent. Sed & nomini Tuo debitam laudem cœtui Philoſophorum, quem cogo, favente Deo, inferent. De promiſſo Ptolemæi libro illo, quo judicandi facultas bono generis humani aſſeritur, nec non Aſtronomiâ Philolaicâ captui abſtruſa illa veſtra myſteria diſcentium facilitate methodi, ut accepi, accommodatâ, utpote præſtantiſſimis Tuæ, ut eruditionis, ita & in me benevolentiæ monumentis ætatem

Climactericus magnus annus novies ſeptimus.

Vigor animi & corporis quibuſdam ſenibus ineſt.

Officioſus in amicum eſto.

Auctor brevitatem ſuarum literarum excuſat: Se Bullialdiana operi inſerere poſſe, gaudet.

Aſtronomia Philolaica Bullialdi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ætatem victuris, gratias Tibi, quantas poſſum maximas, ago. Tantum munus, idque geminum, libenti animo hoſtiam gratus, ubi quid meritis Tuis dignum Tibique gratum futurum præſtare potero. Vale, & conſtantiam, quam in virtute ac ſapientiâ ſectandâ retines, in colendâ quoquè mecum amicitiâ retine, omnibus bonis vel ad invidiam cumulatus.

Gratus & memor cujuſcunque accepti beneficii eſto.
Conſtantia in virtute & amicitia colenda Sapienti convenit.

N. 29.
ad 64.

Bullialdus gratus & memor officii, ac modeſtus.

Lutetiâ Hamburgum die 5. *Junii* 1665.

AD utramque epiſtolam Tuam 16. & 23. menſis decurſi ſcriptam, hoc reſponſum Vir Generoſiſſime, nunc repono: gratias imprimis ago de tot chartis & epiſtolarum Virorum eximiorum exemplaribus ad me miſſis. Tanti non ſunt ea, quæ de Cometa ad Te ſcripſi, ut in lucem edi operæ pretium ſit: quandoquidem vero Tibi ſic lubet, ſine titulo poſteriori literæ tuæ inſerto prodire commodius erit: tumidior quippe eſt ille, quam moles cui affigeretur. Scriptum quod meditaris eruditione refertum iri credo; erit namque argumentum illius varium ac multiplex, & ut ad me jam ſcripſiſti, Cometicum, Politicum, & Ethicum. Ab Illuſtriſſimo Hevelio Prodromum Cometicum accepi, quod egregium opuſculum Cometographiam, quam apparat, legendi appetitum mirificè excitavit, imò irritavit. Aſtronomicum enim illud argumentum Obſervationibus, quæ totius negotii fuudamenta unica ſunt, nixus tractat. Aſtronomiam Philolaïcam Dominis Fromontiis tradidi, qui ad te curandam receperunt. Vale Vir Generoſiſſime.

Judicium Bullialdi de hoc opere.
Hevelii Prodromum Cometicum Bullialdus gratans accepit.
Obſervationes Cometarum in hoc argumento Cometico palmam obtinent.

N. 68.
ad 29.

Hamburgo Lutetiam die 13. *Junii* 1665.

SEmel hanc legem mihi dixi, ut ſingulis hebdomadibus, dum in urbe ſum, & per valetudinem, (quâ divino beneficio ſingulari fruor hîc ab integro triennio proſperrimâ) aliaſque ſonticas cauſſas licet, vel brevibus litteris, niſi per alia negotia longiores dare poſſim, Te vel Amicum communem alternis compellem. Nam ita fungar officium incumbens mihi, qui me ſingularem utriuſque veſtrûm eruditionis & neceſſitudinis cultorem profiteor. A te quod rariores accipiam literas, id ætati ad ſcribendum difficiliori, & gravioribus negotiis adſcribendum judicô. Accipies hac vice pauca de rebus publicis, quæ tamen non tantùm integra librorum volumina, ſed & orbem Chriſtianum miſeris calamitatibus triſtibuſque implebunt querelis. Nam ut nihil nunc de bello navali, quod Britannos & Batavas inter geritur, dicam, de quo hâc ipſâ fere horâ, quâ hæc ſcribo, ſcire quædam potes, quæ nos demum poſt aliquot dies accipiemus) in Imperio Romano non tantum acerba diſſidia gliſcunt, ſed & in bellicos motus à Principibus nonnullis iiſque ſacris excitatos exardeſcunt, & Conventus ille Auguſtus Ratisbonæ inter diſcordiæ certamina nutat. Polonia vero noſtra belli civilis incendium proh dolor! concipit. Recorderis velim eorum, quæ ad Te pro jure amicitiæ & boni publici ſtudio de violata avitagentis noſtræ in ſacris & profanis libertate liberè, ut decet ingenuum, ſcripſi. Vide vero quid ad ultimum intendat, imo & tentet & agat adverſarum in Republica partium ſtudium. Par equidem eſt omnes ad officium tot potentiæ & juſtitiæ divinæ ſignis, ac præcipuè uno atque altero Cometa permoveri. Is enim concionatoris & conſiliarii in cœlo poſiti, & proſperorum adverſorumque catervas ducentis, quem non tantùm Concionatores & Conſiliarii, ſed & Duces ipſique Reges & Cæſares, ut viderunt, ita recta monentem ſequi tenentur, officium implet. Sed ut aliquid præter hæc moralia (quæ tamen unicè neceſſaria judico) adferam, ſcripſiſti ſemel atque iterum ad me, materiam Cometæ æthercam, affinem galaxiæ eſſe. Quia verò in tuarum literarum de argu-

Auctor Bullialdum & Bruſſellum aſſiduò compellat.
Bellum inter Anglos & Hollandos.
Imperii Romano-Germanici diſſidia & ſtatus dubius.
Polonia belli civilis flammam concipit.
Libertas avita in Polonia violata magno cum publicæ rei diſcrimine.
Cometa inſtar fidelis conſiliarii bona malaque prænunciantis homines officii admonet.

argumento Cometico excerptis, quæ ad me hoc ipſo momento unà cum Tuis gratiſſimis die 5. Junii datis redierunt, relinquis, & ita retines ac confirmas hanc ſententiam, mei officii, qui cuncta pro virili excutere & inveſtigare ad hoc argumentum ſpectantia, mihi propoſui, eſſe duxi hac vice quoque de nonnullis Te conſulere. In libertate Philoſophica utentem eâdem utaris velim. Docent quidem (cumprimis Libavius, qua de re me Tibi antehac ſcribere memini, ſed nondum plenum reſponſum accepi) ut Galaxiam ex condenſatione ætheris & aëris, ita & Cometas æthereos concreſcere. Idem, prout tunc dixi, variis argumentis contra Peripateticos diſputans, docet Cometas non ignes, ſed denſatam ætheris partem eſſe. Quæ cum ad ſententiam Tuam confirmandam faciant, velim eam libertate illâ Philoſophicâ lacteâ latius longiuſque, per viam ſcilicet lacteam explices. * Cum autem Prodromum Cometicum Hevelii jam habeas, eidemque meritas tribuas certæ & fundatæ ſcientiæ laudes, mei cauſâ, velim, niſi Tibi ſit moleſtum, utriuſque veſtrûm ſententiam combines, vel Tuam ſeorſim exponas. Illud miror, quod (ſicut antea indicavi) in lectione Libaviani illius tractatus notavi, tàm Peripateticos, qui ignes illos Cometicos accendunt, quàm qui eoſdem extinguunt, eandem Cometis & galaxiæ tribuere materiam. Iſti enim *galaxiam* etiam *ſparſum*, ut dixi, *Cometam* eſſe volunt, indeque, ut tunc innui inſtant, *Cometam non eſſe ignem, quòd galaxia non ſit inflammatus halitus, cum potius vel ſtellarum, quarum non niſi color cernatur, multitudo ſit, vel quædam cæli pars non ita denſa, ut ſtella, nec ita rara, ut æther, ſed perpetua, ejuſdemque figuræ, eodem in loco apparens, quæ nec augeatur, nec minuatur.* Quantum hîc ſtatuere citrà temeritatem licet, velim me, Vir Doctiſſime, doceas, diſcendi percupidum. Quæ in literis tuis antehac de ſententia Guerichiana ad me perſcripſiſti, & nunc relinquis, confirmari vidi illis Libavianis: *Cum dicimus Cometæ locum eſſe ſupra turbas aëreas, duplicem regionem deſignamus ex hypotheſi, nempè æthéream, & eam aëris partem ad quam venti, nubes turbidæ & ſimilia non aſcendunt. Alioqui impetuoſe ferrentur, multaque alia evenirent, quæ non deprehendimus* p. 62. Et pag. 68. inter argumenta contra ignem Comet. Num. 6. *Ignis aut ſurſum it, aut quà trahitur à pabulo deorſum, non vagatur niſi ventis. Abſurdum eſt frigere ventos in loco Cometarum.* Vidiſti verò & D. Hevelium hanc D. Guerichii ſententiam improbare. Cæterùm animadverti in literarum Tnarum excerptis ad me remiſſis, Te quoque in eo nunc cum Clariſſimo Hevelio facere, ut Cometam ſphæræ circulum magnum perfectè non deſcripſiſſe dicas. Accepi ab eo ante aliquot dies literas, quarum en Tibi apographum. Negat ille Romanos Cometam ad cingulum Andromedæ Borealem, ubi nequaquam fuerit, obſervare potuiſſe. † Et tamen Clariſſimum Gravium Profeſſ. Franequ. cujus itidem epiſtolæ apographum (quod an tibi antea miſerim nec ne non habeo dicere) Tibi mitto, menſe Martio novum phœnomenon ibidem obſervaſſe, & quidem Cometæ ſimile, certum eſt. De quo Clariſſimum Hevelium heri monui. Velim ut Tu quoque ſententiam Tuam nobis hîc aperias. Tantò magis cum & Romani affirment illam Borealem Andromedæ à loco ſueto deflexiſſe arcu ferè 2. gr. & alteram novam viſam fuiſſe, cum dictâ extremâ Boreali & media cinguli triangulum ferè æquilaterum facientem: & Gravius aſſerat ſe quoque per Tubum opticum (inſtructus enim eſt bonis inſtrumentis) obſervaſſe novam ſtellam, quæ ſpatium vix mutaverit ad ſenſum aut non ità multùm, & duobus aut 2½ gr. à proxima ſtella abſuiſſe deprehenſa fuerit. Quod reliquum eſt, in opere meo perficiendo deſudo, quod Tua plurima illuſtrabunt. Velim his ornamentum addat reſponſum ad hanc epiſtolam Tuum. Vale.

Cometæ materia an eadem quæ galaxiæ, vel iſti ſimilis.

Libertas Philoſophica candida ſit oportet.

** Hevelianam & Bullialdianam de Cometis ſententiam comparari Auctor vellet.*

Cometæ & galaxiæ eandem materiam Peripatetici & Anti-Peripatetici aſſignant.

Galaxia quid

Guerichianæ de Cometis ſententiæ oppoſita.

Ignis motus fit vel ſurſum vel deorſum.

Guerichii ſententiam Hevelius tacitè improbavit.

Hevelio & Bullialdo de ratione curſus Cometæ convenit.

Hevelius Romanis de Cometa ad cing. Andr. bor. viſo contradicit.

† Gravio obſervatum menſe Mart. in Androm. phænomenon Cometæ ſimile.

Obſervatio Romana & Franequerana de phænomeno in Androm. comparatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N. 70. *Hamburgo Lutetiam die 27. Junii 1665.*

Tempus breviores & longiores epiſtolas ſuppeditat.

LIteras ante dies octo ad Te & communem amicum perbreves dedi, & velut informem fœtum feſtinans miſi. Has ideò nec meis annumero. Nunc quantum licet, paulo longiores dabo. Quæ intra paucos dies, qui proximè effluxerunt, à Clariſſimis Viris, Heinſio, Hevelio, Buthnero aliiſque ad argumentum Cometicum pertractandum ſpectantia accepi, vel etiam ad eoſdem & alios dedi, ex iis quæ ante octo dies miſeram, & nunc mitto, perſpicies. Videbis quam etiam in colendo cum Reverendis & Celeberrimis Viris Kirchero & Ricciolo literarum commercio negligentiæ notam fugiam. Me variis virorum doctorum ſententiis exploratis & inter ſe collatis, argumento Cometico illuſtrato, reipublicæ literariæ utilitatibus quodammodo conſulturum, & ſic operæ pretium facturum eſſe ſpero. Tantò magis cum ſubinde creſcat numerus obſervationum de utroque Cometa à tot Mathematicis Excellentiſſimis factarum, quarum mihi copiam benevolentia & humanitas eorum aliorumque Amicorum fecit. Exſpecto quid Kircherus & Ricciolus ad aliquot meas, quibus Prodromum Prodromi Cometici Heveliani, ſive compendium præclari illius libri, gratiâ eorum à me factum, adjunxi, reſponſuri ſint. Spero cum breviter ſumma rerum capita annotârim, ipſumque ferè, ut ſic dicam, libri ſuccum expreſſerim, hunc laborem meum illis forè gratum. Non enim facilè tales libros, qualis eſt iſte Hevelianus, in illas terras deferri, benè noſti. Plura ad Te, Vir Humaniſſime, ſcribere alii labores non ſinunt. Hæc epiſtola cum ad communem Amicum pertineat, nullus dubito cuncta hæc vobis forè communia. Salveat ille à me plurimum. Salve & Tu ac Vale, Vir Clariſſime, mihique conſtanter fave.

Operis hujus in republica literaria uſus.

Prodromum Prodromi Cometici Heveliani quomodo & quare Auctor conſcripſerit.

XIII. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XIII.
COMMUNICATIO FRANEQUERA-GRAVIANA.

Hamburgo Franequeram die $\frac{9}{19}$ Decembris 1664.

S. P. Vir Clariſſime & Doctiſſime.

LIteras haſce & ignotum adſpiciens nomen, miraberis fortè, unde hæc homini, quem nullo colore nôris, Te adeundi & compellandi pariter ignotum audacia. Sed deſines, credo, mirari, poſtquam recordatus fueris, quibus vinculis homo homini, Chriſtianus Chriſtiano, literarum ſtudioſus earundem cultori & vel Anteſignano jungatur: tùm & adſpexeris, quàm potenti Cometæ, qui nuper in cælo ardere (ut ſic dicam) tædæ vel facis inſtar cœpit, igne accenſus, ardeam deſiderio variorum Virorum doctorum judicia de eo exquirendi. Fateor autem unà ineſſe mihi voluntatem nonnihil ad bonum publicum promovendum conferendi, votis ſaltim ac ſtudiis, quò homines, iique Chriſtianorum nomine gaudentes, hoc cæleſti igne & divini, hinc furoris peccatis ſuis irritati, illinc favoris pietatem invitantis indicio moniti, poſitis atrocibus bellis, omnibuſque vitiis rejectis, novam cum appetente novo anno vitam agere incipiant. Ne tamen vacuis manibus Te accedam, quin potius Tuam æquitatem & ſolertiam invitem incitemque ad ferendum de re magni momenti judicium, ac indicandum Cometæ iſtius ortum & motum, &, quà datur, eventum, hæc quæ vides Tibi mitto. Iſta his diebus ex narrationibus Amicorum, Virorum ut aliarum Philoſophicarum, ita & Mathematicarum diſciplinarum ſpeciatim, peritiâ præſtantiſſimorum & Clariſſimorum ore & ſcripto traditis, accepi. Hæc exhibebit Tibi literaſque Tuas ad me curabit Generoſus Tobias Morſtinius, Eques Polonus, omnibus ſacris & civilibus vinculis mihi conjunctiſſimus, quem in illa Illuſtri Muſarum ſede, unà cum Alumno ſuo Rejo, illuſtri familiâ edito, feliciter agere, & omnium veſtrûm favore gaudere, ex animo gratulor. Vale, & mihi favorem mutuum tribue, qui ſum

Cometicum argumentum Auctorem ad ignotos quoque compellandos incitat.

Morſtinius amicitiæ Auctoris cum Prof. Math. Franeker. ineundæ pararius.

Ad Dominum N. Profeſſ. Matheſ. in Academia Franequerana.

T. obſervantiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Franequerâ Hamburgum die $\frac{8}{18}$ Januarii 1665.

Nobiliſſimo Doctiſſimoque Domino

STANISLAO de LUBIENIETZ LUBIENIETZKI,
ABRAHAMUS de GRAU Math. Profeſſ. S.P.D.

LIterarum commercia ſæpè faciunt & inveniunt novos amicos, præcipuè ubi iiſdem ſtudiis condiuntur, quæ non ſinunt ſui cultores, ubi ſemel con-

Literarum commercia utilia.

 greſſi

greſſi fuerint, amplius ab invicem peregrinari, idem nobis contingit. Oculos omnium cum in cælum citavit nuper viſum cælitùs phœnomenon, non ſivit nos otioſos, ſed ad divina miracula non tàm vanâ trepidatione ſtupere, quàm attentiores fieri voluit, mirarique, quæ prænunciabit vel fauſta vel infeſta mortalibus. Petiit Tua Nobilitas ſibi communicari, quæ noſter labos machinis Mathematicis, quas non infimas poſſideo, adjutus, in hiſce cæleſtibus capere & exprimere potuit. En habes quædam, ſed non omnia: qui ſi voluiſſes, diutius tibi præſtolandum foret. Quum nondum ſe abſcondit è cælitibus ille, quæ non expreſſi, è datis facilè inveniri poſſe putem. Schematiſmos quoque non adjeci, cum & illi facilè ex ſcriptis repræſentari queant, inque globum vel planum conjici. Putem hunc, quemadmodum & omnes Cometas, eſſe ſidera maculis inſerta, vagóque & irregulari motu protrudi ſolita. Non conſumi, ſed altius in ampliorem cæli circumferentiam tendere. Hic Cometes multis regionibus & Auſtralibus & Septentrionalibus fuit verticalis, ut è declinationum varietate judicari poteſt. Multas varietates quoque & rariores ſolito dedit hoc ſidus. Hîc manum de tabula refero. Amplius mea judicia poteris cognoſcere & plenius è futura (ſi Deus velit) diſputatione de Cometis. Vale plurimum.

Cometa omnium oculos & animos in ſe convertit.

Cometa quid Gravio?

Cometa Corvi & Leporis quibus fuerit verticalis: Multas & ſolito rariores dedit varietates.

Hamburgo Franequeram die 7/17 Februarii 1665.

Viro Clariſſimo, Doctiſſimo & Humaniſſimo

Dn. ABRAHAMO de GRAU, Matheſeos in Alma Friſiorum Acad. Profeſſ. celeberrimo,

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ *S.P.D.*

MUltùm mihi, idque jure, gratulor, tantum me Amicum, licet antehac fateor, prorſus incognitum, ſed, quod vel ſolæ literæ Tuæ teſtantur, ſolida eruditione & accuratâ rerum cæleſtium notitiâ, tum verò & humanitate (quæ quidem veræ eruditionis indiſcreta eſt pediſſequa) conſpicuum inveniſſe. Et quidem per ſolam epiſtolam mutuam mentis benevolæ & veritatem cognoſcendi avidæ internunciam. Sed noſti hoc eſſe deſuper conceſſum bonis literis privilegium, ut etiam longiſſimis terrarum mariumque ſpatiis diſſitos, & alioqui diſſentientes, firmo vinciant nexu, & ad mutua pertrahant ſtudia. Atque id mihi nunc in Te obtigiſſe iterum iterumque mihi gratulor, & omnem operam ac benevolentiam mutuam Tibi voveo & addico. Obſervationes Tuæ de nupero phœnomeno mihi ſunt longè gratiſſimæ, quia ſumma cum cura inſtitutæ, ita ut meritò dicere poſſim, omnibus Te hîc, quos videre mihi adhuc licuit, palmam præripuiſſe. Cæterùm Tu, pro egregia Tua induſtria, eruditione & humanitate, quin & ſufficienti, quam innuis, machinarum Aſtronomicarum copia, plura ejuſdem generis mihi polliceris, poſtquam ſcilicet Cometes curſum ſuum abſolverit, prout jam abſolvit. Præſertim verò in diſputatione publica, quam vice munuſculi à Te exſpecto. Quod autem ad judicia Præſtantiſſimorum Aſtronomorum aliorumque virorum haud vulgari eruditione inſtructorum attinet, ea, quantum quidem ego accepi, varia eſſe comperio. Nec tantum circa ejus ſitum, motum, ſed & ipſam ejus exiſtentiam, ſententiarum varietatem illam animadverto. Tot ſententiis de cauſis & natura Cometæ in diverſum euntibus, quas benè noſti, ita ut eas hîc recenſere non ſit neceſſe, acceſſit nova Viri Ampliſſimi Domini Ottonis Guerichii Conſulis Magdeburgici, viri admirandorum inventorum laude dubio procul Tibi noti. Is enim ſtatuit, præſuppoſitis duobus difficillimis de motu telluris & ſpatio vacuo principiis, Cometam ex procellis oriri, & eſſe partem aëris, vi tempeſtatis cum impetu avulſam & in ſublime delatam: motumque ejus ſi crinitus ſit, nihil aliud quàm motum terræ, & ſic illum varium pro hujus varietate in oculis noſtris eſſe: vagum

Cometæ hyemalis curſus abſolutus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

gum autem, ſi Cometa ſit caudatus. Dicit enim caudatum Cometam in ſuprema aëris regione, quæ nihil niſi aura ſit, conſiſtere & vagari, atque caudam ejus eſſe partem auræ, per corpus Cometæ radiis ſolaribus illuſtratæ & Cometam ambientis. Crinitum verò extra aurum in ſpatio puro, huncque à terra & ambiente eam aëre ſeparatum eſſe, ac proinde nullam caudam habere. Ad illam de caudato Cometa dictam ſententiam comprobandam annon illa Epigenis apud Libavium tract. probl. de Comet. nat. p. 44. & Apiani apud Keckerman. Syſt. Phyſ. cap. de Cometis, cum Cardani apud Scalig. exerc. 79. poſita, nec non ipſius Scaligeri ibidem expreſſa aliquid faciat, velim mihi indices. Sum enim ſemper aliquid diſcere paratus, imò perquam cupidus, nempe quia aurei illius Pythagorici præcepti memor

Πρῆσσε δὲ μηδὲν τῶν μὴ ἐπίσασαι, ἀλλὰ διδάσκευ
Ὅσσα χρέων ϗ τερπνότατον βίον ὧδε διάξεις

Nihil illorum age quæ ignoras, ſed diſce
Quæcunque opus eſt, atque ita jucundiſſimam vitam tranſiges:

Signa & ſidera quæ percurrit Cometes.

Sed & ad reliqua quid dicturus ſis, ſcire aveo. Effecta Cometarum inveſtigare & prædicere Aſtrologorum eſt, præſertim ubi certa & determinata effecta Cometarum huic vel illi loco pro ſignorum cæleſtium diſpoſitione aſſignantur. Video nonnullos ex dodecatemorio Tauri & Arietis cornupetarum (ut & ſideribus Hydræ Aquaticæ, Navis, Orionis pugnacis, Eridani & Ceti) bellum, idque navale; alios verò ex dodecatemorio Libræ, cui veteres Aſtrologi Religionem & Juſtitiam ſubjecerint, bellum ſacrum præſagire. Quæ mihi, qui quidem cæleſtia hæc ſigna non contemno, nec tamen metuo, ſed ut invitamenta incitamentaque pœnitentiæ & juſtitiæ divinæ, bona probis, mala improbis præmonſtrantis documenta duco, magis ingenioſa quàm ſolida videntur. Tanto magis cum nondum viderim quid ex aliis dodecatemoriis ſigniſque cæleſtibus, quæ Cometes vel tranſierit vel attigerit (ubi & Virgo & Lepus in cenſum veniunt, ita ut eadem præſagiorum viâ ad effœminatos viros & galeatos Lepores, quos militia prorſus rejicit, deveniendum foret) iidem illi ingenioſiſſimè curioſi præſagiverint. Motus porrò, ſitus & ipſa Cometæ exiſtentia diverſos motus ingeniorum & ſitus ut ſic dicam, judiciorum inter eruditos effecit. Nam non ſine varietate inter Auſtrum & Boream motu vel rectilineo vel epicyclico vel circulari vel vago diſcurrunt, & modò hìc, modò illìc poſitum Cometam intuentur & obſervatum prædicant, niſi diverſæ elevationi poli, vel etiam errori calami talia ſint tribuenda. Varietas illa in apertam erupit controverſiam, ita nempe ut multi ſtatuant & aſſerant unum eundemque fuiſſe Cometam, nobis diverſis temporibus & locis, primum quidem ante ortum Solis in Corvo ad Auſtrum, dehinc autem poſt occaſum Solis in Lepore ad Aquilonem tendentem conſpectum. Alii è contrario duos diſtinctos fuiſſe viſos contendunt. Inter priores illos, quos vidi, agmen ducit Clariſſimus Hevelius, cujus accuratiſſimis obſervationibus R. D. P. Albertus Curtzius, S. J. Neoburgi Palatinorum degens Philoſophus præclarus, plus quàm ſuis ſpeculationibus rationibuſque in contrarium antehac euntibus, & eorum, qui ſe duos diſtinctos unâ eademque nocte vidiſſe Cometas referunt, narrationi fidit. Sed & Clariſſimi Viri & Aſtronomi eximii Iſmaël Bullialdus & Eraſmius Bartholinus, tùm verò & in hac urbe agentes Viri doctrinâ inſignes Joannes Alberti Huſvedelius M. D. ac primarius Inclytæ hujus Civitatis Phyſicus Ordinarius, & Joannes Müllerus Mathematices in Gymnaſio hocce Profeſſor. Quibus & Tu Vir Clariſſimus accedere mihi videris. Velim tamen mentem tuam plenius & planius mihi exponas. Diverſas partes ſequitur hìc Clariſſimus Michaël Kirſtenius M. D. tùm & Adamus Olearius Sereniſſimi Ducis Holſatiæ Bibliothecarius, utriuſque illius globi ad miraculum uſque magni, quo Gottorpium gloriatur, inventor, quicum eâ de re nuper ſermones ſociavi. Habet autem & hæc ſententia ſuas

Cometam unum an geminum hyeme 1664. & 1665. viderimus.

Curtzius Hevelio de uno Cometa aſſentit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

rationes, quas ego in medio nunc relinquo, nititur, & variis narrationibus eorum, qui duos diſtinctos Cometas, alterum mane, alterum veſperi vidiſſe ſe affirmant, de quibus & ego ex Germania & Suecia per literas nonnihil accepi: tùm denique judiciis eorum, qui duos fuiſſe Cometas affirmant, quos in Germania & Hybernia dari cognovi. Velim itaque mihi mentem Tuam ſuper his omnibus aperias, omnia viciſſim facturo quæcunque Tibi grata, mihi verò poſſibilia factu fuerint. Vale, & me conſtanti benevolentiæ affectu complecti perge.

Franequerâ Hamburgum die 11. *Martii St. V.* 1665.

TUo in conquirendis cæli obſervationibus deſiderio deeſſe non volui. Ideo breviter & ſuccinctè prioribus hæc, quæ in adjuncta chartula deſcripta, addidi. Judicium de hoc & omnibus aliis Cometis etiam meum facilè intelliges in adjuncta diſputatione de Cometis. Præcipuum hîc fuit, quod contemplantium ingenia torquere potuit, nempè curſus ejus in præcedentia ſignorum, & celeri ſatis fuga. Non dubito quin fuerit unicus Cometa, quum non ſemel deprehendi ejus curſum dietim ultrà 9. gradus eſſe acceleratum, & in eadem rectiore linea certis ſui itineris terminis, quemadmodum ex obſervationibus ſatis videre eſt. Nec deſunt exempla Cometarum tàm enormis viæ, quæ hîc fermè ſemicirculi intercapedinem explevit. Notavi quoque ea in dicta diſputatione. Cæterùm velle hîc fingere, quòd Cometæ in noſtro aëre & è procellis oriantur, Philoſophia, multò minus Mathematica patitur, propter rationes in diſputatione expreſſas. Eodem ſpectare putem, quod de caudis memoratur. Prædictiones Aſtrologicas formare è ſignorum Aſtrorumque cæleſtium denominationibus &c. (ſi verè & ſincerè hîc loqui debeam) nullum putem habere fundamentum. Quum dicta cæli & ſigna & ſidera, nomina & aſteriſmos ſortita ſint è variorum hominum arbitrio & fabulis, imò multæ gentes, ut præcipuè hodierni Arabes & Turcæ, longè alia cælo animalia & homines intulerunt: Monui aliquid in diſputatione. Præterea, ut hoc quoque obiter ingeram, viſum mihi jam ante 5. imò 6. hebdomadas eſt aliud in cælo phœnomenon ad cingulum Andromedæ Septentrionalius, ſimilitudine eadem cum ultimo Cometa: quod eò magis deprehendere potui, quòd eodem tempore & illud & dictum Cometam non ſemel viderim. Et heri adhuc mihi, dum hæc ſcribo, viſum eſt. Primò apparuit ſub obſcuro aliquo punctulo, deinde ejus ſpecies paulùm crevit. Mihi per tubum opticum ſpectanti notabile ſatis apparuit. Spatium vix mutaſſe ad ſenſum, aut non ità multùm dico, duobus, aut $2\frac{1}{2}$ gradibus à proxima ſtella abeſſe deprehenſum eſt. Datâ occaſione latiùs. Interim Vale plurimùm & feliciter vive, meque ob bonas artes ama.

Phænomenon in Andromeda Gravio obſervatum.

Hamburgo Franequeram die 21. 31. *Martii* 1665.

QUanto cognoſcendarum nuperi Cometæ obſervationum à Viris talium peritis factarum flagrem deſiderio, ex ſuperioribus meis cognoviſti. Poſteriores meæ ante quatriduum ſcriptæ indicabunt, quantùm illud auxerint graviſſima Amicorum, ut omnimodâ eruditione, ita & ſiderum ſcientiâ excultiſſimorum monita, ad illa quæ undique de Cometa collegi, publici juris facienda exſtimulantia. Audi quid iterum Amicus ille meus Ratiſbonenſis, Vir uti Illuſtriſſimus, ita & literatus, Dominus Rautenſteinius ad me ſcribat die 23. Martii: *Epiſtola Generoſitatis Veſtræ ad Profeſſorem illum Regiomontanum mihi perplacet. Ut autem opus Tuum de Cometa quamprimùm in lucem mittas, etiam atque etiam rogo.* Confert autem ille plurima ad corpus hoc formandum non tantùm aliena,

Rautenſteinius laudatur & Auctorem ad edenda de Cometis collecta hortatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

aliena, ſed & ſua, illa Mathematica, hæc Politica, & cumprimis Ethica. Atque hæc in meo opere, volente & favente Deo, ſingulariter ſe commendare ſtudent nativo candore & ſtudio publicæ utilitatis. Spero tamen, auxiliante eodem illo Clementiſſimo Patre luminum, Mathematica quoque & Phyſica, quæ à tot Viris, doctrinâ & ſingulari cæleſtium rerum cognitione Clariſſimis accepi (inter quæ uſque adhuc Tua micant velut inter ignes Luna minores) egregiam laudem Vobis talia conferentibus allatura, quæ mihi tanquam collectori & pario, ſufficiet minima. De diſputationis Tuæ nuper admodum magnâ cum laude Tuâ (quâ de re particularia quædam Generoſus Morſtinus, nexu & affectu fraterno mihi conjunctiſſimus, ad me perſcripſit) habitæ exemplo, ingentes Tibi ago gratias. In ſingularis Tuæ humanitatis & benevolentiæ erga me id duco documentum, præſertim cum nullo officii genere de Te ſim benè meritus. Quod etiam, ut & ipſas hominis in exſulio ob conſcientiam Dei viventis conditio, magnum tantæ Tuæ in me benevolentiæ addit momentum. Nec enim temerè Græcus olim Poëta dixit, id quod frequenter exſulum ſortem exacerbat, & non tantùm debitam proximo caritatem, ſed & ipſam æquitatem humanitatemque violat, vitii notans infamiâ

Graviana obſervationes primæ Auctori in manus venerunt.

Exſulium cur toleret auctor.

Οὐδείς τοι φεύγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος·
Τῆς δὲ φυγῆς ἐστὶν τοῦτ᾽ ἀνιηρότερον. Theogn.

Nemo profectò exſuli amicus & fidelis ſodalis eſt.
Exſilio autem eſt hoc acerbius.

Veneror in hac Tua diſputatione, quam jam percurri è veſtigio (hodie namque illam cum Tuis & Morſtinianis accepi) eximiam diligentiam & eruditam curam Tuam, quam, teſte Catullo & experientiâ quotidianâ, *Victoria* amat. Ego tamen poteſtatem judicii de talibus ferendi, mihi non ſumo, quod magnæ eſſet arrogantiæ. Fateor autem mihi placere iſthæc, quæ à tàm docta & amica manu profecta ſunt: etſi, ut idem ille Græcus ait:

Ὅττι καλὸν, φίλον ἐστί. Τὸ δ᾽ οὐ καλὸν, οὐ φίλον ἐστί.

Quod pulchrum, amicum eſt. Quod verò non pulchrum, non amicum eſt.

Ampliſſimus Dominus Guerichius, quod de induſtria ab eo poſtulavi, ſuam ſententiam confirmare porrò nitetur. Nuper mihi miſit quædam pro ſtabiliendo dogmate, de *Vacuo ſpatio.*

In refellendis Aſtrologicis prædictionibus me graviſſimâ Tuâ auctoritate juvari, vehementer mihi gratulor. Id enim & publicæ rei intereſſe credo, ne ſcilicet homines fati cujuſdam Stoici vel Aſtrologici neceſſitate, & inſuperabili Cometarum & ſiderum vi, ad hæc vel illa perpetranda, quæ temeraria audacia ab illo fraudum mille artifice, humanæ ſalutis hoſte irreconciliabili, illecta & pellecta, aggredi ſuſtinet, ſe putent ferri & agi, manifeſto & privatæ illorum ipſorum prudentiæ, induſtriæ & felicitatis & publicæ quietis diſcrimine. Fateor autem totum in eo me eſſe, ut quotidie quæ vera & ſalutaria, præſertim ad formandos mores & cuſtodiendum probitatis pudorem facientia, addiſcam, & Solonis aliorumque Sapientum veſtigia legens, à maturæ ætatis metâ ſexto ſeptenario ab eodem illo Solone definitâ ad ſenectutem tendere incipiam. Icircò non poſſum non magnas Tibi agere gratias, quòd me docueris adhùc, ingenuè fateor, ignoratum mihi, longè alias animalium & hominum figuras à multis gentibus, præcipuè ab hodiernis Arabibus & Turcis, in cælo poſitas eſſe. Hoc enim ſententiam meam fortiter confirmat, non poſſe ſcilicet ſigna illa cæleſtia ullam in hominem excelſâ ratione, incomparabili libertate, ſubtiliſſimo ingenio, ſolido judicio, & ad divinæ poteſtatis accedente in res creatas imperio præditum, exercere dominium. Meritò quidem, cum illa ipſe homo, faciliorem docendi methodum quærens, fecerit & cælo intulerit. Novum in cælo ſidus nuper viſum eſſe, ſine idoneo auctore accepi. Nunc me Tua fide dicere

Aſtrologicas prædictiones Auctor cum Gravio rejicit.

Auctoris ſtudia, ætas, gratus animus in amicos officioſos.

Signa in cælo alia Arabibus & Turcis quàm Europæis.

dicere id poſſe, Teque etiam aſſenſu Tuo ſententiam de uno Cometa confirmare, multùm gaudeo. Vale Vir Doctiſſime & Humaniſſime, & mihi, quod facis, favere perge.

Hamburgo Franequeram die 7. Aprilis Gregoriani 1665.

ETſi nuper binas ad Te dederim literas, ad quas reſponſum exſpecto, quod mihi tua ſingularis pollicetur humanitas: tamen nunc quoque Te compellare debui. Promiſeram enim Tibi, nuper miſſurum me ad Te fuiſſe Tuarum Obſervationem cum noſtris collationem, ut ſcilicet me plenius de Tua ſententia informares. Id jam præſto, de Tua ſicut æquitate & benevolentia optimè perſuaſus. Contulit hæc cum ſuis egregius quidam Philoſophiæ cultor, cui Tua eruditio & induſtria plurimum placet, quique etiam à Te inſtrui magnoperè cupit, præſertim de illa obſervatione Hagienſi die 17. Decembris, in qua haud leve diſcrimen cernitur, dum ejus altitudo meridiana ferè 18. gr. ponitur; tum in obſervatione die 20. Decembris, in qua Cometa collatur ad podicem vel caudam Leporis, cum nobis hîc viſus ſit non longe ab oculo ejuſdem. Promiſit autem mihi amcius ille ſe & reliquas Obſervationes Tuas cum ſuis collaturum, nec te hoc ægre laturum ſpero, quòd velut ad fontem ſcientiæ rei Mathematicæ (docet id nupera diſputatio doctiſſima) recurramus. Nempe enim, ut ille ait;

Dulcius (Tutius) *ex ipſo fonte bibuntur aquæ.*

Hoc tamen meritò addo, antequam ulterius in Te conſulendo pergam, Amicum illum meum fateri, poſſe reliquum diſcriminis excuſari, tùm per minorem apud eos elevationem polarem, tum per ſitum Occidentaliorem, tùm etiam per majorem in locis maritimis luminarium refractionem, ut & plus ſe fidere Tuis obſervationibus, in quibus idonea & accurata inſtrumenta adhibueris, quibus ipſe careat. Ideo plus fidei Tychoni vel Cyſato, idoneis inſtrumentis prædito, quàm Prætorio vel Keplero, quamvis celeberrimus Mathematicis, ſed talium inſtrumentorum defectu laborantibus, hîc tribui & tribuendum eſſe, me melius noſti. Cum igitur Tu, Vir Clariſſime, & ſingulari rerum cæleſtium peritiâ & præſtantibus inſtrumentis inſtructus ſis, ſicut ego, ita & ille

Inſtrumentorum magnus in Aſtronomia uſus.

Cur neſcire, pudens pravè, quàm diſcere malit?

Diſcendum eſt quotidie, etiam ſeni, Solonis exemplo. Nulla ætas ad perdiſcendum ſera eſt, judice Lipſo & ratione: Inde bellum illud Iſocratis dictum: ἐὰν ᾖς φιλομαθής, ἔσῃ πολυμαθής. Atque hæc etiam me movent, ut Tuum, Vir Doctiſſime, conſilium, diſcendi avidus, in aliis exquiram. Sententiam meam de effectis Cometarum jam ex ſuperioribus cognoviſti. Efficaciam non tribuo aſtris & Cometis, cum illis qui talia non ſolùm mirantur, quod Viro prudenti & cauto convenit, ſed &, ut plura alia abſtruſa curioſè rimantur. Hi enim ex configuratione ac ſitu ac colore ſtellarum vel Cometarum apparentium neſcio quæ vaticinia educunt, & quandoque ſigna cæleſtia & ipſi metuunt, & ut alii metuant efficiunt. Adeoque hìc pro libertate humani ingenii, quid? pro ipſa divina juſtitia, ſapientia, bonitate ſto immotus & immobilis. Multa citra ullam Cometarum phaſin mala obveniſſe variis Rebuſpublicis & earum Rectoribus; multa item bona poſt eadem iiſdem obtigiſſe, multis exemplis fultus aſſero. Annon tamen experientia comprobârit Cometam illis, quorum ſupra verticem fulſerit, ſingulariter aliqua mala vel etiam bona indicaſſe? tùm an & quantùm tribuendum ſit, dum Cometa in hanc vel illam mundi plagam motu proprio tendit, vel hùc potius quàm illuc comam explicet, vel barbam caudamve flectat? velim me certiorem reddas. Quamvis autem hîc conſultorem agam

Dubia Gravio ab Auctore propoſita.

agam, in eo tamen inculpatam divinam juſtitiam homini tanquam animali rationali, libertatem voluntatis, ut formam diæreticam à brutis eum diſtinguentem conceſſiſſe, & hanc illum retinere, atque ſic cauſam ſibi mali eſſe, conſulto non eſt opus mihi. O utinam omnes ad ſobrietatem ſapiamus, omnibus vel ſubtiliſſimis inventionibus & acutiſſimis contentionibus illam quæ ſecundum pietatem eſt doctrinam præferentes! At nonne vel Seneca nos hîc coarguet, qui plus ſcire velle quam opus ſit, intemperantiam quandam vocans, & multos literis addictos ideò non diſcere neceſſaria, quia ſupervacua didicerint, judicans, ad ultimum exclamat? *Magno impendio temporum, magnâ alienarum aurium moleſtiâ, laudatio hæc conſtat: O hominem litteratum! ſimus hoc titulo ruſticiore contenti: O virum bonum!* ep. 88. Sed ſi Seneca declamatorio ſtilo topicos pulſans loculos perſonam ſuam agit, ut Kelperus l. de Cometis judicat: vetus Poëta Græcus Æſchylus idem dicit.

Senecam Kepplerus arrogantiæ inſimulat.

Ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πόλλ' εἰδὼς, σοφός.

Ipſa experientia quoque docet, multos in re literaria ſimiles eſſe illis qui plura fercula appetunt & ſine diſcrimine nullo, cum maximo tamen ſalutis diſpendio, & vitæ diſcrimine, ingerunt quàm digerere poſſunt. Concludo verbis Plutarchi, non minus doctiſſimi quàm optimi veræ ſapientiæ Magiſtri: *Quem Philoſophia ad virtutum perducit, is homo redditur ſibi ipſi continens, nunquam ſeipſum culpans, paceque ſecum & amore perpetuo fruens, non rationi refragans animi motus, non cogitationi contraria cogitatio, non tanquam in confinio concupiſcentiæ & pœnitentiæ aſperum ac tumultuoſum gaudium; ſed pacata omnia ac amica, ac plurimorum bonorum fertilia efficientiaque ut ſe ipſo quis gaudeat.* l. 2. Moral. cum præcipuis Viris Philoſopho eſſe diſputandum. Vale Vir Doctiſſime & Humaniſſime, candori meo cuncta publice utilia, face illa Cometica in cælo lucente, ubique monſtranti, æquus excuſa, paria retribue, & quod facis, favere mihi porrò ne deſine.

Franequerâ Hamburgum die $\frac{3}{13}$ Aprilis 1665.

NOn eſt quod diffidas de meis ad Te tranſmittendis, quæ inter multiplices aliarum rerum labores cura circà obſervationes cælitum expreſſerit. Petiiſti in prioribus tuis nitidius ac curatius deſcripta Cometæ nuper viſi phœnomena tranſmitti. Libenter ideò, quæ deſideras, præſtabo, quod jam ante ea communicaverim. Delineatio mihi aliquantum differenda eſt, tum propter undequaque aſſilientia ſtudiorum negotia, tum quoque, quòd adhuc vel ſingulis noctibus occupor obſervando novo Cometa, cujus magnitudo & capitis candidi & barbæ longioris multis excedit priorem. Primùm nobis hic viſus eſt 16. Martii die V. St. proceſſit è Pegaſo verſùs caput Andromedæ paulùm eo inferior, & jam cingulum ejus prætergreſſus eſt. Non tàm citò incedit quàm prior. Aſcendit ſuprà Horizontem matutino tempore inter primam & ſecundam. Certè rarum eſt ſidus. Copioſius aliàs de ſingulis perſcribam. Quod attinet ad collationem mearum Obſervationum cum Hamburgenſibus: eam in quibuſdam & pleriſque non leve diſcrimen importare deprehendo. Penes quem ſit error aut debeat eſſe facilè æſtimabit, qui è me didicerit, meas obſervationes majori Sextante, cujus radius ſeptem ferè pedum eſt, & in cujus ambitu minuta ſingula & minores diviſiones notatæ ſunt, eſſe peractas. Eidem uſui inſervit grandior circulus, cujus diameter eſt 6. pedum, cujuſque circumferentia etiam habet ſingula minuta ſibi inſcripta. Vix ſic ſenſibiliter falli potuimus; præcipuè ex diſtantiis & altitudinibus Meridianis ex ipſo cælo captis & Azimuthis notatis. Et eò certior res fuit, quò deinde cætera per computum melius adinveniri potuerint. * Video Hamburgenſes Obſervationes è globis eſſe expreſſas.

Gravius Auctori de puriori Obſervationum ſuarum exemplo gratificatur.

Cometa novus vernus 1665.

Gravius ſuas obſervationes Hamburgenſibus certiores eſſe diſputat, & ſua inſtrumenta deſcribit.

** Obſervationes è globis factæ non poſſunt eſſe certæ.*

expreſſas. Sed exinde minuta captari non poſſunt, niſi in Circulis eorum majoribus etiam minuta ſint diſtincta. Magnitudinem globorum ſi obtendat quiſpiam, etiam ego ea certare poſſum, quippe diameter utriuſque, qui penes me, $3\frac{1}{2}$ pedibus Regiis non eſt minor. Hagenſis Cometæ Obſervatio (quæ mirè Hiſtorica mihi fuit, cum & alterius generis tunc temporis obſervationes minus mihi probatas acceperim & tibi tranſmittere noluerim) non multùm abludere potuit, cum ferè rectiore linea ab imo pedamento Crateris in tergo Hydræ, ſed paulò elevatior ad collum Leporis procurrerit. Sed ſciendum, quod tunc non exactè clarum fuerit cælum, & potuit Obſervator Hagenſis imperitior aliis fuiſſe. Miror quod podex Leporis à ſchedis conturbatis & inſcriptione ſubitò tunc peragenda tuis literis à me miſſis irrepſerit, utcunque aliter diſces è diſputatione mea, & clariſſimè ex obſervationibus plenioribus, quas & publico diſcurſu in multorum hominum panegyri recitavi, & tibi proxima ſeptimana ſum tranſmiſſurus, delineatione tantiſper ſervatâ, donec præſentis Cometæ obſervatio nobis ſingulis delineandis ſimul cum præſente otium permiſerit, cujus ſpem jam ante & multis noſtræ Friſiæ Magnatibus illarum novitatum cupidis feceram. Circa altitudines Merid. præſtat (quod unicum ferè hìc obtinere debet) ipſa obſervatio è cælo per grandius Inſtrumentum captata, & cum aliqualis obſervatio redigatur ad globi menſuras, certè fallet, propter Horizontales vaporum elevationes, præſtat, inquam, in ipſum cælum per haſce ſcalas aſcendere. Quod autem excuſetur rerum obſervatarum differentia per diverſas poli elevationes, locum habere poteſt tantum in quibuſdam. Refractio major atque major ſæpè aliquid diſcriminis injicit, ſicut & poli elevatio tantum quoad altitudines Meridianas, non quoad diſtantias, quæ eadem & hìc & Hamburgi eſſe debet propter ſiderum altitudines & diſtantias à nobis enormes. Exigua ſitus Occidentalioris variatio in terra nec ſic pertinet ad rem, neque proportionem variandi diſtantias ſtellarum vel Obſervationes inferre poteſt. Si liceret, hìc etiam demonſtrare Geometricè, quæ dico, poſſem. De præſagiis Cometarum, quoad ea quæ quæris, proximâ, ut promiſi ſupra, vice perſcribam. In univerſum dico: Multa in iis eſſe vana, infirmiſque fundamentis inniti. Verticalis ſitus tùm in Horoſcopo tùm ad Meridianum inſanis cogitationibus ſæpè apud Aſtrologaſtros ſtabilitur & aſſeritur, quaſi decretorium ictum ſemper illaturus. Exinde tanquam à judicibus ſæpè alicui regno aut Reipublicæ pronunciatur & infligitur pœna prius quàm Deus voluerit, & incertius quàm præſciri debet. Sparſio caudarum &c. cum eſt varia à naturali ſitu telluris in ſua circà Solem orbita, & ſemper magis à Sole averſa refractione (explicuimus hæc in theſibus) radiorum Solarium eas cauſante: Et ea in tumultuario Cometarum motu & concuſſione à fluxibus materiæ cæleſtis facta ſæpè in iiſdem verticalibus locis variet, ratio certa etiam ex fundamentis Aſtrologicis capi non poterit. Alia res eſt in fixis. Dicam poſtea plenius quid ſentiam. Interea Vale.

Poli elevatio quaſdam obſervat. facit differentes.

P.S. Per communicationem mearum Obſervationum mihi impoſterum plura hac de re cogitaturo præcidetur materia.

Franquerâ Hamburgum die 18. *Maji* 1666.

INter haſce & noviſſimas multùm moræ interceſſiſſe agnoſco. Sed occuparunt me multiplicia variorum generum negotia tùm privata tùm publica. Non tamen obliviſcor quæ aliquando promiſi. En habes hìc primi Cometæ hujus anni brevem deſcriptionem & delineationem. Addidi quoque nitidius deſcriptum à meo Amanuenſi exemplar obſervationum ſuper eodem Cometa inſtitutarum. Ultimi Cometes breviori tempore nobis viſi deſcriptionem nondum dare poſſum; cum primùm conſtitui publicè de eo diſcurſum habere, tunc ſtatim & in tabula delineatum & obſervationibus exactioribus inſignitum ſum mittam. Item

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura prior obſervat. Cometicar. Franequeræ factar. ad Communicat. Cl. Viri D. Abrah. de Gr

Fig. B.



rah. de Grau &c. pertinens. N.° 38.



B. Stopendael s. sculp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Item Aſtrologicum de Cometis judicium meum. Condonari velim & corrigi
quæ errata Diſputationis noſtræ textui & theſeωn numeris irrepſiſſe viſa ſunt.
Poſtea plenius. Vale plurimùm & diu in publicum vive.

P. S. Delineationi primi Cometes facile imagines adſcribi poſſunt, ut & alii
circuli: quod fieri ego hîc brevitatis ergo ſupervacuum duxi.

Obſervationes Cometæ Anno 1664 & 1665.
Franequeræ habitæ.

COmetes hîc primùm viſus eſt *quarto Decembris* die anni lapſi 1664. inter 4. Dec. S. V.
horam tertiam & quartam πρωΐας ſolem præcurrens cum longa barba & la-
ta, cujus color ob horizontis vapores deſcerni vix poterat. Caput Cometæ
clarum & prægrande Sirio æmulum fuit, niſi fortè majus alibi quibuſdam affir-
mantibus, ut ad me quoque Hamburgo ſcriptum eſt, non abſimile ſidus fuiſſe
quale annus hujus ſeculi 18. tulit. Sed ſic tantum in primordio circà Corvi
roſtrum in dorſo Hydræ oberravit, primum in rectam lineam cum extrema
roſtri incidens, à quà diſtare videbatur 30. fermè minutis verſùs ſeptentrionem,
& habere Azymuth præter propter 50. gr. Ab Auſtro verſùs Orientem Æqui-
noctialem cum longitudene Libræ propè 6. gr. 22. tantum ſic ſpectare licuit, non
juxtà artis ſideralis documenta & neceſſitates obſervare. Poſtea ſeptem dierum
nubilo ſe condidit hoc ſidus, quaſi tunc tantum ſemel videri voluerit, nec om-
nium mortalium animos ſimul occupare, ſed tantùm infrà ſe poſitus atque ver-
ticem premere. Interea feſtinans ad iter decurrendum poſt hebdomadæ ſpa-
tium pervenit ad Craterem, ſub quo in tergo Hydræ 11. *ejuſdem menſis* con- 11. Dec.
ſpectum eſt inter nebulas notabili capite barbam præferens, ſed nubibus confu-
ſam, alias ſatis prolixam, diſtans ab Orientaliori & primo ſidere ad dicti Cra-
teris pedamentum vix unius gradus ſpatio.

Poſtea iterum & quaſi alternis vicibus lucem cum tenebris commutare ſtatuens,
fere æquali tempore in conſpectum rediit, cæpitque videri clariſſimè lucens in-
ter 16 & 17 *Decembris* ſtatim poſt noctis medium in velo Navis Argo, ali- 16 & 17. Dec.
quot gradibus ſuprà quartum & ultimum in malo ejus, hora ſecunda proxi-
ma in ipſo meridie apparens barbam ſurſum erexit. Novellarum author ipſi è
communi errore 25. gr. barbam fecerat. Sed ſciendum, quòd hactenus exactè
rimari omnia non licuit.

Porrò non ſtetit his Cometes, ſed audentioribus progreſſus ſpatiis iterum in-
ter nebulas atque illis quaſi alto barathro ſe abſcondens prætervectuſque Sirium,
tandem pervenit ad Leporis collum, ubi *vigeſimo Decembris* ad medium unde- 20. Dec.
cimæ veſpertinæ cum eſſet in meridiano, obſervatus eſt nulla barba. Crinituſ- *Cometa in*
ne fuerit an lunæ propioris lumine obſcurata cauda, diverſe judicant artifices: in- *Lepore an ha-*
cidebat in rectam lineam cum ea, quæ eſt in lumbis leporis, & ea quæ eſt ad *buerit cau-*
dextram ejus auriculam Borealiorem, diſtabatque ab ea, quæ eſt in collario *dam.*
canis, ſive ſupra genu ſiniſtrum ejus pedis prioris 20. grad. 26′. ferme.

Sequenti die nubila cælos inſederunt, omnemque ſiderum conſpectum aver- 21. Dec.
terunt. Interea noſter præpeti curſu fugam accelerabat, donec *vigeſimo ſecundo* 22. Dec.
Decembris flexo verſus ſeptentrionem itinere pervenerit ad nonam in primo Eri-
dani fluxu ſtellam, quam trium horarum ſpatio etiam nobis videntibus vel in-
tegra propè gradu præterlabebatur.

Primum tunc apparuit horâ circiter ſexta veſpertina, cum jam ortus eſſet in- *Cometa hye-*
ter tertiam & quartam pomeridianam, & in Meridiano ad quadrantem poſt *malis ex ma-*
nonam altitudinem tenens ſummam 32°. 5′. Diſtabat à Rigel Orionis 15°. 33′, *tutino veſper-*
quadrante ante decimam, azymuth habebat 82. gr. Ab Auſtro verſus ſubſola- *tinus factus.*
num, longitudinem 58° 36. à principio Arietis latitud. Auſtr. 25° 16. Declina-
tionem 4° 43′. Sub Altitud. poli 53° 12′. conſtituebat triangulum obtuſangulum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

cum oculo Tauri & Pleadum Orientaliſſima obtuſangulum Tauri oculo faciente, cuſpidemque pendulam Cometa.

23. Dec. *Die* 23. ejuſdem menſis jam properis gradibus aſcendiſſe viſus eſt, & in rectiori via cum altitudine Meridiana ad horam octavam cum 26. graduum 33. 16. diſtans ab oculo Tauri 23° 27′. cum Azymutho gr. 87. 5′ proximè ab Auſtro verſùs ortum, longitudinem habens 15° Tauri. Latitud. 19° 5′. Auſtr. Declinationem Auſtralem, 1° 52′. Conſtituebat triangulum penè æquicrurum cum oculo Tauri & Rigel à Cometa ad dictas ſtellas, ductis lateribus ferè æqualibus.

24. Dec. *Die* 24. *Decembris* lapſo die minus feſtinans Cometes ad horam octavam Altitudinem habuit Meridianam 35° 39′. Azymuth 89° 36. ab Auſtro verſùs Ortum, diſtans à Plejadibus 23° 45′. à Rigel 29° 52′. à ſtella in Ceti mandibula 5°. 11′. cum longitudine 13° 48′. Tauri. Latitudine Auſtrali 16° 38′. & Declinatione Auſtr. 9′. circiter. Caudam trahebat latam ſatis longamque & flexam in ſubſolanum, utcunque demetienti novem ferè graduum. Primùm ſuprà horizontem enitebatur ad medium tertiæ pomeridianæ.

25. Dec. *Die vigeſimo quinto Decembris* tardiore inceſſu venerat hic noſter rectà in viciniam dicti ſideris in Ceti mandibula, à qua ut Occidentaliori tantùm uno gradu & 46. ad horam ſeptimam 48° cum altitudine Meridiana 38° 46′. diſtabat, habebatque Azymuth à Septentrione verſùs Ortum 86° 36. Longitudinem Tauri 10° 35′. latitudinem 13 gr. 38′. Auſtr. Declin. 1° 57′. Septentr. caudam latam & longiorem quàm ante, quàm flectebat verſùs plagam vulgò **Ooſt-noord-ooſt.**

Atque his diebus non fuit impeditus nubibus, ſed vicibus haud interruptis mortalibus ſe viſendum conſpicuè dedit, quaſi intentius admirantibus, quòd tantâ facie & tàm horrenda ſpecie ſeſe exhiberet novum hoc cæli portentum.

27. Dec. Sed poſtero die delituit uſque *ad vigeſimum ſeptimum* ejuſdem menſis, quo tempore caudam ferebat omnium maximâ longitudine, quaſi (ut judicat populus) mali majoris indicem. Extendebatur illa minori latitudine à Cometa uſque ad proximam ἐν τῇ λοφιῇ Tauri. Altitudo ejus Meridiana ad tertium quadrantem poſt horam ſextam deprehenſa fuit 40° 26. proximè. Diſtantia à ſtella in Ceti mandibula (qua jam occidentalior erat Cometes) 3° 15′. & à clariori in naribus ejus 2° 52′. Azymuth 83° 36. à Septentrione verſùs ortum. Longitudo inventa fuit 6° 41′. Tauri. Latitudo 10° 21′. Declinatio 3° 52′. Septentrionalis. Faciebat triangulum ferè rectangulum cum ea quæ in naribus, & ea quæ in mandibula Ceti angulum rectum conſtituente Cometa.

28. Dec. Proceſſit interea noſter ſed lentius, cum cauda aliquantum breviori rectèque extenſa ad ſtellas in oculo Tauri, videbatur proximè ſecuti diei dimidia ſeptima veſpertina cum altitudine maxima in meridie 41° 46. diſtans ab ea quæ in naribus Ceti eſt clara 3° 16. & ab ea quæ in fronte ejus, ad quam nondum pervenerat 3° 47′. Azymuth 82° 39′. à Septentrione verſùs ortum. Longit. 4° 38′. Tauri. Latitudo Auſtralis 8° 46. Declinatio 4° 52′. Septentrionalis faciebat triangulum rectangulum, cum ea quæ eſt in mandibula Ceti, & ea quæ eſt in naribus clara, ad quam & angulus rectus inveniebatur: hypotenuſa inter Cometam & claram naris item conſtituebat cum ea quæ eſt in fronte & ad oculum dextrum Ceti triangulum penè æquicrurum, datis æqualibus penè lateribus à Cometa ad dictas ſtellas.

29. Dec. Die 29. Decembris apparuit Cometes cum ſpecie caudæ paulò prolixiori, habuitque ad horam ſextam cum 20. minutis ferè altitudinem ſummam in circulo Meridiano 43° 16′. Diſtantiam ab ea quæ eſt in fronte Ceti 1° 32′. & ab ea quæ eſt in mandibula ejus 8° 7′. & ab ea quæ eſt proxima oculo dextro Ceti 3° 8′. Azymuth 79° 46. Longitudinem 3° 19′. Tauri latitud. Auſtralis. Declinationem Borealem 6° 28′. repræſentabat triangulum obtuſangulum cum dictis in mandibula & naribus Ceti. Lateribus propemodum æqualibus inter ſtellas illas & inter Cometen ac narium ſtellam; differentia tantum erat ferè 34′, qua latus inter

dictas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dictas ſtellas majus erat. Præterea erat triangulum obtuſangulum cum ſtella in fronte Ceti & ea quæ eſt ad oculum ejus dextrum & Cometa, breviſſimo exiſtente latere inter Cometen & eam quæ eſt in fronte, ſcilicet 1° 32′. faciebat quoque Cometes lineam ferè rectam cum ea quæ eſt in Ceti naribus, & ea quæ eſt in fronte ejus.

Die 30. Decembris apparuit mihi hoc ſidus caudam adhuc trahens non mi- 30. Dec.
norem quàm ante, ſed minus latam cum altitudine ad horam ſextam 15′. ferè, Meridiana 44° 33′. Diſtantia ab ea quæ eſt in fronte Ceti circiter 36′. & ab ea quæ eſt lucidior in dextro Arietis cornu 14° 1′. ſcilicet hora 7° 26. veſpertina. Azymuth 77° 46. à Septentrione verſus ortum. Longitudo 2° 22′. Tauri. Latitudo Auſtralis 5° 8′. Declinatio 7° 45′. Incidebat præterea in rectam lineam ductam ferè per medium trianguli præciſionis Tauri ad oculum ejus, & ferè exhibebat rectam cum clara in naribus Ceti & illuſtriori in cornu Arietis dextro.

Atque ita continuis noctibus ſe aliquandiu conſpiciendum præbuit hic noſter, à quo labore deinde parùm conquievit nubilis obtectus; ſed cum primo ſequentis anni 1665. auſpicio comparuit, tanquam onera ſua de anno in annum tranſ- Die 1. Januarii.
laturus, Cauda videbatur minor quàm præteritis vicibus: quadrante poſt ſextam fermè altitudo ejus meridiana fuit 44° 45′. Diſtantia ab ea quæ in capillamento ſive Juba Ceti 2° 32′. ab ea quæ in fronte 3° 6 Azymuth. Longitudo Arietis 1° 26′. Latitudo Auſtralis 3° 7′. Declinatio Borealis 8° 56′. faciebat cum ſtella quæ eſt in fronte Ceti, & ea quæ eſt in juba media triangulum ſcalenum, in quo diſtantia à Cometa ad eam quæ in juba ſive capillitio minor erat, quam ea quæ eſt inter Cometam, & eam quæ eſt in fronte ferè angulum rectum conſtituente Cometa.

Interea non ſtetit hic Cometa, ſed incedens paulatim ad ſequentis diei idem ferè tempus veſpertinum, id eſt, 2. *Januarii* cum eadem caudæ ſparſione per- 2. Januarii.
venit in viciniam ſtellæ dictæ in capillamento Ceti, viſúſque eſt horâ ſextâ veſpertina cum 10. ferè minutis altitudinem ſummam habere 46° 19′. diſtantiam à dicta in capillamento Ceti 2° 25′. & à dicta in fronte Ceti 4° 8′. Azymuth 74°. à Septentrione verſus Orientem. Longitudo 0° 25′. Tauri. Latitudo 2° 16. Auſtralis. Declinatio 9° 31′. Septentrionalis.

Proximè ſecuto die caudam ferebat exiliori ſparſione caputque ſolito minus. 3. Januar.
Altitudo ejus Meridiana ad horam ſextam & octavam erat 46° 36′. diſtantia ab ea quæ eſt in fronte 5° 12′. & ab ea quæ in capillamento Ceti 2° 38′. à clariori in dextro Arietis cornu 10° 18′. Azymuth 73° 36. à Septentrione verſus ſubſolanum. Longitudo Arietis 29° 37′. Latitudo Auſtralis 1° 43′. Declinatio Septentrionalis 9° 48′. exhibebat triangulum Scalenum & obtuſangulum cum dicta in Capillitio Ceti, & cum dicta in ejus fronte, angulo obtuſo conſtituto ad eam quæ eſt in capillamento.

Ad diem ejuſdem menſis *quartum* cum minori facie & caudæ ejaculatione 4 Jan.
graciliori comparuit noſter ad horam 6. & 5′. fermè. Altitudinem maximam habuit 47° 24. Diſtantia à dicta in Capillitio Ceti 3° 34′. & ab ea quæ in dextro Arietis cornu eſt 9° 18′. Azymuth 72° à Septentrione verſus ſubſolanum. Longitudo 29° 16. Arietis. Latitudo Auſtralis 0° 48′. Declinationis Septentrionalis 10° 36′. Exhibebat triangulum obtuſangulum & ferè æquicrurum cum dictis in fronte & Capillitio Ceti, æqualibus proximè lateribus & inter dictas ſtellas & inter dictam in Capillitio & Cometam. Proximo poſt hunc die lentiori gradu Die 5. Jan.
progreſſus eſt, tranſiitque ſigniferum cum cauda exili & tenui. Obſervata eſt ad horam ſextam & propemodum 3′. altitudo meridiana 47° 56′. Diſtantia à dicta in Ceti capillamento 4° 36. & ab ea quæ in dextro Arietis cornu clara 8° 16′. Azymuth 71° 26. à borea verſus ſubſolanum. Longitudo 28° 31′. proximè. Latitudo Septentrionalis 0° 15′. Declinatio Septentrionalis 11° 8′. repræſentavit triangulum Scalenum obtuſangulum cum dicta in Capillitio Ceti, & ea quæ in fronte ejus dato latere inter Cometam & dictam in capillitio ſive juba paulo longiori,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

& quod interjacebat inter dictas ſtellas reliqua ut hypotenuſa : ſimile triangulum fecit cum clarioribus in dextro & ſiniſtro Arietis cornu, majori poſito latere inter Cometam & dictam in dextro cornu & hypotenuſa inter Cometam & alteram in cornu ſiniſtro.

6. Jan. Poſtea haud intermiſſo paſſu ſed lentiori, ad conſpectum *die Januarii ſexto* pervenerat, ut obſervatum eſt à nobis horâ ſextâ veſpertinâ ad altitudinem maximam 48° 18'. & diſtantiam à clariori in dextro Arietis cornu 7° 52'. Azymuth 70° 56. proxim. à Septentrione verſùs Ortum. Longitudo 28° 3'. Arietis. Latitudo 0° 41'. Septentrionalis. Declinatio 11° 36. Borealis. Deſcribebat triangulum proxim. æquicrurum cum clariori in dextro Arietis cornu, & ea quæ eſt in piſcium nodo in rectam cum duabus in utroque Arietis cornu incidente lineam datâ diſtantiâ ad utrumque ſidus penè æquali.

7. Jan. Sequenti die propter intercurrentes ſubinde nebulas non amplius licuit obſervare quam ad horam 5° 54'. hujus Cometæ altitudinem meridianam 48° 56. & quod conſtituebat cum dictis ſtellis ferè æquicrurum triangulum.

8. Jan. Die Januarii octavo, viſus eſt Cometa exiliori paulum ſpecie & capitis & caudæ, habuitque altitudinem in Meridiano hora 5° 56. maximam gr. 49. 18'. diſt. à clara in dextro Arietis cornu 6° 34'. proxim. & à dicta in nodo piſcium 6° 6. Longitudo Arietis 26° 56'. Latitudo 2° 16'. Declinatio 12° 36. Septentrionalis. Azymuth 69° 36. à Septentrione verſùs Orientem & adhuc conſtituebat triangulum acutangulum, in quo latus Cometæ dicta in nodo piſcium minus eſt eo quod à Cometa ad clarum in dextro Arietis cornu ducitur 34'.

9. Jan. Poſtero die apparuit hoc ſidus eadem propemodum ſpecie, quâ ante. Ad horam quintam cum 47'. fermè altitudinem ejus Meridianam obſervavimus 49°. 59'. diſtantiam à dicta in cornu dextro Arietis 5° 48'. & à dicta in nodo piſcium 5° 32'. Longitudo Arietis 26° 52'. Latitudo Septentrionalis 3° 6. Azymuth 68°. 6. à Septentrione verſùs ortum. Declinationem 13° 11'. Septentrionalem in triangulo cum dictis ſtellis latus a Cometa ad eam in Nodo piſcium ductum minus erat altero latere, ab ea ad dictam in cornu Arietis ducto 16'. Incidebat præterea ferè in rectam lineam cum dicta in Nodo piſcium, & clara quæ in Pegaſi alæ exteriori parte hæret.

10. Jan. Die *Januarii decimo* apparuit hic Cometes ſpecie admodum exili capitis & acutiori caudæ atque breviori, cum Luna eſſet ipſi in propinquo, atque Venus non multum ultra duplo majorem diſtantiam, etiam crepuſculo adhuc exiſtente. Cauda erat in rectam lineam verſùs Plejadas extenſa. Maxima ejus altitudo ad quintam horam 46'. fermè erat 50° 24'. Erat diſtantia ejus à clara in dextro Arietis cornu 5° 26'. Longitudo Arietis 26° 52'. Latitudo Septentrionalis 3° 36'. Declinatio 13° 36'. Septentrionalis, Azymuth 67° 36. ferè à Septentrione verſùs ortum. Faciebat lineam adhuc rectiorem cum dictis in Nodo piſcium & Pegaſi ala, & linea recta ducta a clara in fronte Ceti per corpus Cometicum & protracta fermè bifariam ſecabat lineam rectam inter dictam in Nodo piſcium, & eam in dextro Arietis cornu. Item videbatur facere triangulum rectangulum cum dicta in Nodo piſcium & ea quæ in dextro Arietis cornu clara eſt, poſito angulo recto ad Cometen breviſſimo latere ad eam in dextro Arietis cornu.

11. Jan. Tandem Januarii 11. ſub exigua admodum forma tùm capitis tùm caudæ videbatur Cometa etiam ob dictas ſupra cauſas, & quod ad ulteriorem à centro verticis Solaris diſtantiam tendebat. Altitudo maxima à nobis obſervata fuit cum ſextante majori, ut continuò alias quoquè factum eſt ad horam veſpertinam quintam 46'. fermè ſcilicet 50° 56. diſtantia ejus à clara in dextro Arietis cornu 5° 2'. Azymuth 67° 6. à Septentrione verſùs ortum. Longitudo Arietis 26° 51'. Latitudo 3° 4' Septentrionalis. Declinatio erat Borealis 13° 55'. Faciebat hic Cometa adhuc rectiorem lineam cum dictis ſtellis in Nodo piſcium & extremitate alæ Pegaſi, & ductâ lineâ rectâ à Cometa ad claram in dextro

Arietis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Arietis cornu ſtringebat latus Orientale vicinæ & inferioris & obſcurioris ad dextrum Arietis cornu.

Cometa hyemalis quando diſparuiſſe viſus eſt,

Ab hoc tempore invidit mortalibus ſui conſpectum hic Cometes, in ſubſidium vocatis tùm Lunæ conſortio tùm & nebulis continuis, quibus ſe ceu velo obtexit, tanquam non amplius orbi terrarum ſe oſtenſurus, ſed ſua in aliud cælum fuga migraturus. At nec illud fieri hactenus licuit, cum poſt illius menſis compluſculos dies quaſi redivivus *vigeſimo octavo & paulò antè* iterum mihi ſit viſus, confecto interim aliquot graduum itinere. Minorem ac ne vix quidem exhibuit caudam, inciditque in rectam, ut apparebat lineam cum obſcuriore in dextro Arietis cornu (à qua prope 2°½ diſtabat) & clara in ſiniſtro ejus corniculo. Sequenti etiam die eadem penè formâ & ſede comparuit; quemadmodum & ſequenti ejuſdem menſis. Die 31. autem videbatur exiguum dictam lineam prætervectus; ſed interjectâ aliquot dierum caligine 3 & 4. Februarii item cum ſua caudula per vitrum mihi exhibitus eſt, vix notabiliter quicquam progreſſus.

Quando iterum rediit.
28. Jan.
29. Jan.
30. Jan.
31. Jan.
3. & 4. Febr.

Sequentibus diebus, ubi cælum permiſit, oculos meos niſi lente vitrea armatos adintrare potuit hos ſidus. Tunc deſtiti. Hæc igitur eſt rerum Obſervatarum brevis hiſtoria, quam de novi hujus phœnomeni apparitionibus contexere potuimus.

Hamburgo Franequeram die 9. Junii 1665.

EXimia profectò eſt Tua erga me benevolentia, quæ Te in complendis meis votis adeò facilem & induſtrium reddit. Generoſus Morſtinius Tuus meuſque aſſiduò Tuam humanitatem & amicitiam deprædicat. Verùm Tu utramque factis ipſis loqueris. Accepi rectè Tuas de Cometa hyemali obſervationes accuratas. Multum Tibi hîc debebunt rei Mathematicæ amantes, poſtquam hæc lucem viderint. Quod ut bono publico fiat ſedulam dabo operam, juvante Deo. Creſcunt enim in dies feliciter communicationes inter me & varios Viros doctos de hoc argumento inſtitutæ: unde utilitas in publicum non exigua, ut ſpero, redundabit. Egregia certè illa ſunt, quæ nobis inſignis Clariſſimi Hevelii rei Mathematicæ peritia & obſervationum ſingularis induſtria ſuppeditat. Ad hunc de phœnomeno illo à Te in Andromeda viſo jam ante retuleram occaſione obſervationis Romanæ, quam à Reverendo & Clariſſimo Viro Athanaſio Kirchero acceperam. Et ecce reſponſum Humaniſſimi Viri, quod jam jam accepi. Exſpecto ab eodem plura de hoc argumento. Sed & à Te obſervationes de verno Cometa factas, tum & judicium de Cometomantia, quæ etiamnum in animis hominum multum valet, non obſcuro & libertatis & induſtriæ humanæ, imò ſæpè & pacis publicæ detrimento. Signa ut iræ, ita & gratiæ divinæ Cometas eſſe, & ut talia omnibus terræ incolis bonis maliſque in cælo exhiberi, æquitati conveniens & certum eſſe judico. Signa verò naturalia vel cauſſas malorum, quæ in orbe geruntur, eſſe, ut credam induci non poſſum. Credo enim Deum & naturam ut nil fruſtra, ſic nil malè agere, & bonum finem ſemper intendere. Sed de his exſpecto judicium tuum. Vale Vir Clariſſimus mihique porrò fave.

Obſervationes Gravii de Cometa hyemali 1664. & 1665 Auctor accipit gratus.

Franequerâ Hamburgum die 12. Junii 1665.

QUod pluribus epiſtolis à me petiiſti, id jam præſtare paucis debui. Deſcribam hic tibi præcipua, quæ de Cometarum natura & experimentis ultimi hujus & proximè præcedentis vera eſſe putem. Non referam omnia quæ antiqui Philoſophi ſuper hoc negotio diſcurrere & inſanis ſuis cogitationibus incruſtare

Philoſophi antiqui de Cometis multa falſa prodiderunt.

Boëthii opinio de Cometis refutatur.

cruſtrare voluerunt, nec quæ amplius nupera diſputatione à me expreſſa ſunt; aut ulterius ſuo tempore deduci poterunt. Quidam ex illis nuda tantùm imagine Cometen effigiarunt. Sed illis obſtat. 1. tanta & tam conſtans, per multos dies & menſes aliquot duratio, qualis ut plurimùm in Cometis deprehenſa eſt. 2. Quod tunc deberent illi corporum illuminantium motum ſequi, ſcilicet ſurſùm, deorſum & ad latera, variiſque modis per refractionem verſus eandem & per reflectionem in oppoſitam plagam, & ſic ſitus etiam eodem tempore ſenſibiliter mutaretur: nam ſemper tales imagines ſidus aliquod pro centro ſuo habent & plerumque rotundæ apparent. Atque ita nec halones nec irides eſſe poterunt Cometæ. In modum Coronarum quoquè non formantur, quia tantum circa corpora lucida tales figuræ videntur apparere, & quidem varia oculi diſpoſitione ad illa. Experimentum ſumi poteſt in candela, ubi per ſubitam apertionem in exiguo & clauſo cubiculo tales figuræ circum eam depingi videntur. 3. Quod non ſit Cometarum materia idonea quæ tantum refractionem & reflectionem exhibet. 4. Non procul à terra tales Cometæ excurrere deberent, cum alias nubium refractio obtinere non poſſet: ſed contrarium eſt in experimentis. 5. Quòd Cometæ longo terrarum tractu promiſcuè ab omnibus ſpectatoribus videantur, non autem tales imagines, cauſa eſt, quod hæ non tam altè ſupra terram ſcandant. 6. Quia Aſpectus & poſitio hîc non congruant, ut ad theſ. 5. § 1. finem in mea diſputatione oſtendi. Alia quoquè incommoda hùc trahi poſſent. Sed ſufficiant hactenus mota. Eos facere Planetas extraordinarios quidam volunt, qui perpetuis in cælo eos feſtinare itineribus arbitrantur. Et putem hîc non debere entia multiplicari citra neceſſitatem. Nec præterquam quod optimi ante Aſtronomi apud Chaldæos & Ægyptios olim hæc non obſervaverunt & ſtatuerunt, non poterunt illi in ſua hypotheſi per circulos & circulorum Epicyclos, quibus motus Planetarum deſcribunt, ejuſmodi Cometarum itinera ſectari. Non tantum ſic à Telluris incolis Cometæ viderentur deſcenſu facto verſùs terram, & ſic ratio temporis diſparentium & apparentium ejuſmodi Planetarum ſibi non conſtaret. Confer figuram appoſitam. Et hinc ſequeretur quod primò omnium minimi & deinceps ſemper maximi Cometæ apparere deberent, contra experientiæ fidem. Quod ſi in uno vortice moverentur Cometæ, ut fit in Planetis, tunc deberet eſſe unus vortex per vaſtum cæli ſpatium deſcriptus, in quorum aliarum ſtellarum vortices & ſolis quoque vortex circumagerentur, atque ita cæli confunderentur. Nec poteſt dici quod Heliacè occumbant & reſurgant Cometæ, cum præter omnia alia incommoda nec temporis ratio hoc ferret, tum reſpectu circulorum, tùm reſpectu Epicyclorum, in quibus minor daretur portio, quam hæc ſidera Solis radiis immerſa conſumerent & tempus longum; & major portio & tempus breve, cum extra Solis radios poſita nobis apparerent. Imò exinde ſequi deberet circa Solem ire dictos Cometas omnes, quod nemo affirmârit. Hùc facit, quòd caudarum ſive barbarum apparentiæ in Cometis tantum explicari nullo modo poſſint, ſi ſtatuatur eos eſſe Planetas; idem cur caudas magis à Sole avertant, & cur extra ſigniferum per omne cælum currant, & quidem contra ſignorum ſucceſſionem, ut hujus anni prior Cometes. Nos quomodo à Planetis Cometas diſtinguamus in diſputatione noſtra theſi 5. Artic. 4. ſatis explicuimus. Quibus hæc addo, quòd quædam phœnomena in cælo apparere poſſint (ut nuperum illud ad Cingulum Andromedæ) quæ ſenſibiliter reſpectu noſtri ſedem ſuam non variare cernantur. Et poſſunt quoque in eo eſſe poſitu reſpectu noſtri vorticis, tantum altitudinem non latitudinem variantes, & in fieri ad eſſe Cometarum, ut barbarè loquar. Contrarias rationes iis, qui Cometas exiſtimant eſſe apparentias ex vario ſiderum notorum concurſu factas, oppoſui theſi v. art. 5. diſputationis dictæ. Et ſequenti art. iis qui Cometas è parvis ſtellis in mundi primordio factis & invicem aggregatis componunt alias. Quibus hoc addo, quod ita ex illis ſtellis coëuntibus non poſſint circumſparſi, ut in Cometis fit, tales villi,

neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Meteorologiſtarum ſententia de Cometarum origine refutatur.

neque ſi eſſent in tanta altitudine à nobis videri. Art. 7. latius contra Meteorologiſtas, & eorum fumos diſputatur. Scilicet fieri non poſſe, quod materia fluxa in tam denſum & exiguum globum conſtipetur, & quòd ratio dari non poſſit cur ita fiat, aut dici, quæ ſint illa corpora circumpoſita quæ illam determinationem & ferè æqualiter præſtent. Item, quòd locus in cælo & magnitudo & motus & conſtantia apparitionis figuræ, luminis, coloris &c. in Cometis contrarium ſuadent. Certè experientia hodierna per tubos firmata, illos de his ſatis edocere poteſt. Nec amplius dubitandum cenſeo melioribus Philoſophis & Mathematicis, quid hîc verius ſtatui debeat. Quomodo nos naturam Cometarum determinemus paucis theſi IV. § 7. expreſſimus & ſequenti.

Cometarum caudæ ſive barbæ.

De Cometarum caudis ſive barbis quid alii ſentiant tradidimus theſi 6. § 1 & 2. Sed quid nos, legere eſt ejuſdem Theſeos § 4, 5 & 6.

Tycho, Kepplerus & Cyſatus de Cometarum caudis refutantur.

Quibus placet quòd radii Solis per corpora Cometarum tranſeant, pro repræſentandis caudis, ii refutantur theſ. 6. § 7 & 8. & Tycho § 9. & Kepplerus § 10. Quid hîc ſentiant Peripatetici videre eſt ejus theſ. 6. § 2. & confutantur theſi 6. § 11. & Cyſati Conus radioſus § 12. quod communiter de omnibus Cometis ſcripſi, etiam de ultimis hujus anni barbatis & caudatis intelligi velim, & quod de hiſce ſentio & in iis expertus ſum, etiam in pleriſque aliis vera eſſe putem.

Gravii de Cometis ſententia breviter propoſita.

Summa omnium eſt. Cometam in cælo locandum eſſe, nec in uno remorari, ſed per diverſos iter ducere. Solidum eſſe corpus non diffluens; cum alias cæleſtis materiæ torrenti & in diverſum eunti vix potuerit obniti. Nam diſſiparetur illicò, ni denſâ compagine ſtipatus eſſet, nec frangeret adverſos cæli fluctus, niſi ſoliditate ſuâ eos dividere antrorſum poſſet.

Cometæ nuperi hyemalis curſus velociſſimus.

Hinc quoque eſt, quod & aliquando & intermedio propemodum curſûs ſui tempore citiſſimè proceſſerit primus hujus anni Cometes; ita ut vel uno die plus novem gradibus ſpatii emenſus ſit. Idem ille barbam prætulit, caudamque diſcretis vicibus traxit, & alias quoque apparuit, Criniti aut diſcei formam exhibens.

Et ſpecies diverſæ unde.

Sed ſpecies hæ unde? Illas ab extraordinaria inter cæleſtes globulos longè à corpore Cometæ diſſitos, ubi manifeſtius eſt minorem atque majorem diſcrimen, refractione & Cometæ tellurisque ſitu vario ita arceſſimus, ut ſimul excludamus Peripateticorum flammulas rariores, ut & aliorum trajectos per corpus Cometicum radios Solares, vel alias intra aut circa ejus ſuperficiem refractiones. Primus hujus anni Cometes apparuit, ut è tradita obſervationum hiſtoria liquet, menſibus Decembri ſuperioris anni & hujus Januario & Februario. Tempus, quô cœpit videri hoc ſidus, quôque iter ſuum perſecutum eſt, itidem ex obſervationibus videre eſt.

Cometa hyemalis an ſe penitus oculis noſtris ſubduxerit:

Ejus magnitudo,

Progreſſus.

Non auſim dicere illud penitus ſe viſui ſubduxiſſe. Vix multo major Sirio in apparitionis ſuæ exordio potuit deprehendi, neque poſtea majori forma videbatur. De ſequenti majore & facie ſua Venere perigæa haud inferiore, hîc nondum ſcribam. Inter cuncta quæ proferri poterant experimenta hùc ſpectat, quòd per lentem vitream cernenti non majori notabiliter, ut fit in Luna, forma comparuerit. Et hoc commune cum cæteris habuit, quod paulatim ad altius cæli faſtigium eniti decreverit. Nollem hîc cum vulgo inſanire, qui Cometas in fuligines undiquaque diſpergi conjectat.

Cauda vel barba.

Motûs varietas.

Major hujus ſideris cauda vel barba ſpectabatur, quando noſtra tellus à linea inter Solem atque illum rectiùs extenſa remotior fuit. Movebatur hic noſter circa primordia tardior, quam poſt duarum triumve ſeptimanarum intervalla Progreſſus namque fortius pro continuando curſu verſùs deſtinatos cardines perſeveravit, & violentius agitatione ſua cælum perrupit. Spectavit longo tempore, quo ſe direxerat ad partes Solis occiduas, ſed poſt Orionis pedes ad ſiniſtrum prætervectus flexo in Boream itinere citius & obliquè per Eridanum tranſnavigavit: atque inde magis magiſque, ſed ſenſim borealior fuit.

Et iter verſus Septentrionem:

Tùm niſus contra cæli vorticiſque motum.

At injicit hîc ſcrupulum ejus contra cæli vorticiſque motum qui fiebat niſus. Nec eſt de nihilo. Dubium hoc paucis expediam. Vix quiſquam negabit, quod diu & validè & celerrimè proceſſerit hic Cometa. Unde mihi concludi-

Sff tur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tur, corpus fuiſſe compactius, quam in univerſum materia vorticis exhiberi potuit. Atque ideo minores ad contranitendum vires illam oppoſuiſſe. Eadem ratione comprobatur jam dudum per unum vel alios vortices præter noſtrum tranſiſſe Cometen, eamque retinuiſſe velocitatem, quam acquiſiverat tranſeundo per vorticum extremitates, ubi materia cæleſtis reliquis citius defluit. Ideò quoque magno impetu in noſtrum intraſſe vorticem, & ſic facile potuiſſe vorticem, aut ſecundum rectam, aut illi æqualem lineam continuaſſe curſum: præcipuè dum globuli (qui hîc minores eſſe potuerunt in loco terræ atque ſoli propiori) ab invicem diſjuncti non omnes ad contranitendum conſenſerint, ſed tantùm qui præciſè & directè incurrebant anteriorem ejus diſcum, eum fulſiſſe ad perſeverandum in directione ſemel acceptа, qui lateraliter eum ſtrinxerunt, & nonnihil ipſum juviſſe, qui poſticam ejus partem clauſerunt.

Ad contrarium materiæ niſum ſuperandum facere quoquè potuit, quòd fuerit grande ſidus & ſolidum, quòd fortius cæptum ſemel curſum, quam aliud minus continuare potuit. Deinde univerſis & ſingulis conſtat hoc ſidus Occaſum verſus ab Orientalibus iviſſe regionibus cæli. Ex quo colligo illum quoque, cum primo vorticem noſtrum obliquè intraret, eò directum fuiſſe, quem curſum, quantum ejus fieri potuit, poſtea per ſuam ſoliditatem acceptamque agitationem ſervare conatus eſt, præſertim ubi ſtatim à minus validis & ſolidis globulis non potuit inhiberi. Præterea experti mecum eſtis, hunc Cometen maximo curſûs ſui ſpatio in Auſtralioribus cæli regionibus verſatum eſſe. Ideò inferri, vim circumſtantium vorticum, aliaſque in noſtro cælo mutationes hujus Cometæ motum diverſis modis & juviſſe & temperaſſe. Conſtat enim quod noſter vortex non ſit accuratè rotundus, ſed circa polos depreſſior, & minor ejus circumferentiæ à centro diſtantia. Unde iterum colligo liberiorem eſſe curſum materiæ vorticis in contrarium tendentis ac potentiorem circa Eclipticam quam verſus polos, ubi aliorum vorticum vicinia curſum materiæ variis modis determinare poteſt, & Cometæ verſûs Occaſum euntis globuli, namque aliorum vorticum ab eorum centris remotiores fortius cæteris moti, in extremos vorticis noſtri globulos polis noſtris viciniores incurrunt, & quodam modo eos tùm directiùs tùm indirectiùs cohibent, ne latius evagentur, ſæpèque alio determinant, viciſſim ab iis determinantur. Diverſimodè hæc fieri poſſunt ab inæqualitate ſitus eorum & ab iis diſtantiæ Solis. Hùc accedit quod etiam per polos aut partes iis viciniores primi elementi, particulæ cum ſuis ramentis ſtriatis, ex aliis vorticibus egreſſæ, inque hunc Cometen incidentes, eum nonnihil occaſum verſûs euntem fulcire atque juvare potuerunt, præcipuè in materia cæli fluxa ab exiguo impetu vel loco moveri, vel contrà adverſum etiam ſuſtineri facilè potuerit, ubi eſt plurium particularum conſenſus.

Vorticis noſtri & aliorum ac motus Cometici ratio.

Et quemadmodum in Planetis eadem materia primi elementi per polos ingrediens, & ad alios refluens vortices, ſecundi elementi globulos ipſumque Planetam inter eos libratum, diverſimodè poſſet commovere, quid ni quoque hoc reſpectu Cometæ aliquà ex parte fieri potuit? eum in hanc vel in illam determinando plagam. Deinde videtur quoque quòd conatus globulorum communis, & materiæ primi elementi eis interjectæ, recedendi à vorticis centro, latus hujus Cometæ urgens aliquantum fulſerit ad directionem retinendam. Et quoque fortè ipſum adjuverunt dictæ materiæ utriuſque partes aliæ particulæ à Sole egreſſæ, tendentes verſus plagas à polis remotiores. Hùc tendit & preſſio luminis Solaris, quæ eo fortior eſt, quò Cometes Soli propinquior exiſtit. Ea cum non tantùm verſus Eclipticam ſed etiam polos verſus dirigatur, facilè hunc Cometen jam in æquilibrio laterum reſpectu poſitum, & quam maximè incitatum & alio directum adjuvare potuit.

Hiſce accedit, quod & materia quæ ingreditur ex aliis vorticibus in noſtrum vorticem non ſemper tendat directè per lineas rectas verſûs centrum ejus, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſed ſæpè deflectat verſus partes remotiores à centro vorticis noſtri.

His ſupra dictis addere quiſpiam poſſet, quod, quum cæli noſtri fluxus fiat verſus Orientem, non ideo omnes globuli eò tendant, cum & debeant quaſi redire occaſum verſùs infera cæli parte.

Denique obſervatum eſſe novimus, quòd directè hìc Cometes ſemper non tetenderit in occaſum. Unde conſtat globulos quoſdam ipſi fuiſſe laterales. Qui, præter alias ſupra memoratas cauſſas, totis viribus & communi ſingulorum niſu, hunc Cometen non potuerint in contrarium verſus Orientis plagam ſecum rapere. Item: quòd cum Leporis ſignum prætergreſſus eſſet hic Cometes, deflexerit magis verſùs Septentrionem. Scilicet quamprimùm adverſùs globulorum motus prævaluit, tunc ſtatim hic Cometes deflectere cœpit, quod ſimul & ſemel non potuit fieri in tàm fluida cæli materia, ſi omnes cauſſæ ſupradictæ ſimul ſpectentur; ſed tantum paulatim, ut hìc contigit, & magis ſe flexit cum jam ſuperaſſet Æquatorem, & liberius fluentem circa Eclipticam cæli materiam excepiſſet. *Tùm deflexionis verſus Septentr.*

Habuit hic Cometes, quemadmodum & omnes, lumen à Sole mutuatum, nec aliter fieri potuit in corpore tam ſolido tam ſtipato undequaque. Non mirabuntur hoc, qui ad animum revocant denſos Planetarum globos, qui nec lumen ex ſe fundere, neque aliis quam Solis radiis non tangere verius dicuntur, & quòd Cometarum cortices magis adhuc induruerint, atque intus contentam ſubtilioris naturæ materiam fortiùs conſtringant Colorem initiò, ut refertur, clariorem, deinde obtuſum, plumbeum atque Saturninum exhibuit, exinde judicium Aſtrologicum exprimere hìc mearum partium non eſſe arbitror. *Luminis & coloris Cometici.*

Parallaxin longè minorem lunari hìc deprehenſam fuiſſe omnes mecum Mathematici fatebuntur. Quibus hic terræ locis verticalis fuerit, ordine ex ejus inceſſu & declinationibus, tùm præcipuè Auſtralibus tùm & borealibus facilè poſſe colligi exiſtimo. *Denique parallaxeos Lunari minoris ratio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XIV.
COMMUNICATIO FRANEQUERA-MORSTINIANA.

Hamburgo Franequeram die 9. 19. Decembris 1664.

Generoſe Domine, Cognate plurimùm colende.

NOn dubito quin & apud Vos appareat novus Cometes, inſigne cæli, noſtra quidem ætate, phœnomenon, mihi in vita mea primum viſum. Quod ideò inſolenti deſiderio ortum, motum, naturam & effectum ejus, ſi quis ei tribuendus, cognoſcendi animum meum accendit. Hac de cauſſa, ut plures alios Viros doctos, rei Mathematicæ gnaros, ita & Inclytæ Veſtræ Academiæ Mathematicum, adeo. Et hunc quidem nec de nomine mihi notum. Sed Te fido utar parario, cujus affectus vota mea promovebit; & quæ meæ ſcriptioni deſunt, ſupplebit. Facies rem non tantùm mihi gratam, & Te dignam, ſed utrique noſtrum utilem, & cum laude gentis noſtræ conjunctam, ut nempe exteri videant, apud nos quoque dari, quibus rerum naturalium inquiſitio cordi eſt. Ego porrò opto, ut omnes homines hoc notabili portento ad novam vitam cum imminente novo anno agendam excitentur. Vale cum Illuſtri Rejo, Tuo Alumno, cumque eodem feliciter ad veræ laudis decus eniti perge, & alias proſperè age.

Morſtinio parario & Auctor in compellando Mathem. Profeſſ. Franequerano utitur.

Votum Chriſtianum in apparente Cometa.

T. amantiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Franequerâ Hamburgum die ¹⁄₁₁. Januarii 1665.

Generoſe Domine, Cognate plurimùm amande.

QUòd ad literas fraterni affectûs plenas tardius Tibi reſpondeam, effecit cunctabunda Clariſſimi Viri Domini de Grau, Profeſſ. Math. in hac Academia induſtria, quæ, ut ſpero, his quæ Tibi per me mittit, ſatiſfaciet exſpectationi Tuæ, moleſtæ proculdubio & tædioſæ. Tuas literas cum adjunctis, quæ de Cometa cum illo communicare voluiſti, gratiſſimo animo & hilari fronte excepit, Tuaque, tanquam indicia honoris ſibi abs Te præſtiti, reliquis Collegis ſuis monſtravit. Hoc indicium iræ divinæ in cælo apparens, & nos quotidie intuemur ab hora ſexta veſpertina, cum antea illud mane aliquot ante ortum Solis horis intueremur. Et tunc quidem cauda apparebat valdè prolixa; ſed & nunc ſatis minax eſt, longum ſyrma poſt ſe trahens, utinam non judiciorum divinorum, quæ rarò antecedentem vitiorum humani generis pertinaciam claudo pede deſerunt. Quod reliquum eſt pio tuo voto meum adjungo, ut nempe homines cum novo anno novam vitam inchoent, nec amplius ad priſtina

Morſtinius reſponſi moram excuſat, & Graviana mittit.

Cometa 1664 ex matutino factus veſpertinus.

Votum Chriſtianum apparente Cometa.

Contumacia peccandi iram Dei provocat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

priſtina vitia redeant, ne alioqui in illis verum ſit illud: *Stultitia ſemper incipit vivere.* His te benè valere jubet.

T. ſtudioſiſſimus ex animo

TOBIAS MORSTIN de RACIBORSCA.

Hamburgo Franequeram die 7. 17. Februarii 1665.

Gravianum reſponſum gratum Auctor Morſtinio acceptum refert.

PErgratas literas Tuas die 8. 18. hujus menſis datas incluſæ Gravianæ gratiſſimas reddiderunt. Multùm quidem, fateor ejus humanitati & benevolentiæ, ſed & Tuæ induſtriæ debeo. Video virum illum eſſe egregiè doctum, & ad colendia amicitiæ officia promptum. Cui reſponſum hoc, quod iſtis includo, velim meo nomine tradas. Dilati officii tædium apud Te ipſum & illum excuſabis æquus & facilis, eo quod mihi nuper iter in Holſatiam eſſet conficiendum. Unde ante aliquot dies domum, & mox ad vos literis compellandos reverti. Cometam eundem ex matutino veſpertinum evaſiſſe mirari non debes. Joan. Bapt. Ricciolus, è Soc. Jeſu Philoſophus Clariſſimus, quem Tibi ab eximia diligentia & eruditione commendo, memoriæ prodidit Anno

Cometæ ex matutinis facti veſpertini & contra:

729. 1472. 1530. 1531. 1580. & 1582 Cometam qui initio matutinus fuerat, factum fuiſſe veſpertinum. Fit autem contraria ſerie ut nonnulli ex veſpertinis fiant matutini. Quod cum quidam non intelligerent, vel non attenderent, unum ſæpe Cometam in duos diviſerunt. Hoc & noſtro Cometæ, qui paulo ante exceſſit, evaſit, erupit, ut accepi, evenit. Sunt enim qui duos Cometas

Cometa in Corvo & Lepore 1664. viſus aliis duplex, aliis unus tantùm fuiſſe putatur.

fuiſſe putent. Alii contra unum tantum eundemque Cometam hac hyeme luxiſſe affirmant. Inter quos eſt Clariſſimus & Excellentiſſimus ſeculo noſtro Aſtronomus D. Joan. Hevelius, Dantiſci degens. Sed de his ſatis, nunc quidem. Dabo alias plura, ſi hæc ſtudia Tuo ingenio commoda ſunt. Ego quidem in eis, fateor, non tantum jucunditatem, ſed & utilitatem quandam invenio. Vale ac me conſtanti benevolentia proſequere: Cometæ autem minas, ſi in officium Chriſtiano conveniens toto incumbis pectore, ne metue, imo proſpera quæque à Deo, Juſtitiæ Præſide, exſpecta.

Franekerâ Hamburgum die $\frac{11}{21}$ Martii 1665.

PRoperanti ad reſponſum Tibi parandum calamo moram injecit Clariſſimi Viri Domini de Grau Prof. in hoc Academia Matheſeos cunctatio. Hu-

Gravii diſputatio de Cometis $\frac{9}{19}$ Martii 1665. habita.

jus non alia fuit cauſa, quam diſputatio de Cometa publicè habita, & nudius demum tertius abſoluta, magna profectò cum dicti Domini Præſidis laude. De quâ illud Lepidum memorare juvat, quod inter eundem Profeſſorem & quendam è Collegis ejus (Virum alioquin ingenio pollentem, ſed antiquorum inventis addictiorem) evenit. Is nempe in Philoſophicis diſputationem inſtituens,

Gravius Carteſium contra quendam è collegis ſuis tuetur.

debacchatus eſt in Carteſium vehementer, (cujus Domini de Grau defenſor eſt acerrimus) & occaſione, ut ſolet, datâ vel factâ, in hæc verba erupit; *Hic novus Antichriſtus, volui dicere Carteſius.* Hæc alter tetricâ fronte excepit, & Quæ aſſerendæ Carteſianæ famæ commodam opportunitatem expectavit. Quæ etiam mox eodem die ſe obtulit. Cum enim ille Carteſiomaſtix ad diſputationem de Cometa Gravianam veniſſet, commodum accidit, ut quidam opponentium Carteſium impugnaret. Arripuit noſter avidè rei pro Carteſio benè gerendæ occaſionem, & omni ingenii conamine eum defendit toties quoties honorificentiſſimè nominavit, idque ex inſtituto illi alteri in barbam, ut dici ſolet, fecit, cuncta ſua eruditiſſimè auctoritate Carteſii confirmans, ſubjecto ad ulti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ultimum hôcce ephiphonemate. *Vides itaque Doctiſſime Domine Oppenens, aurea quadam inſtare tempora, cum deturbatum ſede bonæ exiſtimationis, & infamatum hodie Carteſium in illam ſedem iterum reponere poſſimus.* Hæc omnium effuſus riſus, antagoniſtæ verò indignatio pro Sardonio quoque riſu excepit. Cæterum quod ad res Polonicas attinet, grande mihi cordolium eſt, dum eas privatim publiceque triſtes intueor. Privatus me dolor urit, cum publico tamen junctus ex morte Patrui mei, cui & cognominis eram, Illuſtris Domini Venatoris, per Regnum conceptus. Si ſalvâ modeſtiâ vera mihi dicenda, magnam in eo jacturam patria ſubiit. Potuiſſet enim ille homo utilem operam Reipublicæ præſtare. Inerat ei nimirum vigor animi, ingentibus negotiis par, & ſingularis comitas ac in rebus agendis dexteritas, quam & Aulæ Danicæ, dum in ea Oratorem Regis Ordinarium ageret, Te referente placuiſſe, mihi gratulor. Sed ô ſpes inanes. Sic fortuna blanditur captatum ſcilicet veniens. En ille noſter in ipſo ætatis & fortunæ flore inexpectato ereptus eſt! Ita ſcilicet inſtar florum, decerprimur, & inſtar Cometarum quos videmus conſumimur, ſaltem ad metam properamus diſparituri. Publica verò quæ prius quæve magis doleam (adeò multa ſunt) non facilè invenio. * Tot externis tamdiu adhuc durantibus acceſſêre malis interna. Quid periculoſius civilibus diſſidiis, ex quibus inteſtina bella, omnibus externis nocentiora oriuntur, in Republica eſſe poteſt? Quid vero pejus & injuſtius quàm cum avitæ libertatis jugulum petitur? Videntur appropinquare Tiberiana tempora. Apparet aliquos Sejanos abuti auctoritate viriumque potentiâ. Sed forte invenerit illi ſuos æmulos, qui eos conficiant, ſicut illi Romano evenit. Videbunt brevi, credo, multi principiis obſtandum fuiſſe, ſeque jam ſerò medicinam parare, & ſero ſapere Phrygum inſtar. Jam olim coërcendi erant avitæ æqualitatis, quæ ſola Rempublicam continebat, violatores. Deus miſereatur cariſſimæ patriæ, quæ profecto, ut antiquus Politicus docet, omnes omnino caritates complectitur. Sed vereor ne mox Pharſalicam & Philippicam ſcenam in ea videamus. Utinam falſus ſim vates! utinam & noviſſimus Cometes nihil mali ſignificet! Nihil enim mali eum efficere in hominum mentibus liberrimis poſſe, ſicut alias, ita ex nuperâ noſtra diſputatione didici. Verum tamen, quæ eſt Tua humanitas, & in me ſingularis propenſæ voluntatis promptitudo, utramque conſanguinitatis ſacræ & civilis nexu conjungente, polliceri mihi audeo, Te aliquandò, ubi plus otii habueris, aliquid in chartam conjecturum mei gratiâ, qui libentèr à Te diſcam, an & quantum aſtris & Cometis influentiæ & ejus operationibus tribuendum ſit. Id tamen non requiro, nec exſpectabo, niſi poſt quam à Tuis laboribus liberior fueris. Vale Generoſe Domine cognate, & me amare non diſine.

Carteſius Franequeræ defenſus, & honori ſuo reſtitutus.
Riſus fictus.
Morſtinius rebus patriæ turbatis dolet,
Et morte patrui ſui Venatorum Regiarum per Regnum præfecti:
Hujus dotes præſtantes recenſet,
Et merita in Rempublicam dum in Danica Aula Oratorem Ordinarium ageret.
** Externa & domeſtica Poloniæ mala.*
Cometæ nil in hominum mente efficiunt, ſed ſignificant ventura.
Morſtinius obſecrat Auctorem, ut ejus gratia aliquid de Cometarum & ſiderum operatione conſcribat.

Hamburgo Franqueram die $\frac{31}{21}$. *Martii* 1665.

BRevibus Tibi nunc reſpondeo ad Tuas, decem abhinc diebus ſcriptas, quas jam jam accepi, futurus alias prolixior. Id enim fieri à me vis, dum me conſulis, an aliquid & quantum vi ſiderum & Cometarum in hæc inferiora influenti ſit tribuendum. Non erit hîc mihi grave haud levem laborem Tui cauſſâ ſubire, cui quantum debeam ſcio. Literæ Tuæ non temnenda viciſſitudinis rerum præbent documenta. Ita nempe ſunt humana omnia comparata. Miſcentur triſtia lætis, adverſa ſecundis. Illos in cachinnos effundi, hos luxu diffluere, iſtos ira & indignatione, alios deſiderio cupitæ rei exardere videas. Quod ipſum argumento eſt eventus Cometarum ad triſtes lævorum tenebras damnari non poſſe, cum eos ipſa experientia in lætum dextrorum lucem aſſiduo vindicet. Video ex diſputatione Clariſſimi Gravii veſtri eum nulla decreta à Cometis petere. Sed de his aliquanto plura leges in mea ad illum epiſtola, quam Tibi commendo. Gratulor ipſi felices Carteſii vindicias. Magnus ille

Cometis læva & læta ſuccedunt.

profectò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Carteſio laudes debitæ tribuuntur, cum tamen erroribus fuiſſe obnoxium demonſtratur.

** Wolzogenius Joannes Ludovicus laudatur; errores Carteſianos detexit.*

† Jungius Joachimus laudatur.

‡ Analyticæ inventio maximè Carteſio debetur: Hujus deſcriptio.

profectò Vir fuit: ſed erroribus tamen obnoxius. * Quos & noſter Wolzogenius, Illuſtris ille natalibus, eruditione & virtute Baro homo dum viveret, modeſtus & æquus, non paucos detexit libro, qui proſtat. † Urbs hæc merito gloriatur Doctiſſimo Joachimo Jungio, ſui olim Gymnaſii Rectore, cujus manum hanc nuper apud Amicum vidi: ‡ *Neque vero nulli alii præterquam Carteſio Analyticæ inventionem debemus, ut ut ſuus Vietæ conſtet integer honor. Carteſiana nos compendioſiore via ducit.* Noris, credo, Analyticum docere quomodo ſolutio alicujus problematis Geometrici inveniatur poſt deprehenſam æquationem, factis additionibus, ſubtractionibus, multiplicationibus & diviſionibus, tùm radicum extractionibus requiſitis, idque non adhibitis notis numeralibus, ſed literis. Ignoſce fraterno candori & Vale ac ſalve.

Hamburgo Franequeram die 6. Junii 1665.

Morſtinius poſtulat ab Auctore, ut ſibi ſententiam de ſiderum & Cometarum operatione exponat.

** Auctor excerpta ex Libavio & Ricciolo de aſtris & Cometis Morſtinio mittit.*

† Libavius Aſtrologis ſe opponit.

A Multo tempore in ære ſum tuo, qui me tot aureis neceſſitudinis catenis in amorem Tui Tuoſque uſus trahis. Jure enim Tuo, præbitaque à me Tibi de argumento Cometico occaſione, uſus, poſtulaſti à me, indicarem Tibi & plenius, otii nonnihil nactus, exponerem ſentiam meam de ſtellarum & Cometarum in hæc inferiora, homines preſertim, operationibus. * Id excerptis ex libris Præſtantiſſimorum Philoſophorum Andreæ Libavii Mid. Doct. & Petri Joannis Baptiſt. Riccioli præſtare in præſentia volui. Quod de Te benè merendi ſtudium velim boni & æqui conſulas. En igitur Tibi ex Uranoſcopo Libaviano exerpta:

† Nullam habet demonſtrationem, quod ex Platone certis rebus locíſque certas addicunt ſtellas: illud tamen ex aliquibus, & potiſſimum Sole probabile eſt, quod quæ regio & clima, à qua ſtella frequentatus magis, ejus vim quantùm inde eſt, ſentiat magis, cæteris tamen item paribus. p. 17. §. XIX.

Tantum ex illi (aſtris) futurorum colligere eſt, quantum regularis curſus & diu obſervata, ſemperque aut plerumque reſpondens hiſtoria permittunt, in qua tamen conſtare neceſſe eſt, hanc & non aliam cauſam principaliter agentem fuiſſe. Cum item elementares turbas aut bonitates exitare poſſint, veluti ſiccitates, pluvias, ventos &c. hoc tamen certò prædicere non licet, non quod cauſa mutetur in cælo: ſed quod ſubjectum paſſurum non ſemper ſit actu diſpoſitum ad patiendum inque inſtabili ſociabilique ſtatu elementaris materiæ multa poſſint cadere inter calicem & ſuprema labra, nec raró transferri affectorum ſeminarium p. 18. §. eod.

Stellarum imagines vanæ ſunt.

Figuræ aſtrorum nullas vires habent.

Situs aſtrorum plus valet quàm figura.

Imagines ſtellarum per ſe nihil habent roboris. Fictitiæ enim ſunt, nec ideo piſcibus, centauris, anguibus, canibus, venatoribus, maribus, fæminis &c. quid portendunt aut promittunt, quia talem figuram habere dicuntur, quam tamen non habent. Quod veró ajunt compactas in talem figuram ſtellas ideo eſſe, quia vim talem in talia habere ſimul junctæ ſunt deprehenſæ, fundamento caret, deſtitumque eſt experientia, & in prædictionibus falſi convincitur, niſi quid per accidens eveniat. Situs ponderoſior eſt; ex eo enim pendet applicatio ad ſubjecta. Itaque quâ in parte illuſtriores coacervatæ ſunt ſtellæ, ibi agunt efficacius quod agere ſunt natæ reſpondente ſubjecto. Ex eo ſunt quædam Zodiaci dicti, quæ in 12. partes & ſigna dividitur, & porrò etiam in manſiones 28. cujus ſigni variis diſtributionibus & proprietatibus diſcribuntur apud Aſtrologos: quædam in deflectente utraque latitudine, ſeptentrionali & Auſtrali ponuntur, ubi miniſtrare ſuis dicuntur plagis, omnes 48. ſchematibus incluſæ, in quibus inſigniores conſultores numerantur 1022. prætermiſſis reliquis innumeris, tanquam abjecta fece plebis.

Domos in cælo Aſtrologi fingunt. Genethliacorum vanitas.

Nonnunquam fingunt domos in cælo, & ſecundum eas diſtribuunt choros maximè in vaticiniis genethliacis, & ubi quid agendum, ſperandum, timendumve

dumve præſcribunt, ſed partim ex mendacis ſuperſtitionis commento, partim directionis incertitudine, neglectioneque plurium circumſtantiarum. Itaque niſi quid obiter divinent, vel ex aliis cauſis propioribus veriſque nectant, mendaciorum vanitas actutùm deprehenditur. Hæc tamen res communis eſt cum Planetis. Mirum autem ipſos ſapientes ſibi nunquam, aliis ſemper, ſed fruſtra, niſi ex accidente, ſapuiſſe, & cum totum cælum in ungue habeant, ſua fata ignoraſſe, quæ ſola res commenti odioſiſſimi ſufficiens eſt argumentum; ne quid dicam de depravato eorum calculo & labili diſciplina § xx. p. 18. 19. & paulo poſt:

Divinatio quæ fit obiter vel per accidens non eſt certi & recti documentum.

Hos (Planetas) in omni re indaganda conciliant quidem cum fixis divinatores, ſed tamen prærogativâ hac donant, ut primarium ſtatuendi, decernendi & agendi jus in tota Aula mundana habeant. Eos exercent inimicitiis & favoribus, vanitate maxima. Eiſdem aſſignant dignitates eſſentiales & accidentales: illæ ſunt domus, exaltatio, triplicitas, terminus, facies: hæ directio, ſtatus, retroceſſio, auctio luminis, combuſtio, angulus cæli, ver, & præter hæc etiam debilitates, & neſcio quæ alia commenta. Aſpectus vocant certas in poſitura mutua relationes per diſtantias ſignorum. Ex his alii ridicula ſtultaque multa exſtruunt: alii naturalius conſenſus & alienationes in opere inferiore colligunt, quod ſic unus alio quodam aliiſve rectius incumbat loco cuidam, & inde fortius moveat, ſicque impediat alium imbecilliorem, vel etiam ſolus dominetur, ſicut Sol in Cancro Lybiam, Ægyptumque &c. ita affligit, ut ne totum quidem cælum mutare factum poſſit, quod tamen nequit in Capricorno. Ita ſi mille Planetæ noſtram terram in Aquario feriant, nullus tamen tantum poteſt, quantum Sol in Leone vel Tauro § xxi. pag. 19, 20.

Planetis maxima vis influens ab Aſtrologis tribuitur:
Eorum vires contrariæ, dignitates.
Aſpectus in cælo quid.
Sol directè imminens Lybiæ & aliis terris eas validiſſimè affligit.

Dicunt quidam (Aſtrologorum) omnes (Planetas) ſuo ac proprio moveri motu, quidam à Sole rapi, ut ſit eorum motus accidentarius, quod nos ut indemonſtratum relinquimus. Movent item diverſi diverſis centris, quaſi luminaria utantur mundi centro: Planetæ centro Sole, contradicentibus aliis, ut mireris tantam conſtantiam eſſe in vaticiniis, cum tanta diſſenſio ſit in fundamentis § xxii. p. 20.

Planetæ an proprio vel Solari motu moveantur.
Aſtrologorum circa fundamenta diſſenſus, circa prædictiones conſenſus.

Non tantùm luce ſua nobiles ſunt (Sol & Luna) præ reliquis, ſed & defectus peculiares ſuſtinent, quos Eclipſes vocant, de quibus nonniſi horrenda comminiſcuntur vates, & vaniſſimo portentoſoque mendacio non jam cum ſunt, agere dicunt, ſed cum fuerunt, prout mane, meridie, veſperi eveniunt, quibus aſſignant ſuos quadrimeſtres anni § xxiii. p. 20.

Solis & Lunæ præſtantia, defectus & effectus.

Par vanitas in prædicendo de hujus (Lunaris) effectu, ac de Eclipſis Solaris, quæ cum aliquando Regibus Medorum inter ſe pugnantibus conciliationi pacique anſam præbuerit, non video cur magis bellorum quàm pacis ſit cauſa, ſi horum aliqua cauſa dici debet. Frivolum & elumbe hoc quoque quod ajunt, ob denegatam interceptamque lucem, quo maximo bono fruantur inferiora, & quo ne momento quidem abſque magno detrimento carere poſſint, deſignari afferrique maximas calamitates, quæ ob eandem cauſam denunciandæ forent noctibus interlunii hybernis, potiſſimùm apud hos populos, à quibus Sol abeſt plurimùm. Salvatoris in Stellis, Sole, Lunaque Signa, non ſunt illæ conſuetæ paſſiones, & ſi ſint, ex pacto vel arbitrio Dei ſunt, non ex natura, ut taceam hos, qui Aſtrologicas illas vanitates ſunt commenti, nihil de illa voluntate cognoviſſe, *ſicut nec ſciunt Iridis ſignificata divina § xxv. p. 22.

Eclipſes pacem & bella ferunt.
Aſtrologi omnia neceſſitati naturæ tribuunt, etiam illa quæ à libero Dei arbitrio pendent.
**Iris res naturalis, ſignificationem præternaturam habet.*

Augeſcente Luna humores augeſcunt, decreſcente diminuuntur. Unde poſtea quaſdam hominum actiones provocare aut inhibere traditur, non quidem ipſa ex ſua potentia, ſed homines inde accepto ſigno, ut in lignorum cæde conſtat, & cura corporis per venæ ſectiones &c. Eſt & obſervatum Lunam in diverſis ſignis, & diverſimodè ad planetas affectam viribus variare: ſed non ultrà naturalia, quanquam hinc progreſſi vates nihil non aſpectibus aſcripſerunt temerè, †cum humana voluntas non ducatur inde, niſi quantum vult juxtà na-

Lunæ vires variæ.
†Voluntas hominis ab aſtris non ducitur.

turales in aëre viciniſque motus, veluti cum plenilunio noctu iter quis facit; quia res neceſſitate ducitur, commodum affulgente Luna. Vel meſſor legit frumenta, quia ſerena dies frugeſque maturæ &c. Inviſum admodum fecerunt aſpectum quadratum, quaſi Pythagoræ diis devotus numerus, homini ſit internecinus, aut quia, ut vult Ptolomæus, negante tamen Cardano, figuræ multùm poſſunt. Sed is tamen ſæpè ſalutaris fuit, modo eventuum fuit cauſa. * Damnarunt & oppoſitiones, fundamento frivolo, quia ſigna oppoſita ſint contraria naturæ, quod neutiquam eſt demonſtratum, ſicut nec planetarum contrarietas ex immoto principio eſt extructa. Sextilem & Trigonum in bonis habent, ob contrarias cauſas pariter imbecilles, ſicut & indemonſtrata eſt cauſarum cauſa. ‡ Non enim credendum dicenti eventus boni vel mali cauſam fuiſſe aſpectum ibid. p. 22 & 23.

Aſpectus quadratus noxius judicatur, cum tamen ſæpè ſalutaris fuerit.
**Signa oppoſita naturæ adverſari certum non eſt.*
‡ Aſpectus ſiderum cauſa eventûs non eſt.

Saturnum plantis præfectum, frigoris maximi & alicujus ſiccitatis cauſam eſſe Libavius negat, idque acriter contra Cardanum, & alios Aſtrologos aſſerit § XXVI. p. 23. pag. verò 24. quæ ab illis ſtatuuntur de gubernatione in ſenes, mendicos, melancholicos, cicutam &c. vanitati conſecrat.

Saturni vires convelluntur.

Porrò § XXVII. adimit Jovi omnem vim beneficam & effectum temperatum, & ut paulò ante pluviarum excitandarum Saturno, ità hic ventorum concitandorum Jovi facultatem ademptam Soli præcipuè tribuit, & utrobique Aſtrologorum principia diſcrepantia, vana, alienis, Babyloniorum ſcilicet Ægyptiorumque commentorum fundamentis ſuperſtructa, & ineptè ad noſtras regiones trahi ſolita docet p. 24 & 25. * Inſaniunt qui Martis maliciei bella aſcribunt, quòd in Regum animos bile vexandos jus habeat. Non in officia agunt Planetæ, ſed in ſubjecta naturalia ad patiendum habilia. Et plura ad bellum requiruntur, quàm Planetæ ſtimulus: propior cauſa eſt animi libido, vel injuria cum ſufficiente rerum apparatu & προφάσει § XXVII. p. 25.

Jovi vires ab Aſtrologis tributæ auferuntur.
Ventorum concitandorum facultas Soli tribuenda.
**Mars nil habet ad bella.*

Porrò his tribus Planetis (Saturno, Jovi, Marti) magnos aſpectus aſcribunt, veluti conjunctiones magnas, & reliquos, quibus in cælo obſervatis, continuò omnes faſti pleni ſunt minis & terroribus maximis, † quaſi Deus oblitus eſſet regendi mundi, aut neſciret ſe patrem, qui cum cælum terramque propter peccata multaverit, non poſſit præcipere benedictioni ſuæ, & petenti filio pro lapide panem corrigere, quæ impia & nefaria ſunt cogitata. Quoties legimus terræ motus, portenta, diluvia, bella, peſtes, famem & alia ſæviſſima prædicta ex illis dictatoribus, mendace Calendariographo? Quoties mentiuntur aſtra eventorum cauſas eſſe, quæ tamen longè aliundè extiterunt? Ex iſtis verò mendaciis poſtea fecerunt regulas, quaſi jam certum ſit Saturnum & nihil aliud effeciſſe peſtem. Imminent illæ pœnæ, & acriter ſentiuntur, ſed alia cauſa, ſed ſurdo mutoque augure, & tùm potiſſimùm cum videntur nobis benè velle aſtra, quanquam illi vates tàm inviſa ex eis faciunt monſtra, ut ferè quovis poſitu aliquid atrocis mali indè nobis divinent, quaſi ad hoc nati, ut calamitates humanas ſuis portentis augeant, efficiantque ut plus cælum timeamus quàm fulminantem Deum, & gaudeant plerique evanuiſſe aſpectus, revertanturque ad ſua ſcelera, vel ſecuri in aures dormiant, quaſi neceſſe ſit Deum non niſi per aſpectus punire aut benefacere § XXIX. p. 25, 26.

Planetarum trium ♄ ♃ ♂ conjunctiones ab Aſtrologis confictas eſſe probatur.
† Deus regit mundum, non Planetæ.
Aſtrologorum prædictiones ſæpiſſimè falſæ.

§ XXX. Veneri, quam aliqui & heſperum & phoſphorum faciant, Solique ſupponant, & beneficentia Jovi æquiparent, vim generatricem adimit, & ait gignere plantas, beſtias, homineſque vel ſine illa ſtella per Venerem aliam Deo benedicente p. 26, 27.

Venus in cælo locata generationem non præſtat, ſedquæ in terra exercetur.

§ XXXI. A Mercurio, quem Aſtrologi Planetarum, quibus accedat, naturam aſſumere ſtatuant, non magnoperè metuendum eſſe docet p. 27.

Mercurii natura mutabilis, vis nulla in hominem.

§ XXXII. Qui eſt ultimus docet confinia cæli & mundi elementaris deſcribi non poſſe, & concludit talia contentioſa relinquenda eſſe otioſis naturis, donec eò locorum evectus aliquis circino dimetiatur confinia, & terminos lapides ponat.

Cæli & mundi elementaris confinia deſcribi non poſſunt.

Ex corollariis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ex corollario Uranoſcopi Libaviani, ubi Academica quædam pro vaticiniis ex aſtris proponit.

CUm quædam Academiæ Germanicæ decreverint Aſtrologicas prædictiones non eſſe vanas, Libavius non negat rectè prædici naturalia eventa de pleniluniis, eclipſibus, curſu ſiderum, hyeme, æſtate, turbis anni, quas ſuo tempori familiares & in ſuis regionibus plerumque fieri noverint vel plebei: ſed ingeniorum regimen & voluntarias actiones & nonnulla his confinia, veluti valetudinem, mortem, fortunam &c. inde dependere, niſi forſan ex mero accidente vel voluntaria diſpoſitione, pernegat. Mox diluit objectiones:

Aſtrologicæ prædictiones circa naturales eventus veræ ſolent eſſe, at falſa circa liberas humanæ mentis actiones.

1. Plerumque in temperamentis inſignes qualitates bonæ aut malæ oriuntur ab aſtris &c. ℞. falſum eſſe hoc axioma: Temperamenta enim ſecundarum qualitatum ſequuntur, non cælum, ſed diſpoſitionem materiæ ſeminalis, ejuſque ſucceſſum inter naſcendum: in vita quoque convelli cauſis violentis propinquis quæ alias ſint morborum evidentes. Raro tandem aliquem morari, donec æſtu ejus temperamentum mutetur. Fratres verò diverſimode affici in vita, à diverſitate diſpoſitionis accidentariæ in ſemine & reliqua vita eſſe. Has ſolas cauſas ſufficere ad effectum.

Temperamentum hominis ab aſtris pendere Libavius negat.

Diverſitas morum, ſtudiorum, fortunæ in fratribus pendet à diverſa diſpoſitione ſeminis, non ab aſtris.

*2. In ſtellis ſunt illuſtria ſigna inclinationum felicium aut infelicium, in artibus & aliis actionibus familiaribus hominum naturæ, ut in honoribus, prælio &c. ℞. Falſum, inquit, fictumque eſt. Indoles ex ſatu parentum felici & propitio Deo, diſciplina proba, monitoreſque fideles id agunt. Non ſi hic proclivis eſt ad bellum, ille ad literas, ſtellæ id fecerunt: promptitudo aptitudoque eſt ex alacritate naturæ cujuſvis, ſpiritibus, calore, inſtrumentis, ingeniique viribus benè conſtitutis. Fortes creantur fortibus, non ſtellis, ſed parentibus. Et eſt in equis patrum virtus. Doctrina ſed vim promovet inſitam, inquit Horatius. Ignavum quempiam eſſe ex forti patre, torpor Spirituum, mala diſpoſitio inſtrumentorum ingenii, ſenſus affectuſque ſegnes, calor obtuſus & interna quædam malignitas, quæ inter naſcendum afflavit materiam, depravationi dederunt originem, id quod in aliis etiam morbi faciunt, veluti ſcabioſus ad actiones mentis celeres torpet, licet cum valet, ſatis ſit expeditus. His accedit ſegne genus vitæ, neglectio diſciplinæ, mali magiſtri. Et paulò poſt: Omninò ni cælum etiam animam, rationem & intellectum gubernet cum affectibus, nihil ad ſcientias confert. Poſſe verò etiam in illa, aſſertu eſt turpe. Aërem, inquiunt, diverſum diverſa gignere ingenia. Aërem vero inquam ex parte, nonnihil conferente tota victus, educationis, generationiſque (in qua tùm patrum ſimilitudo plurimùm poteſt, tùm matrum imaginationes, motuſque & appetitus) conſtitutione, imò plurimùm.

** Inclinatio in homine pendet à ſemine parentum, gratia divina, & educatione, non ab aſtris.*

Aſtra nil ad ſcientiam conferunt, quia in mentem hominis non agunt.

3. Conſtat natos in conjunctione Solis & Lunæ malum habere temperamentum, & aut non durabiles eſſe, aut morbis obnoxios. Quibus naſcentibus Saturnus in medio cæli fuit, de ſublimi ſæpè cum periculo labuntur &c.

Aſtrorum ſitus in hominis generatione nil ei confert.

℞. Hæc frivola eſſe, & experientia ſingularium probari debere. Unam atque alteram obſervationem, quæ cauſas habuerit alias, & à ſuperſtitioſo Aſtrologo cælo aſſcripta fuerit, non ſatisfacere. Omnibus naſcentibus plures ſtellas eſſe in cælo medio: at non omnibus accidere caſum: multis tamen, cadentibus ſcilicet qui in alto ſint, ſuſtentaculo ſubtracto. Nec eſſe verum quod Regum fata trahant ſubditorum conditiones ex cælorum poſitu. Non in Reges, ſed homines agere ſtellas. Regum rationem in manu Dei eſſe, qui ſuam potentiam nec alligârit, nec tribuerit tanquam vicariis ſtellis.

Principum fata à Deo, non ab aſtris pendent.

Stellæ vicariam poteſtatem in humana à Deo non obtinuerunt.

4. Cometæ mira portendunt, quia reguntur à ſtellis certis.

℞. Falſum utrumque, niſi illud portendere deducatur ex arbitrio mentis divinæ, illo ſigno monentis, & non natura planetæ vel Cometæ.

Cometæ an aliquid portendant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

5. Quidam in Geneſi habuit conjunctionem Solis & Lunæ in Sagittario, & conjunctionem Veneris & Mercurii in Capricorno &c. hic factus eſt parricida & miſerè periit. Hanc vocem Melanchthonis veſanam vocat & deteſtatur. Quid? inquit, debuit ſtellis dici, *ne faciatis parricidas, non homini. Honora patrem & matrem; & ne occidas.* Illum ne ſtellæ inclinaverint, aut impulerint ad parricidium, quod Diabolus & improba cupiditas emoliuntur. Infelix meritò fuit non ob ſtellas, ſed ob facta. Sed illi miſeri Aſtronomiæ patroni infringunt ſua commenta particularitate, dum negant omnes à ſtellis ita induci.

Stellæ agunt in inferiora non in homines.

6. Stellæ regunt naturam inferiorem, dum pluvias, ventos, procurant &c. Ergò & ingenia & actiones humanas.

℞. Non ſi illud & hoc. Apricant ſe ſenes, non quia Sol vel cælum eos ſtatuit in radiis, ſed quia caloris præſentia eſt grata. Eam enim ſequuntur, quia neceſſariam & proficuam ſibi judicant, etiam abſque Sole poſt fornacem calefactam. Addit porrò, necdum ſolidè probatum eſſe aſtra per ſe cauſas eſſe pluviarum: ita ex fundamento caduco non poſſe extrui regulam firmam. Scripturam Sacram cælo pluvias tribuere, ſed id cælum aërem eſſe, quanquam etiam nonnihil ſtellæ conferant.

Stellæ diſponunt ſibi materiam ad patiendum, quæ ſcilicet diſponi ſuâ naturâ poteſt.

7. Stellæ diſponere ſibi materiam poſſunt ad patiendum.

℞. Nunquam diſponit Sol lapidem ſterilem, ut inde fiat aurum. Si aër per ſe non eſt aptus ad perſpicui actum, nullo Sole illuſtratur.

8. Deprehenſa veritas eſt non quidem in omnibus, attamen aliquibus exemplis congruis. Ergò regulæ Aſtrologorum ſunt univerſales.

Diverſa ſunt facta & fata eorum quibus una fuit, ſaltem ſimilis generatio.

℞. Fortuna facit aliquos ſimiliter pati. Aliæ cauſæ concurrunt. Alioquin cur non quia frequentiſſimo plurimi eodem mortis genere intereunt, peſte, bello, fame, cruce, gladio, aqua, omneſque tandem putreſcunt, extruis hinc regulam & fata omnibus in geneſi eadem? Quid quod idem effectus à diverſis poſſit eſſe cauſis?

9. Stellæ conditæ ſunt in ſigna eventuum.

Stellæ an in ſigna eventuum conditæ.

℞. In ſigna ſunt conditæ; ſed non eventuum, quos Aſtrologi eis aſcribunt. Nec ſi ſigna eſſent, cauſæ eſſent neceſſariò.

10. A ſignis cæli ne timeatis. Ergò, in eis eſt timoris cauſa.

Aſtra timent homines vani.

℞. Nulla niſi quam homines ſibi fingunt, ſicut qui noctu expaveſcunt ſua umbra. Sed omnia ſunt frivola & elumbia.

Excerpta ex Joannis Baptiſtæ Riccioli S. J. Almageſti novi part. poſt. Tom. 1. l. 8. ſect. 1. c. 5. de prognoſticis & cauſa finali Cometarum.

Cometæ nil niſi mala portendere communiter putantur.

I. UT receptiſſimam eſſe opinionem refert, Cometas eſſe funebres quaſdam faces, arcana quædam fulmina & lampades mortis potius quàm vitæ, nec unquam comparere, quin veluti minaces divinæ ultionis oculi & linguæ irati numinis, mortem Principum, peſtem populorum, famem, terræ motus, tempeſtateſque horrendas certiſſimo terrore portendant: ita pauciſſimos eſſe Cometas, qui licet alicui fauſti eſſe viderentur, aliis infauſti æquè ac infenſi fuerint. Refert ex Ariſtotele; portendere flatus & ſiccitates: ex Seneca; eſſe ſigna naturalia ſimul & cauſas procellarum, & ſi ex ejus mente ſint ſidera, ita verò ut totum annum ſuſpectum faciant, maximam eorum partem laborare infortuniorum infamia: ex Cicerone; magnarum calamitatum bello Octaviano fuiſſe prænuncios: ex Plinio; terrificum eſſe magnâ ex parte ſidus ac non leviter piatum: quandòque ſævum, quandòque tamen lætum & ſalutare, & tanquam fauſtum ſidus in uno totius orbis loco, Romæ ſcilicet (loquitur de illo Cometa quem urbs animam Julii Cæſaris fuiſſe, & Auguſti Monarchiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

narchiam ſignificaſſe opinata eſt) cultum: ex Tacito; vulgi opinionem eſſe tanquam Cometa regni mutationem portendat, Neroni tamen, nempe Tyrannorum ſæviſſimo, ſanguine illuſtri ſemper expiatum: Ex Suetonio itidem; vulgi opinione Cometam ſummis poteſtatibus exitium portendere, propria tamen ejus opinione mortis Claudii præcipua præſagia Cometam fuiſſe.

II. Ex Arato, Claudiano, Manilio, Virgilio, Lucano, Silio Italico, Tibullo, Valerio, Flacco, & Pontano minari & præſagire tempeſtates, non ſolùm in aëre ſed & in terra, illas ſcilicet imperiorum, bella, funera Regum, aliaque mala.

III. Ex Damaſceno, hæc veluti ſigna inſtantium malorum à Deo affingi & diſſolvi. Ex Tertulliano, ſigna eſſe imminentis iræ Dei, quoquomodo annunciandæ, prædicandæ, deprecandæ. Ex Auguſtino, Deum per iſta oſtenta civitates terrere & terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, ut fugetur ira Dei futura. Quòd reliquum eſt, ablegat nos ad ſuum ſocium Adamum Tannerum, qui in diſſert. de cælo q. 7. § 4. docet alios quoque Patres hæc oſtenta ad divinam providentiam ſalubriter mortalibus comminantem referre, quam & ipſe fateatur eſſe dignam Chriſtiano homine philoſophandi rationem.

Doctorum Eccleſiæ ſententia de Cometis Theologico-Ethica:

His recentiores Theologi conſentiunt.

IV. Aſtrologorum antiquorum & novitiorum feralem ſententiam contrà Cometas, quaſi nil niſi mala ferant, refert. Cumprimis Ptolemæi, qui primas partes in judiciis & prognoſticis tribuit eclipſibus, ſecundas Cometis, qui pro vario ſitu mortem Regum vel aliorum Principum, vel aliàs regni mutationem, tùm morbos & mortes repentinas, tùm denique externa vel interna bella: pro diverſitate Zodiaci partium diverſis locis: pro varia autem forma, nempe humana, beluina, trabali, hominibus, beluis, plantis: pro varia duratione apparentiæ modò longius, modò brevius duratura: pro vario denique Schematiſmo aſpectus ſeu configurationis ad Solem, modò celerius, modò tardius ſecutura mala portendant.

Aſtrologi omnes Cometis nil niſi mala tribuunt.

Cometarum ſitus varius & figura varia portendit mala.

V. Inter Novitios præcipuè Franciſci Junctini ſententiam exponit, qui poſt Calendarium Aſtrologicum annot. de Cometis fuſè tractat proprietates & prognoſtica Cometarum, diſcurrendo per ſingulos Planetas, quorum naturam imitantur, & per ſingula ſigna Zodiaci, in quibus apparent: quibus recenſendis immorari nolo.

VI. Meteorologorum ſententiam refert. Ac primùm Julii Cæſaris Scaligeri, qui exerc. 79. ſtatuat Cometas nec ſigna nec cauſas eſſe calamitatum, niſi per quandam cohærentiam à communi cauſa. Dehinc Caroli Piſonis, qui doceat nec adeò certa eſſe incommoda, quæ Cometæ comminentur, nec omnibus terræ plagis communia, nec eſſe cauſam malorum, ſed ſigna ſiccitatis concomitantis aut futuræ: nec tamen neceſſariò ſigna eſſe famis, quia ſiccitatis, ideò nec peſtis, illius præſertim ex fame provenientis, quæ ſolos pauperes adoriatur. Tanto verò minus juſtè Cometam audire tanquam bellorum facem, aut Regicidam, & ex eo metuendam eſſe Statûs mutationem. Interim ſe Cometas pro vanis duntaxat terriculamentis non ducere, & facilè paſſurum eſſe, ut hæc opinio Cometas mala portendere, animis omnium inſideat, quò officii admoneantur Patres familiæ & Oeconomi ad prudentem parſimoniam: Magiſtratus verò ad avertendum aëris infectiones, morborum contagia, bellorum motus, denique divini verbi Præcones acriter moneant & ſeriò increpent aſotos, ganeones & impios omnes, Cometam ex editiſſima illa ſtatione denunciare, & deprædicare latè in terræ barathris reconditos excurrere ſempiterni ignis fluvios, quorum flammis nunquam intermorituris ſcelerata capita, meritas ſuæ nequitiæ atquè impietatis pœnas divinæ juſtitiæ pendant, eaſque immortales & acerbiſſimas.

Cometæ impiis denunciant merita mala.

Ignis inferni pœna manet impios.

VII. Fromondi ſententiam ponit, cum Thoma Fieno concludentis, Cometam ſcilicet non eſſe cauſam phyſicam calamitatum, ſed ſignum potius ad pla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometæ non ſunt cauſa phyſica calamitatum, ſed ſignum potius ad placitum Dei, homines per id terrentis & ad pænitentiam incitantis.

citum Dei, utentis Cometâ, licet effectu naturali, ad terrendos & emendandos alicubi mortales, quomodo uſus ſit Iride ad fœdus cum genere noſtro ſignificandum: & licet quidam Cometæ aliquibus fauſti fuerint, aut viſi ſint, non in hunc tamen finem, ſed ad triſtiora denuncianda mitti, infinitumque eſſe, Principum exitus & calamitates conſarcinare, quæ evenerint prævia denunciatione Cometarum. *At de Cottunio ſcribit, negare eum à Cometa præſagiri clades aut mortem Principum, eſto illorum interitus magis quàm vulgarium notari ſoleat: † quia Cometis exortis non evenerint clades illæ vel non magis quàm aliis temporibus, & è contrario evenerint nullo præcedente Cometa: concedere tamen ſigna eſſe aliquando ventorum, aliquando ſiccitatis, frugum novercæ, ſterilitatum, terræ motuum, aliquando peſtilentiarum & inundationum. De Franciſco Reſta verò, affirmare eum Cometas nonniſi futurorum ſigna eſſe, eaque fortè mendacia, Deum tamen his naturalibus effectis uti tanquam ſignis ex inſtitutione ſua (quam Fromondi ſententiam paulò ante vidimus) ad ſalutarem timorem nobis incutiendum, nec aberrare à Philoſophia veraci, ‡ ſi dicetur Angelorum miniſterio formari cæleſtes Cometas in hunc ipſum finem. Denique ſententiam P. Nicolai Cabæi profert, eſſe ſcilicet quoſdam Cometas infauſtos, quoſdam fauſtos, tùm per ſe & omnibus, tùm per accidens, quia nunquam aliquid tàm pernicioſum uni, quin alteri proſit: elementares efficere vel ſignificare ſiccitates ac intemperiem aëris delicatis nocivam: cæleſtes verò proportione ſervatâ tantam vim obtinere, quantam Aſtrologi tribuant Planetis, ſed & illis ipſis: & ſaltem eſſe ſigna, quæ Deus oſtentet, ut det metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant à facie arcus, ut Cometa ſit velut cæli lingua, quâ moneamur fugere ab ira ventura.

** Cottunii æqua de Cometis ſententia.*

† Cometis apparentibus aliquando non moriuntur Principes: contra non apparentibus, ſæpè moriuntur.

‡ Angelorum miniſterio formari Cometas piè dici poteſt.

Oſtenta divina admonendis officii mortalibus data.

Tycho omnem vim Cometis adimi non vult.

VIII. Memoriæ prodit Tychonem damnare eos, qui ob errores Aſtrologorum & humani ingenii imbecillitatem in aſſequendis certis horum portentorum præſagiis, omnem ipſis energiam & vim ſignificandi adimant, quaſi Deus & natura novis iſtis ſpectaculis inaniter ludant, & nihil mundo prænunciatum velint. Ejus verò alumnum & adjutorem Longomontanum reprehendere Th. Eraſtum & alios ſtellis ordinariis exiguam, ſed Cometis nullam vim effectuum gignendorum vel ſignificandorum indulgentes. Deum enim & naturam nihil fruſtrà facere, & Deum ad bonum finem ordinare mala cuncta, quæ à Cometis ſignificantur: videlicet annonæ caritatem & ſterilitatem, ut terra quaſi feriando præparetur interim ad copiam frugum; & aëris procellas: ut ſic exagitatus defæcatior evadat: & morbos ac bella, ut exterminatis pravis hominibus renovetur mundus. Intereà verò innocentes ab his cladibus nonniſi ex pravâ opinione lædi, quia ſtat aureum illud Chryſoſtomi, *Neminem lædi niſi à ſeipſo.* Et quamvis nova hæc phœnomena intrà naturæ clauſtra, quod ad materiam & efficientem cauſam attinet, contineantur, quod ad finem tamen attinet, potiſſimum deſtinari ex divino præviſu ad ſignificandas Rerumpublicarum everſiones ac mutationes, & vellicandam nimiam ſecuritatem hominum, & Cometas eſſe Prophetas inſtar Jonæ, ſed mutos, qui divinam iram denunciant & mundi interituri ſigna ſunt. His & pluribus aliis prolatis palàm teſtatur diſplicere ſibi hunc divinandi pruritum, quem & in Keplero notat. In hôc tamen IX. aliquid ſingulare obſervat, nempe quòd multa ſagacitèr excogitata proferat, docens Cometas in hunc finem factos eſſe, ne regio ætherea à ſuis quaſi monſtris tanto tempore vacet, ſicut non vacat Oceanus à grandioribus piſcibus, rarò excurſu latrocinantibus, & ut coacta craſſâ ætheris pinguedine quaſi quodam excremento in unum apoſtema, purgetur cæleſtis aura, ne crebrò contingat, quod aliquando eveniſſe teſtantur hiſtoriæ, videlicet Solem per dies aliquot, ut Anno 1547. à die 24 ad 28 Aprilis: vel per annum integrum, ut anno cædis Julii Cæſaris, Sol ferrugineo aut ſanguineo colore hebetatus malignè luceat. Concedere præterea eum refert, Cometas aliquando caudâ ad terram uſque pertingere, & peſtilentiam invehere, ſed plerumque ſuprà Lunam verſari, ideoque falſo eis tribui

Deus non fruſtra Cometas oſtentat, mala ad bonum finem ordinat.

Cometæ phænomena naturalia à Deo adhibentur ad ſignificanda mala.

Kepleri divinationes ex Cometis petitæ notantur, ſagacitas tamen ejus in hoc argumento pertractando laudatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

bui ventorum & terræ motuum præſagia, cum nec ardeant, nec infrà Lunam ſint. Mutare tamen Cometam licet abſentem, rerum ſublunarium ſtatum, propter facultatem mundi ſublunaris animalem, à qua etiam ob ſympathiam cum cælo produci putat mineralia, flumina, pluvias, hanc enim à Cometis objectivè moveri & excitari ad gignenda ea, quæ cum Cometis analogiam habent, & ad irritandos hominum affectus ad bella. Cometæ porrò, ut in certo loco appareat & ſignificet, trajectionem dirigi & deſtinari vel à Deo, vel ab Angelo, bono malove, qui Cometas in æthere, ceu Cete in mari tanquam monſtra & portenta cæli producat, vel producta ad certos terminos ducat. Inſerit dehinc inter alia ejus verba, Cometam hunc (anni ſcilicet 1618.) à Deo inter ſidera exhibitum, ut eſſet teſtimonium univerſis & ſingulis mortalitatis ſuæ, utque admoneantur decretum eſſe Deo, brevi bonam generis humani partem promiſcue conditionis, quacunque fati lege ex hoc mundo transferre: hæc ut in genere certa, ſic de ſingulis incertiſſima eſſe. Nullum enim robuſto privilegium præ imbecilli, nullum juveni præ ſene, nullum vati præ conſulentibus. Monere itaque cæleſtem præconem, ut pro ſe quilibet Deo reconcilietur, migrationi ſe paret, terrena iſta negotia ſic componat, uti optat à deceſſu ſuo compoſita obſervari. Nec minus prudenter eundem addere ait, ſi monitis his pareatur, fore ut quem mors rapuerit, feliciter migret; & qui ſuperſtes vixerit, non indignè ferat ſe tàm feliciter deluſum ab Aſtrologo. Explicare ſe deinceps, & negare Cometæ vim perimendi homines, ſed Cometæ judicio univerſum ac cælum ipſum corruptibile eſſe: itaque & æquo animo ferendam homini mortalitatis ſuæ conditionem, dum videt Cometam cæli labem, & præparare ſe debere ad exitum non ità eminus futurum. Teſtari verò hiſtorias & ſapientiſſimos Hiſtoricos ac Philoſophos Cometis fulgentibus ſuccedere erumnas, non ſolâ Principum morte, rerumque exinde novarum occaſione, ſed mille aliis modis. Refert præterea eum poſtquam longum catalogum texuiſſet motuum & cladium, quæ Cometas exceperunt, agnoviſſe tandem ſuum conatum caſſum, & dixiſſe, *Itaque deſino hariolari, cum vel hoc nimium ſit.*

Cometa ab Angelo bono vel malo dirigitur.

Kepleri judicium Ethicum de Cometa 1618.

Kepleri vox ingenua de prædictionibus ex apparitione Cometarum.

X. Cometæ anni 1618. cujus cauda prolixior quàm ullius 150. retrò annis fuerit, veroſimile eidem Keplero viſum fuiſſe ait, perculſam vehementer naturam ſublunarem, & facultatem illam, quæ in globo telluris reſidet, ob ſympathiam imaginatione nixam, eidemque inſolentem morbum in copias Cæſarianas graſſatum, & bimeſtrem hyemem valdè nivoſam adſcribere memorat.

Cometæ 1618. cauda prolixa & effecta ex Kepleri mente.

XI. P. Cyſati ſententiam refert, quòd ſcilicet probabile ſit Cometas magna orbi & mortalibus mala portendere, ſed incerta, & temerarium eſſe aſſerere, quæ vel quibus illa portendantur, & licet naturales ſint, ex providentia tamen divina omen eſſe magnarum calamitatum, & Dei irati contrà reos, eſto non ad omnes calamitas illa perveniat, ſed fortè ad eos tantummodo quibus Cometa ad perpendiculum capiti imminet, aut ſuprà quorum Horizontem pluribus horis verſatur. Sed contrariam ſententiam adfert alterius Sui Socii Vincentii Guiniſii, qui in oratione de felicitate Cometæ probat Cometam Anni 1618. non tantùm infelicitatem, ſed & felicitatem polliceri, eò quòd multi Cometæ fauſti fuerint multis Principibus, ſcilicet Alexander Magnus Mitridati, Auguſto & aliis, pluribuſque argumentis hanc ſententiam adſtruit. Suam tandem hanc ponit: Si Cometæ ſint ſublunares, in ſublunari quoque natura ſingularem aliquam mutationem factam ſignificare, cujus effectus nondum planè defierint, ſed haud ita multò poſt prodituri ſint, juxta diſpoſitionem materiæ & concurſum aliarum cauſarum: ſi verò ſint cæleſtes, utique à divina providentia ordinatos eſſe, tùm ut mortales oculos in cælum erigant, & agnoſcant multa eſſe, quorum cauſam & naturam ignorare cogantur, eoque divinæ ſapientiæ faſtum faſceſque ſubmittant: tùm inde aliquid magni vel in ſe ſuiſque regionibus vel in aliis exſpectent, idque plerumque malum vel reipſa eventurum, ſi non placetur Numen, vel intentatum, ut ſic timore Numinis ad ſaniora conſilia

Ricciolus ſententiam moderatam de ſignificatione Cometarum fert.

Significarè nempe iis mala pœnitentiam agere nolentibus impendentia.

ſilia convertantur. Quod cum piè & prudenter dixerit, tùm & plura in hanc rem, homines emendationis morum ab ejuſmodi ſignis admoneri ſubjicit. *At velle*, inquit, *non dico divinare ſed conari ad id, & ex regulis Ptolemæi, vel aliorum Aſtrologorum prognoſtica Cometarum edere in vulgus, prorſus inane cenſeo, & irritamentum potius irati jam Numinis*, quàm obſequium aut expiationem ipſi debitam. Siquidem ad hujuſmodi prognoſin requireretur, ut plures ejuſdem per omnia conditionis Cometæ apparuiſſent, quorum effectus aut eventus ſubſecuti maxima ex parte perſimiles fuiſſent. At ſi attentè legas hiſtoriam Cometarum, nullus adhuc oſtendi poteſt Cometa fulſiſſe alteri ſimilis in figura, loco, motu, duratione, anni tempore &c. aut quorum inter ſe quod ad plures conditiones ſimilium, ſimiles quoquè fuerint effectus aut eventus ab ipſis ſignificati. Hinc in tabella fauſtos & infauſtos ponit Cometas. Illos inter primus eſt ante Chriſtum natum Anno 356. ſub Alexandri M. nativitatem, ſecundus Anno 336. cum idem habenas imperii, deletâ in Dario Codomano Perſarum Monarchiâ, capeſſeret. Tertius Anno 130. qui Mithridati illi ſcilicet Magno, Regum Clariſſimo, Aſiæ Servatori, Romanorum, orbis victorum, terrori, natalis fuit: Quartum cenſet illum Anno 119. ante Chriſtum Natum, quo idem Mithridates non minus victoriarum, ipſius ferè nominis Romani, univerſo orbi tunc tremendi, memoriam obliterare volentium, quàm imperii curſum auſpicatus eſt magna cum nominis ſui fama. Quintum denique illum Anno 40. ponit, quo Auguſtus rerum potitus *mox Lepidi & Antonii armis in ſe cedentibus, cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit*, ut Tacitus* ſcribit. *Factum id aſſerentibus ſalutaribus Reipublicæ terrarumque orbis fatis, eum conditorem conſervatoremque Romani nominis*, ut Vellejus ‡ ait. Nec immeritò. Quo ſcilicet *redeunte ad ſe rerum ſummâ, ſapientiâ ſuâ atque ſolertiâ perculſum undique & perturbatum ordinaret imperii corpus, nunquam coiturum, niſi unius Præſidis nutu, quaſi anima & mente rectum tunc fuiſſet*, ut perhibet Florus. Hîc verò quis pace Orbi ab Auguſto data Janum bis clauſum (quem nonniſi bis itidem antehac Roma vidit) ignorat? Quis illam publicam felicitatem ſeculi velut novi, quo *finita bella civilia, ſepulta externa, revocata pax, ſopitus ubique armorum furor, reſtituta vis Legibus, judiciis auctoritas, Senatui Majeſtas, imperium Magiſtratuum ad priſtinum redactum modum, priſca illa & antiqua Reipublicæ forma revocata, & quo rediit cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa cuique rerum ſuarum poſſeſſio, leges emendatæ utiliter, latæ ſalubriter, Senatus ſine aſperitate nec ſine ſeveritate lectus?* teſte Vellejo*. Quis & alia publicè & privatim domi foriſque egregia facinora? Illa intelligo ob quæ Cæſar Octavianus Pater patriæ, imò & dictator perpetuus dictus. Niſi quod hanc invidioſam dignitatem, quàm pertinaciter ei deferebat populus, eodem illo Vellejo teſte, tàm conſtanter repulerit. Imò verò & *Romulus propè appellatus erat, niſi ſanctius & reverentius viſum fuiſſet nomen Auguſti, ut ſcilicet jam tum dum coleret terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur*, ut floridiſſimus ille Florus libris ſuis coronidem, Auguſti temporibus perennem imponit coronam. Atque hæc occaſione illorum Cometarum felicium, à Ricciolo recenſitorum, qui nativitatem Servatoris noſtri antegreſſi ſunt, dicenda hîc judicavi. Sed his meritò addendus eſt ille Cometes ab Alſtedio indicatus, quem eodem, quo natus eſt Servator Anno Mundi, ut ille putat 3947. præeuntibus, Calviſio, Helvico, & ſequente Micrælio aliiſque Chronologis Clariſſimis, apparuiſſe teſtatur. Ut taceam quibuſdam poſt Origenem ſtellam illam, Magos, cultum & munera novo Regi recens nato Chriſto deferre volentes, ducentem Cometam eſſe. Quæ ſi ita ſe habent, aut tunc, aut nunquam maximè ſalutare & lætum ſidus Cometæ humano generi apparuit. Teſtatur autem ſacræ & civilis hiſtoriæ comparatio, eodem tempore quò Princeps ille pacis cæleſtiſſimus Salomon natus eſt, tertiùm ab Auguſto, pace ubivis terrarum parta, clauſum fuiſſe Janum, magis magiſque commendante ſe artibus pacis, imò *circumferente tunc terrarum orbi præſentiâ ſuâ pacis ſuæ bona*, ut ait Vell. * Auguſto, verè

Mithridatis Magni Regis Ponti laudes.

* Annal. 1.

‡ l. 2. c. 60.

Janus clauſus pacis index.

* l. 2. c. 89.

Chriſto principe pacis nato pax in orbe floruit.

* l. 2. c. 92.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

verè tali. Poſt natum Chriſtum Cometas felices Ricciolus recenſet, inter alios illum Anni 725. qui Carolo Martello, & 800. qui Carolo M. in Imperatorem tunc creato, proſpera præſagiverint. Denique longum ponit indiculum Cometarum, quos Magnorum Principum, ut Philippi Macedonis, Darii Codomani, Julii Cæſaris Auguſti, Caroli M. aliorumque mortes exceperunt: atque ita hanc materiam concludit. Nos antequam concludamus noſtra, paulùm hîc ſubſiſtemus. Cometam illum Carolo Martello felicem, & geminum quidem in Ann. 729. collocant Funccius, Calviſius, Eckſtormius & Alſtedius, credo & alii Chronologi, qui mihi ad manum non ſunt, & talia attingunt, ſecus quàm facit Pantaleon, Helvicus, Petavius. Ille enim annus, ut & ſequentes, ſed & præcedentes, ſcilicet 726. (à quo dynaſtiam Caroli illius Funccius arceſſit) & 728. victoriis inclaruerunt, ita ut hinc etiam videre tanquam in ſpeculo liceat, & ante & poſt Cometas bona malaque geri in orbe, ut &, huic proſpera, illi eſſe triſtia, & contrà. Quod & illa exempla mortuorum poſt Cometæ apparitionem Principum docent. Nam Cometæ Philippo & Dario fatales, ut ſic dicam, Alexandro, ratione regni paterni & acquiſitæ Monarchiæ Perſicæ, natales extiterunt. Idem in Cæſare & Auguſto, Carolo M. & Ludovico Pio, ſed & in tot aliis Principum exemplis videre eſt. Unius corruptio, quod nos & in rebus aliis docet natura, alterius eſt generatio. Occidente Sole Patris vel Anteceſſoris oritur ille filii vel Succeſſoris, quem præ illo adorare plerumque ſubjectos, milites præcipuè ferociâ captos novimus. Docet id inter plurima exempla Antonius Philoſophicus Imperator laudatiſſimus. Is enim ex veneno à Medicis, non medicam manum, ſed parricidalem mentem gerentibus, filio Commodo, qui rapere, quàm exſpectare imperium malebat, gratificari volentibus moriturus, Tribunum his verbis compellavit: *Abi ad Orientem, ego jam ad Occidentem commeo.* Cæterùm quòd ad Cometam, mortis Caroli M. prænuncium attinet, non annotat eum Funccius nec Calviſius, quod aliàs negligere non ſolent, ut nec Bucholzerus, nec faſciculi temporum Auctor Wernherus Rolewinck, nec Carolus Sigonius, accuratiſſimus Scriptor, imò nec Joan. Carnoten. in Annal. nec Adelmus in Annal. quin nec ipſe Eginardus in vita Caroli, ſed auctor vitæ Ludovici Imperatoris ejus morti præluxiſſe Cometam pag. 471. teſtatur, ut & Faſc. temp. Funccius, Calviſius, Bucholzerus, Sigonius, quos habeo, ut ita mirer quî Cometam hunc ante mortem Caroli apparuiſſe Alſtedius, & quidem illis teſtibus Eginardo & Faſcic. temp. advocatis affirmet, licet hæc ab aliis de Ludovico Pio, Caroli M. filio, referri ſciret & referret. At enim & paulò ante eum Eckſtormius hiſtoriam hanc Faſciculum temporum ad Carolum referre dicere non dubitavit. Sed de his aliàs rectius, ſi Deus ſinet. Hæc eſt, Generoſe Morſtini, mea de Cometis, tot auctorum & exemplorum auctoritate firmata ſententia, eos ſcilicet (ſicut & aſtra) in mentes humanas nullum exercere imperium, & non tantùm triſtia, ſed & læta prænunciare. Qua de re ſingularia quædam, meam ſententiam roborantia, à Clariſſimo Viro Joanne à Leuneſchlos, Profeſſ. in Academia Heydelbergenſi Matheſeos accepi. Sed his Te amplius, præſertim cum hæc, ut & pluria talia de hoc argumento lucem, ſi Deus volet, ſint viſura, obruere nolo: cui potius hîc tantæ verboſitatis venia abs Te petenda, ſed &, ſi probè Te novi, exſpectanda eſt. Vale, & me, ut par eſt, amare pergẽ.

Morſtinio auctor ſuam de Cometis & aſtris ſententiam exponit.

Franequera Hamburgum die 27. *Junii* 1665.

TAnti quòd laboris & ſudoris, meâ cauſâ ſuſceperis opus, immortaleis gratias reddens (munus enim hoc Gazam Perſarum puto) id unicum in votis habebo, ut occaſio mihi detur pari redhoſtimento amoris reſpondere Tibi, alio licet officiorum genere, nam quòd (parvâ ſchedulâ annexâ) à me petis

Vvv ſuper

Elephantum natura amnibus delectari, nec tamen eos ingredi.

ſuper hâc re diſquiſitionem & reſponſum, infanti Herculis cothurnos aptare videris, & aquam è pumice poſcis: cum Elephantibus enim, quos impenſè ajunt amnibus delectari, haud tamen eos ingredi, quòd inſcii ſint natandi, vix auſim ſulcare vorticoſum & vadoſum hoc pelagus, variis opinionum ſyrtibus ſcatens, præſertim tàm rudis & expers artis, ut potius Raſtrum quàm Aſtrum competat mihi; tempus ſcilicet à puerilibus ſtatim annis Oeconomicis inſumenti, poſt inter Aulæ Tropicos erranti, & Muſas mulas hactenus putanti: cujus mentem, aliquot demùm ſecuit meſſor ariſtas, ex quo melior afflavit genius. Undè Romanum quod exigis epiſtolium, ſi ſit abſque multis Priſciani colaphis, fortunæ imputabis mage quàm matris meæ filio, qui ne vili Phaſelo ad littus patrii fluminis exſors periculi fertur, tantum abeſt ut Auſonium, quod jam laceſſere cogitur, audacter conſcendat Æquor: quod, ſi hac vice abſque naufragio evadat, (favoris Tui unicâ aurâ implente carbaſa) liceat quæſo impoſterum uti ſolo Sarmatico lembo, tranſportandis mercibus hinc inde noſtris. Sed talia hîc præmittendo, ne digrediar à ſcopo, cœcus jam de coloribus judicaturus, ad tuum Libavium redeo, quem G. Tua, ut facilè videre eſt, non libavit tantùm, ſed in ſanguinem & ſuccum redegit. Dico igitur, non poteſt non arridere palato, quod planè è Tripode veritatis profert depromtum Author hic: præcipuè verò locus ille inſignis eſt, quo erroneas convellens hypotheſes refutat objectiones. Nimirum ſtellas multùm poſſe in inclinatione humanæ naturæ, in artibus & aliis actionibus. Falſum inquit fictumque eſt hoc. *Inaoles ex ſatu parentum felici & propitio Deo, diſciplina proba, monitoreſque fideles id agunt &c.* Item. *Falſum quòd Cometæ mira portendant, niſi illud portendere deducatur ex arbitrio mentis Divinæ, illo ſigno monentis &c.* Cui hoc Fromondi conſonum eſt, *Cometam videlicet non eſſe cauſam Phyſicam calamitatum, ſed ſignum potius ad placitum Dei utentis Cometâ.* Cedro digna verba & verè Chriſtiana! Hanc opinionem ſaluberrimam puto, hanc ab ineunte ætate, qualicunque lumine rationis utens amplectebar, ad quam corroborandam plura non addam, ne videar juxtà fluvium puteum fodere velle. Proſpera autem quandòque, non ſolùm triſtia Cometas præſagiiſſe, allata jam exempla docent, niſi quis velit caligare in Sole, ſed quandòque dico, multo enim plures hi Tibicines, funeſta orbi quam læta canebant, vel te ipſo fatente. Lipſii in tranſcurſu verba ponam ex Epiſt. XXI. cent. I. *Cometam & nos per hos dies vidimus, immanem, dirum, & facie haud ſæpè uſitata. Quid portendat quæris? Chaldæus non ſum, nec cæli ſigna cognovi: tamen hoc vetus novi*

Stellæ in naturam & libertatem humanam non exercent imperium.

Cometæ plura mala quam bona præſagiverunt.

Ουδεὶς κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

cui verſui magis quàm Ariſtoteli credo, qui hæc talia ad cauſas fortuitas refert & internas. Hæc ille adſtipulatus, nimirum Virgilio de Julii Cæſaris, nec

- - Diri toties arſêre Cometæ

Cometa tribus diſtinctis vicibus 1664 & 1665. in Corvo, Lepore & Pegaſo viſus.

epitheton ſimile dedit huic ſigno cæleſti, qui triplici facie recenter apparens, jam ex parte huic Genti, ſub cujus patrocinio vivimus, fatale fuit, ac utinam is ſit finis calamitatis! Peſtis hîc quoque circumcirca graſſari magis cœpit & indies ſævit. Jam Aſtrologiam Judiciariam & Genethliacorum quod attinet doctrinam, (etſi ante jam ſenſum promſerim meum) cum Cornelio Agrippa dico iterum: *Omnes iſtas divinationum prodigioſas artes, nihil aliud eſſe, quàm ſuperſtitioſorum hominum fallaces umbras & conjecturas, per quas ambigua prognoſtica, artificioſâ verſutiâ confingunt.* Unde etſi Tacitus admiretur exemplum Thraſulli in Tiberio, & Filii ejuſdem Thraſulli in Neronis præſagio, dicatque quòd nonnullorum tantùm ignorantia corrumpat fidem artis, cujus clara documenta, & antiqua ætas & noſtra tulerit, Ann. VI. 22. Nihilominùs alio loco veritate adactus, tale *genus hominum* condemnat, ut *Potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod* (inquit) *in Civitate noſtra, & vetabitur ſemper & retinebitur.* Hiſt. I. 22. Cum

Tacito

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tacito jam & mihi tacendum erit, non enim poſſum longos logos texere, cum ſterile pectus deſerat materia, & par pari nequaquam reddere queam, ſed & Tu verboſitati (utut magis alienæ quàm tuæ) veniam poſcis, quæ potius mihi ſollicitè petenda eſt, quod tàm moleſta te mole oneraverim: quippe anſam præbui Tibi, non ſolùm myrmeriis ſententiarum evolvendis, verùm plurimis eruendis ac deſcribendis, quodque magis ruborem incutit, propria tua manu factum eſt, quaſi verò deſit tibi Amanuenſis. Verùm hæc omnia ſunt ad me tibi æviternè obſtringendum, qui ad extremos cineres

Manſurus ſum Tui amantiſſimus

TOBIAS MORSTIN.

Hamburgo Franequeram die 13. *Julii* 1665.

LIteræ Tuæ, decurrente menſe Junio exaratæ, mihi longè erant acceptiſſimæ. Nam & amorem verè fraternum & variam eruditionem ſpirabant. Labor ille in excerpendis Libavianis & Ricciolianis de argumento Cometico Tui cauſſa ſuſceptus, mihi levis, imò jucundus erat. Utinam hac occaſione aliquid præſtem, quod & publicis utilitatibus, operi ſcilicet meo inſertum, ſerviat! Atque id ita fore, divino fretus auxilio, ſpero. Sanè tuâ gratiâ majora quoquè facere paratus ſum, dummodò per alia negotia & ingenii tenuitatem facere quid poſſim! Revoco enim mihi in memoriam plurima nomina, quibus tibi obſtrictus ſum. Et ut taceam cognationis & affinitatis vincula, quæ nos mutuo jungunt, recordor & arctioris neceſſitudinis, quæ olim tùm apud exteros patruo Tuo Joanni piæ memoriæ, Herois illius Chriſtiani Chriſtophori, Præfecti Philippovienſis filio (quorum benevolentiæ eximiæ multa habeo documenta) cum patre meo, tum mihi in patria cum beato & verè ſancto patre Tuo Severino interceſſit. Tantò itaque magis mihi gratulor, me hoc exiguum officium, Tibi acceptum, & pluribus, ut ſpero, utile præſtitiſſe. Gratulor etiam mihi Tuum de Cometarum ſignificatione aſſenſum. Spero enim hanc meam ſententiam, licet à communi ſententia, quam & Magnus Lipſius ſequebatur, in diverſum eat, veritati & æquitati divinæ, tum libertati & præſtantiæ humanæ convenire. De Aſtrologicis placitis, in qua non penetravi, fateor, judicium temerè non fero, niſi quatenus ab ipſa ſapientia & æquitate divina, libertate humana & certa experientia refutantur. Peſtem ſine Cometa graſſari & vos ibi & nos hîc vidimus. Vidimus & belli, quod inter Britannos & Batavos geritur, cauſſas extra Cometam, & initia ante eum. Sed & cuncta mala ſine Cometis affligere homines, utpote peſſima quæque vitiis pertinacibus meritos, tùm verò etiam bona Cometis ſuccedere, experientia teſtatur. Verum de his plura aliquando leges, Deo volente, in opere meo. Vale, mi Morſtini, doctrinæ illi, quæ ſecundum pietatem eſt, id eſt veræ ſapientiæ ſtrenuam da operam, Avo, Patri, Patruoque ſimilis; agnatis verò, quos cum illo Dema amor ſeculi hujus (ah! quàm fallacis & momento tranſeuntis) ad primævæ veritatis integritatem vel deſerendam, vel certè ſimulatione prodendam induxit, diſſimilis: me autem conſtanti amore proſequere.

Morſtinii & Lubieniecii multis vinculis mutuis obſtricti.

Aſtrologica, utpote ignota, non damnat Auctor, niſi quatenus res id fieri poſtulat.

Peſtis Batava 1663. præceſſit Cometam.

Bellum inter Anglos & Hollandos ante Cometam ortum.

Malos mala abſque Cometis premunt.

Deſertores veritatis rerum terranearum ſtudio.

Addenda ad Communicationem Gravianam.

Hamburgo Franequeram die 19. *Junii Gregoriani Anno* 1665.

CUm in colendis amicitiis diligentem me officii erga quemvis, lege æquitatis id exigente eſſe oporteat, erga te certè diligentiſſimum me eſſe par foret, qui ſingulari diligentia colendæ amicitiæ mecum ſemel initæ, & huic ſubinde ſcriptione familiarium epiſtolarum renovandæ das operam. Quod verò huc-

Diligens officii eſto.

Gravii diligentia commendatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

hucuſque ad Tuas amiciſſimas, & tot egregiarum obſervationum Cometæ, ejuſdemque laborioſæ delineationis feraces, Tibi ex æquo non reſponderim; nolim id ulli negligentiæ, vel remiſſiori in excolenda amicitia ſcriptione, neque Aſtronomica, ac veluti languidiori vel defatigatæ menti, ſed potius continuis laboribus tribuas. Quippe hi in exarandis, ut aliis perquam plurimis, ita & de argumento Cometico in Galliam, Daniam, Sueciam, Angliam, Italiam, Pruſſiam, & diverſa Germaniæ aliaque celebria orbis loca literis à me ſuſcipiuntur. Tenuit me adhuc occupatum haud modicus nec ſimplex labor, nondum exantlatus, quem ſuſcepi, rem gratam amicis dehinc publico facere volens. Primùm quidem Tuo meoque illi Morſtinio, perdilecto & percaro capiti, commodavi in excerpendis ex Libavio & Ricciolo iis, quæ an & quantum operationis in hæc inferiora aſtris Cometiſque tribuendum ſit (quod à me antehac ſollicitè poſtulavit) exponent. Alterum Reverendis Viris Ricciolo & Kirchero, in adornando & quamprimum expediendo Prodromo Prodromi Cometici Heveliani, in quo quidem opuſculo quædam parerga inſeram ex literis ejus ad me datis ad rem facientia aliaque. Accipe in præſens has obſervationes, alteram Romanam, alteram Hevelianam. * Et quia Tua obſervatio menſe Februario & Martio habita pro Romana ſtat, velim ulterius mihi ſententiam Tuam exponas, annon ſcilicet medium Cometam inter illum ad Leporem & in Pegaſo conſpectum habuerimus? Ratiſbona ad me ſemel ſcriptum erat viſum ibi fuiſſe novum Cometam hora 11. noctis die 22. Maji. Hodiè verò accipi literas Lipſiâ die 6. Junii à populari meo, juvene bonæ fidei, ſed Mathematices rudi, datas, quæ nunciant viſum ibi eſſe circà 10. noctis Cometam die 30. Maji. Innue verbo, quid de iſtis phœnomenis ſentias. † Quod ad obſervationes illas hic Hamburgi habitas attinet, illæ ita ſunt factæ, ut partim ex binis diſtantiis à ſtellis evidentioribus & vicinis, ope radii Aſtronomici deprehenſis, partim & decuſſatione binarem rectarum per ſtellas notiores ductarum, ſitus Cometæ determinatus fuerit. Deinde Cometæ ſecundùm iſtum ſitum in globo locato aſſignata ſunt reliqua quæ opus fuêre. Quod autem ſcribis diſtantias ſemper ubique eaſdem eſſe, puto intelligi debere de diſtantiis ſtellarum fixarum, non verò de diſtantiis phœnomen. parallaxi obnoxiorum, quales ſunt Cometæ, quorum diſtantiæ à diverſis diverſæ (pro ratione ſcilicet diverſitatis, quæ tùm à longitudine, tùm & latitudine locorum dependet) traduntur. Ad meas quæſtiunculas partim literis meis, partim Generoſi Morſtinii ore propoſitas, ſi alicujus momenti Tibi eſſe videantur, reſponſum abs Te exſpecto. Vale & mihi conſtanter fave.

Literarum commercium de argumento Cometico Auctor amplum colit.

Morſtinio Auctor gratificatur operam in excerpendis Libavianis & Riccliolianis, de aſtrorum virtute & argumento Cometico.

Hevelianum Prodromum Cometicum Riccioli & Kircheri gratiâ in compendium redigit.

**Phænomeni in Andromeda obſervatio Graviana cum Romana convenit.*

Cometæ medii inter illum in Lepore & Pegaſo viſum conjectura.

† Obſervationum Hamburgenſium cum Franequeranis & Haganis comparatarum ratio.

Diſtantiæ ſemper ubique eædem.

Cometæ habent ſuas parallaxes.

Franequerâ Hamburgum die 28. *Julii St. V.* 1665.

NUper Schema ultimi Cometæ meo nomine tranſmiſit tuus Morſtinius. Vix & occaſio & tempus mihi erat literas, quarum commercia aliàs libentiſſimè frequento, addere. Ignoſcas inertiæ, cui habenas laxare in hiſce feriis anniverſariis non ſoli conſuevimus, ſcilicet in procinctu eram ad iter aliquod jam jam ingrediendum. Succedunt jam, quas pollicitus eram, dicti Cometæ Obſervationes, & quæ ad tua interrogata hiſce ſubtexuntur. Si nimis ſtricta aut brevioris ſtyli Tibi ea videantur, calamus facilè in hoc campo latius excurrere deinceps poterit. Quæ igitur velis, & quæcunque ego modo tibi poſſim ſuggerere, tua erunt. Interea favere publico pergas, cujus gloriæ ſi nomen tuum & aliorum feliciter inſerueris, æternitatem mereberis. Vale & me fove, ut cœpiſti.

Feriæ caniculares.


Obſerva-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Obſervationes Cometæ à menſe Aprili 1665. *& deinceps habitæ Franequeræ in Friſiis, à Matheſeos Profeſſore* Abrahamo de Grau.

Obſervationes Gravianæ Cometæ verni.

VIx memoria prioris Cometæ conſenuerat, cum ſtatim ad alterius terribilioris conſpectum reſuſcitaretur ſenſibilius. Ipſo Paſchatis Feſto die matutino tempore circa horam circiter ſecundam primum nobis apparere cœpit hoc ſidus, latiſſimè horrore ſuo conſpicuum: quo tempore omnium, quos curioſitas è lectulis ſuis trahere poterat, oculi in cælo erant.

Cometa verni natalis 26. Mart. 5. April.

Poſtea nebulis intercedentibus 31. Martii mihi etiam & aliis viſus eſt per tubum hic Barbatus. Sed non potuit grandiori inſtrumento ob ſubitum conſpectum & alia impedimenta obſervari exactè. Utcunque tamen mihi deprehenſus eſt diſtare ab ea, quæ eſt in cruris Pegaſi eductione ſtella clariore, Arabibus Seat Alpheras 5° 6′. propemodum, & à capite Andromedæ 10° 14′. ferè, itemque Azymuth habere à Septentrione verſus ortum 57° prope grad.

Sequenti die progreſſus interea verſus ſignum Andromedæ utcunque mihi apparuit diſtare Cometes à dicto in cruris Pegaſi eductione ſidere Seat Alpheras 10° 18′. ferè, & inveniri in Azymuth 16° 36. ferè, à Septentrione verſus ortum. $\frac{1}{11}$ April.

Sed hiſce duabus ſupra notatis obſervationibus me non confidere libens fateor. Altitudo meridiana in hoc phœnomeno menſurari à nobis non potuit, quippè Solis diem creantis præſentia, antequam ad meridianum circulum ſcanderet, hoc omninò inhibuit.

Sequenti tempore propius in conſpectum nobis ſe dedit hic Cometes, & clariori fronte cum ſua barba prolixiſſima, tanquam majoris mali interprete, notari potuit. Nam die ſecundo Aprilis diſtantia ejus ſtudioſius obſervata ab Andromedæ capite 2° 45′. ferè, & à dicta Seat Alpheras in cruris Pegaſi eductione 14° 27′. horâ dimidiâ quartâ matutinâ invenimus, longitudinem Arietis 8° 44′. cum latitudine 25° 45′. Boreali, & declinatione 25° 46′. itidem Boreali, habebatque Azymuth 53° 46. à Septentrione verſus Ortum. $\frac{2}{12}$ April.

Interea non ſtetit hoc ſidus, ſed præpeti curſu perrupit vi ſua adverſos cæli fluctus in Occaſum, ut vulgus Philoſophorum cenſet, delabentes.

Cæli motus ab ortu in occaſum ſententia communi nititur.

Igitur die ejuſdem menſis tertio non minori vultu has terras aſpexit, nobiſque viſus eſt cum barba ejuſdem propè longitudinis admodum candicante, in puncto horæ tertiæ matutinæ diſtare à dicta Seat Alpheras 18° 44′. & à capite Andromedæ 4° 29′. Oriebatur in Azymuth 52° à Septentrione verſus ortum, habebatque longitudinem Arietis 11° 41′. cum latitudine 22° 18′. boreali, & declinatione boreali 25° 22′. $\frac{3}{13}$ April.

Poſtea exiguum de ſuo fervore remiſit noſter, & maluit potius incedere quam currere, digreſſuſque a crinibus Andromedæ ſequenti quarto Aprilis die, pervenit ad humerum illius fœminæ ſiniſtrum, ſive ad primam brachii ſiniſtri eductionem, diſtans hora matutina 3° 15′. ab Andromedæ capite 6° 20′. a Seat Alpheras 20° 37′. eodem tempore deprehendimus exortum ejus in Azymuth 51° 40′. fere a Septentione verſus orientem, invenimuſque longitudinem ejus in Arieto 13° 36′. Latitudinem 21° 37′. borealem. Declinati onem 25° 28′. item Borealem. $\frac{4}{14}$ April.

Hactenus hic Cometes barbam ſuam longiſſime promiſit, & clariore ſuo ac nitidiore conſpectu eo magis terruit mortales, quo nec immutato vultu neque caſtigato horrore ſingulis ſuboriri voluit, non tamen diu aſpici, quam alias, cum familiariori apparitionis conſuetudine admirati onem ſui apud vaniſſimam plebeculam perdidiſſet, licet apparendi vicibus de nocte in noctem continuis non defuerit.

Atque ita die Aprilis quinto eodem propemo um horæ momento iterum com- $\frac{5}{15}$ April.

paruit cum magna ſatis barbæ ſparſione & capite rubicundiori, qua tempeſtate obſervata nobis eſt diſtantia ejus a Seat Alpheras 24° 41′. & ab Andromedæ capite 10° 9′. & Azymuth 51° & 20′. prope, a borea in ſubſolanum. Inde invenimus longitudinem ejus 17° 32. ♈ Latitud. Bor. 21° 44′. Declin. bor. 25° 58′. Exhibuit inſuper nobis in cælo rectam lineam cum clariore in cingulo Andromedæ Auſtraliori, & ea quæ eſt ἐν τῷ illius [illegible].

6/16 April. Sequenti die ſexto ejuſdem menſis, hora propemodum ſecunda matutini, vallum hujus civitatis cum eodem, quo ante uſi ſumus inſtrumento majore conſcendimus, applicuimus illi & novo ſideri oculos, barba ſatis longa ſupra finitorem aſcendente, nondum capite viſo, quod dum avidè exſpectamus, ſubitò nebulæ cælum occupant, & aſpectum univerſi luminis intercipiunt, nobiſque otium faciunt. Advertere tunc poteram è barbæ flexu, eum jam caput Piſcis Septentrionalis latius eſſe ingreſſum, cum proximè ſuperiori die in fronte ejus hæſiſſet.

7/17 April. Poſtero die ejuſdem menſis ſeptimo dicto tempore, non potuit ob nebulas circa horizontem oberrantes videri, & cum altius aſcendiſſet Cometes, die intercedente non videbantur aliæ, unde diſtantia exactius ſumeretur ſtellæ. Utcunque tamen diſtare videbatur ab ea quæ in capite Andromedæ eſt propemodum 14° & ab ea, quæ ἐν τῷ [illegible] 8° 36. ferè cum Azymuth præter propter 53°.

8/18 April. Ultimâ apparitione diei octavi, quâ aculeum fortius nobis inderet, & conſtantiorem ſui memoriam relinqueret, manifeſtior nobis fuit & grandior & terribilior, nam longiſſimam ſuam barbam, elevatiorem nobis & claram in cingulo Andromedæ Auſtralioremque præterfluitantem ſparſit, à qua ſtella paulò poſt tertiam matutini temporis diſtare à nobis deprehenſus eſt 11° 1′. & à capite Andromedæ 17° 53′ cum Azymuth 55° 36 à Septentrione verſus Ortum. Unde reperta fuit longitudo ejus ♈ 24° 36′ latitudo Borealis 15° 5′ Declinatio Borealis 25° 15′.

Ab hoc tempore ejus ſacrum, quo curioſius cælum ſuum intrarent homines, conſpectum invidit Sol, ubi paulatim diem nobis advexit invidit, & univerſum ubique cælum, quod aliquo poſt tempore nebulis planè contectum fuit.

Atque hæc brevis eſt rerum in cælo obſervatarum hiſtoria.

Cometæ verni magnitudo, Præterea hic Cometes apparuit tantus, quanta propemodum Venus perigæa, ſi fortè non major illâ. *Barba prolixa,* Barbam prætulit à ſecundo Aprilis die maximam, & utcunque dimetienti tunc vel 18. gradibus longam, ſparſione obliquè in altum porrectâ. *Claritas inſignis,* Quòd clarior cæteris apparuerit, indicio nobis eſt, maximum ejus fuiſſe corpus, utpote quod plures ſimul radios Solis reverberare potuerit, & per longum ſpatium vibratis radiis barbam extendere. *Motus celer,* Magnitudo quoque hæc facilè, è valido ejus & celeri ſatis inceſſu, à peritioribus citra fallaciam colligi poteſt. *Ortus & progreſſus,* Primùm nobis hîc Cometes apparere cœpit, ut ſupra ex hiſtoria Obſervationum conſtat, in pectore Pegaſi, & porrò moveri verſus Andromedam, citra cujus caput, & per brachium ſiniſtrum perrexit, & deinde per caput piſcis *Iter & diſparitio:* Septentrionalis, atque è regione cuſpidis trianguli ſive Deltoti videri deſiit, nobis vix mutatâ ad ſenſum magnitudine. Unde conſtat ſatis diu poſtea, ſi impedimenta non interceſſiſſent, videri potuiſſe. *Tandem color.* Color ejus, ut ſupra de lumine clariore dictum eſt, fuit candidus, & ſemel quod rubicundus, propter majorem proculdubio in exhalationibus Horizontalibus (nam ex iis tunc conſpiciebatur) refractionem.

Et hæc ſunt phœnomena, quorum cauſas ex iis, quæ aliàs ſcripſimus, oculatus Philoſophus facilè eruet.

Phænomeni in Andromeda obſervatio & deſcriptio Graviana. Quòd poſtulas, Vir Eminentiſſime, verbo tibi exponi, quid ſentiam de phœnomeno illo, quod nuper apparere incœpit circa Borealiſſimam in cingulo Andromedæ, facilè præſtabo. Primùm apparuit hoc ſidus circa tempus primi Cometæ ad Leporem viſi, ſub minutiſſimo punctulo obſcuriori. Deinde paulatim major atque major nobis videbatur, & quidem diſtinctius per tubum Opticum

cum ſpectantibus, facies ejus non poterat diſtingui, neque magnitudo ab ejuſdem Cometæ dicti circa cornu Arietis verſantis ſpecie villis cinctum. Colorem ſpargebat triſtem & quaſi plumbeum, à dicta in Andromedæ cingulo diſtare continuò viſum eſt intra gradum aut circumcirca, eo ferè modo, quo in Schemate per Dominum Morſtinium tibi tranſmiſſo notavi. An ſit ſtella fixa, aliquibus maculis conſerta, & nondum è ſua ſede expulſa, an verò Cometes, è ſuperiori loco ad centrum noſtri vorticis magis magiſque ad rectiorem lineam deſcendens, atque ad certam diſtantiam à Sole & tellure aliquandiu hærens, dubitari poteſt. Item, an rectè cum Epigene apud Senecam lib. 7. Natur. Quæſt. c. 6. *Duo Cometarum genera ſtatuantur, quarum alii ardorem undique fundunt, nec locum mutant; Alii in unam partem ignem vagum in modum Comæ porrigunt & ſtellas permeant*, etiam à quibuſdam dubitari poſſet, licet alias multis illa diſtinctio comprobetur. Cuilibet integrum erit judicare quod voluerit ex iis quæ de apparitionibus hujus phœnomeni hîc tradimus. An in univerſum hoc anno quatuor comparuerint Cometæ, vix dixerim, ſalvâ tamen aliorum, & quoque ipſius Magni Hevelii authoritate. Interim non videor contemnendas habere rationes ob quas affirmem illos, quos primùm & ſecundum faciunt, eſſe tantùm unum eundemque Cometen.

Sitne hæc ſtella fixa vel Cometes Gravius ipſe dubitat.

Cometæ Epigeni alii immobiles, alii mobiles.

Cometas quatuor hoc anno apparuiſſe vix dici poteſt.

Cometa in Corvo & Lepore unus idemque fuiſſe Gravio putatur.

De prognoſticis Cometarum nuper ſcripſit Giſbertus Voetius Theologus, homo mathematices ignarus, copia ejus ſcripti hîc haberi poteſt.

Voetii liber de prognoſt. Cometarum.

Hamburgo Franequeram die 18. *Septembris St. Gregoriani* 1665.

Licet ad editionem operis mei noctes dieſque incumbens, Amicis meiſque propriis ſtudiis & negociis aliis vacare nequeam, Tua tamen ſingularis erga me benevolentia jure ſuo à me exigit, ut Te etiam nunc compellem. De illis quæ mecum communicare de argumento Cometico voluiſti, ampliſſimas Tibi ago gratias. Benè hâc ratione Tuæ exiſtimationi, votis meis & publicis uſibus conſuluiſti. Utinam idem faciat tandem Clariſſimus N.N. à quo nondum extundere literam poſſum, ex quo primùm apparente Cometa eum compellavi, & poſt hac aliquoties. Tu ſi illo uteris familiariter, velim amicè moneas eum, ut paria tecum cumque tot aliis Viris doctiſſimis faciat. Clariſſimus Hevelius ante dies octo ad me literas dedit, & ſimul reſponſum, quod ad phœnomenon illud attinet. Non Cometam ſed ſtellam tantummodò fuiſſe nebuloſam dicit, quæ tamen tubo conſpecta, ſimilem ferè Cometæ ſpeciem exhibuerit, non nova aliqua nunc orta, ſed à plurimis annis ibidem exiſtens, & Anno 1614. à Simone Mario obſervata. Addit porrò, Andromedam ſi quis aſpiciat, eodem loci ubi antea illud ipſum phœnomenon inventurum, nempe uno gradu paulò plus diſſitum à boreali in cingulo, catenam verſus Andromedæ. Viſa eſt in diverſis Germaniæ locis interdiu ſtella, viſa & hîc loci; creditur eſſe Venus, ab ipſo quoque Hevelio. Vale & mihi porrò fave.

Auctor officio ſuo erga Gravium defungitur.

Occupationes tuæ privatæ debita amicis officia non intervertant.

Hevelii judicium de phænomeno Andromedæ à Gravio & Romanis obſervato.

Franequerâ Hamburgum die 8. *Martii* 1666.

Hactenus ad literas nos citarunt cælites, quorum conſortio nos aſſerere noſtri officii duximus. Quod ſi placeat etiam Minervæ ſacris nobiſcum uti, non deerit author & fautor. Sunt enim noſtræ arti ex aliis multæ quæ ſocietatem præſtare poſſent. Philoſophia ſtatim ſe prodit, cujus viciniam etiam Mathematici affectare non abſque detrimento ſategerunt. Hiſtoriæ & Antiquitatum Scriptores hîc & manus dant & commodant. Mars hâc arte ſævit in armis. Neptunus

**Gravius abſoluto argumento Cometico ad alia in re literaria diſcutienda argumenta Auctorem invitat.*

Matheſis aliis diſciplinis Philoſophicis affinis:

Ejus uſus & abuſus multiplex.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Neptunus latiſſimè ſua vela ſpargit: Geometra latifundia diſpenſat & dividit. Pictoribus atque Architectis etiam ſua inde petuntur argumenta & lineæ. Inde abacum excutiunt avarorum digiti, imò tota terra, & quicquid ſuo pondere circumgeſtat, modum avaritiæ & ambitionis inde malè quærit, quæ omnia tantum limis oculis aſpicimus ex noſtra arte, ubi malè videmus. Summam rerum noſtrarum nondum habes, quod ſi coram eſſes, plura tibi occurrerent, quæ à noſtris non exſpectares. Quod ſi cælum nova quædam nobis aperuerit, & novitatis gratia etiam in cæteris partibus apud te aliquid poſſet, libenter & ſine ulla ſollicitatione (monitore tantum epiſtolâ) qualicunque tuum erit. Scribas velim quonam opus tuum de Cometis pervenit; anne manum ultimam habeat, aut exſpectet: me inſpectorem atque authorem gratitudinis, tuæ eruditioni referendæ, ubi ad meas quoque manus pervenerit, habebit. Si quid novi apud veſtrates, velim impertias. Antequàm claudam paginam, Tuum amicum Dominum Morſtinium, tanquam optimum Virum, mihi probatum, & omnibus numeris jucundiſſimum & diſcipulum & amicum fuiſſe coram te teſtor. Hîc finio, manumque de tabula (cui inſcribendæ tibi vices commendo) traho. Vale Amicorum non infime.

Gravii erga Auctorem benevolentia eximia:
Idem in ſtatum operis inquirit:
Et illud videre deſiderat.
Morſtinius à Gravio laudatur.

Hamburgo Franequeram die 9. Aprilis Gregoriani 1666.

POſt diuturni ſilentii moram & longam reſponſi Tui exſpectationem, pergratæ mihi fuerunt Tuæ literæ, quas die 8. Martii datas hodie demùm Nobiliſſimus & Humaniſſimus benèque moratus Juvenis Joannes Borzimovius, popularis meus (qui à Vobis, ex clariſſima illa Muſarum ſede, velut à mercatura bonarum artium, non inanis in patriam redit) mihi attulit. Inſpectis Tuæ epiſtolæ occaſione ſcriniis meis, & literarum mutuò ſcriptarum tabellis, me benevolentiæ Tuæ vicem jurè exſpectaſſe deprehendi. Silentium Tuum præter graviores eaſque aſſiduas occupationes Academicas, peſtis metus bellique motus, graviſſima literarum impedimenta, apud me excuſarunt. Commercio & ſtudio literarum me delectari, quantum quidem tenuitas ingenii & conditio ſortis meæ permittit, ex opere meo, Deo volente, cognoſces. Crede vera dicenti, cuncta temporum momenta mihi in diffuſum Philoſophicis ſtudiis opus toto pectore incumbenti, ad rationes eſſe revocanda, ne diu exſpectationem ac vota ut aliorum Amicorum, ita & Tua, differam. * Crede me adhuc in cælitum commercio eſſe, nec ab eo abſtrahi poſſe, antequam propoſitum curſum abſolvam. Longius ut per immenſa cæli ſpatia evager, benevolæ, humanæ & publicis utilitatibus conſulentes plurium Virorum eruditione præſignium confabulationes efficiunt. His tamen in prima Theatri Cometici parte, una cum ſpecimine ſociarum illarum, quas celebras, præſtantiſſimæ artis Mathematicæ, diſpoſitis, finem feciſſem. Sed præter exſpectationem pars altera Theatri, longè difficilior, me diſtinet, omniumque vota moratur. Hæc enim Hiſtoriam Cometarum Univerſalem, & ſimul ſacræ & profanæ hiſtoriæ compendium quoddam, ex junctis catenatarum rerum (Cometæ effectus à multis vocantur) beneficio Cometarum intervallis compoſitum, proponet. Nuſquam, crede mihi, quæ ad commendandam virtutem, & explicanda vitæ officia faciunt, negligo. Itaque non exiguas Practicæ Philoſophiæ particulas in illo Theatro propoſitas, & à Cometa æquitatis ſymbolum BONA BONIS, MALA MALIS generente inculcatas, Tibi tutò polliceare. Has ſpes ſatis amplas, ne dicam, ſuperbas, dum facio, univerſæ propè Philoſophiæ experimento Chriſtianum orbem donare me velle cogitabis. Fateor vota mea euſquè excurrere. Hoc Tibi adjunctum his Hiſtoriæ Cometicæ exordium, quod boni & æqui conſulas velim, indicabit. Inveniet ibi magna illa ingenii Tui vis non ignobilia argumenta, in quibus induſtriam humanitatem exerceas. Niſi aliud velis diſcutiendum

Borzimovius Joannes laudatur:
Literas Gravii ad Auctorem perfert.
Silentium Gravii Auctor habuit excuſatum.
Peſtis & bellum graviſſima literarum impedimenta.
Auctoris ſtudia & occupationes.
Temporis parcus eſto.
** Aſtronomicis adhuc Auctor vacat:*
Horum ſtudiorum cauſa & uſus.
Operis hujus rationem Auctor Gravio explicat.
Hiſtoria Cometarum quî ab Auctore componatur.
Philoſophiam Moralem Auctor magna ex parte in opere ſuo excolit.
Hiſtoriæ Cometicæ initium Auctor Gravio mittit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tiendum ſumere, ætas Hipparchi, immenſis ſpatiis diviſa, Tuam curam jure ſuo in ſe convertit. Sunt plura in promtu, quæ virorum doctorum diligentiam fatigant, ejuſdem generis ætas Mithridatis Magni: ætas S. Martini: ætas & poſteritas Caroli M. imperio Romano & regno Gallico, tùm verò Caroli Martelli, illius Siculi, regno Hungarico gaudens: alia ut taceam. Hæc ſi Chronologis diſcutienda relinquas, jure Tuo uſus (ideò ego nudius tertius de his ad Doctiſſimum Ricciolum, poſt Geographiam & Aſtronomiam Chronologiæ reformandæ intentum, retuli) quæ mox adferam, ad ſphæram Tuam propius accedentia, facilis examinanda ſuſcipies. Proximè circa mortem Ludovici Pii novem Cometæ intra ſeptem annos annotari & indicari ab Auctoribus videntur. En Tibi tabellam, quæ rem ob oculos ponit!

Hipparchi ætatem Auctor à Gravio determinari poſtulat.

Mithridatis ætas difficultate non caret.

S. Martini ætas quodammodo dubia.

Cometarum novem circa Ludovici Pii mortem indiculus:

Cometa Anno Chriſti,

1. 837. in Libra. Annal. Fuld. in Virgine. Calviſ. Vid. Eckſtorm.
2. 838. in Libra. Rockenbach. in Scorp. Calviſ. Vid. Aventin. & Eckſtorm.
3. 839. in Virgine (corr. 837.) Auctor vitæ Ludovici in Ariete. Vincent. Funcc. Rockenb. Eckſtorm.
4. 840. in Scorpio (corr. 838.) Auctor vitæ Ludov. Alſted.
5. 841. in Aquario. Annal. Fuld. Vid. Alſted.
6. 842. in Aquario. Funcc. Rockenbach. Eckſtorm. Vid. Alſted. tùm Chron. Fontanell. & Nithard.

7, 8, 9. Anno 843. in Libra. Ariete & Aquario. Ricciol. ex Cardano.

Hæc Cometarum diviſio ſi demonſtrationibus firmari, & vel juſtis rationibus probari queat, de aucta Cometarum familia multum mihi gratulabor. Interim ne id temerario ſtudio quærere videar, dicam Tibi ingenuè ſententiam meam. Novem illos Cometas quatuor tantum eſſe puto. Ac primum fundamenti loco duo pono. Alterum eſt, diſpoſitionem capitum & annorum in Auctore vitæ Ludovici ex ipſa ejus hiſtoria ita, ut dixi, eſſe corrigendam. Alterum, Cometam illum in Virgine Anno 837. certam obtinere ſedem, & in eam referendum eſſe illum ab Aventino & Eckſtormio ad ann. 838. poſitum, quod ex ſigno Virginis, in quo luxit, & conſtanti 25. dierum duratione annotatâ apparet: tum & cum eo conjungendum eſſe illum 837. in Libra à Fuldenſibus, & 838. itidem in Libra (initio apparitionis Cometæ contra ſeriem ſignorum procedentis hinc ſumto) à Rockenbachio indicatum. Hôc poſitô Cometa ab Eckſtormio in 837. poſitus, qui autumno Solem anteceſſit, neceſſariò in 836. referendus videtur, ut ita ex 838. in 837. referatur ille Cometa, quem in anno 837. fixâ ſede collocavimus. Atque hi duo mihi ſunt Cometæ in 836 & 837. ponendi, ille antecedens Solem auctumno, hic eundem verè ſequens. Tertio Cometæ in Scorpio Anno 838. ſedem Anonymi illius & Calviſii auctoritas conciliat. Huic adjungo illum 839. in Ariete obſervatum, ut pariter ibi initium, hîc finis obſervationum Cometæ contra ſignorum ſeriem progredientis intelligatur. Quartus denique erit ille in Aquario, qui exeunte anno 841 & ineunte 842. obſervatus eſt. Atque hoc eſt quod ad rectè conſtituendas Cometarum circa mortem Ludovici ſedes & rationes apud me invenio. Adeòque tres Cometas Alſtedii 840, 841, 842, ſignis Scorpii, Arietis & Aquarii (illum enim 837. in Virgine, in 814. rejeciſſe, & à Ludovico ad Carolum patrem retuliſſe cum comperio) annis 838, 839 & 841 ſimulque 842. illos verò tres Cardani 837, 838 & 841 ſimulque 842. deputo. Inter hæc, meliora doceri ſi poſſim, non parum gaudebo. Iccircò reſponſum à Ricciolo, Bullialdo, Te aliiſque Viris doctis, ad quos eâ de re retuli, cum deſiderio exſpectabo. Eſt autem unum, de quo à Te doceri cupio. Auctor ille vitæ Ludovici Pii Cometam illum in Virgine, *non more errantium ſiderum ſeptem Orientem verſus petiiſſe*: at Aventinus,

Hos Auctor quatuor tantùm eſſe putat.

Cometa ad annum 837. & 838. notatus in Virgine & Libra unus idemque eſt.

Eckſtormius correctus aliis auctoribus conciliatur.

Cometa ad ann. 838 & 839 notatus, in Scorpio & Ariete unus idemque eſt.

Cometa ad ann. 841 & 842 notatus unus idemque eſt.

Cometarum circa Ludov. Pii mortem ſeries ab Auctore propoſita:

Qui meliora diſcere paratus eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Phænomenon in Andromeda à quibuſdam pro Cometa habitum,

Opponente ſe & vincente Hevelio.

tinus, *errantium ſiderum modo ab Occidentis ora in Orientem motum eſſe*, expreſſè ait. Atque hæc ſunt, Doctiſſime Vir, quæ Tibi nunc proponere volui, æquitatis Tuæ certus. Phœnomenon illud in Andromeda abs Te primo mihi indicatum, à nonnullis pro novo Cometa auctumnali habitum fuit. Cui opinioni Clariſſimus Hevelius reſtitit, & vicit. Generoſum Morſtinium cognatum meum tale teſtimonium à Te meritò ſuo obtinuiſſe gaudeo. Vale ac mihi ſemper fave, operis autem mei exemplum hoc anno, ſi vivo, à me exſpecta.

Hamburgo Franequeram die ult. Juliani 1666.

Silentium Gravii Auctor excuſat.

Gravii reſponſum ad literas ſuas Auctor deſiderat:

Ejus utilitatem demonſtrat.

Cometæ anni 1476. natales Auctor à Gravio requirit.

SIlentium Tuum diuturnum ad meas literas ante quatuor menſes datas, habebit juſtas & graves cauſas. Hoc enim credere me æquitas & erga te benevolentia jubet. Quamvis autem literas meas, ut & omnes noſtras antehac, rectè ad Te perlatas eſſe ſpero, tamen exemplum earum Tibi nunc mitto, ut tanto meliori jure reſponſum abs Te exigam. Intereſt nempe haud parum rei literariæ meæque privatæ, ut illud conſequar, quò tenebræ illæ incerti, in orbe non tantùm Hiſtorico, ſed & Aſtronomico obortæ, radiis veritatis diſcutiantur. His nunc addo quæſtiunculam de Cometa anni 1476. abs Te & Joanne Schulero Veſtrate annotato, quem apud alios auctores, quos in promtu habeo, & diligenter evolvo, non invenio. En tibi verò etiam Tuas verni Cometæ obſervationes, in quibus paucula quædam dubia ad marginem, ut vides, notata, à Te vel confirmanda vel corrigenda erunt. Id verò quamprimùm fieri peto, datis ad Humaniſſimum Juvenem Adamum Francum, qui editionem operis mei Amſterodami curat, & habitat, literis, ad quem ego hac ipſa die & hora apographum earundem Tuarum obſervationum mox prelo ſubjiciendarum mitto. Vale, Vir Humaniſſime, diu & feliciter age, ac mihi conſtanter fave.

Tuus omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Addenda ad Communicationem Bullialdianam.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 26. *Junii* 1665. *N.* 30. *ad* 66, 67 *&* 68.

AD literarum Tuarum ternionem reſponſum ut dem, exigit officii mei ratio. Ad ea primùm, quæ de meditato à Te opere agunt, reſcribam. Præter illa quæ ſuperioribus menſibus de priore Cometa ad Te ſcripſi, nihil Tecum communicandum habeo. De poſteriore, quem ſemel tantùm vidi, ex aliorum obſervationibus mihi petenda erunt, ut aliquid diſſerere poſſim. Unum ſæpius in literis meis repetitum legiſti, plura me præſtiturum fuiſſe, ſi locus ad collocanda inſtrumenta, quæ penes me habeo, opportunus mihi conceſſus fuiſſet. De illis porrò rationibus phyſicis, quæ ad Cometarum naturam, generationem materiamque definiendam variæ afferuntur, parcius dicere decrevi, cum ſolis conjecturis nitantur: neque etiam ſi ſcopum quiſquam attigerit, ſe veras inveniſſe aliquando reſcire poteſt. Opiniones aliquas cæteris veriſimiliores eſſe ſcio, & fateor. Galilei, celeberrimi illius Viri, in cujus ſcriptis judicium exactiſſimum, quotquot rerum Mathematicarum periti ſunt, agnoſcere debent, ſententia valdè probabilis eſt; ex Sole nempe materiam Cometicam diffundi, & maculas in ejus diſco viſas in globum unum coaleſcere, Cometamque inde generari & fulgere, cum docuit, rationi aptius, & rerum naturæ convenientius, quàm tota Ariſtotelis familia, locutus eſt. Eum ſecutus eſt noſter Hevelius Aſtronomus inſignis, amplioremque penum illis novis phœnomenis, undè materiam expromant, in Prodromo ſuo aſſignavit. Solem etenim unicum, unde fluat non ſtatuit, ſed ex aliis quoque Planetis illam, ad molem corpoream Cometæ formandam, confluere aſſerit. Materiam iſtam eſſe ætheream ex obſervationibus conſtat: ex qua verò parte ætheris progrediatur, niſi conjecturis nixi diſputare non poſſumus. Ex materia Galaxiæ analoga & ſimili conflari moles iſtas, Libavio mihi quoque veriſimile videtur. Nec falſam opinionem meam arguet ullus diverſæ vindex & aſſertor, nulliſque incommodis & abſurditatibus eam involvi demonſtrabit, quin ſimul ſuam ἀτοπωτέραν καὶ φλυαρώδη μᾶλλον*, & citra negocium forſan, oſtendam. Abſurdæ quædam ſunt opiniones adverſus phœnomena pugnantes, quæ falſitatem, quâ laborant, ſtatim produnt: ejuſmodi eſt illa mordicus à Peripateticis propugnata: ſimiliſque notæ illa eſt, quæ Planetas aliquos, vel ſtellas ad illos producendos concurrere ſtatuit. De illo autem argumento ſcribere nunc plura nequeo. De communicatis mecum Illuſtriſſimi Domini Hevelii & Domini de Grau epiſtolis gratias Tibi ago. Ut Illuſtriſſimum Dominum Rautenſteinium meo nomine ſalutes oro. Reverendum quoque P. Alberto Curtio nomine meo ſalutato officia mea ut offerat, expeto. Vale Vir Generoſiſſime & feliciter vive.

Bullialdus officioſus in Auctorem.

Diligens in obſervandis Cometis,

Loco commodo deſtituitur,

Modeſtè de argumento Cometico diſputat, nil temerè definire volens.

Galileus ejuſque de Cometis ſententia laudatur.

Cometas ex maculis Solis generari probabiliusquàm ex terrenis exhalationibus in aëre accenſis.

Bullialdus Libavio aſſentit de materia Cometarum galaxiæ analoga.

* magis abſurdam & vanam potius

Peripateticorum de Cometis opinio Bullialdo improbatur.

Hamburgo Lutetiam die 11. *Julii Anno* 1665. *N.* 17. *ad* 30.

SEntentiæ Tuæ, quæ vult de Cometarum natura, generatione & materia parcius eſſe loquendum, cum hæc omnia ſolis conjecturis nitantur, lubens meritòque ſubſcribo. Permoveor enim tùm exempli Tui auctoritate, (cum tamen Tibi communis literati orbis calculus magnam rerum Mathematicarum ſcientiam tribuat) tùm rei ipſius magnitudine, quæ meum captum prorſus excedit. Scio autem & Ariſtotelem, Coryphæum Philoſophorum, Aſtronomica Eudoxo, illi Platonis auditori, & Aſtrologorum ſui ſeculi, judicio Doctiſſimorum Virorum, teſte Cicerone, facilè Principi, tanquam artifici in ſua arte, dijudicanda reliquiſſe. Non tantùm enim idem ille Ariſtoteles mentes humanas,

Cometici argumenti difficultates omnes expediri non poſſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

rerum naturam cernentes & contemplantes, noctuarum inſtar in media luce cæcutire ait. Nec ſolus Seneca in doctiſſimo ſuo de Cometis Commentario, quo libris natural. quæſt. colophonem impoſuit, ad modeſtiam nos componit.

Modeſtiam in argumento Cometico Seneca ſuadet.

Ab omni certè temeritate ignota affirmandi, & impudentiâ falſa comminiſcendi revocat, *tàm ardue erui quæ tàm altè jacent*, mirandum non eſſe aſſerit, imò Cometas inter ea *quæ per ſecretum eunt, nunquam humanis oculis orientia* ponit.

Arabum ingenia excellentia.

Incerto magno in argumento Cometico omnes turbamur.

Sed & Arabum, quorum tamen excellentia & curioſa ingenia miramur, nonnulli, & Novitiorum Philoſophorum multi Cometas arcanis naturæ annumerare non dubitant. Doctiſſimus Wendelinus nil hîc ex veteribus amplius, quàm nil eſſe certi, diſci poſſe docet. Atqui noſtri, ut curioſiotate, ita & ſcientia rerum abditarum omnes illos ſuperaſſe videntur. Liceat itaque aliquando, & nobis intra clathros modeſtiæ concluſis, tùm animi gratiâ, tùm etiam ſtudio inquirendi veri, libertate Philoſophicâ uti, ſed, ut voce divinâ monemur, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν *. Itaque & ego pauca addam de hoc argumento, & quidem occaſione eorum, quæ ad me poſtremò ſcripſiſti.

** Sapiendo ad ſobrietatem.*

De ſententia Galilæi, Viri profectò in Mathematicis ſubtiliſſimi, & tùm ad hæreſeos invidiam, tùm ad perſecutionis acerbitatem ob ſententiam de Terræ motu celeberrimi, opinione de Cometarum ex maculis Solaribus effluentibus & diffuſis, inque unum corpus compoſitis generatione, plura ex Te quàm ex Ricciolo Doctiſſimo didici.

Cometa halitus terreſtris ſupra Lunam elevatus, à Sole illuſtratus:

Vel congulum macularum Solarium:

Vel denique corpus ex effluviis Solis aliorumque Planetarum compoſitum.

Is enim ſententiam ejus fuiſſe dicit, ut & Guiduccii, Rothmani aliorumque, Cometam eſſe halitum terreſtrem ſupra Lunam elevatum & à Sole illuſtratum. Paulò verò infra exponit Fieni, Snellii, Cyſati & aliorum ſententiam de maculis Solaribus ſive faculis in unum corpus Cometicum congregatis. Hanc verò amplam penum, quam novis iſtis phœnomenis, undè materiam expromant, Clariſſimus Hevelius noſter in aliorum quoque Planetarum corporibus & eorum effluviis aſſignaſſe dicis, prout etiam ſe res habet, Ricciolus ibidem apud Cabæum & Telleſium commonſtrat. Itaque noſter ille tot & tantorum Virorum auctoritate in contradicentes pugnare poteſt. Materiam iſtam æthereàm eſſe plerique, ut animadverto, conſentiunt, qui rectiùs ſentire & philoſophari videntur. Itaque qui Cometas aëreos & ſublunares eſſe dicunt (quod & ipſe Clariſſimus Hevelius quadamtenus, breviſſimæ ſcilicet per aërem trajectionis reſpectu, concedere mihi videtur, & dari tales Cometas Ricciolus docet) etiam quoſdam ſupra Lunam evehunt, ut Mæſtlinus, Gemma, Roeſlinus & alii ab Ricciolo nominati.

Tychonis auctoritas Libavio & Bullialdo favet.

Longomontani, Libavii & Bullialdi eadem ferè de Cometis ſententia.

Archelaum Macedonem pro Attalo Pergamenſi Milichius ponit.

Qui etiam indicat, quod unà ad Tua dicere par cenſui, Tychonem ſtatuiſſe, judice Fromondo, Cometas per condenſationem viæ lacteæ fieri. Cui ipſe & Longomontanum adjungit, & teſtatur utrumque putaſſe Cometas generari ex illa materia cæli, quæ eſt in via lactea, tanquam propius ad id præparatâ & diſpoſitâ. Seneca equidem memoriæ prodidit Rege Archelao Macedone apparuiſſe Cometam initiò modicum, qui poſtea creverit, ac ſe diffuderit, totamque viam lacteam compleverit. Ita quidem Milichius in Plin. l.2.c.25. Sed apud Ricciolum & ipſum Senecam hæc Rege Attalo illo, ut Ricciolus conjicit, Pergamenſi accidiſſe lego. Quod reliquum eſt, omnes qui in Republica litteraria verſantur, quanti Te, Vir Doctiſſime facere debeant, benè norunt. Vale & mihi conſtanter fave, ac proſperè age.

N. 72. *Hamburgo Lutetiam die 18. Julii 1665.*

Bullialdus librum Ptolemæi de facultate judicandi ad Auctorem munus miſit.

NIhil literarum in præſentia abs Te accepi. Accepi tamen egregium affectûs in me Tui documentum & monumentum, librum ſcilicet Ptolemæi de judicandi facultate & animi principatu, abs Te non tantùm editum, ſed & doctiſſimis Commentariis illuſtratum, triplicique veritatis præſidio, Scripturâ S. Ratione & Antiquitate munitum, qui lucem nunquam antehac viderat. Hunc nunc laboribus aliis gravato & diſtracto perlegere non datur: heri enim demùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

demùm eum accepi, unà cum ingenioſiſſimo libro Clariſſimi Domini Auzout, Viri, ut video, non tantùm in rebus Mathematicis egregiè docti, ſed & ſubtilis ac induſtrii. Huic de hoc dono præclaro debitas ago gratias, & hoſtimenti vice aliquandò, ſi Deus vitam conceſſerit, per Te mittam Indiculum quendam Cometarum, ut & ſecutorum iis conſpectis malorum bonorumque, quò tandem infamiam Cometis, quaſi tantummodò triſtium prænunciis, ab omni ævo impactam, vel detraham, vel certè diminuam. Specimina alicujus hâc in re inveſtiganda induſtriæ meæ habuiſti ſparſa in literis meis, vel ad Te ipſum, vel ad alios ſcriptis. Habebis & in iſtis, quas heri ad communem Amicum Ampliſſimum Dominum Hevelium miſi. Maximi enim Virum hunc facio. Quod ut faciam, excitor illis quoque meritis elogiis, quibus eum in libri illius dedicatione ipſi factâ ornas. Aſtronomorum enim noſtræ ætatis Principem eum vocans, Eidem quòd Aſtronomicæ ſcientiæ coronidem faſtigiumque impoſiturus, aut ad ipſum cæteris, qui adhuc vixerint, propius acceſſurus ſit, & Aſtronomiæ ſedes ex Uraniburgo Tychoniano illûc Frawenburgo, ubi eas Copernicus 75. annis Tychone major, poſuerat, tranſlatas, in Boruſſiam revocârit, & Gedani, in urbe patria & multis nominibus nobiliſſima locârit, tribuis. Imò verò & notam ejus humanitatem aſſiduamque diligentiam, pauciſſimis imitandam deprædicas. Quæ itaque ad eum heri dedi, eo ipſo momento temporis, quo hæc Tua ad eum ante biennium publicè data accepi, jure meritòque ad Te, qui mihi hîc animum addidiſti, mitto. His adjungo quæ heri cum eo communicavi de nuper viſo à me & aliquot è domeſticis meis phœnomeno. Nudius, dico, tertius, poſt horam x. veſpertinam obſervavimus ad Occaſum duas faculas inſtar ovalis trabis lucentes inter ſpiſſas nubes, quæ velut cingulo in medio eas diviſerant. Paulò poſt aſſiluit ſubtùs à ſiniſtris tertia facula, quæ cum iis juncta majus corpus ignitum conflavit. Quod paulò poſt ad ſiniſtram flexum, & magis magiſque diminutum ante horam xi. diſparuit, cujus rei en tibi leviter delineatam figuram*. Hanc etiam cum Clariſſimo Viro Dn. Auzout communicare poteris, eique, quamvis ignoto de facie, at de nominis fama benè noto, plurimam ſalutem impertias velim. Eidem dicas, mihi eorum, quæ Pariſiis ad Clariſſimum Virum de Alenze, Secretarium Regium, de iſto ejus præclaro conatu, ut & de Obſervationibus Domini Bout miſſa fuerant, copiam fuiſſe factam à R. Caſparo Schotto, qui inter alias plures inſignes ſymbolas, operi meo inſerendas, hanc quoque mihi miſit. A dicto namque D. Secretario hæc communicata acceperat. In quibus & Tui, credo, fit mentio ad calcem: viam nempe Cometæ notatam fuiſſe per Dominum Bout. inde à die 26. Decembris ſupra plures globos, & inter alios ſupra globum Domini Abbatis Martineau & Domini Bovilliau, quæ ſit notata in charta ipſiuſmet Domini Bout: quam obſervationem habuit à Domino Montmor Magiſtro de Requeſtes. Tu ſi quid hîc addi velis, me monebis. Quamvis autem nondum libellum Dn. Auzout perlegere, ut par eſt, potuerim, tamen curioſo oculo eundem emetiendo obſervavi Eum in ea cum Hevelio noſtro eſſe ſententia, Cometam ante Kal. Decembr. obſervavi potuiſſe. † Et Hevelius quidem eum die 23. Novembris obſervari potuiſſe dicit: ille verò medio Novembris, imò & citiùs aliquantò. Facit autem mentionem obſervationis in Hollandia, à Samuële Carolo Kechelio ſcilicet die 2. Decembr. S. N. factæ, quam habeo. Sed velim ſcire ex Viro Doctiſſimo, an aliquam hâc priorem obſervationem acceperit: tùm quid ſentiat ut de illa obſervatione, quam auctor libelli in veſtra urbe impreſſi, cui titulus eſt *du Tri-Comete obſervé à Oxfort en Angleterre depuis le 22. Novembre*, ſtylum, ut puto, Julianum, Anglis familiarem, ſecutus divulgavit, ita & de illo ipſo libello. Humanitati Schottianæ duo hîc debeo, alterum de obſervatione Cometæ ad Memmingam in Germania à die 12. 22. Novembris, alterum de Brixienſi in Italia à die 25. Novemb. habita. Accepi in variis Germaniæ locis exeunte Novembri Cometam fuiſſe obſervatum.

Auzuti laus.

Cometis bona malaque ſuccedere Auctor affirmat.

Hevelii merita & laudes.

Copernicus præfertur Tychoni.

Phænomenon die 16. Julii ab Auctore Hamburgi viſum.

* Vid. hæc ad communicat. Rautenſtein.

Auzutum per Bullialdum Auctor compellat.

Butii obſervationes Pariſienſes.

Auzutius in quibuſdam cum Hevelio conſentit, in aliis ab eo diſſentit.

† Obſervationes Cometæ hyberni in Europa prima.

Tri-Cometa Oxonienſis.

Schotti humanitatem ſingularem Auctor prædicat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Archidux Auſtriæ ultimus moritur. Cometa aliquot diebus mortem Archiducis Auſtriæ ultimi anteceſſiſſe Viſus eſſe m. Maji & Junii ex variis locis ſcribitur. Heveliani Prodromi Cometici exempla Auctor Bullialdo & Auzutio dono mittit. Ægydius Menagius vetus Auctoris amicus.

Sed his priores obſervationes in Europa eſſe factas ignoro. Vienna nihil memoratu dignum accepi, niſi de luctu Cæſaris ex morte ultimi Archiducis, quam Cometes triduo ante urbi Comitatûs Tyrolenſis principali, quæ Latinis Oenipons, Germanis Inſpruc dicitur, imminens, præſagiviſſe dicitur, prout ab Amico noſtro communi Ratiſbonâ accepi, ut & confirmatum nuncium de Cometa die 22. Maji viſo. Hunc & Lipſiæ die 30. Maji viſum fuiſſe, Cracoviæ verò primis diebus Junii, accepi. Si & hæc Clariſſimus Dn. Auzout grata fore putes, cum eo pariter communicare poteris. Velim autem hàc occaſione judicium utriuſque veſtrûm de his tot phœnomenis cognoſcere, quò habeam quô librum meum exornem. Ampliſſimus Dominus Hevelius promittit ſe de his tot phœnomenis in Cometographia acturum. Prodromi ejus Cometici exemplum mittam proximè Clariſſimo Dn. Auzout, alterum Tibi, ut gratum animum meum Tibi teſter de hoc tàm inſigni munere. Velim me de Clariſſimo Viro Ægidio Menagio, veteri meo amico facias certiorem. Vale & me conſtanter ama.

N. 74.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum Kal. Auguſt. 1665.

Franciſ. du Pré. Auzutium Auctor apud Bullialdum compellat. Riccioli morbus periculoſus.

ANte octo dies dederam nonnihil ad Te literarum tàm tumultuariâ manu, quàm præcipitante tempore. Id autem tale & tantum fuit, ut nec in rationarium familiarium epiſtolarum noſtrarum referre id audeam. In præſentia paulò pluribus Te alloquor. Ac primum certiorem Te facio, me duo exemplaria Prodromi Heveliani, prout promiſeram, alterum pro Te, alterum pro Domino Auzout, notæ humanitatis & fidei amico Domino Franciſco du Pré, Veſtrò populari, hac in urbe agenti ad D. D. Fromontios deferenda tradidiſſe. Hâc viâ nuper doctiſſimum Ptolemæi librum abs Te editum, & Ephemerides Cometicas Domini Auzout accepi, & Aſtronomiam Tuam Philolaicam exſpecto, gratum animum Tibi omni tempore & modo præſtiturus. Adire ſcripto Clar. Dn. Auzout non audeo. Tu tamen velim ei plurimam ſalutem meo nomine, licet nondum ei ullo colore notus fuerim, deferas, & quanti eum faciam, teſteris. Si quid illis quæ humanitas Schottiana mihi operi meo inſerenda impertivit, alteruter veſtrum, vel etiam uterque addi velitis, id ad me commodo tempore mittatis velim. Quod ad illa quæ à nobis de hoc argumento ultrò citròque ſcripta ſunt, attinet, de his mentem Tuam probè cognitam & commendatam habeo, meam quoque Tibi expoſui, & de hac re nonnihil reſponſi abs Te opperior: nec non nuncium de Doctiſſimo Ægidio Menagio, quîcum & neceſſariis ejus Andegavi & Lutetiæ jura amicitiæ olim colui. Hæc autem ubique ſacra mihi ſunt & inviolata manent. Utinam ea cum Doctiſſimo Ricciolo diutius colere liceat! Sed verendum eſt, ne nobis eum vis fati inſuperabilis abripiat. Accepi enim ante triduum breve ab eo epiſtolium, die 15. Julii aliena manu exaratum, quo de aucto & in dies plus pluſque ſæviente morbo pertinaci, qui eum tympanicum & apoplecticum reddere, & ſub duras mortis leges trahere tentat, me reddit certiorem, ac ferè ultimum dicit Vale. Nec Tibi nec Hevelio gratus erit iſte nuncius, ſat benè ſcio. Sed patienter & fortiter ferenda ſunt, quæ vitari & ſuperari nequeunt, & ſemper ultima meta cogitanda, ut eam conſcia mens recti attingat. Orat ille, ne Deum pro ſe orare graver. Hoc quidem officii omnium Chriſtianorum mentibus incumbit. Sed ubi fixa & inevitabilis advenit hora, nullus precibus locus eſt, & fortiter ineunda mortis via, pios ad vitam meliorem ducens. Adeòque tunc verum eſt illud impii, pio ſenſu intellectum

Μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ.

(Una è Deis mors nulla captat munera) Æſchylus apud Ariſtoph. in Ranis.

Utinam

Utinam Deus amicum illum noſtrum communem alioſque bono literariæ & Chriſtianæ Reipublicæ quàm diutiſſimè ſervet incolumes! Teque etiam, Doctiſſime Bullialde, quod uno animo unoque ore mecum vovent & precantur Rautenſteinii, Heinſii, Hevelii, Bartholini, Curtii aliique plures Amici noſtrûm communes. Cum nonnemo Amicorum meorum ſingulariter commendârit mihi librum apud Vos de argumento Cometico editum, cujus auctor nomen ſuum reticuerit, & nonniſi literis initialibus I. D. P. M. indicaverit, & ſe Carteſianum eſſe demonſtrârit, præterea mentionem idem ille Amicus de libellis in hanc rem à Domino Fortfiſchero & R. Grandamico editis fecerit, velim me de his facias certiorem. Vale.

Bullialdus ob merita ſua vitâ longiſſimâ dignus.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 31. *Julii* 1665. N. 31.

HAc & ſuperiori hebdomada literas à Te Vir Generoſiſſime, accepi. Ad priores hoc Tibi reſpondendum habeo, ut de Galilei ſententia circa Cometarum materiam ex ipſius ſcriptis certiorem reddam, hunc Virum celeberrimum, judiciique exactiſſimi norma in animi ſenſis explicandis ſemper uſum, in Tractatu de Cometis à Mario Guiduccio in lucem edito pag. 39. editionis Bononienſis anno 1655. Tomo II. Operis Galilei; ex terræ exhalationibus in ſublime, & ſupra aëris metas longiſſimè provectis Cometarum corpus conſtare poſſe: deinde etiam alios fumos & vapores ex aliis ætheris partibus concurrere, ex maculis Solaribus probabile oſtendit. Cum verò Lotharius Sarſius ipſi objeciſſet hanc de maculis ſententiam, ac tanquam abſurdam deriſiſſet, ad eum reſpondet Galileus in Tractatu, cui titulus, *Il Saggiatore*. Primò ſententiam ſuam ut probabilem protuliſſe: nec unquam affirmativè eam, quaſi demonſtratione fultam aſſeruiſſe: deinde verò ab ea non diſceſſurum, niſi rationes validiores ei oppoſuerit Sarſius, affirmat. Hujus verò verba hîc tranſcribam ex prædicti tractatûs pag. 86. ejuſd. edit. eodemque tomo:

Galilei laus & opera.

Et ſententia de Cometis.

Lotharius Sarſius Galilei adverſarius.

Galileus modeſtè ſuam de Cometa ſententiam affirmat.

Nunc dico (ut redeam ad diſputationem) quòd ego nunquam affirmârim Cometam & maculas ſolares eſſe ex eadem materia. Sed nunc me ſtatim explicabo, quòd ſi non timerem graviores oppoſitiones mihi oblatum iri, quàm quæ productæ ſunt hoc loco à Sarſio, nihil mihi eſſet metus hoc affirmare & adhuc ſuſtinere.

Appreſſo dico (per rientrar nella diſputa) che io non hò maì affermato la Cometa, e le macchie ſolari eſſer dell' iſteſſa materia. Mà mi fò intender ben ora, che quando io non temeſſi d'incontrar più gagliarde oppoſitioni, che le prodotte in queſto luogo dal Sarſi, non mi ſpaventarei punto ad affermarlo, ed a poterlo anco ſoſtenere.

Ex quibus clarè conſtat, Galileum in ea opinione fuiſſe, ex maculis ſcilicet Solaribus materiam Cometarum promanare poſſe. Argumentis valdè probabilibus hæc ſententia propugnari poteſt: ſed & illa, quæ Galaxiæ Analogam materiam Cometarum ſtatuit, non infirmioribus rationibus defendi à quovis poteſt. Librum Ptolemæi de facultate judicandi Te accepiſſe gaudeo, quodque tàm benignè de illo ſentias mihi jucundiſſimum eſt, deque illa comitate Tua gratias ingentes Tibi habeo: Aſtronomiam quoque Philolaïcam ad Te brevi perventuram eſſe ſpero. An verò Clariſſimus Dominus Mullerus, Matheſeos in Gymnaſio Hamburgenſi Profeſſor, illum etiam Ptolemæi ſimul miſſum acceperit, reſcire valdè vellem. De excerpto literarum à Te Domino Hevelio ſcriptarum, cujus me participem feciſti, gratias etiam ingentes ago, ex quo Te diligentiſſimè omnes Cometas executum eſſe, percepi. Te autem exquiſitum delectum ac diligentem ſcriptiuncularum de Cometa, à quamplurimis in lucem paſſim editarum, dum in opere Tuo illas, aut ipſarum partem tranſcribes, habere convenit:

Cometa materia vel ex maculis Solaribus,

Vel galaxiæ analoga eſt.

Bullialdus benevolum & gratum animum Auctori undique teſtatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Bullialdi judicium de Cometa ad Oenipontem viſo. Cometa æſtate Clariſſimis Mathematicis nullus viſus eſt.

venit: plurimæ ſiquidem leviſſimæ ac nullius momenti ſunt. Dominum Auzutium conventum poſtea Tuo nomine ſalutabo, & de illo libello, cui titulus eſt *du Tri-Comete* ad interrogata Tua quæ reſpondebit, alias Tibi perſcribam. Nullius operæ pretii id opuſculum mihi viſum eſt. Cometam alibi quàm Oeniponti ſub Archiducis obitum apparuiſſe nondum reſcivi. Aliquod forſan meteorum illi, quod vobis Hamburgenſibus exhibitum eſt, non diſſimile fuerit. Illuſtriſſimus Hevelius in poſtremis litteris ſuis de Cometa in Polonia viſo nullam mentionem fecit: nulli verò hominum noſtrorum in his regionibus viſus eſt. Vale & feliciter vive.

N. 75. ad 31.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 8. Auguſti 1665.

Pariſienſes Amicos Auctor aſſiduo ſcripto convenit.

Galilei laus & de Cometis ſententia.

Aſtronomia Reformata Riccioli.

Aſtronomia Philolaïca Bullialdi.

Analyſis rediviva.

Algebrici nodi Auctori ignoti.

Ruvignius Marchio Auctori amicus.

Delectum ſcriptorum de Cometa Auctor habet.

VIx ulla præterit hebdomada, quominus vel Te vel communem amicum literis adeam familiaribus. Id officii ad benè de utroque veſtrûm merendum prompti, vobis gratum eſſe, libenter intelligo. Tanto plus cum mutuam vicem mihi ſæpè referatis. Tua, quam decurrente Julio datam jam jam accepi, epiſtola ſingulari me perfudit gaudio, quòd me per eam de ſententia Galilei, Viri, quem in Mathematicis à puero colui, celeberrimi, circa generationem Cometarum ex terreſtribus exhalationibus, æthereiſque vaporibus quantum ſatis eſt, & vel ipſe optare potui, docueris. Fateor me adhuc eam ignoraſſe, præterquam quòd ex Ricciolo eam cognoſcere licuerit. De quo ab illo tempore nihil accepi. Tu ſi quos Amicos, ut credere par eſt, Bononiæ habeas, velim inquiras, an illius Aſtronomia Reformata lucem viderit, vel aliquando viſura ſit: tum quid de auctore ejus omnium Auctor ſtatuerit. Ego enim neminem ibi novi. Utinam illum librum & ſimul Tuam Aſtronomiam Philolaïcam videre quamprimùm liceat. Spero me ex utroque opere multum, minimùm quantum ſatis fuerit, diſcere poſſe. Analyſis Rediviva, quam Mathematicus ille Oxonienſis promiſit in tractatu de Tri-Cometa, ſupra meum, credo, captum fuerit. Video enim Auctorem iſtum delectari Caldaicis commentis, Cabaliſticis tenebris, & Algebricis nodis, mediocritatis noſtræ fines plurimùm excedentibus. Quid ad Amicum, qui mihi libelli illius copiam ex urbe veſtra fecerat, reſponſi vice die 23. Maji dederim, accipe gratus, & meis rationibus ac votis apta. Tantò magis cum per Illuſtriſſimum Marchionem Ruvignium, quem faventem mihi jam dudum experior, privilegium editioni operis mei neceſſarium in Aula veſtra impetrare ſtudeam. Delectum juſtum ſcriptiuncularum de Cometa, quæ plurimæ ſunt, & inter eas multæ meo operi & inſtituto minus aptæ, &, ut Tu judicas, leviſſimæ, & nullius momenti, pro virili inſtituam. Clariſſimo Auzutio, &, ſi præſto fuerit, Ægidio Menagio ſalutem plurimam adſcribo. Clariſſimus Mullerus à me traditum Ptolemæi librum gratiſſimo animo accepit, & ſemper me, ut & Clariſſimus Kirſtenius rogat, ut Te ſalutem. De Cometis Oeniponti & ad Cracoviam viſis nihil ab eo tempore accepi. Fieri poteſt, vanum fuiſſe rumorem, qualis nuper de viſo ejuſmodi phœnomeno Hauniæ & Amſterodami fama vulgaverat, rubore paulò poſt ſuffuſa. Novi porrò ſimilia quodammodo Cometis phœnomena & aërea meteora multis illudere, eoſque ut pro Cometis habeantur, inducere. Equidem Anno 1664. circa finem Januarii, ad Malmogiam Scanorum, ab hora 3. ad 9. mane ignis Cometam referens viſus eſt. Hunc quidam Cometam eſſe putarunt: Mathematicorum tamen nullus, quod ſciam. Quanquam & hos quædam fugiunt. Nam eodem tempore die 16. & 28. Januarii bina eclipſis Solis accidit, neutra illis annotata. Sed jam Vale, Vir Humaniſſime, & me, quod facis, amare perge.

Cometa æſtivus nulli Mathematicorum obſervatus.

Meteora quandòque pro Cometis habentur.

Phænomenon Cometæ ſimile menſe Jan. 1664. viſum.

Eclipſis Solis bina 1664. accidit, Mathematicis ignota.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Lutetiam die 22. *Augusti* 1665. *N.* 76.

NOn dubito, ſi Tuam humanitatem & in me benevolentiam eximiam, ſed & ſingulare in rem literariam ſtudium benè novi, Te mihi brevi reſponſurum ad illa quæ de argumento noſtro Cometico, & ſpeciatim de Domino Azutio & Domino Menagio ad Te ſcripſi. Ampliſſimus Hevelius ad opus ſuum dubio procul accurandum & accelerandum incumbit, ideò literarum commercium nobiſcum non exercet, Id enim tempeſtivè mihi ſignificaverat. Spero tamen eum, ubi per otium licuerit, mihi ad ea, de quibus eum conſului, reſponſurum. Quo nomine multum mihi gratulabor. Reſponſum enim ejus lucem mihi in multis afferet, in Hiſtoria præcipuè Cometarum. Quam accuratè pertractare, & operi meo addere animus eſt, Deo juvante. Spero, non tamen affirmo, me tercentenos circiter Cometas exhibiturum eſſe. Tu cum Illuſtriſſimi Thuani inſtructiſſimæ & toto orbe celeberrimæ Bibliothecæ (quam ſingulari favore Viri illius, ut omni ex parte, ita & humanitate Excellentiſſimi, operâ Optimi noſtri & Doctiſſimi Dionyſii Riverii conciliato, mihi adire ſæpius quondam licuit) adſis, velim me de numero Cometarum per otium exploratо moneas. Rem facies & mihi gratam & publico utilem. Quæ à Clariſſimo Heinſio antè decem dies ſcripta, ad me hodie perlata ſunt, Tibi mitto, quum non tantùm Tui & Illuſtriſſimi Rautenſteinii, ſed & Doctiſſimi Menagii veſtri, de quo certior à Te reddi maximoperè aveo, faciant mentionem. Vale, & mihi porrò favere perge, candoris mei gnarus, & mutuæ benevolentiæ inque amicitiis colendis fidei certus.

Occupati rariùs ſcribunt ad Amicos.

Hiſtoriam Cometarum componere Auctor inſtituit.

Thuani benevolentiam & bibliothecam Auctor laudat.

Dionyſius Riverius laudatur.

Catalogum Cometarum Auctor à Bullialdo poſtulat.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 14. *Auguſti* 1665. *N.* 32. *ad* 74.

AD epiſtolam Tuam Kal. Auguſt. ſcriptam hoc reſponſum dabo. Dominum Auzout commodè alloqui, & de libello Tri-Cometico cum illo diſſerere nondum potui. At verò de hoc, quem legi, pariterque de Anonymi, qui ſiglis nomen ſuum latere voluit, ſcripto nondum mihi lecto, cum fundamentis Aſtronomicis, hoc eſt accuratis obſervationibus, neuter nitatur, ſic cenſeo, rem benè nec intelligere authores, nec rectè definire, & quotquot hanc materiam manibus verſare, obſervationibus è cælo accuratè petitis haud muniti tentabunt, ipſis rem benè non ceſſuram ſcio, cum de Cometæ loco, motu, hujuſque vera & accurata veraque figura inveſtigandis præcipuè agatur. Hæc quippè ſola in notitiam noſtram demonſtratione venire poſſunt: cætera materiæ tenebris involuta, ac proinde obſcura, mens humana aſſequi nunquam poterit, etſi de illis alii aliis probabiliora diſſerere poſſint. Nullus apud nos præter Agarratum obſervationes Cometæ, quas aliquandò editurus eſt, per inſtrumenta habuit: nullius propterea operam his, quæ quærimus, indagandis ſufficientem puto. R. P. Grandamicus libellum etiam edidit, ſed quæ præſtanda forent, nondum præſtat. Illuſtriſſimi Hevelii obſervationes quæ ſunt certiſſimæ, ſolæ adhibendæ erunt. De Fortfiſchero autem, cujus etiam mentionem facis, nihil audivi. Plures de illis Cometis ſcripſiſſe ac ſcripturos non dubito: ſed paucos quæ ad rem faciant & conducant, ſcriptis ſuis inſerturos eſſe probè novi. Illuſtriſſimus Menagius ſtudiis elegantioribus ſemper incumbit, & cum amicis quotidiè verſatur. De R. P. Ricciolo quæ nuncias moleſta mihi valdè ſunt: Virum optimum ac eruditiſſimum vitam ad plures annos producere in votis haberem: ſed naturæ lege ac fati neceſſitate debilitatis ac conſumptis viribus, corpuſcula noſtra ad operandum inhabilia reddita ruunt caduca ac ſenio oppreſſa, animæque hoſpitium præbere ultra nequeunt. Beati ſunt, quibus

Bullialdi judicium de libro Tri-Cometico & altero Anonymi Auctoris ſiglis I. D. P. M. notato.

Obſervationes Cometarum ſcribere de Cometis volentibus maximè ſunt neceſſariæ.

Agarrati obſervationes Cometæ per inſtrumenta habitæ cæteris præferuntur.

Fortfiſcher ſcriptum Comet. Bullialdo non viſum.

Menagii ſtudia.

Riccioli morbum gravem Bullialdus dolet, & vitam ei precatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mens integra ſenſuumque vigor ad finem ſic perdurat, ut animi operationibus ſufficere queant. Vale Vir Generoſiſſime & felix vive.

N. 77. ad 32.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 29. Auguſti 1665.

Bullialdi benevolentiam & judicium Auctor magni facit.

CUm ad Te ante octo dies literas darem, errore magiſtri tabellariorum Tuæ ad me ſcriptæ apud eum latebant: cui cum pediſſequus meas commendaſſet, Tuas ab eo accepit mihique attulit. Conſtantis Tuæ, ejuſque eximiæ erga me benevolentiæ documenta hæ mihi præbuerunt, ideòque ut omnes priores longè gratiſſimæ fuerunt. Libenter intelligam ex Te ipſo judicium Tuum de meo quod de illo libello Tri-Cometico tuli, ſatis, ut puto, æquum & modeſtum. Cujus votum hoc eſt aſſiduum, ut omnes ſapiamus quantum opus eſt, ad vitam ſcilicet honeſtam hìc, æternam in cælo agendam! Illuſtriſſimum Monagium brevi compellabo, ut jura priſtinæ neceſſitudinis reſtaurem. A. R. D. P. Ricciolo nec de illo quidquam ab eo tempore accepi. Illud unicum addo, heri hìc verſus Auſtrum viſam fuiſſe ſtellam fulgidam media luce, quam puto Venerem fuiſſe. Vale & conſtanter mihi fave.

Venus interdiu die 28. Auguſti Hamburgi viſa.

N. 79.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 12. Septembris 1665.

Occupati brevitati literarum ſtudent.

INevitabilia & inſuperabilia impedimenta, quæ me hac tempeſtate circa editionem operis mei diſtrahunt, me coëgerant breves litterulas ante octo dies ad Te dare. Eandem legem mihi vel nolenti etiam nunc præſcribunt; Itaque præter hæc pauca ſcribere ad Te nequeo. Hæc tibi narrabunt ingentem dolorem, quem communis noſter Amicus Ampliſſimus Hevelius (à quo heri literas die 5. currentis menſis datas accepi) ex inopinato deceſſu unici filioli concepit. Tùm verò & operam ejus aſſiduam, quam promovendo Operi ſuo Cometographico impendit. At huic præmiſſurum ſe ſcribit Obſervationes ſuas omnes, præſertim poſterioris Cometæ, ut ipſo facto reſpondeat ad Domini Aouzout epiſtolam apud vos editam. Facit præterea ſpem Prodromi Cometæ poſterioris, quem fortè jam nobis dediſſet, niſi piratæ, infeſtum mare habentes, chartam operi illi deſtinatam, abſtuliſſent. In illo porrò ad cingulum Andromedæ Septentrionalius phœnomeno Romanam & Franequeranam Obſervationem fruſtra eſſe affirmat. Plura nunc ſcribere non vacat. Vale & conſtanter fave.

Hevelius unicum filiolum amiſit: Opus Cometographicum ſummo ſtudio volvit, Quædam ei præmittere & Auzutio reſpondere parat. Hevelius Romanæ & Franequeranæ obſervationi de phænomeno in Andromeda viſo contradicit.

N. 33. ad 75. & 76.

Lutetiâ Pariſiorum die 4. Septembris 1665.

Aſtronomia Reformata Riccioli.

AD litteras Tuas ultimas pauca reſpondere poſſum. De R. P. Riccioli Aſtronomia Reformata nihil certi accepi: memini tamen fama ad nos perlatum eſſe, opus illud publici juris tandem illum facturum. Optimo Seni, Septuagenario majori, corporis vires, animi vigori ac votis ſuis impares adſunt: vereor propterea, ut quæcunque pollicitus eſt, exequi poſſit. Author Tractatûs de Tri-Cometa Domino Auzutio mihique ignotus eſt, nec Anglus eſſe creditur. Quæ de Analyſi editurum ſe profitetur author, exſpectanda ſunt: de illis judicium pronunciandi jus cuilibet tunc competet. Particulam literæ, quam ad Amicum Tuum hìc agentem de illo Tri-Cometico argumento ſcripſiſti, accepi ac legi, tibique gratias maximas ago: ubique Te multiſcium probas, & plurimos authores te legiſſe ex Tuis epiſtolis liquet. Cometarum numerum viſorum, & ab authoribus memoratorum, non adnotavi. Habet quidem momentum ſuum hæc opera; ſed ad rem Aſtronomicam parum confert. Hiſto-

Riccioli ætas & ſtudia. Tri-Cometæ auctor non creditur Anglus eſſe. Bullialdi judicium de judicio Auctoris quod de Tri-Cometico libello tulit. Cometarum catalogum Bullialdus non adnotavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hiſtoricam narrationem ornant talium phœnomenon deſcriptiones ad vulgi captum accommodatæ, quapropter illis non immoror. Qui à Regiomontani ſeculo obſervati ſunt diligenter notari debent, cùm eorum aliquot ita deſcripti fuerint, ut ex ejuſmodi obſervationibus plura, quæ ignorabantur, quorumque natura ſtatuſque rerum, naturæ ac veritati opinionibus contrariis aſſerebatur decernebaturque, clarè innotuerint.

Bullialdi judicium de Hiſtoria Cometarum.

Cometæ à ſeculo 15. medio diligenter notari debent.

De Clariſſimis Viris Menagio & Auzutio hæc accipe: amœnioribus literis colendiſque amicis operam locat ille: In rebus verò Opticis vitriſque formandis hic alter occupatus eſt, & Tuboſpicilla 35. pedes longa, bona ſatis fabricatus eſt, & paucas literas per totum annum ſcribit. Ambo te reſalutant. Illuſtriſſimi Hevelii Appendicem ad Prodromum exſpecto, quo poſterioris Cometæ iter deſcripturus eſt. Ad Domini Auzutii epiſtolam, qua hypotheſim itineris Cometæ prioris in Prodromo adſumtam impugnavit, reſponſurus quoque eſt.

Menagii ſtudia Politica.

Auzutii ſtudia Optica.

Finitâ epiſtolâ à Dominis Fromontiis duo exemplaria Prodromi Heveliani accepi, quorum alterum Dn. Auzout tuo nomine dabo, alterum mihi retinebo, ob quod munus, ut & de libello Domini Placentini, quem unà accepi, gratias Tibi maximas ago. Vale Vir Generoſiſſime.

Bullialdus de exemplo Prodromi Heveliani gratias auctori agit.

Hamburgo Lutetiam die 19. Septembris 1665. *N 86. ad 33.*

INiquitate eorum qui literas noſtras curare ſolent, Tuæ, die 4. hujus menſis datæ, ſerius mihi redditæ ſerum accipiunt reſponſum, quod me apud Te omni negligentiæ ſuſpicione liberabit. Placuiſſe Tibi illud meum de Tri-Cometa reſponſum, idque tantum quantum literæ Tuæ loquuntur, ſolius boni publici, quod mihi pro virili promovendum aſſumſi, reſpectu gratulor. Hiſtoria mea Cometica, ſi Deus eandem me perficere volet, opuſculum erit, ut res ipſa indicat, Hiſtoricum, ſed ſimul Aſtronomicum, Politicum & Ethicum, ut omnia mea. De monito amico, ut à 15. ſeculo medio, quo Joannes Regiomontanus vixit, obſervatos Cometas ſingulari induſtriâ perſequar, gratias Tibi ago. Sed cum illud generalibus verbis ſit traditum, velim explicationis cauſſâ pauca quædam addas & exemplo rem illuſtres, quò tantò faciliùs aliquid rei literariæ utile tentare queam. Et Ampliſſimus Hevelius operi ſuo Cometographico Hiſtoriam Cometarum adjicere parat, de quo Te nuper monere debui. Libenter meritòque Apelli Helenam dipingendam vivis coloribus relinquerem, niſi jam diu fidem hujus rei Amicis & Fautoribus meis dediſſem. Sed quemque in ordine ſuo ritè officium in re literaria exornanda vel juvanda facere convenit. Accepiſſe Te rectè duo illa Prodromi Heveliani exemplaria pro Te & Domino Auzutio, gaudeo. Poſterioris Cometæ Prodromum ab eadem illa ingenioſiſſima manu exſpectamus, ut & Obſervationes ſeorſùm edendas Domini Auzutii cauſſâ, de quo nuper Te certiorem feci. Cometa novus quibuſdam in Germania & Hollandia nuper apparuiſſe viſus eſt. Credo ex diuturna illa Cometarum contemplatione imagines eorum mentibus plurium obverſari, ut facilè Jovem vel Venerem, ob diſtentos inter nubes radios, pro Cometa habeant. En Tibi quæ à communi noſtro Amico Ratiſbonâ in hanc rem accepi: & literas ad Clariſſimum Menagium. Salutem mutuam Clariſſimo Domino Auzutio adſcribo. Quâ & Tu à me acceptâ, Vale & age feliciter.

Diligentia reſponſi amicis convenit.

Utilitates publicas pro tua virili promove.

Hiſtoriæ ſuæ Cometicæ rationem & uſum Auctor oſtendit.

Joan. Regiomontani ætas.

Hevelius Hiſtoriam Cometarum parat:

Eandem componere Auctor neceſſe habet.

Res literaria omnibus pro virili ornanda.

Cometa autumno viſus quibuſdam putatur.

Juppiter vel Venus inter nubes longius radios ſpargens pro Cometa haberi poteſt.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 18. Septembris 1665. *N. 34. ad 77.*

LIteras Tuas Auguſt. 29. ſcriptas atque etiam paucas lineas 5. Septemb. exaratas accepi. Me à Dominis Fromontiis duo Prodromi Cometici exempla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Auzutius Prodromi Heveliani exemplar ab Auctore miſſum gratus accipit.

Oldenburgi & Auzuti de argumento Cometico epiſtolæ.

ria accepiſſe antea Tibi ſignificavi. Alterum eorum Domino Auzutio Tuo nomine reddidi. Is gratias ingentes de tam egregio muſnere Tibi agit, & ſcripturam ſe literamque ad Clariſſimum Chriſtianum Hugenium Tibi curandam, unaque epiſtolas à Clariſſimo Viro Domino Oldenburgo, Academiæ Regiæ Anglicæ Secretario, ipſoque ultrò citròque ſcriptas ac excuſas, miſſurum eſſe dixit. Vale Vir Generoſiſſime.

N. 81.
ad 34.

Hamburgo Lutetiam die 26. Septembris 1665.

INſignem mihi lætitiam attulerunt poſtremæ Tuæ literæ ante octo dies ſcriptæ, cumprimis quòd Clariſſimus Dominus Auzutius, non tantùm grato animo acceperit Prodromum Cometicum Hevelianum, à me dono ſibi miſſum, cui tanti nominis Auctor pretium addit; ſed etiam tam liberale ἀντίδωρον mihi paret. Velim Præſtantiſſimo illo Viro ampliſſimas de hac benevolentia gratias agas, meaque mutua ſtudia & officia ei deferas, ac ſalutem nomine meo nuncies. Ante aliquot dies Holmiâ perſcriptum acceperamus, Cometam novum in illis locis viſum eſſe Borrhapeliotem verſus, non caudatum, ſed multos acutos radios ſpargentem, velociter in Notapeliotem tendentem, circa horam 2. matutinam. Sed hîc terrarum nil tale animadvertimus. Nec etiam de hoc quidquam Clariſſimus Heinſius ad me ſcribit. Quod tamen non mirarer neglectum ab eo, qui nuper cum febri conflictatus, nondum priſtinæ reſtitutus eſt valetudini. Scripſit verò & ille mei cauſſâ ad Clariſſimum Hugenium. Idem ſi Dominus Auzutius faciat, oppidò erit gratum. Vale.

Cometa novus autumno in Suecia viſus quibuſdam putatur.

N. 82.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 10. Octobris 1665.

Cometa novus autumno viſus in Suecia putatur: Id ab Hevelio negatur.

ANte octo dies nullam literam ad Te dare potui, officio erga Te meo per Illuſtriſſimum Dominum Bruſſellum, ut communem Amicum, perfunctus. Nunc verò paucis accipe, Holmiâ Suecorum iterum die 26. Sept. Greg. ſcribi, videri ibi novam Stellam plaga cæli Orientali orientem, verſus Notapeliotem occidentem. Sed Ampliſſimus Hevelius poſtremis literis ſuis, 30. Sept. datis, non viſos eſſe hoc anno plures duobus (ſcilicet in Lepore & Pegaſo) Cometas aſſerit. Clariſſimum Auzutium, quem nondum ſcripto adire potui, officioſè ſaluto, ut & Illuſtriſſimum Menagium. Si quid ad argumentum Cometicum ſpectans porrò habueris, id haud gravatim mecum communicabis. Res Polonicæ, meliorem faciem rurſùm promittunt. Quam utinam ſtabilem videamus! Fiet id certò, ſi Juſtitia & Æquitas in Rempublicam poſtlimiò revocata fuerit: quod opto & ſpero, promittente id mihi domi foriſque prudentiorum moderatione. Omnibus in aperto & ore eſt, pacem domeſticam Reipublicæ forè ſalutarem & eſſe neceſſariam, illam dico æquam & fidam. Utinam patriæ meæ aliarumque Rerumpublicarum melior facies & proſpera fortuna in oculis noſtris oſtendat, læta quoque Cometarum apparitionibus ſuccedere. Id quidem publicè & privatim toto corde precor voveoque. Vale Vir Clariſſime & feliciter age.

Polonia nonniſi reſtitutâ æquitate reduci in antiquum ſtatum meliorem poteſt.

Pax Poloniæ pernecceſſaria.

Pietas Auctoris in patriam.

N. 83.

Hamburgo Lutetiam die 24. Octobris 1665.

Breviloquentiam tempus ipſum imperat.

POſtquam octavo abhinc die ad Illuſtriſſimum Bruſſellum ſcribens Te ſolùm ſalutare licuit, volui Te nunc rectà adire & alloqui. Sed non Te multis tenebo. Neque enim uberem materiem ſcribendi Amici ſuppeditant, præſertim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tim qui etiam provocati tacent. Illuſtriſſimus Rautenſteinius vel ruſticatur ſæpius, vel materiâ ſcriptione dignâ deſtituitur. Clariſſimus Heinſius à morbo ſat pertinaci cum valetudine in gratiam redit. Ab Ampliſſimo Hevelio, dubio procul operis ſui magni editioni intento, nil poſt illas poſtremas eadente menſe Septembre datas accepi. Materiam loquendi, ſcribendique copioſam omnibus, multis etiam novâ triſtis prognoſtici & adverſi ominis infamiâ onerandi Cometas nuperos mors Regis Hiſpaniarum præbet. Quaſi verò hoc neceſſarium ſit, & non plures Principes ſine præviis ullis Cometis è medio excedant. Cujus rei vel ſola domus Hiſpanica plurima dat exempla. Nam nec Avum nec Patrem nuper defuncti Regis moriturum anteceſſit, niſi aliquot annis, Cometes. Uxor verò, Fratres, Soror & Liberi ſine ullo ſimili portento diem ſuum obierunt. Nempe mors, aſſiduò ſceptra ligonibus æquans, jus ſuum in orbe antè & poſt Cometas, ſed & citra eoſdem exercet. Itaque & ſine his ſatis efficaciter ut mortalitatis, ita & officii quotidiè admonemur. Illuſtriſſimis Viris Bruſſello & Menagio plurimam ſalutem adſcribo, ab utroque eorum reſponſi vicem exſpecto. Salutem Tu ab Illuſtriſſimo Rautenſteinio etiam me tacente ſemper accipe. Id enim ille fieri ſemper vult. Res Polonicæ meliorem de ſe ſpem præbere rurſum incipiunt. Quam omnes probi votis piis juvant. Utinam ipſi populares mei reſtitutione æquitatis juvent! Literas has ad Clariſſimum Auzutium Tibi commendo, Teque benè valere cupio.

Occupati ſilentio vel brevitati indulgent.

Philippi IV. Rex Hiſpaniæ mors.

Principes multi abſque Cometis moriuntur.

Mortui claudendo oculos viventibus oculos officii eos admonendo aperiunt.

Æquitate reſtitutâ Reſpublica priſtinæ proſperitati reddi & in antiquum ſtatum reſtitui poteſt.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 16. Octobris 1665. N. 35. ad 79, 80, 81.

AD triadem epiſtolarum Tuarum reſponſum unum accipies, cum nec citius nec frequentius Tibi reſcribere queam. Quod equidem mihi moleſtum eſt, cum tantæ comitati Tuæ officia mea ex æquo non reſpondeant. Sed & nunc à me pauca accipies, & de Cometa quidem nihil: verumtamen litteras Clariſſimi Domini Auzoutii, quas mihi commendavit. Vale.

Diligentia diligentiam, ut magnes ferrum, trahit.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 31. Octobris 1665. N. 84. ad 35.

GRatiſſimas literas Tuas die 16. hujus menſis datas accepi. Quidem ante dies octo, ſed poſt miſſas ad Te meas. Tardius enim nunc tabellarii commeant. Quòd non aſſiduò mihi ſcribas, ætati & occupationibus Tuis gravioribus dandum eſt. De conſtanti Tuo affectu erga me nullus dubito. Gratias Tibi ago de epiſtola Auzutiana, ad quam ecce reſponſum: quod pariter curandum Tibi committo. Cometam novum videri, ſunt qui Holmiæ aſſerant, quod jam jam accepi ex Clariſſimi Heinſii literis die 21. hujus menſis datis. Exſpecto nuncios ea de re aliunde, à vobis quoque ſi quid veri rumori iſti ſubſit. Illuſtriſſimum Bruſſellum & Menagium plurimâ ſalute imperties, & magno me deſiderio reſponſi eorum teneri, dices. Vale Vir & Amice Eximie, & ſalve.

Silentium ſenum & occupatorum excuſa.

Cometa autumnalis in Suecia oſtenditur.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 6. Novembris 1665. N. 36. ad 82, & 83.

QUin omnes Aſtrologi Auſtriæ gentis Principum obitus Cometis nuper viſis, ut notiſſimis cauſſis adſcribant, nullus dubitare debet: infames propterea apud vulgus erunt, ab eoque peſſimè, tanquam infauſtiſſima portenta, audient, dum apud Aſtronomos & Philoſophos grati, accepti, adque plurima naturæ arcana detegenda utiles neceſſariique prædicabuntur, & exoptati adſpicientur.

Cometæ apud vulgus infauſti, apud Aſtronomos & Philoſophos grati, accepti, & ad detegenda arcana naturæ utiles prædicantur.

Planetarum conjunctio 1663. Stella nova 1604. viſa. Panolethriæ prædictio Aſtrologica. Joan. Franc. Spinæ de Anno 1666. prædictio.

cientur. Magnam ſuperiorum Planetarum, Anno 1663. propè locum novæ ſtellæ Anno 1604. viſæ celebratam conjunctionem, duorum Cometarum ante claſum ab ea ſeſquiannum oblatum ſpectaculum, naturæ ipſius firmiſſima fundamenta quaſſaturum plerique opinantur & ominantur. Italus quidam, Joannes Franciſci Spina appellatus, in edito Anno 1625. libello ſcripſit, anno jam jam adventante & ingruente 1666. falſis miraculis, omnibus ſectis revolutionem maximam impendere, ipſarumque everſionem & deſtructionem contingere debere. Qui aſtris imperat eaque regit ſolus, caligine denſiſſima immerſis hominibus cunctis, quid futurum ſit, videt, & pro benignitate ac clementia ſua omne malum ac infortunium ab orbe Chriſtiano avertet. Epiſtolam Tuam Domino Auzutio prima data occaſione reddam. Illuſtriſſimum Bruſſellum & Menagium tuis verbis ſalutavi, qui par Tibi officioſè referunt. Ab Illuſtriſſimo Rautenſteinio literas 21. Septembr. ſcriptas unà cum carmine ab ipſo compoſito, & tuo operi præfigendo accepi. Illum ut meo nomine ſalutes rogo: quamprimùm verò mihi vacaverit, ipſi reſcribam. Vale Vir Generoſiſſime.

N. 85.
ad 36.

Hamburgo Lutetiam die 21. Novembris Anno 1665.

Officium Amico quà potes præſta. Cometam auctumnalem Rudbecius monſtrare conatur.

NUllam literam quatuordecim & octo ab hinc diebus ad Te dedi, niſi quòd in literis ad Illuſtriſſimum Bruſſellum, feſtinante manu ſcriptis, officio meo erga Te functus quodammodo fuerim. Rogavi enim Tibi meo nomine plurimam ſalutem diceret, nec non nuncium ex Suecia ad me à Clariſſimo Heinſio miſſum, de novo Cometa, quem Olaus Rudbecius Profeſſ. Acad. Upſalienſis celeberrimus, menſe Septembr. ſæpius ſe obſervaſſe, & in Andromeda obſervari adhuc poſſe dixerit. Monueram ego de hoc rumore Curtium, Schottum, Buſmanum, imò & ipſum Hevelium. Sed iſti, quanquam & alii, Venerem fuiſſe putabant. Nunc quid ſint ad aſſertionem Rudbecianam, de qua eos certiores feci, dicturi, exſpectandum nobis eſt. Te quoque, Vir & Amice Eximie, rogo, ut quà es humanitate, mihi de hac re ſententiam Tuam perſcribas. Cometis Te non eſſe infenſum, ex poſtremis quoque Tuis die 6. hujus menſis datis, poſt abitum tabellarii ante dies octo mihi redditis, intellexi. Non alio jure mala omina ex cincinnatis illis ſtellis capienda nobis eſſe reor, quàm quòd nos ipſi, paucos ſi excipias, mali, ideòque minis potius pœnarum, quàm promiſſionibus præmiorum digni ſimus. Cur tamen omni meliorum ominum jure crinita ſidera exuantur, ego profectò rationem non video. Magna apud me eſt conſenſûs & antiquitatis, ſed major veritatis & æquitatis auctoritas. Prognoſtica non pauca, in noſtris quoque oculis, eventus refutavit. Qualem hunc reliqua ſint expertura, brevi fortè videbimus. Saltem imminente Anno 1666. quo nonnulli prophetiam Apocalypticam de numero 666. variè explicatam, impletum iri augurantur. Nuperrimæ literæ Viennenſes referunt Turcas ſiniſtra ſibi ominari ex triduana & inſolenti tempeſtate, quæ menſe Octobri cum ruina multarum ædium ipſiuſque armamentarii deſæviit in urbe Conſtantinopolitana. Atqui explicante Veſtro Genebrardo & aliis, nomen famoſiſſimi illius Impoſtoris Μαομέτις numerum 666. conflat. Inter illos de appetente anno conjectores & iſte Italus eſt, de quo ſcribis. Ego quoque, crede mihi, opto, ut omnes ſectæ & ſchiſmata concordiâ & pace Catholicâ commutentur. Illis ſuborientibus ſtrenuè ſe pro hac Clemens Romanus in epiſtola ad Corinthios oppoſuit, valido argumentorum apparatu inſtructus. Hujus voto egregio Tuum nuperum penſo: *Inſpector omnium Deus & Dominus ſpirituum & omnis carnis, qui elegit Dominum Jeſum Chriſtum, & nos per eum in populum peculiarem, det omni animæ, quæ ſanctum & glorioſum nomen ejus invocaverit, fidem, timorem, pacem, patientiam, lenitatem, continentiam, ſanctitatem & ſapientiam, ut nomini ejus rectè placeat per ſummum Sacerdotem & Præſidem noſtrum Dominum Jeſum*

Venus quandoque pro Cometa habetur. Bullialdus Cometis non infeſtus. Peccata hominum omina mala Cometis indunt. Prognoſtica vana. Annus 1666 multis videtur mirabilis futurus. Tempeſtas ingens Conſtantinopolitana prodigioſa. Numerus apocalypticus 666. Votum auctoris pro pace & concordia Chriſtiana. Clementis Romani votum Chriſtianum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Jeſum Chriſtum &c. Adjungo his duas quæſtiones. Alteram de ætate Hipparchi, de qua me monebis & docebis jurè, cum ab ipſo Hevelio Hipparchus ſis dictus. Altera de Cometis circa Ludovici Pii exitum. Magno enim diſcrimine Chronologi hîc diſtant, ita ut invenire viam nequeam, quâ inter ſe convenire poſſint. Salutem communibus Amicis adſcribo. Tu benè Vale. Quid autem de Joanne Tarino, Græcæ eloquentiæ apud vos Profeſſore, factum ſit, verbo indica.

Bullialdus alter Hipparchus Hevelio judice:

Ideò Auctor ei quæſtionem de Hipparchi ætate & de Cometis circa mortem Ludovici Pii decidendam proponit.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 28. Novembris 1665. *N. 86.*

QUæ de controverſia inter Clariſſimos Viros Hevelium & Auzutium, communes noſtros Amicos, ortà ab Hevelio heri accepi, adjuncta ſcheda ſeorſum exhibebit Tibi. Quæ an cum Auzutio communicare debeas, Tuæ prudentiæ relinquo. Interim hunc meo nomine plurimâ ſalute impertias velim. Qua occaſione reſponſum, quod ab eo ad meas literas exſpecto, in memoriam ei revocabis. Idem illud Hevelianæ epiſtolæ exemplum docebit Te ejus de novo illo Cometa, cujus nuper nuncius ex Suecia ad nos perlatus eſt, ſententiam: illi videlicet ſidus illud non eſſe Cometen, ſed ſtellam in cingulo Andromedæ nebuloſam. Hæc eadem, ut puto, erit cum illa, quam Romani & Franequerani Mathematici ſolertia obſervatam Cometis annumeravit. Qua de re jam pridem me ad Te ſcripſiſſe recordor, & judicium adhuc exſpecto. Sed & reſponſum ad nuperas quæſtiones. Rem feceris & Tuæ eruditioni & meis votis convenientem. Vale.

Auctor Hevelio & Auzutio diſſentientibus amicus.

Hevelii judicium de phænomeno in Andromeda viſo, quod Rudbecius pro Cometa habuit.

Lutetiâ Pariſiorum Hamburgum die 11. Decembris 1665. *N. 37. ad 84. 85. & 86.*

ADTe, Vir Generoſiſſime, ab aliquot menſibus infrequentius ſcripſi: ætas ſiquidem ingraveſcens ad commercium epiſtolicum aptum minus me reddidit: novo præterea accedente incommodo, illud amplius exercendi facultas omninò mihi præripitur. Moleſtiam ac animi ægritudinem negocia quædam attulerunt, quæ ſtudiis, ut ſolebam, vacare, ac per literas amicos alloqui non ſinunt, cogitationeſque meas aliò abripiunt. Ad Te igitur alioſque amicos literas deinceps dare rariſſimè potero. Quod Tibi ſignificandum fuit, ut cognitâ verâ cauſâ de me malè non ſentias. Literas poſtremas tuas unà cum adjunctis chartis accepi, ex iiſque intellexi Olaum Rudbeckium, illam in cingulo Andromedæ nebuloſam, Cometam eſſe opinari. Verùm hallucinatur Vir egregius: conſtat quippe mihi, ante ſeſqui ſeculum nebuloſam illam Aſtronomis noſtris fuiſſe viſam. *Ad quæſtionem de tempore quo vixit Hipparchus hoc reſpondeo: ſeculum, quo floruit ille vir, certius quam ex ipſius Obſervationibus, innoteſcere non poſſe. Aliquas in Syntaxi Mathematica ſua lib. 3. c. 1. retulit Ptolemæus. Imprimis verò Æquinoctia ab ipſo obſervata, quorum primum, ex autumnalibus videlicet, obſervatum refertur anno 17. Periodi Tertiæ Calippicæ, quod factum eſt anno Nabonaſſari 586. ante Æræ Chriſtianæ vulgaris initium anno 163. erat verò annus ab Alexandri obitu 162. Poſt annos verò 15. ejuſdem Periodi anno 163. anno 32. ab Alexandri obitu anno 177. (non verò 178. ut in Aſtronomia Philolaïca lib. 2. c. 2. oſtendimus) hoc eſt anno Nabonaſſari 601. anno ante initium annorum Chriſti 148. quartum Æquinoctium auctumnale idem obſervavit. Ultima tandem Hipparchi Obſervatio, quam lib. Mathem. Syntax. 5. cap. 5. idem Ptolemæus refert, facta ſcribitur anno ab Alexandri obitu 197. Pharmuthi die II. hoc eſt anno Nabonaſſari 621. ante Chriſti æram vulgarem anno 127. †Conſtat ergò per annos ſaltem 36. ſiderum curſus Hipparchum obſervaſſe, & floruiſſe ab anno circiter 590. ad annum 626. U.C.

Bullialdus raritatem ſuarum literarum apud Auctorem excuſat:

Imò rariſſimè ſe inpoſterum amicis ſcripturum denunciat.

Rudbecii opinionem de phænomeno in Andromeda Bullialdus refutat.

** Hipparchi ætas à Bullialdo diſcuſſa & ex obſervationibus ejus à Ptolemæo annotatis demonſtrata:*

†Obſervationes Aſtronomicæ Hipparchi 36. annis abſolvuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hiſtoricorum & Chronologorum de Hipparchi ætate errores Bullialdus perſtringit.

Auctor vitæ Ludovici Pii fide dignus.

Cometa ante mortem Ludovici Pii in Virgine & Scorpio eodem anno 839. ſecundum Bullialdum apparuit.

Errorem Auctoris vitæ Ludovici Pii Bullialdus corrigit, Saltim mentem ejus explicat.

U. C. ejuſque obſervationem Æquinoctii Autumnalis primi, annis V. poſteriorem eſſe Eclipſi Lunæ, quæ pridie quàm Perſeus Macedonum Rex à Conſule Romano Paulo Æmilio debellaretur, ſpectata eſt. Hiſtorici itaque ac Chronologi, qui Hipparchi, quo is ipſe floruit, ſæculum ab illis notatis annis ultra vel citra removent longius, errore manifeſto tenentur; nec ipſi audiendi ſunt, imò ut inepti prorſus explodendi. Adoleſcentiam ipſum jam ſuperaſſe, ac virilem ætatem, cum ad obſervandos cæleſtes motus ſe contulit attigiſſe, omninò veriſimile eſt. Quot annos verò obſervationi ultimæ à Ptolemæo notatæ ſuperſtes fuerit, penitùs eſt, ut mihi videtur, incompertum. De Cometis duobus, qui anno Chriſti 839. teſte authore, qui Ludovici Pii vitam conſcripſit, apparuerunt, credo huic fidem eſſe adhibendam. Ipſe ſiquidem Aſtronomicæ ſcientiæ peritus erat, amboſque ipſe obſervavit ac notavit. Primum mediante feſtivitate Paſchali (id eſt, inter Paſcha & Pentecoſten fulſiſſe ait. Alterum verò eodem anno Kal. Januarii: tunc temporis enim Galli annum à feſto Paſchatis incipiebant, ita ut quæ Kal. Januarii anni 840. juxta hodiernum computandi modum forent, in anno 839. computentur; quod annum 840. à Paſchate ſequente auſpicandi tunc mos obtinuerit. Sed ἀσύστατα ſunt, quæ author ille de poſteriori Cometa ſcribit. (*In ſigno apparuit Scorpii non multo poſt Solis occubitum.*) Quod fieri nequit, nam Kalendis Januarii, cum fulſit Cometes, Scorpius ante Solem occidit, & poſt mediam noctem horis circiter duabus cum ſemiſſe oritur. Quare ſi reverà in Scorpio fuit, de Dodecatemorio, non de aſteriſmo intellexiſſe conſendus eſt author, inque magna latitudine Boreali Cometam tunc extitiſſe. Sed errorem librariorum eſſe puto, qui Scorpium pro alîus aſteriſmi nomine repoſuerunt. Huncque authorem in deſignando loco Cometæ hujus aſteriſmum, non dodecatemorion uſurpaſſe veriſimilius eſt; cum locum ac viam prioris per aſteriſmos etiam, qui ſenſu percipiuntur, non per dodecatemoria deſcripſerit.

Auctorum diſſidia componi nequeunt.

Meteora quædam pro Cometis reputantur.

Negligentia Chronologorum.

Diſſonantiam verò authorum in illis conciliare qui volet, operam perdet. Cum fieri poſſit aliquos Cometas ab aliis in Annales relatos fuiſſe, ab aliis verò omiſſos. Forſanque aliqui imperitiores meteoron aliquod Cometam fuiſſe crediderunt, de quibus mentionem in Chronicis poſtea fecerunt. Contingere quoque potuit aliquos Chronicorum Annaliumque conditores, uno anno per incuriam aut memoriæ lapſu erraſſe, poſteriſque errandi aut dubitandi occaſionem præbuiſſe.

Joannis Tarini Prof. Pariſ. vita.

Philoſopho matrimonium malè ceſſit.

Græcæ eloquentiæ Profeſſor fuit Johannes Tarinus Vir eruditus, Græcè ac Latinè Philocaliam Origenis edidit, ante aliquot annos obiit. Cælibem vitam exoſus ad nuptias convolavit, erravitque ejuſmodi vitæ inſtitutum amplexus, cum familiam vix ſuſtentare potuerit, & pauper mortuus ſit. Vale Vir Generoſiſſime.

N. 89.
ad 37.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 26. Decembris 1665.

Æquitas ſilentium amici ſenis & occupati excuſat.

TErtium ad Te, Vir Humaniſſime hoc menſe ſcribo. Primas die 5. ſecundas die 12. menſis iſtius exaratas eſſe in rationario meo invenio. Cum tamen perbreves fuerint, nec quidquam memorabile continuerint, eas vix numero. Neque verò miror, Te per id ætatis & negotiorum ac moleſtiarum colendo literarum commercio vacare non poſſe. Nos quoque juniores & melius corpore valentes ſæpè ejuſmodi impedimenta inevitabilia & inſuperabilia reperimus, dum ad officia exſequenda accedimus. Id mihi octavo ab hinc die contigit. Quanquam etiam vix aliquid ſcriptione dignum occurrebat, prout neque nunc quidquam eſt magnoperè ſcribendum. Deeſſe tamen meo in Te & Illuſtriſſimum Bruſſellum nolui officio. Accepi enim octo ab hinc diebus, ſed ſerô veſpere & poſt abitum tabellarii utriuſque veſtrûm literas, benevolentiæ, humanitatis & induſtriæ amicæ plenas, die II. hujus menſis ſcriptas. De quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quibus utrique veſtrûm hic ago gratias, quantas poſſum maximas. Reſponſum Tuum doctiſſimum de Hipparchi ætate, mihi ſatiſfecit. Convenit hoc Tibi cum Clariſſimo Voſſio aliiſque Magnis Viris, ultimam Hipparchi obſervationem in ann. ante Natum Chriſtum 127. (aliis 125.) referentibus. *Quos inter & Calviſius eſt. Sed quomodo hæc computatio cum illa ejuſdem, quæ Hipparchum 150. amplius annis priorem facit, conveniat, ego non video. Nonnulli ex Viris doctis in his terris degentes, duos Hipparchos Mathematicos intelligi apud Calviſium & Milichium volunt. Sed id non puto facilè probari fide certâ poſſe. Tu ſi quid hùc ſpectans habes, cùm præſto Tibi ſit inſtructiſſima & celeberrima bibliotheca Thuanæa, profer in medium. Ego quidem libenter documentum de duobus Hipparchis Mathematicis videbo, qui duos noſtra ætate dari, Hevelium & Bullialdum, utrumque meum, libenter meritòque credo. Quæſtio illa de Cometis circa Ludovici Pii mortem nondum omni difficultate expedita eſſe videtur, ſi fidem habemus exemplaribus Auctoris vitæ Ludovici Pii. Is enim inter acta anni 842. ponit mortem Ludovici, quæ, ut & ille in quibuſdam exemplaribus teſtatur, anno 840. obiit. Sed de his aliàs plura. Nunc finio plurima ſalute Illuſtriſſimo Bruſſello adſcriptâ. Vale & conſtanter mihi fave.

Bullialdi reſponſum de Hipparchi ætate gratum Auctor habet.

Hipparchi ætas ſecundum Voſſium, Calviſium, Bullialdum &c.

**Calviſius de Hipparchi ætate ſibi ipſi contradicit.*

Hipparchi duo ætate noſtra, Hevelius & Bullialdus.

Cometarum circa mortem Ludovici Pii examen difficile.

Hamburgo Lutetiam die 23. Januarii 1666. *N. 91.*

INtra aliquot hebdomades vel nullas, vel feſtina manu exaratas & breves literas, partim ad Te, partim ad communem Amicum dedi. Cauſſam nullam aliam adferre poſſum, quàm aſſiduas & graves occupationes. Inter quas operis mei quamprimùm urgentibus Amicis edendi ſtudium, meritiſſimo pono. En Tibi, quæ ab Illuſtriſſimo Rautenſteinio, qui ſemper tui memor vivit, Teque aſſiduò plurima ſalute impertit, ſcitu digna nuperrimè accepi. Sic igitur ille Ratiſbona die 14. Januarii ſcribit: *Poſtquam eò res devenit, in Polonia, ut apertæ factiones contra ſe invicem inſurgant, fieri non poteſt, quin verè redeunte multas mutationes videamus. Hæ ſi in bonum, ſicut Generoſitas Veſtra mecum optat, fuerint, accedet hoc grave Veſtræ de læta Cometarum ſignificatione ſententiæ momentum. Talia plura in orbe Chriſtiano dari poſſe opto. In Weſtphalia quidem pax & compoſitio ſperatur, pro qua non ſolùm Cæſar pacis & bonarum artium, quod benè ſcio, amantiſſimus, tùm alii vicini Principes pacis itidem cupidiſſimi, ſtrenuè laborant; verum etiam Rex Chriſtianiſſimus, cujus mediationem vel potius arbitrium cum admiſiſſe videatur Epiſcopus Monaſterienſis, eò majori ſpe niti poſſe videntur iſti.* Hanc concipere & nobis licet, qui quandòque feliciter divinamus quouſque bellum aliquod durare poteſt, & quandò neceſſariâ parti huic vel illi, vel utrique, vel vicinis, vel etiam omnibus, pace commutari debet. Hujus prudentiæ divinatricis illuſtre ſpecimen ex literis Viri cujuſdam in patria mea Illuſtris (cujus nomen ignoro) mitto Tibi. Tantò magis, quod hîc fiat mentio libri illius Spinæ Itali, quem in rerum natura extare Tu me primus paulò ante docuiſti. Sic itaque ille, quiſquis eſt: *Veritatem ex iſto obſcuritatum puteo* (ferventibus ſcilicet ſtudiis novæ electionis & motibus domeſticis) *eruere, ut mihi quidem videtur, partes erunt temporis. Franciſci Spinæ prædictionibus, quarum in Tuis literis meminiſti, ſolenniter contradicit Comes de Fliſco, in ſuo libello non ita pridem Venetiis excuſo,* DE CAUSIS MUTATIONUM SECTARUM, IMPERIORUM ET REGNORUM MUNDI, *quem ſacravit Ludovico XIV. Galliæ & Navarræ Regi, Monarchiæ futuro, dummodo auferatur Luna. Talibus ego nihil vel parum hac in parte tribuo. Nam ubique pro illa operoſa & fallaci ſyderum inſpectione, quæ nullo modo nos ad aliquid agendum adigere poſſunt, habemus duo inter nos ſydera, Ambitionem & Egeſtatem, quæ quotidiè fiunt nobis viciniora & efficaciora, ex quibus diſſenſiones & omnia diſſenſionis mala in dies majora facilè nobis vaticinari poſſumus.*

Auctor quoque raritatem & brevitatem literarum ſuarum apud Bullialdum excuſat.

Rautenſteinii de rebus Polonicis judicium.

Prudentia Politica quandoque feliciter divinat.

Ludovico XIV. Regi Galliæ prædicitur monarchia.

Poloniæ ſydera, Ambitio & Egeſtas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Poloniæ Chriſtiani orbis adverſus barbaros propugnaculum.

Apes quî ſe contra tempeſtatem tueantur.

Hæc etiam ille. Ex his omnibus, Vir Clariſſime vides, quibus ſpei & metûs machinis res patriæ meæ aliorumque in orbe Chriſtiano imperiorum librentur & vibrentur. Optandum eſt, ut tam populares mei (in quorum ſalute omnium ab invaſione barbarorum ſibi metuentium ſalus poſita meritò creditur) quam omnes reliqui populi Chriſtiani *cooriente* vel, ut ipſi augurantur & ominantur, imminente *procellâ apprehenſi ponduſcalo* æqui, ut apes *lapilli*, auctore Plinio, *ſe librent*, Miſeros, qui hôc pondere defecti in præcipitia calamitatum vi tempeſtatis deferuntur, & in voraginem æterni exitii tandem conjiciuntur! Revera, namque ſine æqui pondere quiſque opum, honorum & voluptatum ſarcinis vel maximè gravis, par levibus ventis eſt, illique Coo poëtæ, cui Philetæ nomen erat, quem adeò gracili corpore fuiſſe quidem perhibent, quod noſti, ut neceſſe fuerit plumbum ei alligare, ne à vento raperetur. Hæc & plura ejuſdem generis in memoriam nobis ab apparitione Cometarum, (licet iſti, ut & reliqua ſidera, res noſtras ignorent, & nullam neceſſitatis legem imponere nobis poſſint) revocare convenit. Hæc mea ſtudia Tibi eximio virtutum cultori ſemper grata fore, firmiter ſpero. Eandem æquitatem & benevolentiam de omnibus Tui ſimilibus mihi polliceor. Vale, Vir Humaniſſime, feliciter in multos amplius annos age, mihi ſemper fave.

Cometæ ſalubria monita nobis in memoriam revocant.

Aſtra nos non cogunt.

N. 38. *Lutetiâ Hamburgum die* 19. *Februarii* 1666.

A Clariſſimo Menagio epiſtolam, reſponſum ſcilicet ad eam, quam ipſi ſcripſeras, tandem obtinui. Ipſe & Auzutius in ſcribendis epiſtolis haud libenter tempus inſumunt, otioque vel in ſtudendo, vel in colloquiis familiaribus cum amicis, quos ipſi conveniunt, aut qui ad ipſos ventitant, utuntur. Hic ſe reſcripturum tibi, jam diu eſt cum mihi pollicitus eſt; at nihil hactenus præſtitit, in eademque eſt apud alios, ac apud te mora. Amicos antea per literas frequentius adire poteram, & earum commercio delectabar, ſed eâ nunc voluptate ac delectamento frui, niſi rariùs per ætatem non licet: tardius ideò tuis, 23. menſis elapſi ad me datis, hocce reſponſum repono.

Illius Spinæ libelli atque Comitis de Fliſco novæ prædictionis, in rebus quæ nunc geruntur perpendendis nullam rationem habeo. Maximas mutationes orbi terrarum impendere vel myopes ac cœci percipere poſſunt. Tantique non eſt Spinæ prædictio, ut ipſius authoritas commendetur unicè; cùm præteritorum ſæculorum experientia docuerit, maximas illas ſuperiorum planetarum ſynodos in triplicitate ignea recurrentes, iterum per univerſum orbem terrarum converſiones inſignes brevi tempore anteceſſiſſe. Neque hoc mirum, cùm ea ſit rerum humanarum conditio, ut perpetuò ſtare nequeant, ac poſt annorum octingentorum revolutionem ipſas immutari, pro naturæ ſuæ inſtabilitate quaſi neceſſe ſit. Videmus cunctorum hominum mentes, ingenia & mores ſic affectos nunc eſſe ac diſpoſitos, ut fatis cauſarumque longa annorum ſeriè connexarum producendis effectibus inſervire geſtiant. Ubique ambitio, ubique pecuniæ cupiditas homines tranſverſos agunt: omnia commiſceri, fas ac nefas promiſcuè haberi cernimus. Dei clementiæ ac providentiæ noſmet privatos, reſque omnium gentium publicas permittere debemus. Illuſtriſſimum Dominum Rautenſteinium officioſiſſimè ſaluto. Vale Vir Generoſiſſime.

N. 92. *ad* 38. *Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die* 27. *Februarii* 1666.

EXtemplo reſpondeo ad Tuas acceptiſſimas literas die 19. Februarii datas, jam jam mihi redditas. Fateor me, ex quo operi meo quamprimùm edendo intentus ſum, officii erga Te factum eſſe longè quàm uſquam antehac, negligentio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

gligentiorem. Crede autem hujus rei non Tuum ſilentium (quanquam in colendo literarum commercio diligentiam inſtar magnetis eſſe, omnium conſenſu certum eſt) ſed operis mei, urgentibus aſſiduò Amicis & typographis, quàm ocyſſimè edendi curam, eſſe cauſſam. De benevolentia tamen mea non eſt quod unquam dubites. Eodem planè erga Te animo affectus ſum, licet non tàm frequenter, ut ante, ſcribamus uterque. Quas nuper ad Te dedi, vel impoſterum dabo literas manu feſtina, ut inter tot negotia & labores aſſiduos fieri neceſſe eſt, eæ nec in rationes meas à me referentur. Tu ſi eis locum in Tuis des tabulis, dabis ſimul ægregiæ facilitatis & humanitatis documentum. Dediſti verò in eo, quòd rerum mearum ſategeris, & diligentem votorum meorum exactorem apud Amicos communes egeris. En Tibi è veſtigio debitam Clariſſimo Menagio reſponſionis vicem, & quæ ante paucos dies ab Ampliſſimo Hevelio mihi reddita ad Vos, cumprimis ad Clariſſimum Auzutium pertinent, ſi tamen Tu hæc illi communicanda cenſes. Libellum Spinæ nondum vidi. * Sed ſine eo magnam rerum in orbe Chriſtiano imminere mutationem, ex earum diſpoſitione & progreſſu, in oculos vel notitiam hominis privati incurrente, jam ante vidi. Planetarum conjunctionibus aliiſque rarioribus in cælo phœnomenis inſignes rerum mutationes ſucceſſiſſe, experientia docet. Eadem tamen teſtatur, ſine his quoque non minus inſignes mutationes ſæpè eveniſſe. Niſi fortè dicat aliquis, multa in cælo, ut eclipſes vel etiam planetarum ſyzygias, aliaſque ſtellarum diſpoſitiones, nobis non advertentibus fieri. Ita multi dicunt multos Cometas dari in cælo, etſi à nobis non conſpiciantur. Sed inviſa ac latitantia, ut in oculos, ita & in conſiderationem non veniunt. Pari jure licebit aliis dicere Cometas eſſe perpetuos, etſi à nobis non videantur. At verò hac ratione in ordinem rerum non tantùm naturalium, ſed & ordinariarum iſti forent cogendi, & nihil portenderent. Mea tamen ſententia, qui hîc Ethicum ago, portendunt illi *bona bonis*, *mala malis*, quod ſymboli vice Cometæ & operi meo præfixi. Poſtquam huc in literis ſcribendis uſque perveni, accepi Heinſianas, quæ me certiorem reddunt Rudbeckium Hevelio de novo quem putabat Cometa, aſſenſiſſe. Vale Vir Humaniſſime ac mihi conſtanter fave.

Magnes diligentiæ, diligenti: amoris amor.

Humanitate & facilitate in colenda amicitia certa:

Et officioſus in amicos eſto.

** Mutationes rerumpublicarum Chriſtianarum imminere geſtorum & conſiliorum ſeries dictat.*

Conjunctiones Planetarum multæ res memorabiles in orbe ſecutæ ſunt: Sed & anteceſſerunt, ut & ſine illis fiant.

Cometæ quibuſdam perpetui putantur,

Ita eſſent aliquid ordinarium, nec quidquam portenderent.

Rudbecius Hevelio de novo Cometa hyemali cedit.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 18. *Aprilis Gregoriani* 1666. *N.* 93.

QUod rarius nunc ad Te ſcribam, Tu facilis & æquus occupationibus meis adſcribes. Eadem enim æquitate ego erga Te utor. Adhæc quæ ad communem Amicum ſcribere ſoleo, ad Te quoque pertinent. Nunc ut Te compellem, quietemque Tuam ſenilem & graviora ſtudia interpellem, haud leves cauſſæ impellunt me de republica literaria benè mereri cupientem. Quæſtio illa de Cometis ante, ut & poſt, mortem Ludovici Pii viſis digna mihi porrò ulteriori examine, eademque diviſarum ſententiarum difficultatibus expediri poſſe viſa eſt. Memineram quidem moniti Tui operam perditurum eum, qui diſſonantiam ſententiarum in talibus conciliare voluerit. Tentavi tamen, nec ſine aliquo, ut puto, ſucceſſu tàm moleſtum negotium. De quo ut ad Te hac quoque vice referam, patere quæſo pro eâ quâ es humanitate, & erga me benevolentiâ. Dixeras Tu Cometas in Virgine & Scorpio ab Auctore vitæ Ludovici Pii in annum Chriſti 839. & 840. ineuntem poſitos, uni anno 839. qui tunc Veſtratibus à Paſchate incipiebat, deputandos eſſe. Monueras itidem Auctores quandòque unius anni errorem in putandis rationibus committere. Utrumque prudenter & opportunè. Ego tamen antea indicaveram, errorem manifeſtum in Auctoris illius non hiſtoria, ſed diſtinctionibus capitum & annorum inveniri. Illa enim mortem Ludovici in annum 840. ut par eſt, ponit, ſed in ſeriè rerum 842. ſubjectarum. Accepi Veſtratem Du Chené errorem hunc

Æquitas fovet amicitiam.

Cometarum circa mortem Ludovici Pii viſorum examen.

Tenta pro virili quæ ad juvandam rem literariam faciunt.

Auctoris vitæ Ludovici Pii defenſio.

Exemplaribus librorum cautè fidendum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

correxiſſe. De quo, ut &, quis præter eum id fecerit, certior à Te fieri cupio. Hoc enim Tibi inſtructiſſima Bibliotheca Thuanæa facilè indicabit.

Cometarum circa mortem Ludovici Pii ſer.es.

Ita Cometa ille 840. in 838, 839. verò in 837. referendus foret, ſicut fecit Calviſius & alii. Annales quoque Fuldenſes Anno 837. illud phœnomenon adſcribunt. Sed in eo annotando, ſalvâ auctoris illius Anonymi correcti fide, à te notatum unius anni errorem admittunt nonnulli, Aventinus ſcilicet, Rockenbachius & Eckſtormius ex his quos habeo.

Contradictio Auctorum de motu unius ejuſdemque Cometæ.

Et Aventinus quidem *Cometam Planetarum modo ab Occidente in Orientem proceſſiſſe* dicit: cum Anonymus expreſſè *non more Planetarum Orientem verſus petiiſſe* dicat. Porrò Cometam Anno 840. Kal. Januariis in Scorpio poſt Solis occubitum apparuiſſe, negaras. Eſt qui pro Kal. Januarii conjiciat Kal. Junii reponi debere. Tu quid ſentias, Cometâ in 838. relato, verbo doce.

Cometarum novenarius numerus ad quaternarium ab Auctore reductus.

Cum autem novem Cometæ intra ſeptennium circa exceſſum Ludovici Pii annotari videantur, en tibi rem in tabella propoſitam, & conatum ſimul conciliationis, quæ quatuor Cometas ex illis novem facit.

Cometa Anno Christi.
1. 837. *in Libra*, Ann. Fuld. *in Virgine*, Calviſ. Vid. Eckſtorm.
2. 838. *in Libra*, Rockenb. *in Scorpio* Calviſ. Vid. Aventin. & Eckſtorm.
3. 839. *in Virgine* (corr. 837.) Auctor vitæ Ludovici *in Ariete* Vincent. Funcc. Rockenb. Eckſtorm.
4. 840. *in Scorpio* (corr. 838.) Auctor vitæ Ludovici. Vid. Alſted.
5. 841. *in Aquario* Annal. Fuld. Vid. Alſted.
6. 842. *in Aquario* Funcc. Rockenb. Eckſtorm. Vid. Alſted. tum Chron. Fontanell. & Nithard.
7, 8, 9. Anno 843. *in Libra, Ariete & Aquario*, Ricciol. ex Cardano.

Cometa Anno Chriſti.
1. 837. (corr. 836.) qui autumno Solem anteceſſit. Eckſtorm.
2. 838. (corr. 837.) qui vere Solem ſecutus eſt. Eckſtorm. Avent. Rockenb. apparuit *in Virgine*, duravit 25. diebus, Anonym. Calviſ. Confer Eckſtorm. Ann. Fuld. & Rockenb.
3. 838. *in Scorpio*, Anonym. Calviſ. 839 *in Ariete*, Vincent. Funcc. Rockenbach. Eckſtorm.
4. 841. exeunte & 842. ineunte *in Aquario*.

Hîc verbo dicendum eſt, quod probabilis conjectura ſuggerit, Cometam in Libra primò 837. viſum, ad Virginem perrexiſſe, & in Tauro diſparuiſſe. Pariter illum 838. à Scorpio ad Arietem: utrumque contra ſignorum ſeriem curſum tenuiſſe.

Alſtedius videtur corrigendus.

Ita tres Cometas Alſtedii annis 840, 841 & 842. ſignis Scorpii, Arietis & Aquarii (nam illum in Virgine Alſtedius in ann. 814. retulit, parum, fateor, providè) annis 838, 839 & 841. ſimulque 842. adſcribendos: illos verò Cardani in ann. 837, 838, & 841. ſimulque 842. collocandos puto. Hæc ſunt, Vir Humaniſſime, de quibus ad Te referre volui, & à Te doceri cupio.

Riccioli opera noviſſima.

Propoſui hæc nuper & Ricciolo, qui vivit, & poſt Geographiam ac Aſtronomiam Chronologiæ reformandæ dat operam. Ab Amiciſſimo Hevelio, operibus & operis ſuis intento, nil literarum à tempore non pauco accepi.

Rautenſteinius in Aulam Sueciam ablegatus.

Accepi verò jam jam literas à Nobiliſſimo Heinſio, qui ſperabat Illuſtriſſimum Rautenſteinium, in Aulam illam ablegatum, brevi ad ſe venturum. In opere meo edendo aſſiduus laboro cum amicis, qui rem apud Batavos curant. Exſpecto aliquid reſponſi à Clariſſimis Viris, Menagio & Auzutio, quos velim nomine meo ſalutes plurimùm. Vale ac mihi conſtanter fave.

Hamburgi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 8. *Maji* 1666. *N.* 94.

SAtiſſit mutuæ noſtræ amicitiæ, ſi eam ſemper, etſi literarum commercium non ſemper, colamus. Illa enim nullum in pectore recti tenaci impedimentum invenit: hoc multa, ut ſunt res humanæ. Ego in excuſationem afferre poſſum, quòd ad Amicum communem ſcribere ſoleam, cui Tecum, Tibique cum illo cuncta mea ſemper cupio eſſe communia. Adde quòd omnium ſubſecivarum horarum momenta impendenda mihi ſint bipartiti operis editioni, quæ feliciter per Dei gratiam procedit, eàdem conatus meos juvante hoc anno abſolvenda. Ampliſſimus Hevelius opuſcula illa minora, Cometographiam præceſſura, hoc menſe nobis ſe daturum ſperat, niſi figuræ æri incidendæ illorum editionem retardent. Stellam illam miram in collo Ceti hoc anno non obſervavit. Erudito Viro Henrico Sivero, hac in urbe agenti, tàm beato eſſe licuit, ut eam aliquoties obſervârit. Quas obſervationes, ut & priores, operi meo inſerendas ad Dominum Hevelium miſit, qui eas approbavit & gratas habuit. Sperat eam menſe Julii vel poſt Solſtitium brumale redituram. Ego in hiſtoria mea Cometica progredior. Vellem, ſi fieri poſſet, reſponſo Tuo ad meas ante menſem datas literas brevi potiri, ut Tuam de Cometis, qui circa exceſſum Ludovici Pii apparuerunt, ſententiam cognoſcerem. Sed niſi id brevi expediri poſſit, velim prius verbo mihi Tuam mentem exponas de Cometa, circa annum ut puto, 583. in Luna viſo, quem Aimoinus Veſter l. 3. c. 23. annotat. Tùm de illo phœnomeno quod eodem tempore viſum idem ille Auctor c. 33. ſed & Gregorius Turon. l. 5. c. 34. deſcribit. Rogo ſcilicet an utrumque phœnomenon Cometis, ſaltim aëriis, ſpuriis &, ut ſic dicam, horariis vel momentaneis, per aêrem noſtrum ſublunarem, ut verbis Clariſſimi Hevelii noſtri utar, brevi ſpatio trajicientibus, annumerari poſſit. Amici communes in hac urbe agentes omnes divino munere rectè valent, Tui memores vivunt, Teque plurimùm ſalvere jubent. Velim idem officii mihi apud Illuſtriſſimum Bruſſellum præſtes: tùm etiam datâ per otium occaſione apud Clariſſimos Viros Menagium & Auzutium. Ab utroque vicem reſponſi exſpecto: ab hoc verò etiam promiſſam meâ gratiâ ad Clariſſimum Hugenium epiſtolam: quæ ſi aperta mihi miſſa fuerit, operi meo inſeretur. Tu quoque, Vir Amiciſſime, verbo, ſi opus ſit, mone, an iſtis, quæ adjungo, ex epiſtola mea die 18. Julii ſcripta excerptis, addi quidpiam velis. Illuſtriſſimus Rautenſteinius, quod mihi vehementer dolet, Holmiæ iniquâ valetudine morboque periculoſo conflictatur: qua de re heri literas die 28. Aprilis datas à Clariſſimo Heinſio accepi. Vale Vir Humaniſſime, & mihi perennem benevolentiam ſerva ac feliciter age.

Subſecivas horas Auctor huic operi impendit.

Stella mira in Ceto Hamburgi à Sivero obſervata.

Cometa in Luna viſus.

Cometæ aërii brevi ſpatio durant.

Rautenſteinius Holmiæ ægrotat.

Lutetiâ Pariſiorum die 21. *Maji* 1666. *N.* 39. *ad* 93. & 94.

QUid ad literas Tuas 18. Aprilis, poſtremaſque 8. Maji ad me datas ſcribam, præter illa quæ antea ſcripſi non habeo. Nullam enim methodum certam ad Hiſtoricorum inter ſe diſſenſum in notandis veris, quibus Cometæ apparuerunt, temporibus conciliandum invenio. Authoritas graviorum peritiorumque nobis ſequenda eſt. Si quis ipſorum Eclipſim Solis vel Lunæ in Annalibus ſuis aut Chronicis perperam adnotaverit, vitium deprehendere ſtatim licet: Cum utriuſque ſideris motus regulares notos habeamus, & in Tabulas retulerimus. Cometis verò ſingulis proprius ſuus ineſt motus, nec ante fulſionem nec poſt occultationem notatus. Neque hactenus idem Cometa viſus eſt, poſtquam oculis hominum ſe ſubtraxit, recurriſſe. Aliquam equidem cum priori poſtremorum, qui menſe Decembri 1664. & Januario ac Februario anni ſequentis

Hiſtoriam Cometarum incertam eſſe Bullialdus arbitratur: Illa Eclipſium eſt illâ magis certa & explorata. Cometarum quàm eclipſium inveſtigatio difficilior. Cometarum 1664 & 1665 & 837. comparatio.

quentis conſpectus eſt, convenientiam habuiſſe illum videmus, qui anno 837. fulſit; quemque author vitæ Ludovici Pii utcumque deſcripſit. Ex partibus namque cæli Virginis aſteriſmo Corvique vicinis uterque progredi, utraque ſeriem ſignorum verſus Tauri & Arietis conſtellationes ferri, obſervatus eſt. Noſtrum Andream du Cheſne annos in vita Ludovici Pii accuratè diſtinxiſſe animadverto: inque ejus ſententiam pedibus eundo, Cometam ad annum 837. referendum eſſe cenſeo. De ſtella, quam in Luna viſam eſſe, Aimoinius lib 3. cap. 23. his verbis refert; *Eo anno ſtella in medio Lunæ fulgens viſa eſt*, quid ſentiam quæris. Cometam non fuiſſe, nec aliquod meteorum puto: ſed Jovem vel Venerem, aut ex fixis oculum Tauri vel Cor Leonis, ad quas falcata Luna ſic appulit, ut quaſi in medio cornuum ſtella viſa fuerit, ac propterea à Luna fuiſſe paulò poſt occultatam certum eſt. Neque verba Aimonii aliter accipi poſſe exiſtimo. Illuſtriſſimus Menagius multis occupatus, carminibus condendis animum applicare vix poſſe mihi videtur. Auzutius rariſſimè ad Amicos ſcribit; & ſæpius à me monitum ut Tibi literarum aliquid reponeret, nondum ad hoc Tibi mihique perficiendum perducere potui. Clariſſimum Chriſtianum Hugenium à Rege hùc accerſitum, ſexque millium librarum annuà penſione ac habitatione donatum hîc nunc poſſidemus, inter præclara beataque Regiæ liberalitatis fruitione ingenia annumeratum.

Cometa anni 837. Bullialdo certus.

Stellam in Luna viſam Bullialdus Jovem vel Venerem vel aliam ſtellam Lunæ vicinam, non Cometam nec meteoron fuiſſe, putat.

Hugenius à Rege Galliæ invitatur & liberaliter habetur.

Illuſtriſſimum Rautenſteinium morbo tàm periculoſo conflictari, mihi omninò moleſtum ac grave; nomine meo ut eum ſalutes, ſanitatemque priſtinam optes, idemque officium ut verbis meis Illuſtriſſimo Nicolao Heinſio exhibeas, te rogo. Amicis quoque Hamburgenſibus noſtris ſalutem impertiri ut velis te oro. Vale Vir Generoſiſſime.

Rautenſteinii morbum gravem Bullialdus dolet.

N. 95.
ad 39.

Hamburgo Lutetiam die 5. Junii 1665.

NOn licuit mihi, Vir Humaniſſime, officio Tuæ ſalutationis & voti mihi abs Te impoſito apud communem nuper Amicum Illuſtriſſimum officiis & Legationibus Virum Dominum Rautenſteinium perfungi. Dum enim à Suecica Legatione rediret, ſubitò nobis omnibus ereptus eſt. Hoc Te ſubjunctum docebit epitaphium, tumultuario opere nuper inter varios mentis corporiſque motus, ac præſentibus domi meæ hoſpitibus compoſitum. Huic mitigando meo Tuoque & aliorum Amicorum, cumprimis etiam Illuſtriſſimi Bruſſelli (quîcum quanto ſtudio noſter olim amicitiam coluerit, noſti) dolori, pauca hîc addo, funus me Amiciſſimi Viri, præſentibus & extra urbem comitantibus Nobiliſſimis & Ornatiſſimis Dominis Schwan & de Guericke, Anglico & Electori Brandenburgico Oratoribus Ordinariis, aliiſque Viris Egregiis & præſtantibus, nudius tertius honeſtè extuliſſe, Ditteldorfium ad Ratiſbonam ſitum deducendum. Magno ille deſiderio flagrabat hucuſque perveniendi, ut curandæ valetudini operam daret, hîcque aliquo temporis ſpatio, dilectiſſimâ quoque uxore ſuâ hùc venire juſſâ, ſubſiſteret. Cupiebat enim & hæc quæ jam ex opere meo Cometico impreſſa habebam, ubi communicatio de hoc argumento cum eo à me habita familiam ducit, & quæ paulò poſt exſpectabam, videre: prout quidem nonnulla illâ ipſâ die ex Hollandia acceperam, inter quæ erat æri inciſa figura viſi à me illius, quod noſti, phœnomeni, ad ejus communicationem pertinens. Sed longè aliter placuit Deo, cui nos ſubmittamus par & neceſſe eſt. Nunc ut ad alia epiſtolæ Tuæ die 21. Maji ſcriptæ capita veniam, gratias Tibi ago de Tuo prudenti & gravi judicio, quod profectò maximi facio. Paulò ante accepi literas Ampliſſimi Hevelii, qui de Cometa anni 837. in eadem tecum ſententia eſt: nec non de eorum errore, qui vel meteora vel etiam ipſos Planetas pro Cometis ducunt. Itaque in conſenſu utriuſque veſtrûm acquieſco. Illud tamen phœnomenon quod Cometa in Luna fuiſſe putatur,

Rautenſteinii mortem Auctor Bullialdo nunciat, & epitaphium memoriæ ejus dicatum mittit:

Funus honeſtè extra urbem efferri curat.

Divinæ voluntati parendum.

Hevelius & Bullialdus de Cometa Anni 837. conſentiunt: nec non de phænomenis, quæ pro Cometis vulgo habentur.

Aimoini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Aimoini fide, at cum nota diſſenſûs, inter Cometas jam ante retuleram, Nobiliſſimum & Humaniſſimum Heinſium, ut & Amicos hac in Urbe degentes, Tuo nomine ſalutavi, illum verò etiam de Clariſſimi Chriſtiani Hugenii apud Vos præſentia & rerum ſucceſſu certiorem reddidi. Gratulor profectò non tantùm Vobis, ſed & Sereniſſimo Regi Veſtro, Munificentiſſimo Euergetæ, de tanto Viro, ſed & ei de tàm benefico Patrono. Velim Virum illum Humaniſſimum meo nomine plurimum ſalutes, & an epiſtolam meam die 30. Octobris datam acceperit, roges. Hâc enim ratione reſponſum ei in memoriam revocabis, quod ſummoperè cupio. Libenter idem & à Clariſſimis Viris Menagio & Auzutio obtinerem Tua opera, ſi per negotia Tua illorumque licet. Vale Vir Præſtantiſſime & Amice plurimùm colende, ac mihi conſtanter fave.

Hugenio tantum Patronum, Regem ſc. Chriſtianiſſimum Auctor gratulatur.

Lutetiâ Hamburgum die 16. Julii 1666.

N 40. ad 95.

ADtuas literas ultimas quòd non reſponderim, non immeritò quereris: ſed excuſationem legitimam afferre ego poſſum, quam te admiſſurum pro Tua humanitate & æquitate non dubito; cum reſcieris à ſeſquimenſe multis me occupatum fuiſſe. Sed & moleſta quædam rerum mearum mutatio vitæ tenorem non parùm turbavit, ſtudia interrupit, & otium, quo fruebar, abſtulit. Senectutis incommodum accedit, quæ graviorem indies me reddit, & quæ quiete maximè opus habet ætas, tranquilla minus quod vereor, deinceps erit mihi degenda. Itaque allatæ cauſæ, cum ætatis, tùm otii, quod mihi non ſuppetit, ut amicis frequenter ſcribere in poſterum nequeam, profectò faciunt. Quos mihi propterea æquiores ſpero, quàm me officium meum deſerere, ipſoſque me negligere, ut credant. De morte Ill. Dn. Rautenſteinii, cujus amicitiam plurimi ſemper feci, acerbus mihi fuit nuncius, Vir quippe eruditus, in negotiis gerendis ſtrenuus ac perſpicax, ac moribus honeſtis præditus ornatuſque fuit. Sereniſſimum Ducem Neoburgicum non levem jacturam feciſſe affirmare poſſum; nec ejuſmodi Miniſtrum, in ſuiſque rebus agentem, adeò peritum inventurum eſſe. Die 2. hujus menſis Eclipſim Solis obſervavi. Anticipant Tabulæ meæ Philolaicæ cælum, ut ex adſcriptis obſervatione & calculo videbis.

Bullialdus tardum reſponſum excuſat,
De acerba ſorte ſua queritur,
Mortem Rautenſteinii dolet.
Eclipſis Solis die 2. Julii 1666. à Bullialdo obſervata.

	Obſervatio.	*Calculus*	
		H. ′ ″	H. ′ ″
Initium	alto ⊙g 14′. 55. corr. 14.g 47′. 30″.	9. 44. 38.	5. 30. 2.
Finis	alto ⊙ 34. 0. corr. 33. 59. 15.	7. 43. 21.	7. 35. 22.
		Dig 7.56′.	Digiti 8. 4′.

Proportio Semidd. apparuit, qualem Tabulæ exhibent, vel differentia non ſenſibili, nempè ut 16′. 9″. ad 16′ 16″. ⊙ ad ☾ Semid. Ingreſſus punctum diſtitit ad occaſum à verticali per limbum ſuperiorem tranſeunte part. 75. Finis partibus 32. ad ortum à verticali per limbum inferiorem tranſeunte.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 24. Julii 1666.

N. 96. ad 40.

LIbenter equidem, ſi quis alius, doctiſſimâ & ſuaviſſimâ Tuâ per literas familiares converſatione aſſiduo gauderem, quouſque utrique noſtrûm vita ſuppetierit. Eſt enim hæc non tantùm honeſta, ſed & publica privatimque utilis occupatio, nec minimum acerbitatum ſolatia vitæ, quantumvis probæ, confundentium condimentum. Sed cum Tibi ætas ſenio gravis, ſtudia graviora, tum & privatæ moleſtiæ graviſſima objiciant impedimenta, nemo Amicorum æquitatis memor Tuum ſilentium ſequiùs interpretabitur, vel de neglecto officio queri poterit. Crede mihi, me de Tuis aliorumque Amicorum, optimæ præſertim notæ, qualis Tu es, bonis maliſque partem, nec infimam, humanitatis & amicitiæ jure mihi vendicare: Quid verò aliud inter tot incommoda, pericula, cunctaque adverſa nos undique obſidentia, hinc atque illinc prementia, faciamus, quàm ut armis virtutis & induſtriæ inſtructi mentem ad patientiam & quietem invictam componamus? Bona conſcientia impenetrabilis galea, lorica, imò arx inacceſſa eſt. Sed ad alia perpetuis & graviſſimis laboribus diſtractus pergo. Operis mei editio feliciter per Dei gratiam procedit. Nondum tamen finem videt, mole & rerum varietate ac magnitudine inexſpectata prægrande. Tantò magis cum varia negotia, quæ vitare amicitiæ

Litterarum commercium dulce & utile.
Silentium Amici juſtum excuſatum habe.
Æquus tacitam amicitiam cole.
Amici bona malaque communia duc.
Patientia fortiter fert adverſa, & adfert quietem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Auctor inter multos labores conſtanti ſe valetudine per Dei gratiam frui celebrat gratus.

Gratus, in Deum præſertim, eſto.

Conſcientia bona parit quietem.

Invide nulli ullum bonum.

citiæ vel officii ratio prohibet, meam operam diſtrahant, quibus, niſi ſingulari divino beneficio, proſperâ & conſtanti fruerer valetudine, ſufficere non poſſem. Cum autem certus ſim, me in officium toto pectore incumbere, ſufficiet ad pacandam mentem parandamque ejus oblectationem ſerenam, me id quod poteram & debueram, licet nondum quod volueram, feciſſe. Nulli interim majoris & felicioris induſtriæ laudem iniquus virtuti invidebo. Huic enim me omni ex parte favere, ut par eſt ſine jactantiæ metu, ex Viri boni officio dicere non vereor. Cl. Oldenburgius Inclytæ Soc. Regiæ conſors, me nuperrimè per Amicum ad commercium literarum invitavit. Quamobrem ego eum officio humanitatis præveni. Hîc Te rogo iterum iterumque ut à Clariſſimis Viris Menagio, Hugenio & Auzutio, meo nomine quos plurima ſalute impertias velim, reſponſi vicem deſideratam, ſi qua datur, obtineas. Meritò autem & jure id facies, non tantùm mihi & illis amicus, ſed & in hoc officii literarii genere tàm imitandus quam laudandus. In quo quis inter omnes, quos novi, Rautenſteinio olim noſtro par? Debetur & hoc præſtantiſſimi Viri laudibus, ut inimitabilis ejus in colendo literarum commercio & omni officii genere induſtria in proverbium & exemplum abeat. Sereniſſ. Dux Neoburgicus, literis ad me paulò ante clementer datis, conceptum ex tam fidelis Miniſtri obitu dolorem indicavit, ſibique gratum fuiſſe honorem à me defuncto habitum, ſignificavit. De publicis rebus pauca dicenda, eaque, ut fieri aſſolet, triſtia lætaque veniunt. Bellum inter Polonos & Moſcos, ut & ſeditio Coſacorum, durat. Pax tamen domi ſingulari divinâ benignitate, coaluit, quibus conditionibus, & annon cum aliquo ſanguinis civilis (hoc enim conſtanter ſcribitur) impendio, & an cum conſtantis fidei auctoramento, nondum liquet. De pace quoque inter Suecos & Moſcos firmanda, inter Electores ad Rhenum redintegranda, agitur. Fœdus inter Vos & Suecos renovatum eſſe, poſt nupera Principum funera nuptias parari, natales celebrari, bella quoque alibi terra marique geri, me melius noſti. Hæ ſunt perpetuæ rerum vices quæ Cometis ſuccedere ſolent, noſtriſque nuperis ſucceſſerunt. Hi ſi quid portendunt (quod quodammodo dici poſſe largior) non tantùm mala, ſed & bona portendunt. At enim ego hîc plus vitiis virtutibuſque quàm ullis phœnomenis aſtriſve cæli tribuo.

Hamburgo Lutetiam die ult. Julii Gregoriani 1666.

OCtavus dies agitur ex quo nuncium lætum de pace Polonica, qui ad me tunc allatus erat; ad Te confeſtim promoveram. Hunc enim nolui diu apud me retinere, quin Te, quem patriæ noſtræ optima quæque precari novi, ejus extemplo facerem participem. Verum quidem eſt nos libenter eis quæ optamus fidem tribuere, unde etiam præcoci credulitati ſæpenumero illuditur, cum quidam Sabinorum ritu & ſomnient, quæ velint. Ego tamen, ut vides magnis auctoribus nuncium illum acceperam, die 14. Julii gratiis ſolemnibus Deo ab Epiſcopo quodam & nonnullis Præſulibus & Viris illuſtribus de pace conventa actis. Sed en triſtem è veſtigio nuncium. Die hujus menſis decimo (qui nobis ater & ne factus eſt indicto ad eum nuper noſtro exſulio) Provinciales copiæ in Lituanos, Regias partes ſecutos, & hoſtili modo in Majori Polonia graſſantes moverunt; ut eorum licentiam coërcerent. Inter hæc de pace agebatur & ſubmiſſæ ex Regiis copiis ſex legiones ſelectorum militum (inter quos & trecenti Lituani fuerant) ad opprimendos improviſo Provinciales & Lubomirſcianos ab iſtis 13. ejuſd. menſis ex inſidiis in Cujavia non procul ab illo loco, in quo ante annum pace compoſita erat, conciſæ & deletæ ſunt paucis ex his deſideratis. Ita vides quorſum civile iſtud diſſidium erumpat, ut tanta ſanguinis humani in regno fiat effuſio. Taceo autem regionum deprædationes, provinciarum vaſtationes, matronarum violationes, puellarum earumque nobilium ſtuprationes, aliaque quæ in omne nefas effuſa militaris licentia patrare ſolet. A civibus in cives talia committi dolendum eſt. Tantò verò magis cum per hæc communis hoſtis Moſci, in infeſtanda Lituania & Ruſſia, poſt captam nuper & exciſam Bialacerkieviam, progredienti creſcat audacia, ſucceſſêre hæc triſtia nuperis Cometis, ſed & eoſdem jam dudum anteceſſêre. Et ſunt alia horum omnium portenta, quæ & nos patriæ finibus exſules, licet malis iſtis exemti, ſentimus. Si Poloniæ morientis voces audiviſti, ejuſdemque ſervandæ rationem vidiſti, cuncta ibi vidiſti ſimul, quæ cuncta iſta quæ evenerunt, quæque meritò metuuntur mala portenderunt. Illacrimaſſe Rex tantæ ſuorum cædi, quæ ut ſcribitur 3766. hauſit, fertur. Scribitur autem reſumta eſſe pacis redintegrandæ ſtudia. Quod ſucceſſu & eventu dubium adhuc eſt. Nos ſemper meliora ſperamus & optamus, licet mala urgeant præſentia, & terreant imminentia ac minantia. Ego certè & patriæ dulciſſimæ pacem reſtitui, & hanc lætis nuperorum Cometarum eventibus annumerari ex animo cupio. Heſternus tabellarius literas mihi ab Ampliſſimo Hevelio attulit. Scribit ſe Vobis quoque nuperrimi operis ſui exempla miſiſſe. Ego illud Tuæ Aſtronomiæ Philolaicæ mihi deſtinatum cum deſiderio continuo exſpecto. Vale Vir Humaniſſime, feliciter age, mihi fave, amicos plurimùm ſaluta.

XIV. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XIV.

COMMUNICATIO FRANCOFURTO ad VIADRUM PLACENTINIANA.

Hamburgo Francofurtum ad Viadrum die $\frac{9}{19}$ Decembris 1664.

S. P. Vir Clariſſime, Doctiſſime & Humaniſſime.

INvitat me ad ſcribendum Tua mihi probè perſpecta humanitas, amicitiæque noſtræ, quam communis gentis vinculum attrahit & firmat, ratio. Incitat autem novus & inſignis, qui in cælo ante aliquot dies primùm conſpectus hîc eſt, Cometa. De quo cuncta, quæ adhuc vel fando, vel ſcripto à Viris doctrinâ & rerum naturalium ac Mathematicarum cognitione in hac urbe eminentibus, quos ſcilicet mihi eo nomine compellare licuit, accepi, Tibi mitto. Hæc ſtimulum Tibi addent, ut nobis mentem Tuam de hoc argumento pariter aperias. Vale benè, Vir Humaniſſime, & age proſperè ac fave conſtanter ei, qui eſt ſincerè

Placentinum compellandi quas Auctor cauſſas habuerit.

Ad Dn. M. Joannem Placentinum, Profeſſ. Math. in Academia Electorali Brandenburg. Viadrina.

Tui ſtudioſiſſimus & obſervantiſſimus.

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Francofurto ad Viadrum Hamburgum die 22. *Martii Juliani* 1665.

S. & O. Vir Magnifice atque Generoſe, Fautor Honoratiſſime.

LIteræ Magnif. Tuæ mihi longè gratiſſimæ, antehac cum Obſervationibus Cometæ communicatæ, me excitarunt ad conſcribendam hanc exiguam Obſervationem Aſtronomicam & Aſtrologicam, quam typis publicis impreſſam Magnif. Tuæ mitto, cujus judicium de ea deſidero. Firmis fultus rationibus, quas in hoc ſcripto demonſtro, præcipuè ex Eclipſi Regiæ fixæ ſtellæ Aldebaran ſeu Palilicii, monitum, cunctis Principibus & ſummis Poteſtatibus Eccleſiaſticis & Civilibus valdè neceſſarium & publicè utile, præfixi, ut metu Dei & Chriſti Regis Regum libertatem conſcientiæ, cujus imperium ſoli Deo & Chriſto debeatur, & unà tot exules poſtliminio revocent, & benigno ac æquo patrocinio tueantur foveantque, populos ſuæ adminiſtrationi ac tutelæ commiſſos, tanquam divinorum munerum diſpenſatores, juſtitia & clementia paciſque artibus ac regendi, teneant, conſervent, defendant: Eccleſiam & genuina ejus membra contra malevolorum invidiam curent, protegant: leges juſtitiæ, æquitatis & pacis, non illas Statûs Rationis, quam Idolum Satanæ voco, obſervent, libertati alienæ nec invideant, nec inſidientur, Deo

Placentinus Obſervationem ſuam Cometicam, occaſione communicatorum ab Auctore de eodem argumento, Francofurti edit.

Eclipſis Palilicii.

Magiſtratui omni monita utilia & neceſſaria.

Libertatem conſcientiæ Princeps integram ſervet.

Ratio Status Placentino idolum Satanæ.

Deus defendit ſuos.

autem & legibus ejus ſalutaribus adhæreant ſincero cordi, certi Deum Opt. Max. aut, ſi officium fecerint, hoſtes eorum, etiam maximè formidandos, confuſurum, aut ſi id neglexerint, plures etiam undiquaque excitaturum. Hæc & alia ſtudio publicæ utilitatis propono, de quibus omnibus ſententiam Tuam requiro. Vale Magnifice & Generoſe Vir.

Hamburgo Francofurtum ad Viadrum die 7. 17. Aprilis 1665.

Silentii moram reſponſum locuples penſat. Placentini ſcriptum Cometicum Auctor laudat. Placentinus natione Polonus. Elect. Brand. laudatur. Patriæ decora viri docti ſunt. Judicium Auctoris de libro Placentini Cometico. Libertas ſeculo gravis. Virtuti amicus eſto. S. Bernhardus de corruptione morum Reip. Chriſtianæ queritur. Eccleſiæ planctus Alvari & lachryma Ridderi. Petri Alliacenſis Cardin. de reformat. Eccleſiæ. Veritas odium parit. Reformatio omnibus nobis opus eſt: Sed hoc ſolius Dei opus illi relinquendum eſt. Nobis intra pacatæ induſtriæ & caritatis mutuæ terminos conſiſtentibus, A Deo precibus ejus expetendum eſt.

Diuturni ſilentii tædium tàm egregio reſponſo penſaſti. Scriptum Tuum ſingularem Tuam & rerum Mathematicarum peritiam & mentis probitatem, bonique publici promovendi ſtudium docet. Habet de quo ſibi patria noſtra gratuletur, quod Te videat in vicino & amico ſolo, ſub protectione Sereniſſimi Electoris Principis magnorum meritorum gloriâ Incluti, fœdere firmo ſibi devincti, famam ſibi præclaris ingenii monumentis conciliare, & publicis commodis ſtudere. Quanquam meritò vereor permultis etiam Tua diſplicitura, utpote cùm multâ libertate dicta, cujus nec ſeculi plurimùm depravati, nec ſemper privatorum genius capax eſt. Ad me quod attinet, in iis quæ ad Virtutem & mores pertinent, ex integro Tibi conſentio. Agnoſco enim cum tot Magnis priorum ſeculorum viris, Orbem Chriſtianum, & in ſacris & in profanis magnâ opus habere reformatione. Quis enim jam olim à temporibus Caroli M. ſplendidiſſimos Præſules & primæ notæ Pontifices, errores & vitia orbem Chriſtianum prementia multa cum libertate notaſſe ignorat? Neminem hiſtoriæ paulò deditum latent plenæ affectuum querelæ, huic fini ſcriptis S. Bernhardi, Wilhelmi Tyrii & ſimilium inſperſæ. Quem non moveat planctus Eccleſiæ à Pelagio Alvaro Epiſcopo Sylvenſi indicatus? Quis ſiccis oculis adſpiciat lachrymam Eccleſiæ à Gerhardo Riddero deductam? Quis non cum attentione conſideret Doctiſſimi & Eminentiſſimi Cardinalis Petri Alliacenſis egregium de reformatione Eccleſiæ librum? Quem denique tot Virorum Piorum, etiamnum viventium, vota, ſtudia, ſuſpiria in eandem directa fugiant? Sed nempe alia vel ſuſpicionem, vel etiam invidiam hæreſeos conflant. Ego ex animo dicò quod ſentio. Non omnes quidem, ut ille de ſuæ ſectæ (abſit invidia voci mediæ) hominibus dixit, inſaniunt huic vel illi ſententiæ fidei addicti, omnes tamen indigent reformatione, & ſuos quiſque patitur manes. Adeòque divinus aliquis Hercules, qui orbem Chriſtianum, velut Augiæ ſtabulum, infinitis errorum vitiorumque ſordibus expurget, nobis opus eſt. Imò verò hoc ſolius Dei Opt. Max. opus dixero. Adeoque illi ſoli rem maximè arduam, & ut viribus, ita præcipuè validis, totque ſeculorum uſu firmatis vitiis humanis majorem, relinquendam, nobis intra quietæ ac minimè turbidæ & nequaquam cruentæ induſtriæ fines conſiſtentibus, ab eo ſolo ardentibus votis dies noctesque expetendam & pia mente exſpectandam eſſe,

Et reor &, ſi quid veri mens augurat, opto.

Patres antiqui libertatem conſcientiæ ſuadent, docent, urgent. Tyrannis conſcientiarum jura divina violat. Serres in Henrico III.

Atque hoc ipſum mentem meam Tuæ convenire argumento eſt, in eo ſcilicet ut tale ac tantum negotium non aliter quàm cautè & placidè, incolumi pluſquam aurea conſcientiarum libertate tractetur, nullis adhibitis armis & violentiæ inſtrumentis, non minando, tanto minus occidendo, ſed monendo, non cogendo vel nocendo, ſed docendo: uti loquuntur & ſuadent Lactantius, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Anthanaſius, & alii antiqui & celeberrimi Eccleſiæ Doctores. Et certè omnis rerum divinarum humanarumque ratio clamat, ne temeraria ſævitia ipſam cæli arcem, ſicut quondam Maximilianus II. Imperator Glorioſiſſimus, Henrico Valeſio, ex Polonia noſtra in Galliam (ubi tandem moniti iſtius ſaluberrimi oblitum ſe fuiſſe, & funeſto exitu religionem, ſingulare hominis erga Deum officium, in quod brachium carnis nihil habeat juris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

juris, eſſe, ex vulnere ſacro moribundus agnovit) fugienti dixit, invadere quis mortalium præſumat. Fateor etenim me quoque in iiſdem Tecum, cumque tot aliis ſummis & præſtantiſſimis Viris, militare caſtris, & certaro pro libertate. Hæc enim hominem Dei munere maximè ornat, ditat, delectat, & in tota vita, ſive ſacra, ſive profana tractanda ſint, ingenuum & ſedulum monet.

Libertatis ſtudium & laus.

\- - - - - - - - - Φράζευ ἕκαστα,
Ἡνίοχον γνώμην στήσας καθύπερθεν ἀρίστην. Pythagor.
(- - - - - - - - - ſingula conſidera
Aurigâ ſuperne conſtituta optima ratione)

Ratio dux mentium & actionum humanarum.

nempè ut homo ad imaginem divinam conditus cum cæteris rebus creatis præſtet, imò eis cum imperio præſit, hoc primum ſemper gratiæ divinæ capiat experimentum. Hôc jure & beneficio deſuper dato quivis veſtrûm, ſi bona noſtra novimus, meritò gloriari, ſed & uti poteſt debetque. *Hæc enim lex eſt non ſcripta ſed nata: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex ipſa naturâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus:* ut bono jure ad hanc legem, cum qua naſcimur, tuendam verba hæc Ciceronis Orat. pro Mil. transferam. Atque hoc jus & ego, Vindicibus ejus accedens, meo calculo & exemplo qualecunque id eſt, aſſero, nec dubito mutuatis à Lyricorum anteſignano verbis de me, præfiſcini tamen affirmare:

Hominis præſtantia. Libertas rationis & præſtantiæ hominis experimentum: Et hæc eſt naturæ lex, ut quiſque liberâ conſcientiâ præditus naſcatur.

Quid verum atque decens curo & rogo & omnis in hoc ſum:
Condo & compono quæ mox depromere poſſim:
Ac ne fortè roges quô me duce, quô lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba Magiſtri
Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes. Horat. l. 1. epiſt. 1.

Libertas ſcriptori convenit.

Documento eſt & hic meus conatus, quo pro modulo ingenii viriumque, quem attribuit mihi Dominus, liberè tracto varia, inquiſitione & ſcitu digna, ſicut ingenuum quemque decet, cunctaque publicè profutura, velut in penuariam cellam congero. Facio id autem occaſionem dante & veluti monente moventeque Cometa tàm inſigni & notabili. Is certè omnes ſuos ſpectatores, ſi & auditores ſimul ſui eſſe velint, ſibique cum res ipſa fert, deeſſe nolint, officii admonet, & munia cuique ſtatui, conditioni & ætati implenda in memoriam revocat, non tantùm adverſorum, ut vulgò putatur, ſed & proſperorum (illorum ſcilicet improbos, horum probos manentium) ideòque virtutum &

\- - - exemplis vitiorum quæque notando.

Auctor ſtudiorum ſuorum in hoc opere rationem exponit. Cometa docenti atque monenti, & non tantùm triſtium, ſed & lætorum prænuncio comparatur.

Talia enim ſunt quæ ab omni ævo eum ſunt ſecuta, ut teſtatur fidelis priorum ſeculorum nuncia & interpres hiſtoria, quam Diodorus Siculus cuſtodem illuſtrium virorum virtutis, & teſtem malorum ſceleris appellat. Ad quam, dum mihi de iſtis ſermo eſt, ut locupletem plenæque fidei teſtem appello. Tu, Vir Doctiſſime! quòd hâc occaſione officii moneas Principes Viros, eoſque Eccleſiaſticos & Politicos, officium Prudentis & Boni Viri facis, memor illius dicti Servatoris & Domini noſtrûm omnium: *Sic decet nos implere omnem juſtitiam*

Hiſtoriæ laus. Officium boni viri eſt omnes etiam Principes, officii admonere.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι,
(In juſtitia autem comprehenſim omnis virtus ineſt)

Juſtitia omnes virtutes comprehendit.

ut & Theognis olim dixit. Certum enim eſt ut omnes homines, ita & omnes Principes & Magiſtratus piis & ſalutaribus monitis indigere, etſi nullius rei indigeant. Ideo & veterum Eccleſiæ Doctorum nonnulli illa ipſis Imperatoribus præbere non dubitabant, aureum verò illud os in Conſtantinopolitanæ Aulæ vitia magno cum impetu detonabat, ita ut niſi in exſulium pulſus tacere non potuerit. Equidem & veterum Ethnicorum non pauci ſalubribus monitis Prin-

Monita ſalutaria ſunt omnibus; ipſis quoque Principibus. Chryſoſtomi parrheſia exſulium ei accerſivit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Xenophontis Pædia Cyri. Plutarchus commendatur. Marci Aurelii vita ſpeculum Principum. Antonius de Guevara laudatur. Eraſmus alter Varro. Lipſii Politica laudantur: Ejus liber de una religione improbatur. Gerardi Geldenhaurii epiſtola de officio Principis & enchiridion Principibus commendandum. Virtutes Regales. Auctor varia congerit hic in unum boni publici ſtudio. Bonum publicum quo loco habendum. Plutarchus Principibus commendatur. Abrahamus Gölnitzius Boruſſus. Hiſtoria Batava Geldenhaurii. Princeps ſacer ſit cumprimis juſtus, nequaquam bellicoſus. Principes mali quomodo à ſubjectis apud Deum in ultimo judicio accuſabuntur. Bella ſæpè indicuntur, ut coloni expilentur indictis tributis.

cipes inſtruere magna cum laude conati ſunt. Ante omnes autem Attica Muſa Xenophon in Pædia Cyri, *non ad veritatem hiſtoriæ, ſed ad exemplum vitæ*, ut ex Cicerone didicimus, ſcripta. Nec alium finem Plutarchus, ſcriptorum optimus, in illis Illuſtrium Virorum vitis popoſitum ſibi habuit. Hùc & vita Marci Aurelii (quam diffuſâ eruditione & eloquentia Antonius de Guevara, vir egregius, & de Principibus optimè meritus, in illo Aureo Horologio expoſitam & illuſtratam dedit) & à Baſilio Monitorum liber Leoni filio futuro Imperatori relictus, facit. Sed ut alia præclara ingenii monumenta, quæ antiquitas complectitur, reticeam, eſt nobis egregius libellus, quem de inſtitutione Principis Magnus ille Eraſmus, ſeculi ſui Varro, conſcripſit. Sunt & Lipſii, Magni quoque in re literaria Viri, Politica, exemplis & monitis illuſtrata, præterquam quòd liber de una Religione nimis gravem & ſeverum (ne quid gravius dicam) Areopagitam agat, violenta illa media in tractanda re omnium liberrima & maximè voluntaria (quæ de religione veterum illorum ſententia fuit) Principibus permittens. Eſt & pia ſimulque prudens Gerardi Geldenhaurii Noviomagi, ad Guilielmum Ducem Gelriæ, Juliæ, Cliviæ &c. de officio Principis Chriſtiani, epiſtola elegantiſſimè laudem adepta. Eſt ab eadem manu eidem Principi porrectum verè aureum Enchiridion, quo Pietatem, Prudentiam, Juſtitiam, Clementiam, Veritatem, Munificentiam, Eruditionem & Voluptatum contemptum, Principibus commendat ita dextrè & breviter, ut vix mihi temperare poſſim, quin eum Tibi deſcribam & huic epiſtolæ inſeram. Sed vereor epiſtolæ fines tranſgredi, & incurrere cenſuram eorum qui me aliena congeſſiſſe, & ſcrinia plurium compilaſſe pronunciabunt. Atque utinam vel is ſim bono publico, quô mihi nihil antiquius poſt Dei gloriam & animæ ſalutem! Non puderet laudatiſſimum Principibuſque accommodatiſſimum Scriptorem Plutarchum ſequi. Sed & alios Rhapſodos, viros doctrinâ & boni publici ſtudio tàm celebrandos quàm imitandos. Puto etiam Te vidiſſe Principem ex Tacito ab Erudito Equite Paulo Juanicio, mihi olim ſacris & civilibus vinculis copulato, tum ab Abrahamo Gölnitzio, Viro & Docto, & induſtriâ peregrinatione commendato (qui etiam inter patriæ noſtræ lumina meritò recenſendi ſunt) compoſitum. Cum autem illa Geldenhauriana Hiſtoriæ Batavæ ab illo compoſitæ adnixa ſint, tum verò & Gerardi Liſtrii Rhenenſis carmen. Hoc judicio Geldenhaurii, ut doctam belli paciſque deſcriptionem, ita & boni Principis exactam imaginem continet. Cumprimis verò ſacrum Principem, nihil minus quàm bellicoſum, maximè verò Pium & Juſtum effingit. Quod etſi indicaſſe ſufficiat, hic præſertim, non tamen abſtinere poſſum, quin inſeram querelam, quam ſubjectos olim coram tremendo tribunali Principis Regum terræ & Juſti Judicis, de Principibus malis & injuriis facturos introducit:

Luxuria Principum fortunas & ſanguinem ſubjectorum exhaurit.

- - Hic tali prætextu immania geſſit
Bella, ut liberius ſic expilare colonos
Nos miſeros poſſet, quod nos corraſimus, agros
Arvaque præduro miſerè findendo ligone,
Texendo telas, heu tot ſudoribus, illud
Abſtulit, hoc totum Caribus dans & paraſitis,
Atque ſuos ditans & ſcrinia ahænea replens.
Cannabe nos vili duros velavimus artus,
Comptus ut in Tyrio hic luceret murice & oſtro,
Et ſua baccato redimiret colla monili;
Eſuriem rapidam, frigus brumale, calores,
Icario tulimus ſub ſidere, mille caballos,
Mille Caras, nec non latrantes mille Moloſſos,
Milleque quo dominas illi nutrire daretur.

Talia me tibi occaſione Tuæ Cometicæ obſervationis & inſertæ Admonitionis adferre,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

adferre, non miraberis, ſed ut ſpero gratulaberis, Optime Placentine, qui mihi vel ideò places, quia non Placentinus ſed Veronenſis es. Nam & Principibus cunctis, Sacris & Profanis cum debita modeſtia & ſinceritate, tum verò & univerſis Chriſtianis officia in memoriam revocas. Quod ſi unquam, hôc certè tempore duro, & bellorum rumoribus ipſiſque bellis, etiam inter Euangelicos populos mari potentiſſimos exortis, horrido, vel maximè inculcandum eſt. Ipſe enim Deus per tot Cometas aliaque ſigna cæleſtia id agit. Cur non ergò nos hîc quoque miniſtremus ſapientiæ & juſtitiæ divinæ, id quoque officii nobis illuſtri tot ſignorum exhibitione proponenti, imò imponenti? Nam ſi Bernhardus Claravallenſis, ille Sanctorum numero adſcriptus, duodecimo ſeculo ineunte erumpere in illa verba potuit debuitque: *Et nunc quod gravius eſt, ipſi Chriſtum perſequuntur qui ab eo utique Chriſtiani dicuntur. Amici tui ô Deus, & proximi adverſum te ſteterunt. Conjuraſſe videtur contra te univerſitas populi Chriſtiani: à minimo uſque ad maximum, à planta pedis ad verticem non eſt ſanitas. Egreſſa eſt iniquitas à Senioribus judicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum*, in Cant. ſerm. 33. certè non minori imò potiori jure nunc iſta nobis ſunt repetenda, in præceps magis magiſque eheu! ruentibus ſeculis. Nam etiamnum manet verum illud

Placentinus ideò placet quia non Placentinus ſed Veronenſis eſt.
Officia pietatis cuivis hominum generi inculca.
Cometæ & alia phænomena homines officii commonent.
S. Bernhardi ætas & de Chriſtianorum, præſertim Pontificum corruptis moribus querela.
Pontifices iniquitatis auctores.
Degenerant plus pluſque ſecula.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem Horat. Od. l. 3. Od. 6.

Violata enim eſt juſtitia ipſaque pietas, quæ tamen regna firmat, quod ſymbolum Joſaphati (2. Paralip. XVII.) aliorumque Regum Piorum exemplis à Sacra pagina commendatum, verè Regium, Glorioſiſſimus Rex Danorum Chriſtianus IV. uſurpabat. Violata per ſummam iniquitatem illa pluſquam aurea, præſertim conſcientiarum, libertas, tot hìc illic gementibus & dies noctéſque ad Deum clamantibus exſulibus, & alias afflictis Jeſu Chriſti confeſſoribus. Violata eſt omnis morum caſtimonia: violata omnia divina humanaque jura, ut omnia hîc dicenda uno verbo complectar. Vide & ingemiſce: Novam Cometæ facem Deus in cælo accendit, ut ſic loquar. Et ecce virtutum ignes in animis hominum non accenduntur, imò magis magiſque exſtinguuntur.

Pietâs regnâ firmat.
Symbolum Chriſtiani IV. R. Dan. laudatur.
Libertas violata,
Præſertim conſcientiarum.
Corruptio morum noſtro ſeculo maxima, ſi unquam fuit.

Contemtæque jacent & ſine luce faces,

dum plerique ſola oris confeſſione contenti, oleum pietatis igni iſti non affundunt. Hoc verò etiam meritò notas, Magiſtratus Chriſtianos debere benigno & æquo patrocinio probos tueri & fovere, populos ſuæ adminiſtrationi commiſſos artibus regnandi tenere, & Eccleſiam membraque ejus genuina contra malevolos protegere. Hoc enim licet à Deo Rege Regum cum tanta dignitate poteſtateque ſit illis tanquam officium impoſitum, à pluribus tamen negligitur, qui non tantùm innocentes in vulgus ſpecioſo diverſæ religionis vel alio prætextu opprimunt, ſed & opprimi contra datam & juratam fidem permittunt, injuſtaque facientibus conſentiunt. De quibus quid ille Liſtrius dicat repetere non audeo. At de bono libenter repeto:

Chriſtiani Nominales, ut ſic dicam, non Reales.
Magiſtratus probos foveat & tueatur oportet.

Sic bonus eſt Princeps Phœbo præſtantior aureo
Aſſimiliſque Deo, pravos qui punit & odit,
Virtutemque polum tandem deducit in altum.

Princeps bonus Sole præſtantior & Deo ſimilis.
Dei juſtitia.

Rationem Statûs idolum Satanæ vocas? Magna quidem libertate, ſed incolumi modeſtiâ & atteſtante veritate. Non enim dubito Te illam Statûs rationem virtuti & publicæ utilitati parentium oppoſitam, ſolique imperantium vel paucorum libidini eorum famulantium commodo per illicita promovendo intentam, hîc intelligere. Alioquin & bona ac legitima Statûs ratio, quæ in bona Reipu-

Ratio Statûs an idolum Satanæ?
Datur mala & bona.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Reipublicæ forma bonum publicum eſt, datur, & antiquis quoque temporibus inter recti parvique vices tractabatur. At his ultimis temporibus perverſa ingenia, *homines ingenioſiſſimi nequam & facundi doctique malo publico* (uti Cajus Curio & Marcus Cælius apud Vellejum) eam ſubtilibus iniquitatis inventis multum exacuerunt, cultelli inſtar altiora vulnera inflicturi. Accepi à quodam ex popularibus & Amicis meis fuiſſe eum tunc Romæ, cum Monachus quidam pro concione in oculis auribuſque totius Aulæ probaret theſin hanc, *la ragione di ſtato è ragione di Diavolo*, id eſt, Ratio ſtatûs eſt ratio Diaboli. Meritò ſanè. Omnis enim virtutis & pietatis cultus in illud novum diaboli inventum tranſfertur, ut hæc Politica idololatria quàm maximè cuique Viro probo ſit deteſtanda. Eſt enim illa genuina adulatorum ſimulque avarorum aulicorum proles, in omnis honeſtatis & recti parentem, pietatem ſcilicet in Deum, tùm patriam ipſoſque parentes, uti & in omnem ſtorgen & ſanguinitatis amicitiæque fidem, humanique generis ſocietatem, extremè ingrata. Ac proinde jurè mones, Principibus hoc idolum Satanæ eſſe abominandum, & pro hujus legibus illas divinas, quæ profectò juſtam civilem diſciplinam veramque ſapientiam continent, juſtitiæ ſcilicet æquitatis ac pacis eſſe retinendas. Tum & alienæ libertati non eſſe invidendum nec inſidiandum. Nam in eo quoque magna pars juſtitiæ ſita eſt: *quâ remotâ nihil aliud regna quàm magna latrocinia eſſe* Auguſtinus veriſſimè pronunciavit. Alioqui tale imperium idem plurium experietur judicium & votum, quod Romanum olìm Pontii Teleſini Samnitum Ducis: *nunquam defuturos raptores alienæ libertatis Lupos, niſi ſilva* (urbem deſignabat Terrarum Deam gentiumque Romàm) *in quam refugere ſolerent, eſſet exciſa*, ut perhibet Vellejus Paterculus l. 2. c. 27. Dummodò tamen veris & legitimis dominis ſubſint & pareant, quos ipſe Deus eorum imperio ſubjecit, nihil eis præter obſequii gloriam relinquens: quæ certè non (ut vulgo fit in animis malevolentià in imperantes ſuffuſis,) ſpernenda & calcanda, imò appetenda eſt. Verè etiam & ſapienter Publius ille Syrus, vel quiſquis eſt illarum ſelectarum ſententiarum auctor vel collector, dixit: *Parere ſcire par imperio gloria eſt.* Hoc Ariſtides ille Juſtus, illuſtri exemplo docuit, relinquens ſummum imperium Miltiadi, quod difficillimo bello Perſico ſibi per vicem delatum fuerat, teſte Plutarcho. Tandem, Vir Optime, bonis Principibus bona promittis, mala malis denuncias. Piè & prudenter & prorſus ſecundum juſtitiam ab ipſo Deo fundatam, quæ hunc ordinem condidit, firmavit, retinet, æternumque ſervabit. Hæc cuncta optimo jure dum Cometas à Deo, ut proſperorum adverſorumque prænuncios intueris, reducis in memoriam omnium Principum, quos dum officii admones, præclarè de genere humano, cui illi dant jura, mereris. Macte virtute iſta promtaque & candida libertate. Fac ut *Principes optimi facere recte cives faciendo doceant*, cumque imperio ſint maximi, exemplo majores fiant, ut ingenioſè & prudenter monet Paterculus, omnes Principes cum omnibus Sapientibus Patriæ patres fieri exoptans. Ne te in ſtadio virtutis ſtrenuè currentem ſufflaminet invidia nonnullorum. *Neque* enim *juſtus ſine mendacio candor apud bonos crimini eſt*, l.2. c. 116. idem ille Vellejus ait. Sive ſis felix, ſive fortis, invidiam ferre poteris. Adſpira proinde ad illam laudem, quam Tibi ſapientia paravit virtutibus æqua. Nempe *benè multis faciunt, qui eos bonos reddunt, quorum opera multi indigent*, quique in publicum utiles futuri ſunt, jus dicendo, leges condendo, malos puniendo, bonos augendo, judice Plutarcho, in egregio illo libello, quo docet cum præcipuis Viris Philoſopho eſſe diſputandum. Ubi pluria talia invenies, quæ Tibi hìc animum addent. Multùm præſtabis, ubi Cometarum ſitum & verſus navim Argo, vel ab illa & aliorſum curſum & alia hùc ſpectantia indicaveris. At longè plus ubi demonſtraveris, quos intra recti juſtique fines ſita ſint imperia, & quibus ſapientiæ viribus inſtructus Princeps, curſum virtutis tenere & ad metam uſque præmii beati decurrat oportet docueris. Nam *ſicuti navium opifex aliqua cum voluptate clavum fabricaturus*

Idololatria Politica maximè noxia.

Lex divina ſapientiam & felicitatem complectitur.

Libertati alienæ nemo æquus invidet.

Juſtitia regem declarat.

Romanum olìm imperium vicinis prægrave invidiâ maximâ laboravit.

Subjecti legitimis dominis pareant.

Obſequium imperio par.

Ariſtidis laus, modeſtia & in patriam pietas.

Divina juſtitia inculpata, Et immobilis.

Cometæ bona malaque prænunciant.

Principem qui inſtruit & monet, præclarè de genere humano meretur.

Principes exemplo plurimum docent & nocent:

Imperio maximi, exemplo bono majores ſunt:

Patriæ patres ſint.

Principum officia:

Horum monitores plurimum præſtant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura obſervat. Cometicar. Francofurti ad Oderam factar. ad Co

In Electoris, et Principis Brandenburgici Auguſti, Herois Invictiſſimi, Domini Dn: Friderici Guilie

hujus Anni Currentis


a Iohanne Placentino p. t. U

I. Obſervationes Priores Cometæ Veſpertini pallidioris et Caudati, turbinis inſtar, magnitudine verà Solem matutinus Comatus, poſtea nobis in Fluvio Eridano, propter Lunam ſplendentem Crinitus apparuit, et motu cujus plures Obſervationes ac earundem deductiones habentur in meâ Diſſertatiunculâ nuper editâ.

1. Obſervatio inſtituta eſt duplici modo, 1. adminiculo Altitudinis meridianæ, 41. gr: 28. minut: ac lucidæ Arie locum Cometæ determinantium.


2. Obſervatio, Iuxta diſtantias Cometæ, à Lucida Arietis 14 gr: 25. min: et Aldebaran 33 gr: 50. minut: 3 24 gr: 59. min: exiſtente Aldebaran Altitudine Orientali 33. gr: 30. min: 4. Obſervatio, Adminiculo binarum ſtella

II. Obſervationes Poſteriores Novi Cometæ Matutini Comati, lucidioris et minoris, Solem tamen magnitudine vera ſ Caput Andromedæ, per Piſcem Boreum tranſeuntis, et ad aſteriſmum Arietis uſq; tendentis.



Obſervationes Priores


Litera obſervat.	Modus	Annus	Menſis Stijl: Vet	Dies	Hora Veſp.	Longitudo Cometæ	Latitudo	Declinatio	Aſcenſio Recta
						0. gr: ./.	0. ./.	.0. ./.	.0. ./.
A.	m. 1.	1664	Dec.	28.		E. 5. 25 ♉	AE. 9. 3. A	AK. 4. 48 B	♈K. 36. 8.
Eadem	m. 2.				6	E. 5. 38.	AE 8. 41.	AK. 5. 13.	♈K. 36. 13.
B.				31.	5	F. 1. 11.	BF. 4. 21.	BL. 7. 50.	♈L. 30. 33.
C.		1665	Ian.	2.		G. 29. 12. ♈	CG. 3. 25.	CM. 8. 1.	♈M. 28. 22.
D.			Febr.	1.	8½	H. 26. 29	DH. 6. 28. B	DN. 16. 15.	♈N. 22. 7.



In propoſito diagrammate K L ſit arcus Eclipticæ, cujus polus Septentrionalis eſt M. Meridionalis vero N. Quadrantes Latit: ſint M T. et O N. etc:

		Longitudo		Latitudo
		.0.	./.	.0. ./.
1	Lucida Mandibulæ Cete	9.	41. ♉	1. L. 12. 37 A
2	Stella quæ eſt ſupra oculum	7.	1.	2. O. 5. 36
3	Quæ eſt media in ore	4.	47½.	3. P. 12. 2½
4	Oculus Cete	3.	43.	4. Q. 9. 12
5	Præcedens trium ad Genam	2.	56.	5. R. 14. 32
6	Quæ eſt infra Oculum	2.	48.	6. S. 5. 52
7	Quæ eſt in Occipite	29.	23. ♈	7. X. 4. 19
8	Quæ eſt in Cervice Arietis	28.	51.	8. T. 5. 24 B
9	Auſtralis in præcedente cornu ♈.	28.	31.	9. V. 7. 8½ B
10	Lucidior in nexu amborum linorum	24.	21.	10. W. 9. 4½ A
11	Media ac lucidior in nexu lini Boreo	22.	10. ♈	11. K. 5. 21. B

…ar. ad Communicat. Magnif. et Cl. viri D. Iohan. Placentini. N°. 35
…erici Guilielmi etc: etc: etc: Univerſitate Viadrina inſtitutæ Obſervationes binorum Cometarum,
… Currentis 1665.
…o p. t. Univerſitatis Rectore.
… verâ Solem ſuperantis, et ſupra Sphæram Planetarum exiſtentis, qui in aliis Horizontibus ad Corvum
…ruit, et motum ſuum contra ſucceſſionem Signorum per Caput Balenæ etc. direxit in orbita Elliptica,
… edita.
… lucidæ Arietis Occidentalis 58. gr: 40. minutorum. 2. beneficio quatuor ſtellarum mutuâ interſectione,
…. minut: 3. Obſervatio, Ex Altitudine Cometæ Azimuthali, 26. gr: 27. minut: atq; Azimutho Orientali
…inarum ſtellarum, in unâ lineâ rectâ cum Cometa exiſtentium, et cum tertiâ triangulum æquicrurum formantium,
…tudine vera ſi non ſuperantis, æquantis, in Pegaſo primum reſidentis, poſtea ſecundum Seriem Signorum, infra




Obſervationes P. Eclipt: A Poſteriores

	Litera Mod. 1. Diſſert.	Annus	Menſis ſtyl: Vet.	Dies	Hora Mat:	Longitudo.	Latitudo Septentr:	Declinatio	Aſcenſio Recta.
.′.						0. gr:	.0. .′.	.0. .′.	.0. .′.
8.	A.	1665	Martÿ	27.	4.	H. 14. ♓.	AH. 26. 40.	AP. 17. 50.	P. 334.
13.	B.			28.	4.	K. 20. ♓.	BK. 26. 40.	BQ. 20.	Q. 339 ½.
33.	C.		April	1.	3.	L. 6. ♈.	CL. 23. 50.	CR. 23. 50.	R. 355
22.	D.			4.	2 ½	M. 14. ♈.	DM. 21. 50.	DS. 25. 20.	S. 4 ½.
7.	E.			5.	2 ½	N. 19. ♈.	EN. 20. 10.	ET. 25. 40.	T. 9.
	F.			8.	3 ½	O. 28. ♈.	FO. 16. 20.	FU. 26.	U. 19 ½.

In adjecto Schemate H P ſit itidem arcus Eclipticæ, cujus polus Borealis eſt Q. ex hujus datis Longitudines, Latitudines Declinationes et Aſcenſiones Rectæ calculo Trigonometrico erui poſſunt

		Longitudo		Latitudo	
		.0.	.′.	.0.	.′.
1	Præcedens duarum in pectore Pegaſi	18.	24 ♓	1 R. 28.	49. β
2	Prima Alæ Marchab	18.	51.	2 K. 19.	26
3	Sequens in pectore	19.	48.	3 S. 29.	24 ½
4	Dextrum genu	21.	5.	4 T. 35.	7 ½
5	Scheat Pegaſi Eductio Cruris	24.	44.	5 V. 31.	7 ½
6	Caput Andromedæ	9.	42. ♈	6 W. 25.	42
7	Inferior in ſiniſtro humero	16.	20.	7 Y. 23.	3 ½
8	Clarior et Superior in ſin: ſcapula	17.	14.	8 X. 24.	20
9	Borea in Cingula	25.	1.	9 Y. 32.	30 ½
10	Auſtralior in Cingulo	25.	44.	10 Z. 25.	59
11	Suprema in ſiniſtra ſura	6.	1. ♉	11 β. 28.	59
12	Extrema in ſuperiore pede	10.	1.	12 P. 36.	49 ½



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

turus eſſet, ſi audiat eo gubernandam Argo navim illam ab omnibus celebratam: ſic cum majori voluptate Princeps eſt informandus, quam alius minorum gentium homo: ut ibidem Plutarchus docet. Sed jam vale quàm optime, & age quàm feliciſſime.

Francofurto ad Viadrum Hamburgum die 19. *Aprilis Gregor.* 1665.

Magnifice ac Generoſe Vir, Fautor Honoratiſſime.

TErtia labitur ſeptimana, ex quo in T. Magnif. meo primo officio defunctum me eſſe ſpero, dato ad primas ſuas debito reſponſo, & miſſâ obſervatione Cometali, ſe auctore à me compoſitâ & editâ. Hujus nunc tria exemplaria iterum T. Magnif. cum officiorum oblatione mitto: unum Regi Galliarum, alterum Regi Daniæ, tertium Regi Sueciæ haud gravatìm communicandum, ut & iſti Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principes videant, quantoperè ego, licet homo privatus & vilis, tantæ præſertim potentiæ & gloriæ eorum, quæ eos communi hominum reliquorum ſorti, quamvis non mortalitatis legibus eximit, reſpectu, coner omnibus Chriſtianis quidem Pietatem, Principibus verò juſtitiam, ut rectam regiminis normam commendare, & bonum publicum promovere, dum hocce de Cometa argumentum pertracto. Ad quod cum me T. Magnif. invitaverit, ut votis ejuſdem & officio meo ſatisfaciam, mitto obſervationes prioris & poſterioris Cometæ, nec non tres poſitiones, operi T. Magnif. quod non approbare non poſſum, ſi ita fieri velit, inſerendas, obnixè peto ne T. Magnif. meam confidentiam ægrè ferat. Interim T. Magnif. feliciter valeat, mihiquè porrò faveat:

Placentinus obſervationis ſuæ Cometalis exempla Regibus mittit.

Principum ſors eadem quæ & reliquorum hominum quoad ad mortem attinet.

Placentinus utilitatibus publicis conſulere ſtudet: Suas utriuſque Cometæ obſervationes & tres poſitiones Auctori mittit.

Tres Poſitiones

Ad poſtulatum Magnifici ac Generoſi Domini,

STANISLAI LUBIENIETZKI &c.

Viri de re literariâ meritiſſimi, doctiſſimi, Fautoris honoratiſſimi, propoſitæ, probantes.

1. *Unum eundemque Cometam eſſe, qui ad Corvum horis matutinis comatus, & in Eridano fluvio, tempore veſpertino crinitus ob Lunam ſplendentem, in Cete verò ſeu Balæna caudatus apparuit.*

Cometa hyeme unus apparuit ad Corvum comatus; in Eridano crinitus, in Cete caudatus.

1. PRobat hujus apparitionis Cometalis eadem orbita, non quidem perfectè circularis, ſed quaſi Elliptica, prout patet ex Figura meæ Obſervationis nuper editæ. Hanc diverſis temporibus viſi Cometæ orbitam eandem confirmant Obſervationes, non tàm in diverſis Horizontibus, quàm in eodem Horizonte Argentoratenſi inſtitutæ, die 8. 15. 16. 21. 22. 25. Decemb. A°. 1664.

Obſervationum Berolinenſium cum Argentoratenſibus comparatio.

Nam die 8. Decemb. horâ quartâ antemeridianâ exiſtebat Longitudo Cometæ, in 4. gr. Libræ, cum Latitudine Merionali, 26. gr.

Die 15. Decemb. horâ tertiâ matutina obſervabatur Longitudo in 14. grad. Virginis, & Latitudo 40. graduum.

Die 16. Decemb. horâ ſecundâ Cometa Longitudinem in 28. gr. Leonis & Latitudinem 49. gr. obtinuit.

Die 21. Decemb. horâ nonâ pomeridianâ deprehenſa eſt Longitudo in 28. gr. Tauri, & Latitudo 33. gr.

Die 22. Decemb. habuit Longitudinem in 23. gr. Tauri, & Latitudinem 26. graduum.

Deniquè die 25. Decemb. erat Longitudo conſignata in 10. gradu Tauri, & Latitudo 15. graduum.

2. Demon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa velox in Eridano:

2. Demonſtrat motus Cometæ in Eridano, die 22. Decemb. ſatis velox, contra ſucceſſionem Signorum ſenſibilis, atque ſeſqui altero gradu, ſi non plus, notabilis intra quadrihorium. Exiſtebat enim Cometa circa ſextam infra ſtellam Eridani ad Horizontem quaſi perpendicularis, horâ verò decimâ, ad latus Occidentale ſtellæ ſitum obtinuit, faciens cum ſtella & priore ſitu triangulum ferè æquicrurum, ut Figura N. 11. notata in mea obſervatione Aſtronomicâ & Aſtrologicâ exhibet. Ejuſmodi motum Cometæ velocem prius nominatæ obſervationes Argentoratenſes comprobant, utpote motum diurnum die 16. Decemb. 18. gr. die 21. 10. gr. 30. minut. & die 22. Decemb. 8. gr. exhibentes, adeòque non mirum, quòd intra paucos dies magnam cæli partem Cometa emenſus fuerit. Hinc Obſervatio Cometæ de Anno 1475. teſtatur, primùm tardè, poſtea celeriter inceſſiſſe, ut portionem Circuli magni triginta vel quadraginta graduum, unâ die deſcripſerit.

Nec ideò mirum cenſeri debet, cum paucis diebus magnam cæli partem peragraſſe:

Probatur id exemplo Cometæ 1475. vel potius 1472.

** Cometam fuiſſe unum ad Corvum & in Eridano viſum contra objectiones probatur.*

† Planetæ diverſi coloris apparent, iidem tamen ſunt.

Nec obſtabunt Objectiones, inferentes. 1. *Objectio*: * Cometam ad Corvum rubicundum, in Fluvio verò Eridano & Balæna pallidum apparuiſſe.

℞. Idem enim Sol, anno 1661. die 15 Julii St. V. tempore matutino & veſpertino ignitus, rubicundus & terrificus, intermedio verò pallidior apparuit, ut mea teſtatur exigua conſcripta Diſſertatiuncula. † Jupiter & Venus & alii Planetæ, ob vapores interjectos inter noſtrum aſpectum, mox rubicundi, mox pallidi conſpiciuntur, nec inde pluralitas vel Solis, vel Jovis & Veneris colligitur.

2. Objectio: Cometam ad Corvum juxta latitudinem deſcendentem Meridionalem deſcendiſſe, Horizontem appropinquaſſe, ac minorem altitudinem obtinuiſſe: contrà verò in Eridano & Balæna Cometam ſecundùm Latitudinem aſcendentem aſcendiſſe, altitudinum ab Horizonte auxiſſe, imò ipſum Æquatorem ac Eclipticam interſecuiſſe.

℞. Sol in orbita ſeu Ecliptica ſua, mox ab Æquatore juxta declinationem Auſtralem, ad Tropicum Capricorni uſque deſcendit, mox iterum aſcendit, Æquatorem interſecat & ſecundùm declinationem Septentrionalem Tropicum Cancri attingit. Idem Planeta mox eſt obnoxius Latitudini Meridionali deſcendenti, mox itèrum aſcendenti, mox Latitudinem Septentrionalem aſcendentem, mox denique deſcendentem obtinens.

3. Objectio: Tarditatem ac velocitatem motûs proprii Cometalis obſervatam fuiſſe, nec aliquam proportionem motûs habuiſſe.

Cometæ 1618 motus.

Vid. Grav. diſput. de Comet. 1664. th. IX. §. 9. Ricciol. in hiſtoria hujus Cometæ anni 1618. tùm Wendelin, & alios.

Cometæ 1652 motus:

Tum nuperi 1664 & 1665 inæqualis.

℞. Cùm Cometæ mox velociores & majores, mox tardiores & quaſi Stationarii atque minores conſpiciantur, teſte experientiâ. Videatur Carteſius. Sic Cometa Anno 1618. circa initium apparitionis velox, ſub finem tardior obſervatus eſt, atteſtantibus Petri Krügeri Obſervationibus. Cometa anno 1652. non diſſimilem velocitatem & tarditatem obtinuit, Obſervatore Laurentio Eichſtadio.

Quòd ſi ex velocitate ac tarditate bini Cometæ ſint inferendi, quid ni potius trini ſint ſtatuendi, cùm & ad Corvum & in Eridano & in Cete exiſtens inæqualitatem motus obtinuerit. In Luna nonnunquam motus velocior, nonnunquam tardior deprehenditur, non tamen dualitas corporis Lunaris indè concluditur.

Cometæ unius cauda in diverſas mundi plagas protenditur:

Præſertim, ſi ut nuperus, ex matutino veſpertinus evaſerit.

Cauda Cometæ anni 1618. & 1580.

4. Objectio: Ad Corvum Comam verſus partes Occidentales direxiſſe; in Balæna verò caudam verſus Orientem flexiſſe.

℞. Cùm enim Cometa in Cete veſpertinus apparuerit, neceſſariò debuit caudam verſus Ortum, utpote in partem à Sole averſam flectere: ad Corvum verò tanquam Cometa matutinus, ad partes Occidentales dirigere neceſſe habuit. Ita ſupra nominatus Cometa ann. 1618. in omnes mundi plagas caudam ſuam direxit. Anni etiam 1580. Cometæ apparitio primùm matutina, poſtea veſpertina exſtitit, nec inde pluralitatem Cometarum intulit, monente, ac obſervante Davide Origano.

2. Poſitio

2. Poſitio. *Poſteriorem verò Cometam matutinum & comatum hoc anno currente, in Pegaſo, comam primùm ad aquilam dirigentem, poſtea infrà caput Andromedæ exiſtentem, per piſcem Boreum tranſeuntem, & inter Triangulum & Arietem ſe inſinuantem, diverſum eſſe, à ſuperius nominato & ad Corvum in Eridano ac Balænâ obſervato teſtatur.*

Cometa vernus ab hyemali diverſus.

1. MOtus noſtri ſecundi Cometæ proprius juxtà ſucceſſionem Signorum, à Pegaſo infrà caput Andromedæ, per piſcem Boreum &c. priori motui Cometæ prioris contrarius. Prior enim promovebatur contrà ſucceſſionem Signorum à Corvo per Hydram, Argo-navim, per Canem Majorem, infrà Orionem, per Eridanum, & Caput Balænæ, ad aſteriſmum Arietis uſque.

Cometæ verni & hyemalis motus contrarius.

2. Diverſus poſitus Cometarum, & eorundem orbita diverſa, ſi continuata fuerit prior, invicem ſe interſecans, prout ocularis globi inſpectio id manifeſtat.

Diverſus poſitus, diverſa orbita,

3. Diverſa magnitudo non modò apparens, ſed & vera, quam evidenter probat coma poſterioris Cometæ, longa quidem, ſed non tàm lata & turbinata καλαθοειδής & magis ad Cylindræam accedens, adeoque poſterior Cometa, ſi Solem magnitudine verà non ſuperavit, æquavit tamen: prior verò Solem longe ſuperavit, propter latam caudam, & licet in corpore apparentèr minore Sole exiſtente, magis tamen turbinatam. Quæ cum ejus extremitas undiquàque radiis Solaribus terminata, & iiſdem illuminata fuerit, quamvis internè tenebricoſa, propter globi Cometalis opacitatem ac denſitatem, lumini imperviam extiterit, nihilominus lucida apparuit.

Diverſa magnitudo apparens & vera.

Cometa vernus magnitudine Solem vel ſuperavit, vel certè æquavit: hyemalis eundem certè ſuperavit.

Objectio. Nec obſtat Objectio, *Cometam poſteriorem factum fuiſſe Retrogradum inſtar Planetarum*: Cùm retrogradatio debeat fieri in eadem, non diverſâ orbitâ, & quoquè ejuſmodi retroceſſio apparens parallaxin phœnomeni notabilem reſpectu Semidiametri Telluris, & quoad orbitam ejuſdem annuam præſupponat; ex hâc enim contingit, ut Planetæ nobis modò directi, modò ſtationarii, modò retrogradi conſpiciantur. Legatur Philoſophia Naturalis Henrici Regii Ultrajectini lib. 2. p. 101. Noſtri verò Cometæ, cùm non modò apparenti magnitudine ſtellas fixas & Planetas, ſed & Solem ipſum verâ magnitudine ſi non ſuperârint, neceſſario ſequitur, ſitum ſuprà Sphæram Planetarum, inter ſtellas fixas, ſinè parallaxi obtinuiſſe. Quod etiam confirmat utriuſque Cometæ motus proprius, tàm ſecundum ſignorum ſeriem, quàm contrà eorundem ſucceſſionem: In Sphæra enim Planetarum Cometæ exiſtentes, uterque Cometa ordinariè & regulariter raptus & motus fuiſſet à Vortice Solis, ſecundùm motum Planetarum proprium, & ita nomen Planetæ obtinuiſſet, (probante Carteſio) cum nulla poſſit intelligi ad hanc delationem Planetarum communem, ordinariam ac regularem circa Solem, in ejus Vortice repugnantia, aut potens Cometarum reſiſtendi vis. Nec huic ſententiæ obſtabunt parallaxes Cometarum ex ſenſibili Semidiametro Terræ deductæ, cum petant principium, & Terra rationem puncti inſenſibilis, reſpectu diſtantiæ Cometarum obtineat, nec illa inde deduci queat. Adeòque retrogradatio in Cometas inter ſtellas fixas, ſupra Sphæram Planetarum exiſtentes, non cadit, cùm terræ tranſlatio nullam efficiat aſpectûs diverſitatem, in fixis propter maximam ipſarum diſtantiam, quæ requiritur ad motus Cometarum, quos jam conſtat eſſe in cælo. Carteſius Princip. Philoſoph. parte tertia artic. XL. & XLI. *Ac præterea Cometæ, quos jam ſatis conſtat in noſtro aëre non verſari, ut nimis rudis antiquitas opinabatur, vaſtiſſimum iſtud ſpatium inter Sphæram Saturni & fixas requirunt, ad omnes ſuas excurſiones abſolvendas: adeò enim variæ ſunt, adeò immanes, & à fixarum ſtabilitate, atque à regulari Planetarum circà Solem circuitione adeò diſcrepantes ut abſque eo ad nullas Naturæ leges revocari poſſe videantur.* Neque nos movere debet, quod Tycho & alii Aſtronomi, * qui diligenter eorum parallaxes inveſtigarunt, dixerunt tantùm illos eſſe ſupra Lunam, verſus Sphæram Veneris, aut Mercurii, non

Retrogradatio Planetarum & Cometarum.

Cometæ nuperi ſupra ſphæram Planetarum inter ſtellas fixas ſitum ſine parallaxi obtinuerunt:

Parallaxes Cometarum negat Placentinus.

Retrogradatio Cometis ſupra Planetarum ſphæram poſitis non convenit.

Cometæ in cælo non in aëre ſunt:

Planetæ circa Solem regulariter eunt.

** Parallaxes Cometarum inveſtigavit Tycho & alii;*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tychonis conatus in Cometis cælo inferendis excuſandus & laudandus, licet ulterius non fuerit progreſſus.

autem ſupra ipſum Saturnum: hoc enim non minùs rectè ex ſuis calculis concludere potuiſſent, quàm illud. Sed cùm diſputarent contrà Veteres, qui Cometas inter meteora ſublunaria numerabant, contenti fuerunt oſtendere illos in cælo eſſe, nec auſi ſunt omnem altitudinem, quam calculo deprehendebant, iis tribuere, ne minus facilè crederetur.

Cometa mentem quoque hominis afficit & eſt in cælo tanquam ſignum portendens.

3. Poſitio. *Cometas non modò in hæc inferiora influere, ſed etiam mediante corpore humano, mentes humanas afficere, ac in cælo tanquam ſigna portendentia exiſtere.*

Chiromantia à Placentino aucta & illuſtrata.

1. PLanetas in corpus humanum ejuſque vitam conſiſtentem, in motu & calore membrorum naturali influere, demonſtrat evidenter admiranda harmonia externæ Chiromantiæ, in dorſo manus à mea tenuitate inventæ ac obſervatæ, ut ex manus inſpectione externâ, non modò de internâ lineæ vitalis conſtitutione, ſed & de Thematis Natalitii directione Horoſcopi ad malignos Planetas, Saturnum ſcilicet & Martem, ejuſque aſpectus, judicare, tempus directionum ante conſtructum Thema determinare, item horam nativitatis ignotam explorare, ac vice verſâ ex Figura cæleſti conſtructa, de externa Chiromantia Nati judicium ferre, Favente Altiſſimo, queam.

Cometæ Planetis cognati: Ideò etiam agunt in hominem.

Cùm verò corpora Cometalia ejuſdem ſint Originis, Naturæ ac Eſſentiæ cum Planetis, excepto ſitu ac motu vagabundo, demonſtrante Carteſio: ſequitur etiam Cometas in corpus humanum influere ac agere. Sunt enim corpora cæleſtia vaſtiſſima, quæ motu ſuo, & radiis Solaribus reflexis, non modò totum Macrocoſmum apparitione ſua extraordinaria, ſed & Microcoſmi corpus extraordinariè alterare, influere ac afficere poſſunt: cum nullum detur in rerum natura vacuum, omni ſubſtantiâ corporea deſtitutum; adeòque motum corpus magnum, vaſtum, propellit aliud, hoc iterum aliud, & ſic conſequenter, donec corpora fluida in circulum acta, atque promota fuerint: veluti apparet ex oleo in aquam vel acetum infuſo, indefinitos circulos, ſive vortices obtinente, ſi unus vel alter circellus motus, ac turbatus fuerit, omnes ferè qui ſe immediate contingunt, movebuntur, & turbabuntur. Idem pronunciandum eſt de vorticibus & ſideribus cæli, corpora humana alterantibus, ac afficientibus.

Vacuum non datur in natura.

Aſtra, ideò & Cometæ afficiunt humanam mentem mediante corpore.

2. Quod aſtra, videlicet ſtellæ fixæ, Planetæ ac Cometæ noſtram quoque mentem rationalem afficiant mediante corpore, patet ex eo, quòd corporibus humanis, in quæ aſtra indubitatè agunt, mens noſtra arctè & intimè ſit conjuncta, & quaſi immerſa. Hinc quotidiè experimur, corpus noſtrum mentem noſtram afficere, ac ſenſum vel lætitiæ, vel triſtitiæ efficere, quamvis mens fortè neſciat cur lætetur vel triſtetur. Benè etiam diſpoſito corpore, anima ſenſu lætitiæ afficitur, malè verò conſtituto, affectu triſtitiæ turbatur, nec non læto cerebro præpoſterè ſuas actiones inſtituit atque exerit.

Cometæ ſunt & cauſa & ſignum magnarum mutationum.

Idem præterea manifeſtè probat tàm affirmatio multorum ſtatuentium, Cometas eſſe, & cauſam & ſignum magnarum mutationum ac revolutionum, quam negatio nonnullorum Scaligerum imitantium, ac dicentium Cometas nec cauſas, nec ſigna eſſe. Utrumque enim affirmatio & negatio, eſt actio mentis humanæ, adeòque Cometæ viſi, hanc quamvis contrariam efficiant operationem, nihilominùs tamen & in mentes affirmantes & negantes neceſſariò influunt: veluti Sol cùm butyrum liquefacit ac lutum indurat, in utrumque neceſſariò agit. Quod ſi verba ore prolata, vel bona nova, vel mala & mendacia, figmenta, delationes &c. referentia, item characteres nudi, in charta calamo & atramento ſcripti, quaſlibet in animis noſtris cogitationes vel amœnitatis & pacis, vel tempeſtatum & præliorum excitare, ac commotiones ſive affectus triſtitiæ, indignationis vel lætitiæ & amoris in lectorum animis concitare ſolent: prout verba in pariete Regii Palatii deſcripta: *Mene, Mene, Tekel, Upharſin*, mentem Regis Belzaſeris confeſtim affecerunt & cogitationes ejus contur-

Cometæ diverſos effectus in diverſis producunt mentibus, ut Sol in butyro & luto,

Et verba audita vel lecta in animis hominum lætitiam vel triſtiam efficiunt.

conturbarunt eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur. Quidni literæ reales, naturales, digito Omnipotentis Jehovæ exercituum productæ, in libro naturali cæleſti, noſtram quoque animam rationalem, mediante corpore humano, cui arctiſſimè ac intimè conjuncta eſt, afficere, concitare ac varias cogitationes & affectus efficere poſſit, niſi ſtipites, ac cum Stoicis omnibus affectibus caſtrati eſſe velimus (ut cum Lactantio loquar).

3. Cometas verò utpote ſidera cæleſtia, ſeu ſtellas degenerantes, lumen retrahentes, non ampliùs emittentes, expandentes, ſed maculis condenſatas ac obtenebratas, quaſi nigreſcentes, nec non ad terram propiùs accedentes (decidentes) ſigna eſſe cæleſtia, expreſſis verbis ſacer codex teſtatur Gen. 1. ℣. 4. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora & dies & annos: ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.* *Cometæ ſunt ſtellæ: ideò & ſigna.*

Pſalm. 135 ℣. 9. *Qui fecit Lunam & Stellas in poteſtatem noctis.*

Lucæ 21. ℣. 25. *Et erunt ſigna in Sole, & Luna & Stellis.*

Eſaiæ 13. ℣. 10. *Quoniam ſtellæ cæli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Matth. 24 ℣. 29. Marc. 13. ℣. 24. *Sed in illis diebus poſt tribulationem illam, Sol contenebrabitur, & Luna non dabit ſplendorem ſuum: & ſtellæ cæli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cælis ſunt, movebuntur.*

Ezech. 32. ℣. 7. *Et aperiam, cùm extinctus fueris, cælum, & Luna non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria cæli mœrere faciam ſuper te.*

Joël. 2. ℣. 10: 3. ℣. 15. *A facie ejus contremuit terra, moti ſunt cæli: Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerant ſplendorem ſuum.*

Ex his allegatis itaque patet, quòd Cometæ, licet naturales, ſint tamen ſigna à Deo in firmamento cæli conſtituta. Prout enim fumus naturalis eſt ſignum ignis, ita Cometæ, quamvis naturales, ſunt ſigna, ſeu ſignificationes triſtium eventuum, motuum & calamitatum. Veluti ignis naturalis eſt ſignum gratiæ divinæ: ita trabes illuminatæ, & virgæ turbinatæ flagrantes, terrificæ Cometarum, ſunt indubitati ſignificatores iræ, furoris & indignationis divinæ. Tonitru & fulmen, item peſtis eſt naturalis, nonne tamen eſt indicium executionis horribilis iræ divinæ, cum fulmine vel peſte Jehova juſtiſſimus homines è medio tollit, ac ferit? Sanguis, ignis & vapores, licet ſint naturales, nihilominùs tanquam prodigia in cælo & terra ſunt conſtituti à Jehova exercituum Omnipotente ac miſericorde, ut teſtatur Propheta Joël, capite 2. ℣. 30, 31. *Et dabo prodigia in cælo, & in terra ſanguinem, & ignem & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Proindè non ſequitur. *Cometæ licet ſint naturales, ſunt tamen ſigna in cælo à Deo poſita: Signa verò triſtium.*

1. Objectio: *Non omnes Cometas ſubſecuta eſt pernicies mortalium. Ergò non ſunt ſigna.* *Cometas non omnes ſecuta eſt pernicies mortalium.*

Cum ſapientiſſimus Architectus ſigna mala portendentia temperare, mutare poſſit & velit, ſi ſeriam egerimus pœnitentiam. Non ſemper Iridem cæleſtem ſubſecuta eſt gratia divina ſpecialis, an ideò ceſſabit eſſe ſignum ejuſdem? Non ſemper fulmen homines ferit, non ſemper domos accendit; an propterea deſinet eſſe prænuncius malum nonnunquam portendens? *Deus ſigna mutare poteſt decretaque ſua, ſi homines agunt pœnitentiam.*

2. Objectio: *Multi Clariſſimi Viri ſuo fato functi ſunt, multi everſi Principatus, peſſundatæ familiæ Illuſtriſſimæ, ſine ullo Cometæ indicio. Ergò non ſunt ſigna.* *Scaligerum refutat Placentinus.*

Quaſi verò: ac ſi omnes Cometæ in noſtrum aſpectum venerint, & ab omnibus omnes obſervati fuerint, & non aliæ cauſæ horum eventuum ſpeciales eſſe poſſint. Multi ſine fulmine, ſine peſte ac bello è medio ſublati ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

an ideò peſtis, bellum &c. non malum portendit. Multì ſine hoc vel illo morbo moriuntur, an ideò hîc vel ille morbus non erit ſignificator periculi vitæ.

Cometæ multis bona ſignificarunt.

3. Objectio: *Nullus Cometa fuit adeò noxius, ut non aliquibus potuerit nova gaudia, ſalutaria & lætiſſima ſignificare. Ergò Cometæ non ſunt prænuncii motuum, calamitatum.*

Mala vertunt in bonum.

PEſtis multis Medicis eſt accommoda, Bellona non paucis militibus ſalutaris, fames Mercatoribus eſt proficua, tonitru eſt terræ fructuoſum, an propterea hoc non erit extimeſcendum; an ideò peſtis, bellum, fames non erunt periculoſi vitæ ſignificatores. *Diligentibus Deum omnia* (etiam Cometæ) *in bonum cooperantur* Rom. 8 ℣. 28. an ideò ſtellæ Cometales in cælo ardentes ſuſque deque ſunt habendæ? Minimè gentium.

Libertas naturæ humanæ nullam patitur Cometarum efficaciam.

4 Objectio: Non ſequitur, *Obtinemus liberum arbitrium, ut multis vel aſſentiri, vel non aſſentiri poſſimus. Ergò nulla datur efficacia Cometarum in mentes humanas.*

Libertatem naturæ humanæ cum efficacia Cometæ Placentinus conjungere laborat:

Ita & æternam præordinationem cum eadem illa libertate.

INfluxum Cometarum & efficaciam in mentis humanas hactenus evidenter probavimus; liberum verò arbitrium in actionibus vitæ in nobis experimur. Abſonum itaque foret, vel utrumque vel alterutrum negare, propterea quia modus quâ ratione utrumque conſiſtere poſſit, nobis ſit ignotus & indefinitus: eſt enim de ratione intellectûs finiti, ut rem vel modum indefinitum comprehendere non poſſit. E. g. percipimus quidem potentiam Dei eſſe infinitam, per quam non tantùm omnia quæ ſunt aut eſſe poſſunt, ab æterno præſcivit, ſed etiam voluit & præordinavit, non autem comprehendimus, quo pacto liberas hominum actiones indeterminatas relinquat. Carteſius Princ. Phil. parte prima artic. XLI. Igitur influxus Cometarum libertatem humanam nec tollit, nec lædit

Aſtra inclinant non neceſſitant:

5. Objectio: *Malè denique infertur.*

Aſtra inclinant non neceſſitant.
Ergò hæc vana ſunt, hæc ridicula ſunt.

Hoc quodammodo Placentinus concedit,

In comparatione ſcilicet ad Deum, non in ſe & abſolutè ſpectata.

Aſtra & Cometæ neceſſariò agunt, niſi à Deo impediantur.

AD hæc breviter repono, antiquum quidem eſſe illud aſſertum. Aſtra non neceſſitant, ſed inclinant; ſed minus verum, ſi ſimpliciter ſinè limitatione intelligatur. Aſtra enim in ſe ac abſolutè conſiderata, neceſſitant, neceſſariò influunt in hæc inferiora, comparatè verò reſpectu Dei Omnipotentis, tantùm inclinant, nihil ſunt, nihil efficiunt.

Sic ignis naturalis neceſſariò urit, comburit & calefacit, impeditus verò à Jehova nihil præſtat, vis ipſius ceſſat, ut teſtatur fornax Babylonica. Horologium ab architecto formatum, neceſſario hoc vel illo modo exhibet horas, ſi rectè ſit diſpoſitum, & non corruptum, juxtà verò benè placitum Architecti aliter poterit diſponi, ut vel citius vel tardius monſtret horas, vel totaliter quieſcat.

Molendinum neceſſariò movetur, quamdiu aqua per canalem fluit, applicato autem aſſere fluxus aquæ, adeoque totius machinæ motus impeditur, ſiſtitur. Ità neceſſariò influit cæleſtis influxus in hæc inferiora, niſi à Deo tanquam Architecto principali impediatur.

Ab influxu cæleſti habemus vitam animalem ſive brutam, conſiſtentem in motu & calore membrorum naturàli, non verò ab anima noſtra rationali ac immateriali; cum hæc vita nobis ſit communis cum beſtiis, animâ rationali deſtitutis, prout *fuſiùs hæc in mea Diſſertatiuncula de motu & calore membrorum naturali, adeòque vitâ in humano corpore deduxi.*

Si itaque influxus vitæ à corpore aliquo. Ex. gr. lunari, tempore vel eclipſeos

pſeos ſtellæ fixæ, vel Solis, utpote fontis vitæ ac caloris impeditur, tanquam ab aſſere in canali molendini, ipſa vita turbatur, impeditur ac ſiſtitur, inſtar rotarum molendinarium. Nec tamen indè colligitur Fatum Stoicum. Aſtra quidem neceſſitant in hominem naturalem & animalem, ſed tantùm inclinant in hominem Spiritualem, regenitum, fidelem ac Sapientem,

Nec tamen hinc fatum Stoicum colligitur: Quia aſtra neceſſariò agunt in hominem naturalem, non in ſapientem & regnitum.

Etenim ſapiens (ſpiritualis) dominabitur aſtris.

Quæ ipſum deducunt à cauſis ſecundis ad primam, utpote Deum Architectum Sapientiſſimum, qui ſecundùm ſuam Omnipotentiam, miſericordiam ac beneplacitum cæleſte, Hologium diſponere atque mutare, & juſtitiam contra impios, miſericordiam verò ſuam ergà fideles exercere poteſt, cùm modò ſeriam pœnitentiam egerimus, & ardenter ab ipſo id expetierimus, quamvis ſæpè etiam communibus calamitatibus, tàm animales quàm ſpirituales homines juxtà judicium Dei imperſcrutabile obnoxii ſunt. * Concluſionis loco ſequens prognoſticon breviter ex binis Cometis deduco, & inpræſentiarum addo. *Ignem cæleſtem brevi deſcenſurum, & juxtà Dei juſtiſſimum judicium, ſui, & ſignorum cæleſtium contemptores atque irriſores, niſi ſe ad ipſum converterint, miſerabiliter devoraturum, & vindicem horribilem impios hîc temporaliter & in æternùm puniturum.*

Dei juſtitiam, ſapientiam & bonitatem conſiderandam nobis omnia proponunt.

Pios quoque communis obterit calamitas.

** Prognoſticon Placentini ex Cometis.*

Erudire Jeruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te deſertam, terram inhabitabilem. Jer. 6. ℣. 8.

Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ furoriſque, adponendam terram in ſolitudinem & peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam ſtellæ cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo. Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Eſaiæ 13. ℣. 9, 10, 11.

Francofurto Hamburgum die 18. *Aprilis St. Vet.* 1665.

HIſce diebus Berolino, ubi mihi contrà malevolos iniquitatis aſſeclas, pro publica Univerſitatis noſtræ ſalute erat decertandum, domum reverſus, & non mente ſed corpore fatigatus, ad literas Tuæ Magnificæ breviter quidem ſed officioſè ac humaniſſimè reſpondeo. Ad literas priores die 7/17 April. datas: Pro judicio T. Magnif. ſolido ac candido de mea obſervatione, ſive potius adnexa ei commonitione ad omnes Principes, nec non Tua admonitione Chriſtiana, humaniſſimas ac debitas gratias ago, & animitus voveo, ut utrumque noſtrum Dominus Deus, Jehova Exercituum, ſpeciali ſua gratia & ſpiritu ſuo ſancto porro clementer juvet, ut ſuſque deque habitis omnibus Diaboli, mundi, carnis adverſitatibus & obſtaculis, ſoli Deo & Chriſto Jeſu confidamus, ipſum extimeſcamus & pie erga Deum, ſobrie erga nos ipſos, juſtè vero ac candidè cum debita humanitate &c. erga proximum vivamus, & ſic univerſitati Eccleſiæ laudabili exemplo, vitâ inculpatâ atque tolerantiâ mutuâ præeuntes, ad metam præmii beati deſideratam perveniamus, & coronam cæleſtem nobis & omnibus fidelibus repoſitam certo reportemus. Feliciter valeat & conſtanter faveat

Placentinus judicium Auctoris de ſuo ſcripto gratum habet: Sibi & Auctori incrementa pietatis precatur.

T. Magnificentiæ

Studioſiſſimo & Obſervantiſſimo

JOHANNI PLACENTIO P.T.R.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Francofurtum die 5. 15. Maji 1665.

Placentini obſervationes & poſitiones Auctor gratas habet: Eidem de provincia Rectoris Academici gratulatur, Reſponſum promittit, & alioqui benevolentiam ſuam teſtatur.

GRatulor me Tuas binas die 9. & 18. menſis decurſi Juliani cum obſervationibus utriuſque Cometæ tribus poſitionibus de numero, motu & ſignificatione eorum, accepiſſe. Sunt enim benevolentiæ, pietatis & variæ eruditionis plenæ. Nunciant præterea Te nunc Magnifici Rectoris amplum munus in illa Illuſtri Academia gerere. Quod mihi auditu jucundum fuit, qui & Gentis meæ dignitatem pro virili tueor, & Tibi proſperrima quæque precor. Vale, Humaniſſime Placentine, uberius aliquando reſponſum ad Tuas binas à me exſpecta. Interim, ſed & ſemper fave, de meo conſtanti in Te affectu optimè perſuaſus, quem Tibi & in his exemplis Obſervationis Tuæ in illas Aulas mittendis ſincere teſtabor, cum felicis eventus voto. Iterum Vale.

Hamburgo Francofurtum die 10. Novembris 1665.

*Silentium amici, etiam diuturnum, eſt excuſandum. Lege ſtricta amici inter ſe non agunt. Officii amicum admone. Amicitia fide potius quàm commercio literarum fundatur: Æquitatem potiùs quàm jus ſummum ſequitur. *Impedimentorum in commercio literarum rationem habe. Auctor amplum literarum commercium de argumento Cometico colit. Theatrum Cometicum Auctor erigit. Senatum Philoſophicum Auctor cogit. Auctoris ſtudium multiplex in hoc opere componendo. Operis hujus utilitas varia. Libertatis cauſam ſtrenuè agit Auctor. Cometa hyeme unus tantùm apparuit: Rariſſimè nunc apparet:*

SI meam ergà Te ſinceram benevolentian ex literarum raritate & reſponſi tarditate æſtimare velles, difficilem profectò litem mihi moveres, & ſiſteres judicio, in quo cauſſâ mihi cadendum foret, ſi lege ſtrictâ mecum ageretur. Sed pro hac mitte potius ſtrictam ac liberam epiſtolam, quæ officii amicum admoneat. Interim juſtas excuſationes æquus & facilis accipe. Amicitia, quæ veritate fundatur & colitur, non ſemper exigit fidem chartæ, quæ par levibus ventis. Accuſationis rigorem & ſententiæ atrocitatem eadem non admittit: at potiùs officiorum & excuſationum æquitatem, quæ eam vel maximè fovet. Diu & ego reſponſum ad meas primas literas à Te exſpectavi. Neque verò Tibi hic par pari reſpondere volui. * Sed ut Tui, ita & mei officii vicem multa & gravia diſtulerunt impedimenta. Hanc Tibi ad geminas Tuas 9. & 18. Aprilis Juliani datas debeo. Functus equidem jam dudum diligentis Amici officium fuiſſem, ex quo breviuſculo reſponſo dato, uberius Tibi promiſeram. Sed mihi interim Galliam, Daniam, Sueciam, Angliam, Italiam, præcipuè verò utramque Germaniam, noſtramque Pruſſiam, cum expeditis curſoribus ſubinde peragrare contigit. Cauſſam inſtituti noſti. Cometas, lucidiſſima illa & maximè notabilia cæli phœnomena, qui non ubique ſemper, nec eodem modo eodemve tempore apparent, inveſtigare, & ſimul Virorum doctorum ſententias de his explorare volui. Ceſſit res ex voto, munere Dei. Nam ex eo tempore multis me obſervationibus & diſſertationibus ac judiciis, non tantùm Mathematicis, ſed & Politicis, Hiſtoricis, Ethicis, verbo Philoſophicis, Amicorum, quos ſcripto adii, beavit induſtria & benevolentia, quam meâ qualicunque provocavi. Ita Theatrum erigo Cometicum, & Senatum cogo Philoſophicum. In quo Viri Illuſtriſſimi & Clariſſimi per Europam comparebunt. Quidni enim magna nomina Rautenſteiniorum, Bruſſellorum, Guerichiorum, Heinſiorum, Heveliorum, Bartholinorum, Bullialdorum aliorumque longè plurium, ſpeciatìm Celeberrimorum & Reverendorum Virorum Curtii, Riccioli, Kircheri & Schotti è Societate Jeſu, hoc dicendi præbeant fiduciam? Tot præclaris & eximiis Viris, in colendo literarum aſſiduò commercio, operam commodavi meam. Quæ ita varia, omnibus utinam tàm grata, quàm utilia futura! coacervat, ut ibi Principes & ſubjecti, nec ſolùm Mathematici, ſed Phyſici, Politici, Hiſtorici, Chronologi, Oeconomi, Ethici, & ſic quoque Theologi, inventuri ſint genio ſuo accommoda, & exercendæ induſtriæ apta. Ad Tuas poſitiones, pauca repono, pro amicitiæ & libertatis, cujus in illo Theatro ſtrenuum vindicem ago, jure. Benè eſt quòd unum tantùm Cometam hyemali tempore, quo illa phœnomena rariſſimè conſpiciuntur, à nobis conſpectum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ctum fuiſſe aſſeras. Vix quiſquam eſt, in meo quidem Senatu Philoſophico (abſit jactantia dicto) qui aliud dicat. Firmitèr aſſeris, magnum cæli ſpatium, quod paucis diebus percurrit Cometes à cauda Hydræ ad oculum Leporis, non obſtare, quominus unus & idem Cometa ſtatuatur. Conſtat enim, aſſerente Regimontano, Cometam anni 1475. ut cum Zieglero & Cardano putas, vel 1472. ut Ricciolus & alii cenſent, uno die quadraginta gradus percurriſſe. Itaque mirum non eſt, ſi & noſter intrà aliquot dies octoginta vel centum gradus percurrerit. Legi & ego in hiſtoria Cometarum, illum 1585. Cometam novem diebus arcum circuli maximi proprio ductu deſcripſiſſe. Ricciolus Almag. At verò Clariſſimus Hevelius, poſito & firmato conico tramite, Cometam uno die quatuor ſigna Zodiaci pevolare poſſe docet. Rectè porrò affirmas unam Cometam diverſo colore diverſo tempore apparere, & diverſum curſum tenere poſſe. Hoc enim omnibus Mathematicis & aliis Viris doctis certum eſt. Quod ad ſecundam poſitionem de Gometa verno à priori diſtincto attinet, ea firmiſſimo ſtat talo. Neminem enim uſque adhuc vidi, qui aliud affirmare vellet. Dicitur quidem id de Mathematico Regiomontano. Sed ego ſuſpendo meum judicium, uſquequo ipſe mihi reſcribat ad epiſtolam menſe Martio ſcriptam. Joan. Gadburius Mathematicus Londinenſis tres Cometas nobis eſſe viſos contendit. Huic ſe Joan. Megalinus ex adverſo opponit, & nobis niſi unum Cometam conſpicuum non fuiſſe evincere velle videtur. Ad hæc Cometi nullam efficiendi vim tribuit: quam ille alter magnam tribuit, ſolaque triſtia omnia ex illis deducit.

Illius anni 1472. non 1475. viſi motus ſingularis:

Tùm illius 1585.

Cometa uno die quatuor ſigna Zodiaci percurrere poteſt:

Tùm & diverſo colore & tempore apparere, & diverſum curſum tenere.

Joannes Megalinus.

Cometam unum tantùm nobis viſum eſſe aliùs dicit.

Quòd ad tertiam poſitionem de Cometarum ſignificatione & operatione attinet: hæc res, ut noſti, non æquè certa eſt. Ideo Tua hîc ſententia varia experiatur judicia neceſſe eſt. Novi ego quanti Te faciat in rebus Aſtronomicis, non tantùm Henricus Nicolai, Vir dum viveret ſolida eruditione, & libertate judicandi ad invidiam uſque præditus; ſed & orbis literatus. Verum-tamen fieri non poteſt, quin multos contradicentes invenias. Ego, ut non auſim temerè quidpiam de iis, quæ captum meum excedunt, & à ſtudiis meis aliena ſunt, decernere, dicam nihilominus liberè apud Te ſententiam meam, quam Tu libertatis Philoſophicæ memor, æquus audies. Hæc ipſa libertas aurea, imò amici auro & gemmis pretioſior, omni melle dulcior, vitaque ipſâ carior, monet me, ut ſentiam, hominem libertate à Deo præditum, virtute ejus ad bonum, quod apud omnes in confeſſo eſt, juvari, ac proinde aſtrorum vel fati alicujus neceſſitati ſubjectum non eſſe. Quid de Chiromantia, & thematum erectione, aliiſque Aſtrologicis placitis ſentiant Viri docti & cordati, probè nôris. Tu ſi plus cæteris hîc præſtas, divinus es. Ego talium prorſus ignarus, & minus invidiæ, plus autem utilitatis adferentibus (qualia ſunt, quæ Practica Philoſophia docet) addictus, vetus illud ingenuè fateor, *Non ſum divinus.* Niſi tamen fallor, nec Aſtrologi in ſtruendis genethliacis ullam Cometæ mentionem facere ſolent, ſed Planetarum & aliarum ſtellarum tantùm. At verò Tu corpora Cometica Planetis cognata dicis. Hoc ego in medio relinquo. Scio & alios Cometarum originem ad Planetas referre, eoſque falſos Planetas vocare. In qua ſententia & Ampliſſimus Hevelius eſt. Solem vi efficaciſſima caloris, cujus ille fons ſit, Lunam autem nobis proximam, licet mutuatitio lumine, quod à Sole habet, gaudeat, in inferiora tamen agere, concedo. Aliis aſtris à terra remotiſſimis, & quorum diverſa eſt natura & magnitudo, par virtus tribui, credo, nequit. Sed eſto & hæc agere in inferiora. At hîc cogitandum eſt, hominem rerum creatarum principem, in eundem ordinem cum illis cogi non poſſe: ſed relictum datæ à Deo libertati, bonum volente & juvante, malum permittente & deſerente Deo agere. Quomodo enim alias virtuti & vitio, laudi & vituperio, præmio & pœnæ locus daretur? Libertas autem voluntatis vel potius naturæ humanæ (voluntas enim nulla eſt, niſi ſit libera) quomodo cum neceſſitate Aſtrologica convenire poſſit, non video. Affici nos conſpectu ſtellarum,

Placentini ſententiam de Cometarum & aſtrorum efficacia in hominum mentes quoque, eaque quodammodò neceſſaria Auctor examinat: ſed leviter tantùm.

Libertas humana & gratia divina in virtutis ſtudio conjungendæ.

Auctoris ſtudia Practicæ Philoſophiæ non Aſtrologiæ addicta.

Cometas Aſtrologi in genethliacis non adhibent, ſed ſtellas tantùm:

Hi corpora Planetis cognata,

Vel ex Planetis profluere ſtatuuntur.

Libertas hominis juſtitiam Dei declarat:

Nullam neceſſitatem admittit,

larum, tanto magis Cometarum, utpote rariorum phœnomenôn, & hæc ſigna eſſe eventuum ſecuturorum, nec tamen malorum tantùm, ſed & bonorum, & ſic nos admonere officii, libenter concedo. Has literas in libro naturæ ſive univerſo exaratas docere, monſtrare legendas, intelligendas, vitâ exprimendas, pium & laudabile eſt. Summa inſtitutionis iſtius illis, credo, Prophetæ, vel potius ipſius Dei verbis abſolvitur: *Dicite juſto, quia benè ei erit. Væ impio, malè ei erit.* Eſa. III. Hanc enim ſanctionem cum in omnibus Dei operibus, tùm præcipuè in Cometis legimus: &, ſi ſapimus, metu numinis, illo tamen filiis convenienti, ad obedientiam legibus Patris cæleſtis debitam incitamur. Cometas tamen eſſe ſtellas, & ſic ſigna illa in cælo poſita, quæ adducta à Te Scripturæ Sacræ loca celebrant, non perſuadebis omnibus. Quanquam verum ſit Deum iride, ſtellis, Sole ipſo & aliis rebus naturalibus, tanquam ſignis gratiæ vel etiam iræ ſuæ, ad commonendos officii mortales uti. Utramque enim ut illis rebus, ita & Cometis Deum non tantùm malos terrentem, compeſcentem, punientem, ſed & bonos ſolantem, in bonas & amplas ſpes erigentem præmiiſque afficientem, præſignificare, nec ab æquitate ejus, nec à rationis diſcurſu, nec ab eventuum veritate alienum eſt. Atque huic fini quondam ſignum Filii hominis in cælo exhibebit. Illa quoque quæ adfers, neceſſitate malorum ominum aſſiduâ & immutabili, ſatis Cometas abſolvunt. Quos ideò ſuſque deque habendos eſſe nemo pius dixerit: attamen ut non deſpiciendos, ſic nec ſuſpiciendos, nec temnendos nec timendos, ſed ut mirabilia Dei opera, illuſtriſſima cæli ſigna, contemplandos: imò ut præcones pœnitentiæ & prænuncios bonorum bonis, & malorum malis paratorum, ac fideles Conſiliarios audiendos eſſe. Gratulor eos, Te quoque judice, libertatem, quam ineſſe homini neceſſe ſit, ſi adſit voluntas, non tollere, nec lædere. Hoc mihi ſufficit. Tu vide quomodo vim illam Cometarum in mentes humanas influentem ſis contra Fienum, Fromondum, Duditium, Scaligerum & alios plures defenſurus. Aſtra eò quòd inclinent, neceſſitatem non imponant, vana eſſe & ridenda, nemo ſanus dixerit. At tu illa neceſſariò in inferiora, & quidem neceſſitate Phyſica, qualis illa eſt calefaciendi & urendi in igne, & defluendi deorſum in aqua, agere ſtatuis. Hoc ſi ad hominis libertatem extendis, quod non puto, libertas illa, ſine qua nullum in homine arbitrium, periclitatur, imò perit. Benè mones, diverſam eſſe hominis naturalis, animalis & ſpiritualis ſive regeniti rationem. Sed ſi & ille neceſſitate aſtrorum ad peccandum impelleretur, non eligeret liberè quod malum eſt, nec ad ignem liberè manum extenderet: Satis pœnæ & calamitatis, quòd à Deo deſeratur; affectibus, cupiditatibus, Satanæ artibus mille relinquatur. Ita tamen ut impedimenta eluctari poſſit, ſi ad ſe cum filio illo prodigo redeat, & demùm ad patrem, è longinquo miſericordiam revertenti præſtare promtum. Utinam hujus gratiæ divinæ ſenſu tangantur & ad pœnitentiam excitentur ſeriam, qui adulterium committunt, judice divino Pſalte *. 73. 27, dum à Deo, cui ſcilicet ſoli jungi & adhærere eos oportuit, recedunt! Nam ſi *humana miſericordia*, teſte Cicerone Orat. pro Dejot. *ipſa ſolet occurrere ſupplicibus & afflictis, nullius oratione evocata*, multò magis divina, quod Chriſtus Dominus parabolâ de filio prodigo præſtantiſſimâ & affectuum plenâ ſolidè docet. Tu denique, Optime Placentine, ſpargis minas, torques gladios, mittis fulmina, jacis ignes in impios & perditos ac deſperatos. Merentur illi, fateor, talia & atrociſſima, ni reſipuerint, ſupplicia. At verò boni quoque mites, tot injuriis preſſi cum tot impedimentis luctantes, contra ſeculi minas, iras, impetus ſolandi, confirmandi, ſpe meliorum refocillandi, ad invictam, imò victricem patientiam invitandi ſunt. Id ego ago: his ſolis bona, & læta omina ex Cometis quæ capto, tribuo, & apto. Hos ego hîc animo fortibus, monitis, exemplíſque firmo, & contra orbis impetus robuſto, munio. Inter illa poſt Scripturas, quas Clemens Romanus *Spiritus Sancti vera oracula* vocat, eminet primo loco ponendum

Afficimur conſpectu ſtellarum & Cometarum.

Liber naturæ legendus cum fructu.

Bonis bona, malis mala Deus eodem ore annunciat, eodem Cometæ ſigno prænunciat.

Cometæ an ſtellæ & ſigna in cælo poſita & ponenda, de quibus S. Scriptura?

Signa eadem bonis & malis ſimul exhibentur, ut Deus æquitatem ſuam demonſtret.

Cometæ neceſſario non agunt in homines, nec tamen ab iis ſunt contemnendi:

Nec tamen etiam timendi,

Sed cum fructu contemplandi, & tanquam ſalutares monitores audiendi.

Arbitrium ſine libertate nullum eſt.

Peccandi nulla eſt neceſſitas.

Malus à Deo deſeritur, à Satana ad peccandum impellitur.

Peccator eluctari poteſt, ſi velit, Satanæ vincula, divina gratia adjutus.

Parabola Chriſti de filio prodigo.

Mali merentur minas & pœnas.

Boni & afflicti digni ſunt ſolatiis & præmiis.

Patientia victrix.

Scripturarum divinarum auctoritas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nendum ejuſdem illius Clementis epiſtola ad Corinthios monitum & ſolatium: *Non invenimus* (in Scriptura) *à Viris ſanctis juſtos rejectos; perſequutionem paſſi ſunt juſti, ſed ab impiis: in carcerem conjecti, ſed à profanis: lapidibus obruti, ſed ab iniquis & legum violatoribus: exſtincti ſunt, ſed à ſceleſtis & injuſtâ invidiâ contra eos ſtimulatis: quæ omnia cum paterentur, glorioſè & magnanimiter tulerunt.* Et mox in fornace illa Babylonia, quam & Tu memoras, paternæ Dei circa pios providentiæ documentum illuſtre monſtrans ait: *Abominandi & omni malitia pleni tanto furore accenſi ſunt, ut ſervientes Deo in ſancta & inculpata voluntate in caminum conjecerint, ignorantes Altiſſimum protectorem & defenſorem eorum eſſe, qui in pura conſcientia nomen ejus virtute plenum colunt.* Ita ille Vir primævæ integritatis retinens metu proſternit impios, feroces, ſævos: at erigit & firmat pios, modeſtos, manſuetos. Utroſque dum & Tu vides, idem fac, argumento à Cometis ſumto. Ego concludo ejuſdem Clementis verbis: *Quid jucundum & acceptum coram opifice noſtro ſit videamus, ſanguinem Christi intentis oculis intueamur, & quàm pretioſus Deo ſit ejus ſanguis, conſideremus, qui propter noſtram ſalutem effuſus toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit.* Jam tandem finio, Amiciſſime Placentine, loquacem epiſtolam, libertatis plenam. Scio enim quîcum loquar. Tu eam gratus & æquus accipe, & honeſtis meis inſtitutis fave. De mea æquitate certus eſto. Votorum ſumma eſt libertatem & virtutem tueri & commendare. Opus meum fervet, & ſtrenuè in eo imprimendo amici Batavi deſudant: inprimis Optimus Francus, Tuus juxtaque meus. Vale, ſalve, proſperè age.

Clementis Romani piæ voces.
Perſecutiones pii nunquam intulerunt, tulerunt ſemper.
Babylonii juvenes in fornace ſervati.
Deus tuetur ſuos.
Chriſti ſanguis coram Deo pretioſus.
Et in pœnitentibus efficax.
Adamus Francus.

Francofurto Hamburgum die 27. Martii St. V. 1666.

Literas die $\frac{12}{23}$ Novembris præterlapſo Anno datas à T. Magnif. rectè accepi die 2. Decembris St. V. ad quas ut ſinceram benevolentiam reciprocam, hiſce officioſè teſtatam faciam, humaniſſimè, ſtylo Mathematico reſpondeo. Non opus erat, Magnifice Domine, humaniſſima ſanè excuſatione, quoad raritatem literarum & reſponſi tarditatem, mihi enim potiùs culpa venit imputanda, quod ad primas tardius, ad poſteriores nihil reſponderim, variis diſtractus oneribus Magiſtratûs Academici, quod nuper gratiâ Dei clementiſſimâ lætabundus depoſui: Ideòque rigor ſententiæ, tanquam Ex-Rectori, nec qua Rectori, cum T. Magnif. non ſit membrum noſtræ Univerſitatis, (ſi jocari liberè liceat) multo minus accuſatio, cum nulla lis, & controverſia forenſis, ſed tantùm philoſophica mihi fuerit mota; ſicque neutrum, nec accuſatio, nec ſententia, nec utrumque mihi competit. Pauca tamen juxta libertatem Philoſophicam repono; quod ſi Tuæ Magnificentiæ ſubinde contigit peragrare Angliam & Boruſſiam, cum expeditis Curſoribus, quidni etiam intermediam Marchiam? Interim T. Magnif. gratulor de exoptato, egregio, laudabili & utiliſſimo Theatro Cometico & Senatu Philoſophico, cui T. Magnificentiæ & aliorum obſervatorum celeberrimorum effigies adjectas exoptarem. Tribus meis poſitionibus pauca quædam addere, ac quartam poſitionem, (quod aſtra quidem non timenda ſecundum Sacram Scripturam, nec ideò contemnenda veniant) adjicere illis libuit, non ut omnibus, ſed tantùm bonis, ſolidis, & doctis, qui non ſunt obcœcati præpoſteris infantiæ præjudiciis, ejuſmodi perſuadeam & ad deliberandum proponam; quæ Tuæ Magnificentiæ cenſuræ ac judicio exquiſito ſubmitto, ac ſi digna judicaverit, Typis Hollandicis, atque induſtriæ Optimi Domini Adami Franci noſtri committo. Nec moror invidiam malevolorum ſuſpectam, & injuſtam quâ, nomine licet Placentinum, reapſe verò Veronenſem, miris profectò technis premere non erubeſcebant; cum adjuvante gratia ſingulari Domini Dei Zebaoth Exercituum, cui ſoli ſit laus, & gloria, & in quo porrò omnem meam repono fiduciam, me ſupprimere non potuerint.

Placentinus ſilentium ſuum diuturnum excuſat.
Libertate Philoſophicâ in reſpondendo utitur.
Quartam poſitionem mittit.
Aſtra nec timenda, nec temnenda.
Invidiam boni non morantur.
Placentinus nomine, re Veronenſis.
Deus tuetur ſuos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Contradictiones injuſtæ. Aſtrologia vera.

Nemini etiam contradixi: Veritatem tantùm expertam intrepidè aſſerui, neminem proindè habebo contradicentem, niſi ſciolum, malevolum, & ſuſpectum. Ab honeſto propoſito minimè abſterrebant objectiones minùs firmæ Fromondi & Scaligeri &c. (quibus tamen honor & laus ſit illibata) contra Aſtrologiam veram, genuinam & Chriſtianam invehentes, cum quotidiana experientia eaſdem evidenter refutet.

Elector Brandenb. laudatur. Eliſabetha Palatina Princeps laudatur. Ucedo Ablegatus Hiſpaniæ.

Quid in nova chiromantiâ ex dorſo manus externâ, & Aſtrologia Genethlialogicâ (quod ſine jactantia dictum velim) Favente Altiſſimo, præſtiterim, novit Heros Invictiſſimus Dn. Dominus Fridericus Wilhelmus, Elector Brandenburgicus &c. &c. Dominus Clementiſſimus, Sereniſſima & Clementiſſima Princeps Elizabeth Palatina, &c. &c. ſeculi miraculum, quæ in orbe Chriſtiano, & literato, nomen Reginæ & Imperatricis meretur; item Perilluſtris Legatus Hiſpaniæ ab Ucedo &c. atque Magnif. & undecunque Excellentiſſimus Dominus de Oberbeck &c. (Viri literatiſſimi & Patroni literatorum) id teſtabitur.

Aſtrologia ſcientia demonſtrativa, Divinitatis particula, à Deo timentibus ſe communicata, Non vana nec ſuperſtitioſa, Non theoretica, Sed practica. Cometarum origo. Carteſii ſententia. Stellæ fixæ degenerantes præbent originem Cometæ. Maculæ ſtellarum & Solis. Cometa & Planeta ſolo ſitu differunt.

Ita ut Aſtrologia mihi non tàm ſit probabilis & conjecturalis, quàm ſcientifica ſeu Apodictica; non tamen ideò divinum me eſſe judico; ſed tantùm aſſero Aſtrologiam veram genuinam minimè ſuperſtitioſam, tanquam particulam (ſic dictam) Divinitatis, Deum miſericordem timentibus eum, gratioſè communicaſſe: quæ non eſt Theoretica (ut Aſtrologis tantùm ſuggerat meditationem in Genethliacis, quoties tempore nativitatis alicujus Nati, Cometæ vel apparent vel periculoſam directionem ad ſuos Promiſſores tranſeunt) ſed verè Practica, cum multum invidiæ, parum utilitatis &c. adferat, & ad Philoſophiam Practicam ideò reipſa hominem deducat. Ejuſmodi & alia Mathematica à mea tenuitate conſcripta, Cultoribus literarum libenter communicarem, niſi obſtaret ſumptuum defectus. Sed ad Cometas redeo. Origo Cometarum nec Soli, nec planetis eſt adſcribenda. Juxta enim rei veritatem & ſententiam Renati des Cartes, non ex vaporibus atomis, effluviis &c. ſed à ſtellis fixis degenerantibus oriuntur. Etenim cum corpus lucidum ſtellæ tegitur maculis, (in Sole diſſimilibus & ex eodem generantibus) lumen non emittit, ut antè, ſed tantum, ut corpus opacum, & denſum remittit, & ſic abreptum à vicinis vorticibus in ſe contortis, juxta Carteſium: vel nomen Cometæ, cum ſupra Saturnum movetur, vel Planetæ aſſumit, cum in Sphæra Planetarum exiſtit.

Cometarum motus irregularis. Hevelio Placentinus contradicit modeſtè. Cometarum vis influens libertatem hominis non tollit. Ignis urit neceſſario eum qui ei manum admoverit. Pii vim ignis perferunt.

Motus autem Cometarum, nec perfectè circulari, nec Conico tramite abſolvitur; ſed irregulari, ac naturali, juxta diſpoſitionem & motum vorticis Cometici, qui & motum accelerare atque retardare poteſt, ſine aliqua certa & à nobis determinata lege naturæ, adeòque nobis certò perſpectâ atque cognitâ: quod pace Viri Ampliſſimi, de re Aſtronomica meritiſſimi, celeberrimi, Fautoris & Amici honoratiſſimi, ſcriptum eſſe velim. Influxus eorundem libertatem mentis humanæ nec lædit nec tollit, nec ad peccandum hominem impellit, ſed virtuti & vitio, laudi atque vituperio, præmio ac pœnæ locum relinquit: veluti *ignis* manum liberè ad eundem extenſam, neceſſariò quidem afficit, calefacit &c. non ideò tamen ignis libertatem mentis vel tollit, vel lædit, vel ad peccandum impellit, ſed homini corpore ac mente ſano, contrarium potius ſuadet, ne huic ſcilicet Igni manum ad comburendum imponat, & ab actione præpoſtera abſtineat, niſi tempore neceſſitatis, & Tyrannidis beſtialis pii atque electi divino rapti impetu, vim ignis perferre patienter & velint & cogantur, ne gloria Divina continuò deſpectui habeatur, periclitetur & innocens peregrinus Satanico modo ſupprimatur, contra expreſſam veritatem ac miſericordiam Jehovæ Longanimis; præſtat enim cadere juxta generoſitatem Divinam in manus Divinas, quàm beſtiales, & ab illis diu torqueri in præjudicium Dei & Magiſtratûs. Idem judicandum de reliquo influxu Cæleſti impiis, Atheiſtis, delirantibus, & propriam turpitudinem aliis malitioſè affingenti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Impius liberè non eligit ſed neceſſariò patrat malum:

Et contra verum uſum libertatis peccat.

affingentibus, odioſo. Non tamen homo impius eligit liberè illud, quod malum eſt: ſed potius ſerviliter tanquam mancipium & ſervus mali, ac peccati: Si enim rectè judicaret malum, peccatum; utique judicaret non eſſe eligendum, ſed contra fugiendum: & cum peſſimus homo peccatum eligit, contra verum uſum libertatis arbitrii malitioſè ac ſerviliter peccat. Probus verò quamvis gratia divina adſiſtente peccare nolit, vult tamen aſſentiri nonnunquam iis rebus, quæ non rectè, diſtinctè ac clarè percepit, adeoque libertatem voluntatis ſuæ, quæ latiſſimè patet, ultra perceptionem intellectûs extendit, ſicque peccat & errat, prout fuſius in meâ diſſertatiunculâ de modo præcavendi errorem in Phyſicis antehac deduxi.

Placentini diſſert. de modo præcavendi errorem in Phyſicis.

Deus, non homo (primario ſcilicet & cum facultate exſecutionis) malos terret,

Piosque afflictos ſolatur:

Præterea Deus juſtiſſimus in ſuo verbo, non ego ipſius creatura impotens, ſpargit minas, torquet gladios, & ſagittas, mittit fulmina in ſui & ſignorum cæleſtium contemptores, & irriſores: veluti non T. Magnif. ſed Jehovæ Clementiſſimi miſericordia imperſcrutabilis Exules Jeſu Chriſti & bonas mentes tot injuriis, minis, perſecutionibus preſſas, ſed non oppreſſas ſolatur, confirmat, & ſpe futurorum recreat, bona omina his per Cometas promittens, malis verò & impiis horrenda judicia denuncians.

Quod homo Deo miniſtrans facit ſecundariò nec cum poteſtate.

Hinc etiam naturalis terreſtris *Ignis* eſt indubitatus ſignificator neceſſariæ combuſtionis, & terribilis iræ Divinæ exiſtit executor homini malitioſo, qui temerariè manum igni injecit, vel ob ſcelera ab aliis injectus eſt, & certiſſimus præſignificator, ni reſipuerit, inevitabilis, *Ignis* æterni, ſupranaturalis & inextinguibilis: ſic contra prænuncius eſt probis, prudentibus commodus & utilis, cum illo utuntur conceſſo & legitimo modo.

Martyribus ignis læta portendit & attulit.

Et licet propter libertatem conſcientiæ, ab impiis in ignem conjecti & cremati fuerint, ut martyribus Jeſu Chriſti Johanni Huſſo & Hieronymo Pragenſi contigit, non erat illis terribilis executor, ſed exoptatiſſimus manuductor & tranſlator ad lucem inextinguibilem vitæ atque gloriæ æternæ.

Cometæ bonis bona, mala malis ſignificant, licet res ſint naturales.

Aſtra oculos noſtros feriunt, nos afficiunt:

Quanto magis ignes Cæleſtes Cometarum flagrantes, licet ſint naturales, bonis, regenitis, ſanctis bona & læta omina certiſſime ſignificabunt; contra verò impiis, profanis, iniquis, ſceleſtis horribilia & inevitabilia Dei judicia portendent terribiliter. Quod ſi minima ſcintillula *Ignis* oculos noſtros ferit, quidni tam Luna terræ proxima, obtinens lumen Solis tantùm mutuatitium quàm alia aſtra, licet à Tellure remotiſſima, lucem propriam tamen emittentia, ſcintillam terreſtrem apparenter atque in rei veritate ſuperantia, quid ni hanc inquam & reliqua terreſtria ferirent ac alterarent.

Ignis non timendus, nec tamen temnendus: Ita & aſtra.

Et quamvis Ignis naturalis, culinaris, familiaris non eſt timendus, ſed Deus qui eum mediatè produxit, non tamen eſt ſuſque deque habendus & deſpiciendus, verùm potius perpendendus, tanquam efficaciſſimus Dei & naturæ executor à minimâ ſcintillâ, efficaci tamen productus.

Planetæ vegetabilia afficiunt.

Sic ſtellæ fixæ ac Planetæ quotidiè ſucceſſivè orientes, culminantes, occidentes & in imo Cæli exiſtentes, licet non ſint timendi, tamen eorundem influxus non ſunt rejiciendi, cum manifeſtè vegetabilia, diverſis temporibus diverſè afficiant.

Placentinus de ſuis miſeriis queritur.

Cæterùm ad epiſtolam dictam quidem loquacem, verùm longè gratiſſimam, & libertatis ac ſoliditatis plenam, diuturno ſilentio, & non tam ſoliditate atque libertate refertum reſponſum, (ob vincula, injuriam, violentiam à malitioſis proh dolor! ſine cauſa, præterito tempore hiemali, mihi illatam) intempeſtivè, officioſè nihilominus reponere volui, imò debui. Hiſce T. Magnif. Divinæ Providentiæ, me verò favori ulteriori commendatum eo.

Tuæ Magnificentiæ

Obſervantiſſimus.

JOANNES KOLACZEK aliàs PLACENTINUS.

P.S. Utrum quarta poſitio mittenda, reſponſum exoptatum exſpecto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Francofurtum die 20. 30. Aprilis 1666.

Placentini ſilentium Auctor excuſatum habet, morbum ejus dolet. Benevolentiam ſuam ei teſtatur.

Legum ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus, Cic.

Marchiam Auctor caram meritò habet.

Auctor meritò pluribus de argumento Aſtrologico cum Placentino agere non vult.

Candore & modeſtia diſſentientes junguntur.

Elect. Brand. majores & laudes.

Eliſabetha Palatina laudatur.

Oberbeckius laudatur.

Carteſium Auctor amicum habuit, & laudat.

Modeſtia & libertate æquâ Auctor omnibus ſatiſfacere ſtudet.

Aſtrologis æquis ſatiſfecit Auctor.

Libertas non fert neceſſitatem.

Ignis naturalis diverſa & in diverſis objectis agit & diverſis hominibus ſignificat.

Subordinata non pugnant.

SIlentium Tuum diuturnum minimè ægrè tuli, niſi quod ejus cauſſa adverſa Tua valetudo fuerit. De hac dolui ex animo. Meliorem nunc Tibi gratulor, optimam precor. Sciebam autem Te & aſſiduis laboribus Academicis, tùm verò & occupationibus ſupremi magiſtratûs Academici, quo tunc fungebaris, fuiſſe diſtrictum. Legibus æqui & honeſti me libenter ſubjicio, & in eo veræ libertatis apicem pono. Libertas Philoſophica in Te, & quovis alio Viro cordato, mihi pergrata eſt. Hanc ab omnibus exercendam & ferendam eſſe, boni publici ſtudio unicè inculco. Qui verò hîc à me in diverſum abit, cum eo nil mihi commune eſſe, nullumque ei in Senatu noſtro locum relictum, intrepidè pronuncio. Valeat ille ſibi, ſed procul à nobis abſit. Itaque & Tua, mi Placentine, libertas mihi placet. Quid ni verò mente Marchiam adeam? imò verò ſemper ibi totus ſum animo, & inter meos aſſiduò verſor. Ad tres poſitiones Tuas pauca tunc juſtâ libertate uſus & pro jure amicitiæ repoſui vel appoſui. His quod addam, nil habeo, &, ſi haberem, Tibi meritò ampliùs moleſtus eſſe nollem. Tanto magis cum & ipſe ita ſim occupatus aſſiduò, ut cuncta temporis momenta mihi ſint editioni operis mei impendenda. Secretiorum ſtudiorum Tuorum rationem magni facio: fidem in eis quæ perſpexi, & quæ cum mea ſententia conveniunt, imò & aſſenſum præbeo, diſſenſum, ſi in nonnullis fortè occurrat, modeſtè & amicè prodo. Te nihilominus ob Tuum candorem & pietatis ſtudium vehementer amo. Teſtimonia illa tanti ponderis, quæ adfers, maximi facio. Nam Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum, Principem Magnanimum (qui feliciſſimè ob Majores ſuos Achilles, ob fortitudinem Ulyſſes, ſimul ob prudentiam, Cicerones ob eloquentiam, Alcibiades ob rei bellicæ peritiam dictos imitatur) & cognatam ejus Principem Palatinam Eliſabetham, maximum ſexûs ſui decus, & ſeculi noſtri vivum miraculum, ut virtutum, ita & ſapientiæ laudibus ab omnibus concelebrari, jam olìm novi. Nec me magna merita & præclaræ dotes Illuſtriſſimi Oberbeckii, tùm & Delegati illius Hiſpanici, latent. Itaque Tibi de tantis ſcientiæ Tuæ documentis meritò gratulor. Carteſium Philoſophum noſtro ſeculo celeberrimum, & meum olìm amicum, nec refutare nec tueri, ut nec de Ampliſſimi Hevelii ſententia decernere, meum eſt. Relinquo hæc artis peritis, & majori harum rerum notitiâ inſtructis. Satis mihi eſt de talibus quoque ſententiam dicere, modeſtè tamen, & ſemper ſalvo meliori judicio, libertate autem ingenii ad morum probitatem & Reipublicæ literariæ ac Chriſtianæ utilitatem uti. Quartam Tuam poſitionem libenter videbo, & operi meo inſeram. Nam & ipſe in ea ſum & fui ſemper ſententia, aſtra & Cometas aliaque ſigna cæli non eſſe temnenda, ut nec timenda, ſed hæc cuncta ut divinæ ſapientiæ & bonitatis documenta, ac pœnitentiæ incitamenta ducenda, etſi talia naturales ſuas cauſſas habeant, nec ad ea vel divina vel etiam homini communicata & à Deo conceſſa libertas phyſicæ neceſſitatis vinculis ſit adſtricta. Exemplum tuum de igne formaliter quidem urente tantùm, verumtamen pro diverſitate objecti & coquente & calefaciente & lucente utiliter, & tùm malis æterni ignis flammas, tùm bonis lucis æternæ gaudia ſignificante, ſententiæ meæ benè convenit. Quod reliquum eſt, certus eſto, me & Te, & quemvis alium divinæ gloriæ ſtudentem ac voluntati ejus obſequentem, & malos terrere minis, & bonos firmare ſolatiis Cometarum indicio, nulla quidem cum exſecutionis poteſtate, bono tamen jure poſſe. Vale Vir Humaniſſime, quam optimè, age quàm feliciſſimè, me autem conſtanter ama.

Francofurto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Francofurto Hamburgum die 30. *Aprilis* 1666.

MOdernum meum ſtatum lugubrem proh dolor! Tua Magnificentia percepit nuper ab Amico noſtro communi. Hiſce autem tranſmitto meam exiguam poſitionem, & Tuæ Magnificentiæ cenſuræ & judicio ſubmitto. Interim T. Magnif. benè valeat mihique faveat.

4. Poſitio breviter probans, quòd *S. Scriptura nec Aſtrologiam veram & genuinam, nec Aſtrologos minimè ſuperſtitioſos reprobet, ſed eoſdem & illam approbet atque concedat.*

Placentini poſitio 4. pro Aſtrologia, quod eam Scriptura concedat & approbet.

§. 1. Aſtrologiæ non obſtat locus Jerem. cap x. ℣. 2. *Hæc dicit Dominus: Juxta vias Gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere* * (ne conſternemini) ** (ne metuatis) *quæ timent Gentes:* (* quia conſternantur) (** ſed metuant) *Gentes ab illis.* ℣. 5. 6. *Nolite ergo timere ea, quia nec malè poſſunt facere, nec benè. Non eſt ſimilis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te ô Rex Gentium?*

℣. 25. *Effunde indignationem tuam ſuper Gentes, quæ non cognoverant te, & ſuper provincias, quæ nomen tuum non invocarunt.*

Hoc enim in loco non rejicitur vera & genuina ſcientia Ægyptiorum, Chaldæorum Aſtrologica, quæ non tantùm eſt *Alphabetum Theologiæ*, juxta Joannem Calvinum in Prælectionibus in Jeremiam, ſed ipſa admiranda *Theologia naturalis cæleſtis*, gloriam Sapientiæ, Bonitatis ac Potentiæ Divinæ, evidenter celebrans ac deprædicans: ſed damnantur, rejiciuntur, *adulteratæ, vanæ, ſtultæ, ſuperſtitioſæ ac Idololatricæ Ægyptiorum, Chaldæorum, vicinarumque Gentium divinationes & prædictiones*, Legem Dei, & vaticinia Prophetarum ſuſque deque habentes, & pro nihilo ducentes, *cum vano, impio, gentili, ſuperſtitioſo ac Idololatrico timore ac cultu idolorum omni*, qui falſò excogitabatur & impendebatur. *Adeòque* Propheta quaſi diceret, *ne metuatis* vobis ab aſtris creaturis cæleſtibus impotentibus, penes quas nec benè nec malè faciendi eſt poteſtas, ſine gubernaculo & regimine divino, *ut illa adoretis: ſed metuite vobis à Deo*, Creatore ac Moderatore aſtrorum Omnipotente, ipſum agnoſcentes tanquam maximum Jehovam, & Regem Gentium, mandatis ejus per Prophetas patefactis obtemperantes, nomen ejus invocantes, ad ipſius miſericordiam confugientes, & fiduciam in ipſo ſolo reponentes, ipſe faciet, ut etiam ſigna cælorum, licet mala portendentia & ſignificantia, in bonum vobis cedant ac vergant certiſſimè.

Ægyptiorum & Chaldæorum vera & vana ſcientia: illa probata, hæc reprobata.

Metuendum non eſt ab aſtris, ſed ab eorum conditore Deo.

§. 2. Non immeritò igitur ſeriò monentur, tàm in genere, ne ullam creaturam, quàm in ſpecie, ne aſtra creaturas cæleſtes adorent.

Creaturæ non adorandæ.

Rom. 1. ℣. 25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſervierunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula.* Rom. 1. ℣. 25.

Deut. 4. ℣. 19. *Ne fortè elevatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt.* Deut. 4. ℣. 19.

Jerem. 7. ℣. 17, 18. *Nonne vides quid iſti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jeruſalem. Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, & libent Diis alienis, & me ad iracundiam provocent.* Jer. 7. ℣. 17.

Idolorum cultus à Deo ſeverè prohibitus.

Jerem. 19. 13. *Et erunt Domus Jeruſalem & Domus Regum Juda, ſicut locus Topheth, immundæ omnes Domus, in quarum domatibus ſacrificaverunt omni militiæ cæli, & libaverunt libamina diis alienis.* Jer. 19. ℣. 13.

Amos 5. 26. *Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quod feciſtis vobis.* Amos 5. 26.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Actor. 7. 42. Actor. 7. 42. *Convertit autem Deus & tradidit eos ſervire militiæ cæli* (ad colendum exercitum cæli.)

ỹ. 43. ỹ. 43. *Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch* (Malcum) *& ſydus Dei veſtri Rempham* (Rephan) *figuras quas feciſtis adorare eas.* Nec tamen ideò ſigna cæleſtia, prodigia & portenta in cælo & terra, tanquam præambula diei Domini magni & horribilis Joël. 2. 30, 31. contemnenda & ſpernenda veniunt, ſed piè perpendenda ac conſideranda ſunt, ut ad timorem Dei, & ſeriam reſipiſcentiam impellamur.

Amos 4. 21. Amos 4. 21. *Quapropter hoc faciam tibi Iſraël, poſtquam autem hæc fecero tibi, præparare in occurſum Dei tui Iſraël. Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium ſuum, faciens matutinam nebulam, & gradiens ſuper excelſa terræ: Dominus Deus exercituum nomen ejus.*

Job. 38. 31. Job. 38. ỹ. 31. *Numquid conjungere valebis micantes ſtellas Plejadas, aut gyrum Arcturi poteris diſſipare? Numquid producis Luciferum in tempore ſuo, & veſperum ſuper filios terræ conſurgere facis? Numquid noſti ordinem cæli & pones rationem ejus in terra?*

Luc. 21. 25. Luc. 21. 25. *Et erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. Nam virtutes cælorum movebuntur.*

ỹ. 28. ỹ. 28. *His autem fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra.*

ỹ. 31. ỹ. 31. *Ita & vos cum videritis hoc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei.*

Pſalm. 8. ỹ. 4. Pſalm. 8. ỹ. 4. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: Lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.*

Jeſa. 47. ỹ. 11. §. 3. Idem judicandum de loco Jeſaiæ cap. 47. ỹ. 11. *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum ejus: & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare. Veniet ſuper te repente miſeria, quam neſcies. Ita cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi poſſis fieri fortior. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent & ſalvent te augures cæli, qui contemplantur ſidera & ſupputabant menſes, ut ex eis annunciarent ventura tibi*

Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos: non liberabunt animam ſuam de manu flammæ. Propheta enim Eſaias temeritatem & impotentiam incantatorum & augurum, hiſce innuit ac rejicit; quòd nec vaticinia Prophetarum à Deo immediatè revelata, ex aſtris colligere ac prædicere, nec ſe ſupra legem Dei erigere, monita & judicia divina convellere, & ſuas vanitates his præferre debeant, nec horrendis judiciis divinis jam imminentibus ſuis divinationibus ſuperſtitioſis, reſiſtere, nec alios ſervare queant, cùm ipſi ſuam animam de manu flammæ liberare non poſſint.

Prædictiones Prophetarum & Aſtrologorum differunt, ut ſupernaturales à naturalibus, divinæ ab humanis.

Diſtinguendæ etiam ſunt prædictiones Prophetarum à prædictionibus genuinis Aſtrologicis; illæ immediatè à Deo, vel ſermone vel viſione vel ſomnio vel ecſtaſi revelantur: hæ ex aſtris naturaliter, ſine ſuperſtitione ac Idololatria deducuntur: quæ tamen non debent reſtringi ad prædictiones judiciorum divinorum per Prophetas manifeſtatas, quas Deus ſoli ſibi reſervavit.

Daniel, quà Aſtrologus verus, nec ſomnium Regis percipere, nec interpretationem illius manifeſtare potuit, ſed Deus ipſi, quà Prophetæ, per viſionem revelavit: adeòque nonnunquam prophetias divinas, & genuinam naturalem Aſtrologiam uni ſubjecto, ut Danieli, clementiſſimè communicat.

Daniel. 2. 19. *Tunc Danieli myſterium per viſionem nocte revelatum eſt: & benedixit Daniel Deum cæli, & locutus ait: Sit nomen Domini benedictum à ſeculo & uſque in ſecula &c.*

ỹ. 22. *Ipſe revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta: & lux cum eo eſt.*

ỹ. 27. *Et reſpondens Daniel coram Rege ait: Myſterium quod Rex interrogat, ſapientes, Magi, arioli & aruſpices nequeunt indicare Regi. Sed eſt Deus in cælo revelans myſteria*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

myſteria, qui indicavit tibi Rex Nabuchodonoſor, quæ futura ſunt in noviſſimis temporibus.

§. 4. Ejuſmodi explicatio confirmatur cap. 44. Eſaiæ ℣. 24 & 25. ubi expreſſè Spiritus Sanctus temerarias & ſuperſtitioſas prædictiones humanas, opponit prophetiis & conſiliis divinis, cùm inquit: ℣. 24. *Hæc dicit Dominus Redemtor tuus, & formator tuus ex utero. Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos, ſolus ſtabiliens terram & nullus mecum.* Eſa. 44. ℣. 24, 25. ℣. 24.

℣. 25. *Irrita faciens ſigna divinorum, & ariolos in furorem vertens. Convertens Sapientes retrorſum; & ſcientiam eorum ſtultam faciens: ſuſcitans verbum ſervi ſui, & conſilium nunciorum ſuorum complens.* ℣. 25.

Verſic. 7, 8. mandat, præcipit, ne extimeſcamus annunciationes humanas, oppoſitas annunciationibus divinis.

Quis ſimilis mei? vocet & annnnciet, & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum. Ventura & quæ futura ſunt annuncient eis: nolite timere, neque conturbemini.

Neutiquam verò Aſtrologiam veram, minimè ſuperſtitioſam vel compoſitam cum verbo divino, tàm in adverſis quàm ſecundis prædictionibus, ad moderatorem & directorem aſtrorum ſummum, Omnipotentem, miſericordem unicè deducentem; vel præter divinas revelationes ex principiis & cauſis naturalibus cæleſtibus piè & ſobriè deductam rejicit ac condemnat. *Aſtrologia vera divinæ voluntati non repugnat.*

§. 5. Jehova Deut. 18. ℣. 10, 11. Prophetam quem miſſurus erat opponit ariolis, maleficis, incantatoribus, Pythonibus, auguribus, divinis, propter abominationes & ſcelera, quod his potius, quàm Deo & Prophetis, homines obtemperent & obediant. Deut. 18. ℣. 10, 11.

℣. 9. *Quandò ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi: cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem: omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo, perfectus eris & abſque macula cum Domino Deo tuo. Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, augures, & divinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es. Prophetam de gente tua, & fratribus tuis ſicut me excitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies &c.*

Hæc ad veram & genuinam Aſtrologiam & Aſtrologos, reſtringi nec poſſunt nec debent, quemadmodum obſervatio ſomniorum divinorum compoſita cum voluntate divina, juxta quam Jehova Joſepho, Magis mentem ſuam revelavit, non eſt intelligenda.

Non tantùm proindè Aſtrologi ſuperſtitioſi, ſed & Philoſophi, Juriſperiti, Medici, Theologi præpoſteri, verbo divino, & prædictionibus Propheticis contrarii, & iis non obtemperantes, in Eccleſia & Republica non erunt tolerandi.

Quòd ſi locus hic & præcedentes ſimpliciter, & non de abuſu Aſtrologiæ ſuperſtitioſo ſunt intelligendi, utique Jerem: 51. ℣. 17. vi vocis, verbum *ſcientiæ*, ſimpliciter quoque erit intelligendum, nec ulla toleranda ſcientia, *ſtultus enim omnis homo factus eſt à ſcientia.* Nulla etiam dabitur Juſtitia, nulla Juriſprudentia, nulli Juriſperiti, juxta Eſaiæ cap. 5. ℣. 7. *Et exſpectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas, & juſtitiam, & ecce clamor,* & cap. 33. 18. *Ubi eſt literatus? ubi legis verba ponderans, ubi doctor parvulorum?* Jer. 51. 17. Eſa. 5. 7. Cap. 33. 18.

§. 6. Similiter intelligenda & explicanda verba Michææ. cap. 5. ℣. 10. Mich. 5. 10.

Et erit in die illa, dicit Dominus: auferam equos tuos de medio tui, & diſperdam quadrigas tuas, & perdam civitates terræ tuæ, & deſtruam omnes munitiones tuas, & auferam maleficia de manu tua & divinationes non erunt in te.

Divinationes enim vel erunt intelligendæ compoſitæ cum maleficiis, & ſic meritò exſtirpandæ, vel oppoſitæ maleficiis, & ſic intellectæ divinationes Aſtrologicæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

logicæ, tantum quoad abuſum, ſuperſtitionem, idololatriam, & non ſimpliciter tollendæ. Sicut non ſimpliciter, ſed propter abuſum equorum, quadrigarum, civitatum, munimentorum, equi auferentur? quadrigæ diſpergentur, civitates perdentur, & munitiones deſtruentur.

Levit. 19. 30. §. 7. Locus Levit. 19 ỷ. 30. facilè etiam explicatur: *Sabbata meà cuſtodite & ſanctuarium meum metuite. Ego Dominus. Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos. Ego Deus Dominus veſter.*

Magi veri & vani. Matth. 2, 1. Magi non naturales, & veri, quales erant Magi Matth. 2. ỷ. 1. qui videntes ſtellam in Oriente, venerunt ut adorent Regem Judæorum; ſed ſuperſtitioſi, & arioli malefici hîc intelliguntur, à quibus nihil ſciſcitari ſine pollutione poteſt, cum faciant homines declinare à vero Deo noſtro, & non hunc ſed creaturas & ſculptilia extimeſcere ac adorare ſuadeant.

Aſtrologorum Chriſtianorum uſus. Nec veri & Chriſtiani Aſtrologi in rebus conceſſis & licitis ſunt conſulendi, ut à Deo homines ſeducantur, ſed ut ad preces ardentes, & certam fiduciam in Deum Omnipotentem & Miſericordem, tam in rebus adverſis, quam ſecundis, excitentur.

Aſtrologiam veram Script. S. approbat. §. 8. Genuinam & veram Aſtrologiam S. Scriptura non modò non rejicit ac condemnat, ſed potius approbat, cùm inquit Judic. 5. 19.

Judic. 5. 19. *Venerunt Reges & pugnaverunt, pugnaverunt Reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulêre prædantes.*

ỷ. 20. *De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt.*

ỷ. 26. *Siniſtram manum miſit* (Jahel) *ad Clavum, & dextram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans. Inter pedes ejus ruit: defecit & mortuus eſt: volvebatur ante pedes ejus, & jacebat exanimis & miſerabilis.*

Specialis ex his ſignificatio Aſtrologica juxtà ordinem & curſum ſtellarum (non verò ſecundum tonitru, ventum, pluviam &c. quamvis ſubordinata non pugnent) determinata eſt, de interitru & morte Siſaræ miſerabili.

Prædictiones Aſtrologicæ non tantùm generales, ſed & ſpeciales dantur ſine ſuperſtitione. Et illis conceſſis hæ concedi oportet. Adeòque non tantùm generalis & indefinita malorum, calamitatum, Aſtrologica ſignificatio, comminatio aut commonefactio ex aſtris, prodigiis, cæleſtibus, Cometis &c. juxta ſolidiores & cordatiores etiam Theologos eruitur; ſed etiam ſpeciales prædictiones certis regionibus, civitatibus, Eccleſiis, familiis & perſonis ſine ſuperſtitione ac idololatria, cum difficultate tamen (cum exquiſita requiritur ſcientia & longa experientia Aſtrologica) determinantur: generales enim & univerſales prædictiones fundantur & deducuntur ex particularibus obſervationibus & eventibus ſpecialioribus, quibus negatis & Univerſales negandæ: & viciſſim conceſſis univerſalibus Aſtrologicis prædictionibus, etiam ſingulares & ſpeciales concedendæ veniunt. Nec percipio quâ ratione hæ cum ſuperſtitione ac Idololatriâ, illæ verò generales prædictiones ſine utraque perpendi, pronunciari & determinari queant.

Daniel. 1. §. 9. Daniel Aſtrologus non rejicitur, reprobatur, ſed approbatur Danielis cap. 1. 11. 3.

Et ait Rex Aſphenes præpoſito Eunuchorum, & introduceret de filiis Iſraël, & de ſemine regio & tyrannorum pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros formâ & eruditos omni ſapientiâ, cautos ſcientiâ, & doctos diſciplinâ, & qui poſſent ſtare in Palatio Regis, ut doceret eos literas & linguam Chaldæorum.

ỷ. 17. *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum.*

ỷ. 20. *Et omne verbum ſapientiæ & intellectûs, quod ſciſcitatus eſt ab eis Rex, invenit in eis decuplum, ſuper cunctos ariolos & Magos, qui erant in univerſo regno ejus.*

Ex his allegatis patet

Daniel propheta eruditus in ſcientia Chaldæorum. 1. Quòd Daniel cum ſociis ſuis fuerit eruditus in omni ſapientia, ſcientia & edoctus in literis Chaldæorum Aſtrologicis veris & genuinis.

2. Quòd

2. Quòd Jehova ipſe illis hanc communicaverit ſcientiam, ſapientiam, inprimis Danieli intelligentiam viſionum & ſomniorum.

3. Quòd Sapientiâ & intellectu omnes magos & ariolos ſuperârint.

§. 10. Moſes Aſtrologus laudatur

Moſes Aſtrologus. Actor. 7. 20.

Actor. 7. ℣. 20. *Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit gratus Deo, qui nutritus eſt tribus menſibus in domo patris ſui.*

℣. 22. *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis & in operibus ſuis.*

Hinc evidenter percipitur:

1. Moſen Deo gratum fuiſſe.
2. Omni Ægyptiorum ſcientia Aſtrologica imbutum fuiſſe.
3. In vita communi laudem, gloriam & gravitatem obtinuiſſe.

Aſtrologiam oderunt qui eam ignorant.

Ars, ſcientia proindè Aſtrologica, non habet oſores, niſi ignorantes, niſi præjudiciis infantiæ præpoſteris obcœcatos, juxtà quorum opiniones falſas, licet communem conſenſum crepantes, minimè ferendum eſt judicium de artibus, ſcientiis, veris, genuinis, conceſſis, utiliſſimis ad reverentiam Dei, pietatem & preces ardentes revera excitantibus.

Cæterùm oſores & contemptores Aſtrologiæ verba Ezechielis cap. 32. ℣. 7, 8. perpendant, & caveant ne ipſis idem eveniat:

Et operiam, cum extinctus fueris, cælum, & nigreſcere faciam ſtellas ejus: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria cæli mœrere faciam ſuper te: & dabo tenebras ſuper terram tuam, dicit Dominus Deus. In univerſo itaque imperio & regno tremiſcant & paveant Deum Danielis. Ipſe eſt enim Deus vivens & æternus in ſecula: & regnum ejus non diſſipabitur, & poteſtas ejus uſque in æternum. Ipſe Liberator & Salvator, faciens ſigna & mirabilia in cælo & in terra. Daniel. 6. ℣. 26, 27. Cui ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum. TANTUM.

Hamburgo Francofurtum die 8. *Maji* Juliani 1666.

Auctor moram reſponſi apud Placentinum excuſat.

Majo menſe curanda valetudo.

ACcepi nuper literas à communi Amico, proximè autem Tuas; ad quas inter medias occupationes, jugiter me urgentibus & prementibus Amicis Batavis & typographis, ſtrenuis induſtriæ meæ exactoribus, reſpondere è veſtigio non potui. His acceſſerat cura valetudinis, cui nonnihil temporis, invitante hâc anni tempeſtate, evacuando corpori pravis humoribus ſcatenti peridoneâ, tribuendum erat. Quod ad poſitionem tuam quartam attinet, quam mihi miſiſti, gratias tibi de ea ago debitas. Non eſt meum de ea judicare. Non enim cenſor hujus anni ſum: imò verò propriæ tenuitatis propè mihi conſcius. Etſi verò poſſem aliquid de his dicere: meritò tamen moleſtus tibi amplius eſſe nolo. Debitam enim Tui rationem habeo, eoque magis, quòd te recens maximo dolore affecerit omnium noſtrúm vitæ Auctor, qui pro lubitu dat cuncta aufertque nobis, dilectiſſimâ vitæ & thori ſociâ vi mortis exſtinctâ. Hujus acerbum caſum doleo, & in partem mœroris tui venio: Deumque qui te contriſtavit, ut te ſoletur, precor. Ut autem ad tuam poſitionem revertar, ideò quoque mihi tangenda non videtur, quòd in Theologicum campum deſcenderis, multis Scripturæ Sacræ teſtimoniis ad tuendam veram Aſtrologiam adductis. Vera equidem & genuina ſat benè ſcio apud omnes cordatos locum inveniet. Sed eſt quæ à Scriptura Sacra, te quoque ipſo favente, reprobetur.

Placentino cur Auctor moleſtus eſſe nolit ampliori reſponſo.

Aſtrologia vera approbanda: Vana improbanda.

Scientia rerum occultarum nemini nunc datur.

Spiritus S. datur ad menſuram.

Scientiam rerum occultarum, quam Moſi, Danieli, aliiſque Viris divinis, cumprimis Prophetis, quondam à Deo datam eſſe novimus, nemini nunc dari videmus. Datur tamen ad menſuram certam ipſe Dei Spiritus, cæleſtis ſapientiæ magiſter & admirandorum operum effector. Ego, quod ad me attinet, nemini ullum donum è cælo datum invideo. Quæ verò non capio, non ideò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Aſtra nec temnenda, nec timenda.

Tolerantia convenit diſſidentibus circa difficilia.

Cometis bona quoque ſuccedunt.

carpo, ſed in medio relinquo, dicere ſemper paratus, recta, honeſta, ſalutaria. Jam olim in hac ſententia ſto, *aſtra nec eſſe temnenda nec timenda, nec ſuſpicienda, nec deſpicienda:* illud enim curioſorum, hoc impiorum eſſe. Interim rectam ſiderum notitiam & ejus verum uſum in modeſtis & piis Viris (quos inter & te pono) meritò veneror. Quòd ſi quis etiam in re quapiam ardua, intellectu & explicatu difficili erret, eum tolerandum, & libertati ingenii modeſtæ ac quietæ relinquendum eſſe ſtatuo. Stat ſententia Cometis bona quoque & læta ſuccedere. Loquitur pro me pax nupera Luneburgica, Mecklenburgica, Weſtphalica, & quæ ſecutura ſperatur, ac feliciter, niſi vitiorum portenta prævaleant, componitur, Rhenana & Britannica, ut alia proſpera prætercam. Deus pacis & proſperitatis auctor benignus largiatur quæ exſpectamus, & quæ jam largitus eſt, perpetua ac novis gaudiis cumulata eſſe velit! Is quoque tibi bonam & conſtantem valetudinem ſemper concedat, & te omni beatitudine compleat!

XV. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XV.
COMMUNICATIO BEROLINO-RAVIANA.

Hamburgo Berolinum die 28. Februarii 1665.

S.P. Nobiliſſime, Clariſſime & Doctiſſime Vir.

Ravium ignotum Auctor ſcripto adit: Rationes iſtius ſuæ libertatis adfert.

Licet Te prorſus Tibi ignotus compellem, non mihi tamen, credo, vitio hanc, qua in Te utor, libertatem vertes, pro eximia Tua humanitate, quam Viris doctis ineſſe meritò credendum eſt. Accedit quòd & ego non tantùm inter bonarum literarum cultores Dei beneficio ſim, ſed & ſemper à Viris doctis, quà coràm, quà per literas diſcere (cum & primus Græciæ Sapientum Solon olim dixerit:

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.
id eſt, Seneſco ſemper multa addiſcens.)

Otto Guerichius f. Elect. Brand. Reſidens Auctori amicus: Parentis ejus merita.

paratus quod ex uſu ſiet. Luculenta verò hujus rei mihi ſe nunc præbet occaſio, dum Nobiliſſimo Domino Ottoni Guerichio, Sereniſſimi Electoris Veſtri Conſiliario Doctiſſimo, & Reſidenti hac in Urbe Splendidiſſima, artioris amicitiæ vinculo junctus, ſæpè cum eo perque eum cum Ampliſſimo Domino Patente ejus (quô non tantùm Magdeburgum Conſule Digniſſimo & optimè meritò, ſed & Germania multorum admirandorum Inventore Ingenioſiſſimo jure gaudet & gloriatur) de nuper conſpecto Cometa uſque adhuc contuli. De eo cum variorum Virorum Doctorum & ſcientiâ rei Aſtronomicæ Excellentiſſimorum Obſervationes & judicia conquiſiverim, & plura cupiam ac exſpectem, ad Te etiam, Vir Clariſſime, me confero. Libens profectò tuam, aliorumque Mathematicis ſtudiis deditorum in Aula Veſtra degentium obſervationem videbo, Veſtrumque de illo phœnomeno ſingulari judicium, quod niſi ſubactum & magni faciendum eſſe non poteſt, audiam. Obſervationem Cometæ à me factam fruſtrà exſpectes, qui vix à limine Mathematicas diſciplinas ſalutavi, & phœnomenon nudis tantùm oculis adſpexi. Non deſunt quidem & hìc Viri longè Doctiſſimi, & Mathematicarum rerum ſcientiâ Præſtantiſſimi, cum quibus fateor ferè omnibus, amicitiæ jura colo & ſæpè converſor. Cum tamen illi idonea inſtrumenta ad obſervationes cum cura faciendas neceſſaria nondum habeant parata, artificis inertiâ perfectionem eorum à multo tempore differente, non puto operæ me pretium facturum, ſi Tibi Obſervationes quaſdam ab illis factas mittam, quæ potius à Te nobis exſpectandæ ſunt, à neceſſariis ad id adminiculis inſtructo. Mihi præſertim, qui ex ſimilibus Clariſſimorum Mathematicorum & Virorum Præſtantiſſimorum Obſervationibus & narrationibus judiciiſque, quæ ex diverſis Germaniæ locis tùm Italia, Gallia, Anglia, Hybernia, Hollandia, Dania, Suecia, Pruſſia aliiſque regionibus accepi, opus Philoſophico-Politicum, volente Deo, edere conſtitui, ita ut & moralia multa bono publico utilia ibidem inſeram. Quò tamen ad præſtandam

Obſervationem Cometæ hyemalis Auctor à Ravio vel per eum ab aliis Mathematicis Berolini degentibus obtinere cupit.

Hamburgi plures viri docti & Matheſeos periti degunt:

Inſtrumentis tamen ad faciendas obſervationes idoneis deſtituuntur.

Auctor operis ſui inſtituti rationem Ravio exponit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Officioſus in amicos eſto.

ſtandam mutui officii vicem (quam homines hominibus, Chriſtiani Chriſtianis, literati literatis debemus) Te excitem, pauca hîc de noſtro phœnomeno apponam. Sed Tu hæc ab homine perexiguâ rei Mathematicæ notitiâ prædito profecta, boni æquique conſules, & diſcere quotidiè aliquid hîc quoque libenter volentem, haud invitus docebis.

Guerlchianam de Cometis ſententiam Auctor comparat cum illa Epigenis antiqui Philoſophi ſententia: tùm recentiorum, Apiani, Cardani & Scaligeri.

De Origine Cometarum ſententiam Guerichianam melius me, credo, noſti. Cui annon faveat vetus illa Epigenis apud Senecam l 7. N. QQ. c. 6. & Libavium tract. probl. de Comet. natura p. 44. & 45. nec non Apiani apud Keckerm. Syſt. Phyſ. l 6. c. 5. tùm Cardani apud Scal. exerc. 79 denique ipſius Scaligeri ibidem explicata & aſſerta, lubens ex Te intelligam. Clariſſimus Abrahamus de Grau, Matheſeos in Academia Friſia Profeſſ. cenſet Cometas eſſe ſydera maculis intexta, vago & irregulari motu protrudi ſolita: eaque non conſumi, ſed altius in ampliorem cæli circumferentiam tendere.

Chriſtianus Buſmannus laudatur,

Cometas cælo, invito Ariſtotele, infert.

Cometam deſcribit.

Chriſtianus autem Buſmannus, Phil. & Med. Doct. ac Phyſicus Hannoveræ Ordinarius, Vir, ut video ex heſternis literis ad me datis, egregiâ rerum Mathematicarum ſcientiâ præditus, contra Ariſtotelem, nullum Cometam in elementari regione, ſed in ætherea perpetuò conſtitiſſe aſſerit. Idem ſtatuit Cometas eſſe corpora lucida, extrà naturæ ordinem vi divinâ in æthere & maximè ſublimi parte cæli demiſſa, & peculiari motu & figura conſpicua, ut ſint nuncii ingruentium calamitatum, à ſecuris mortalibus non animadverſarum vel neglectarum; ſi fortè ipſis ad Deum converſis mala iſthæc vel tota averti, vel paululùm mitigari poſſint.

Iſmaëlis Bullialdi eruditio, modeſtia & de Cometis ſententia.

Cometæ motus diverſus à diverſis aſſignatur.

Cometa hyemalis unus an geminus fuerit?

Denique Clariſſimus Iſmaël Bullialdus, licet Vir vaſta & ſolida eruditione excellentiſſimus, hoc ſolum ſtatuit, materiam illam æthereaṁ & Galaxiæ non valdè abſimilem, nec plura de hac re divinando pronuncianda eſſe. De motu Cometarum, ſitne Circularis an Epicyclicus, an verò rectilineus, diverſæ ſunt Doctorum Virorum, ut ſcis, ſententiæ. Ego lubens hic quoque Tuam intelligam. Pariter fuerintne duo diſtincti Cometæ nuper conſpecti: alter ad roſtrum Corvi manè, alter in Lepore veſperi: & ille quidem in Auſtrum, hic in Septentrionem: ſuo diverſo, præter illum communem cuncta ad occaſum rapientem, motu vergens, an verò potius fuerit unus idemque Cometa? Illam ſententiam tueri quoſdam Mathematicos in Germania, Hybernia & Suecia accepi, ut & nonnullos narratione de duobus Cometis una nocte viſis eundem confirmare velle.

Illud propius verò Auctor arbitratur.

Hanc ratio & demonſtratio aſſerere mihi videtur, & poſtulare, ut unus Cometa credatur, roſtro Corvi cum triangulo Menckar commodè juncto, quæ ſententia Clariſſimum Hevelium & alios plures invenit Patronos.

Cometa an efficiat aliquid in animis hominum.

Bellum ſacrum ex Cometa Libræ ſignum percurrente quidam præſagierunt:

Alii navale.

Sapientia divina inexplicabilis.

Arguta ex ſiderum nominibus omina & præſagia captare inutum.

Milites quales legi & negligi ſoleant.

De effectis Cometarum Tuam cognoſcere ſententiam, mihi erit longè gratum. Vidi nuper quoſdam ex dodecatemorio Libræ (cui vetus curioſitas religionem ſubjecit) bellum religionis evolvere. Alios ex dodecatemorio Tauri & Arietis Cornupetarum, tùm ex ſignis Hydræ aquaticæ, Navis Jaſonis, Orionis pugnacis, gravem Tauro parantis ictum, Eridani fluvii & Ceti bellum, idque navale elicere, & ex cælo in terram derivare velle. Nonnullos etiam argutias ad Corvum & Gallum captare. Sed hæc magis ingenioſa quàm ſolida mihi videntur, quin & conjuncta cum curioſa abſtruſorum Dei judiciorum ejuſque imperviæ ſapientiæ (quæ certa tempora & opportunitates ipſo Dei Filio id aſſerente, in propria poſuerit poteſtate) inquiſitione, divinis oraculis vetita. Quod ſi ludendum foret ingenio, quid non hîc argutè dici eodem jure poſſet? & cum primis quidem de forti Leone, quem præteritum eſſe ſilentio, miror. Sed & de molli Virgine: de tardo & tranſverſum cedente Cancro: de tenellis gemellis: capaci urnæ Cratere; rabido & impudente Cane, timidoque Lepuſculo. Hæc autem quid ad bella? Non ibi effœminati, non tardi & præpoſterè omnia agentes, non teneri, non crateribus & caninâ impudentiâ certantes, non meticuloſi, ad fugam quàm ad prælium promtiores, quos Cornificius olim galeatos Lepores pronunciavit, locum habent. Vel ſi habent (ſicut nihil in orbe rectum eſt) ad ſummam rei bellicæ nihil conferunt, & ſæpè victoriam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

victoriam perdunt, ac velut à manibus amittunt, dum hoſtis vires animumque reſumit, prælium reſtaurat,

Victoriam multi è manibus ignaviâ vel confidentiâ amittunt.

Victoreſque ſuos natio victa premit.

Quòd ſi in his caſtris Leporinas fœminas, in illis Leoninos Viros ponant, quibus hîc ex ſiderum adſpectu argutari volupe eſt, & illis quidem internecionem, his victoriam in bello præſignificato ex ſignis cæleſtibus præſagiunt, contraria maximè effecta iiſdem cauſſis in paria ſubjecta agentibus tribuent. In hoc certè quod inter Britannos & Batavos paulò antè geri cœptum eſt, (& nunc facilè indicari vel ſine ullo aſtrorum adſpectu poteſt) bello non conſpicitur illa ſignorum cæleſtium efficacia certaque poteſtas. Non enim eos ullâ ratione Tauri, Geminorum, Virginis & Libræ ſigna, quæ percurrit Cometes, attingunt. Sed nec illud Leonis, quamvis eum utraque natio, non in armis tantùm, ſed & rebus terrâ marique fortiſſimè geſtis oſtentet. Quid autem tarditas & retrogreſſio Cancrina ad Batavorum inimitabilem indefeſſamque agendo induſtriam: licet illi ſigno Zodiaci ſubjecti ſint? Quid & ad reliquas nationes hæc vel illa ſigna, quæ in cælo mens humana, expeditam docendi diſcendique quærens methodum, poſuit, habent? Denique omnium conſenſu aſtris inclinatio, non ulla inevitabilis neceſſitas, & ab ipſis quidem Mathematicis in homines regimen, ſed idem in illa ipſa Deo omnium Creatori & moderatori tribuitur. At de his hactenus. Veniam dabis, Vir Præſtantiſſime, quòd tàm diu obſtrepere auſus ſim Tibi, Tua enim tempora dubio procul gravioribus dicata ſunt ſtudiis & laboribus, cùm ad latus præſertim Magni illius & inter primos non tantùm in Imperio, ſed & in orbe tùm Chriſtiano tùm literario ponendi, pace belloque Clariſſimi Herois Sereniſſimi Electoris Veſtri conſtitutus ſis. Noſti quanta vis ſit libertatis humanæ, præcipuè Philoſophicæ, & ſuper hanc Chriſtianæ; quam deſuper ut eximium donum, humanæ potentiæ coactioni non obnoxium, accepimus. Vale & me tuis accenſe, ſum enim ſincerè

Bellum quod inter Britannos & Batavos geritur, ante Cometam cœptum.

Britannorum & Batavorum inſignia & facta leonina.

Sideribus indita nomina nil habent ad mores & fortunam populorum.

Aſtra non agunt neceſſariò,

A Deo reguntur.

Elector Brand. laudatur.

Libertatis magna eſt vis & præſtantia.

Clariſſimi Nominis Tui

Obſervantiſſimus

Stanislaus Lubienietzki.

Ad Dn. Joannem Raven, Sereniſſimo Electori Brandenburgico à Conſiliis & Bibliothecis.

Berolino Hamburgum die 25. Martii St. V. 1665.

Generoſiſſime Domine

Si pace Tua confiteri auſim, quæ in me precaris, ſumma equidem comitas Tua eſt, modum certè meum ſupergreſſa. Minor longè ſum ſpebus votiſqueTuis, & maluiſti inſitam gentis gloriam luce, quàm ignoti hominis mediocritatem meam vindicare. Par tecum fortuna mihi: nec ulla adoleſcentulo Mathematum facta in Scholis deſideria: ipſe contemptus ignorantum avertit cupiditatem diſcentis. Serò agnovi; ſerò pœnituit. Nunc tantò cupidius adoro eos, quibuſcum mihi nulla relicta eſt æmulatio. Abſtineo neceſſitate ipſa ab his literis, quarum exilem fero conſcientiam, judicio equidem polleo planè nullo. Juvo tamen, quantum bajuli ſolent, conſulo ſuadeoque ut deceptus. Cum ergò Tibi regna tot ac gentes, Viro, quantum ex literis didici, & Chriſtiano & Prudenti, ad rectam τῶν ἄνω contemplationem indulſerint cogitationes ſuas; ne aſpernator, quæſo, geminum hoc ab noſtris; atque ab ἀμοιβαίοις exſpectato deinceps plura. Animi oculo & ipſo Chriſti ſpiritu vel hæc in cælis ſpectanda ſunt portenta. Mundus ſibi relictus nec ſe nec ſua novit; intelligendo facit,

Ravius humaniter Auctori reſpondet,

Sed ſe vota ejus implere poſſe negat:

Se Mathematicis ſtudiis imbutum non eſſe fatetur,

Et alioqui modeſtè demiſſeque de ſe loquitur,

Et prudenter ac piè de rebus judicat.

Mundi genius cavendus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

facit, ut nihil intelligat. Iſta hæc in terris, ſupra ſeculum & ſpiritualiter di-judicanda ſunt. Vale & fave

Tuo

JOANNI RAVEN.

Hamburgo Berolinum die 28. Novembris Juliani 1665.

S. P. Nobiliſſime, Clariſſime & Doctiſſime Vir.

Polonicæ genti ineſt comitas ſi auferatur ferocia. Comis eſto.

Amicos decet comitas, benignitas, facilitas, æquitas.

Mathematica ſtudia ſæpè docentum & diſcentum vitio negliguntur.

Studia utilia & neceſſaria nequaquam negligenda.

Mundus immundus.

Superbiam fuge, etſi ſpem vitæ æternæ habeas: imò hanc non habes certam, ſi illam foves.

Tempori ſervi.

Deſidiæ ſæva philautia ſæpè juncta.

Heros Chriſtianus ſemper victor,

COmetas, quam mihi gentique meæ, demtâ inſtitutionis, induſtriæ & peregrinationis artibus, nativâ ferociâ ingenii bonis multum, fateor, ſe commendanti, tribuis, inter officia boni Viri eſt reputanda. Hanc ipſe exemplo approbas, dum in aliis agnoſcis, & officium amici reſponſo facili & benevolo fungeris. Sed amplius eandem teſteris oportet, dum tàm promto reſponſo Tuo vicem officii adeò tardus penſo. Videlicet cum juſtitiæ & amicitiæ comitas illa, tùm benignitas & facilitas conveniat, mutuam nobis hîc referemus vicem. Tu enim longiori epiſtolæ meæ breve reſponſum: at ego Tuæ brevi tardum dedi. Id ego tamen ex juſta ratione, & quadam neceſſitate feci. Volui nempe variorum Virorum Doctorum, eos hîc & illîc adeundo, explorare prius ſententias, quàm ad Te de noſtro argumento Cometali amplius referre. Noſtrum dico: licet uterque partim inſtituentium vitio, partim temporis injuriâ Mathematicis diſciplinis excultum non geramus pectus. Sed & hîc, dum tempus eſt, & otium ſuppetit, tentandum eſt aliquid, & diſcendo, præſertim utilia vitæ, vita honeſtè & jucundè tranſigenda. Ita tamen ut quod neceſſarium eſt, & in quo bis peccare non datur, quamprimùm addiſcamus, ipſaque praxi comprobemus & aliis commendemus. Cujus generis ſunt illa, quæ commendas ſtudia, quæ mundus immundus, jam olìm κόσμος ἄκοσμος dictus, non diligit, quia nec intelligit, carni & vitiis deditus. O nos miſeros, qui his vel illis de cauſſis criſtas erigimus & ſubnixos gerimus animos, licet certo ſpei non ſubnixos! Efferimur, imò efferamur, mente in tumorem, licet nec hæc fructus ſapientiæ & virtutis efferat, nec nos alioqui prudentiæ & induſtriæ artibus mala efferamus & in tempore ſuperemus. Nempe, ut olìm Comicus dixit, *tunc demùm intelligimus bona noſtra, cum, quæ habuimus, amiſimus.* Utcunque tamen illa deſidia, etſi jam adamata, toleranda foret, niſi ſerva & ſæva adulantium ſuis vitiis invidia adeſſet. Hæc enim rerum potientes, ut aliis bona, à ſe neglecta, eripiant, iniquiſſimè ſtimulat. Sed agant illi quidquid libet: licet Sapienti ſpernere hæc cuncta, imò Chriſtianus Heros, cui nil comparari, illa ſuperare potis eſt.

Non illi quiſquam bello ſe conferet Heros.

Divino beneficio.

Hic enim à pluſquam Vulcanio fidei ſcuto, pluſquam Palladia ſpei galea & impenetrabili thorace juſtitiæ, ac victore verbi divini gladio inſtructus, vinci, cum reliqui Heroës vincibiles ſæpenumerò comperiantur, nequit, imò ſemper ei deſuper optata

- - - ſparſis fertur victoria pennis,

Cometis non terretur Chriſtianus Heros,

Impii timorem iſtum inducunt.

& in ipſum ſinum è cælo defertur pulchra & ſpectabilis. Et quid ni hanc ſemper reportet, qui omnia in Chriſto poteſt? Hunc non debere ſibi degenerum ritu metuere à Cometis aliiſve cæli ſignis, cum æquitate & pietate dicere me puto. Non convenit enim ei hæc timere & horrere, ut lucida divinæ benignitatis, hujus & illius vitæ bona pietati pollicentis, indicia contemplari. At verò pietatis oſores, officiorum, illorum neceſſariorum, negligentes, bonorum contemtores, imò perſecutores, ſed & illi parvi & infrequentes Horatiano exemplo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

exemplo numinis cultores, eadem, ut indubitata juſtæ vindictæ, paulò poſt ſubſecuturæ, ſigna metuant, & tanquam triſtia prodigia paveſcant. Illos decet ſacro

- - - - - tremuloque horrore moveri,

imò concuti, ut criſtis depoſitis Deo ſe ſubmittant ac morigeros præbeant. Hîc itaque velim omnes Theologi, Aſtrologi aliique quibus de hac re philoſophari bono publico libet licetque, læva & triſtia, at illic læta & dextra omina capient & auguria expediant, ut non tantùm lapides his frangendis, ſed & roſas his refocillandis loquantur. Exſpecto quid mihi reſponſurus ſit ad meas de hoc argumento ſcriptas Clariſſimus Placentinus Veſter, cujus mihi Commentarium de Cometa miſiſti. Qua in re nec ille officio amicitiæ & exſpectationi meæ defuit. Imò verò plura etiam de utroque Cometa Corvi & Pegaſi (duos enim tantùm nos vidiſſe cum pleriſque aliis ſtatuit) tùm de prognoſi Cometarum, ad me miſit. Ego tamen de ejus libro, ut & illo altero Germanicè ab Auctore A. T. edito, debitas ago Tibi gratias. Uterque magnam efficiendi, & ſola quidem mala, vim Cometis tribuunt. Quanquam Placentinus parcius & ex veritate magis de hac re loquatur. Affici Cometarum apparitione mediante corpore mentes noſtras vult malorum, quæ illi portendant, metu. At verò nos ex ordinariorum quoque ſiderum omniumque rerum adſpectu, par eſt affici bonis artibus, virtutibus & lætitia ſpei ex iſtarum ſtudio provenientis, & ita affici ad facienda officia filiis Regis Regum digna. Ego ſpero me utrique illorum Auctorum à Te mihi commendatorum, imò omnibus ſatiſfacturum, defenſâ humani ingenii libertate, non negatâ triſtium, vindicatâ tamen & lætorum ſignificatione, Cometis quodammodo conveniente, & tàm hîc quàm illîc aſſertâ divinâ juſtitiâ. Et apparebit quidem hæc dictorum veritas, nil niſi pietatem ſpirans, in Theatro Cometico. Verumtamen pluribus eandem in Hiſtoria Cometarum univerſali, quam molior, juvante Deo, adſtruam. Ibi videbimus Cometas natalibus quoque Magnorum Principum, auſpiciis imperiorum, fertilitati terræ, bonitati aëris, exoptatis victoriis, cornucopiæ pacis, aliiſque lætis præluxiſſe. Niſi quòd his læta, ſæpius illis ſint triſtia, quæ eſt perpetua rerum humanarum, viciſſitudini alioqui ſubjectarum, facies. Qua ratione æquitatis ſervatâ, nil niſi malorum bonorumque, triſtium & lætorum mixturam per omnia animadvertimus. De his omnibus quæ ſit ſententia Tua, non ſine rationum pondere edicito. Ita in Senatu Philoſophico, quem cogo, dices ſententiam publico profuturam. Dederunt non tantùm veniam, ſed & locum libertati meæ philoſophicæ Illuſtres quoque & Præclari Viri, numero non pauci. Rautenſteinios, Bruſſellos, Veſtros Guerichios, Heinſios, Hevelios, Bullialdos, Bartholinos, Kircheros, Schottos, Curtios, Ricciolos, alioſque plures intelligo. Proindè & Tu, Vir Clariſſime, quà potes, conatus meos pro libertate vindicanda, virtute commendanda, utilitate publica promovenda, adjuva. Crede mihi, ſingulari cultu, tàm in Sereniſſimum Veſtrum Electorem, inter Heroas arte & Marte, ut dici ſolet, Inclytos ponendum, quàm in Vos ſub imperio ejus viventes, feror. Qua de re teſtabuntur etiam incluſæ iſtis literæ ad Nobiliſſimum & Humaniſſimum Hermannum Langium, Tibi reddendæ & commendandæ, ſi adſis: ſin minus, à Nobiliſſimo & Amiciſſimo Fehrio Veſtro curandæ. Sed ut redeam ad Germanicum illud ſcriptum, cujus Auctor geminum nos in Corvo & Lepore vidiſſe Cometam, probare contendit, vix quiſquam erit, qui id nunc dicere velit. Upſalienſes quidem fortiter reſtiterant; ſed tandem validis rationibus ceſſère. Sententiam meam de ſignificatione Cometarum gravi aſſenſu approbant permulti Magni & Clariſſimi Viri, Rautenſteinius, Bruſſellus, Heinſius, Hevelius (ut colligo ex ejus ſcriptis ante hac editis, alioqui nondum mihi ſuper hac re mentem ſuam aperuit) Bullialdus, Eraſmius Bartholinus, Leuneſchloſſius, Gravius, Grævius,

Chriſtiani Viri officium apparentibus Cometis.

Placentini Comment. de Cometa Ravius, ſed & ipſe Placent. eundem Auctori miſit,

Aliaque de hoc argumento.

Placentini ſententia de ſignificat. & efficientia Cometarum explicatur.

Auctor omnibus de Cometarum ſignificatione æqua ſatiſfacere ſtudet:

Operis ſui univerſi rationem proponit.

Cometas læta ſæpè ſequuntur.

Ravium Auctor ad dicendam in Senatu Philoſophico ſententiam invitat.

Elector Brandenb. laudatur.

Langius Electori Brand. à conſiliis.

Fehrius Electori Brand. à ſecretis.

Cometa nuperus hyemalis unus idemque, licet geminus videatur.

Auctori de æqua Cometarum ſignificatione multi præclari Viri aſſentiunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Grævius, Gruterus, aliique. Vana eſſe Aſtrologorum judicia & decreta de regionibus & civitatibus non minus huic vel illi ſigno Zodiaci, quæ nuperi Cometæ peragrarunt, quam virtuti malignæ in inferiora influenti ſubjectis, res

Aſtra ſerviunt non ſæviunt.

ipſa clarè & ſolidè multis exemplis, quæ obvia ſunt, demonſtrat. Quis enim certum rationis, tantominus demonſtrationis, dabit, vim illam maleficam ſe exſerere in omnibus illis populis, quos ſigna illa adſpiciunt? Ingredere iter mente, non pedibus, pete & vide Galliam ex omni parte florentiſſimam, ſuperiorem Burgundiam, Sueviam, ſuperiorem Sileſiam, Neapolin, Florentiam, Ferrariam, Patavium, Brunſuicum aliaque loca ſub Ariete poſita. Omnia pace florent, omnium bonorum copiâ abundant, rerumque ſuarum curſum feliciter ſatis, quædam etiam ad invidiam uſque peragunt. Atqui uterque Cometa in Ariete concurrit.

Signis, quæ Cometes percurrit, ſubjecti populi pace & aliis bonis gaudent.

Arieti ſubjectæ regiones & urbes.

Adi Helvetios, Franconiam, Campaniam, Bononiam, Herbipolin, Lipſiam, aliaſque regiones & urbes Tauro ſubjectas. Omnia pariter quieta & læta, quantum quidem per rerum humanarum, variis mutationibus obnoxiarum conditionem licet. Percurre Ægyptum, Armeniam, Würtembergenſem Ducatum, Norinbergam, Lovanium, Bambergam, aliaque loca ſub Geminis jacentia.

Geminis ſubjectæ regiones & urbes.

Eodem quoque loco res ibi poſitas reperies. Sedes in Marchia, vicinus Bohemiæ, Boruſſiæ, Magdeburgo, & facilè celeri mente pervolare potes Comitatum Burgundiæ, Venetias, Genuam, Mediolanum, Vincentiam aliaſque amœnas urbes, ſub Cancro locatas.

Cancro ſubjectæ regiones & urbes.

Quod quæſo novum & notabile malum locis illis à viſis Cometis contigit, ut iſti propterea terrifici, & malefici audiant? Leo quid mali attulit amœnæ Italiæ, Siciliæ, Pragæ, Ulmæ, Romæ (quæ ejuſmodi prognoſes, quod me ipſius Kircheri literæ docent, caſtigat) Ravennæ, poſtquam Cometæ à Virgine in Cancrum tranſitum permiſit?

Leoni ſubjectæ regiones & urbes.

Quid Virgo inferiori Sileſiæ, Vratiſlaviæ, Baſileæ, Lutetiæ, Tholoſæ, Lugduno, ut terras alio Sole calentes prætercam, mali quaſi è Cometa concepti peperit? Quid denique adverſi appendit & adnumeravit Libra Auſtriæ, Alſatiæ, Livoniæ, Sabaudiæ, Delphinatui, Viennæ Auſtriorum, Francofurto ad Mœnum, Antverpiæ aliiſque locis, licet in ejus dodecatemorio Cometa vires illas ſuas exſerere cœperit?

Libræ ſubjectæ regiones & urbes.

Quòd ſi etiam impoſterum hìc & illìc aliquid mali eveniat, primùm quidem decreta Aſtrologorum, nec ubique nec omni ex parte immotæ erunt veritatis, & illa mala, ut ſunt humana cuncta, interventu meliorum penſabuntur. Peſtem, quam viſo Cometa ſentit Anglia, ſenſit ante viſum Cometam ab Afris communicatam Hollandia. Bellum inter has gentes, Arieti & Cancro ſubjacentes, ſed meliori jure forti Leoni ſubjiciendas, priuſquam Cometes exortum, mox, ut ſpero, certè opto, componetur, ut & illud Monaſterienſe. Omne enim bellum pace tandem terminatur. *Sapientes* quoque, judice Saluſtio, *pacis cauſſâ bellum gerunt, & laborem ſpe otii ſuſtentant.*

Peſtis nupera ante Cometam in Hollandos, poſt eundem in Anglos ſæviit.

Bellum inter Anglos & Hollandos ante Cometam exortum.

Major Polonia, cornupetam & ferocientem Taurum adſpiciens, ſumtis armis pacem inter partes hoſtili odio diffidentes, & toti Reipublicæ ſpem ejus, ſi avita libertas æqua reſtituatur, fecit. Almæ Pacis lætam oleam Moguntia quoque cum Heydelberga, illa Geminos, hæc Virginem reſpiciens, & humanitatis memor, arripit. Præivit hìc laudabili exemplo Brunſuicum & Luneburgum.

Pax Rhenana & Luneburgica.

Quis ergò nobis, Chriſti inſtitutionem ſequentibus, Caldaicam, Stoicam vel Aſtrologicam neceſſitatem: quis Cometis ſolius mali ominis infamiam ex jure & æquitate imponet? Sed jam finire me temporis anguſtia jubet. Vale benè, rem age feliciter, & de me erga Te ſincera benevolentia perſuaſus optimè, favere porrò perge mihi, qui ſum &c.

Fato non ſubjecti Chriſtiani.

Cometa ex æquo bona & mala ſignificat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Berolinum die 16. Januarii Juliani 1666.

S. P. Vir Nobiliſſime, Clariſſime & Doctiſſime.

JAm ferè integer exit menſis, ex quo literas ab Illuſtriſſimo Rautenſteinio, Miniſtro Statûs & Legato ad Conventum Imperii Neoburgico, acceperam. His iſta, quæ hîc ſeorſûm vides exſcripta, inerant ad Te pertinentia. Noſti Viri illius egregias animi dotes, & magna merita, ac in Te benevolentiam. Hanc tamen hîc ſingulari cum cura expreſſam agnoſces. Imò verò accipies unà me, poſtquam Illi ad has literas poſtrid. Kalend. Januarias Gregorianas reſcripſi, & quæ de operibus à Te editis cognôram, ei indicavi, die 14. Januarii reſponſi loco tuliſſe, deſiderio eum teneri videndi Tuas tabulas, in quibus Te accuratam ſtudiorum rationem propoſuiſſe inaudivit. Has cum hic invenire nequeam, Tuum erit utriuſque noſtrûm votis conſulere. Literas meas ſecundas rectè Tibi eſſe redditas, non dubito. Reſponſurum Te ad eas ſpero. Opus meum feliciter per divinam gratiam procedere, ſcito. Vale Vir Clariſſime & age proſperè in hunc novum annum & plures alios, bono publico.

Rautenſteinius laudatur.

Erga Ravium benevolus.

Quædam ejus ſcripta videre cupit.

XVI.
COMMUNICATIO CUSTRINO-LANGIANA.

Hamburgo Cuſtrinum die 30. Octobris Juliani 1665.

S. P. Vir Nobiliſſime.

DE rebus difficilioribus, è penu locuplete Philoſophiæ depromtis, lubentius Latinè loqui ſoleo. Hæc enim lingua, ut eſt communis per Europam interpres, ita melius rem & terminos artis ore hominis peregrini, alias linguas niſi ad neceſſitatem non callentis, exprimere poteſt. Sed antequam ad rem accedam, paucis excuſandum mihi erit diuturnum ſilentium. A multo jam tempore me tenet non modicus labor, ſuaſu amicorum, quorum auctoritas validis rationibus, præſertim publicæ utilitatis, nixa, inſtar legis mihi eſt, in colligendis & ordinandis, quæ vel ad me vel à me de Cometis nuper viſis ſcripta ſunt, ſuſceptus. Cum enim ad multos de hoc argumento ſcribendum mihi eſſet, multaque viciſſim ab eis acceperim, factum eſt, ut publico iſta paranti non licuerit officio ergà plures amicorum ritè defungi. Cum autem ex literis Tuis die 14. Martii exaratis perceperim Clariſſimum Dn. Mullerum nonniſi poſt alios de Cometis aliquid commentari voluiſſe, æquum cenſui per Te Viro illi Doctiſſimo ſignificare, me paratum eſſe, pro illo, quo ad promovenda rei literariæ commoda & benè de Viris Præclaris merendum,

Latinæ linguæ uſus maximus.

Langio operis ſui rationem Auctor exponit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Mullerum Mathematicum Custrinensem Auctor ad tractandum argumentum Comet cum per Langium invitat.

Phænomenon singulare Custrini 1556 visum.

Chasma.

Cometæ circa ann. 1556.

Temporum circa annum 1556. conditio.

Viciſſitudo rerum in orbe perpetua.

feror ſtudio, commentationem ejus aliis adjungere, quas Clariſſimi & Præſtantiſſimi Viri Hevelius, Bartholinus, Bullialdus, Fornelius, Rudbeckius, Placentinus, Leuneſchloſſius, Gravius, Curtius, Ricciolus, Kircherus, Schotus, aliique mihi ſuppeditarunt, operi meo inſerandas. Velim autem Virum illum eximium nomine meo ſalutatum ad id faciendum invites: tum & conſulas, quid cenſeat de illo phœnomeno, de quo Vir quidem doctus & induſtrius in Commentario Milichii ad 2. lib. Plin. c. 33. ſic annotat: *Quinto die Septembris Anno 1556. viſus eſt Cuſtrini in Marchia fulgor clarus, ſimilis fulgori diurno, & circa horam 9. ejuſdem noctis ſunt viſæ trabes inter ſe aſſurgentes à Marchione Joanne, ipſius Conſiliariis & toto gynæceo, & non procul indè verſus Septentrionem eſt conſpectus innumerabilis numerus ignium, referentium ſpeciem furnorum ardentium, & audita eſt vox ſæpè repetita* O Wehe o wehe o wehe der Chriſtenheit / (*Væ væ væ Chriſtiano orbi*). Velim ex Vobis illîc loci degentibus certò cognoſcere, an hoc phœnomenôn tunc ibi viſum, à veſtriſque hominibus annotatum fuerit. Si huic habenda eſt narrationi fides, conſiderandi erunt eventus chaſma illud (nam ad hoc genus meteorum ignes iſtos nocturnos eſſe referendos, nec non prodigiis accenſendos calamitates nunciantibus, docet Milichius in libro ſecundo Plinii cap. 27.) ſecuti. Tantò magis quod & Cometa illud paulò ante præceſſerit, pluresque annis ſequentibus Cometæ conſpecti fuerint. Ego quidem dum hiſtoriam illorum temporum conſidero, animadverto & triſtia quæ talia prodigia præceſſerint, & læta quæ eadem exceperint. Ut aliàs in orbe, ita & in Chriſtianis Rebuſpublicis hîc naſcuntur, ibi moriuntur Principes: hîc bellum furit: ibi pax floret, his victoria læta & utilis, illis damnoſa & triſtis accidit. Nec ſemper bella, fames, peſtes prænuncios habent Cometas, aliave prodigia. Fateor tamen cum hæc conſpiciuntur, nos officii commoneri, ut Divinum Numen, talia ſigna in cælo exhibens, piâ & purâ mente veneremur. Sed hæc ex inſtituto, volente Deo, in opere meo, præcipuè verò in Hiſtoria Cometarum demonſtrabo. Cui propoſito conveniens ſi quid in ſcriniis veſtris reperiatur, velim me ejus reddatis participem. Vale Vir Humaniſſime, mihique porrò fave.

Ad Dominum Hermannum Langium,
Sereniſſimo Electori Brandenburgico
à Conſiliis.

Cuſtrino Hamburgum die 12. Novembris St. V. 1665.

Generoſiſſime Domine.

Langius benevolentiam ſuam Auctori teſtatur:

Propoſitum Auctoris approbat:

De Mullero reſpondet:

Prodigia illa Cuſtrini viſa eſſe dubitat.

QUas Veſtræ Generoſitati ad me placuit exarare literas ſub dato Hamburgi 30. Octobris, eâ, quâ par eſt, animi obſervantiâ probè accepi, in quarum lectione dubius hæſi, utrùm plus humanitatis, an verò eruditionis in iiſdem admirari debuerim, præſertim ratione materiæ præſtantiſſimæ, quam ſibi de Cometis curioſè elaborandam video elegiſſe. Nec facilè quis reperietur tàm rudis aut incivilis, qui ſcopum illum, quem Veſtra Generoſitas hoc modo intendit, & in calce literarum ſuarum indigitat, mecum non judicabit, omni laude digniſſimum. Doleo ſaltem hoc unicum, me Veſtram Generoſitatem voti ſui & deſiderii compotem reddere non poſſe, cum Medicus & Aſtronomus noſter hîc Dominus Doctor Mullerus ad uſque de Cometis antehac viſis, nihil, de quo mihi quicquam conſtaret, in lucem ediderit, impeditus fortè aliis negotiis, aut contentus tot præjudiciis hâc de re à pluribus Viris doctis in medium prolatis. Cæterùm prodigia, quorum in literis facta eſt mentio, creduntur potius ab opinione & imaginatione vulgi profecta, quàm reverà tot circumſtantiis hîc locorum unquam viſa, multò minùs obſervata fuiſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

fuiſſe. Sufficiant nobis Cometæ proximè precedentes, aliaque nihil boni ominantia ſigna, ad pænitentiam ſeriò agendam monitoria: ſiquidem dubitare nos haud patiantur, quin ſint ex iis, quæ antè mundi interitum, teſtantibus ſacris paginis, erunt apparitura. Deus Ter Opt. Max. gratiâ ſuâ & Spiritu Sancto nos beare, & imminentia mala ab univerſâ Chriſtianitate, miſerè hinc inde afflicta, averruncare clementiſſimè dignetur, cujus tutelæ Generoſitatem Veſtram, me vero ejuſdem favori nunquam non duraturo hiſce commendo.

Cometæ nihil boni ominantur.

Sunt ex ſignis mundi finem prænunciantibus.

Hamburgo Cuſtrinum die 27. November S.V. 1665.

POlitioris humanitatis documentum præbent mihi, Nobiliſſime Domine, Veſtræ die 12. November Juliani ſcriptæ. Quas ut antè octiduum accepi, ita inter aſſiduos non tantùm labores, ſed & capitis dolores, ab aliquot diebus ſubortos, debito reſponſo mox honorare & penſare haut potui. Quas excuſationes Nobiliſſimam Dominationem Veſtram admiſſuram non dubito. Fateor me quoque illi de viſo ad Cuſtrinum phœnomeno annotationi plenam fidem non adhibuiſſe. Volui tamen ad Vos illic loci degentes eâ de re referre, veſtramque ſententiam explorare. Omninò verò nobis vel ſoli ſufficerent Cometæ, lucidiſſima & eximia cæli ſigna, nobis dico ad vitam emendandam admonendis, ſed non tantum læva, verùm etiam dextra omina & auguria ex cincinnatarum ſtellarum adſpectu captatantibus. Has enim non tantùm minis malos & improbos horrore ferire, ſed & bonis ſpes, probis gaudia ferre, ex divinæ æquitatis ratione omninò eſt mihi perſuaſum. Et certè plena ſunt hiſtoriarum monumenta, Cometas lætorum quoque eventuum comitatu fuiſſe commendatos. Omnes interea officii per talia notabilia portenta admoneri tàm eſt certum quàm quod certiſſimum. Atque hâc ratione Cometas & alia ſigna cæleſtia contemplanda & conſideranda eſſe, ut ſcilicet metu numinis mortalia pectora ducantur, ſeorſum tamen pii gaudio, impii terrore afficiantur, omninò pium & ſalutare judico. Sed de his omnibus, volente & favente Deo, ex profeſſo in Theatro Cometico, præcipuè verò in Hiſtoria Cometarum agam. Huic honeſto & pio inſtituto juvando, ſi Clariſſimus Dominus Mullerus quidqiam præſtare & in medium conferre voluerit, honeſtè profectò mihi gratificabitur. Neque verò ego aliquid jam vulgatum & publici juris factum ab eo exſpecto, ſed ſingulare prorſus & cæptis meis conveniens. Atque id id ex inſtituti ratione facio, imò & ex induſtria aliquot Viros eruditione celebres, imperio Sereniſſimi Electoris Brandenburgici (quem ego Principem ob Juſtitiæ & Sapientiæ ac virtutis ſtudia, aliaſque cauſſas ſingulares, maximi facio) ſubjectos, eo nomine compello, & in Senatum, ut ſic dicam, Philoſophicum invito. An fruſtrà hîc ſim futurus (nondum enim hinc & illinc impleta ſunt vota mea) nec ne, tempus docebit: officium quidem meum hactenus me feciſſe res ipſa & æquitas teſtabitur. Voto Tuo pio, pro publico orbis Chriſtiani miſerè bellis internecinis concuſſi, & quod non temerè veremur, concutiendi paulò poſt, ni Deus prohibeat, bono, meum ſincerum & ſupplex ac aſſiduum adjungo. Sed & pro Tua Tuorumque ſalute & proſperitate idem ſeorſum facio.

Cometæ boni & mala ominantur, illa bonis, hæc malis:

Omnes autem officii admonent.

Cometarum æqua ſignificatio aſſeritur bono publico.

Mullerum Cuſtrinenſem Mathem. rurſus Auctor operâ Langii invitat.

Electorem Brand. ſingulari elogio & cultu Auctor proſequitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XVII.

COMMUNICATIO REGIO-MONTANA.

Hamburgo Regiomontum die $\frac{3}{13}$ Martii Anno 1665.

S. P. Vir Clariſſime & Doctiſſime.

LIbertatem, quâ in Te literis compellando utor, non puto mihi apud Te multo rationum apparatu eſſe defendendam, ſi vel audaciæ alicujus à quopiam accuſetur. Excuſat abundè eam ipſa humanitatis conditio, quæ homini ad hominem aditum conciliat. Sed & liberalium ſtudiorum ratio, quæ & eos, quibus naſcentibus iniquior modeſtia adſtitit, manſuefactos ad æquitatem omnemque probitatem componit, & vel toto, quod ajunt, cælo diſſitos, benevolentiæ vinculo connectit. His omnibus nova accedit cauſſa, nuper ſcilicet viſus in cælo Cometes, quô conſpectiorem non noſtra tantùm, ſed nec parentum vidit ætas. Major enim illo anni 1618. qui tamen inſignis fuit, à multis judicatur. Cum autem Urbs hæc Gymnaſium quidem celebre, & in eo Clariſſimum Joannem Mullerum, Matheſeos Profeſſorem, aliosque Viros, ut omni literaturâ, ita ſpeciatim Mathematicæ rei ſcientiâ conſpicuos, nullas tamen Aſtronomicas machinas (quas ignavia artificis nobis adhuc invidit) habeat, ita ut nonniſi nudis oculis factæ Obſervationes haberi hîc poſſint, varios Viros doctos, inprimis rei Mathematicæ peritos, ut eo nomine compellarem æquum judicavi. Non enim diffiteor hanc felicitatem mihi divino munere obtigiſſe, ut inter bonarum literarum cultores ſim poſitus, potiori vitæ parte in tractandis ſtudiis domi foriſque locatâ. Quapropter poſtquam Clariſſimos ſeculi noſtri Aſtronomos, Joannem Hevelium, Iſmaëlem Bullialdum & Eraſmium Bartholinum alioſque nonnullos mihi notos & amicitiæ nexu devinctos ſuper hâc re conſului, volui & de facie ignotos, nominis tamen famâ & eruditionis laude notos, adire & compellare. Quos inter, eoſque præcipuos, Tu mihi, Vir Eximie, ponendus es, quem patria & conditio mea, fortè & nomen gentilitium, non latebit. Ut autem Tuam benevolentiam & ſolertiam, meâ qualicunque provocem, & ita confidentiùs mutuam officii vicem abs Te exſpectem, inter tot, quæ de illo phœnomeno dici poſſunt, ſumma ſequar faſtigia rerum & compendio referam, de quibus cum Viris doctis & Mathematicis egregiis uſque adhuc confero. Origo Cometæ primum ſibi vendicat locum. Hanc illi diverſam aſſignarunt Mathematici, & adhuc aſſignant ii quibuſcum contuli. Ampliſſimus Dominus Guerichius, Conſul Magdeburgenſis, novorum inventorum famâ celeberrimus, per filium ſibi cognominem Sereniſſimi Electoris Veſtri Conſiliarium Digniſſimum, & Reſidentem hâc in Urbe Splendidiſſimâ, Amicum meum ſingularem, aliquoties rogatus mentem mihi ſuam hîc primus aperuit. Statuit ille Cometas oriri ex procellis, quæ ex tèrræ cavernis erumpentes, & in ſublime delatæ, particulam aëris cum impetu avellant & ſurſum rapiant. Atque tùm aërem leviorem reddi ſtatua vitro aëris vacuo incluſâ & deorſum tendente, quod & ego hîc apud Nobiliſſimum filium ejus ſæpè

Libertas convenit homini, præſertim bonarum artium amanti.

Literæ homines ad virtutem erudiunt.

Cometa 1665. major illo anni 1618. judicatur.

Hamburgenſis gymnaſii & urbis laus.

Auctor in vita ſua ſtudia humaniora & literarum cum Viris doctis commercium libenter colit:

Quas cauſas ad compellandum Concium habuerit.

Cometæ origo varia à variis aſſignatur.

Guerichii de origine Cometæ ſententia:

Ejus filius Miniſter Brandenb. Electoralis:

Anemoſcopium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hypotheſes de Vacuo & motu terræ:

ſæpè vidi, demonſtrare ſe, geminâ hypotheſi perquam arduâ de *Vacuo* & *Motu Terræ* præſtructâ, affirmat. Illam porrò aëris particulam ſurſùm delatam radiis ſolaribus illuſtrari cenſet.

Diviſio Cometarum in caudatos & crinitos,

Indèque fieri, ut tùm caudati Cometæ in ſupremâ aëris regione, quæ nihil præter auram ſit, tùm criniti Cometæ ſive Roſæ, extra auram in ſpatio puro conſiſtentes à nobis videantur.

Quorum illi ſint mobiles.

Et caudatos quidem beneficio auræ hùc illùc mirabiliter ferri, ut judicio noſtro habeant caudas; quæ nil niſi aura radiis Solaribus per corpus Cometæ illuminata, Cometam ambiens, ſint.

Hi fortè immobiles, niſi tamen terræ motus, vel Solis attractio motum eis det:

Crinitos verò extra auram conſiſtentes, à terra & ambiente eam aëre ſeparatos eſſe, indèque nullas caudas habere, & fortè quieſcere, motu terræ annuo motum eorum efficiente, niſi & Sol attractione ſuâ alium præſtet, pronunciat. Hìc ego primùm judicium Tuum, Vir Clariſſime exquiro: quid nempe ad hanc novam ſententiam dicturus ſis?

Quæ ſententia comparatur cum illa Epigenis, tum Apiani, Cardani & Scaligeri.

Expendes autem hìc, annon ei faveat illa Epigenis apud Senecam libro Natur. Quæſt. 7. c. 3. & 6. tùm apud Libavium Tract. probl. de Comet. nec non Apiani apud Keckerm. Syſt. Phyſ. capite de Cometis, & Cardani apud Scalig. Exerc. 79. ſed & ipſius Scaligeri, quam ibidem expreſſit: ac præterea ſitus Cometæ, qui ſemper caudam, inſtar Heliotropii, Soli obvertat?

Gravii de Cometis ſententia.

Clariſſimus Abrahamus de Grau, in Academia Franeckerana Matheſeos Profeſſ. in literis ad me ſuis judicat Cometas eſſe ſidera maculis intexta, vago & irregulari motu protrudi ſolita, eaque non conſumi, ſed altius in ampliorem cæli circumferentiam tendere.

Bullialdi laus, & de Cometarum materia ſententia.

Tandem Clariſſimus Bullialdus, quamvis Vir multâ & ſolidâ eruditione Excellentiſſimus, tamen in literis ad me paulò ante datis, hoc ſolum de Cometis ſtatuit, materiam eorum eſſe ætheream & galaxiæ non abſimilem, & quæ plura de hâc re dicantur, demonſtrari non poſſe. Tu fac, Vir Doctiſſime, ut ſententiam Tuam hâc de re cognoſcam.

Cometæ motus varius à variis tribuitur:

Nec non de motu Cometæ: ſitne ſcilicet circularis vel epicyclicus vel rectilineus, vel, ut Gravium dicentem audiviſti, vagus & irregularis?

Tùm effectus triſtes.

tùm verò & de effectis Cometæ. Video enim multos multa & horrenda ex illo phœnomeno in orbem divinando & præſagiendo deducere. Sunt qui habenis ingenio laxatis, curioſitati indulgeant.

Aſtrologicæ prædictiones curioſæ ex ſignis cæli, quæ Cometes hyemalis 1664. & 1665. peragravit, petitæ.

Et hi quidem ex Dodecatemorio Libræ (ſub quo veteres Aſtrologi religionem & juſtitiam collocarunt) bellum religionis: illi verò ex dodecatemoriis Tauri & Arietis Cornupetarum, tùm ſideribus Hydræ aquaticæ, Argo navis, Orionis pugnacis, ſcuto & clavâ Taurum ferocem impetentis, Eridani fluvii & Ceti, bellum, idque navale portendunt: alii & ad Corvum Gallumque alludunt.

Quæ quidem omnia ingenioſè & ſpecioſè dicta ſunt, parùm tamen, vel nihil; ſolidæ veritatis in ſe habent. Niſi & divinis quodammodo repugnent oraculis.

Signa cæli non quærenda, non timenda, nec tamen temnenda, ſed fruenda.

Hæc enim docent ſigna cæleſtia nec eſſe quærenda perverſorum, nec metuenda impiorum more: ſed nec temeraria curioſitate violanda recondita illa temporum momenta, & arcana divinæ ſapientiæ, cujus menſura eadem quæ arenæ maris, & judicia abyſſus magna. Fateor tamen ſigna cæli nequaquam ſpernenda, ſed potius in divinæ juſtitiæ documenta & noſtri officii incitamenta eſſe vertenda.

Bellum Anglo-Belgicum nihil ad Cometam.

Cæterùm ſi vel illas ipſas Aſtrologorum prædictiones animadvertamus, ſignum libræ nihil ad Britannos Batavoſque habet. Atqui tamen iſti duo populi bellum atrox gerere cœperunt, quod & ante Cometas videmus. Ideò prædictio de illo nulla eſt. Adhæc illud de regione non de religione (hæc enim utrique genti eadem eſt) geri cœptum. Ita ſignum Libræ nihil hìc portendit.

Anglia & Hollandia quibus cæli ſignis ſubjectæ:

At verò dicunt, ſigna Tauri & Arietis aliaque, quæ Cometa nuper permeavit vel attigit, portendunt multa, tantò magis cum Anglia Arieti, Hollandia Cancro ſubjecta ſit. De Cancro quidem inter argutas illas prædictiones nulla fit mentio.

Ex his compoſita decreta & præſagia vana alibi conſpiciuntur.

Sed ideonè Angliæ & Hollandiæ mala portendit Cometa, quòd illis Zodiaci ſignis ſubjaceant? Cur non autem aliis regnis, rebuſpublicis & urbibus ſimul, quæ iiſdem ſignis ſubjectæ ſunt, & ut altiſſimâ pace fruuntur, ita omnis proſperitatis copiâ ad invidiam uſque abundant? Ut Germania, Gallia, Burgundia, Suevia, Sileſia ſuperior, Scotia, Bohemia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Bohemia, Ruſſia, Marchia, Neapolis, Florentia, Brunſuicum, Venetiæ & tot aliæ. Demus tamen tantiſper arguta illa præſagia, firmo, ut ſic dicam, ſtare talo, cum omnibus orbibus cæleſtibus ex hypotheſi Copernicana. Hìc primùm miror neutri genti aſſignare notiſſimam virtutem Leonis, quam non tantùm inſignia, ſed & res utriuſque terrâ marique fortiſſimè geſtæ oſtentant. Et ſi quis illorum argutorum illi Arietem huic Cancrum deſignet, utraque idem ei, quod olim corpore parvus, animo & factis ideò & cognomine Magnus, & pede claudus, ſed mente rectus Rex Spartæ Ageſilaus, Regi Ægypti reſpondit:

Ψανήσομαι δέ σοι πότε Λέων.
(id eſt, Videbor tibi aliquandò Leo.)

Dein quid fiet reliquis Zodiaci aliiſque cæleſtibus ſignis quæ vel tranſivit vel attigit Cometes? Virginis ſcilicet, Cancri & Geminorum: tùm Crateris, Canis Majoris & Leporis. Mirabilem profectò belli & caſtrorum rationem ex cæleſtium ſiderum adſpectu deſignabimus, & omninò novos militum faciemus delectus, iiſque inſolentes præficiemus Duces. Hinc quidem cuncta in Juſtitiæ Libra appendentes, & ſimul Corvorum more rapaces ac irreconciliabilia bella, ut Corvi cum milvis gerentes, Taurorum ritu feros, Arietibus & Leonibus ſimul ſimiles, Gallorum inſtar vigilantes & pavidos, quibus illud conveniat *Signa, quæ Cometes tranſivit, examinantur, & quàm vanæ ſint nonnullorum argutiæ ex illis petitæ, demonſtratur.*

Pavidus refugit more Gallinacei
Cum victus alas ille ſubmittit ſuas,

denique Oriona pugnacem, totum armatum, & hoſti imminentem referentes. Illinc verò effeminatos, imò ut vetus fert verbum, ad reducendam gynæcoſtratiam, mulieres Imperatores & mulieres milites, muliebri animo & dicacitate impudenti præditos, de quibus illud Heliodori dici queat, Τὴν γυναῖκα νεκρὰν καὶ ζώτην ὑποφύγων ὁ γενναῖος καὶ Ἀττικὸς πεζομάχος. (id eſt, Terga dediſti mortuam fœminam fugiens, tàm ſtrenuus & Atticus miles) & quorum omne robur & Mavors ventoſa in lingua ſit, Delphici gladii inſtar, ancipiti. Tùm odoribus exoticis delibutos, quos Veſpeſianus Imperator aliud oboluiſſe maluerit, & Stephanus Bathoreus meretricios odores olere dixerit. Sed & Cancrorum more tardos, (nihil ineptius de inimitabili Batavorum ſolertia dici poteſt) ſemper retrogradientes, cuncta præpoſtero ordine agentes: tenellos Gemellorum inſtar, ſed & qui ament delicatos & ſodales Veneris crateres, urnæ capaces, mero plenos, quibus evacuatis verbigerantes, ut cum Apulejo loquar; ipſum Alexandrum, ut illi apud Venerem Hiſtoricorum, ſuper menſa ſint debellaturi. Adhæc rabidos & impudentes canum ritu: tandem qui non tantùm oculos Canis (quod olim Achilles in Agamemnonem apud Homerum torſit convicium) ſed & cor Leporinum habeant: qui ſcilicet inter medios Lepores gratiam corporis in ſeptem dies conſervaturos, & exquiſita cœnarum ingenia inertem vitam conſumere nati, ubi in caſtra venerit galeati ſint Lepores, vel à Cornificio Poëta appellandi. Quod ſi illi hos milites in diverſa (verius adverſa) diſpeſcant caſtra, & tàm contrarios duces præeſſe illis jubeant, miror adeò repugnantia ex unius Cometæ apparitione provenire poſſe, & bellum geri dum de bello apparitione illâ præſignificato ſermo eſt. Nempe igitur cæleſtia ſigna nec temnenda, nec timenda, ſed naturalibus cauſſis adſcribenda, nihilo tamen minus, & indicia juſtitiæ divinæ bonis bona, mala malis expedituræ contemplanda, & ut melioris genii incentiva ducenda ſunt. Equidem ſi hiſtoriam omnis ævi teſtem audiamus, dicet hæc multa mala citra ullam Cometarum apparitionem, multa etiam bona poſt eam mortalibus eveniſſe. Et hoc quidem Ariſtotelis, Chæremonis aliorumque veterum Philoſophorum judiciis confirmari facilè poteſt. Sed ego deſino ſcriptionis ac ſententiam Tuam hîc quoque præſtolabor, paratus ferre in quolibet ut in ſacris, ita multò magis in profa-

Timidi & dicaces milites.

Neglecta forma Virum decet:
Corpus eulcarum, boneſtum ei vile.
Batavorum laus.

Signa cæli nec timenda nec temnenda, ſed fruenda.
Hiſtoria multa mala citra Cometas prodit:
Multa etiam bona ab eorum apparitione.

nis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Libertatem æquo fer animo.

Cometa hyemalis an unus vel geminus.

nis, in quibus citra periculum ſalutis æternæ errare datur, modeſtam diſſentiendi libertatem, quâ ipſe in alios utor. Unum tamen reſtat, quod præterire non poſſim. An fuerit unus idemque Cometa nuper à nobis conſpectus? an verò duo diſtincti? *Aſtronomi certant & adhuc ſub judice lis eſt.* Duos fuiſſe, ſitus Cometæ, apparitionis tempus & motus proprius ſuadet. Atque ita vix unus Cometes utrobique apparuiſſe vix etiam intra aliquot (novem ſcilicet) dies 82. gradus emetiri potuiſſe videtur. Quæ cauſa eſt cur non pauci Viri Præſtantes & rei Aſtronomicæ gnari, prout ex diverſis Germaniæ locis, nec non Holmiâ & Dublino accepi, ſtatuerint duos fuiſſe viſos Cometas. Horum opinioni fidem adſtruere conatur nonnullorum narratio, qui ſe duos diſtinctos Cometas, alterum manè, alterum veſperi vidiſſe referunt. Atque id ipſum, diverſum ſcilicet apparitionis tempus, duos fuiſſe Cometas, ſuadere poterat iis etiam qui duos ſe unâ nocte diſtinctim vidiſſe non poterant. Tùm verò & motus diverſus altero in Auſtrum, altero in Boream directo curſu & peragente motum proprium, ab illo qui cuncta ad occaſum rapit, ſaltem apparenter diverſum. Sed nec rationes, nec narrationes iſtæ tantùm fidei apud multos, quantum accuratiſſimæ, Magni illius Aſtronomi Joannis Hevelii Veſtri Vicini, Obſervationes meruerunt. Adeò ut quidam, & quidem Nobiles Mathematici, harum cauſâ palinodiam canere non erubuerint. Tu quid hîc ſententias, fac ut cognoſcam. Fieri enim poterit, ut commodo tempore de his, ſi Deus voluerit, aliquid publici juris faciam, collectis ſcilicet non paucorum Virorum, doctrinâ multiplici & ſingulari rerum Mathematicarum ſcientiâ Clariſſimorum, & alioqui prudentiæ laude conſpicuorum obſervationibus, narrationibus & judiciis. Quod opus non foret credo, Orbi literario ingratum vel inutile. Neque verò puto ullâ ratione Tibi tantis Viris accenſeri fore dedecori. Vale, Vir Clariſſime, & inire mecum amicitiæ fœdus ne dedignare.

Hevelius laudatur, Unum tantùm Cometen hyeme viſum affirmat, & fidem invenit etiam apud diſſentientes.

Auctor inſtituti ſui rationem Concio aperit: Ab eo reſponſum poſtulat.

Ad Dominum Concium,
Math. in Alma Regiomont.
Acad. Profeſſ.

Tui obſervantiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

XVIII. COM-

XVIII.
COMMUNICATIO LUGDUNO-BATAVA.

Hamburgo Lugdunum Batavorum die 19. Decembris Gregor. 1664.

S. P. Vir Clariſſime & Doctiſſime.

ETſi homo peregrinus, cujus amicitiæ ante XV. annos initæ memoria fortè Tibi exciderit, Te per literas compellare audeam, non puto tamen id mihi à Te vitio verti poſſe. Nam homini honeſto, ingenuo, humaniorum literarum amanti, & ad omnes ſibi æquales, imò & ad ſe tùm natalium ſorte, tùm dignitate, tùm eruditione ac meritis ſuperiores, aditus ſemper & ubique gentium patuit. Sed eundem & notabilis de Cometa, qui nunc in cælo ab aliquot diebus fulgere conſpicitur, quæſtio, de qua ubivis locorum docti pariter & indocti conferunt, mutuo mihi ad te præſtruit. Ut autem videas me ſtudio quoque Aſtronomico delectari, mitto Tibi, quæ de hocce Cometa his diebus ad hanc uſque horam à Viris Eruditis, & ut aliarum, ita & Mathematicarum rerum ſcientiâ præclaris coram vel per literas accepi, quæ facilè, ut ſpero, mutuam Tuam benevolentiam & diligentiam ad judicium de hac re ferendum excitabunt. Tu pro Tua egregia eruditione & humanitate fac ut brevi judicium tuum cognoſcamus. Vale.

Auctor unum de Profeſſoribus Leidenſibus de argumento Cometico compellat olim ſibi notum & amicum.

Cometæ apparitio omnium in ſe ora & ſtilos convertit.

Hamburgo Lugdunum Batavorum die $\frac{3}{13}$ Januarii 1665.

S. P. Clariſſime & Doctiſſime.

TE & vivere & Dei gratiâ rectè valere (quo nomine Tibi multum gratulor) nuper intellexi. Nam ut Te inexſpectato ſcripto conveniam, facit Cometes qui primum in hac urbe die 3. 13. Decembris à vigilibus, & demum ab aliis viſus fuit. De quo cum variorum Virorum Doctorum & Aſtronomiæ peritorum Obſervationes & judicia habere deſiderem, non dubito me pro Tua quoque parte voti compotem evaſurum. Id enim mihi pollicetur non tantùm ſingularis Tua rei Aſtronomicæ peritia & eximia humanitas, ſed & illa vetus noſtra amicitia, cujus memoriam gratam retineo. Porrò an Cometa, qui nuper apparuit in capite Leporis, idem ſit cum illo priore qui apparuit ad roſtrum Corvi necne, video Clariſſimos etiam Aſtronomos ſententiis diſcrepare. Clariſſimus Hevelius, R. D. Curtzius & qui hîc Profeſſorem Matheſeos agit, Clariſſimus Joannes Mullerus, judicant unum eundemque eſſe: Accepi Hafniæ nonneminem eſſe in Aſtronomicis verſatum, qui ſtatuat hunc à priore eſſe diverſum. Clariſſimus Bullialdus literis ad me die 2. Januarii datis nunciat die 31. Decembris novam ſtellam, quamvis albicantis coloris non longe à pede Orionis ſiniſtro Rigel apparuiſſe, ſed ſe eam non putare eſſe Cometam. Velim itaque mihi mentem Tuam hîc aperias, tùm & tuas obſervationes, quæ non poſſunt

Kechelium de Cometico argumento Auctor conſulit,

Facti rationem reddit.

Kechelius laudatur,

Jam olìm Auctori amicus.

Cometa in Corvo & Lepore an unus vel geminus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

non ſingularem diligentiæ laudem mereri, mittas. Mutuam officii vicem Tibi referam pro tenuitate ingenii & operæ meæ. Vellem etiam ex Te cognoſcere, an aliquid de hoc phœnomeno typis publicis apud vos ſit vulgatum, & an audiveris eſſe quendam Aſtronomum Hullis Saxonum, qui ante biennium circiter Cometam hunc apparituram prædixerit? tum quid Tu de tali prædictione ſtatuas, quodve ejus fundamentum eſſe putes. Ampliſſimus Dominus Otto Guerichius Conſul Magdeburgenſis, multis ſingularibus inventis & operibus artificioſiſſimis clariſſimus, (quod à Nobiliſſimo Filio ejus Dn. Reſidente Brandenburgico hac in urbe agente habeo) etiam octo hebdomadibus antequam Cometa apparuiſſet, eundem conſpectum iri prædixit, beneficio ſcilicet Statuæ, quæ vitro incluſa in vacuo conſtitutionem aëris indicet. Ille enim affirmat Cometas provenire ex procellis particulam aëream avulſam ſurſum deferentibus, ut ibi ſplendorem à Sole mutuetur. Si & de hac ſententia judicium tuleris, rem certè mihi gratiſſimam, Tuique nominis famâ dignam feceris. Vale & age feliciter, non tantùm in hunc novum annum, ſed & in plures alios, & conſtanter fave.

Cometam anno 1664. apparituram nonnemo prædixiſſe fertur.

Guerichius pater laudatur,

Appariturum Cometam aliquot ante hebdomadis auguratus eſt,

Beneficio ſui anemoſcopii,

Ex procellis avulſa aeris parte Cometas generari ſtatuit.

Ad Dominum Samuelem Carolum Kechelium, Mathem. Leidenſem.

Tui obſervantiſſimus & ſtudioſiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Hamburgo Lugdunum Batavorum die 10. *Februarii* 1665.

Leydenſem Profeſſ. novis literis Auctor convenit.

Auctor inſtituti ſui rationem Leidenſi Profeſſori aperit,

VIventi mihi à triennio in hac urbe, loco ad colendum cum Viris doctis & præſtantibus quaquaverſum commercium literarum commodiſſimo, licuit adhuc de Cometa qui nuper in cælo viſus eſt, cum iiſdem conferre. Horum obſervationes & judicia varia ad manum habeo, & futuro, ſi Deo viſum fuerit, uſui aſſervo. Joannem Hevelium, Iſmaëlem Bullialdum, Eraſmium Bartholinum, Albertum Curtium, Clariſſimos ſeculo noſtro Aſtronomos, ſed & alios Viros ut multa eruditione, ita & ſiderum notitiâ inſtructiſſimos hic & alibi viventes intelligo. Dederam autem è veſtigio, conſpectô ſcilicet illô phœnomenô, ſuper eo & ad Te & ad Clariſſimum Gravium literas. An verò ad Te illæ meæ operâ Amici Amſterodami agentis pervenerint, nondum ſcio, nec mihi vel in has literas inquirere, vel novas exarare adhuc licuit, ob varia, quæ me ſemper circumſtant & premunt, negotia, & nonnulla itinera quæ nuper peregi. His itaque compellare Te volui, nupero Clariſſimi Gravii reſponſo beatus, ut & tuas obſervationes judiciumque de illo phœnomeno cognoſcerem. Quod ut mutuâ provocem induſtriâ, tanquam bonarum literarum cultor & omnis veritatis inquiſitor, brevem ſtudii & conatus ſuper hâc re mei, ſicut & progreſſûs in eo facti narrationem accipe. Primum nocte præcedente die 13. Decembris nuper elapſi (ſtylum Gregorianum hîc ſequor, quem & vos in Hollandia ſequi ſcio) Cometa hic à militibus excubias agentibus, ſequenti demum die manè ab aliis, præcipuè à Clariſſimo Joanne Mullero Matheſeos in Gymnaſio Urbis hujus Profeſſore, viſus eſt. Apparuit ille in plaga Auſtrali dodecatemorio libræ, ad roſtrum Corvi, quod ſatis notum eſt. Obſervatus eſt & curſus ejus, præter illum communem, quo ad occaſum cum primo mobili omnia feruntur, proprius, quod me & multis aliis melius noſti. Ita inter nubium, quandòque omnem ſiderum conſpectum, tum verò & phœnomeni noſtri obſervationem impedientium, hiatus conſpectus nobis eſt aliquoties ad diem 21. Decembris. Hac die caudam ejus longè maximam, utpote in tribus ſtellis illis medium Hydræ ventrem conſtituentibus ſe terminantem, vidimus. Deindè die 30. Decembris ſed non amplius ante ortum, quin potius poſt occaſum Solis, obſervavimus Cometam plaga inter Meridiem & Orientem media ad oculum Leporis, in dodecatemorio Geminorum. Situs ejus à priori graduum

Silentium ſuum excuſat,

Reſponſum ejus poſtulat,

Studiorum & conatuum in hac re ſuorum rationem ei exponit.

Cometa quo die primum Hamburgi viſus,

Ejus ſitus,

Motus,

Cauda maxima:

Idem ex matutino veſpertinus factus,

Ejus ſitus,

A priori diverſus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

duum plurium longitudine diſtans, tum & apparitionis tempus diverſum, ſed & motus diverſus (proprium Cometæ motum intelligo) fecerunt, ut plures Viri docti & præſtantes Aſtronomi duos diſtinctos Cometas opinati fuerint. Ipſe Albertus Curtius in ea nuper adhuc fuit ſententia, quam etiam uſque adhuc tuetur. Clariſſimus Adamus Olearius, Sereniſſimo Duci Holſatiæ Chriſtiano Alberto à Bibliothecis, ſtupendi illius Globi utriuſque, qui Gottorpii aſſervatur, inventor, quem nuper admodum allocutus ſum, & ſuper hac re cum eo contuli. Invenit præterea hæc ſententia hîc & alibi (de Germania & Suecia certus ſum) ſuos defenſores. Eandem confirmare nititur narratio, quam ex Germania & Suecia de duobus Cometis manè & veſperi una nocte conſpectis accepi. Sed Clariſſimus Hevelius binis ad me literis unum eundemque Cometam, qui ad diem 28. Decembris ferè 56. gradus emenſus fuerit, & Canem Majorem, Leporem, Eridanum & Cetum tranſiens ad Caput Arietis uſque pervenerit, eſſe aſſerit. Non diſſentit ab eo Clariſſimus Bartholinus, cujus pleniorem ſententiam brevi exſpecto. Idem poſtremæ Clariſſimi Bullialdi literæ die 23. Januarii datæ teſtari videntur. Clariſſimus Mullerus noſter firmis rationibus unum eundemque Cometam eſſe aſſerit, tùm verò & Clariſſimus Joannes Albertus Huſvedelius Med. Doct. & Inclytæ hujus Civitatis Phyſicus Ordinarius, Vir profectò magnæ eruditionis & ſiderum ſcrutator. Clariſſimus Michaël Kirſtenius Med. Doct. Vir itidem literis egregiè imbutus, ea de re diverſum adhuc ſentire videtur. Cometam primum aliquot hebdomadis in Anglia priuſquam apud nos viſum eſſe fama ad nos detulit. Cui an fides ſit habenda, ut præſtolor literas ab Amico Londini agente, ita cupio ab eo, ſed & abs Te, quem talia latere non poſſunt, edoceri.

Nec non motus proprius. Cometæ hyemalis gemini defenſores, eorumque rationes. Olearius laudatur, Globi ſtupendi inventor, Duos hyeme Cometas viſos eſſe contendit. Hevelius pro uno Cometa hyemali ſtat. Batholinus & Bullialdus Hevelio aſſentiunt. Mullerus cum Hevelio unum Cometam hyeme viſum ſtatuit. Kirſtenius laudatur, Duos Cometas hyeme viſos putat. Cometa prior quo tempore apparuerit.

Cæterùm ut aliquid novi de origine Cometæ ad Te perſcribam, & ſuper hoc Tuum judicium exquiram. Ampliſſimus Dominus Otto Guerichius, Conſul Magdeburgicus, Vir ingenio & admirandis inventis Clariſſimus, dico ardua & tantoperè diſputata de motu terræ, & ſpatio vacuo principia fundamenti loco præſupponit. Demùm aſſerit Cometam eſſe particulam aëris avulſam, & excitari à magnis tempeſtatibus, quæ ex barathris montium & ſpeluncis terræ aëra petant, ac particulam aëris cum impetu abrumpant inque ſublime rapiant, ac propterea aërem leviorem (quod ſe ad oculum ſtatua vitro aëris vacuo incluſa, & coortis tempeſtatibus inferiores partes petente demonſtrare aſſerit) reddant. Illam dehinc aëris particulam cum procella ſurſum elevatam à Sole illuſtrari docet: ita ut à nobis Cometæ modo Caudati in ſuprema aëris regione, quæ nil niſi aura ſit, modo criniti extra auram in ſpatio puro conſiſtentes conſpiciantur. Et illos quidem beneficio auræ hùc illùc mirabiliter circumvagari, ut in mentibus noſtris habere videantur caudas, quæ nihil aliud ſint quàm per corpus Cometæ illuminata aura Cometam ambiens. Hos autem extra auram exiſtentes à terra & ambiente eam aëre ſeparatos eſſe, indeque nullas caudas habere, & fortè quieſcere, motu eorum ex motu telluris annuo proficiſcente, niſi & Sol attractione ſua eis alium motum præſtet. Atque hæc eſt Domini Guerichii ſententia; cui an illa Apiani apud Keckermanum Syſt. Phyſ. c. de Cometis, & Cardani apud Scaligerum exercit. 79. tum & ipſius Scaligeri ibidem expreſſa, nec non Epigenis apud Senecam N N. Q Q 7. c. 3. & 6. & Libavium tract. problem. de Comet. nat. pag. 44. faveant, velim ex Te cognoſcere, cujus judicium maximi hic faciam. Porrò dictus Dominus Guerichius in hanc potius ſententiam, unum eundemque fuiſſe Cometam inclinat. Sed nec ille nec ullus eorum, quos antea nominavi, ad formandas ex Cometa prædictiones animum appulit. Nempe hoc Aſtrologorum non Aſtronomorum eſt. Tu noſti vetus illud. *Nova ſtella, novus Rex, nova Religio.* Sed & ſine Cometarum apparitione hìc vel illìc, etiam in plaga mundi ſigno Zodiaci, in quo Cometa apparet non ſubjecta, mortuo Rege Sene, vel aliàs vitioſâ & corruptâ conſtitutione, omnem Medicæ ortis induſtriam eludente præ-

Guerichius pater laudatur, Terram moveri & vacuum dari, Cometamque ex avulſa tempeſtatibus aëris particula generari ſtatuit: Ejus anemoſcopii inventum, Cometarum in caudatos, mobiles, & crinitos fortè immobiles diviſio. Guerichii de Cometis ſententia comparatur cum ſententia Epigenis, Apiani, Cardani & Scaligeri: Idem unum tantùm Cometam hyemalem ſtatuit.

Ffff 2 dito,

Rex valetudinem ſuam curet, oportet.

dito, & ad plures tritâ illâ omnis carnis viâ profectò, Rex novus ſuccedat oportet. Pariter novi aliqui in religione motus, ita ferente humani ingenii libertate vel etiam fragilitate, dari poſſunt in ejuſmodi, ut dixi, mundi plaga, longè latèque ſe extendente. Patet hoc cuique rerum ipſarum conſtitutionem & viciſſitudinem hîc & illìc acriter contemplanti. Indè videmus & mortem Regis alicujus & novos religionis, præſertim cum potens ambitio diverſam ſequitur, ſuiſque rationibus aptat (licet & vinculis ejuſdem religionis rumpendis acerrima bella non abſtineant) motus, abſentibus etiam Cometis meritò à cordatis metui. Horum enim perſpicax & induſtria prudentia menſuram rerum manu tenet dextrâ. Fateor Deum ejuſmodi ſignis homines ad pœnitentiam invitare incitareque. Multa quoque mala Cometas ſecuta eſſe largior. Sed quantum videre mihi in theatro omnium ſeculorum memoriæ, ſaltem velut in tranſcurſu licuit, animadverti multa mala citra, bonaque poſt Cometarum apparitionem à ſupremo rerum Rectore, eo ſcilicet vel volente vel ſaltem permittente, orbi immiſſa eſſe. Sed & hic judicium Tuum expeto exſpectoque, quod mihi pollicetur eximia Tua humanitas, & amicitia olìm contracta. Vale, Vir Eximie, age feliciter, & fave conſtanter.

Viciſſitudo rerum in orbe perpetua, licet Cometæ abſint.

Prudentes multa prævident, quædam etiam prædicunt, ſine Cometis.

Cometæ & alia ſigna à Deo exhibentur bono mortalium, ſi ſciant uti.

Cometas multa mala antecedunt, multa quoq; bona ſequuntur.

OBSERVATIONES LEIDENSES.

Obſervationes Leidenſes Cometarum 1664. & 1665.

ANno Chriſti 1664. Die 2. Decembris horâ matutinâ $6\frac{1}{2}$ cùm cælum nubibus antea fuiſſet obductum, apparuit Cometa inter ſtellas Corvi, ſcilicet in concurſu rectæ lineæ ab ala dextra, ad eam quæ in pectore, rectæque ab ea, quæ in capite, per eam quæ in collo. Juxtà imagines editas à Johanne Bayero, quæ hîc per omnia reſpiciendæ.

Nubiloſo dierum aliquot ſequentium cælo, nihil obſervari potuit.

13. Decembris propè Hagam Jacobus Havius, Kechelii antehac diſcipulus, horâ matutinâ 6. Cometam vidit in plaga Orientali, inter duas Corvi ſtellas, quarum altera in capite, altera in roſtro, non tamen in recta cum iis linea, ſed paulò indè diſſitum verſus Orientem.

14. Decembris horâ matutinâ 5. obſervatus eſt Cometa in recta linea tendente ab ala Corvi ſiniſtra, ad eam quæ in capite, ita ut rectâ à roſtro ad Cometam priori lineæ eſſet perdendicularis.

15. Decembris Hagæ Comitum ad latitudinem 52. 6. tempore itidem matutino, inter duas Spicæ Virginis altitudines (orientales puto) priorem 20. 35. poſteriorem 26. 6. Cometa extitit in recta linea, ac cum ala dextra & capite Corvi. Eodem die horâ matutinâ quintâ obſervatus eſt Cometes in decuſſione lineæ rectæ per pectus roſtrumque Corvi, & rectæ per ejuſdem alam dextram, & eam quæ in capite extat.

Obſervatio Genevenſis.

Die 19 & 20. horis antelucanis Genevæ ſub latitud. 46. 15′. viſus inter ortum & meridiem ſub Cratere, non potuit multum abeſſe à Tropico Capricorni. Major apparebat quàm ſtella primæ magnitudinis quæcunque, imò quàm ipſa Venus, color ei albidus erat, cauda rara, à Sole, uti videbatur, averſa, & quò cælum purius eò longior.

Die 21. Tempore matutino cum Spica Virginis ad ortum alta eſſet 24. 25′. Cometa in conſtellatione Crateris apparens, in eadem cæli plaga ſuprà Horizontem eminebat 10. 27′. ubi autem Spica Virginis in Orientali parte adſcenderat, ad 27. 12′. & Arcturus in eadem parte altitudinem haberet 55. 9′. Cometa occidentem verſus ſuprà Horizontem extabat, 10. 9′. Extremitas caudæ in occaſum protenſa alta erat 15. 49′. Et cùm duabus ſtellis, boreali & auſtrali in poſteriore femore Leonis rectam lineam faciebat Cometa, diſtans à Spica Virginis 33. 26, & Cane minore 60. 42′. Cometæ altitudo meridiana eodem die deprehenſa Leidæ fuit 11. 42′.

25. De-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

25. Decembris horâ $\frac{1}{4}$ ante mediam noctem ortus Cometa fuit, circiter 15, 5′ à meridie ortum verſus, eratque tunc altitudo Canis Majoris in plaga Orientali 23, 45′.

26. Veſperi horâ $\frac{1}{4}$ ante undecimam oriebatur Cometa: mora aliqua ob nubes interjectas obſervata eſt, circà ortum altitudo Cordis Hydræ 20, 45′. Canis Minoris 23, 53′, in fine Obſervationis, ortum verſùs deprehenſa eſt ejuſdem cordis Hydræ altitudo 23, 45′, Cometa quidem 5, 26, & in recta linea cum corde Leonis & corde Hydræ, item cùm Cane Minore, & borealiſſima in enſe Orionis, nempe in Conſtellatione Argo Navis in malo poſteriori, inter duas quæ ibi ſtellæ exiſtunt, ſed ab illis paulò vergens ad occaſum, & diſtans à corde Hydræ 24, 46, & à Cane Minore 30, 28′.

In ſecunda obſervatione ejuſdem noctis inventa eſt longitudo caudæ 27, 24′, terminata in ſtellis infrà Canem minorem verſùs Ortum, eratque tunc altitudo Cometæ in Orientis parte 6, 35′, & altitudo Canis Majoris 19, 15′, apparebat cauda admodum lata circà ipſum Cometæ corpus, idem illud penè ambiens.

27. Decembris diſtabat Spica Virginis à Cometa 68, 26′, à rubicunda Orionis 54, 2′. Sirius 28, 58′. Procyon 38, 16′, in plaga Orientali eodem tempore elevatus erat Arcturus 30°.

29. Decembris. Genevæ hora nona à meridie viſus eſt Cometa, nullâ apparente caudâ, turbidus & lumine languenti, ſervatâ tamen eâdem magnitudine, *Obſervatio Genevenſis.* diſtabat autem pari ſpacio, ut videbatur, à ſtella genu dextri Orionis, quo hæc ipſa ab humero ejuſdem ſiniſtro, ducta per Cometam & duas ſtellas linea recta. Præterea conſtituebat triangulum, obtuſangulum æqui crurum cum Sirio, & ſtella pedis dextri Canis Majoris, ita ut Sirius & Cometa duos trianguli angulos acutos occuparent, ſtella verò pedis obtuſum. Ex quibus liquet Cometam fuiſſe circà Tropicum Capricorni, inter pedes poſteriores Leporis, & pedem anteriorem ſiniſtrum Canis Majoris. Exſpectavimus donec ad Meridianum Circulum perveniſſet, & Aſtrolabio utcunque elevationem ejus menſi ſumus, quæ reperta eſt graduum circiter 20. Cùm autem Genevæ latitudo ſit *Genevæ la-* graduum $46\frac{1}{4}$ inde colligitur Cometam tunc non potuiſſe iterum ab eodem Ca- *tit. grad.* pricorni Tropico procul abeſſe.

30. Decemb. horâ veſpertinâ $8\frac{1}{2}$ viſus eſt Cometa infrà pedes, ſeu genu & pedem (H & β) Orionis, in vertice Trianguli, æquilateri à tribus illis conſtituti. Horâ 10. erant in recta linea rubicunda Orionis, infima Cinguli & Cometa qui apparuit ſinè cauda, diſtans ab Horizonte 15, 45′.

Anno Chriſti 1665. Die 1. Januarii. Cum Canicula in parte cæli Orientali alta eſſet 20, 55′, apparuit Cometa propè concurſum rectæ per Hircum & Aldebaran, rectæque per Procyona, & infimam Cinguli Orionis, ita ut Cometa ſuperior eſſet utraque lineâ quinque minutis. Eodem tempore diſtabat Cometa ab infima Cinguli Orionis 22, 56′, & ab Aldebaran 24, 4′, a ltitudo autem meridiana obſervata eſt 30, 8′, 40″. Eratque tunc diſtantia ejus à Rigel Orionis 15, 52′, à rubicunda Orionis 30. Cauda videbatur longitudine æquari diametro Lunæ ad infimam cinguli Orionis vergens.

2. Januar. horâ octavâ altitudine Procyonis ortivâ exiſtente 20, 16, diſtabat Cometa ab Aldebaran 23, 16, à Rigel 22, 22′, paulò poſt altitudo Cometæ in meridiano erat, 33, 38′, 20″, quandò rubicunda Orionis in parte ortiva ſupra Horizontem extaret 38, 27′. Procyon verò in eadem plaga 21, 36. Eratque Cometa in recta linea cum utroque pede Orionis; diſtans à Rigel ut ante, cauda vix ad tres gradus protenſa videbatur paulò ſuprà rubicundam Orionis.

3. Januar. hora $5\frac{3}{4}$ Cometæ cauda tendebat ad duas in clypeo Orionis, quæ humeris ejuſdem ſunt in directum, longa ferè novem gradus, valde lata, præſertim circa finem. Poſtea hora $7\frac{1}{4}$ aut paulò amplius, in altitudinem Rigel, in plaga Orientali 21. aberat Cometa à lucida Arietis 30, 16, ſed protinus

interceſſère nubes. Serenitate reddita culminabat Cometa, eratque ejus meridiana altitudo 36, 28′, 20″. Eodem momento rubicunda Orionis in Oriente elevata erat 36, 14′, paulò poſt diſtabat Cometa à rubicunda Orionis 37, 6′, & ab Aldebaran 23, 36. Informis quædam in ſuperiore parte caudæ apparebat diſſita à capite ipſius 2, 33′.

4. Januar. horâ circa $7\frac{1}{2}$ altitudo Meridiana Cometæ deprehenſa eſt 38, 46′, 20″, & altitudo rubicunda Orionis in Ortu 34, 32′. Cauda projecta ſupra duas in Oriente ante deſignatas, tunc obortæ ſunt nubes.

5. Januar. propter nubes nihil obſervatum fuit, niſi quòd ſtella in naribus Ceti (a) fuerit in Cometæ cauda.

6. Jan. Cometa diſtans ab Aldebaran 27, 2′, erat cum eadem & cornu Tauri auſtrino in recta linea, & paulò poſt erat idem in meridiano alta 42, 17′, cum ſimul rubicunda Orionis elevata eſſet 32, 16.

7. Jan. Circa horam 11. erat altitudo Cometæ occaſum verſus 19, 53′, altitudo Rigel Orionis 21, 1′, altitudo Aldebarân 42, 56, ambæ in eadem plaga eum præcedentes. In fine Obſervationis deprehenſus eſt Cometa altus 14, 71′, & Rigel Orionis 22, 18′, eadem cæli parte Occidentali.

Juxta Obſervationem aliam erat Cometa in recta linea cum Rigel & Cane Majore, item cum lucida Arietis, & auſtrali ſtella trianguli, diſtans à Cane Majore 63, 34′, à Capella 50, 14′. Cauda protendebatur uſque duas ſtellas quæ ſunt in exciſione Tauri ad auſtrum, tertia & quarta (ξ & α).

8. Jan. cum culminarent Plejades, diſtabat Cometa ab Aldebaran 30, 32′, à lucida Arietis 16, 33′, à mandibula ſeu naribus Ceti 8, 7′, 30″. Cauda Cometæ longa ſpectabatur 13, 9′.

Horâ nonâ videbatur hic eſſe Cometæ ſitus, ut tantùm diſtaret ipſe ab illa, quæ eſt ad oculum Ceti dextrum, quantum hæc ipſa diſtat ab illa, quæ eſt in naribus Ceti (α). Ita ut hæc duæ lineæ ad λ. facerent angulum rectum.

9. Januarii apparebat Cometa ſupra borealiſſimam in collo Ceti (γ) 42, in eodem cum ipſa verticali, in meridiano altitudinem habuit, 45, 31′, cum elevata eſſet rubicunda Orionis ad 29, 3′, 40″, diſtans ab Aldebaran 31, 32′, ab extima alæ Pegaſi, à capite Andromedæ, 37, 48′. Longitudo caudæ videbatur 4, 16, 30″. Deinde obſervata fuit altitudo Cometæ in Occidente 45, 12′, 20″, atque altitudo borealiſſimæ in collo Ceti ſcilicet (ν) 44, 36.

11. Jan. erat Cometa ſupra duas Ceti ſtellas, quarum altera eſt in fronte (μ) altera in borealiſſima in collo (γ) & quidem eo ſitu ut Cometa à priori diſtans partibus 2, qualibus à poſterioribus abeſſet partibus 3, efficeretque trianguli rectanguli verticem. Caudæ verò latus inferius attingebat tertiam in exciſione Tauri ad Auſtrum (ξ) utrinque à cauda, ac propè ab ea duæ ſpectantur informes, altera ſupernè, altera infernè.

12. Jan. hora verſpertina ſexta cum duabus præcedentibus, μ & γ, Cometa triangulum conſtituebat in hac laterum dimenſione μγ. 3, 57′: c μ. 3, 59′, 30″: c γ. 2. 27″. Item Cometæ altitudo Meridiana eſt obſervata 47, 36′, 40″, quo tempore rubicunda Orionis extabat ſupra Horizontem 27, 29′, diſtabatque Cometa ab Aldebaran 34, 3′, à capite Andromedæ 26, 38′. Longitudo caudæ tunc erat, uti videbatur 1, 22′, habuitque Cometa Hor. Longitudinem 1, 53′, ♉, & Latit. Auſtr. 33, 23′.

13. Jan. horâ veſpertinâ quinta Cometa cum duabus Ceti ante dictis μ γ, triangulum faciebat, quod ad γ eſſet rectangulum & productum latus γ c ita ſecabat rectam, quæ lucidam capitis Arietis connecteret cum media, nempe ipſam L M, in, d, ut L d, ad d m, rationem habere judicaretur, ut 4 ad 3.

Hora ſexta altit. Cometæ meridiana erat 48, 9′. Eoque tempore notabatur hoc parallelogramum, ubi μ eſſet clara Ceti duarum ante dictarum, c Cometæ, S ſuprema Plejadum, & a medium inter Aldebaran, & proximam Hyadum in latere inferiori.

14. Jan.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

14. Jan. horâ veſpertinâ 6. altit. meridiana Cometæ 48, 38′, 20″, cauda verò tendebat ad oculum boreum Tauri.

Horâ 6½ erant in recta linea Cometes, lucida Arietis & pes Andromedæ, item Cometa, tertia Arietis, & cingulum Andromedæ, diſtabat autem Cometa à pede Andromedæ 30. Eodem momento altit. Aldebarân æqualis erat altitudini meridianæ ipſius Cometæ ante notatæ: diſtantia autem Cometæ ab Aldebarân 35, 6′, & à cingulo Andromedæ 26, 32′, in triangulo, ut ſupra, tunc μ ν æqualis erat lateri ν c & μ c, erat 6°, 8′, & recta ν c producta tranſibat per medium ferè rectæ connectentis lucidam Arietis, cum ejuſdem media. Cauda protendebatur paulùm ſupra mediam Arietis, vix pertingens ad ſupremam in exciſione Tauri ad auſtrum.

15. Jan. horâ 5¾ Cometæ altitudo meridiana deprehenſa eſt 48, 58′, altit. rubicundæ Orionis 26, 33′, diſtantia autem Cometæ ab Aldebaran 39, 32′, & à capite Andromedæ 31, 18′. Deinde obſervatus eſt Cometa cum duabus Ceti ſæpiùs ante memoratis μ & ν facere triangulum, cujus latus, ν c productum incurreret in infimam aliam in capite Arietis, hic notatum per l. ubi latus μ c eſſet 13, 6′, recta ν l. 11, 38′, & recta c l 7, 7′, 30″, eratque tunc altit. rubic. Orionis 30, 36′. Cauda in directum tendebat cum Venere, & capite ſuo, ita ut inferiori parte reſpiciens oculum Tauri boreum, vix attingere videretur medium ſpacii, quod erat à Cometa ad eas, quæ ſunt in exciſione Tauri.

Facto calculo ejuſdem diei horâ 6, 6′, 52″, ſitus erat Cometa in Long. 0, 52′, 52″, Tauri & Latit. Auſtrali 0, 44′, 53″.

16. Jan. horâ 6¾ Cometa per paululùm digreſſus à Meridano ad Occaſum, altitudinem habebat 49° 8′, media Arietis autem 55° 55″. Eo etiam ſitu tunc apparebat Cometa ut capillitio ſuo ſupernè attingere videretur rectam, quæ ab ν occidentaliori duarum in Ceto ducebatur ad m, mediam in capite Arietis, & ratio m c ad c ν eſſet ut 4 & 5.

Horâ 7½ cum lucida Plejadum culminaret, diſtabat Cometa ab Aldebara. 36° 18′, & à cingulo Andromedæ 32°, 3, cauda brevis valdè & obſcura.

17. Jan. horâ ſeptimâ ſtella ν. ſupra dicta, & infima trium in capite Arietis erant cum Cometa in recta linea, ita ut Cometa eandem lineam infernè tangere videretur, & ſecare in ratione 5. ad 4. Cauda uti pridiè brevis & obſcura, ſitu ſuo reſpiciens medium inter Plejadas & oculum Tauri boreum.

19. Jan. Cometæ altitudo meridiana obſervata eſt 50°, 24′, eodem tempore altit. Aldebaran 43°, 21′: diſtantia verò Cometæ ab eadem Aldebaran 37°, 34′, à capite Andromedæ 28°, 58′, ¼ hor. poſt notatus eſt Cometæ ſitus hujuſmodi, ut μ & ν exiſtentibus in Ceto, quæ ſæpiùs uſurpatæ ſunt antea, c Cometa ab μ diſtaret 6°, 26, & ab ν 8°, 36′.

Cauda ea apparebat longitudine, qua lucida Arietis à trium in capite media diſtat, recta autem à Venere per Cometæ corpus producta ferebatur per medium caudæ, & recta à Sole per idem Cometæ corpus exporrecta ſupra caudam, mediamque caudæ non longæ, tendebat verſus mediam, quæ eſt in aure Tauri & Hyadas.

20. Jan. horâ 5½ obſervata Cometæ altitudo meridiana 50°, 26′, 30″. Horâ 6. altitudo rubicundæ Orionis ex ortu 28°, 38′, diſtantia Cometæ ab Aldebaran 39°, 24′, à capite Andromedæ 28°, 58′.

Etiam hoc obſervatum triangulum, ubi μ & ν ſtellæ Ceti cognitæ. Diſtantia Cometæ ab μ 12°, 9′, & ab ν 6°, 51′, 30″. Cauda apparuit vix ulla aut nulla, ſplendente 4. dierum nova Luna & Venere.

21. Jan. horâ 5⅝ Cometæ altit. merid. erat 50°, 43′, 20″, altitudo rubicundæ Orionis 27°, 57, Cometa autem exilis apparuit ſine cauda.

Horâ 7. hic obſervatus eſt ſchematiſmus.

22. Jan. horâ 6. præ ſe ferebat Cometa ſitum hujuſmodi, ut Cometa in recta eſſet linea cum infima & media trium, quæ ſunt in capite Arietis & lucida

Arietis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Arietis ab infima tantum diſtaret, quantum eadem infima ab ipſo abeſſet Cometa. Exactis nebuloſi cæli aliquot diebus

Die 9. Februarii horâ 6$\frac{3}{4}$ obſcurè admodum & vix perceptus fuit Cometa in duarum rectarum communi ſectione, quarum altera quidem ab Aldebaran per Cometam duceretur ad extremum alæ Pegaſi, altera autem ab Algol per mediam in capite Arietis uſque Cometam; ita ut rectam hanc Cometa contingeret ab Orientali parte.

Anno Chriſti 1665. Die 13. Aprilis

Obſervationes Harlemenſes Cometæ verni:

HArlemi, quod oppidum 5. leucis à Leida, verſus boream abeſt, horâ matut. 3$\frac{3}{4}$ dum in ortu elevata eſſet Aquila 35° 16, obſervata eſt Cometæ altitudo 9, 45′, & hic erat eodem tempore Schematiſmus: Vide figuram N°. 8.

Et Amſterodamenſis,

Amſteladami horâ matutinâ circiter 3, diſtantia Cometæ à latere Perſei 40, 46, ab ea quæ in arca Caſſiopeæ 34, 16, & à ſtella polari 62, 16.

Tùm Leydenſis:

Die 14 Aprilis. *Leidæ* obſervata Alt. Aquilæ Orient. 35° 56; alt. Cometæ 9°, 56. Diſtantia Cometæ à capite Andromedæ 9°, 46′, à lucida Andromedæ in Auſtrali pede, juxta Tychonem, & in Joanne Bayero notata per γ 33°, 14′.

Altera Amſterodam.

Amſteladami horâ matutinâ quaſi 3, deprehenſum Cometæ intervallum ab ea quæ in ſiniſtro pede Andromedæ 22°, 45; ab ea quæ in femore Pegaſi 21°, 56, ab ea quæ in Cygni cauda 50°, 46.

Altera Leidenſis.

Leidæ die 15. Aprilis Elevat. Aquilæ 30°, 52′, alt. Cometæ erat 3°, 46, alt. Cinguli Andromedæ 9°, 25′, diſtabat verò Cometa à cingulo Andromedæ 9, 4′; à capite Andromedæ 10°, 45′. Per tubum ſpectatus Cometæ nucleus & rotundus apparebat & lucidus, magnitudine Saturni, at clarior. $\frac{1}{4}$ Horæ ante obſervatio- Longitudo caudæ pertingebat uſque pectus Andromedæ 20°, 36′.

Tertia Amſterodam.

Amſteladami eodem die horâ matutinâ 3$\frac{1}{2}$ diſtabat Cometa ab ea quæ in ſiniſtro pede Andromedæ 20°, ab ea quæ in femore Pegaſi 24°, 56: ab illa quæ in cauda Cygni 52°, 45′, ab ea quæ in latere Perſei 35°, 36.

Tertia Leidenſis.

Leidæ die 16. Aprilis alt. Aquilæ 33°, 36. Diſtantia Cometæ à cingulo Andromedæ 7°, 21′, à capite Andromedæ 12°, 21′. Cometæ altit. 4°, 9′$\frac{1}{27}$. In fine obſervationis altit. Aquilæ 34°, 6. Caudæ extremitas attingebat tres ſtellas, quæ ſunt in ſuprema parte brachii dextri Andromedæ, notatas à Bayero per 9, ε, τ.

Quarta Amſterodamenſis,

Amſteladami horâ matutinâ 3$\frac{3}{4}$. Diſtabat Cometa ab ea quæ in ſiniſtro pede Andromedæ 18°, 22′, ab ea quæ in femore Pegaſi 27°, 54′, ab illa quæ in Cygni cauda 55, 26: ab ea quæ in latit. Perſei 33°, 56.

Die 17. Aprilis nubiloſum fuit cælum.

Quarta Leidenſis.

Leidæ die 18. Aprilis altit. Arcturi Occident. 39°, 36, altit. Cometæ 4°, 26, cing. Andromedæ 17°, 17′. Diſtabat Cometa à ſcapula Pegaſi 19°, 1′, à capite Andromedæ 9°, 55′, in fine alt, Arct. Occ. 38°, 6. Cauda extenſa ad verticalem.

Quinta Leidenſis.

Ibidem die 19. Alt. Aquilæ 35°, 36, altit. in ortu vix $\frac{1}{2}$ gr. Diſtantia Cometæ à pede Andromedæ 16°, 2′, à Scheat Pegaſi, ſive juxta Tychonem in eductione cruris 35°, 26′.

In fine erat Cometa in recta linea cum capite Andromedæ & cum Scheat, ſeu eductione cruris Pegaſi. Per tubum ſpectanti apparebat corpus ejus, ſive nucleus obſcurior & inæqualior, quam viſus eſſet antea: ſcilicet eadem ferè forma, quæ in præcedenti Cometa notata fuerat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N° 50

Figura obſervationis Cometæ verni, factæ Harlemi. d. $\frac{3}{13}$ Aprilis 1665. ad Communicat: Lugduno Batavam pertinens.



Obſervatio hæc exhibet Cometam in concurſu rectarum unius à Lucida Aquilæ per ſequentem duarum in pectore Pegaſi & alteriꝰ à lucida Perſei per cingulum Andromedæ ductarum.

B. Stopendaal Schulpſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XIX.

COMMUNICATIO MANHEMIO-STEGMANNIANA & VISSOVATIANA.

Hamburgo Manhemium die $\frac{14}{24}$ Decembris 1664.

S. P. Reverende & Doctiſſime Vir, Amice & fratre in Chriſto pl. colende.

COmmercium literarum, quod mihi Vobiſcum intercedit, novo ſcribendi argumento nuper exortus auxit Cometes. Hunc & Vobis illic loci degentibus viſum eſſe arbitror. Nobis primum die 3. 13. hujus menſis in hac urbe apparuit. Aliis aliquantò citius, in Hollandia verò die 22. Novembris St. Jul. obſervatus eſt. Omnibus tamen conſentientibus in dodecatemorio Libræ, & conſtellatione Corvi illuxit. Proxima die Dominicâ (fuit $\frac{11}{21}$ hujus menſis) longiſſimam ejus caudam vidimus. Dehinc eum non vidimus, licet cælum conſpectum ejus nobis non inviderit. Deſcenderit itaque is infra horizontem noſtrum Tropicum Capricorni verſus, an rediturus ſit, brevi docebit dies. Vos ſi quid de hoc argumento habetis, velim mecum communicetis, præſertim accuratas obſervationes à præſtantibus Mathematicis, quos in vicinia undique habetis, factas. Sed & ipſi judicia veſtra de hoc conſpicuo phœnomeno, & in genere de Cometis eorumque generatione & effectis velim mihi perſcribatis. Non vos latet, quam multa, eaque triſtia tantùm, tribuantur vulgò Cometis. Ad hos eodem jure bona & læta, quæ eos ſequuntur, referre licet. Tam hæc quam illa citra eorum apparitionem evenire, palam eſt. Mea igitur hæc eſt ſententia, eos quidem non ſpernendos nec tamen metuendos eſſe: at verò potius, ut pœnitentiæ incitamenta & æquitatis divinæ præmia pœnaſque diſtributuræ ſigna memorialia, contemplandos. Valete in Domino.

Cometæ 1664 Hamburgi viſi brevis hiſtoria.

Viſſovatium & Stegmannum Auctor ad tractandum argumentum Cometicum invitat.

Auctoris ſententia de ſignificatione Cometarum.

Ad Reverendum Joachimum Stegmannum.

T. ſtudioſiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Manhemio Kalend. Januarii M IↃC LXV.

GRatiſſimæ nobis, Generoſe Domine, extiterunt literæ Tuæ, eo quoque nomine, quòd nos de apparitione inſignis iſtius Cometæ certiores feceris. Is à nobis quoque hìc viſus eſt die 16, 17, 18. Decemb. St. V. latitudo ejus 11. grad. id eſt 143. milliar. longitudo 169. gr. id eſt 2197. milliar. Ortus hora noctis $11\frac{1}{2}$, Occaſus hora 4. Domus Libra. Hoc autem Tibi perſcribo ex mente Mathematicorum noſtrorum Heidelbergenſium. Sed & nunc ab octiduo novus

Obſervatio Cometæ 1664 Heidelberg. habita.

 conſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

conſpicitur Cometes, alio ſcilicet loco & tempore, manè ſcilicet, alium curſum tenens, & priore longè minor. Deus a nobis omnibus omne malum avertat! Pluribus de hoc argumento alias agemus, ſi Dominus permiſerit. Nunc his contentus Vale, & nobis omnibus fave.

Tuus
JOACHIMUS STEGMANNUS.

Manhemio Hamburgum die 5. Martii 1665.

Obſervationes Argentinenſes Schneuberi.

Obſervationes Cometæ Dn. Joannis Matthiæ Schneuberi Gymnaſiarchæ Argentoratenſis. Anno 1664.

Obſervatio I.

DIe 8. Decembris St. Vet. horâ quartâ antemeridianâ, Sole verſante in 27. gradu Sagittarii.

Diſtantia Cometæ à Spica	26. grad.
Diſtantia à corde Hydræ	39. grad.
Longitudo	4. gr. Libræ
Latitudo Auſtralis	26. grad.
Declinatio Meridionalis	24. grad.
Altitudo ſupra Horizontem	15. grad.
Azimuth à Meridie verſus Ortum	21. grad.
Longitudo Caudæ	22. grad.

Obſervatio II.

DIe 15. Decembris horâ tertiâ antemeridianâ, Sole verſante in 6. gradu Capricorni.

Diſtantia à Spica	48. grad.
Diſtantia à corde Hydræ	26. grad.
Longitudo	14. Virg.
Latitudo Auſtralis	40. grad.
Declinatio Auſtralis	30. grad.
Altitudo ſupra Horizontem	11. grad.
Azimuth à meridie verſus Ortum	5. grad.
Motus octo dierum, intra quod ſpatium propter nubilum cælum, nulla poterat obſervatio inſtitui, fuit	22. grad.
Undè motus diurnus medius colligitur fuiſſe	2. gr. 45. min.
Longitudo caudæ eadem, ut antea.	

Obſervatio III.

DIe 18. Decembris horâ ſecundâ antemeridianâ, Sole verſante in 7. gradu Capricorni.

Diſtantia à Spica	66. grad.
Diſtantia à corde Hydræ	25. grad.
Longitudo	20°. Leonis.
Latitudo Auſtralis	49. grad.
Declinatio Auſtralis	31. grad.
Altitudo ſupra Horizontem	10. grad.
Azimuth à Meridie verſus occaſum	4. grad.

Motus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Motus diurnus celerrimus	18. grad.

Longitudo Caudæ ſe uſque ad caudam Monocerotis extendebat.

Obſervatio IV.

Die 21. Decembris horâ nonâ pomeridianâ, Sole verſante in 12. gradu Capricorni.

Diſtantia à Sirio	34. grad.
Diſtantia à Rigel ſive pede Orionis	12. grad.
Longitudo	29°. Tauri.
Latitudo Auſtralis	33. grad.
Declinatio Auſtralis	12. grad.
Altitudo ſupra Horizontem	29°. 36.

Azimuth perexiguum.
Motus 6. dierum erat 63. gr. Undè medius motus diurnus colligitur fuiſſe 10. grad. 30. minutorum.
Cauda apparebat nulla, vel ob præſentiam ſplendoris Lunæ, vel quia erat in parte poſtica propter oppoſitionem Solis.

Obſervatio V.

Die 22. Decembris horâ nonâ pomeridianâ, Sole verſante in 13. gradu Capricorni.

Diſtantia ab oculo Tauri	24. grad.
Diſtantia à Rigel	18. grad.
Longitudo	23°. Tauri.
Latitudo Auſtralis	26. grad.
Declinatio Auſtralis	7. grad.
Altitudo ſupra Horizontem	34. grad.
Azimuth à meridie verſus occaſum	1. grad.
Motus diurnus	8. grad.

Cauda nulla videbatur ob rationes antè memoratas.

Obſervatio VI.

Die 25. Decembris horâ octavâ pomeridianâ, Sole verſante in 15. gradu Capricorni.

Diſtantia ab oculo Tauri	25. grad.
Diſtantia à Rigel	34. grad.
Longitudo	10°. Tauri.
Latitudo Auſtralis	15. grad.
Declinatio Septentrionalis	36.
Altitudo ſupra Horizontem	42. grad.

Azimuth nullum.
Longitudo caudæ, quam ab occaſu in ortum convertebat, priſtinam Longitudinem non æquabat, videbatur mihi novem aut 10. gr. non exceſſiſſe.
Motus trium dierum fuit 16. gradus. Undè motus medius diurnus colligitur fuiſſe 5. gr. 26.

Obſervatio VII.

Die 30. Decembris horâ ſeptimâ pomeridianâ, Sole verſante in 20. gradu Capricorni.

Diſtantia ab oculo Tauri	31. grad.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Diſtantia à Rigel	45. grad.
Longitudo	2. gr. Tauri.
Latitudo Auſtralis	4. grad. 30.
Declinatio Septentrionalis	8. grad.
Altitudo ſupra Horizontem	49. gr. 36.
Longitudo caudæ	6. grad.

Motus dierum quinque fuit 12. grad. Undè motus medius diurnus colligitur fuiſſe . . . 2. gr. 24'.

Obſervatio VIII.

DIe 31. Decembris horâ citra 6. & 7. pomeridianâ, Sole verſante in 21. gradu Capricorni.

Diſtantia ab oculo Tauri	33. grad.
Diſtantia à Menkar Ceti	13. grad.
Longitudo	1. gr. Tauri.
Latitudo Auſtralis	3. grad.
Declinatio Septentrionalis	9. gr. 10'.
Altitudo ſupra Horizontem	50. gr. 40'.
Motus diurnus	2. gr. 20'.
Longitudo caudæ fermè	5. grad.

Obſervatio IX.

DIe 3. Januarii 1665. horâ ſextâ pomeridianâ, Sole verſante in 24. gradu Capricorni.

Diſtantia à principali Arietis	11. grad.
Diſtantia à Menkar Ceti	15. grad.
Longitudo	30. gr. Arietis.

Latitudo nulla vel perexigua meridionalis.

Declinatio Septentrionalis	11. gr. 30'.
Altitudo ſupra Horizontem	53. grad.

Motus trium dierum 3. gr. undè motus medius diurnus colligitur fuiſſe 1. grad.
Cauda nec lata admodùm erat, nec longa, graduum præter propter . 4.

Obſervatio X.

DIe 4. Januarii horâ ſextâ pomeridianâ, Sole verſante in 25. gradu Capricorni.

Diſtantia à principali Arietis	10. grad.
Diſtantia à Menkar Ceti	16. grad.
Longitudo	29. gr. Arietis

Latitudo Septentrionalis pauculorum minutorum.

Declinatio Septentrionalis	12. grad.
Altitudo ſupra Horizontem	53. gr. 30'.
Motus diurnus	1. gr. ferè.

Longitudo caudæ parùm fuit mutata.

Obſervatio XI.

DIe 9. Januarii horâ octavâ pomeridianâ, Sole verſante in 30. gradu Capricorni.

Diſtantia à principali Arietis	9. grad.
Diſtantia à Menkar	19. gr. 36.

Longitudo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Longitudo	27. gr. Arietis.
Latitudo Septentrionalis	3. grad.
Declinatio Borealis	13. grad.
Altitudo ab Horizonte	44. grad.
Azimuth à meridie verſus occaſum	59. grad.
Motus quinque dierum eſt 3. graduum, undè motus diurnus medius colligitur fuiſſe	36′.

Obſervatio XII.

Die 11. Januarii horâ ſextâ pomeridianâ, Sole verſante in 2. gradu Aquarii.

Diſtantia à ſecunda Arietis	5. gr. 30′.
Diſtantia à tertia in Lino Septentrionali	5. grad.
Diſtantia à media in Juba Ceti	10. gr. 30′.
Longitudo	26. gr. Arietis
Latitudo Septentrionalis	3 gr. 30′.
Declinatio Septentrionalis	13. gr. 30′.
Altitudo ab Horizonte	55. grad.
Motus duorum dierum 1. grad. undè motus diurnus	30′.

Caudam Lunæ ſplendor occuluit.

Obſervatio XIII.

Die 24. Januarii horâ ſextâ pomeridianâ, Sole verſante in 13. gradu Aquarii.

Diſtantia à ſecunda Arietis	4. grad.
Diſtantia à tertia in Lino	4. gr. 30′.
Longitudo	25°. 45′. Arietis
Latitudo Borealis	5°.
Declinatio Septentrionalis	15°.
Motus XI. dierum 1. grad. 30. minuta, undè motus medius diurnus colligitur fuiſſe	8′.
Altitudo ab Horizonte	49°. 30′.

Cauda non apparebat.

Poſtea nubiloſum fuit cælum, nec ampliùs Cometa apparuit.

Duravit circiter 60. dies. Nam initiò fermè Decembris cœpit lucere, 29. vel 30. Januarii deſiit.

Cometæ 1664 & 1665. hyberno obſervationes Argentin. durationem 60. dierum tantùm aſſignant: Ejus motus, Et arcus 155. circ.

Curſum ſuum auſpicatus eſt à Corvo, tranſiitque Hydram, Velum Navis Argo, Gallum, Canem, Sirium, Leporem, ſubter pedes Orionis, per fluvium Eridanum, fauceſque & caput Ceti, non procul à ſiniſtro Cornu Arietis ſubſtitit.

Motus ejus initiò fuit tardus, deinceps velociſſimus, & tandem rurſùs ſubindè tardior.

Circulum curſu ſuo confecit circiter 155. graduum.

Hamburgo Manhemium die 21. Februarii Gregoriani 1665.

S. P. Reverende &c.

Stegmanno Auctor de obſervationibus Heidelb. & Argentin. gratias agit.

Cometam nuperum omnium oculos, ſtilos & induſtriam in ſe convertiſſe, ut multa alia docent, ita & accuratæ illæ Heidelbergæ & Argentinæ habitæ obſervationes, abs Te mihi miſſæ, de quibus Tibi debitas ago gratias. Heidel-

Diſcendi cupidus Viros doctos ſcripto adit.

Cometa hybernus in Lepore denuò apparet, propè Arietem diſparet, cum priori unus idemque.

Hevelii laus & auctoritas.

Heidelberga tamen aliquid famâ tam illuſtris loci dignum videre cupio. Quod ut conſequar, brevi literas ad Profeſſorem Matheſeos illius Academiæ de hoc argumento dabo. Eſt quidem ille mihi prorſus ignotus. Sed ſtudium diſcendi facilè mihi aditum, ut ſpero, ad Virum doctum, &, ut decet, humanum conciliabit, Vobis præſertim parariis, quos & mei & bonarum artium amantes novi. Exeunte nuper anno ſecundùm novas rationes dierum redierat ad nos Cometes, qui in Lepore conſpectus ad Arietem properans ante paucos dies oculis noſtris ſe ſubduxit, nec amplius favente etiam cælo inveſtigari poteſt. Duos fuiſſe diverſos non pauci volunt. Sed plures unum eundemque fuiſſe ſtatuunt: quibus Præſtantiſſimi Mathematici Domini Hevelii Senatoris Dantiſcani auctoritas multum ponderis addit. Reditus Cometæ pavorem mortalium & curioſa præſagia Aſtrologorum auxit. Ego de his judicium Veſtrum exſpecto. Valete.

Hamburgo Manhemium die $\frac{5}{15}$ *Aprilis* 1665.

S. P. Reverendi &c.

Viſſovatius & Stegmannus literas Auctoris Profeſſ. Heidelb. tradiderunt.

Cometa vernus ab hyberno diverſus.

CUraſſe Vos rectè literas meas Profeſſori Math. Heidelbergenſi inſcriptas, & retuliſſe reſponſi promiſſum à Viro Humaniſſimo, multum mihi gratulor. Eximium enim quidpiam ex illo celeberrimo loco, idque à Viro eruditione clariſſimo, opperior. Interim alius Cometa (quicquid alii, qui unum eundemque cum priori eſſe contendunt, adferant) in pectore Pegaſi ante decem dies viſus adhuc conſpicitur. Nam & hodie manè mihi multiſque Amicis in domo mea viſus, imò & præſentibus quibuſdam Viris doctis & Matheſeos peritis à Clariſſimo Viro Joanne Mullero Math. in hoc Gymn. Profeſſ. obſervatus eſt. Accepi jam aliquas obſervationes à Viris Præſtantiſſimis de hoc novo phœnomeno factas. Sed plures de die in diem exſpecto, à Vobis quoque, minimùm ſententiam de generatione & ſignificatione Cometarum, poſtquam id aliæ curæ fieri permiſerint. Induxi enim in animum hortatu Amicorum, inter me & varios Viros doctos de hoc argumento communicata publico committere, juvante Deo, cui operi & veſtras ſymbolas libenter inſeram. Valete.

Manhemio Hamburgum Cal. Maji 1665.

S. P. Generoſe Domine, Amice Præſtantiſſime.

Cometam omnes curioſè contemplantur,

Deque origine & ſignificatione ejus diſputant.

Aſtrologorum diverſæ ſententiæ de Cometis:

Quiſque tamen ſuam ut certam deprædicat.

GRatulor mihi redditas eſſe Tibi geminas curſûs Cometici Obſervationes, alteras Heidelbergâ, alteras Argentorato profectas: quarum Te ſitientiſſimum eſſe probè novi. Cæterùm quod ſcribis, Cometam apud Vos fulgore ſuo omnium in ſe oculos & animos convertiſſe, idem apud nos factum eſſe ſcito. Convulſa eſt tota quaſi ſedibus ſuis civitas, ubi primum fax iſta inſolita in cælo apparuit. Nulla fuit ætas, nullus ſexus, nullum hominum genus, quod non è cubilibus ſuis excitum, plenos admirationis vultus in cælum defigeret. Indè natæ de origine cauſiſque Cometarum, nec non de ſignificatione & effectis eorum curioſæ quæſtiones. Quæ ad aſtrorum interpretes, cælique peritos Mathematicos delatæ, elicuêre ſententias inter ſe toto cælo diſcrepantes, ut verè dici poſſit: *Quot capita ſunt, totidem eſſe ſententias.* Quæ diverſitas ac diſſonantia tandem ita incertos & ſuſpenſos relinquit audientium animos, ut de certa aliquâ in hujuſcemodi rebus ſcientiâ propemodùm deſperare neceſſe ſit. Ipſos interim Uranoſcopos, quamvis ſint inter ſe contrarii, tam certos & obfirmatos in ſua videmus ſententia, ut facilius fieri poſſe credant, ut cælum ruat, quam ut ſententiam ſuam minùs firmis niti radicibus ſibi perſuadeant.

Quâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Quâ in re deſidero ſanè modeſtam illam ac prudentem verecundiam, quam nobis adhibere par eſt in rebus tam altè ſupra nos poſitis. Pulchrè enim, ut ſolet, Seneca in ſuo de hac ipſa materiâ, de Cometis, inquam, tractatu admonet, cujus hîc verba apponere juvat: *Egregiè Ariſtoteles ait, nunquam nos verecundiores eſſe debere, quam cum de divinis agitur. Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur: quantò hoc magis facere debemus, cum de ſideribus, de ſtellis, de earum natura diſputamus, ne quid temerè, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut ſcientes mentiamur?* Nat. quæſt. lib. VII. cap. XXX. O quam vellem aureum hoc monitum altè animis hodiernorum Philoſophorum (quin & Theologorum!) eſſe impreſſum.

Cæleſtia ſtudia modeſtè tracta.

Nuſquam plus ſibi permittit humani ingenii audacia, nuſquam aſſerit confidentiùs, nuſquam definit fortiùs, quàm in rebus abſtruſis & procul à ſenſu atque notitia mortalium remotis. Nempè novit illa ſe in his talibus non à quovis facilè revinci erroris poſſe, & ſic ipſâ rei obſcuritate tuta eſt hominum temeritas, non ſecus ac ſepiæ atro undique circumfuſæ ſucco tutiùs deliteſcunt. Atqui tanto magis ſuſpenſis oportebat homines incedere veſtigiis, ubi res aciem ingenii humani facilè effugit, ac porrò ubi propter ſummam rei difficultatem ſumma eſt labendi & hallucinandi occaſio, imò penè neceſſitas. Non noceret aliquandò ingenuè ignorantiam profiteri; ſapientiuſque eſſe crediderim, in multis verbum candoris ac modeſtiæ *Neſcio* uſurpare, quam certa affirmare de incertis. Ecquis enim pudor eſt, hominem aliqua in terris, in hac imperfectionis noſtræ caligine, neſcire? Solius Dei eſt, omnia ſcire: mortalibus id non datum. Nimis igitur ſuperbè dedignatur mortalitatem, & humanæ conditionis oblitus ſemet ipſum quodammodo Deum facit, qui non vult aliquid ignorare videri. At prudentis eſt, hominem ſe eſſe meminiſſe, & humani à ſe nil alienum putare.

Confidentiam temerariam fuge.
Temeritas tutè latet, ubi de occultis nemo judicare poteſt.
Occulta & ardua circumſpectè tracta.
Candidus eſto.
Modeſtiam ſectare.
Temerè de rebus arduis ne judica.
Neſcimus multa.
Deus ſolus omnia ſcit.
Homo cum ſis humani à te nil alienum puta.

Quid ergò? inquies: tunè omnem de Cometis quæſtionem omittendam eſſe cenſes? Nequaquam ea mihi mens eſt. Sed ſobriè & circumſpectè rem tractandam exiſtimo. Certa ab incertis, quantumvis probabilibus ac veri ſpeciem habentibus probè ſecernenda: diſquirendum potiùs, quam determinandum: temerè utique nihil ſtatuendum; & ubi res minus liquet, agnoſcenda eſt ingenii noſtri hebetudo. Ita hoc loco de quæſtione, quid ſint Cometæ, nonniſi probabiliter in utramque partem diſputari poſſe arbitror. Alii ordinarias eſſe ſtellas cenſent, eoſque antiquitùs creatis à Deo ſideribus accenſent: & hi rurſum in varias ſcinduntur partes: alii meteora eſſe putant, ex recens collecta materiâ incenſa, quæ tantiſper ardeant, dum materia ſuppetit, quæque eâ conſumptâ extinguantur. Habetque quælibet pars ſuas quaſdam hypotheſes, quibus ſuas ſuperſtruit aſſertiones: quæ hypotheſes deinceps veriſimilibus duntaxat nituntur conjecturis. Sunt qui ſtare negant terram, & hoc pro ſuæ ſententiæ fundamento collocant: aliorum contraria eſt hypotheſis, cui ſuam inædificant ſententiam. Reperiuntur etiam, qui ſupponunt dari Vacuum: quod ipſum porrò alii velut falſum rejiciunt. Nimirum utrique parti in promptu ſunt probabiles ac ſpecioſæ rationes, quibus cauſam ſuam adſtruere & pulchrè exornare novit. Itaque hanc quidem litem puto manſuram ſemper indeciſam, nec, dum ſtat hæc mundi machina, ceſſaturos unquam eâ de re diſputationis ſerram reciprocare eruditos. Cæterùm quia hîc Vacui injecta mentio, libet Tibi ὡς ἐν παρόδῳ paucis exponere, quos nuper cum Doctiſſimo Viro ſuper hâc materiâ miſcui ſermones. Impugnabat ille Vacui ſpatii aſſertionem hoc potiſſimùm argumento, quòd ſpatium ipſum nihil aliud ſit quam corpus, quippè cùm trinâ conſtet dimenſione. Nullum, dicebat, dari aut concipi poteſt ſpatium, quod non menſurari queat, & non habeat terminos à quo & ad quem, ac proindè omne ſpatium eſt quantum, & conſequenter corpus. Ego quanquam & ipſe in eam propendeam ſententiam, quòd non minus à Vacuo, quam à Super-

Certa ab incertis & verè ſimilibus ſepara.
Temerè de rebus arduis ne judices.
Cometæ quid ſint diſſentiunt Philoſophi.
Terræ revolutio.
Vacuum ſpatium dari probabile.
Spatium an ipſum corpus.

vacuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

vacuo natura abhorreat, non capiebam tamen vim iſtius argumenti. Proindè

Corporum penetratio non datur.

regerebam, ſi ſpatium eſſet corpus, ſequeretur, quandò corpus aliquod eſt in ſpatio, corpus eſſe in corpore, ac porrò per eam ſententiam induci penetrationem corporum atque dimenſionum, quam ut longè abſurdiſſimam explodit & damnat omnis rectè ſentientium Philoſophorum chorus. Annuebat ille abſurdam eſſe hanc penetrationem corporum, & contradictionem implicare,

Corpus non eſt in corpore, ſed in ſpatio vacuo.

ideòque negabat corpus eſſe in corpore, quandò corpus eſt in ſpatio: ſed ego non potui percipere, quomodò nervum ipſum conſequentiæ à me nexæ, quæ ſanè videtur eſſe neceſſaria, inciderit. Præterea non in eo nunc quæſtionis cardo verſatur, quid ſit ſpatium, ſed quicquid ſit, ſive corpus, ſive non, an id poſſit corpore alio vacuum eſſe, an non? Ad hanc quæſtionem nihil facere videtur illa reſponſio, quâ, quid ſit ipſum ſpatium, definitur. Ut rem illuſtrem, dabo exemplum. Ponatur vas aliquod, ſive illud ſit ligneum, ſive argenteum, ſive æreum, ſive etiam argillaceum: ſinè dubio illud ipſum eſt corpus, interim tamen & aliud corpus continet, putà aërem, vel aquam, vel vinum, vel aliquid ſimile. Quæritur ergò, an ullo modo fieri queat, ut vas aliquod exiſtat, in quo nullum omninò aliud corpus contineatur? Ad hujus quæſtionis enodationem ſi quis reſpondeat, vas ipſum eſſe corpus, quia ex ligno, vel aliâ materiâ corporeâ conſtat, nonne inepta & abſurda foret reſponſio? Dein vellem & hoc diſcere, annon ante mundùm conditum, cùm nullum adhuc corpus, nulla materia prima (quam creatam à Deo omnes communiter ſtatuunt) adeòque nec atomus ulla exiſteret, fuerit magnum aliquod inane,

Vacuum ſpatium ante creationem rerum fuit.

id eſt, Spatium Vacuum, quod deinceps Deus per creationem innumeris replevit corporibus? Si fuit, poſſe dari ſpatium vacuum conſequetur: ſi non, quid fuerit, dicat oportet. Dicet, nihil omninò fuiſſe. Sed iſtud nihil, quomodo aliter quam inane ſpatium concipi queat, velim nobis explicet. Quare hâc in parte fateor mihi ab illo Viro humaniſſimo juxta ac eruditiſſimo non eſſe ſatiſfactum. Nam ipſa temporis anguſtia haud patiebatur producere longius noſtros diſcurſus. Itaque ubi ſe dederit occaſio, ſtat ſententia iteratò ad iſtum reconditæ doctrinæ fontem accedere, & ex illo pleniorem nodi hujus diſſolutionem haurire. Porrò ut ad Cometas revertar, alteram quæſtionem,

Cometarum ſignificatio dubia & explicatu difficilis:

de eo, quid præſtent, vel denotent Cometæ, æquè ac priorem reor eſſe perplexam & multis modis intricatam. Vulgaris eſt iſta & animis hominum fermè ab omni memoriâ inſita opinio, quòd Cometæ ſint ſcæva quædam & diri ominis ſidera, quæ nunquam ſine inſignis alicujus calamitatis præſagio luceant.

In malam partem eſt communis pluribus:

Nec deſunt, qui naturali vi, atque, ut Philoſophi loquuntur, influxu Cometarum effici & produci triſtia quæque in terris autument: * perindè atque ex

Quidam & efficientiam malorum eis tribuunt.

Solis Lunæque eclipſi nihil læti auſpicatique naſci videmus. Verùm hîc cauſa videtur eſſe manifeſta, quæ in Cometis non ita eſt conſpicua. In eclipſi enim Solis ac Lunæ, cum fiat ſubtractio Lucis atque caloris ad rerum infimarum

** Eclipſibus Cometarum apparitio iniquè comparatur.*

conſervationem perquam neceſſarii, nihil mirum eſt, ſi deficiente, etſi ad tempus, vitali illo calore ac lumine res ſideribus ſubjectæ labem aliquam atque mutationem in deterius accipiant ſentiantque. At in Cometis hæc cauſa locum non habet. Si quis urgeat, Cometas eadem ratione agere in res inferiores, quâ agunt reliquæ ſtellæ toto cælo collucentes, quibus ſingulis aliquas ineſſe

Stellas aliquid in inferiora vi influente agere,

ad operandum vires non ſit dubitandum; Reſpondeo: me prorſus inficiari nolle, quòd dentur aliquæ, ut vocant, ſtellarum influentiæ. Facilè enim credo, non hunc ſolum eſſe earum uſûm, ut ſint ſigna & organa temporis, item ut hæmiſphærium unum ab altero diſtinguant, vel ut extent quotidiana naturæ miracula, & ſint viſibilia admirandæ Dei ſapientiæ atque potentiæ ſpecimina: ſed peculiares quoque inditas ipſis eſſe vires, quas exſerere in infe-

Sicut herba in terra,

riora queant, mihi perſuadeo. Videlicet quemadmodum in herbis ac floribus, quæ ſunt tanquam ſidera terræ, ſingularem videmus ineſſe vim vel ad medendum, vel ad nocendum: ita verò abſimile non eſt, ſidera quoque ſingula, quibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quibus, ceu floſculis cæli diſtincta eſt regio, pollere aliquâ operandi in res ſublunares virtute. Sed primùm hoc ipſum non certâ ſcientiâ, ſed probabili tantùm conjecturâ ac divinatione niti exiſtimo. Deindè tametſi hoc certum ac indubitatum eſſet, nego ſciri poſſe, qualis ſit uniuſcujuſque ſtellæ efficacia vel operatio: prorſuſque credo humanum ſuperare captum, omnes omnium aſtrorum vires noſſe atque aſſequi. Et ut hoc tandem etiam conſtaret, nego ex eo quicquam certi colligi poſſe: cum perſæpè ſiderum influentiæ multarum rerum interventu, ut ventorum, exhalationum, æſtûs, frigoris impediantur. Induſtria quoque humana multùm poteſt in averruncanda aut hebetanda aſtrorum vi. Hinc illud tritum: *Sapiens dominabitur aſtris.* Rectè enim in eo conſentiunt ſapientum ſuffragia, quòd aſtra inclinent tantùm, non neceſſitent: alioqui libertas tolleretur arbitrii, quâ ſublatâ, omnium peccatorum culpa in Deum aſtrorum conditorem recideret, quod profectò horrendum dictu eſt. Denique providentiæ divinæ, quæ eſt ſuprema omnium cauſarum cauſa, ſubjectas eſſe aſtrorum influentias, ita ut eas aliquandò inhibeat, aliquandò temperet pro arbitrio, extra dubium eſt. Undè non verè minùs, quam piè vulgò dicitur:

Probabile Stegmannus judicat:

Determinatam ſtellarum efficaciam negat:

Vim denique de cælo influentem multis ſæpè impediri affirmat.

Aſtra non agunt neceſſariò.

Libertas naturæ humanæ ſine blaſphemia non negatur.

Providentia Dei, ut cuncta, ita & ſidera regit.

Aſtra regunt homines, ſed regit aſtra Deus.

Ex his jam, quid de Cometarum efficientiâ tenendum ſit, liquere arbitror. Saltem non negabis, dices, Cometas, etſi non efficiant, portendere tamen atque prænuntiare aliqua hominibus mala. Id verò ut negare non auſim ſimpliciter, ita nec affirmare. Unde enim certa ejus rei fides aut ſcientia? Non ex Sacris Literis: imò ex iis contrarium potius non immeritò quis collegerit. Prohibentur enim apertè *divinationes ex aſtris* Deut. XVIII. 10. vetamur *metuere à ſignis cæli*: Jerem. XI. 2. & iis, *qui ſpeculantur cælum, quique contemplantur ſtellas, ac obſervant menſes, ut ex iis ventura prædicant*, gravia Dei judicia intentantur Eſai. XLVII. 12, 13. Non etiam in ipſis Cometis inſcriptæ aut impreſſæ ſunt aliquæ notæ, è quibus cognoſci mala hæc vel illa eventura poſſint. Ad experientiam tandem hîc provocant plurimi, dictitantes, obſervatum id omnibus ſeculis, quòd nunquam hi in cælo accenſi ſint ignes, quin permultæ clades & infortunia paulo poſt enata ſint. At velim eos meminiſſe, quid Medicorum Princeps de experientia per experientiam edoctus pronunciet: *Experientia*, inquit, *fallax, judicium difficile.* Ego ſanè etiam contrariam apud alios obſervationem lego, quod multi olim conſpecti ſint Cometæ, quos nulla unquam ſubſecuta eſt calamitas: & ex adverſo multorum magnorum Virorum funera, & Rerumpublicarum vel illuſtrium familiarum mutationes eveniſſe, nullo prælucente Cometâ. Ut adeò clarum ſit eventus triſtes horrendoſque caſus nullam cum Cometis habere connexionem. Accedit, quòd Cometæ non uni loco affixi ſint, ſed per vaſtum cæli æquor diſcurrant, & in omnibus fermè mundi plagis ac oris ſe conſpiciendos præbeant. Ex quo nihil certi in ſpecie de quoquam conjicere licet: nulla enim dari poteſt ratio, cur uni homini, vel familiæ, vel provinciæ magiſ exitium portendere debeat æquè ab omnibus conſpectus Cometa, quam alteri. Riſi proindè affatim, cùm tam audaces Mathematicorum nonnullorum ariolationes, & è Cometis collectiones nuper hîc circumferri viderem, ut non certa modò malorum genera mox conſecutura indicarent; ſed etiam perſonas, urbes ac regiones, in quas ea redundatura ſint, deſignarent: denique quod ſummæ temeritatis apex eſt, etiam menſem, & diem, quo eventura ſint, nominarent. Adeò ſcilicet iſti homines & tempore & ingenio ſuo, & aliorum credulitate abutuntur. Quæres ad extremum: An ergò nullum à Cometis ſumendum ſit argumentum, quo homines ex veterno vitiorum excitentur, & ad pœnitentiam agendam atque ſeriam vitæ emendationem inſtituendam inſtigentur? Per me verò licet eo uti argumento. Non enim eo prorſus inficias eſſe aliquas Cometarum vires, vel eorum aliquam eſſe ſignificationem. Sed quid vel efficiant vel ſignificent determinatè, ſciri poſſe nego.

Stegmannus efficientiam malorum Cometis adimit:

Portendere eos mala quædam in medio relinquit,

In meliorem partem potius inclinat auctoritate SS. LL. motus.

Cometæ per ſe non ſignificant mala.

Experientia fallax.

Cometarum eventus non ſemper mali:

Sine eorum apparitione multa mala eveniunt.

Cometæ per orbis varias plagas viſendos ſe præbent:

Ideo nihil certi in ſpecie ex eorum apparitione colligi poteſt.

Aſtrologorum quorundam temeritas in definiendis Cometarum effectis.

Cometæ ut incitamenta pœnitentiæ adhiberi poſſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Nec quicquam intereſt, quâ ratione homines ad frugem revocentur, dummodò revocentur. Itaque etiam per impoſturam (quod ajunt) beneficium dare, haud credo eſſe impermiſſum. Quanquam malim ſolidiora uſurpari hâc in re argumenta, & validiora in animis non obeſæ ſolùm, ſed & emunctæ naris hominum, qualia nobis Sacra Scriptura abundè ſuppeditat. Sed videò in eo præcipuè errari, quòd quid ſit pœnitentia, & vera pietas, quævè ſint idonea ad eam ducentia argumenta, ignoretur. Pœnitentiam aliqui in ſolo animi ob commiſſa peccata dolore conſiſtere cenſent: verùm hunc ad ſalutem haud ſufficere Judæ proditoris Chriſti exemplum ſatis ſuperque docet. Illum enim ſummo animi dolore correptum, ſacra refert hiſtoria; & tamen dolor iſte eum ſalutis haud fecit compotem. Inſuper ſunt, qui pietatem in frivolis rebus, collocant: hæcque potiſſimum bona opera eſſe credunt, quibus parari ſalutem æternam poſſe ſtatuant. Quo profectò neſcio an quicquam dici poſſit confidentius: cùm finiti operis noſtri ad infinitum præmium cæleſte nulla ſit proportio. Undè exclamat Apoſtolus, *Non eſſe dignas afflictionis præſentis temporis ad illam gloriam olim revelandam* Rom. VIII. 15. Alii contra adeò operum bonorum, etiam meritò ſic dictorum, gratiam extenuant, ut ea ſordere coram Deo, & nullius apud eum valoris eſſe jactitent. Quo pacto non mirum eſt homines ſegniores reddi in pietatis ſtudio. Præſertim cùm & ad juſtificationem nihil facere noſtra pia opera, & humanas vires ſuperare Chriſti præcepta, exiſtimetur. Scilicet *ſtudium cum ſpe ſeneſcit*, ut ille ait, *& quod quis aſſequi non poteſt, ſequi deſinit.* Adde jam æterna prædeſtinationis & reprobationis de unoquoque individuo abſque ulla conditione facta & mutari neſcia decreta: adde perſolutum Chriſti obedientiâ tam activâ quam paſſivâ ſufficientiſſimum pretium pro peccatis noſtris omnibus præteritis, præſentibus & futuris: adde ſervam voluntatem humanam: & juſtificationem ſola fide dè Chriſti meritò abſque ullis, etiam Euangelii, operibus obtinendam: nec non ſexcenta alia veræ pietatis impedimenta. Quibus ſententiis qui innutriuntur, non magis, puto, pietatem colere poſſunt, quam benè olere, qui in culina habitant, ut elegantiarum arbitri verbis utar. Per ejuſmodi quippè dogmata perit omnis, etiam optimorum argumentorum vis, quibus hominum mentes incitari ac permoveri ad pietatem poſſunt. Quocircà edoceri primùm homines velim, pœnitentiam ſalvificam non in animi modò, ſed & in totius vitæ tempeſtivâ correctione atque in melius mutatione ſitam eſſe. Pœnitentia enim nihil aliud eſt, quàm reſipiſcentia: is autem verè reſcipit, ſeu poſt factum ſapit, qui mutat curſum, ubi videt ſe malè currere. Deinde pietatem conſiſtere in ſanctitate morum, in depoſitione habituum vitioſorum, in exercendâ ergà omnes charitate, in intima Dei reverentia, in affectuum ac cupiditatum carnalium coërctione. De qua pietatis deſcriptione ſi quis, an recta ac legitima ſit, addubitet, videat, ut illa cum Apoſtoli deſcriptione apprime congruat, qui totam officii noſtri Chriſtiani rationem in eo reponit, *ut abnegatâ impietate & mundanis concupiſcentiis ſobriè, & juſtè & piè vivamus in hoc ſeculo*, atque ſic *exſpectare* nos jubet *beatam illam ſpem & illuſtrem adventum gloriæ magni Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Unde etiam, tametſi nullum ſit operum noſtrorum meritum, ea tamen neceſſaria eſſe ad ſalutem intelligitur: cùm nonniſi hac lege nobis ſempiterna beatitudo promittatur, atque hoc, non alio, fine *apparuiſſe gratiam Dei ſalutarem omnibus hominibus*, ibidem dicatur Tit. II. 11, 12. alibi verò *ſine ſanctimonia neminem Dominum viſurum eſſe*, diſertè affirmetur. Hebr. XII. 14. *Obſervatio mandatorum Dei* utramque in religione Chriſtiana facit paginam 1 Cor. VII. 19. Hæc eſt illa *fides per charitatem efficax.* Gal. V. 6. *& nova illa creatio, quæ ſola in Jeſu Chriſto valet.* Gal. VI. 15. Bona opera ſunt anima fidei Chriſtianæ, utpote *ſine quibus hæc mortua* cenſetur, perindè *ac ſine anima corpus mortuum eſt.* Jac. II. 26. *Sine bonis operibus, neque vocatio neque electio Dei firma eſſe poteſt* 2 Petri I. 10. Mortis Chriſti maximam vim & operationem ſeu efficaciam eſſe credo. Is enim

Scriptura S. ſolida & certa pietatis magiſtra.

Pœnitentia quid ſit.

Peccata dolere non ſufficit, niſi excutiantur.

Bona opera non ſunt res ludicræ, ſed ſolida pietatis officia.

Vita æterna donum. Rom. VI.

Deus nobis debitor factus eſt non aliquid accipiendo, ſed quod ei placuit, promittendo. Auguſt.

Chriſti præcepta gravia non ſunt. a Johan. V.

Præcepta Spiritus non ſunt impoſſibilia. Baſil.

Sola fides non ſervat niſi pietatem habeat ſociam Jac. II.

Pietatis impedimenta remove.

Fides ad ſal. non ſufficit. Cypr. Hieron. Auguſt. Naz. Chryſoſt. &c.

Pœnitentiæ continuæ & ſe viciſſim propter peccata excipientes nil differunt ab his qui omninò non crediderunt. Clem. 7. Strom.

Pœnitentiam agere eſt & perpetrata plangere & plangenda non perpetrare, Greg.

Pœnitentia vera veniam promeretur, ſimulata Deum irritat. Eſit.

Culpas qui poſt lachrymas repetit, poſt baptiſma mortuum tangit. Greg.

Peccatum lutum facit. qui plangit & iterum admittit, quaſi quis lavet laterem crudum, quem quantò magis abluit, tantò magis Hiſt. 1. de pœnit.

hirci

hirci illius emiſſarii inſtar peccata populi in deſertum ſecum aſportantis, etiam *delicta noſtra in corpore ſuo ſurſum tulit in lignum crucis: illius livore ac vibicibus ſanati ſumus*, ut habent verba St. Petri. Sed omittendum non eſt, quod ibidem additum eſt, id ideò factum, ut impoſterum *peccatis mortui juſtitiæ viveremus*. Hanc enim conditionem ſemper adjicere amat Scriptura, maximæ divinæ gratiæ noſtra officia adjungens. Ac proindè Chriſtus mortuus eſt ſanè pro nobis omnibus, ſed in eum finem, * *ut non nobiſmet ipſis viveremus, verùm illi qui pro nobis mortuus eſt ac reſuſcitatus* 2 Cor. v. 15. † *ut nos redimeret ab omni iniquitate, & pararet ſibi populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum* Tit. II. 14. Eſtque hæc conditio expreſſè annexa, ubi ſanguinis Chriſti efficacia ex profeſſo deſcribitur: *Si in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, communionem habemus ad invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato* 1 Joh. I. 7. Quam conditionem ſæpius miratus ſum omitti vulgò à Chriſtianis, & ſola hæc paſſim verba crepari: *Sanguis Jeſu Chriſti filii Dei emundat nos ab omni peccato.* Quo pacto quam ſeipſos & alios deludant ac decipiant homines, vix dici poteſt. Neque verò mihi placuit unquam eorum ſubtilitas, qui indecorum eſſe reputant, ut Deus decreta ſua ab aliquâ conditione & voluntate hominum incerta ſuſpendat. Quaſi ſcilicet illi meliùs ſcire poſſent quid Deo dignum ac decorum ſit, quam Deus ipſe, qui in ſcripto ſuo verbo apertiſſimè ab hac conditione: *Si in luce ambulaverimus*, decretum noſtræ ſalutis ſuſpendit. Hæc conditio & in aliis infinitis locis expreſſa eſt: *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini, ſi autem Spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis* Rom. VIII. 13. *Si unà mortui ſumus* (ſcilicet cum Chriſto) *etiam unà vivemus: ſi patimur unà regnabimus* 2 Tim. II. 11, 12. *Si manſeritis in me*, verba ſunt Chriſti, *& verba mea manſerint in vobis, quicquid volueritis petetis, & fiet vobis* Joh. XV. 7. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* ℣. 10. *Vide ergò bonitatem & ſeveritatem Dei: in lapſos quidem ſeveritatem, in te autem bonitatem, NB. ſi permanſeris in bonitate: alioquin & tu excideris. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur* Rom. XI. 22, 23. *Mulier ſervabitur per liberorum generationem*, NB. iterum, *ſi permanſerit* (intellige mulier) *in fide, & charitate & ſanctificatione cum modeſtia* 1 Tim. II. 15. Et quis tandem omnia loca enumeret? attentè Sacras Literas legentibus paſſim talia loca ſunt obvia. Sed & ipſa Fœderis natura, quod Deum per Chriſtum nobiſcum pepigiſſe teſtatiſſimum eſt, hanc conditionem requirit. Quis enim unquam fando audivit de aliquo fœdere, in quo alteri parti nulla imponeretur conditio? Hic igitur, quod alias ipſi iniquè urgent, Scripturâ loquente rationem obmuteſcere decet. Eſt enim perverſa ratio, quæ clariſſimæ Scripturæ contradicere ac ſeſe opponere audet. Alioqui ratio, ſi rectè adhibeatur, nunquam Scripturæ contraria eſt, nec lumen naturale à ſupernaturali extinguitur, ſed augetur potius ac perficitur: tantuſque eſt inter utrumque conſenſus, ut ſine naturali lumine, ſupernaturale nulli prorſus ſit uſui. Ut enim oculis naturalibus opus eſt ad legendum S. Literas, ita & naturali facultate intelligendi ad verum ſenſum percipiendum. Quod nî conceſſeris, etiam bruta rationis expertia ad intelligendas S. Literas apta eſſe concedas neceſſe eſt: quod abſurdiſſimum eſſe quis non videt? Verum enim verò illa, de qua egimus, conditio Fœderi inſerta, neceſſitatem bonorum operum fortiſſimè evincit: eſtque extra omnem controverſiam efficaciſſimum argumentum ad pietatis ſtudium animis hominum ingenerandum: certè multò efficacius, quam quod à Cometis & incertis cæli prodigiis deſumitur. At video me jam dudum è Mathematico campo in Theologicum eſſe delatum: & ea tetigiſſe orbis Chriſtiani ulcera, quæ abſque exquiſito doloris ſenſu tractari ſe non patiuntur. Itaque retrò vela verto, & me in portum recipio. Faxit Deus benigniſſimus ut gens Chriſtiana hæc aliquandò ſeriò expendat, & ex diuturno ſomno expergefacta perſpiciat eorum dogmatum infirmitatem, quæ pro religionis ſuæ prorâ ac puppi

 habet,

** Crucem reſpicere nil aliud eſt, quam ut huic mundo quaſi mortuos ac crucifixos nos præbeamus, fixos in virtute, immobiles in peccando, Dei ut ait Pſalmiſta, timore quaſi clavo carnem noſtram infigentes.* Nyſſ.

† Spiritus S. in fide, ſpe atque charitate & aliis bonis, ſine quibus ad cæleſtem patriam non poteſt perveniri, ſicuti eſt humilitas, caſtitas, juſtitia atque miſericordia fæcunda perfectorum corda non deſerit. Greg.

Credere in Chriſtum eſt amando in ipſum tendere. Aug. vid. diſt. 2. c. *charitas.*

Prædicta Dei ſententia eleemoſynis & miſericordiâ mutatur. Hie. Vid. diſt. 1. de pœnit.

Deus fecit te ſine te, ſed non te juſtificat ſine te. Aug.

Fœderis novi natura conditionem pietatis includit.

Ratio Scripturæ S. opponere ſe non debet:

Recta opponenda ei non eſt, cum ei ut dominæ miniſtret, eam ut ducem ſequatur.

Rationis ſobriæ neceſſarius in ſacris uſus.

Fides eſt neceſſaria, neceſſaria & charitas.

Fidei murum habere non ſufficit, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur. Hier.

habet, quibuſque tanquam dulciſſimis pulvinis ſecurè ac placidè indormit. Tuum verò Vir Amiciſſime fuerit dicta hactenus boni conſulere, & favore perpetuo proſequi

Tibi addictiſſimum

JOACHIMUM STEGMANNUM.

Hamburgo Manhemium die 20. *Septembris* 1665.

S. P. Reverende &c.

Auctor Stegmanni literas gratas habet. Breviter ad eas inter multos labores reſcribit. Cæleſtia ſtudia à nonnullis temerariè tractantur. Eruditio cum modo habenda. Intemperantia literarum cavenda. Certa ab incertis ſecerne. Errorum effugiendorum ratio.

LIteræ Tuæ Kal. Majis datæ, non tantùm meram in me benevolentiam, ſed & veram pietatem ac multam eruditionem ſpirantes, pergratæ mihi fuerunt. Quæ quidem amplum reſponſum ſuo jure exigunt, ſed Tu, qua es æquitate & erga me benevolentia, breviori ab amico multis laboribus gravato, contentus eris. Prudenter ſanè & peropportunè mones cæleſtia ſtudia cum modo & pudore tractanda. Multi enim illa maximè ſublimia & humanæ menti impervia penetralia curioſè involant, ut exindè de vita & fortuna hominis decreta ferre non erubeſcant. Quanquam & alias eruditionem cum modo, ut cibum licet ſalubrem, habendam, nec tantùm parandam ſed & fruendam ſapientiam eſſe, veteres Philoſophi monent. Nec dubium eſt in omni literarum genere non tantùm certa ab incertis, vera à probabilibus; ſed & neceſſaria ab utilibus ſecernenda eſſe ei qui tutius incedere & errores circumſiſtentes effugere velit. Tùm verò & temerariam judicandi & decernendi de rebus arduis audaciam cavendam eſſe.

Temeritas in judicando cavenda. Corpus à ſpatio vacuo diſtinctum. Vacuum dari multi demonſtrant. Guertchius pater Vacuum dari docet. Cometæ Eclipſibus in eventibus immeritò comparantur. Cometarum lumen potius ſalutare quam exitioſum. Sidera tantùm lucent, non agunt in inferiora. Stellæ ſignandis temporibus a Deo datæ. Stegmannus Auctori de ſignif. Comet. favet. Cometæ quomodo contemplandi: Nullæ malorum notæ eis inſcriptæ. Squarcialupus benignè de Cometis judicat.

Illa diſputatio de Vacuo, non videtur utilitatis propemodùm neceſſariæ vacua. Intereſt enim ſcire quo loco ſint omnia. Cum autem corporum penetratio non detur, rectè colligis corpus quod ſit in ſpatio vacuo, à ſpatio diſtinctum eſſe. Noris credo dari qui per extractionem aëris vacua corpora oſtendant, magnumque uſum inventis ſuis præſtent. Sed hæc arcanorum naturæ rimatoribus relinquamus. De hac quoque re aliquid in opere meo dicetur, poſtquam Ampliſſimus Dominus Otto Guerichius Conſul Magdeburgicus, ſtrenuus illius de Vacuo ſpatio ſententiæ defenſor, hanc hypotheſin ad probandam ſuam de Cometis opinionem adhibet. Hocce verò de Cometis argumentum eſſe perdifficile, ideòque modeſtè tractandum, prudenter mones. Eclipſibus immeritò quod ad eventus attinet comparari Cometarum apparitionem meritò urges, cum ibi lumen terris ſalutare intervertatur, hîc fulgeat, quod, ſi eventus æquis oculis ſpectes, tam pernicioſum quam ſalutare dicendum. Imò verò magis ſalutare, quòd & plura bona & læta ſequi ſoleant, & naturæ luminis calor, proindè ſalutaris efficacia, magis conveniat. Sidera, ſolo Sole, caloris & ſalutaris efficientiæ fonte excepto, in inferiora agere, negabit Tibi Clariſſimus Leuneſchloſſius Veſter, qui his ſolum lucendi officium deputat. De herbarum virtutibus reſponderi quis poterit, earum notitiam Salomoni datam à Deo fuiſſe, haſque ex vicinia operari. Sideribus verò lucendi, tempora & hemiſphæria deſignandi & dividendi officium, & remotiſſimas à terra ſedes à Deo attributas eſſe. Quòd in meliorem de ſignificatione Cometarum partem inclines, & prædictiones Aſtrologicas in SS. LL. damnari dicas, meritò facis. Signa cæli nequaquam ſunt ridenda vel contemnenda: neque tamen ideò metuenda, ſed ut indicia divinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis contemplanda. Tùm verò præcipuè illa rariora Cometarum inter argumenta divinæ juſtitiæ præmia & pœnas prænunciantis & incitamenta pœnitentiæ ducenda. Cometis nullas malorum notas impreſſas, nec eis per ſe ineſſe quidquam infauſti, rectè dicis. Imò verò *crinitæ effectibus non malæ, ſæpè etiam bonæ: cauſſis verò minimè timendæ: formâ, facie, calore maximè jucundæ*, ut utar Marcelli Squarcialupi,

Viri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Viri doctiſſimi verbis, quæ ille hoc argumentum pertractans ad Magnum Dudithium perſcripſit. Solent vulgò homines fulgura & fulmina metuere. Id quidem ego non probo. Vir enim pius, hanc cæleſtis Patris ſui vocem, hæc jacula malis metuenda cogitet, convenit. Neque tamen ideò ridenda fulmina vel fulgura unquam dixero: quod nec impius Caligula olim ad ultimum ſuſtinuit. Ita in omnibus Dei operibus & actionibus tam bonitas quam ſeveritas ejus, integræ juſtitiæ indicium elucet. Experientiam circa eventus Cometarum triſtes fallacem eſſe meritò memoras. Nam non ſemper mala, etiam bona ſæpius ſequuntur Cometas, illa vero etiam ſemper antecedunt. Sed & Annales Cometarum ſæpè fallunt. Non ignorabat *Ariſtoteles Vir doctiſſimus, quàm incerti ſint & fallaces annales, in quibus prodigia & horum exitus imperita multitudinis relatu digeſti ſunt*, inquit ibid. idem ille Marcellus. Ne multa: dabo non obſcurum exemplum. Tribuitur Cometæ miſerandam Mieſconis Ducis Poloni, à muribus circa 1230 eroſi fatum. Erit ille, credo, qui Meſco Dux Maſoviæ Funccio ad 1238. Mieciſlaus Caſſiſconus Alſtedio ad 1236. in mirabilium Dei Chronolog. vocatur. Eodem fati genere Wilderolphum Epiſcopum Argentin. Alſted. ibid. ad ann. 997. Pantaleon ex Munſtero circa 993. Calviſius anno 1013. militem quendam conſumtum memoriæ prodit. Imo vero noſtri Annales Popielum Ducem circa 823. Germanici Hattonem Epiſcopum Moguntinum circa 968. in mediis aquis à muribus, è cadaveribus crematorum hominum natis, arroſum memorant. Si hoc parum eſt: tribuitur ab Alſtedio Cometæ anni 1240. montis in Burgundia anno ſequenti avulſio & cum altero monte conjunctio 5000. hominum obrutis fatalis. Ut taceam ſimilem hiſtoriam montis avulſi & in Rhodanum præcipitati à Sigonio in annum 562. referri, hic certè mons Burgundicus ab aliis in 1241. (vide Trithemium Chron. Hirſaug. & Balæum in Actis Pontificibus) ab aliis in 1249. ab aliis in 1251. ponitur. Si hoc parum eſt: cuncta triſtia quorum Cometæ dicuntur præſagia, viciſſim Cometarum, vel alioqui nova præſagia ſunt illis, qui talibus dediti certæ veritatis ſuique ipſorum parum ſunt memores. Quo non immerito retulere eventus, quos ipſi ut lætos & ſalutares approbant, inter triſtia relatos, ut reformatio Wicleſi, Huſſi, Lutheri aliaque. Illis omnibus quæ ex Scriptura Canonica adfers ad oſtendendam veræ pœnitentiæ, fidei & pietatis naturam, addo egregia antiquorum Eccleſiæ Doctorum monita. Nunc unica Clementis Romani, primævæ ſimplicitatis ſtudioſi gnome, contentus eſto.

Fulgura & fulmina nec ridenda nec metuenda.

Dei juſtitia ubique apparet.

Experientia fallax etiam circa Cometas.

Cometarum annales fallaces.

Dubrav. Bohem. l. 15.

Murium corroſione plures periêre.

Mons avulſus alteri junctus aliquot millia hominum obtrivit:

Factum id diverſis annis adnotatur.

Cometomantes ſibi contradicunt.

Inſpector omnium Deus & Dominus ſpirituum & omnis carnis, qui elegit Dominum Jeſum Chriſtum & nos per eum in populum peculiarem, det omni animæ, quæ ſanctum & glorioſum nomen ejus invocaverit, fidem, timorem, pacem, patientiam, lenitatem, continentiam, ſanctitatem & ſapientiam, ut nomini ejus rectè placeat per ſummum Sacerdotem & Præſidem noſtrum Dominum Jeſum Chriſtum, per quem illi ſit gloria, majeſtas, poteſtas, honor & nunc & in ſecula ſeculorum Amen.

Clementis Romani epiſt. ad Corinthios commendatur:

Ejus pium votum.

Licet vero S. Scriptura plurima ubique contineat monita ad pietatem, ego tamen his illuſtribus Cometarum phœnomenis omnes homines officii admoneri & ad pietatem invitari, præmiorum hinc, pœnarum illinc recordatione, probare inſtitui. Hæc enim cæli ſigna in oculis omnium ſunt & vulgo mala portendere creduntur. Sacra oracula proh dolor! à multis deſpicatui habentur. Sed jam finio. Valete in Domino. Fidiſſimum Collegam Generoſum Viſſovatium, affinem meum plurimùm colendum ſaluta, & ut ille quoque ſententiam ſuam de eodem argumento mihi perſcribat, inſtanter meo nomine roga. Eſt enim dignum eximiâ ejus eruditione argumentum. Iterum Valete.

Scriptura S. plena eſt monitorum ad pietatem.

Auctor cur monita pia à Cometarum apparitione petat.

Viſſovatium Auctor ad ſententiam de Cometis ferendam invitat.

Ad Reverendum Joachimum Stegmannum.

T. ſtudioſiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Manhemio Hamburgum die $\frac{15}{25}$. Septembris 1665.

Generoſe Domine, Amice multùm colende.

Wiſſovatius Cometam 1618. vidit decennis.

Ejus modeſtia,

Erga Auctorem benevolentia,

De Cometis ſententia.

Neſcimus multa.

Cometicum argumentum arduum.

Ariſtotelica de Cometis ſententia.

Cometæ quibuſdam ſunt Planetæ, rarò apparentes mundo coævi.

ASTri iſtius extraordinarii comati quod Cometam vocant, conſpectus, mihi quidem non planè novus accidit. Nam anno Chriſti Nati 1618. ſimile huic lumen cæleſte ſpectavi cum aliis; ſed tunc puer decennis eram. Tu vero, ô amice eximie, ejus apparitione nupera ita es commotus, ut etiam Syntagma quoddam operoſum, ſicut ſignificas, de hoc phænomeno ac de luce iſta cæleſti inuſitata concinnatum, in lucem emittere mediteris. Eo fine Viros eruditos multos in multis regionibus diſſitis degentes, per literas quaqua verſum miſſas compellaſti, ut ab eis de Cometa iſto ſententias eliceres, eaſque velut flores decerptos iſti operis tui ſerto inſereres. Quin etiam à me pro amicitia noſtra priſtina poſtulaſti, ut aliquam Symbolam ad hoc opus tuum ipſe quoque conferrem. Ego vero ad ordinem illum eruditorum Senatorium, quibus de rebus ejuſmodi ſententiam quæ notetur dicere fas eſt, non perveni: vix è plebejo ordine excedens, ad equeſtrem ægrè accedens. Præſertim autem Mathematicas artes, quarum auxilio & adminiculo hîc opus eſſet, non tractavi ſerio, ſed obiter ſolùm attigi, aliis, ut noſti, ſtudiis deditus. Nihilominus quum tuæ petitioni amicæ ſæpius repetitæ reluctari diutiùs non liceat, afferam quidpiam; idque non ut aliquid notabile dicatur, ſed ne taceatur: ſicut ait quidam in alia graviore materia. Inter alia rerum naturalium arcana, de quibus magna pars veri adhuc in profundo illo Democriti puteo demerſa, etiam excellentes ſapientiæ profeſſores latet, difficilis perceptu eſt natura Cometarum. Hinc variæ ſunt de iis exortæ Philoſophorum opiniones; quibus omnibus recenſendis, quùm tu, ut reor, in iſto Syntagmate tuo id facias, ego nunc ſuperſedebo. Celeberrimæ inter eas ſunt duæ: una quam Ariſtoteles eique penitùs addicti Peripatetici tuentur, Cometam nihil eſſe aliud quàm Meteorum, ortum ex fumis terreis in aërem ſupremum evectis, & illic iis à motione corporum cæleſtium accenſis, lucens. Altera autem ſententia eſt eorum, qui Cometas eſſe ex numero ſtellarum, ac præſertim Planetarum, ſed raro apparentium, ſtatuerunt, atque inter æterna naturæ opera eis locum aſſignaverunt.

Ariſtotelis ſententia de Cometis exoleſcit.

Naturæ liber docet multa veri amantes.

Ariſtoteles regnavit in Republica literaria.

Philoſophicæ Reipublicæ libertas convenit.

Illa opinio Ariſtotelica jam ferè exoleſcit inter eos, qui rerum naturalium cognitionem, non ex librorum Ariſtotelis, quaſi ii norma veritatis eſſent, lectione, ſed ex ipſarum rerum accurata conſideratione, & magni iſtius libri Naturæ contemplatione atque evolutione percipere conantur. Sicut & ipſa illa hujus Stagiritæ Macedonis authoritas Monarchica, quam iſte velut Alexandri illius Magni, diſcipuli ſui, æmulus, in Republica philoſophica, quæ libera eſſe debet, per multa ſecula obtinuit, contra quam velut divinam vix mutire aliquid ævo ſuperiore licebat, jam ſenſim minuitur, apud eos qui experientiâ cum ratione,

> Nullius addictâ jurare in verba magiſtri,

Ariſtoteles magnus Philoſophus in multis tamen erravit.

Gaſſendus laudatur,

Sententiam Ariſtotelis de Cometis refutavit.

Cometarum diuturna duratio docet eos non ex fumis terreſtribus oriri.

conjunctâ, ita ut oportet, philoſophantur. Quanquam enim Ariſtotelem eſſe alioqui magnum & ſubtilem philoſophum non eſt diffitendum; tamen ejus dogmata non pauca utrique iſtarum, id eſt, tùm experientiæ tùm rationi repugnare, jam à Viris cordatis re ipſa evidenter oſtenditur. Inter alios autem liberè prout decet philoſophantes, Gaſſendus præ cæteris hujus ſeculi philoſophis eximius, quem mihi, quum Lutetiæ Pariſiorum degerem, affari contigit, eam Ariſtotelis de Cometis opinionem rectè refutavit. Præter alia oſtendens quod, ſi ex terræ exhalationibus, ſeu fumis orirentur Cometæ, non poſſent tam longo tempore durare, ut interdum per ſemeſtre ſpatium ſint conſpicui

ſpicui

ſpicui (quanquam etiam per triennium quoſdam eorum viguiſſe, hiſtorias quaſdam teſtari ſcripſit Comenius) neque etiam poſſent, & figuram ita conſiſtentem, & motum progreſſivum æquabilem ac quodammodo regularem habere. Niſi fortè Peripatetici, ſicut tot orbibus cæleſtibus ſingulas Intelligentias ad eos movendos aſſignarunt, ita Cometis aſſignent aliquos Angelos à quibus moveantur. Nec vero hîc ſuppetias eis afferet illud, quod afferunt, cæli ſupremi ſeu primi mobilis, ut vocant, Sphæram, ſolidam velut adamantinam, ea quæ intra ipſam continentur corpora, motu ſuo abripere, & intra horas 24. circumgyrare. Nam tùm illam cæli ſoliditatem, tùm iſtum ejus violentum raptum, vana eſſe commenta, jam à non paucis rectiùs philoſophantibus agnoſcitur. Maximè autem inde iſta Ariſtotelea de Cometis opinio refellitur, quod Cometæ etiam ſupra aëream regionem & ſupra Lunam, (quod & in nupero obſervatum eſt) imo, ut quidam teſtantur, & ſupra Solem aliquando apparere deprehendantur, dum per Teleſcopium ſeu tubum opticum ſpectantur. Atque in confeſſo eſſe reor exhalationes ſive vapores, ſive fumos è Terra prodeuntes, iſtos inquam terræ filios, Gigantes, tam altè in cælum non aſcendere. Præſertim apud Ariſtotelicos, qui ſphæram quandam igneam inviſibilem ſub concavo Lunæ, non à Deo ſed ab Ariſtotele creatam habent; à qua exhalationes iſtæ eo tendentes antequam altiùs aſcenderent comburerentur; vel ſi eam combuſtionem evadere poſſent, à cælo Lunæ, quod iidem ſolidum ac durum fabricarunt, ad ſuperiora non tranſmitterentur. Id ipſum autem etiam cæli immutabilitatem ab Ariſtotele aſſertam deſtruit & conficit, quod in ipſo cælo ſupra lunari æthereo, Cometæ antea non viſi & appareant & rurſus penitùs diſpareant: quos ipſi Ariſtotelici & oriri & interire non diffitentur. Is porro Cometarum ſupra Lunam ſitus benè etiam inde probatur, quod ex diverſis locis multum à ſe remotis eodem tempore à diverſis Uraniæ cultoribus ſpectati, minorem quam Luna parallaxin, ſeu loci in quo ſiti videntur diverſitatem, imo aliquando nullam habere obſerventur.

Comenii Cometa triennalis.
Cometarum forma conſiſtens & motus regularis eos non ex fumis oriri docet.
Intelligentias orbibus cæleſtibus aſſiſtentes aſſignant Peripatetici.
Cæli ſupremi ſphæra Peripateticis ſolida.
Primi mobilis circumactus.
Cometæ ſupra Lunam aliquando & ſupra Solem.
Vapores terreſtres ſupra Lunam non aſcendunt.
Cæli immutabilitatem Cometarum in cælo apparitio & diſparitio refutat.
Cometarum ſedes cæleſtis parallaxi probatur.

Sed & iſtorum opinio, qui Cometas eſſe ſtellas cæleſtes, velut Planetas quoſdam, non naſcentes & intereuntes, ſed è conſpectu noſtro ad tempus diuturnum ſe ſubducentes, & rurſus in conſpectum redeuntes, docens, non caret magnis difficultatibus, quas & Ariſtoteles protulit, & alii proferunt. Ut cæteras, prolixitatis vitandæ cauſſà prætercam, illa mihi videtur non exigua, quod, etiamſi eis illud detur, Cometas in profundo veluti pelago cælorum demerſos, rurſus poſt longum temporis intervallum eoſdem emergere, aut quaſi viatores poſt diuturnam in remotas regiones peregrinationem reverti; id quod tamen probari nequit: nihilominus illud nondum oſtenſum ſit, erronum iſtorum Cometicorum apparitionem, intra certam periodum & per ſtata tempora ordinariè recurrere; ut fieri deberet ſi Cometæ ad perpetua naturæ opera, adeoque ad Planetarum, qui certas periodos ſuas obſervant, cenſum & claſſem pertinerent.

Cometas non eſſe Planetas extraordinarios Viſſovatius probat:
Quòd ad nos non redeant iidem,
Nec ſtatas apparitionis periodos ſervent.

Hiſce igitur opinionibus ob hujuſmodi difficultates rejectis, quid de Cometarum natura certi ſtatui poſſit, peritis naturæ myſtis diſpiciendum relinquo, & ex ipſo tuo hâc de re Commentario, ubi in publicum prodierit, diſcere volo. Faciliùs eſt de re quapiam difficili quid ea non ſit, quam quid ſit cognoſcere & enarrare. Interim, antequam meliora docear, non improbabilis mihi videtur ſententia eorum, qui exiſtimant Cometas iſtos, quia in cælo exiſtunt, ita ut ibi oriantur & intereant, ex cæleſtium corporum materia, quæ ſublunari genere ſimilis eſt, generari. Ita ſi inter illas ſententias extremas hæc quaſi media, ex utraque aliquid rejiciens & aliquid retinens, teneatur, utriuſque incommoda forſan evitari poterunt.

Eoſdem ex cæleſtium corporum materia generari probabile docet.

Ariſtotelici quidem aliqui cælo materiam denegant, ut Averroës, Zabarella; ſolam formam ei tribuunt, quo id ſubſtantiam ſimplicem non compoſitam eſſe tueantur. Sed hujus commenti vanitas vel inde patet, quod cælum ſit corpus,

Cælo materiam denegant Peripatetici,
Refutantur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cælo materiam quidam Peripateticorum tribuunt ſed ab elementari diverſam. Dari in eo mutationes Cometæ monſtrant. Snellii de Cometis ſententia, Oppoſita Ariſtoteli, Improbatur Gaſſendo. Solis eructationes, quæ aliis maculæ vocantur, Viſſovatius non negat: ſed materiam Cometarum ex aliis globis potius colligi putat. Planetarum globi corpora opaca à Sole illuminantur. Luna velut altera terra. Veneris obſervatio ſingularis. Terra meritò inter Planetas refertur. Viſſovatii ſententia de Cometarum generatione. Campanellæ de Cometis ſententia. Cometæ eclipſin patiuntur. Kepleri ſententiâ de Cometis Viſſovatius illuſtrat ſuam. Planetarum exhalationes materia Cometarum. Peripatetici opinionum tenaces. Viſſovatii modeſtia.

corpus, proindè habeat quantitatem molis, quæ eſt materiæ propria affectio. Alii concedunt quidem cælo aliquam materiam, ſed eam à materia elementari prorſus aliam ſtatuunt, ne concedant cælum etiam alterari atque mutari poſſe. At in cælo dari mutationes, oſtendunt vel ipſi iſti Cometæ cæleſtes, ut jam eſt indicatum. Snellius quidem putavit Cometam eſſe quoddam veluti fruſtum ex Solis maſſa decerptum: quùm Sol actu ipſo calidus, imò igneus exiſtens, quamvis invito Ariſtotele, non tantùm lucem quæ ſubſtantia ignea eſt, utpote calefaciens, urens &c. ex ſe emittat, ſed etiam eructet nubes quaſdam, quæ ab Uranoſcopis recentioribus obſervatæ, maculæ Solis vocari conſueverunt; ex quibus ille Cometas fieri eſt opinatus. Quæ opinio à Gaſſendo refellitur. Ego verò non video quid abſurdi ſit, ſi quis non quidem è Sole, ſed ex aliis cæleſtibus globis Cometarum materiam provenire exiſtimet. Quandoquidem jam compertum eſt Planetarum globos eſſe corpora opaca, quæ ex ſe non lucent, ſed à Sole in centro mundi noſtri ſito, illuminatur. Id non tantùm de Luna, quæ velut altera Terra eſt, conſtat, verùm etiam de Veneris aſtro obſervatur: de cæteris autem planetis cæteroqui ſimilibus, per analogiam colligitur. Hinc proclive eſt ſuſpicari, ut ex Telluris globo, qui ipſe quoque inter Planetas non immeritò refertur, emanant exhalationes, è quibus accenſis Cometas oriri putant Peripatetici, ita ex iſtis Planetarum diverſorum globis emanare poſſe ſimiles halitus, qui in ipſo cælo ſuperiore ſupra Lunam collecti, & vel ibi accenſi, vel potius à Sole, à quo plerumque averſam comam ſeu caudam habere ſolent, luce reflexa illuminati, Cometas conſtituant. Præſertim, ſi verum eſt, quod Campanella teſtatur, Cometas, ut non quidem planè opaca ſed ſemidiaphana corpora, per umbram Terræ, inter eos & Solem interpoſitæ, Eclipſin pati, ſimiliter ut Lunam. Si celebris ille Mathematicus Keplerus opinatus eſt ex aura ipſa ætherea, variis in locis in moles quaſdam Orbiculares concreſcente Cometas efformari, cur non ego poſſim opinari eos ex iſtis, quas indicavi, Planetarum exhalationibus exoriri? Si quis huic meæ ſuſpicioni objiciat aliqua eorum, quæ Ariſtotelicæ ſententiæ de exhalatione terrea Cometas conſtituente objiciuntur: ut quòd hâc ratione ex Planetarum exhalationibus coägmentati Cometæ etiam non durabiles eſſent, ſed mox evaneſcerent, & quod figuram conſtantem, atque motum talem non haberent; dicam primò Planetarum illorum globos, etiamſi in genere globo Telluris ſint quodammodo ſimiles, tamen in ſpecie eſſe diſſimiles, & proinde poſſe illorum exhalationes, & ex eis compacta corpora diverſas à terrenis & perfectiores habere qualitates, & diuturniorem durationem, & motum in illa aura ætherea talem qualem in aëre meteorum quodpiam lucidum non habeat. Deindè, quæ Peripatetici pro Dictatoris ſui Ariſtotelis opinione ab aliis oppugnata defendenda, ex præcipuis mentis illius interpretibus, afferent, ut ſunt cedere neſcii; ea ab illis accepta ego, quamvis meliora monenti cedere paratus, tantiſper pro mea ſuſpicione, quæ paucioribus, ut ſpero, quam illa opinio inconvenientibus urgeri poterit, afferre forſitan potero. Denique non continuo ero exſibilandus & explodendus, ſi mea opinio paradoxa erit, & difficultatibus obnoxia videbitur: quum non pauci philoſophi celebres dogmata quædam ſua non minus paradoxa, & difficultates afferentia evulgarint, & tamen non idcircò è Philoſophorum ordine fuerint exturbati.

Philoſophus verus.

Quanquam ego in Philoſophorum Catalogum nomen inſeri meum non ambio. Niſi quatenus Philoſophus ſignificat amatorem ſapientiæ, eatenus me profiteor eſſe Philoſophum, nempè hujus eximiæ Virginis Sophiæ procum, quamvis nondum Sponſum, nedum maritum eâ potientem.

Viſſovatius idem quod Fromundus de Cometarum generatione dixit.

Hæc poſtquam exaravi, inſpexi Alſtedium, qui Liberti Fromundi Meteorologica in compendium contracta Phyſicæ ſuæ inſeruit. Ibi reperi non me primum eſſe cui in mentem venit iſta de Cometarum materia opinio, ſed Fromundum jam eam annotaſſe: undè magis in hac ſententia ſum confirmatus.

Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ita ergò ibi ait Fromundus: *Materia cæleſtium Cometarum* (nam aliquos eſſe etiam ſublunares ſeu elementares Cometis, cum multis Mathematicis ita diverſa eorum genera diſtinguentibus, contra Tychonem Braheum, nullum niſi cæleſtem Cometam unquam fuiſſe pertendentem, ſtatuit) *è ſideribus fortè exhalatur, à planetis inquam, ſi Solem excipias: is enim ab hac exſpirandi lege liber eſt*, [quanquam contrarium ab inſignibus Uranoſcopis aſſertum, antea à nobis eſt indicatum]. *Itaque halitus quidam, vi præſertim Solis, planctarum corporibus exſpirantur, & inde eſt materia cæleſtibus Cometis. Sunt enim cæli & ſidera è ſublunari materia compacta. Nihil itaque mirum ſi radius Solis ex corporibus Planetarum aliquid velut exſugat, undè formari poſſint Cometæ illi ætherii.* Hæc Fromundus.

Cometæ Fromundo alii elementares alii cæleſtes: Tychoni omnes cæleſtes.

Viſſovatii de Cometar. effectis ſententia.

Reſtat ut de Cometarum effectis quidpiam dicam. Accedo hac in parte ſententiæ Burgerſdicii, præceptoris olim mei egregii, qui aſſeruit Cometas poſſe non tantùm pro ſignis ſed etiam pro cauſis haberi aliquarum in aëre mutationum, & inde tempeſtatum, ſterilitatis, peſtis. Gaſſendus, etiamſi tenuem hîc rationem ſubeſſe, & rem ipſam incertam eſſe cenſet, tamen non diffitetur id tribui poſſe ſeu luci, ſeu qualitati alii, ut fit in cæteris aſtris. Et, ſi aliqua ſit effectorum diverſitas, eam ad diverſam Cometarum naturam referri commodè poſſe exiſtimat. Quanquam enim, quod & ipſe opponit, & alii, talia etiam abſque Cometarum apparitione non ſemel fieri, verum ſit, tamen non ideò eſt negandum talem effectum qui ab hac cauſſa fit, etiam ab alia cauſſa fieri poſſe. Nam & ſterilitatis non unam dari cauſſam, ſed etiam una abſente, aliam, conſtat: & quum certum ſit calorem vehementem urere, tamen etiam non temerè cecinit Optimus Maximus Poëtarum,

- - - - - Boreæ penetrabile frigus adurit.

Cometæ non tantùm ſigna ſed & cauſa aliquarum in aëre mutationum, ſecundùm Burgerſdicium & Viſſovatium: Non ſecundùm Gaſſendum, Niſi quodammodò.

Tempeſtates etſi non à ſolis Cometis fiant, fiunt tamen & ab illis.

Urit non tantùm calor ſed & frigus.

At verò animorum humanorum commotiones, ſeditiones, bella, & inde regnorum ac Rerumpublicarum mutationes, atque id genus alia, quæ à voluntatis humanæ arbitrio ex parte pendent, nec à Cometis fieri, imò nec indicari naturaliter, cum Conimbricenſibus Philoſophis, & cum Incomparabili ævi ſui Heroë Julio Scaligero, & aliis, idem Burgerſdicius rectè ſtatuit. Nam etſi non abſurdè docetur, quòd Corporis temperamentum plerumque ſequantur mores animi, qui corpori iſti eſt incluſus, aëris autem mutationes etiam corpus humanum afficere atque immutare non eſt negandum, tamen ab iſtis inclinari tantum aliquantiſper poſſe animos humanos ad tales mores & talia facta, non autem neceſſariò adigi, credendum eſt. Certè non convenit exiſtimare, quòd homines eorumque animi à ſtellis velut neuroſpaſta quæpiam hùc atque illùc trahantur. Profectò à voluntate non poteſt ſeparari libertas, ut agnovit etiam de voluntate agens Burgerſdicius: & qui voluntatis humanæ arbitrium negant eſſe liberum, imò ſtatuunt eſſe omnino ſervum, ii arbitrium negant eſſe arbitrium, contradictione ſeipſos implicantes. Quomodo enim vocari poteſt arbitrium, ubi non agitur aliquid pro arbitrio, ſed pro neceſſitate? Non licet equidem negare voluntatem humanam & vim agendi aliundè pendentem habere, ut & externum ejus quod vult effectum, nempe à ſuprema cauſſa cauſſarum, id eſt DEO Optimo Maximo, ab eodemque talia à voluntate humana proficiſcentia effecta, ut juvari vel permitti, ita etiam impediri poſſe, & ſolere.

Viſſovatius negat Cometam agere in mentem hominis, & vel indicare naturaliter liberas ejus actiones.

Aëris mutationes afficiunt humanum corpus: Et ſic aliquantum inclinant animos hominum, ſed ſine ulla cogendi neceſſitate.

Neceſſitas in arbitrio humano locum non habet.

Gratia divina ad actiones humanas exſequendas concurrit.

Impediri inquam quod ad externam exſequutionem, non autem quod ad internam electionem attinet. Nam is internus voluntatis actus ita liber eſt, ut vel ad ea quæ Rationi, vel ad ea quæ appetitui inferiori bona eſſe videntur, atque vel ab illo vel ab hoc quaſi Conſiliario, Voluntati, ut Reginæ in throno ſedenti, facienda ſuadentur, ipſo ſeſe flectat, & vel illa vel hæc agenda aut omittenda eſſe decernat; & corpori imperet exſequenda. Certum eſt voluntatis libertatem, & coactionis neceſſitatem, adverſis frontibus ſibi repugnare: quippè qui aliquid vult facere, ille non cogitur propriè, quia hoc

Incipere noſtrum eſt, Dei perficere. Hier. adv. Pelag.

Voluntati à conſiliis ratio & appetitus.

Libertas excludit neceſſitatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

eligit, quod vult: & quo cogitur propriè, ille non vult, ſed invitus facit, imò potius patitur cogentis violentiam: ut actio illa quæ tunc fit, non iſti, per quem, ut per inſtrumentum fit, ſed illi à quo, ut à cauſa efficiente fit, ſit attribuenda. Coactum igitur aliquid velle, contra voluntatis inclinationem, eſſet nolle, & tamen ſimul velle, cum inſigni contradictionis implicatione, ac proindè cum abſurditate. Quod ſi aliquis dicat eſſe hîc neceſſitatem non coactionis, ſed inevitabilitatis, vel immutabilitatis, quum tamen iſte qui hoc agit, non invitus, ſed volens ac libens agat, ut ita cum hac neceſſitate conſiſtat ſimul libertas: Dicam, cum Gaſſendo, hanc eſſe quidem ut ſic loquar, libentiam, ſed non eſſe propriè libertatem: quia libertas propriè dicta conſiſtit in indifferentia ad utrumque oppoſitorum: ita ut quod non poteſt non eſſe, id non ſit propriè liberum. Niſi hæc libertas voluntati humanæ tribuatur, ceſſabunt hominum ſtudia & conatus ad bona agenda, & improba vitanda, ceſſabunt proindè virtutes & vitia, ac per conſequens non habebunt ullum locum nec præmia, quæ pro benè factis, nec multò magis pœnæ, quæ pro malefactis voluntariis perſolvuntur: quia iſta in utramque partem non erunt facta illius qui ea feciſſe dicitur, ſed alterius, qui per hunc coactum iſta fecit, velut per inſtrumentum quod ei nequibat reluctari. Quum tamen & Deus ipſe juſtiſſimus mundi rector, unicuique ſecundum opera ejus mercedem redditurus, in ſacris oraculis aſſeratur, & homines juſti Deum imitantes idem meritò faciant. Sed ab hac digreſſione, redeo ad Prognoſtica è Cometis ſumi ſolita. Ea annotavit inter alios Alſtedius: cui in Encyclopœdia contexenda, adfuit quidem ſedulitas, quæ nominis ejus anagramma continet, ſed videtur non æquè adfuiſſe judicium defœcatum, in dogmatibus veris ex numero aliorum ſeligendis, & vanis rejiciendis. Is ſcripſit, *Cometæ in ſignis terreis ſterilitatem, in aqueis, ſteriliatem & peſtem, in aëreis, ventos inuſitatos, ſeditiones & peſtes, in igneis, incendia & bella denotant.* At ſigna iſta cæleſtia ſeu aſtra, hoc modo elementis certis videntur aſſignata, non pro naturali ratione, ſed pro Aſtronomorum vel Aſtrologorum arbitrio, qui non modo aſtrorum leges enarrare, ſed ipſis aſtris leges quodammodo ferre ſatagunt. *Cometa* (inquit idem ille) *matutinus, meridianus, vel veſpertinus, ſignificat mortem principis.* Sed & hîc quæ poteſt dari vera ratio? quæ cauſſæ illius cum iſto effectu connexio? *Cometa* (idem ait) *immobilis ſeditiones, mobilis bella indicat.* Cur ita? Annon & ſeditiones cum motu fiunt? & nonne dubium eſt num aliquando viſus fuerit Cometa immobilis? Vana igitur videntur ejuſmodi prognoſtica. Illud mihi perplacet, quod tu, ô Amice, per epiſtolam nunciaſti, docere te in hoc tuo libro, Cometas, *malis* quidem *mala*, ſed *bonis bona* ſignificare. Quanquam id de omnibus etiam ſignis dici poteſt. Certè bonis omnia etiam adverſa, DEO ſummè bono ita moderante, tandem in bonum cedunt: malis contrà, etiam ea quæ per ſe mala non ſunt, afferunt malum quod meruerunt. Hoc igitur nobis eſt potiſſimùm curandùm, ut DEO per Chriſtum ac Spiritum ſuum Sanctum, juvante, & noſtro labore adhibito, è malorum hominum numero egreſſi, veritatem & pacem diligentes, bona & honeſta, dum nobis in hac vita mortali tempus, quod valdè fugax eſt, ſuppetit, impigrè operemur. Ita fiet ut omnia temporaria atque corruptibilia ſupergreſſi, numinis ſempiterni gratiâ, etiam ſupra id ubi Cometæ lucere ſolent, evehamur, & ad lucem illam inexſtinguibilem, in qua ipſum numen habitat, nunc inacceſſam, acceſſum impetremus. Ibi etiam ea quæ nunc à nobis ignorantur, clarè cognoſcemus, ibi cunctis calamitatibus atque eorum, quæ Cometæ minari exiſtimantur, malorum metu liberati, perpetuis atque æternis inſerti, pace & tranquillitate imperturbata, ac beatitate illa ineffabili divina perfruemur. Utinam fiat!

Peccatum eſt voluntaria injuſtitia. Clem. 2. Strom.

Peccatum non eſt peccatum niſi ſit voluntarium. Auguſt.

Actionem liberam agentis conſenſus facit.

Neceſſitas nulla ratione cum libertate conſiſtere poteſt.

Libentiam à libertate diſtinguit Gaſſendus.

Arbitrio libero ſublato tolli neceſſe eſt præcepta, conſilia, laudes, vituperationes. Auguſt.

Pœna nulla juſta eſſet, ſi injuſtitia in voluntate hominis non eſſet. Aug.

Arbitrium ſi non eſt liberum quomodo Deus mundum judicat? Idem.

Signa ſideribus indita hominum inventa.

Cometa nil ad Principis mortem:

Nec ad ſeditionem vel bellum:

An detur immobilis?

Bonis omnia in bonum vertunt.

Malis cuncta in malum cedunt.

Adjuvatur nemo à Deo, niſi qui ſpontè aliquid conetur. Aug.

Ora & labora.

Pietati ſtude dum tempus eſt.

Tempus volat irrevocabile.

Beatitudinis cæleſtis perfectio.

Hamburgo

Hamburgo Amſtelodamum die 25. Septembris Juliani 1666.

S.P. Reverende &c.

Viſſovatius tardi reſponſi rationes Auctor reddit: Tum debitum eruditioni ejus teſtimonium, Judicio Virorum Clariſſimorum nixus. Cometicum argumentum arduum modeſtè tractandum.

VErtente demum anno, Te jam Amſtelodami agente, ad literas Tuas tam mihi gratiſſimas quam doctiſſimas, ut par eſt, reſpondeo. Meminiſti enim me tunc è veſtigio non tantùm Tibi de iis gratias egiſſe, ſed & ad quædam literarum tuarum capita Tibi reſpondiſſe. Id tamen & currente, inter varii laboris moles, calamo feceram, nec ullum iſtius epiſtolæ exemplum in ſcriniis meis ſervâram: quâ ratione Tibi ſatiſfactum eſſe ſcio: ſed non publico, cui Tua damus, luce profectò digniſſima. Nihil me hîc affectui, ſed id quod debeo, veritati dare, teſtabuntur mox orbi Rautenſteinius, (licet nuper eheu! fato functus, ſed qui in meo quoque opere vivit) Heinſius, Gruterus, Viri per omnia Clariſſimi. Argumentum quod tractandum ſuſcepi arduum eſſe diſſidentes adhuc Virorum doctorum ſententias docere meritiſſimo ais, ac modeſtè tractandum innuis.

Gaſſendus nil certi de Cometarum generatione pronunciari poſſe contendit. Chaldæi laudatur, De Cometis nil certi habuerunt.

Equidem ex Ariſtotele, Seneca, Plinio & Plutarcho multiplex ſententiarum hac de re incertum manifeſtò videmus. Nec meliori dehinc fato res ad id uſque temporis acta. Nam ut alia præteream, verbo Tibi, quæ in lectione Gaſſendi, Tui olim Amici (cujus opera Te vidiſſe animadverto) obſervavi, dicere liceat, eum poſtquam non tantùm Ariſtotelis, ſed & Tychonis aliorumque ſententias difficultate non carere docuit, tandem nil certi hâc de re definiri poſſe concludere. Sanè ſi Epigeni credimus, referente Seneca, & Chaldæi, ingenioſiſſimi licet ſolertiſſimique ſiderum rimatores, nihil de Cometis habuerunt comprehenſi. Quid multis? Joannes Regiomontanus, decimi quinti ſeculi à Chriſto Nato lumen, & Aſtronomiæ reſtaurator, non multum hîc lucis attulit, dum Cometarum originem ad occultas naturæ cauſſas refert. Thomas verò Haggecius, egregius pariter Mathematicus, occulta Dei opera eos appellat. Tandem ipſe Tycho tot mille annorum induſtriam ſuamque, tot aliorum tam exemplis quam erroribus eruditam incomparabilem ſolertiam, & præſtantiſſimorum organorum fidem, non magni hîc facit, dum Cometas inter miracula naturæ nondum expoſita refert. T. 1. progymn. p. 513. Hâc viâ in Academiam imus vel ex ea venimus. Spero Hevelium nunc inſtar omnium fore. Is Cometas nec in aëre, nec in via lactea, in cælo tamen ſive æthere ex effluviis Planetarum, præcipuè Solis generari docet. Idem Tychonem, Principem Mathematicorum ſuperioris certè ſeculi, tùm illum Snellium, Crugerum alioſque Cometas cælo locantes, qui dixerunt Cometam motum peragere ſub circulo omninò maximo, erraſſe, & ſub circulo maximo ferè peragi motum illum apparentem, ita ut modo ſint velociores, modò tardiores, nonnunquam directi Stationarii, rurſus retrogradi vel viceverſa evadant, docet. Cometas tamen aliquando per noſtrum aërem vaporoſum trajicere fatetur. Sed nos hæc ἐμπείροις relinquamus dijudicanda. Non enim mihi placent illa quorundam ſupercilia, quæ malitioſam arrogantiam, ignota ſive curioſè involantem ſive temerariè decernentem, olent. Novi Ariſtotelem Principem Philoſophorum Aſtronomica Eudoxo & Calippo dijudicanda reliquiſſe. Scito autem Tuum de ſententia Snellii judicium, & de eructationibus Planetarum conjecturam, Fromondi opinione confirmatam, pro Hevelio ſtare, niſi quòd is vel maximè ex Solis effluviis Cometas generari affirmet. Quam ſententiam non pauci jam Maximi Aſtronomi tuentur, ipſeque adeò Kircherus celeberrimus. Acutiſſimus ille Mathematicus Galileus maculas Solis Cometarum materiam eſſe poſſe probabile judicavit. Quæ, ut & illa de generatione Cometæ ex materia cæleſti galaxiæ analoga Clariſſimi Bullialdi ſententia eſt. Fienus, Cyſatus, Glorioſus, Puteanus, Cabæus & Telleſius, Cometas ex faculis & maculis exſpirationibuſque Solis & aliorum Planetarum generari dixerunt, licet in nonnullis diſſentiant. Inde quidam Solem tunc ſplendidius

Tycho laudantur, Ab Hevelio corrigitur.

Cometarum motus apparens ſub circulo propemodum maximo. Trajiciunt quandoque per aërem noſtrum.

Viſſovatius approbando ſententiam Snellii & Fromondi Hevelio quodammodo aſſentit. Cometarum materia galaxiæ analoga. Solis faculæ, maculæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

didius veluti purgatum lucere, obſervarunt. Sententia illa Pythagoræorum, Chaldæorum aliorumque quam profers, multis probabilis videtur. Ac primum quidem ob cæli amplitudinem, qua de re quid ſcribat Seneca Natur. Quæſt. l. 7. c. 23 & 24. noſti. Ex his Gaſſendo & tibi ejus veſtigiis inſiſtenti reſponderi aliquid ad ea, quæ ex illo attuliſti, poſſet. Quîcum etiam dum ais, Cometam nullum bis ad nos acceſſiſſe, innuens diverſam eorum orbitam, faciem, motionem, reſponſum apud illius ſententiæ patronos invenies, Cometas reduces obſervatos, cælique vel terræ converſioni diverſitatem illam tribuendam. Ne multis, Cometa (ſic Origeni & multis ſtella illa Magorum vocatur) Chriſti natali prælucens Anno 1572. redivivus, & ex hoc nuperus Anno 1664. conſpectus prodiiſſe putatur. Illud Beza olim, hoc Placentinus nuper admodum dixit. Huc adferunt tandiu eos durare, etiam octo menſibus, imò integrò amplius anno, ut ille anno 1572. Quomodo tam diuturnam manſionem, eamque (ut & magnitudinem) utcunque conſtantem, nec pabuli indigam, tùm motum circularem ſideribus proprium pro hac ſententia Seneca l.d.c. 22 & 23. urgeat, noſti. Doctiſſimus Ricciolus, licet & conſtantiam ac regulabilem, ut ait, anomaliam motus Cometarum (quam & Clariſſimus Hevelius demonſtrat) in argumentum hujus ſententiæ, adferat, eam tamen parum probabilem, & illam, Cometas fieri de novo, probabiliorem judicat. Quicquid autem de eo ſit, plerique præſtantiſſimi Mathematici, vel omnes, vel certè aliquos Cometas cæleſtes, quod rectè confirmas, adducto & nupero Cometa pronunciant. Si omnes, nulla Cometis tàm longè à nobis diſſitis (præſertim ſi fixis ſtellis, ut quidam volunt, inſerantur) in terrena relinquitur efficientia. Si aliqui tantùm: nulla certa & generalis regula hîc formari poteſt. Triennio aliquem Cometam, ut Comenius vult, duraſſe, nullus Auctorum quos vel legi, vel apud diligentiſſimum Ricciolum alioſque vidi, dixit. Tribus vel etiam pluribus annis continuò ſed alternis apparuiſſe Cometas, ſæpè vidi. Triennalem quempiam nunquam. Cæterum quod ad illud abs te allatum attinet, Cometas oportere, ſi ſint Planetæ, intra certam periodum & per ſtata tempora ordinariè recurrere: expendenda tibi relinquo, Cometas planetas dici extraordinarios, nec ordinariis per omnia pares: tùm verò non omnes ſemper Cometas ab omnibus nec eodem tempore conſpici. Angelos eis aſſignat Chriſtophorus Rothmannus, Franciſcus Reſta aliique. Angelorum nempe directione tàm varium Cometarum motum fieri ajunt. Tycho idem ſentiendum, vel ingenitam ſideribus ſcientiam tribuendam dicit. Prius illud Ricciolus variis argumentis probat, nec tamen motores illos cum Ariſtotele 48. vel 56. putat: ſed præter 4. vel 12. vel 24. Supremi fixarum orbis motores ſeptem motores Planetarum divinat, & hos ſeptem illos eximios Spiritus, in Sacris Literis celebratos, cum Trithemio & Cornelio à Lapide arbitratur. Sicut autem Deum Angelorum miniſterio in rerum tum creatione uſum eſſe, tum gubernatione uti in Sacris Literis docemur, ita diverſam & ſingularem hîc Cometarum, rariorum ſcilicet ſiderum, à reliqua turba cæleſti rationem eſſe poſſe, non immeritò putandum eſt. Generationem (proindè & corruptionem) in cælo dari contra Peripateticos eorumque fautores Clariſſimus Hevelius poſt veteres & recentiores aſſerit.

Et certè divinus ille Plato, Pythagoras, Zeno, trium præcipuarum familiarum coryphæi, aliique eorum ſectatores veteres & recentiores quàm plurimi, idem uno ore, referente Ricciolo Almag. T. 1. part. 2. lib. 9. ſect. 1. cap. 5. dicunt. Nec certè aliud nos ſacra oracula, ſed & Cometarum, macularum Solis & novarum ſtellarum vices, docent. Et tamen inter Chriſtianos quoque inventi, qui Ariſtotelicæ illi opinioni cæli æternitatem inducenti patrocinabantur. Salva tamen S. Scriptura auctoritate eos id dixiſſe, ſcio. Illa quæ Terram inter Planetas referunt, inter alios Ampliſſimum Dominum Ottonem de Guericke Conſulem Magdeburgenſem, & Clariſſimum Iſmaëlem Bullialdum, Amicos mihi plurimùm colendos invenient defenſores. Quæ verò contra cæli

Supremi

Cometæ an Planetæ extraordinarii & perpetui: An redeant iidem. Cometa in Natali Chriſti Rediit 1572. Ex eo nuperus 1664. prodiit. Cometarum duratio octo menſibus, integro amplius anno, Probare videtur eos perpetua ſidera eſſe: Ut & motûs conſtans & regularis, Sedes cæleſtis nil eos in terrena adeò remota agere docet. Cometa nullus triennio apparuit. Comenius refutatur. Cometæ cur non ſervent certas periodos ut Planetæ: An habeant Angelos rectores: Hoc probabile multis videtur. Intelligentias ſive Angelos cælorum motores Ricciolus probat, Pauciores tamen Ariſtotele. Septem Planetæ, Angeli eorum motores, eximii ſpiritus. Angelorum operâ Deus initio uſus eſt & ſemper utitur: In Cometis regendis præcipuè uti dici poteſt. Generatio datur in cælo. Philoſophicarum ſectarum præcipuarum auctores. Cælum corruptioni obnoxium. Terra inter Planetas refertur:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Supremi circumgyrationem adſers, ut communi ſententiæ contradicunt, ita illi Copernicanæ ſive potius Pythagoricæ de terræ revolutione favere videntur. Per hanc ſe multa abſurda alioquin inevitabilia evadere, Clariſſimus Hevelius & alii Mathematici affirmant in diſputatione de Cometis, in qua etiam huic controverſiæ locus datus. His nullas parallaxes eſſe Vendelinus, licet Tychonis ſententiæ de Cometis æthereis ſectator, cum veteribus, Keckermannus, utpote merus Peripateticus, incertas & non neceſſarias eſſe contendit. Contrarium ſtatuunt Tychonici, nec tantùm rationibus ſed & obſervationibus probant. Quod argumentum Ricciolus lib. 8. c. 16. & ſeqq. tanquam potiſſimum ad Cometarum à terra diſtantiam oſtendendam accuratiſſimè pertractat. Sed ego his immorari nolo, cum epiſtola modum excedat tam ſui, quam meorum laborum reſpectu. Itaque propero ad alia & finem. Benè & prudenter diſtinguis inter actiones naturales & liberas, & in illis non in his efficientiam Cometarum locum habere dicis. Quanquam & ibi magnum ſententiæ incertum oſtendi poteſt illis, qui Cometas inter cauſas naturales ponunt. Aër namque toties ſine Cometa mutatur, niſi fortè eos perpetuum ſidus concedas, ut ei Senecæ, qui alias hanc ſententiam fovit, aptari poſſit illud quod de morte dixit: *ubique propè eſt, ſed non ubique ſe propè oſtendit*. At ego de his alias ex inſtituto, ſi vivo, agam. Libenter autem video quòd libertatem Theologicam libertate Philoſophicâ tueâre. Ego ſanè vix ſine tautologia liberum arbitrium vel voluntatem dici poſſe arbitror. Itaque potius naturæ vel ingenii humani libertatem dicere ſoleo. Ne plura: *fides ſana Catholica neque liberum arbitrium negat, ſive in vitam malam ſive in bonam: neque tantum ei tribuit, ut ſine gratia valeat aliquid*, inquit Auguſtinus epiſt. 47. Nempe & illa libertas aliaque naturæ dona, Dei gratiam loquuntur. Signa cælo inſcripta hominum ſunt inventa, libertatis illius documenta, tantò magis cum Arabes alias impreſſerint. Quod ad Symbolum Cometis à me tributum attinet, *Bona bonis, mala malis*, id eis tanquam rarioribus & illuſtrioribus phœnomenis convenit. Hos ideò præconibus & conſiliariis monitoribuſque fidelibus comparare ſoleo. Bona verò bonis, mala malis prænunciare ex æquitatis divinæ ratione integra dico. Ita mortales in vitia pleno curſu ruentes officii, quà licet, admonere ſtudeo. Utinam cum fructu! Hæc ad eruditiſſimam tuam epiſtolam, Amice Eximie, reſpondenda habui. Dubium porrò mihi de Cometa immobili moves. Hunc Phyſici, docente Keckermanno, vocant, cujus motus minus evidens eſt, dum ſcilicet hæret in inferiori parte aëris, quæ cum ſit à cælo remotior & paulò craſſior, non ita evidenter ſecum Cometam circumducere putatur. Glorioſus Cometas immobiles per condenſationem fieri ſentit. Sed preſſus aliis laboribus abrumpo potius quàm finio. Tu hæc à me ſtudio veri & egregii publici dicta boni & æqui conſule, meque libenter, ut à quovis alio, ita cumprimis à Te, cujus ſolidam eruditionem & probitatem optimè à puero novi, quod rectum eſt diſcere velle, certò tibi perſuaſum habe. Verbum addo, me Tuo pio voto meum jungere, ut ſcilicet omnes *bonis operibus* (quibus *cælum*, *bonis autem propoſitis infernum impletum iri* quidam acutè dixit) dum tempus ſuppetit, dediti mala, ‡ quæ Cometæ malis minantur, effugiamus, bona verò, quæ iidem bonis in memoriam revocant, conſequamur. Fiet, ut optas cum omnibus piis, ſi Spiritûs Sancti monitis obedierimus. Quibus egregiè conſonant illa * Clementis Romani Viri Apoſtolici, quæ Tibi antiquitatis ſtudioſiſſimo meritò adſcribo: *Quid jucundum & acceptum coram opifice noſtro ſit videamus, ſanguinem Chriſti intentis oculis intueamur, & quàm pretioſus Deo ſit ejus ſanguis conſideremus, qui propter noſtram Salutem effuſus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit*. Nunc jam Vale.

Moveri quieſcente cælo multis putatur,

Non ſine inſigni uſu.

Parallaxes an in Cometis dentur.

Actiones hominis voluntariæ aliter ſe habent quam naturales.

Cometæ in actionibus naturalibus vix locum habent;

Aër aſſiduò mutatur ſine ullius Cometæ apparitione.

Seneca Cometas perpetua ſidera ſtatuit.

Libertas à voluntate ſeparari nequit.

Liberum voluntatis arbitrium eſſe in homine revelavit nobis Deus per Script. SS. Aug.

Libertatem & alia naturæ dona Dei gratiâ habemus.

Signa cælo impreſſa ab hominibus varia.

Cometæ ſymbolum Bona bonis, mala malis Auctor explicat.

Cometa immobilis qui vocetur, Undè fiat.

Laudem debitam nulli invide.

Diſcendi cupidus eſto.

Operare bonum ſuper doctrinarum fundamento. Naz.

Operib. juſtitiæ homo ſalvatur. Baſil.

‡ *Propoſita bona effice.* * Epiſt. ad Cor. *Chriſti ſanguis ad delenda peccata noſtra fuſus nos ab iis revocat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Amſterodamo Hamburgum die 16. Octobris St. N. 1666.

Cometæ an inter miracula ponendi. *Viſſovatius maculas Solares admittit.* *Et Solem igneum, & veluti pelagus ignis eſſe arbitratur.* *Cometas ex Solaribus exhalationibus generari multi ſtatuunt.* *Cometa in natali Chriſti & anno 1572 ac 1664. an idem.*

DE argumento iſto Cometico, non videtur mihi eſſe operæ pretium ſerram diſputationis, quamvis amicæ, porrò tecum reciprocare: præſertim quum in pleriſque conſentiamus.

Ad miracula ſupernaturalia Cometas referre, ut Tycho facit, tum demum opus eſſet, ſi nullæ omninò eorum cauſæ naturales poſſent inveſtigari. E Sole prodire quaſdam exhalationes, quæ maculæ vocantur, ego nequaquam negavi; quum & Solem igneum, imò velut pelagum quendam ignis eſſe, ac proindè fumos aliquos ex ſe emittere perſuaſus ſim: & ipſe aliquas ejuſmodi Solis maculas in charta pura, Soli ad tubum opticum oppoſita ſpectaverim, cum noſtro Paterſonio. Sed iſtas Solares exhalationes materiam Cometarum ſtatuere, ideò mihi non placebat, quod eæ ſæpè apparere & deindè diſparere obſerventur, abſque ſubſequente Cometæ ullius apparitione. Niſi quis dicat, tùm demùm ex iis Cometas coagmentari, quum ex majore quam aliàs copiâ accumulantur. Quam ſententiam à celeberrimis hujus ævi Mathematicis, præſertim Galilæo, quem meritò magni æſtimo, & ei alioqui ſæpè adverſante Cabæo, & Picteano, Kirchero, Hevelio, approbatam, nec ego jam prorſus improbare audeo. Vellem tamen videre refutationem rationum, quas Gaſſendus ſimili hac de re Snellii ſententiæ oppoſuit, Cometam illum qui circa Chriſti natalem fulſit, eundem Anno Chriſti 1572. & deindè 1664. reducem rurſus apparuiſſe, exiſtimo firmis argumentis non poſſe confirmari; præſertim quum illius & magnitudo, & figura, & alia accidentia non ſint nobis deſcripta. Intelligentias cæleſtes ſeu ſpiritus angelicos, eſſe ut cælorum, ita & Cometarum motores, videtur mihi veritati non eſſe conſentaneum: Præter alias rationes, quòd natura, quæ eſt internum motûs principium, iſti motui ſufficiat, ut non ſit opus externos motores adhibere: & quòd iſte ab externo principio motus non eſſet naturalis, ſed violentus, ſecundùm ipſius Ariſtotelis ſententiam.

Ricciolus cur unius ſtellarum fixarum orbis motores plures, incerto numero ponat.

Illud miror quòd Ricciolus celebris Mathematicus unius ſtellarum fixarum orbis motores multos, eoſque vel 4. vel 12, vel 24. eſſe divinet, variantibus & ſibi ipſis non conſentientibus ſententiis: quæ neſcio quam validis fulciri poſſint rationum adminiculis. Quid ſi ſtellæ iſtæ ſtant ita fixæ, ut eis non ſit opus motores apponere?

Creata non ſunt æterna à parte ante.

Creata aliqua, ut eſt mundus iſte inferior, & cælum iſtud aſpectabile, quum ob ipſam creationem initium exiſtendi habuerint, quomodo poſſint ſtatui eſſe æterna propriè à parte ante, ut ajunt, & quidem ſalvâ Sacræ Scripturæ authoritate, non poſſum animo comprehendere.

Cometa immobilis propriè dictus nullus eſt.

Cometam immobilem dari quum dubitavi, de propriè ac ſtrictè dicta immobilitate id intellexi. Ecce ipſe Keckermannus talium aſſertor, ita vocari ait eum Cometam non cujus nullus omnino ſit motus, ſed tantùm minus evidens. Plura jam circa hoc argumentum Cometicum ſcribere nec libet, nec licet, tum per valetudinem adhuc invalidam, tum per alias occupationes utiliores. Vale.

Tui ſtudioſiſſimus

ANDREAS VISSOVATIUS.

Hamburgo Amſterodamum die $\frac{15}{25}$. Octobris 1666.

QUæcunque ego ad Te de argumento Cometico ſcripſi, non ullo contradicendi, ſed ſolo diſcendi ſtudio me id feciſſe teſtor. Meritiſſimo autem, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ut puto, tam argumenti perquam difficilis, quam meæ tenuitatis ratione. Qunatò enim & ingenii vis minor mihi, & argumenti difficultas major in ſe eſt, tantò juſtius ea propono, quæ Virorum doctorum, quos inter Te meritò Tuo pono, induſtriam ad excutiendum hoc argumentum & inquirendum verum excitare poſſunt. Quantum ſententiæ incertum de materia, generatione & cauſis Cometarum orbi literato adhuc exhauriendum reliquum ſit, res ipſa loquitur. Plurimùm is Eruditiſſimo & Perſpicaciſſimo Hevelio debebit, poſtquam ſententiam de Cometarum ex effluviis Planetarum generatione in Cometographia ſua, quam brevi promittit, confirmaverit. Inveniet hæc & in Galileo, Mathematico certè præſtantiſſimo, in cujus ſcriptis Clariſſimo Bullialdo judice, judiciùm exactiſſimum omnes Mathematici agnoſcant oportet, aſſenſûs auctoritatem. Illi enim Cometam ex maculis Solis generari prababile viſum eſt. Cui & Doctiſſimus Bullialdus accedit in epiſtola ad me die 31. Julii 1665. ſcriptâ. Eandem ſententiam non tantùm Snellii, ſed & Fieni, Puteani, Cyſati, Glorioſi, Cabæi & Telleſii fuiſſe, jam ante, ni fallor, indicavi: licet quidam cum Fromondo, non ex Solis, ſed ex aliorum potius Planetarum exſpirationibus Cometas generari voluerint. Snellio Gaſſendus quid opponat ſcire vis? Audi loquentem. *Ut taceam naturalem macularum motum eſſe circularem, contineri illas à Sole magnetica vi, non minore ea, quâ terrena omnia continentur ab ipſa terra: nullam maculam tantam concipi, quæ diffuſioni tantæ ſufficiat (niſi & Sol ſenſibile molis detrimentum patiatur) cæteraque hujuſmodi: hoc unum videtur apertè huic opinioni repugnare, quòd ſit velut ex accidente, prodire interdum Cometas ex ipſis Solis radiis, cum plerique ſint, qui in primo exortu longè à Sole & non procul à polo boreo conſpiciantur: & ſint qui non à Sole ad meridiem exiſtente dirigantur in boream, ſed potius à borea in meridiem tendant.* Phyſ. ſect. 2. l. 5. de Cometis p. 704. Vides tamen quanti nominis Mathematicos hæc ſententia habeat auctores & fautores. Puteanus Cometam cæli civem & Solis ſobolem dicere non dubitavit. *Approbat ſententiam* (verba ſunt Joannis Adami Oſiandri Viri egregiè docti comment. de ſtella Magorum duce) *Lotharius Sarſius in libra Aſtronomica, obſervationem obtendit, quòd Cometa emergente nitidiſſima conſpiciatur cæli facies, maculis aliàs exerrantibus in unam ſentinam ejectis. Multum addit huic opinioni firmandæ Chriſtophorus Scheinerus in Urſâ Roſinâ, qui de Cometa famoſo anni decimi octavi hujus ſeculi ſcribit, neque durante illo, neque aliquanto tempore poſt, ullas in Sole aut circa illum ſordes apparuiſſe, quod ſignum non omninò vanum eſſe poſſit, illum Cometam à Sole deciduum fuiſſe.* Cum autem & hujus ſententiæ defenſores & Gaſſendus, quique ejus veſtigiis inhærent, ad experientiam provocent, expectandum nobis eſt, quid Clariſſimus Hevelius ad has Gaſſendi, tùm & illas Fromondi aliorumque objectiones ſit reſponſurus.

Cometicum argumentum perquam difficile ab Auctore variis Viris doctis examinandum proponitur.

Hevelii laus Et Cometographia.

Galilei laus; Judicium de ſententia Cometas ex maculis Solis generari.

Cometas ex Solis exhalationibus generari multi ſtatuunt,

Vel certè ex aliorum Planetarum exhalationibus.

Gaſſendus quid opponat Snellio.

Cometæ non omnes ex Soliis radiis prodeunt.

Cometa Solis ſoboles.

Lotharii Sarſii de Cometarum generatione ſententia.

Cometas ex Solis maculis generari experientia probatur.

Cometas non omnes ab omnibus videri poſſe, horizontis diverſi ratio docet. Multorum conſpectum eripit nobis etiam vicinum illis lumen Solis. Quo deficiente Cometam aliquandò apparuiſſe Poſidonius referente Seneca l. 7. NN. QQ. c. 20. auctor eſt.

Cometæ cur non omnes videantur:

Cometam anni 1664. ex illo 1572. prodiiſſe ſunt qui ſtatuant, & qui negent. Hoc ego artis peritis judicandum relinquo. Utriuſque deſcriptionem & obſervationes accuratas à variis Mathematicis præſtantiſſimis habitas in opere meo Deo volente dabo. Ibi etiam de convenientia Cometæ 1572. cum illo in Natali Chriſti agam. Sententiam de intelligentiis moventibus ſphæras cæleſtes proſequi pluribus non eſt hujus loci. Cometas ab Angelis moveri non pauci jam olìm voluerunt. Et à bonis quidem. Sed prodiit nuper libellus, quem facilè ibi invenire potes, qui Cometam malum genium eſſe vult. Cui aſſentire non poſſum, quicquid ex Scriptura Sacra ad probandam ſuam opinionem adferat. * Satanam Principem, qui in aëre dominetur, rectorem mundi cum ſpiritibus malignis in cæleſtibus locis habitantem in SS. LL. vocari, & divino permiſſu tempeſtates ciere in aëre & multa mala patrare poſſe, quod hiſtoria Jobi docet,

An redeant,

An ab Angelis bonis vel malis moveantur.

Cometa malus genius non eſt.

** Satanas multum poteſt in aëre Dei permiſſu, Sed non Cometas producere, vel regere.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometæ phænomena præcipua.

Paradiſi cuſtodes Angeli Cometæ eſſe putantur.

docet, novi. Verum tamen ut Cometarum phœnomena illuſtria & rariora, quæ plurimis rebus ingentibus, lætis & ſalutaribus prælucere ſolent, ipſiuſque Filii Dei Redemtoris mundi natali præluxerunt, & inter quæ illi Angeli cum ignea romphæa Paradiſi cuſtodes, & ſtella Magorum dux à quibuſdam ponitur: deniquè quæ Deum ad perdendum olìm mundum adhibiturum nonnulli ſtatuunt, à jurato Dei pariter & hominum hoſte excitentur & regantur, ut credam impetrare à me non poſſum. Adde illa tamdiu durare, tam ſapienter & certo ordine (cujus auctor Deus non diabolus) ſecundum temporum & orbitarum periodos decurrere: tùm verò omnibus, adeoque non malis tantùm, ſed & bonis terrendis, utpote triſtia tantùm portenta ex communi ſententia, exhiberi. Nec videtur divinæ tùm majeſtati, tùm ſapientiæ, tùm bonitati conveniens, pati ut impuriſſimus ille & nequam Spiritus tam crebrò & tamdiu, conflatis & pro lubidine motis Cometis humano generi illudat & metum triſtium è veſtigio ſecuturorum incutiat. Ut taceam, hanc opinionem à pia veterum & recentiorum Auctorum ſententia, Cometas Dei juſſu ab Angelis bonis vel componi, vel certè dirigi, quàm longiſſimè recedere.

Stellæ etiam fixæ, habent ſuos motores Angelos.

Cæterùm de motoribus ſtellarum, etiam fixarum, Ricciolus eſt conſulendus, Almageſti novi part. poſter. T. 1. l. 9. ſect. 2. tota: ut & de ſoliditate cæli fixarum ſect. 1. cap. 7. ubi & prolixè & ſolidè hoc argumentum tractat. Non pigebit verò Tibi concluſionem hujus diſputationis adſcribere, præſertim cum ad argumentum Cometicum faciat. Itaque ſententiis & argumentis ſuper quæſtione *an cælum ſit ſolidum vel fluidum* expenſis, unicam concluſionem ponit:

Cælum fixarum ſolidum, Planetarum fluidum.

Probabilius multò eſt, licet nondum Mathematicè aut Phyſicè evidens, Cælum fixarum ſolidum eſſe, Planetarum autem fluidum.

Conſtat id argumentis & reſponſionibus utrimque hactenus adductis: hac enim diſtinctione tùm probabilitatis ab evidentia, tùm cæli fixarum à cæli Planetarum, conciliantur plurimæ opiniones Patrum ac Doctorum inter ſe, & cum Aſtronomorum recentiorum obſervationibus minorique violentia aut multiplisitate motuum ac machinarum; minori quoque periculo repugnantiæ phyſicæ inter motus tam varios Planetarum, explicantur phænomena Cometarum, Martis, Veneris ac Mercurii, quæ præcipua ſunt in hoc negotio, immò & motus Comitum Saturni & Jovis & macularum Solarium Contra verò ſi ſphæra fixarum ſolida ponatur, promptiùs redditur ratio, cur ſervent perpetuò eandem inter ſe diſtantiam: nec multiplicandi erunt innumerabiles motores fixarum: immò cum totum penè illud cælum ſit refertum ſtellis, ut Teleſcopia oſtendunt, nullum inconveniens eſt motum tam vaſti orbis ordinatum à Deo fuiſſe ad movendas tot ſtellas, quæ ſimul ſumptæ magnam partem ipſius occupant. Cælum autem Lunæ ſolidum ponere, eſt exponere illud impervium Cometis, ſi qui fortè in illo fiant, aut per illud ſurſum aſcendant: neque eſt probabile ſales volatiles ſeu partes ſpirituoſas terræ ad cælum uſque Lunæ pertingere, aut ſi illuc pervenirent, poſſe tanto impetu reſilire deorſum, ut 50. & amplius ſemidiametros terræ deſcendant, & redeant ad fermentandam terram: potius enim cum leves ſint, vagarentur in orbem circa concavum Lunæ, ſicut fumus circa concamerationem cubiculi. Non igitur ob eam cauſam ponendum eſt Lunæ cælum ſolidum, ut volebat noſter Cabæus.

Lunæ non ſolidum.

Hactenus Ricciolus. Hactenus & ego. Plura enim addere nec meus multiplex & aſſiduus labor, nec valetudo, nec libri moles, quæ jam ſatis excrevit, patitur. Vale, Amiciſſimum pectus, & age proſperè.

T. omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

XX.
COMMUNICATIO HEIDELBERGA-LEUNESCHLOSSIANA.

Hamburgo Heidelbergam die $\frac{18.}{28.}$ Febr. 1665.

S.P. Clariſſime & Doctiſſime Vir.

NOn ſi Tibi hæ literæ veniunt inexſpectatæ, ideò ingratas fore ſuſpicor, imò tantò magis gratas, quantò minus ſperatas fore ſpero. Noſti enim ſingulare bonis literis à ſupremo earum Præſide & totius orbis Rectore conceſſum eſſe geminum privilegium, ut omnes ejus cultores, ſi vel naſcentibus, ut ille ait, Mala Genia aſſiſtat, ad omnem modeſtiam & humanitatem erudiantur, & ita non obſtante ulla ſoli & cæli, quin & ingenii diverſitate, communium ſtudiorum vinculo jungantur. Quæ ſi inter homines ratione, multo magis inter Chriſtianos, purioris veritatis notitiâ præditos, locum inveniant, par eſt. Hic omnes rationes, facilè, nec injuria, quemque humaniorum literarum ſtudioſum (quos inter & me divina voluit eſſe gratia) ad Viros doctos invitare, & perducere humanitate, quæ illis familiaris eſſe ſolet, aditu poſſunt. Acceſſit nuper in cælo conſpectum inſigne Cometæ phœnomenon. Hoc ego, uti homo his in oris peregrinus, nec omnibus neceſſariis, ne dum machinis Mathematicis ad contemplandos orbium cæleſtium motus inſtructus, nudis ſpectavi oculis. Idem feciſſe Clariſſimum Joannem Müllerum, Matheſ. in Illuſtri hoc Gymnaſio Profeſſ. & Veſtræ nuper Academiæ celeberrimæ Alumnum, ſed & alios Viros doctos hac in urbe agentes, ob defectum inſtrumentorum ſub manu artificis jam diu hærentium, certò ſcio. Itaque meritò confero me ad Viros doctos & rei Mathematicæ ſcientiâ præſtantes, quò eorum obſervationes & judicia de hocce illuſtri ſigno cæli cognoſcam. Accepi quidem ab Amicis meis, quibus ſacrâ invidiâ preſſis Sereniſſimi Electoris Veſtri, Principis virtutum & laudum cumulo Clariſſimi pia moderatio Manhemi aſylum benignè indulſit, obſervationem Cometæ à Te, Vir Clariſſime, vel ab alio aliquo rei Mathematicæ perito, factam. Sed ut in deſcriptione nullus error ſit admiſſus, tamen *dulcius* inquit ille, addo ego, & tutius *ex ipſo fonte bibuntur aquæ*. Ac proindè Te magnoperè rogatum volo, ut mihi Obſervationem de dicto phœnomeno abs Te factam mittas. Undè & Tibi, & Almæ Veſtræ Academiæ, quæ à tot ſeculis tot Viros in omni eruditionis genere Præſtantiſſimos, quique tanquam columina Reipublicæ literariæ fuêre, protulit, non parum laudis accedet. Nempe mihi Dei munere, & ad Principes Viros, non tantùm Excellentiſſimos ſeculi Mathematicos Hevelios, Bullialdos, Bartholinos, Gravios alioſque, quibus tota gloriatur Europa, talia perſcribendi aſſidua præbet ſe occaſio, ſed & facultas toti Orbi exploratis omnium veſtrûm ſententiis, debitum meritis veſtris teſtimonium dandi. Et ut videas me adhuc non ſegnem in hoc ſtudio fuiſſe, referam Tibi præcipua quædam, de quibus cum Viris doctrinâ & rerum Mathematicarum ſcientiâ vel experientiâ clariſſimis adhuc contuli. * Ac primum de origine Cometæ Clariſſimus Gravius, Matheſeos in

Inexſpectata non ſemper ingrata, quandòque etiam gratiora.

Naturam emendat inſtitutio.

Vincula ſtudiorum humaniorum & Chriſtianæ pietatis homines, etiam longè diſſitos jungunt.

Leuneſchloſſium quibusde cauſis & qua ex occaſione Auctor compellet.

Mullerus Math. Prof. Hamburg. laudatur.

Hamburgenſes inſtrumentis Mathematicis deſtituuntur.

Elector Palatinus laudatur.

Exſulibus ob religionem Chriſtianam Polonis nonnullis aſylum Manheimi concedit.

Academiæ Heydelberg. laus.

Auctoris ſtudia literarum ſtudioſis publici ſuſcepta.

** Gravii de Cometarum origine & motu ac exitu ſententia.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Alma Friſia Profeſſ. ita judicat, ut Cometas ſtatuat eſſe ſydera maculis intexta, vago & irregulari motu protrudi ſolita, eaque non conſumi, ſed altius in ampliorem cæli circumferentiam tendere.

Guerichii patris laus, de Cometis ſententia:
Tùm de motu telluris & vacui:

Ampliſſimus verò D. Otto Guerichius Conſul Magdeburg. Vir admirandorum inventorum laude Tibi quoque, ut ſpero, notus, duabus difficilibus hypotheſibus de motu terræ & ſpatio vacuo fultus, cenſet Cometis ortum dare procellas, ex cavernis terræ in ſublime tendentes, ac particulam aëris cum impetu abrumpentes & ſurſum rapientes. Ac

Anemoſcopium,
Filius cognominis Elect. Brand. Reſidens:

propterea aërem leviorem (quod ſe ad oculum in ſtatuâ vitro aêris vacuo incluſâ & exorientibus procellis deorſùm tendente, qualem & ego apud Filium ejus patri cognominem Nobiliſſimum Reſidentem Brandenburg. hîc agentem ſæpiùs vidi, demonſtrare aſſerit) tunc effici arbitratur.

Diviſio Cometarum in caudatos & crinitos,
Illos mobiles,

Illam porrò aëris particulam cum procella ſurſum elevatam radiis ſolaribus illuſtrari, ut ita à nobis modo caudati in ſuprema aëris regione, quæ nil niſi aura ſit, modo criniti Cometæ extra auram in ſpatio puro conſiſtentes, conſpiciantur, ſtatuit. Atque Caudatos quidem beneficio auræ, hùc illùc mirabiliter circumvagari, ut in mentibus noſtris habere videantur caudas, quæ tamen nil aliud ſint, quàm per corpus Cometæ illuminata radiis ſolaribus aura Cometam ambiens:

Hos fortè immobiles.

Crinitos verò extra auram conſiſtentes à terra & ambiente eum aëre ſeparatos eſſe, ac proinde nullas caudas habere, & fortè quieſcere, motu eorum à motu terræ annuo proveniente, niſi & Sol attractione ſuâ eis alium motum adferat. Quid Tu, Vir Clariſſime, ad hanc novam ſententiam ſis dicturus, lubens intelligam.

Guerichianæ ſententiæ cum Epigenis & aliorum ſententiis comparatio.
Bulliardi de Cometis ſententia.

Nec non quid cenſeas annon huic ſententiæ ſuffragetur Epigenes apud Libav. tract. probl. de Cometis: tum Apianus apud Keckerm. Syſt. Phyſ. c. de Cometis: nec nòn Cardanus apud Scalig. exercit. 79. ſed & ipſe Scaliger loco dicto. Clariſſimus Iſmaël Bullialdus nil aliud hîc ſtatuit dicendumque eſſe judicat, quàm Cometæ materiam eſſe ætheream, & galaxiæ non abſimilem: niſi quis divinare potius quàm docere apodicticè velit.

Motus Cometarum qualis:
Nuperi hyemalis verſus Meridiem, cum matutinus, cùm verò veſpertinus eſſet, Septentrionem verſus erat:
Primi mobilis.

Jam quod ad motum Cometæ attinet, ſitne is circularis, vel epicyclicus, vel rectilineus vel alione modo fiat, velim indices. Hujus phœnomeni motum quod attinet, ille qui circa die $\frac{1}{11}$ Decembris hic nobis primum ad roſtrum corvi mane viſus eſt, Meridiem verſùs: qui vero die $\frac{30}{20}$ ejuſdem menſis ad oculum Leporis veſperi conſpectus eſt; Septentrionem verſus motu proprio à communi, quo ſcilicet cuncta cum primo mobili ad occaſum feruntur, diverſo tendebat.

Cometa hyemalis 1664. & 65. unus an geminus.

Atque hæc eſt cauſa, cur quidam opinentur duos fuiſſe diſtinctos Cometas, cum ipſis videatur impoſſibile Cometam tàm brevi, aliquot ſcilicet dierum, ſpatiô progreſſum à roſtro Corvi ad triangulum Menkar 82. gradus conficere potuiſſe. Cum autem ſint non pauci Aſtronomi in Germania, Suecia & Hybernia qui id ſtatuant, non deſunt & qui duos diſtinctos Cometas una nocte ſe vidiſſe affirmare non dubitent, quod utrumque ex fide dignorum Virorum literis cognovi.

Hevelius laudatur,
Unum Cometam nobis hyeme 1664. & 65. viſum affirmat.
Hevelio de uno Cometa hyemali multi Viri docti conſentiunt.

Cæterum Magnus ille Aſtronomus Joan. Hevelius, binis ad me datis literis, unum eundemque Cometam eſſe firmiter dicit. Cujus obſervationibus accuratiſſimis pluſquam ſuis propriis antehæc contrariis, ſed & aliorum rationibus narrationibuſque, Reverendus & Doctiſſimus Vir Albertus Curtius fidit. Eandem ſententiam amplecti videtur Clariſſimus Bullialdus, Gravius aliique, ſed & Noſter Müllerus, tum Joh. Albertus Huſvedelius, Med. Doctor & Phyſicus Urbis hujus Clariſſimus, aliique Viri eruditione præſtantes hac in Urbe degentes! Hîc quoque Tuam ſententiam cognoſcere aveo.

Aſtrologicæ prædictiones à Cometæ hyeme 1664. & 65. viſi ſitu petitæ confutantur.

Tandem quod ad effecta Cometarum attinet, paucis me expediam. Video quoſdam ex dodecatemorio libræ, cui veterum Aſtrologorum curioſitas religionem ſubjecerit, bellum religionis non regionis (licet bellum illud inter Anglos & Hollandos atrociter geri cæptum aliud loquatur) prædicere. Alios ex dodecatemoriis Tauri & Arietis Cornupetarum, tum ſideribus hydræ aquaticæ, navis Jaſonis, Orionis ſcuto & clava in Taurum ſævientis, fluvii Eridani & ceti bellum quidem, ſed navale, præſagire. Quoſdam ex corvi ſigno rapacitatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

citatem militum divinare. Alios & de Gallo argutari. Neminem adhuc vidi quod miror, qui ex Leonis dodecatemorio (quamvis & illud Cometa tranſiverit, & utriuſque illius nationis inſignia & res terra marique geſtæ Leones oſtentent) virtutem Leoninam utrique genti aſſignet. Sed quid tum fiet de dotecatemoriis reliquis, Geminorum ſcilicet, Cancri & Virginis? Quid de Cratere, Corvo, Cane, Gallo & Lepore? Nempe ad illa bella ſacra terra marique gerenda novi delectus faciendi & cogendi, in caſtra navibuſque imponendi tenelli gemelli, tardi Cancri, milites effeminati, verè Grajæ non Graji, magnos Crateres vino repletos ſtrenuè exhaurientes, iiſque alii alios laceſſentes ac obruentes, rabidi inſtar canum, trepidantes inſtar gallorum, loquaces inſtar Corvorum, Leporibus timidiores, ſaltem galeati Lepores, quo nomine Cornificius Poëta olim appellavit milites ſigna turpiter deſerentes, & haſtam cum Demoſthene in acie abjicientes. Quis hîc non videat talibus argutiis, licet ingenioſis, nihil ſubeſſe ſolidi? Mea igitur hæc eſt ſententia, ſigna cæleſtia nec eſſe profanorum more deſpicienda, nec ſuperſtitioſorum ritu ſuſpicienda, ſed naturalibus cauſis deputanda, & inter ſtimulos pœnitentiæ ducenda. Equidem plena ſunt hiſtoriarum monumenta exemplis, multa mala citra ullam Cometarum apparitionem, multa & bona poſt eam eveniſſe. Sed tempore excluſus abrumpo potiùs quàm finio, paratus de hiſce Tecum pluribus agere, poſtquam id gratum Tibi forè intellexero. Vale & me benevolentia Tua complectere, qui ſum

Milites timidi, tumidi, vinolenti.

Auctoris de ſignis cæleſtibus ſententia media.

Signa cæli nec temnenda nec timenda.

Cometis abſentibus mala, præſentibus bona multa eveniunt.

Ad Dominum Joannnem à Leuneſchlos, Math. in Alma Acad. Heidelberg. Profeſſ.

T. obſervantiſſimus & ſtudioſiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETXKI.

Heidelbergâ Hamburgum die XII. *Aprilis Anno* M DC LXV.

ACcepi Tuas, Vir Generoſiſſime, literas, ut humaniſſimas, ita doctiſſimas, quibus utinam aliquid exſpectatione Tuâ dignum reponere poſſem. Audendum eſt! Obſervavi quidem Cometam Manhemii, ſed rudi Minervâ, omnibus ſiquidem iſto in loco in eam obſervationem neceſſariis inſtrumentis deſtitutus fui. Inveni autem ipſum anno elapſo M DC LXIV. die XVI. Decemb. ſtylo veteri in malo Navis, nullâ circà eum apparente conſtellatione: aſt, die XXV. ejuſdem menſis horâ fere VII. p. m. ſecundùm ſe conſpiciendum præbuit circa Meridianum, junctus lucidæ ad mandibulam Ceti propè ſignum Tauri. Ex animo indolui, quòd tùm ſuffocativi catarrhi gratiâ prodire in publicum per aliquot dies non licuerit. Elapſis duobus menſibus, Cometa tertiùm apparuit in Andromedæ capite die IV. Aprilis hujus anni currentis M DC LXV. paulo antè tertiam horam ante meridiam in Aquilonari Horizontis plaga, corpus habens duobus ſuis præcurſoribus multò lucidius, & diſtans ab Ortu æquinoctiali XXXV. gradibus verſus Boream, horâ ſubſequenti IV. ejus altitudinem inveni XIII. graduum cum ſemiſſe, jamjam occaſurum heliacè. Tres iſti (ſi ita fas eſt dicere) Cometæ projecerunt caudam, pro diverſo ad Solem ſitu, in plagam ab ipſo averſam, videlicet primus & tertius verſus occaſum; ſecundus verſus ortum. De *Motu* ipſorum communi, quo cum toto ſtellarum exercitu circuitum ſuum integrum ab Oriente verſus Occidentem quotidie abſolvebant, cum eum revera non ipſis, ſed potius oculis noſtris in orientem tranſlatis, imputandum cenſeam, aliquid dicere non erit operæ pretium, propriè verò motus, vel potius, ut accuratius loquar, delatus eſt tertius à Pegaſo verſus Andromedam in ortum; primus à Corvo verſus Navem in Auſtrum: & ſecundus, hinc ad Arietem in Septentrionem, uterque tamen verſùs Occaſum, & quidem contra fluxum materiæ cæleſtis, ipſum, veluti corpus ſolidum & opacum, fluminis inſtar, deferentis. *Qualis contra ſtimulum calcitratio Carteſianæ ſententiæ perplexus quidam*

Leuneſchloſſius Auctoris literas gratas habet.

Obſervat primùm Cometam Manhemii.

Obſervatio prima Leuneſchloſſii Manhemii $\frac{16}{26}$ Dec. 1664. facta: Secunda 25. Dec. 1664. aut 4 Jan. 1665. Tertia $\frac{4}{14}$ Apr. 1665.

Cometas tres Anno 1664. & 1665. Leuneſchloſſius viſos opinatur dubiè.

Cometarum 1664. & 65. caudæ diverſo modo poſitæ.

Moveri terram non cælum Leuneſc. ſtatuit.

Cometarum trium 1664. & 65. motio ſive delatio diverſa:

Labyrinthus eſſe videtur, è quo, niſi multis, iiſque exquiſitiſſimis, interque ſe collatis obſervationibus, tanquam fidis ducibus, tàm facilè ſe expediet nemo, cum in quamcunque regionem is declinaverit, ferè ſemper offenſurus parietem ſit. Eædem illæ variarum nationum Obſervationes ſucceſſu temporis abundè nos inſtruere poterunt, *Cometarum* per vaſtiſſima æetherea ſpatia *Delationes*, utut irregulares videantur, *ſatis tamen regulares eſſe.* Tantùm illis ipſis tribuendum forſan eſt, *ut ex iis Cometæ poſt aliquot demùm ſecula venturi prædici queant*: Poſtquam enim Bartholomæus Schimfferus, in tractatu ſuo de Cometis Francofurti anno MDCLII. publicis typis deſcripto, Cometas aliquot prædixiſſet, ita pergit: Anno 1664. im monath December, da wiederumb alle Planeten in dem Jrrdiſchen Zeichen des Steinbocks ſich finden laſzen / dieſe zuſammenkunften zeigen an / daſz die ſo noch in leben / abermahl was newes am Firmament des Himmels ſehen werden. Id eſt: *Anno* 1664. *menſe Decembri iterùm omnes Planetæ in terreno Capricorni ſigno conſpiciendos ſe præbebunt: hæ conjunctiones indicant, eos qui nunc in vivis ſunt, rurſum in firmamento cæli quidpiam novum viſuros. Eædem illæ obſervationes* ritè inſtitutæ nobis quoque *detegere poſſunt Cometarum numerùm*: enimverò, ſi aliquis iſtos tres pro uno habere velit, miror ego, quæ vis vectoria ipſos dirigere verſùs Meridiem & hinc verſùs Septentrionem in plagam priori quadantenus oppoſitam inſtar literæ v. obliquare valeat. Miror etiam ſummam ejus curſûs pernicitatem, cui in dies ſingulos calculus meus tribuit gradus pluſquam XIII. quæ omnium hiſtoricorum naturalium fidem ſuperat: accuratiſſimum quippè Tychonem Braheum auctorem eſſe ferunt, Cometes etiam in apparitionis initio, cum velociſſimi ſunt, nunquam ultrà quinos gradus proprio motu dietim progreſſos fuiſſe. Amplius miror, quòmodo circà Arietis cornua Cometa primus cum ſua cauda confuſus, & totus nihil aliud, quàm albor ab aliis cæli partibus ſatis indiſcretus ſpectatus tandem diſparuerit, iterumque apparuerit in Equuleo, & eandem ſuam viam repetiverit verſùs Andromedam, quam proculdubio contriverat ante, & quæ ſunt ejus generis inconvenientiæ, vel differentiæ aliæ, quibus recenſendis ſuperſedeo: aliud enim eſt epiſtolam, aliud librum, aliud amico, aliud omnibus ſcribere.

Licet irregularis videatur, ſatis tamen regularis eſt:

Ut inde Cometæ longè poſt futuri prædici poſſint.

Schimfferus Cometas aliquot prædixit, tùm & novum phænomenon 1664. futurum.

Cometa non unus 1664. & 65. viſus.

Cometarum nuperorum motus velociſſimus Leuneſchloſſio inſolens videtur.

Tycho Cometas initio velociſſimos ultra 5. grad. proprio motu dietim progreſſos non fuiſſe putat.

Figuram Cometarum eſſe ſphæricam, probat eorum tùm prima ſiderea origo, tùm maculoſa incruſtatio, tùm exquiſitæ Dioptræ, quæ in ipſis iſtam circum quaſi fulguritationem reſcindunt, atque ſic detonſo languentium iſtorum radiorum, & hinc inde excurrentium capillitio, iſtos, ut reverà ſunt, ambitu rotundo, nimirùm angulis in anguſtias anguli viſorii opticè coarctatis, exhibent. Porrò veram *eorum Quantitatem*, *& in ſublimi æthere Poſitionem* eruit ipſorum immanis à ſede noſtra *Diſtantia*, & hanc *Parallaxis*, ſi, quod mihi, antiquorum obſervationi freto, perſuadere nequeo, aliquam habeant, & hanc demum accuratiſſimæ in diverſis longiſſimeque à ſe invicem locis peractæ obſervationes. Clariſſimi D. *Gravii* de Cometarum origine, ſententiæ nihil habeo quod opponam: fuit *enim Cometa* in noſtro conſiderandi modo (prout ſecundùm leges naturæ ſucceſſive fieri debuiſſet & potuiſſet) *aliquando ſidus*, corpus ſcilicet per ſe lucidum, poſtmodum à particulis ejus craſſiuſculis & irregularibus, proinde ad celerrimam ſideris agitationem ineptis, & verſùs ejus ſuperficiem expulſis, *obductum maculis*, propter quas impeditâ & ejus, & hinc quoque proprii ſui cæli gyratione, *ſidus cum ſuo cælo ab adſtante vicino potentiore abſorptum eſt. Quâ ratione*, prout motum cæli, à quo ſemel abreptum eſt, aut perpetuò ſequitur, aut, ob minorem ejus ſoliditatem, ſequi non poteſt, *degeneravit vel in Cometam, vel in Planetam* Ille partium ſuarum ſoliditate ita jactatus eſt, *ut ex uno cælo in aliud quidem migret*, *verum in* noſtro infrà Saturnum ſeſe demittere nunquam poſſit. Liquet etiam ex macularum poris vel præcluſis, vel interruptis *Cometæ corpus opacum eſſe*, ac proinde per ipſam ætheris vaſtitatem immenſam diſcurrentem *tunc nobis apparere*, cum ad noſtrum cælum acceſſerit propius, [illegible]

Cometarum figura ſphærica:

Diſtantia magna à terra eorum in æthere latere monſtratur.

Parallaxes Cometarum negare cum veteribus Leuneſchl. videtur.

Cometa nuperus fuit aliquando ſidus lucidum, poſt obductum maculis:

Cometæ corpus opacum, [illegible]

parere, cùm ſeceſſerit procul ſic, ut is tùm demùm non generetur, cùm primùm cernitur, nec in nihilum, vel in principia ſua diſſolvatur, cùm evaneſcit, ſed *pro æterno potius naturæ opere habendus ſit.*

Pro æterno corpore habendus:

Neque tamen ſub primo intuitu, cum adhuc primos noſtri cæli gyros ſecat, *obtutui noſtro ſe offert*; quia è ſolis radiis in ſuperficie convexa materiæ cæleſtis, quam ex relicto cælo ſecum abduxerat, refractis, pauci ad Cometam pertingunt, & adhuc pauciores ab ipſo ad noſtros oculos reflexi.

Quare non ſtatim in oculos noſtros incurrit:

Cæterùm via, quam Cometa motu ſuo deſcribit, variè incurvatur: ſiquidem is pro diverſa diverſorum cælorum circumgyratione nunc ad hanc, nunc ad illam cæli regionem determinatur, &, ob diverſum quoque iſtorum cælorum ſitum, prout propè Eclipticam magis minuſve intrabit, aliter quoque movetur, celerius etiam, vel tardius, oblique magis, vel minus, prout inter alias atque alias cæleſtis materiæ particulas verſatur, quæ eum à recto tramite deflectent.

Via ejus variè incurvatur:

Qualis in cælorum extremitatibus breviſſimus cum ſit, mirum non eſt, ſi *per paucos ſolummodo menſes ſe nobis oſtentet.*

Quare non diu apparet:

Eand. ſemper magnitudin. retinet, ut & motus celeritatem,

In principio tamen quàm in fine major & velocior, in medio maximus & velociſſimus, quia maximè vicinus eſt:

Et quamvis eandem ſemper magnitudinem habeat, eandemque ferè motûs celeritatem retineat, *ſolet* attamen, ob acceſſum ſuum ad nos, *initiò apparitionis ſuæ major, & velocior, ſub finem*, ob remotionem ejus maximam, *gradatim minor & tardior, & in medio*, ob viciniam ejus maximam, *maximus & celerrimus videri.*

Ejus comæ & caudæ diverſitas unde.

Leuneſchloſſius Carteſium ſequitur & laudat:

Præterea *Cometæ cauda, ſive coma*, quàm ſe variis oſtendere formis hiſtoriarum monumenta tradunt, pendet ab inæqualitate fluidiſſimorum noſtri cæli globulorum, variaque radiorum Solarium in termino Sphæroidico irregulari ſuprà Saturnum exiſtente refractione: cum enim Solis radii à Cometa non tantùm directi & fortes, verùm etiam à Sphæra Saturni refracti & debiles admodum ad noſtrum oculum perveniant, hinc pro vario ejus in annui circuitus telluris orbita exiſtentis ſitu, intuebimur Cometam modò caudatum, modò Comatum, & quidem ejus caput per radios directos: Caudam, Comam & Trabem per refractos, de quo novo refractionis genere ingenioſè more ſuo Illuſtris Carteſius PP. III. 135.

Sententiam Guerichii patris de motu terræ approbat:

Ad Ampliſſimum D. *Guerichium* quod attinet, *ejus hypotheſin de Terræ motu quidem approbo:* fuit enim ejus cælum (ut ſuperius inſinuavi) à cælo Solis abſorptum, ipſaque detruſa in eum locum, in quo nunc eſt, ubi materia cæli fluida circulariter mota eam ambit, ſecumque defert in Ortum, quâ delatione annuâ per cauſas naturales, nexu evidentiſſimo inter ſe cohærentes, deducta, ulterius mundi phœnomena non aliqua duntaxat (ut vulgò fieri aſſolet) ſed omnia, eaque longè conſonantius ſalvantur, prout hoc per partes oſtendi poſſet.

Illam de Vacuo improbat.

Spatium idem quod corpus, ſola imaginatione ab eo diſtinctum.

Alteram verò Doctiſſimi illius Conſulis *hypotheſin de mundano ſpatio vacuo prorſus improbo:* eſt enim ſpatium idem, quod corpus, cujus natura in ſola extenſione ſita eſt, ſic, ut ſpatium non magis ſit imaginarium, quàm ipſum verum corpus, quod ex flexu ſuperficiei provenire cogitat Geometra. Cum enim extenſio non per rationis figmentum ſpatio tribuatur, ſed illius, non ſecus ac corporis, vera ac immutabilis ſit natura, quæ ab intellectu non per abſtractionem tantùm, verùm etiam per claram ac diſtinctam operationem dividi nequit, conſequenter ab eodem non eſt compoſita, ſequitur, ſpatium ens reale eſſe, non fictitium, & nonniſi ratione diſtingui à corpore in illo contento: adhæc, quomodo corpora in iſtis ſpatiis vacuis inter ſe diſtabunt? an per nihil? neutiquam, quia nihili nullæ ſunt affectiones, neque ſic intelligi poteſt diſtantia: an per ſpiritum? nequaquam, quia hic, ut omnis dimenſionis expers, ſubjectum diſtantiæ eſſe nequit. Diſtabunt ergò per corpus, & nullatenus per vacuum. Vides ergò ſtatim in limine poſitus, Generoſiſſime Vir, totum ædificium cum omnibus contignationibus, illi lubrico ſuperexſtructum fundamento, ruinoſum eſſe.

Mundus machina [illegible]

Quin etiam, cum mundus nonnisi machina, proindèque, ut talis, conſideranda ſit, mechanice nobis explicet expertiſſimus ille Mechanicus, ut palpari veritas manibus, quaſi machinulis poſſit, quomodo procellæ, ex terra aſcendentes particulam aëris diſcerpant; quomodo etiam ſupra altiſſimorum montium cacumina, nullis

ejuſ-

ejuſmodi procellis obnoxia: quomodo avulſæ aëris portionis motus propagetur in ſpatio Vacuo, iſtum nec juvante nec impediente: cur conſtanti & ordinato in certam mundi plagam, & non vago, meteororum inſtar, cieatur motu? cur adeò vividum nobis oſtentet lumen, ſecus ac aër reliquus ipſam undiquaque ambiens: cur talis aëris abruptio non quotannis crebrius contingat: cur-tandem, & quomodo diſſolvatur & evaneſcat, & quæ ſunt ejus generis alia quamplurima, Cometæ caudam, comam & trabem concernentia:

Cometarum ſitus in æthere non in aëre.

Solis attractio Leuneſchloſſio falſiſſima.

adhæc ſuppoſitio de Cometarum in ſuprema aëris regione ſitu, multiplici obſervatione teſte, falſa, & falſiſſima quoque Solis, non aliter ac electri, magnetis, radicis plantarum, animantis venarum, attractio, per quam licet veteres has aliaſque naturæ operationes explicent, ego tamen illam, tanquam nihil declarantem, planè rejicio, tùm, quòd nullam naturæ actionem per manifeſtam attractionem (niſi corpori trahenti trahendum ſit affixum) fieri videamus: tùm, quòd iſtam attractionem humano noſtro ingenio concipere nullo modo poſſimus.

Anemoſcopium Guerichianum Leuneſchl. rejicit.

Addo ſolum, experimentum de ſtatua illa vitro aëris vacuo incluſa, fallax eſſe, ejuſque ad rem præſentem accommodationem magis fallacem. Quicquid ſit, illud ſimile eſt, meo quidem judicio, valdè diſſimile, ſiquidem hoc cum clara ac diſtincta noſtra perceptione conforme eſſe debeat. Cæterùm, an *hujuſce opinionis patronus aliquando fuerit Epigenes, mihi non conſtat*, & citati abs Te, Viri Generoſiſſime, authores mihi non uſquequaque probantur,

Negligentia plurium in re literaria tractanda.

Indices librorum permulti evolvunt & ex iis ſolis ſapiunt.

quandoquidem ea eſt hujus, licet eruditi, ſeculi vanitas, ut quàm plurimi, etiam magni nominis Viri, de rebus ipſis parùm ſolliciti, ex ſolis librorum indicibus ſapere ſtudeant. De Cometarum cauſis tantum eſt. Ad *effectus eorum quod ſpectat, corpora cæleſtia omnia tantùm lumen, & hujus interventu ſolum Solem inſuper calorem producere, certum eſt:*

Cæleſtia corpora nil niſi lucent.

Sol ſolus calefacit fortiſſima illuminatione.

ſi namque materiæ cæleſtis ſecundùm lineas rectas preſſio tàm fortis ſit, ut aliquem ſenſum afficiat, cum valdè ſubtilem pro ſubjecto habeat materiam, nonniſi viſum, ſenſuum omnium ſubtiliſſimum, afficere poteſt. Nec aliàs, præter viſum, ſenſus à cæleſtibus, aut prius, aut ſæpius, nec aliter, quàm luminis interventu, quotidie movetur. *Hanc illuminationem fortiorem comitatur calefactio, Soli tantum*, ut docet experientia, *competens:* ipſe enim, ob ignei ſui corporis viciniam, radiis ſuis rectioribus, in ſe magis reflexis, & proinde vehementioribus, corpuſcula infrà Lunam inſenſibilia variis modis efficaciter nonnunquam ſic agitat, ut ingens æſtus in iis excitetur, quæ agitatio varia ſolito major exiſtens Tactûs quoque ſenſum afficit,

Stellæ fixæ flammæ puriſſimæ, ſed à terra remotiſſimæ non calefaciunt terrena:

Erraticæ corpora ſunt opaca, lucem ut Sol & fixæ non emittunt, ſed ab iis recuperatam tantùm remittunt, ſenſum tactûs non afficiunt, & debiliter lumine illo mutuatitio agunt.

quod ſtellæ *Fixæ*, utut, non ſecus ac ſol, puriſſimæ flammæ ſint, ob immenſam diſtantiam, continuatâ ſuâ cælorum preſſione præſtare non valent. Stellæ *Erraticæ* cùm ſint corpora opaca, proindeque lucem, ut Sol & Fixæ, non emittant, ſed ab iis recuperatam tantummodò remittant, à nobis ſentiri non poſſunt, niſi ab iis, non ſecus ac à reliquis objectis externis, & in toto interjacente cælo, aliquis motus localis in nervis noſtris procreetur. Cum autem iſte, vel potius recta totius globulorum ſeriei à luminaribus ad uſque Planetas, vel Cometas, preſſio, quæ Luminoſos radios conſtituit, in majoribus intervallis ſenſim debilitetur, neque enim tantam vim eſſe luminis à corpore opaco redeuntis, quanta eſt à lucis fonte primùm exeuntis, patet exemplo luminis Solaris à Luna reflexi, quo nox ſubluſtris quidem, at nunquam inſtar diei illuſtris redditur: manifeſtum eſt, valde exile ac debile fore illud lumen, quod à Sole fœnerati ſunt, repetito ad nos itinere reverberant longius.

Lunæ & aliorum Planetarum lumen, quod à Sole habent, efficaciam quæ à nobis ſentiri poſſit, non habet.

Quapropter alienum illud lumen à corporibus lucidis emiſſum, ab opacis iſtis repercuſſum, & per perſpicuos cælos ad terram uſque tranſmiſſum, tantam non habet efficaciam, ut in illa calorem etiam vel minimum, qui ope nervorum noſtri corporis ſenſibilis fiat, gignere valeat, niſi ſpeculo aliquo concavo quamplurimos Planetæ nobis proximi (Lunæ) radios, ut teporem ſaltem ſenſibilem, qua in unum coëunt, reddere poſſint, coëgerimus. Cum jam calor nihil prorſus ſit aliud, quàm varius particularum inſenſibilium motus, omneſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

omneſque omnium corporum actiones per ſe in motu, qui proindè vita exiſtentiæ actuoſæ corporeæ dici meretur, tantummodò conſiſtunt: liquet ex dictis, nullas, præter illuminationem, vires, quibus in nos agant, corporibus quibuſcunque cæleſtibus, ſi unicum illum ſolem, veluti cor, & lucis, caloris, vigoris fontem inexhauſtum, quo Planetæ vegetantur, excipiamus, adſcribendas eſſe. *Hujus autem actio in hæc inferiora perpetuò generalis*, nullatenus ſpecialis, & ex ſe ad unum potius, quàm ad alium effectum producendum, determinata, eſtque illi non per ſe, ut ex concurſu ſpecialis cauſæ, verò g. certæ ipſius telluris ad ipſum poſitionis, & variæ aëris ab ea diſpoſitionis, hic potius quàm alius effectus ſequatur. *Hæc verba aſteriſcis incluſa in priori exemplo hujus epiſtolæ ita legebantur:* quo pacto Sol per ſe tantùm illuminat & calefacit, per accidens fumum & vapores efficit, emollit, liquat, indurat, exſiccat, rarefacit, conſumit, condenſat &c. Cum verò iſtæ actiones & omnes ad ipſas qualitates materiam valdè alterantes per ſe terminentur, manifeſtum eſt, qua ratione Sol apparenti ſuo acceſſu & receſſu 4. anni tempeſtates creet, caloremque pro diverſo locorum terreſtrium ſitu ad ipſum diſpenſet, proindèque omnes mutationes noſtri ſublunaris mundi Solem duntaxat, ut cauſam generalem reſpiciant, aërem verò ut ſpecialem, quatenus is à terra variè quotidiè alteratur. Quin etiam, cum *Stellarum fixarum ortui & occaſui miri effectus vulgò tribui ſoleant*, exiſtimo, illos non tanquam cauſas, ſed tanquam mera ſigna eſſe tempeſtatum, & ſingulorum illorum temporum, quibus Sol, & cæteræ cauſæ ſublunares, illas generant. Neque hæc ſigna ſunt omnibus regionibus eadem, ſed ex. gr. Canis, qui ob Solis præſentiam nobis eſt ſignum caloris, eſt eodem tempore ob ejus abſentiam noſtris antipodibus ſignum frigoris. Ne meliorem, ſigna iſta, ob aëris conſtitutionem ab exhalationibus terreſtribus in horas variabilem, eſſe incertiſſima, & leves tantùm conjecturas, etiam reſpectu ejuſdem terræ loci, quales certè non eſſent, ſi veræ cauſæ forent. *Planetarum potentia ſequitur*, ubi tàm generalia meræ iſtius hariolationis principia, quibus prædictiones planetariæ innituntur, quàm ſpecialia placita, quibus ex certo aſtrorum inter ſe poſitu, & in ſuas domos relato, tùm mutationes aëris, tùm hominis nati vita, fortuna, mores, ſingulareſque omnes per vitam eventus divinantur, nihil aliud, quàm putida figmenta ſunt, & mehercule talia, quæ refutationem non merentur. Cometa deniquè diſſipatione halituum creditur creare ventos, & horum vi tempeſtates: verùm, ſeu venti, aliaque meteora in aëre varia, regnante in cælo Cometa, contingant, id meræ ſublunaris regionis diſpoſitioni, cui ſingulis horæ minutis terreſtres vapores, ſpiritus, fumi materiam ſuppeditant, adſcribi debet: neque toties ejuſmodi tempeſtates accidunt, quoties verſus nos deſcendit Cometa, & is, ſi poſthac nunquam ex infinitis cælorum ſpatiis rediret, an propterea tales aëris commotiones ceſſabunt impoſterum? Abſit ergò ille vel adſit, perindè eſt, annorum ſterilitas, fames, aliarumque rerum inopia, peſtis, aliique morbi epidemici, tumultus, bellum, Magnatum mors, reliquaque omnia humana mala non ſecius conſtanti quaſi naturæ lege hactenùs evenerunt, & deinceps evenient. Multi Cometæ majoribus noſtris conſpecti ſunt, quos nullum unquam ejuſmodi malum ſubſequutum eſt: multi etiam Clariſſimi Viri ſuo fato functi ſunt, multæ everſæ Reſpublicæ, peſſundatæ familiæ Illuſtriſſimæ ſinè ullo Cometæ indicio. Non igitur iſti horrendi caſus Cometis, veluti cauſſis & ſignis, imputandi ſunt. Quin etiam Cometa in æthere ſummo non conſiſtit, ſed omnes cælorum terrarumque regiones percurrit, proindè non uni magis ſalutem pollicetur, exitiumve minatur, quàm alteri. Hinc ſi uni loco damnoſus fuerit, alteri lucroſus fuit, ut omnes ii ingenuè mecum fatebuntur, qui eundem Cometam in ejuſdem climatis eadem zona in eodemque parallelo vel meridiano degentes Anno 1618. ſupervixerunt. Scilicet rotat omne fatum, omnia naſcuntur & denaſcuntur, ortus unius eſt interitus alterius; miſta denſantur

Motus vitæ exiſtentiæ actuoſæ corporeæ dicendus.

Illuminatio ſola corporibus cæleſtibus, Soli calor ſoli competit:

Solis actio in hæc inferiora tantùm generalis.

Stellæ fixæ non cauſæ ſed meræ ſigna ſunt tempeſtatum: incertiſſima tamen,

Pro vario regionum ſitu varia.

Canis ſignum caloris nobis, antipodibus frigoris.

Aëris conſtitutio varia.

Planetarum potentia ad omnia ab Aſtrologis extenditur ſine ulla cauſa.

Tempeſtates & meteora ſublunaris regionis diſpoſitioni potius quàm Cometis adſcribenda:

Undè non ſemper iis apparentibus & ſæpè iis non apparentibus eveniunt.

Cometis tàm abſentibus quàm præſentibus mala in orbe eveniunt:

Multis etiam nulla mala ſuccedunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometæ & alia ſigna invitant nos ad pœnitentiam. Signa cæli nec ſuſpicienda nec deſpicienda Leuneſchl. concludit. Leuneſchloſſius Auctori benevolentiam ſuam teſtatur.

ſantur Principum & ſubditorum funera. *Vide Lector reliqua Communicationi Curtianæ p.* 221. *inſerta, ex Gaſſendi Phyſ. T.* I. *ſect.* II. *l.* V. *c.* III. *de Cometa depromta.* Quicquid tandem horum omnium ſit, cum Cauſam Primam, cum Secundis ſemper concurrentem, ejuſmodi cæleſtibus ſignis nos velle vocare ad pœnitentiam credere pium ſit; ſedulò caveamus, ne iſta terriculamenta ſuperſtitioſorum ritu ſuſpiciamus, nec prophanorum more deſpiciamus, ſed honeſtè potius juſtèque vivamus, quod ſupereſt, nos divinæ providentiæ ſubjicientes, omnem fortunæ eventum æquo animo ferre diſcamus. Ego interea Tibi, Vir Generoſiſſime, cæleſtibus luminibus intento, Aſtrologicisque curis in cælum rapto, quòd meas reſpicere tenebras dignatus fueris, meque imis etiamnùm hærentem terris eruditiſſimis Tuis literis Cometæ illius, maximi hoc ſeculo prodigii, in multorum utilitatem, & plurimorum curioſitatem, conſignatis, illuſtrare ac ornare, non dubitaveris, quas poſſum gratias ago, non quas debeo: ſimul ignoſcas, rogo, huic rhapſodiæ, volentem enim in cælum, te duce, ulterius progredi, moleſtiſſima terrenorum negotiorum pondera gravant. Tu Vir Generoſiſſime, vitam illam Tuam in terris fælicem, quæ nunc tota converſatur cum cæleſtibus, vive & favere perge.

Nobiliſſimi Tui Nominis

Devotiſſimo Cultori

JOHANNI à LEUNESCHLOS.

Hamburgo Heidelbergam die 24. *Junii Juliani Anno Chriſti* 1665.

S. P. Clariſſime & Doctiſſime Vir.

Leuneſchloſſi humanitas celebratur. Ulckius Andreas laudatur. Diligens officii eſto in colenda amicitia. Deſidiam ſemper fuge. Auctor ſtudiorum ſuorum rationem Leuneſchloſſio reddit. Auctoris occupationes, officio erga omnes Amicos defungi non patiebantur.

NIſi mihi præclara Tua humanitas, quam literæ Tuæ loquuntur, & egregio præditus judicio Juvenis Andreas Ulckius, Inclytæ tàm Urbis hujus quàm Veſtræ Academiæ Alumnus celebrat, probè perſpecta eſſet, magno profectò excuſationum apparatu amolienda mihi foret tandiu dilati officii in reſpondendo invidia. Hæc enim facilè me alicujus deſidiæ accuſare poſſet. Quòd ſi etiam dicerem quod verum eſt, & ad amovendam hîc omnem ſuſpicionem aptum, objicere illa mihi nihilominus poſſet vetus illud dictum: *deſidiam primò inviſam, poſtremò amari.* Certum interim eſſe ſcito me & ſtudio indagandi veri, & Amicorum, aliquid me in rei tùm literariæ tùm Chriſtianæ commodum, quali quali induſtriâ meâ conferre poſſe judicantium, conſilio impulſum, in colligendis Præſtantiſſimorum Mathematicorum reique civilis ſcientiâ Excellentiſſimorum Virorum de nuperis Cometis narrationibus, obſervationibus & judiciis ſtrenuam operam adhuc dediſſe. Ita mihi plura utriuſque Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Sueciæ, Italiæ, Boruſſiæ aliaque Europæ loca celeberrima, per fidas literarum internuntias erant adeunda. Quamobrem juvat & par eſt duas, eaſque juſtas, ut puto, tàm pertinacis ſilentii adferre Tibi cauſas. Nempe diſtractus adhuc colendo commercio literarum, ſuper hoc argumento quaquaverſùm exaratarum, tùm verò in adornando Prodromi Cometici Heveliani (quem vos jam, utpote librum in hoc ſcribendi genere eximium, habere non injuriâ ſpero, Italorum cauſâ Prodromo, ſatis diu occupatus fui. Alios neceſſariò ad vitam in adverſa ſorte tuendam ſubeundos labores, tàm graves quàm continuos, ut ſileam ita hinc inde impeditus fui, ut officiò in Te alioſque nonnullos Amicos meo ritè defungi non potuerim. At enim his quoque laboribus aliquid temporis ſuffurari, ut Tibi cumprimis (cujus ego benevolentiæ multum me debere profiteor) ſatisfacerem, potuiſſe me fortè cogitabis. Sed etſi hoc facere potuiſſem, tamen cum nihil reſponſi ex voto ab Ampliſſimo Domino Guerichio Conſule

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſule Magdeb. acceperim, differendam mihi reſponſi vicem tantiſper, dum voti ab illa parte compos evaderem, propè neceſſarium duxi. Et accepi quidem nonnihil interea reſponſi, ut vides in ipſo autographo (quòd mihi velim, ubi commodum erit, reſtituas) ſed quod vota & exſpectationem meam non implevit. Præſtolabar autem reſponſum ad poſtremas meas die 3. Jun. Juliani datas. Sed necdum quidquam accepi. Nondum tamen ſpem omnem abjeci. Monui enim tùm Nobiliſſimum Dn. Reſidentem Brandenburgicum Filium ejus, meum verò Amicum hac in urbe egregium, coràm, tum illum ipſum per literas, multos eoſque eruditione Clariſſimos Viros & Mathematicos Eximios (Hevelium puta, Bullialdum, Ricciolium, Bartholinum, Gravium, ſed & Te ipſum) ſententiæ ejus libertate Philoſophicâ adverſari. Si quid reſponſi accepero, ejus Te faciam participem. Sunt & alii, qui unà Tecum veterem illam; ſi non Platonicam, Pythagoricam certè, ſingulari verò ſeculo ſuperiore induſtriâ à Copernico redintegratam de motu terræ ſententiam, in prædicto D. Guerichio amplectuntur. Italis tamen (quod & Riccioli epiſtola teſtatur, ex qua en Tibi excerptum) hæc opinio non probabitur, imò inter Tranſalpînas hæreſes deputabitur. Habet illa fortem Patronum, Magnum in orbe veſtro Virum, Hevelium, qui multa circa Cometarum aliorumque corporum cæleſtium curſum obortas difficultates & abſurdorum impedimenta hâc unâ viâ evadere ſe aſſerit. Invenit eadem & alios defenſores, qui eam Scripturæ quoque Sacræ, ſed & communi experientiæ rationique, curſum Soli, quietem terræ danti, conciliare & commodare ſatagunt. Quam ego controverſiam nolo facere meam: ſicut nec illam multiplicem, quæ circa Cometas humana ingenia ſtrenuè exercet. Dixi tamen in hanc rem non pauca apud Amicos, nequaquam autem docendi, ſed diſcendi potius animo. Hæc aliquando, imò, ſi Deus voluerit, brevi in opere meo, quod hortatu & impulſu Amicorum publicis typis committo, videbis: atque ſic etiam Tua ſub titulo *Communicatio Heydelberga-Leuneſchloſſiana*. In tales enim titulos, circiter triginta, tot in Senatum Philoſophicum convocatis Viris in omni eruditionis & laudis genere Præſtantiſſimis, librum illum dividere conſtitui, juvante Deo. Tu, Vir Doctiſſime, ſi velis ſingularia quædam prioribus Tuis literis, augendo & ornando libro meo, addere, facies rem non tantùm meæ exſpectationi, ſed & Tuæ propriæ exiſtimationi convenientem. Ego hîc pauca, quæ ad ſententiam prædicti Domini Guerichii pertinent, adjiciam. Epigenes ille monumentis antiquitatis celebratur. Hunc Tibi indicaveram apud Libavium. Plinius l.2. c.25. de Epigene nihil habet, ſecus quàm putavit Keckermannus Syſt. Phyſ. c. de Cometis, indice ſententiarum de Cometis à Libavio ad marginem poſito in errorem inductus. Ut ita meritò bonarum literarum ſtudioſi monendi ſint, quod prudenter & Tu facis, ne ſolis fidant indicibus & allegatis alienis, (ex quibus celeberrimos quoſdam Viros mole & numero multa librorum volumina conſcripſiſſe compertum noſti) ſed ipſi libros diurnâ nocturnâque manu, quod de exemplaribus Græcis monet Horatius, verſent, & ex illis, quantum vitæ cum laude tranſigendæ uſus requirat, ſapiant. Nempe vetus eſt illa apud Sacros & profanos auctores querela, multos ultra modum ſapere, qui hîc quoque, non ſecus quàm in victu quotidiano, & aliàs ſervandus ſit. Quod itaque Epigenem attinet, primus quod ſciam, Seneca ab interitu eum vindicavit. Nam lib 7. natur. quæſt. c.3. prout noſti, memoriæ prodit, eum apud Chaldæos ſtuduiſſe docuiſſeque hos de Cometis nihil habere comprehenſi (ſecus quàm docuerat Apollonius Myndius, Cometas in numero ſtellarum errantium poni à Chaldæis tenerique curſus eorum) ſed videri illos accendi turbine quodam aëris concitati & intorti. Vides itaque me diſcendi cupidum meritò ſententiam Epigenis Guerichianæ aptaſſe; cum illam huic ſimilem deſcribat Seneca, qui paulò antè illius quoque de revolutione Terræ, à multis jam olìm noſti, aſſertæ & à D. Guerichio poſt alios defenſæ, mentionem injicit. Quæ porrò dictus D. Guerichius de duplici Co-

Guerichii patris ſententia non paucos contradicentes invenit.

Copernicus veterum veſtigiis in movenda tellure inſtitit.

Hevelius laudatur, multas difficultates hypotheſi de motu terræ evadit.

Terram moveri multi contendunt.

Doctos ſcriptoadi diſcendi non docendi animo.

Leuneſchloſſio Auctor inſtituti ſui rationem exponit:

Eundem ad pluribus argumentum Cometicum excutiendum invitat.

Epigenis de Cometis ſententia.

Keckermanni error de Epigene.

Indicibus cautè fidendum.

Allegata aliena ſæpè fallunt.

Græca diligenter tractanda.

Sapiendum ad ſobrietatem.

Φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν.

Epigenis ſententia de Cometis.

Chaldæorum de Cometis ſententia variè traditur.

Guerichianæ & Epigenianæ ſententiæ comparatio:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

metarum genere pronunciat, cum Epigene convenire perſpexi. Ille enim ſtatuit particulam aëris vi tempeſtatis in ſublime delatam à Sole illuſtrari, & caudatum Cometam radiis Solaribus corpus illud permeantibus videri, ac mirabiliter hùc illùc circumferri; auræ ſcilicet beneficio, à qua ambiatur in ſuprema aëris regione poſitus: alium verò extra auram in ſpatio conſiſtere puro, crinitum, & immobilem: quanquam hoc cum dubitatione dicat, motum ejuſmodi Cometæ, quem Roſam vocat, motui telluris annuo, niſi & Sol attractione ſua eis alium motum cauſetur, adſcripto. At Seneca ita: *Duo, inquit Epigenes, Cometarum genera ſunt. Alii ardorem undique effundunt, nec locum mutant: alii in unam partem ignem vagum in modum comæ porrigunt, & ſtellas prætermeant: quales duo ætate noſtrâ viſi ſunt. Illi priores criniti, undique etiam immoti, humiles ferè ſunt, & eiſdem cauſis quibus trabes faceſque conflantur, & ex intemperie aëris turbidi, multa ſecum arida humidaque terris exhalata verſantis,* & quæ ſunt alia l. 7. natur. quæſt. c. 6. quod ita concludit: *Ut breviter autem voluntatem ejus exprimam, eadem ferè ratione hos fieri Cometas exiſtimat, quâ fiunt ignes turbine ejecti. Hoc unum intereſt, quod illi turbines ex ſuperiori parte in terras deprimuntur, ii de terra in ſuperiora elevantur.*

Utrique quæ obſtent.

Cæterùm quæ ibi Seneca ad evertendam ſententiam Epigenis attulit, apparere ſcilicet Cometas ſine vento, nec cum vento cadere vel creſcere, nec ab eo accendi, vel in diverſas partes impelli, eoſdem videri ſupra quàm ventis ire liceat: iter eorum omnium dirigi in ortum vel in occaſum flexum, quod non daret ventus: motum eorum compoſitum & deſtinatum iter carpentem prorſus eſſe diverſum à motu turbinum vago, diſjecto & verticoſo: adhæc turbines ſupra Lunam terrena illa humidaque efferre non poſſe, Cometas autem immixtos ſtellis videri per ſuperiora labentes: tùm etiam turbines longam moram pati non poſſe, Cometas ſenis menſibus apparere &c. contra hæc Guerichiana ſententia ſe tuebitur, ſi ſtare velit. Doctiſſimus Bullialdus egregiè in hanc rem literis ad me die 6. Martii datis ſcribit, quæ adjungo. Sed jam venio ad alia epiſtolæ Tuæ capita.

Cometa 1665 vernus ab hyemali diſtinctus.

Quod ad Cometam, qui menſe Aprili apparuit & ſubduxit ſe oculis, attinet, vix quiſquam jam erit qui eundem eſſe cum illo, qui menſibus Dec. Jan. & Febr. viſus fuerat, defendere velit. En Tibi tamen obſervationem Romanam die 11. Aprilis, quæ hunc tertium Cometam cenſet.

Cometam 1664 & 1665. alii unum, alii geminum, alii ternum viſum eſſe dicunt.

Hevelius duos nuper Cometas viſos affirmat.

Noſti verò plures fuiſſe, qui Cometam Corvi & Leporis geminos fuiſſe dicerent. Clariſſimus Hevelius maximam in his oris auctoritatem obtinuit, ita ut vix ullus reperiatur, qui Cometam Corvi & Leporis unum eundemque, hunc verò qui in Pegaſo conſpectus eſt, diverſum ab illo eſſe neget. Hanc ſententiam demonſtratam dabit Cometographia ejuſdem, quæ brevi, ut ſpero, lucem videbit. Præclari illius Viri tàm eruditioni, quàm humanitati & ego egregiam operis mei partem, quæ itidem *Communicationis Dantiſco-Hevelianæ* titulum geret, debeo.

Phænomenon in Andromeda inter Cometas non numerandum.

Hevelii ſingularis peritia & diligentia in rebus Aſtronomicis.

Poſtquam cum eo hanc obſervationem Romanam communicavi, negavit is ullum Cometam (ſi vel tres ſtatuantur) qui à Decemb. apparuerunt, juxta Borealem cinguli Andromedæ conſpectum eſſe, ſed ad 14. circiter gradus à Boreali illa iter carpſiſſe pronunciavit. Qua etiam occaſione illam ſtellam ad duos gradus receſſiſſe negavit; ſed tamen in catalogis omnium nondum eſſe rectè reſtitutam, & ex obſervationibus ſuis ad dimidium circiter gr. ſecundùm longitudinem alitèr ſitam eſſe, adeòque longitudinem ejus Tychonicam debito majorem, ſeque plurimas ſtellas nondum rectè conſtitutas, in Machina ſua cæleſti, ritè poſiturum, & plurimas adhuc ignotas globo annumeraturum dixit. Negavit etiam novam ſtellam in vicinia illius Borealis apparuiſſe, prout Romani ſcribunt, ſaltem de eo dubitat.

Phænomenon in Andromeda Cometæ ſuppar:

At verò Clariſſimus Gravius menſe Febr. & Mart. novum obſervavit phœnomenon, ad cingulum illud Andromedæ Boreale, Cometæ ſimile, ſed à Cometa, qui menſe Febr. diſparuit, diverſum. Itaque percipe, Vir Doctiſſime,

Quid dubitem, & quæ nunc animo ſententia ſurgat:

annon

annon ſcilicet medium Cometam inter illos Leporis & Pegaſi habuerimus? Cæterùm Ratiſbona mihi ſcribitur die 22. Maji Cometam ibi à duobus Viris Illuſtriſſimis, ſiderum tamen notitiâ non inſtructis, conſpectum fuiſſe. Velim mihi de his omnibus ſententiam Tuam exponas, & ſi quas Obſervationes habeas, tùm quæ ad hoc argumentum egregia conferre facilè potes, ad me, quò operi inſtituto indantur, mittas. Erit hæc res Tibi laudi, Inclytæ Veſtræ Academiæ, quæ à tot ſeculis Viris undique longè doctiſſimis gaviſa eſt, decori, ſed & Munificentiſſimo Veſtro Mœcenati, Sereniſſimo Electori, qui cum Incomparabili illa Heroide Eliſabetha, Virginum Muſarumque decore, ſorore ſua inter Illuſtriſſima Cæli literarii ſidera meritò ponendus eſt, gloriæ. Ecce verò Tibi Præloquium ad Lectorem, & operis mei caput, & quædam ejus membra, de quibus judicium Tuum exſpecto. Ibi meam de Aſtrologicis prædictionibus ſententiam, ſatis modeſtam, quam Tu graviſſimo auctoritatis Tuæ pondere firmas, dum de cæleſtibus piè & prudentèr diſputas, videbis. Hæc ſi velis Sereniſſimo Electori, utpote Principi Literatiſſimo, & Benefico literatorum Patrono (quales & hoc opus meum, mole & pondere haud exiguum, in hac præſertim rerum mearum tenuitate, jure quodam ſuo quærit) humillimè inſinuabis, meumque laborem publico bono conſecratum commendabis. Vale benè, diu, & felicitèr ac fave conſtantèr

Annon inter Cometam Leporis & Pegaſi medius?

Academiæ Heidelb. laus.

Electoris Palat. laus.

Eliſabetæ Palat. laus.

T. obſervantiſſimo

LUBIENIECIO.

Hamburgo Heidelbergam die 11. *Julii S.N.* 1665.

S.P. Vir Clariſſime &c.

Literis quas octavo ab hinc die ad Te dedi, ſatis prolixas & ſpeciminibus Operis mei ſtipatas, pauca hæc addo: ut Tè conſulam quid tandem de Cometicis phœnomenis, quorum nondum finis adeſt, ſit ſtatuendum? Accepi enim Ratiſbonæ die 22. Maji viſum eſſe Cometam: Lipſiæ verò 30. Maji S.N. Cracovia die 8. Junii ſcribitur, videri ibi Cometam barbatum ingentem, circà horam 10. veſpertinam. Ratiſbonâ iterùm die 2. Julii, triduò antè exceſſum Sereniſſimi Archiducis Franciſci Sigiſmundi, qui die 25. Junii in vivis eſſe deſiit, ſuprà Oenipontem conſpectum eſſe Cometam. Ne graveris igitur, Vir Doctiſſime, Tuam mihi de his exponere ſententiam. Si omnes iſtæ Obſervationes rectè ſe habent, augebitur notabiliter indiculus Cometarum, in quo nondum mihi ipſi ſatiſfacio. Nam cùm Lavaterus cum Keckermanno ab Auguſto ad annum Chriſti 1556. tantùm 117. Cometas, Ricciolius verò ab Anno ante Chriſtum Natum 480. ad 1618. à Chriſto Nato 154. aſt Alſtedius 160. cenſeat: Eckſtormius ſupra ducentos à diluvio ad annum 1618. numerat. Quem quia nuper demum commodato accepi, conferre cum aliis non potui: ſed exiſtimo, imò jam mihi videre videor, poſſe putatis diligenter rationibus numerum eorum augeri. Idem in ſemeſtribus Cometis obſervavi, qui ab Eckſtormio duo, ab Alſtedio totidem, ab Ricciolo tres, ab Hevelio quatuor cenſentur. Ego dum eos inveſtigo, ſex jam comperio. Octimeſtrem Cometam Calviſius & Eckſtormius in Ann. 975. Hevelius in 375. ponit. Tu quid de his compertum habeas, velim me doceas, utpote φιλομαθῆν. Quæ adjungo, ſi tanti fuerint Sereniſſimo Electori, tanquam ſpecimina futuri Operis, humillimè offeres. Vale & proſperè age diuque: me autem conſtanti favore proſequere.

Cometæ menſibus Majo, & Junio apparuiſſe ſcribuntur.

Archiducis Franciſci Sigiſm. morti Cometa præluxiſſe fertur.

Cometarum indiculus varius.

Eckſtormius plurimos Cometas in tabulas retulit.

Cometarum ſemeſtrium indiculus.

Cometa octimeſtris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Heidelbergam die 22. Julii Styl. Gregor. 1665.

S. P. Vir Clariſſime &c.

Eruditio & humanitas favorem & cultum conciliat. Cometæ 1577 obſervatio.

QUòd Te ſæpiùs per literas nunc alloquar, eximia Tua eruditio & humanitas (quæ bonarum artium amantes in ſui cultum & conſortium trahit) vi gratâ facit. Incitant autem & hæc, quæ adjungo: antiqua ſcilicet M. Franc. Liberati obſervatio & præjudicatio de Cometa Anno 1577. facta Pariſiis, & exinde ad me die 27. Martii hujus anni data epiſtola. De utraque libentèr judicium Tuum, quod meritò magnifacio, cognoſcam. Tantò magis quòd Te in Algebricis egregiè verſatum & experientem eſſe cognoverim. Sed & ad ſuperiora mea reſponſum Tuum exſpecto. Quibus quod addam, habeo nihil. Niſi quòd putem, numerum Cometarum ab Alſtedio & Ricciolo quoque, etſi diligentibus ſcriptoribus annotatum, integro centenario augeri poſſe. Semeſtrium ille meus ſenarius ex eo tempore, quo ad Te poſtremas Kalendis Julii Juliani dedi, binario auctus eſt. Atque hæc res me permovet, ut hiſtoriam Cometarum cum breviſſimo Indiculo lætorum & triſtium eventuum eos ſecutorum contexam, & mantiſſæ vice operi meo annectam. Quod quidem conſilii ac inſtituti Amicis, quibus id indicavi, perplacet. Ita etiam ſpero, favente & auxiliante Deo, aliquid ſplendoris & gratiæ meo operi ab iſto Commentariolo acceſſurum. In hôc Cometarum, mutorum illorum, Illuſtriſſimorum tamen & Splendidiſſimorum divinorum ut ſic dicam, Conſiliariorum & Internunciorum, (quos multi vel Angelos eſſe, vel ab eis componi & dirigi dicunt) quæ tot adverſorum ab omni memoriâ conſecutorum invidiâ & infamiâ uſque adhuc prægravantur, cauſſam ex inſtituto, divino fretus auxilio, agam. Tu me hîc, quà potes, Vir Doctiſſime, juva. Tanto magis quod neceſſariis librorum ſubſidiis non ſim, quantum ſatis & par eſt, inſtructus, longe verò ab Academiis, quæ copioſa ſupellectili librariâ inſigni diſcentium emolumento gaudent, diſſitus. His Te benè valere & feliciter agere cupio ex animo, mea ſtudia & conatus publicis uſibus dicatos iterum iterumque Tibi commendans.

Cometarum indiculum Auctor augere inſtituit: Semeſtres octo invenit. Hiſtoriam Cometarum Auctor meditatur. Cometis cuncta mala plerumque tribuuntur.

Auctor non ſatis neceſſariis inſtructus animum ad ſcribendum hiſtoriam Cometicam appellit: ideò illa hinc & illinc conquirit:

Heidelberga Hamburgum die 22. Julii 1665.

S. P. Vir Generoſiſſime &c.

Leuneſchloſſius reſponſum Auctori ad ternas ejus literas promittit: Interim exemplum aliud prioris epiſtolæ mittit.

POſtquam nactus ſum Tuas illicò eas Manhemium tranſmiſi per Nobiliſſ. Dn. Robertum à Rochwod Sereniſſimo Principi Electori offerendas. Quamprimum eas recepero, meditabor ad ternas Tuas reſponſum: & dum in hiſce diebus canicularibus meæ lectiones Phyſicæ & Mathematicæ feriantur, parabo abitum in Weſtphaliam. Interea ecce priorem epiſtolam denuò à me deſcriptam, & quantum mihi temporis anguſtia permiſit, etiam aliquantillum auctam, in qua ſi per feſtinantem calamum nonnulli errores irrepſerint, eos Humanitas Tua emendare non gravabitur. Interim amare perge

Gener. N. Tui obſervantiſſ.

JOHANNEM à LEUNESCHLOS.

Hamburgo Heidelburgum die 24. Septemb. 1666.

S. P. Vir Clariſſime &c.

Auctor ſilentii amplius annui cauſſas reddit:

ACceperam ego rectè literas Tuas anno decurſo die 22. Julii datas. Ad quas nihil huc uſque reſponderam, tùm quòd reſponſionem Tuam ad meas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

meas priores, cujus in poſtremis tuis ſpem promiſſo Tuo mihi feciſti, opperirer, tùm quod creſcente ſub manu opere meo maximis & continuis laboribus deſtractus fuerim. †Nunc cum utriuſque noſtrûm communicatio typis publicis ſit exſcribenda, mei officii eſſe duxi de reſponſo & promiſſo Te monere, & rogare ut me quamprimùm voti compotem facias. Poſterius exemplum epiſtolæ Tuæ priori ſubſtitui. Cum tamen quædam ex illo excerpta meis ad Reverend. Albertum Curtium literis inſerta jam fuerint, non erat mihi integrum ea omittere vel mutare. Itaque de iis monui Lectorem. Sunt autem hæc, quæ ſeorſùm mitto*. De his quoque judicium Tuum exſpecto. Nullius enim amici votis contrarium quidpiam facere volo. Operis mei editio feliciter Dei gratia procedit. Sed moles ejus non exigua perfici eandem non permiſit. Excreverunt enim mea & amicorum ſtudia in majus quàm putâram. Hiſtoria Cometarum Synopſin quandam univerſalis Hiſtoriæ continens, magno mihi conſtitit annuo labore, qui etiam me meo erga Te officio defungi non eſt paſſus. Acceſſit verò & de Cometarum ſignificatione quæſtio ſatis difficilis, quæ me adhuc tenet. Inter hæc vehementer dolet mihi, in Veſtris regionibus bellum & peſtem graſſari: quæ etiam mala Amicos meos Tibi notos Manhemio cedere coëgerunt. Mihi certum eſt talia non neceſſariò ad Cometas referenda. Videmus enim hæc & alia mala in orbe citrà ullam Cometarum apparitionem ſævire: & alibi terrarum contraria, læta ſcilicet eveniſſe. Itaque Cometæ ſymbolum tribuo : *Bona Bonis*, *Mala Malis*. Atque hæc eſt totius mei inſtituti ratio. Cui Tu, & mihi ipſi Vir Humaniſſime fave.

T. omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

†Reſponſum promiſſum poſtulat.

Poſterius exemplum epiſtolæ ejus priori ſubſtituit.

De quibuſdam tamen Lectorem monet.

* Vide hæc ſupra p. 221. in Communic. Curtiana.

Amici votis nil fac contrarium.

Auctor operis rationem Leuneſchloſſio exponit.

Palatinatum Rheni bellum & peſtis affligit.

Viſſovatii & Stegmannus Manhemio cedunt.

Mala non neceſſariò ad Cometas referenda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXI
COMMUNICATIO
GOTTORPI-OLEARIANA.

S. P. Vir Clariſſime &c.

MEritò dicere liceret, ex amicitiæ noſtræ ratione debuiſſe, aliquod literarum utrique noſtrûm intercedere commercium. Sed ego nolebam peccare in tua tempora, gravioribus negotiis conſecrata, ne importunus Tibi fierem, idque ſinè ullâ urgente neceſſitate, quæ meritò unumquemque excuſat, & vel ipſos errores pallio humanitatis æquæ tegere ſolet. Adhæc ut Te Tua, ita me mea habent & diſtinent negotia, in his præſertim oris, ubi caro cum familia vivitur, degentem. Hunc tamen novus, qui ante 10. circiter dies hîc primùm viſus & obſervatus eſt, Cometa, impellit me, ut ad Te has dem literas. Ideò & adjuncta, (quæ nuper vix ab Amanuenſi meo deſcripta relegi) Tecum communico, quò hâc ratione mutuam Tuam diligentiam ad ſcribendum excitem. Libenter enim, prout vides, Virorum Doctorum & Mathematicarum diſciplinarum cognitione imbutorum judicia & obſervationes de hocce Cometa haberem. Quo in cenſu cum & Te merito Tuo ponam, fac ut ſententiam Tuam hîc cognoſcam, & cum aliis Viris doctis communicem, quorum judicia & obſervationes viciſſim Tecum communicabo. Novi Te talibus delectare. Vidi Sereniſſimi Principis Veſtri celeberrimam Bibliothecam & Cameram Antiquitatum, optimis abundare inſtrumentis Mathematicis Hevelianis aliiſque. Adhæc habetis illud ſeculi hujus miraculum utrumque globum vi aquæ mobilem, quem etiam Tuo favore intùs & foris perluſtravi, cui etiam incluſus & ſimul in utroque poſitus Cometam inſignem videre potuiſti. Ita ut omni ex parte ſingularem Cometæ deſcriptionem & delineationem à Te nobis meritò pollicamur. Facies rem & Tui nominis & Sereniſſimi Principis laude dignam. Vale & conſtanter fave,

Neceſſitas excuſat errores.

Olearium Auctor ad tractandum argument. Comet. invitat.

Gottorpienſis Bibliotheca & Camera antiquit. celeberrima: Globus uterque ad miraculum magnus.

T. ſtudioſiſſimus & ad officia paratiſſimus.

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Ad Dn. M. Adamum Olearium Aſcanium, Sereniſſimo Chriſtiano Alberto Holſatiæ Duci à Bibliothecis.

Gottorpio Hamburgum die 21. *Decemb. St. V.* 1664.

HOc ipſo die Gener. Vir, quo Flenſburgo redii domum, redditæ mihi ſunt literæ Tuæ humanitate & amore in me pleniſſimæ; quia jam non vacat ſcripta illis involuta perlegere omnia, reſponſionem differam in proximam ſcribendi occaſionem; tantum temporis mihi indulgeas, rogo. Interim ago gratias ſingulares, quòd mei noſtræque amicitiæ, felici ſidere olim initæ memor, meque tàm prolixis ſcriptis dignari voluerit Tua Generoſitas. Polliceor.

Olearius literas Auctoris gratas habet & ad eas reſpondet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ceor meis officiolis quovis tempore paratis tantam benevolentiam compenſare pro virili. Vale Generoſiſſime Domine, mihique favere perge

Tuo Servo

OLEARIO.

Gottorpio Hamburgum die 5. 15. Januar. 1665.

De communicatis aliorum obſervationibus gratias agit,
Has Principi monſtrat.
Dux Holſatiæ Matheſeos amans.
Guerichii de Cometis ſententia Oleario arridet.

PRo communicatione obſervationum de Cometa, nuper in plaga auſtrali exiſtente à diverſis Viris eruditis habitarum, ago gratias maximas, illas oſtendi Sereniſſimo noſtro Principi in re Mathematica valdè curioſo, qui te ſalvum cupit. Opinio Domini Conſulis Magdeburgenſis de materia Cometæ non eſt contemnenda, quæ juxtà hypotheſin Copernicanam ſpecioſè ſe exhibet.

Olearius Cometam ab initio non vidit:
Hunc aëreum eſſe accipit ab aliis.

Ego tantæ felicitatis compos fieri non potui, ut Cometa ille mihi, quamvis cælum ſæpiùs inſpicienti appareret, nubibus ſemper obtectus. Ex aliorum relatione apparet illum fuiſſe ſitum in regione elementari.

Cometa ſecundus Oleario 22. Dec. St. V. 1664. primùm apparuit.

Alter autem, quem hîc obſervamus, primùm nobis apparuit 22. die Dec. veſperi poſt Solis occaſum, ſub ſigno Tauri, in capite Ceti ſuprà lucidam mandibulæ & illum quæ eſt in medio oris. Pallidi coloris eſt. Radios, quos verſùs Orientem emittit, aliquando obſcuriores aliquando dilucidiores habet.

Obſervationes Olearii.

Die 26. Decembris circa horam ſeptimam veſpertinam vidi illum in meridiano 40. gradibus ſupra horizontem elevatum; motu proprio procedit tardè verſùs Corum.

Cometa 1664 veſpertinus unus cum matutino idemque Oleario non videtur:
Anno 1472. geminus,
Ejus eventus:

Heri ($\frac{4}{14}$ Januarii) valdè parvum & obſcurum cum paucis radiis ſe exhibuit, Eclipticæ propinquior factus. Sunt qui putant eundem eſſe Cometam, qui ante menſem fuit viſus in parte Auſtrali, ſed credibile non eſt, quia prior motu proprio tendebat verſùs Auſtrum, hic verò ad Aquilonem; Sunt ergò Cometæ duo diſtincti, qui in noſtro hemiſphærio uno menſe apparuerunt. Quid poſt ſe trahent, Deo notum eſt. Anno Chriſti 1472. extiterunt etiam duo, ſecundus dicitur caudam uſque ad terram demiſiſſe, ut Appianus habet. Inſecuta eſt triennalis ſiccitas, ut fontes aquâ diu fuerint deſtituti.

Tùm anno 1596.
Ejuſque eventus.

Item 1596. in plaga Septentrionali. Et quoque ſubſecuta eſt magna ſiccitas, & terræ motus in Aſia.

Olearius in ſententiam Scaligeri ex parte inclinat.
Cometæ operantur in naturalibus ſi inferiores ſunt Lunæ.

De hiſce noſtris ſuſpendo meum judicium, & ex parte inclino ad opinionem Scaligeri Exercit. 79. datam; & ſi quid operari poſſunt, fieri poteſt in naturalibus, ſi Cometæ ſunt ſublunares, & inde aëris mutatio non contemnenda. Sed de hoc brevi peculiari quodam tractatulo agam. Hiſce Vale Vir Generoſiſſime mihique favere perge.

Hamburgo Gottorpium die 13. Januarii St. V. 1665.

S. P. Vir Clariſſime &c.

Dux Holſatiæ Auctori favet,
A ſtudio rerum Mathemat. laudatur.
Mathematica ſtudia Principes decent.

LIteræ Tuæ die 5. nuper inchoati à nobis anni (quem Tibi iterum iterumque precor fauſtum) datæ, nudius tertius mihi redditæ, indicant mihi non tantùm Tuam humanitatem & in me benevolentiam, ſed & gratiam Sereniſſimi Principis, cui à me Tibi miſſa exhibuiſti, quæ hinc inde de Cometa à Viris Aſtrorum peritis habui. Grata hæc Pr. Sereniſſimo fuiſſe, plurimùm mihi gratulor. Quem non miror Mathematicis ſtudiis Viro Principe (quod tot Cæſarum & Regum exempla docent) dignis delectari, cum & Bibliothecam inſtructiſſimam, & illam utriuſque globi machinam prodigioſam, tùm verò & Te Ductorem eximium habeat. Gratum itidem eſt quod epiſtola Tua mihi, quando & quo ſitu Cometam obſervaveris, quidve de eo ſentias, indicet.

Video

Video Vos, quibus myſteria ſublimia Aſtronomicæ ſcientiæ cognoſcere datum eſt, in eo, ſit ne iſte, qui adhuc viſitur, Cometa idem cum priore, nec ne? ſententiis non convenire. Clariſſimus Bullialdus Tibi favere videtur, tùm & Dn. Kirſtenius. Alii contra Vos ſtant, cumprimis autem celeberrimus Hevelius. Ego litem hanc non dirimam nec faciam meam. Sed lubens & audiam diſcrepantes ſententias, & videbo utra earum judicio artis peritorum meritò obtinuerit. Clariſſimus Hevelius, quod ni fallor proximè ad Te perſcripſi, inter alia ait: *Initiò, cum roſtro Corvi adhæreret, ſatis erat tardus, paullo autem poſt multo factus eſt celerior, ſicut ad hunc diem uſque* 28. *Decemb. ferè* 56. *gr. emenſus fuerit, appropinquat jam Cani Majori, tendit ad Leporem, Eridanum, Cetumque verſùs, ex Orientali factus eſt Occidentalis.* Cometas Sublunares Peripatetica fert diſciplina. Cui multos ſe opponere noſti; imprimis Tychonem, eximium illud Daniæ decus & Aſtronomorum Principem, qui Cometas ſupra Lunam, & alicubi inter Planetas locavit, imò & ſupra Planetas, quod Nobiliſſimus ſeculi noſtri Philoſophus Carteſius, qui Cometas ſupra ipſum Saturnum, in illo ſublimi & vaſto inter Planetas & ſtellas fixas ſpatio ponit; ex eò deducere, eumque ut ſententiæ ſuæ præclarum teſtem adducere conatur. Cometas autem multa eaque ſingularia quodammodo portendere, facilè credo, experientiâ (non ullâ Scripturæ Canonicæ, quæ nuſquam Cometarum in ſpecie meminit auctoritate) motus. Tu notas duos Cometas viſos fuiſſe Anno 1472. & (ſicut & illum 1596. præſagiviſſe ſiccitatem magnam, hunc verò terræ quoque in Aſia motum. Notant Hiſtorici & plura ſecuta eſſe, bella nimirum, morbos epidemicos & peſtem: ſicut & Anno 729. altero præcedente, altero ſequente Solem Cometa, 761. altero in Oriente, altero in Occidente conſpecto 1337. altero 4. menſibus, altero una cum priore duobus menſibus apparente; ſed & aliàs. Noſti Anno 840, 841. & 842. referente Alſtedio, tres apparuiſſe ante funeſtam diſſenſionem trium filiorum Ludovici Pii Imperat. aliaque Imperii & Italiæ mala, imò & 4. Anno 1529. ante Turcarum in Hungaria progreſſus ad uſque Viennam, & voracem ſudoris Anglicani luem. Sed noris etiam ex hiſtoriis tùm plurima memorabilia ſine ulla Cometæ apparitione eveniſſe, tùm etiam plurima læta eandem ſecuta fuiſſe. Tractatum illum Tuum, ubi perfectus fuerit, velim ad me mittas, deque ejus editione mecum conferas. Fieri poterit, ut Te in ea promorenda, ſi opus ſit, adjuvem. De ſententia Domini Guericken, Conſulis Magdeburgenſis, pro qua Scaligeri ſententia abs Te allegata & ferè approbata nonnihil facit, ego etiam nonnulla veritatis inquirendæ gratiâ tanquam probabilia alibi dixi, quæ aliquandò Deo volente Tecum communicabo. Vale & adjuncta judicia Clariſſimorum Virorum Huſwed. & Mulleri, libertatis Philoſophicæ memor, boni & æqui conſule; mihique porrò fave.

Mathematicorum de Cometa 1664. diſſenſus.
Cometa 1664. unus an geminus.
Hevelii de Cometa 1664. judicium.
Tycho laudatur.
Carteſius laudatur,
Supra Saturnum Cometas evehit.
ScripturaCometarum non meminit.
Cometarum eventus ſæpè triſtes.
Cometæ bini,
Quatuor ſimul:
Nullis apparentibus multa mala eveniunt:
Apparentibus verò multa bona ſuccedunt.
Olearii tractatum de Cometis Auctor promovere vult.
Guerichii patris ſententiam Auctor inquirendi veri ſtudio ut probabilem propoſuit.

Gottorpio Hamburgum die 24. *Januarii St. V.* 1665.

S. P. Generoſiſſime Domine,

STat adhuc mea opinio firma; fuiſſe duos diverſos Cometas, & neminem hactenus audivi, qui affirmare potuit ſe vidiſſe Auſtralem illum deſcendentem ultra Tropicum Capricorni tàm citò retrogradum, & medio à Tropico 24 ad ♈ itinere deprehenſum, nec poſſum induci, ut credam, Cometam illum furtivo quaſi pede ſub nubium tegmine properaſſe ad Æquinoctialem, exiguo temporis ſpacio tàm ingenti cæli parte emenſa, & denique motu tardiore finem æquaſſe principio. Pro me militant Obſervationes & Relationes Suecicæ Holmiâ nuper mihi tranſmiſſæ, quas hiſce involutas originaliter accipies.

Vidi hiſce diebus Chilonii multas de hoc phœnomeno ſchedas & judicia varia, potiſſimum ab indoctis edita, unum eſt, quod Tertium Intervenientem vocant, cui adſtipulor, & propterea nihil novi de hac materia edam. Vale Generoſiſſime Vir, & mihi favere perge.

Olearius conſtanter duos Cometas 1664. viſos tuetur:
Rationes ſuæ opinionis adfert,
Relationes Suecicas pro ſe adducit,
Has Auctori mittit.
Tertius interveniens Chilonii editus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Holmiæ Dec. 1664.

Obſervatio Holmienſis 14. 24. Dec. 1664.

ANno 1664. die 14. dicti menſis hora 3. matutina obſervabatur Cometa à dicta Stella Spica Virginis 45 gr. 45. minut. & à Corde Hydræ 24. gr. 48. minut.

Die $\frac{2}{12}$. Dec.

Die 2. Decemb. videbatur planè prope ſtellam Spica Virginis. Tunc etiam tranſiit in Zenith, id eſt trans ſequentes regiones Inſulam Aſcenſionis, Angolam, Moſambicam, Javam Majorem, Novam Guineam, Inſulas Salomonis, Iſabellam, Peru & Braſiliam.

Die $\frac{14}{24}$. Dec.

Die 14. dicti menſis latitudinem habuit 18. gr. Auſtralem ſuprà terram.

Stockholmiæ die 23 Dec. 1664.

Cometa in Lepore novus & à priori diverſus ponitur.

Cometas duos una nocte viſos nauta in Suecia narrat.

Præſagia Cometarum 1664.

Votum Chriſtianum apparente Cometa.

REfero hiſce, per dies aliquot aliam ſtellam, puta Cometam, obſervatum eſſe. Quem quoniam veſperi circà quintam, vel ſtatim à Solis occaſu videtur, multi pro novo Cometa ducunt: quod & Nauta quidam confirmare velle dicitur, eò quòd priorem & hunc, ſive utrumque ſimul conſpexerit. Quæ quomodo ſibi conſtent, datâ occaſione perſcribam. Multi divinant jam, priorem illum bella & tumultus: hunc nuperrimum autem, cum quod ad ipſam ſtellam attinet, perpallidus, peſtem ſignificaturum eſſe. Quicquid autem præſagiant, noſtrum inprimis eſt, qui hîc loci degimus, benignum Deum, modò ſit exorandus, ſeriâ pænitentia inter uberrimas lachrymas exorare.

Lipſiæ 24. Dec. 1664.

Cometæ duo 1664. Lipſienſis obſervatio.

VIdimus hîc intra menſem duos Cometas, qui ſine dubio & apud vos obſervati fuerunt: quomodo (ſcil.) primus ſtatim à noſtro horizonte occultatus fuerit: alter contrà tàm altè aſcenderit & celeritèr cucurrerit.

GEORG. PITSCHIUS.

Stockholm vom Dec. 1664.

ANno 1664. den 14. dito/ klock an 3. am Morgenen obſerverades Cometen ifran oſuanbeme Stierna Spica Virginis 45. grader 45. min. och ifran Cor Hydræ 24. gr. 48. minuten.

Den 2. Dec. ſyntes han forſt ret wedh Stiernan Spica Virginis, da är han gangen; Zenith eller mit œfuer dheſſe effters areſne Länder Aſcenſion, Angola, Lacus Mozambique, Java Major, Nova Guinea, Inſulæ Salomonis, Iſabella Peru, Braſilien.

Den 14. dito hafuer på paß 18. grad. ſœdher Latitudo öfwer ſouden.

Stockholm den 23. Dec. 1664.

BErichte/ daß ein tag etliche/ ein ander ſtern/ ſage Comet / obſerviret worden. Welchen/ weil er des abendts gegen 5. oder ſtracks à Solis occaſu geſehen wird/ viele vor einen newen Comet halten; welches auch ein Schiffer ſolle confirmiren wollen/ daß er obigen und dieſen/ oder beyde zugleich geſehen habe. Was hier von ſeyn wird/ ſol mit gelegenheit auch über ſchrieben werden. Viele prognoſticiren ſchon/ daß der vorige bella & tumultus, dieſer newlichſte aber/ weil er/ ipſa ſcilicet ſtella gar bleich/ peſtem bedeüten werde. Was auch præſagiret wird/ ſo haben wirs dieſes orts wohl rechtſchaffene urſach von dem lieben Gott/ modo ſit exorandus, mit ernſter buß und heiſſen thränen abzubiethen.

In Leiptzig 24. Dec. 1664.

WJe haben in monats zeit 2 Cometen zu ſehen bekommen/ die ſonder zweifel bey ihren obſerviret worden; wie nun der erſte bald von unſerm Horizont ſich verlohren/ hingegen der ander ſo hoch geſtiegen/ und geſchwinde lauffen.

Georg Pitſchius.

Hamburgo Gottorpium die 7. Novembris Juliani 1665.

Auctor Gottorpii Oleario adfuit.

SUaviſſimi colloquii, quod mihi Tecum præteritâ hyeme domi Tuæ interceſſit, dulcedine etiam nunc animum meum paſco. Libenter equidem literis

teris meis Te compellaſſem, & in Te officioſus quàm ſum benevolus, extitiſſem, ſi per aſſiduas occupationes id facere licuiſſet. Sed ex quo à Vobis in hanc urbem reverti, diverſi Amici, quorum apud me magna auctoritas eſt, monitorum ſtimulis me, ut quæ inter me & Viros doctos de Cometis communicata ſunt colligerem, & in ordinem redacta publico committerem, impellere non deſtiterunt. Id tandem, etſi tenuitatis meæ conſcius, votis eorum dedi, partemque operis in Bataviam miſi, ut hæc à me partim collecta, partim inter medias occupationes elaborata, prelo ſubjiciantur. Spero auxiliante Deo, me hac occaſione quoddam Politicæ Encyclopœdiæ ſpecimen editurum eſſe. Nam ne ſis ignarus, non ſola Mathematica ibi pertractabuntur, ſed multa quoque Phyſica, Politica, Hiſtorica, Chronologica, Ethica, Oeconomica. Qua ratione & jucunda & utilia uno faſce complectar, benè de re literaria & publica in univerſum mereri volens. Id conſilii & Tibi, Vir Humaniſſime, aperio, Teque, ut in Senatum quem Philoſophicâ libertate convoco, venias, inque eo ſententiam de Cometarum ortu, motu, numero & operatione dicas, imo & alia quæ Reipublicæ utilia eſſe judicàris in medium afferas, amicè invito. Jam quidem nonnulla ad me perſcripſiſti, quædam etiam, cum Tibi adeſſem, tradidiſti, quæ meritò operi inſeri poterunt. Verum tamen ſi velis plura id generis promere, hoc Tibi liberum eſto. Mihi quidem publicis commodis promovendis intento rem feceris gratiſſimam. Imprimis verò velim me doceas, quæ ſint illæ Norvagicæ & Holſaticæ obſervationes, quarum fide Clariſſimus Eraſmius Bartholinus in ſuo de Cometis Commentario, quem Tibi viſum & lectum eſſe ſpero, propè pro gemino Cometa in Corvo & Lepore decernit. Quas à Te habui obſervationes de hyberno Cometa cum erudito Viro Juvene Henrico Siverio, Philoſophiæ ſtrenuo cultore, Bibliothecæ ædis Sacræ Cathedralis præfecto, communicavi. Qui quum eas cum ſuis contuliſſet, animadvertit nonnulla, de quibus Te conſulere jam pridem voluit. Nempè quem Tu Cometæ locum die 22. Decemb. tribuis, eum die 27. Dec. demùm obtinuiſſe ipſi & aliis compluribus viſus eſt. Tum quem eidem aſſignas 26. Dec. convenit cum ſitu ejus die 28. Dec. notato. Tandem Te ſecum die 4 Januar. conſentire dicit. Putat itaque faciles errores irrepſiſſe 22. pro 27. & 26. pro 28. De his velim me moneas. Quòd ſi verni Cometæ aliquas obſervationes habeas, eas mecum communicabis, ut cuncta ſimul Tuo nomine poſteritati commendentur. Scito porrò rumorum de novis Cometis æſtivis & auctumnalibus ex variis locis ad nos fuiſſe perlatos: ſed incertæ fidei. Nuper tamen à Nobiliſſimo Heinſio, Fœderati Belgii Ordinum in Aula Suecica Legato Ordinario, accepi Clariſſimum Rudbeckium ei affirmaſſe, Cometam ſe menſe Septemb. ſæpius obſervaſſe, eundemque adhuc in Andromeda videri. Tu ſi quid tale obſervaſti, prode. Sereniſſimum Principem Veſtrum novam Academiam laudatiſſimo munificentiæ & amoris in bonas artes exemplo, Chilonii erexiſſe, ſummoperè cum omnibus bonis gratulor & gaudeo. Multos literarum humaniorum amantes non tantùm ad locum illum frequentandum, ſed & ad cultum & amorem ſui pertrahet. Ita creſcentibus cum ætate præclaris facinoribus ejus celebrandis & ſeræ poſteritati commendandis felicia non deerunt ingenia. Nuper menſtruum natalem illius Academiæ animo celebravi, & teſtatus ſum literis ad Clariſſimum Dominum Watſonium, tanquam Facult. Phil. Decanum miſſis, cum nondum ſciam, an eis Profeſſor Matheſeos jam adſit, quem etiam in Senatum Philoſophicum invito. Vale & Illuſtriſſimo Domino Kilemanno, Sereniſſimi Principis Veſtri Statûs Miniſtro primario, Conſilii Præſidi & Cancellario, ſalutem officioſam nomine meo nuncia. Tum verò etiam apud eum certiſſimus teſtis & pro jure amicitiæ ſponſor eſto de meo candore in tantum Virum officioſo. Nam non tantùm magna ejus merita & excellentiſſimas ingenii dotes veneror, ſed & favorem ejus toties compertum, & mihi, ut ſpero, ſemper cuſtodiendum, grata mente nunquam non celebro. Iterum Vale, & fave conſtanter.

Inſtituti operis rationes ei exponit.

Encyclopædiæ Politicæ compendium Auctor hoc opere exhibere conatur.

Olearium Auctor ad dicendam de Cometis ſententiam invitat:

Libertati tamen ejus id relinquit:

Obſervationes Norvagicas & Holſaticas Bartholino celebratas Auctor ab Oleario poſtulat.

Cometa 1664 Bartholino videtur geminus.

Siverus laudatur,

Diſcrimen Olearii obſervationum ab ſuis prodit.

Cometæ verni 1665. obſervationes Auctor ab Oleario poſtulat:

Æſtivi & auctumnales nulli certi.

Dux Holſatiæ laudatur:

Academia Chilonienſis erigitur:

Ei natalem menſtruum Auctor gratulatur.

Kilemannus Ducis Holſatiæ Cancellarius laudatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Gottorpium Kal. Octobris 1666.

Olearium denuò Auctor compellat, *Licet nondum accepto reſponſo.* *Aulici alienis occupationibus laborant.* Senec. *Academiæ Chilonienſis erectio deſcripta cum cura.* *Cometicum argumentum arduum, cautè tractandum.* *Ducis Holſatiæ elogium,* *Gratiam Auctor tenet.* *Obſervationes Olearii à Siverianis differunt:* *Eaſdem Cometæ verni,* *Tùm & Norvagicas & Holſaticas Auctor communicari ſibi poſtulat.*

S. P. Poſtquam ad Te ſcripſi, menſis hic jam agitur undecimus. Literas meas rectè Tibi fuiſſe tunc redditas, non dubito. Silentium tuum aſſiduis occupationibus, quas Aulica vita affatim ſuppeditat, præcipuè verò editioni vaſti illius de Academiæ veſtræ Chilonienſis erectione operis, cujus Te curatore tot figuras ſculpi oportuit, tribuo. Quòd ſi etiam argumenti Cometici difficultas & multiplex quod hîc occurrit, ſententiæ incertum ſcriptionem tuam & meam exſpectationem remoratum eſt, haud equidem miror. Interim cum & Sereniſſimo Principi Tuo, tàm ad laudis culmen magis magiſque feliciter enitenti, quàm mihi privatim benevolo, multis nominibus ſim obſtrictus, & amicitiæ Tuæ multum debeam, nolui nunc quoque officio deeſſe. Cum enim inter nos de hoc argumento communicata prelo ſubjicienda ſint brevi, æquum eſſe cenſui reſponſum ad meas illas literas anni decurſi die 7. Nov. datas Tibi in memoriam revocare. E re Tua & publica eſt, ut præcipuè diſcrimen Tuarum & Siverianarum obſervationum tollas. Ille enim quod tribus verbis repetere non piget, Tuas obſervationes die 22. & 26. Decemb. 1664. factas ſuis die 27. & 28. ejuſdem menſis convenire affirmat. Petii præterea, ut & nunc peto, abs Te mihi copiam fieri obſervationum tùm Tuarum de Cometa verno, tùm illarum Norvagicarum & Holſaticarum, quibus nixus Clar. Bartholinus ferè decernit geminum nobis hybernum Cometam tunc viſum fuiſſe. Studia & conatus meos, quorum ſpecimen aliquod ex hiſtoria Cometarum excerptum Sereniſſimo Principi mitto, velim ei commendes, ut & Ill. D. Præſidi Kilemano non tantùm humaniorum literarum Patrono, ſed & Fautori meo pl. colendo, cui ſalutem officioſam hîc adſcribo. Vale & mihi conſtanter fave.

XXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXII.

COMMUNICATIO HANNOVERA-BUSMANNIANA.

Hamburgo Hannoveram die $\frac{18.}{28.}$ Febr. 1665.

S. P. Vir Clariſſime Doctiſſime.

ATtulit mihi heri Amicus delineationem à Te factam nuper in cælo viſi Cometæ, æri ſat affabrè & accuratè Hannoveræ inciſam, unà cum adjuncta ſcheda, quæ delineationis uſum docet. Grata quidem hæc ſunt: ſed vellem ſententiam Tuam cognoſcere planius, an fuerit unus idemque (quod non pauci in Germania, Suecia & Hybernia negant, quidam etiam duos diſtinctos Cometas unâ nocte ſe vidiſſe affirmant) Cometa? tùm quo motu rectilineone, an epicyclico, an verò orbiculari à Corvo ad Leporem pervenerit? & an tàm brevi aliquot dierum ſpatio tàm magnum ſpatium unus Cometa abſolvere potuerit? tùm quid de origine Cometarum in genere ſentias? His Te magnos effectus tribuere video. Quâ in re, ut ingenuè fatear, abs Te diſſentio. Ideò jam antè viſum Tuum ſcriptum ad varios viros doctos eâ de re ſcripſi, & illis meam ſententiam aperui, & deduxi, quod videre poteris in manu Amici fidi Nobiliſſ. & Humaniſſ. D. Laurentii Mulleri, Sereniſſimo Principi Veſtro à conſiliis, cui has literas curandas mitto. Ego fero facilè alienam libertatem, & boni æquique conſulo ea omnia quæ quiſque ex animi ſententia hîc dicit. Eodem æquitatis jure mecum agi poſtulo. Exſpectabo itaque Tuum reſponſum, paratus pluribus de his Tecum conferre, qui & alios Clariſſimos Mathematicos ſuper hâc re compellavi, & multas eorum obſervationes & narrationes habeo. Vale & me in numerum Amicorum Tuorum recipe, ac gratus accipe quæ currente calamo in chartam effudi.

Buſmannum qua occaſione compellârit Auctor:

Eidem quæſtiones de Cometis propoſuit.

Præcipuè autem de eorum effectis.

Laurentius Mullerus laudatur.

Libertas cujuſque æquo ferenda animo.

Ad Dn. Chriſtianum Buſmannum Med. & Phil. D. Phyſic. Hannover.

T. obſervantiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Hannovera Hamburgum, die $\frac{21\ Febr.}{3\ Mart.}$ 1665.

Viro Nobiliſſimo & Generoſo

D. STANISLAO LUBIENIETZKI de LUBIENIETŻ

Chriſtianus Buſmannus Phil. & Medic. Doctor & Phyſicus Hannoverenſis Ordin. S. P. D.

MAgno deſiderio Te affici, opera illa ſublimia in ſuperiori cœleſti machina, contemplandi ex literis Tuis ad me benevole datis, non illubenti animo

Buſmannus ſtudia Auctoris grata habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mo percepi. Præterquam enim quod ad varios viros doctos de nupero Cometa ſcripſiſti, & ſententiam Tuam illis aperuiſti & deduxiſti, etiam à me expectas ingenuitatem & libertatem ea de re judicandi. Quamvis autem me à ſcribendo deterruerint hoc in argumento nec pauca nec vulgaria, cum dubius exſtiterim, an ſcribendum cum multitudine ut plurimum aberrante; an de re omnibus nota pro vulgi expectatione certi aliquid vaticinandum; an cum doctioribus non paucis harum rerum peritioribus tacendum; an pro rei gravitate & divinitate imbecillitas mea mihi fuerit agnoſcenda? Tamen Dei Omnipotentis opus, illam in cælis accenſam facem ejuſque motum, concivibus meis in delineatione quadam demonſtrandum eſſe, eam ob cauſam præcipue exiſtimavi, quod animadverterem varias, quibus illa fax lucebat hominibus, de ea eſſe opiniones. Alii enim duos diſtinctos Cometas eſſe loquebantur, quorum motus & caudæ diſtincti eſſent. Quidam priorem Cometam per rectam lineam à Corvo ad Leporem ſub hemiſphærium noſtrum præcipitatum eſſe, & inde ad nos transmigraſſe. Reliqui poſterioris Cometæ iter ab Eridano incipientes ſine cauda primum apparuiſſe, ſubſequentibus autem diebus radios prælongos aſſumſiſſe, & motu rectilineo à fluvio Eridano per Ceti rictum ad Arietem deveniſſe arbitrati ſunt. Prorſus falſum denique eſt, duos diſtinctos Cometas una nocte viſos eſſe. Hos errores ut eximerem (nulla enim alia cauſa fuit meæ delineationis æri inciſæ) ſchema meum adumbravi. De 4. igitur à Te, Vir Generoſe, mihi propoſitis quæſtionibus, ut nempè ſententiam meam explicem, an fuerit unus idemque Cometa? tùm quo motu rectilineone, an epicyclico, an verò orbiculari percurrerit? & an tam brevi dierum aliquot ſpatio tam magnum ſpatium unus Cometa abſolvere potuerit? tùm quid de origine Cometarum in genere ſentiam & ingenue mentem meam aperiam, reſpondeo mihi unum eundemque Cometam perpetuò viſum eſſe, qui motu, neque rectilineo, neque epicyclico ſed orbiculari iter ſuum abſolvit. Hæc duo priora poſtulata oſtendit circulus Cometæ proprius in meo ſchemate adumbratus, & per ea loca traductus, quibus non ſolùm hîc, ſed alibi terrarum Cometa ſeſe oſtendit. Certum enim eſt & à pluribus obſervatum peritioribus in Corvo primùm illuxiſſe, deindè ſub tropico percurriſſe, donec ad aſteriſmum Galli juxta Canem majorem pervenerit, quod factum in mea delineatione in lit. *g.* die 17.27. Decembris, quo tempore eodem loco viſus fuit Romæ magni nominis & eruditionis Jeſuitæ & Mathematico Athanaſio Kirchero. Idem Athanaſius eundem Cometam vidit $\frac{18}{28}$. Decembris, in meo *h.* & $\frac{19}{29}$ Decembr. præter propter in meo *i.* ſive uti ſcribit in epiſtola ad Celſiſſimum Principem Auguſtum Ducem Brunſuicenſem & Lunæburgenſem, 11x. gradu à Tropico verſùs Æquatorem. Porrò Coloniæ Agrippinæ ab alio quodam Viro clariſſimo obſervatus eſt juxta collum Leporis, quem locum deſignat meum ſchema eodem die in lit. *k.* Etiamſi itaque hactenus mihi nondum conſtitit num etiam propter nubes die 22. Dec. 1. Jan. alicubi ſeſe Cometa oſtenderit, in meo *l.* tamen die 23. Dec. 2. Jan. ab infinitis hominibus ubique terrarum conſpectus eſt, non ut perperam creditur, quòd caudam amiſerit, ſed quòd intenſius Lunæ lumen imbecille & debile caudæ lumen veluti abſorbuerit. Quòd ſi prioribus diebus, quibus Cometa juxta Corvum conſtitit, aliqualis videtur eſſe diſcrepantia inter eos, qui obſervata ſua prodiderunt: ea tamen non eſt tanti ponderis, ut arguat pluralitatem Cometarum: cum ob parallaxium naturam in diverſis Climatibus, obque errorem deſcribentium, qui etiam in mea adumbratione commiſſus eſt, id accidere potuerit. Omiſſæ enim ſunt mihi duæ notæ inter *a.* & *b.* & una inter *b.* & *c*; ita ut à deſignârit $\frac{8}{18}$. Decembr. *b.* $\frac{11}{21}$. *c.* $\frac{13}{23}$ Decembr. In reliquis verò annotatis locis exigua aut nulla differentia cum aliis ſine dubio (qui de uno ſaltem Cometa aut de pluribus ſcripſerunt) occurret. Venio ad tertium Tuum poſtulatum, nempe an tàm brevi aliquot dierum intervallo tàm magnum ſpatium abſolvere potuerit Cometæ? De quo affirmo,

Multitudo plerumque errat.

Turba ſemper argumentum eſt peſſimi. P. Syr.

Cometicum argumentum cautè tractandum.

Cometas duos 1664. quidam ajunt:

Unum eundemque fuiſſe alii.

Buſmannus negat Cometas duos una nocte viſos:

Cur delineationem Cometæ fecerit;

Ad 4. quæſtiones Auctoris reſpondet.

Unum Cometam 1664. viſum docet.

Cometæ 1664 motus orbicularis à Buſmanno deducitur.

Obſervationes Kircheri, Buſmannus cum ſuis confert.

Kircheri laus,

Epiſtola ad Auguſtum D. Brunſuic.

Obſervatio Colonienſis.

Cometa 1664. cur ſine cauda apparuit:

Unus fuit, etſi obſervationes primæ diſcrepent.

Parallaxes Comet. Buſmannus tribuit.

Amanuenſes ſæpè errant.

Buſmannus delineationem ſuam corrigit.

Cometæ motus modò celerior modò tardior.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

affirmo, motum Cometæ ſemper non fuiſſe æquè velocem, ſed proportione quadam Geometrica inceſſiſſe primò tardiuſculè, deindè concitatius, porrò velociſſimè, ut motum Lunæ diurnum ſuperaſſe viſus ſit; qui Lunæ motus conſtat in longitudine, uti notum eſt, à Sole ſingulis diebus ſive in horis viginti quatuor gradibus 12. minutis primis 11. &c. Cometa autem noſter ex ordinario & citiſſimo itinere motus eſt in menſe, ubi juxta Eridanum tardiùs iterùm moveri incepit, donec 26. gradum longitudinis in Ariete, & ſextam gradum latitudinis Septentrionalis attigerit: quibus poſtremis diebus inſtar Saturni aut Jovis tardiſſimè ſeſe in orbe ſuo, è loco in locum repentem quaſi exhibuit. Poſſe autem Cometam tam velociſſimè brevi aliquot dierum ſpatio tam magnum iter conficere, non abſurdum eſt; cùm annotatum ſit Anno 1475. Cometam quemdam Regiomonti in proprio circulo 40. grad. intra diem pertranſiiſſe. De origine Cometarum quod eſt quartum, quod à me poſtulatur, nota eſt Ariſtotelis opinio, eſſe ſcilicet exhalationes, vi Solis & Aſtrorum ex terra per ſegregationem calidi extractas, & propria levitate ad ſupremam aëris regionem ſublevatas, ibidemque inflammatas. Verum enim verò quamvis magnus mihi ſit ſummus ille Philoſophus; Attamen Mathematicorum demonſtrationes noſtri & prioris ſeculi certiſſimè oſtendunt, nullum hactenus in elementari regione Cometam, ſed in ætherea perpetuò conſtitiſſe. Ut paucis me expediam ſtatuo; „*Cometas eſſe corpora cæleſtia lucida, extra naturæ ordinem, vi divina in* „*æthere è maximè ſublimi parte cæli demiſſa, & peculiari motu & figura conſpicua, ut* „*ſint nuncii ingruentium calamitatum, à ſecuris mortalibus non animadverſarum, vel* „*neglectarum, ſi fortè ipſis ad Deum converſis mala iſtæc vel tota averti vel paulu-* „*lum mitigari poſſint.* Argumenta meæ ſententiæ ſunt 1. Entia præter neceſſitatem non eſſe multiplicanda, ideoque refragari veritati à Deo tempore apparitionis primùm creari iſta à nobis viſa corpora cæleſtia: 2. Cometas alios, tum hunc noſtrum magis magiſque ſubtractùm, quò ſublimius firmamento acceſſerit. Exemplo ſit ſtella nova 1572. in Caſſiopeja conſpicua, quæ diutius anno conſtitit & magnitudine, & fulgore Jovem æquavit; ſed paulatim attenuata, poſt biennium viſui humano ſubtracta, nihilominus per tubos opticos aliquot menſibus adhuc videri potuit. Idem de moderno Cometa non malè judicabitur, fuiſſe nempe eum in inferiore parte ætheris, dum motu erat concitatiore, poſtea autem etiam atque etiam altius aſcendiſſe in circulo ſuo ordinario & divinitus ſibi deſignato ad firmamentum oculiſque noſtris deniquè exemtum eſſe. Cæterùm Cometis ego quidem nullum effectum tribuo; firmiſſimè tamen ab experientia, omnium rerum magiſtrâ perſuaſus ſum, certiſſima ſigna & indicia eſſe futurorum malorum. Deum enim & naturam nihil facere fruſtra, jam dudum à multis ſeculis obſervatum & axioma eſt infallibile. De vaticiniis meis, in quibus nihil eſt artis, nihil firmi, ſed tantùm per conjecturas trado, cuique liberum de iis relinquens judicium, quamvis rationem non planè contemnendam habeam. Plura addere tempus vetat. Finem itaque facio, & Tuo favori me commendo.

Lunæ motus diurnus cum nuperi Cometæ motu comparatus.

Cometa 1475 (1472.) uno diè 40. grad. emenſus Regiomontano teſte.

Ariſtotelis de Comet. orig. ſententia Buſmanno improbatur.

Cometæ omnes ætherei.

Cometa definitio à Buſmanno tradita.

Corpora corpora mundo coæva.

Cometa 1664. ſubtractus non exſtinctus.

Stella 1572. anno diutius duravit.

Cometæ Buſmanno non ſunt cauſæ ſed ſigna rerum.

Hamburgo Hannoveram die 28. Februarii Juliani 1665.

NUdius tertius accepi rectè literas Tuas, quibus non tantùm epiſtolæ, ſed & exſpectationi meæ abundè reſpondiſti. Lego profectò in iis indubitata eruditionis & humanitatis veſtigia, Teque utramque felici connubio junxiſſe perſpicio. Sed doleo me Tibi pro meritò ſatiſfacere reſpondendo non poſſe. Dabo tamen operam ſedulò, ne quid officii in ingratum contuliſſe videâre. Novi enim conſentiente Sapientum calculo, indelebilem eſſe ingrati animi maculam, & fœdiore bonam exiſtimationem hominis ingenui cordatique adſpergi non poſſe: cum & omnium malorum compendium hoc vitium jam olim habitum,

Buſmanni reſponſum Auctor habet gratiſſimum. Officioſus eſto.

Ingrati animi vitium fœdiſſimum fuge.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

habitum, imò ingrato nil pejus terram alere dictum ſit. Gratiſſimum itaque mihi eſſe profiteor, quòd tam accuratè ad propoſitas à me de nupero Cometa quæſtiones reſponderis: tùm verò & quædam, quæ in delineatione Cometæ à Te factâ omiſſa ſint, corrigenda indicaveris. Quòd ſi itaque in editionem Tuæ epiſtolæ doctiſſimæ & delineationis, præſertim ubi correcta ad tuam mentem fuerit, accuratiſſimæ, conſenſeris, dabo operam ut id fiat, Tuumque hac ratione nomen aliis, & magnis quidem nominibus adjungatur. In eo enim ſum, ut opus Politico-Ethico-Mathematicum ex obſervationibus, narrationibus judiciiſque multorum Clariſſimorum & Præſtantiſſimorum Mathematicorum (inter quæ & illa Kircheriana abs Te allegata & meritò commendata reperiuntur) aliorumque Virorum Literatorum contextum edam in publicum. Spero autem, favente Deo, fore id orbi literario nec ingratum nec inutile, ita ut niſi poſſim illum laudis apicem aſſequi, cui inſcriptum noſti,

Auctor Buſmanno inſtituti operis rationem exponit.

Utilia ſcriptor dulcibus miſce.

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci,

Operam tamen ſim daturus, quò ad illum quàm proximè (noſti enim cunctis ſanâ mente præditis illuc enitendum eſſe, nempè quia

Laudis veræ cupidus eſto, adſpira ad ejus culmen, Sed ſine ruinâ alienæ famæ.

Eſt quadam prodire tenus ſi non datur ultra) accedam.

Sed citrà ullius noxam vel infamiam: quamvis in quæſtione de effectis Cometarum diſſenſum meum apertè prodam, quem ipſum etiam publicè utilem forè confido. Cenſeo namque multum publicæ rei intereſſe, ut homines deſcant res terrenas orbibus cæleſtibus alligare, & trabali illo fati Stoici & Aſtrologici clavo affigere: Sunt enim qui res novas appetunt, & temerariis auſis orbem Chriſtianum ſæpè commovent, ſeque ut fati invicti adminiſtros, quaſi re benè geſta, prædicent. Apud tale nempè maleficum & civili ſocietati inimicum hominum genus ſæpenumerò culpa in neceſſitatem tranſit, fitque, quod eſt miſerrimum, ut quod patratum eſt flagitium, etiam meritò, imò neceſſariò patratum fuiſſe judicetur. Noveram in Polonia noſtra duos Equites Splendidiſſimos, & famâ rerum geſtarum non ſolùm in Europa, ſed & in America celeberrimos, quorum alter atrociter commiſſum homicidium, tanquam execrandum ſcelus, culpam ſuam agnoſcens, deflebat, alter fatali neceſſitate perpetratum excuſabat, & tantùm non ut laudandum deprædicabat. Miſeros homines! qui optimis donis divinis, ratione ſcilicet ſobria & libera voluntate agendique facultate peſſimè abutentes, & ſui ipſorum, quia excelſæ originis & excelſiſſimæ beatitatis obliti, ut inſtrumenta iræ divinæ juſtiſſimas pœnas peccatoribus infligentis, fiant, quærunt. At nonne vel Plutarchus docet, nec Poëtas malorum auctorem Deum facere, & ibi propriè Dei nomen ab iiſdem poni, ὅπου τὸ πρέπον καὶ καλὸν λόγον καὶ εἰκός ἐστιν (ubi quid conſentaneum, decorum & probabile eſt) lib. de poëtis audiendis. Tu igitur, Vir Doctiſſime, rectiſſimè facere mihi videris, quòd non facias cum illis qui aſtris tribuunt neceſſitatem, eamque inevitabilem, quæ in inſulam Stoam ex orbe Chriſtiano meritò releganda foret. Cometas aliaſque cæleſtes apparitiones velut nuncios inſtantium calamitatem ſecuris mortalibus à DEO Sapientiſſimo, Juſtiſſimo, Optimo, Maxirno exhiberi, ut altiſſimo vitiorum ſomno ſepulti, vel, ut Scriptura Sacra loquitur, fallaciâ peccati indurati, ad pœnitentiam excitentur, libenter meritòque largior. Verum tamen puto meam theſin rectè ſibi conſtare, multa ſcilicet & mala antè vel citrà & bona poſt Cometarum apparitionem in tam vaſto terræ Orbe hîc illîc conſpecta eſſe, & conſpectum iri. In eo quoque Tua ſent entia mihi placet, quòd de Tuis vaticiniis, firmi hæc nihil, ſed tantùm per conjecturas talia Te tradere, licet rationem non planè contemnendam habeas, fateris. Credo & aliis candorem Tuum placiturum. Hoc enim eſt ſapere ad ſobrietatem, docente Scripturâ Sacrâ, omnis veritatis magiſtrâ. Nempè & aureum Pythagoræ carmen docet:

Aſtrologicum fatum publicè noxium.

Fati nulla neceſſitas in vitiis cernitur.

Perditio hominis ex homine eſt.

Arciſſevii Chriſtoph. & Elias genio diverſo.

Donis Dei utere non abutere.

Deus nec poëtis auctor mali.

Cometæ prænuncii calamitatum quodammodo dici poſſunt:

Citrà hos tamen multa mala, poſt hos etiam bona eveniunt.

Buſmanni modeſtiam Auctor laudat.

Sapientia ſobria eſto.

Περὶ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Πρηέσι δ' εἶκε λόγοις, ἔργοισί τ' ἐπωφελίμοισι.

(Id eſt, Lenibus cede verbis factiſque utilibus.)

Cæterùm ſcias velim, & me cuique integram judicandi relinquere libertatem, quâ nihil divinius homini in hac vita mortali contigit, cùm eum & ad bonæ mentis, & ad ipſa cæli palatia ducat. Ideoque vel maximè hanc in tolerandis diſſentientibus æquitatem de meliore, ut dici ſolet, nota, commendatum nobis omnibus, qui Chriſtiano nomine cenſemur, eſſe oporteret. Nam & Pythagoras ibidem ſubjicit.

Libertas res cariſſima cuique relinquenda.

Tolerantia æqua Chriſtianis convenit.

Μηδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς.

Id eſt, Nec oderis amicum tuum exigui peccati cauſâ.

Amici vitia noveris non oderis.

Tanto verò minus diverſæ, etſi revera erroneæ (quanquam hîc ſæpè triticum pro zizaniis, in ſacris præſertim, reputatur, ideò Chriſtus hæc ad meſſem uſque creſcere permiſit) ſententiæ. Imò & paulò infra præcipit ille Philoſophorum primus

Sententia diverſa, etiam circa ſacra, amicitiam nec impediat nec ſolvat.

\- - - ψεῦδος δ' ἤν περ τι λέγηται,
Πρᾴως εἶχ'. Ὃ δέ τοι ἐρέω, ἐπὶ παντὶ τελείσθω,
Μηδεὶς μήτε λόγῳ σε παρείπῃ, μήτε τι ἔργῳ,
Πρῆξαι μηδ' εἰπεῖν ὅ τι τοι μὴ βέλτερόν ἐστι.

Id eſt, - - - mendacii verò ſi quid dicant
Leniter ſuſtine. Quod autem dicam, per omnia perficitor,
Nemo tibi neque verbis, neque factis perſuadeat,
Ut facias dicaſve quod tibi non ſit commodum.

Noxia tibi cave, etſi alii ea commendent.

De Tua ſententia & delineatione Cometæ cum Viris doctis hujus Urbis conferre mihi nondum per alia negotia erat integrum; præterquam cum Clariſſimo & Doctiſſimo Viro Joanni Alberto Huſwedelio, Phil. & Med. Doctore, ac Phyſico hujus Urbis, primario Viro talium amantiſſimo, cui hæc vidiſſe & legiſſe erat pergratum. Ubi plus otii nactus fuero, volente DEO, & cum illis eâ de re conferam, & pluribus Tecum agam, ac per omnia candorem ſtudiumque benè de Te merendi meum Tibi probabo. Vale & mihi favere perge.

Huſwedelii laus.

Hannovera Hamburgum die 21. 31. *Martii* 1665.

ANte duàs ſeptimanas & quod excurrit, epiſtola Tua altera ad me allata eſt, cui citiùs reſpondiſſem, niſi occupationes crebræ & frequentia itinera, ob Medici noſtri Aulici abſentiam, moram induxiſſent. Curam ille geſſit Celſiſſimi quondam Principis Chriſtiani Ludovici, Ducis Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, in vicinia graviter decumbentis, & nunc demortui. Morbus fuit defectus caloris nativi cum appetitu proſtrato, & tuſſi vehementi, defluente ſcilicet materiâ cruda ad pulmones, & ſuffocationi inſidiante. Dolendum ſanè Principem excelſi animi medio ætatis decurſu diem obiiſſe poſtremum; Principem amiciſſimum patriæ, qui juventutis ſuæ terrorem perpetuò intulit vicinis, Romanæ ſedi addictis, & nullo non tempore rempublicam Chriſtianam perturbantibus. Sed quo prolabor? Omnes eodem cogimur omnium

Chriſtiani Ludovici D. Brunſuicenſi Morbus, Mors, Morbi deſcriptio, Elogium.

Verſatur urna: ſerius, ocius,
Sors exitura.

Mors manet omnes.

Redeo ad inſtitutam Cometæ nuperi delineationem, in qua aliquid ſignificaveram corrigendum. Feci id proximis diebus, cùm rogatu bibliopolæ ob exemplaria diſtracta in alteram impreſſionem conſenſiſſem, & quædam pro ulteriori addidiſſem informatione, cujus exemplar tranſmittam, quamprimùm Francofurto ille, ubi editionem curat, redierit. An verò tanti ſit, cùm mea epi-

Buſmanni modeſtia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Institutum Auctoris approbat. *Cometæ nec astra in voluntatem humanam agunt.* *Voluntas hominis libera in peccando.* *Stoicorum fatum Busmannus rejicit.*

ſtola, de qua mentionem facis, tùm delineatio Cometæ, hac ut ratione nomen meum (hactenus enim ſuppreſſo nomine egi) magnis nominibus addatur, Tuum erit, Vir Generoſe, judicare, cujus animum variarum ſcientiâ rerum imbutum documenta ad me miſſa prodiderunt: ideoque non dubito quin opus illud quod auſpicaris Mathematico-Politico-Ethicum gratiſſimum futurum ſit Orbi Literario & utiliſſimum. De effectis Cometarum quid ſentiam puto ex prioribus meis pateſcere literis. De aſtris in genere eadem mihi ſtat ſententia. Non enim eorum ſive ſtatutis ſive ſignificationibus irrefragabili lege voluntates hominum obſtringo, nec cogi Neronem à ſtellis ad tanta ſcelera dico, ſed accerſivit ipſe ſibi hos furores volens. Procul abſit etiam à me Stoicorum delira neceſſitas, quâ illi & Deo imperium naturæ eripiunt & pecuino ſervitio premi voluntatem volunt: neque probo illud Poetæ,

Fata regunt homines, certâ ſtant omnia lege.

Homicidium eſt actus voluntariæ malitiæ humanæ, non divinæ prædeſtinationis. *Buſmannus ſententiæ Auctoris de eventibus Cometarum quodammodò ſubſcribit:* *Mala tamen Cometis ſignificari vult.* *οὐδεὶς Κομήτης ὅςις οὐ κακὸν φέρει.* *Cometas ſemper ſequuntur mala.* *Præcipuè rerumpubl. mutationes,* *Præſertim iis populis quibus illi ſunt verticales,* *Et qui ſubjecti ſignis quæ Cometæ attingunt vel peragrant,* *Tùm quibus mala directa in eos Cometæ cauda vel juba minatur.* *Bellum Cæſaris & Pompeji præceſſerunt Cometæ.* *Cometa ſemeſtris ſub Nerone,* *Annuus ſuper Jeruſalem,* *Ante hæreſin Arii,* *Et Vandalicam ac Gothicam irruptionem,* *Et Mahometis ortum:* *Tùm anni 1618. 1653. & 1661. ante multa mala.*

Hinc deteſtor falſiſſimam opinionem Equitis illius Poloni, homicidium perpetratum fatali neceſſitate excuſantis, & tantum non, uti ſcribis, deprædicantis. Scilicet, imbutus ille ſine dubio fuit iſtis doctrinæ corruptelis quas Orbi Chriſtiano nonnulli de prædeſtinatione, ſive ad perennem beatitudinem, ſive æternum animæ exitium obtrudere conantur. Quamvis autem, Vir Nobiliſſime, contrarius non ſim tuæ theſi; Multa nempe & mala ante vel citra, & bona poſt Cometarum apparitionem in tam vaſto terræ orbe hìc illìc conſpecta eſſe & conſpectum iri: attamen alterum etiam argumentum, à ſignificationum experimentis gentium conſenſu tractatum, certum & immotum manet, ſcilicet, Si enim hiſtoriæ antiquæ & recentes evolvantur, Cometarum faces nunquam illuxiſſe fruſtrà, nunquam publicis ſine calamitatibus deflagraſſe apparebit, ita ut in confeſſo ſit, ad res communes ſive publicas decreta eorum potiſſimum pertinere. Nihilominus cum præterea ex Tuâ theſi multa mala ante, & multa bona poſt eorum apparitionem in tam vaſto terræ orbe conſpiciantur, ſequitur non univerſo terrarum orbi indiſtinctè mala inſtantia prædici, ſed tantum aliquibus in eo locis ſive regnis: his præcipuè, quibus ſint verticales (quod iterum ab experientia eſt obſervatum) aut quæ cæli ſidera ex hominum impoſitione cum terræ partibus, rebus & regnis congruentia attingant aut percurrant, in quas abeant partes, quaque crines explicent, aut inclinent jubam. Numen enim ſummum pro ſumma ſua miſericordia ad intellectum humanum ſeſe accommodat, ut per conjecturas aliquid indè denotari, probabili ratione colligere liceat. Cæterùm quàm certa ſunt indicia calamitatum publicarum Cometarum apparitiones, tàm incerta eſſe earum vaticinia ex jam jam enarratis manifeſtum fit. A poſteriori ſunt certiſſima. Ante civile bellum Cæſaris & Pompeji, aliquot conſpectos Cometas Plinius autor eſt, quorum ſignificationes primum obſcuræ, poſtea claræ factæ ſunt. Neronis principatu, Cometam ſex integros menſes fulſiſſe ſcribit Seneca: alium ſub Veſpaſiano ſupra Jeroſolymam integrum annum ante excidium Urbis ac templi fulſiſſe Joſephus teſtatur. Anteceſſerunt Cometæ & Arianam hæreſin, & imperii Romani, ſub Arcadio & Honorio, vaſtationem diſtractionemque à Vandalis & Gothis, & exortum Mahometis in Arabia. Ex plurium numero vidit ætas ſive ſeculum noſtrum Cometas anno decimo octavo, & poſt quinquageſimo tertio, & rurſus ſexageſimo primo, quorum effectus (liceat nunc ita loqui) imprimis prioris cum noti ſint ſatis, lubens prætereo. Moderni Cometæ certiora ſignificata etiam eventus & tempus docebit; in cujus prædictionibus cùm inventum fuerit me erraſſe, ab æquis arbitris ſine dubio æquè excuſabor atque à Te, Vir Generoſe, mihi jam integra de eo judicandi relinquitur libertas. Felicitas enim hominis, quæ conſiſtit in cognitione, duplex eſt: alia ſecundùm probabilem opinionem, alia per veram demonſtrationem.

tionem. Illa eſt cum cogitationes noſtras dirigimus ad rem, cujus cauſam ingenii acumine reddere minimè valemus, ſed ad aliorum opiniones vel plurium hominum vel doctiſſimorum confugimus iiſdemque acquieſcimus: quâ ratione inſignes opinatores evadimus, quia, quæ ſunt probabiles opiniones, ſcimus. At demonſtrativa cognitio eſt, cum cogitationem referimus ad rem ipſam, eamque intuemur, ut in ſe eſt, non ſecundum opiniones aliorum, & ſic conformamus cognitionem rei ipſi, quicquid etiam Plato vel Socrates dixerit, & hoc modo non opinatores ſed verè ſcientes reddimur. Hæc igitur poſterior cognitio perfectiſſima eſt, gignens demonſtrationem & ſcientiam, quæ eſt rem per cauſam cognoſcere, ut res eſt, neque licet in ea diſſentientes ferre ſententias. Quarum rerum autem cauſam ignoramus, de iis opinamur, uti fit in themate propoſito de effectis Cometarum, quorum certa veritas à priori, intellectui humano vix datur, ideoque cuique integra de iis judicandi relinquitur libertas; à poſteriori tandem ex opinione ſive imperfectiori cognitione trahimur ad perfectionem. Hiſce Vale divinæ commendatus tutelæ & ſalve.

Opinio probabilis quid. *Demonſtratio vera quid.* *Scire eſt rem per cauſas cognoſcere.* *Diſſenſus non extenditur ad res certas.* *Cometicum thema incertum patitur diſſentiendi libertatem.*

Hamburgo Hannoveram die $\frac{5}{15}$. Aprilis Anno 1666.

POſtulabat officii mei ratio, ut ad Tuas die 21. Martii St. V. datas, mihi verò antè aliquot dies redditas literas, è veſtigio reſponderem. Ita ſunt & multifariæ eruditionis & humanitatis ac erga me benevolentiæ plenæ. Sed intercefferant feriæ Paſchales, quæ omnibus ferè laboribus quietem indulſerant. Acceſſerant officia quæ Amicis, Viris Præſtantiſſimis, & mihi omni cultu ac ſtudio proſequendis debebantur, adeò ut ferè mei juris non fuerim, ſaltem vacare mihi, ex animi ſententia non potuerim. Scis enim ex veteri lege non nobis ſolùm nos eſſe natos, ſed partem noſtri Amicos quoque & neceſſarios ſibi vendicare. Similia & Tibi, quominus ad meas ſtatim reſponderes objecta fuêre impedimenta, Sereniſſimi Principis Veſtri Medico abſente, qui ad curandum Sereniſſimi quondam Ducis Chriſtiani Ludovici morbum adhibitus erat. Hujus exceſſum præcocem, utpote & Principis, conſentiente prudentum, quod & Tu fers, judicio, Laudatiſſimi, & Patroni mei Clementiſſimi, valdè doleo. Præſertim cum & operis mei, quod molior, partem ipſi jam ante tres menſes ſtrenæ vice dedicârim. Sed quid indignemur caros & neceſſarios oculis noſtris ſubduci, gnari à Summo rerum auctore & rectore non minus Principum arces ſplendidiſſimas, quàm pauperum tabernas atroci ſubjectas eſſe morti, utraſque æquo pede pulſanti? At verò ſcimus etiam nos olim meliorem vitam acturos.

Paſchales feriæ ſilentium excuſant. *Occupati literis ſcribendis non vacant.* *Amicis quantum opus eſt vaca.* *Chriſtiani Ludovici Ducis Brunſuic. & Luneb. elogium,* *Mors Auctori luctuoſa Patrono amiſſo.* *Mors manet omnes, Etiam Principes.*

Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν, Phocyl.

Et mox è terra ſperamus nos in lucem prodituros.

Ideò non ſinè ſingulari gaudio his præteritis diebus glorioſæ reſurrectionis Servatoris noſtri celebravimus anniverſariam memoriam. Utinam verò ſemper Spiritu ejus, qui excitavit Jeſum à mortuis in nobis habitante, ad morti tradenda carnis opera agamur, quò indubitatam ſpem habeamus eum qui excitavit Jeſum à mortuis, & noſtra mortalia corpora excitaturum per Spiritum ſuum, qui in nobis habitat, docente Sancto Gentium Doctore. Sed quò & ego prolabor? Omnibus nota eſt illa mortis via quotidianis humanæ gentis veſtigiis trita. Omnibus nota, certè in medio poſita, & illa pietatis ad meliorem vitam ducens via, ſi vel illa afflictionum horrida tot Sanctorum & ipſius Ducis vitæ exemplo calcanda ſit. Hoc ingenioſiſſime profectò Britannicus Martialis extulit.

Paſchalium ſolemniorum uſus. *Deus qui reſuſcitavit Chriſtum & nos reſuſcitabit in vita.* Polycarp. *Mortis legi omnes ſubjecti.* *Via mortis calcanda cunctis.*

Juſſit ad auguſtam magno conamine vitam
Ire per anguſtam Litera Sacra viam.

Per anguſta ad auguſta.

In latum te anguſta locum niſi ſemita ducat,
Ducet in anguſtum te via lata locum.

Metus exitii æterni à peccatis revocat.
Avaritiæ mala.
Ambitionis mala.
Corpus è pulvere factum in pulverem redit.

O utinam ſæpius ab aliis curis & ſtudiis ad hæc meditanda delaberemur! Abjiceremus profectò audaces & turgidas ſpes, caſtigaremus avara & ambitioſa vota, non tantùm in noſtram beatitudinem, ſed & publicam quietem, ſæpè & in paternam ſtorgen, vel filialem pietatem, vel fraternam concordiam injuria: demitteremus criſtas, & quas oſtentamus laudatas pennas pavonum more: imò ad humum, in eam, ut primum principium reſolvendi, ſpectantes pedibus calcandam & aliquando ineundam.

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμὲν, ἀὴρ δ᾽ ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται.

Spiritus è cælo datus in cælum redit.

Corpus enim ex terra habemus, & omnes in eam
Reſoluti pulvis ſumus: cælum verò Spiritum recipit.

Veritas nunquam negligenda.
Cometæ figuram correctam Auctor à Buſmanno petit.
Docta & utilia publico communicanda.

Sed tandem ad orbitam inſtituti, ab orbita tamen unicè neceſſariæ veritatis, revertemur. Ut autem Tua veſtigia ſequar, correctam Cometæ delineationem abs Te exſpecto. Sed velim pro Tua & eruditione & humanitate ſimul addas, quæ ad explicationem ejus faciunt, quò cæteris obſervationibus addi poſſit. Omnino enim digna eſt Tua induſtria quæ Orbi erudito innoteſcat & quamvis alia.

- *Amet obſcurum, volet hæc ſub luce videri,*
Judicis argutum quæ non formidat acumen. Horat. de art. Poët.

Latendum, ſed non cuivis.
Plutarchus laudatur.
Latendum nemini: non bono, ut proſit; non malo, ut corrigatur.

Idem de utraque epiſtola Tua judico. Etſi enim vetus verbum ſit, *Benè vixit qui benè latuit:* &, *Vive ut ignoreris:* noſti tamen in has tenebras quemcunque detrudere volenti, ab Optimo Philoſophiæ practicæ Magiſtro dici. *Sive virtus Tibi adeſt, noli eſſe inutilis: ſive vitium, noli negligere medicinam. Si indocto, pravo ac fatuo latere tuum præcipis, perinde eſt ac ſi febricitantem aut inſanientem ex morbo ſe occultare juberes, ne agnoſceretur à medico & ſe aliquò in tenebras abjicere, ubi lateret unà cum ſuis morbis. Homines dum ſua vitia negant, occultant, velant, penitus ea in ſeſe defigunt. Si bonis latere tuum præcipis: Epaminondam jube bello gerendo, Lycurgum legibus ferendis, Thraſybulum tyrannis occidendis, Pythagoram inſtituendis diſcipulis, Socratem diſputationibus ſuperſedere.* Ita ſume, Vir Clariſſime, ſuperbiam quæſitam meritis, illam tamen cui cum modeſtia, illa præſertim quam diſciplinæ Chriſtianæ perfectio nobis mandat, benè convenit. Scio debitam explorandi vires proprias cum rei ſuſcipiendæ præſtantiâ collatas, & conamina aliena & abſolutum opus revidendi emendandique curam cuique in theatrum prodeunti eſſe adhibendam. Scio ut aliàs, ita præcipuè hac tempeſtate non tantùm eruditorum judicum & gravium cenſorum, ſed & invidorum ac obtrectatorum referta eſſe omnia: ita ut opus intra privatos lateat diu parietes

Modeſtus eſto.
Tecum habita.
Scripta temerè in publicum ne protrude.

- - - - nonumque prematur in annum

Acontii laus, conſilium de edendis libris.
Scripta utilia ne preme.

ex conſilio Lyricorum Principis. In quam rem doctè & prudenter ſcripta epiſtola Jacobi Acontii, Viri omni eruditionis genere conſpicui, ad Joannem Wolf. Tibi ut proculdubio nota, ita & incitamento ad tentanda & edenda ea quæ cum Tua laude & publica utilitate fuerint juncta, erit. Ego certè fateor me in ea ſententia eſſe, quòd pace cujuſquam dictum velim, magis illam moroſam & anxiam cuſtodiam deberi ſcriptis, quæ ad oſtentationem ingenii ſolùm vel potiore parte, non ad promovendum bonum publicum & formandos hominum mores fiunt. Nam quæ ad publicam utilitatem ſunt directa & compoſita, his puto magis celeritatis gratiam cum omnium, vel certè multorum, quàm laudem diligentiæ cum unius hominis commodo junctam, eſſe ſectandam. Si hîc erro, patiar me in viam rectam deduci. Auctore tamen magno Ut de fendo:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ut nox longa, quibus mentitur amica, dieſque
Longa videntur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quæ ſpem
Conſiliumque morantur agendi gnaviter, id quod
Æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè,
Æquè neglectum pueris ſenibuſque nocebit. Hor. l. 1. epiſt. 1.

Sed adhuc, fateor, mea hæc fuit ſententia, & ſic in animum induxi meum: publicam utilitatem privatæ laudi eſſe præponendum. Et Acontium quidem illum habeo mihi ſuffragantem. Atque hæc cauſa eſt, quæ me in forum propellit, ne ſcilicet tempore multo à viſo Cometa præterlapſo mea promens, commodam publicæ utilitatis promovendæ occaſionem neglexiſſe, antiquioraque diphthera novorum appetentibus parùm grata loqui videar. Sunt verò Amici, Viri bono non magis genio, quàm ingenio præditi, qui hæſitantem ad idem faciendum impellunt, quibus & Tu, Vir Doctiſſime, aſſentis. Gratulor porrò non tàm mihi quàm veritati, nullum Te aſtris in voluntatem hominis imperium concedere. Nec miror Te deteſtari horridam illam Stoicorum neceſſitatem, pluſquam ferream, vel adamantinam, cui & Deum alligarent, ut Seneca lib. de provid. c. 5. exertè ait, & ſubdit: *Irrevocabilis humana pariter ac divina curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor ac Rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur, ſemper paret, ſemel juſſit.* Hinc illa axiomata: *Neceſſitati ne Dii quidem repugnant*, &, *Decretam ſortem nec Deo quidem poſſibile eſt effugere*, &, *fata eſſe dura, inexorabilia*, ſed & *crudelia, & nullis æqua virtutibus, ac nulli parcentia.* Quis enim cum ratione, ſine qua nihil agendum eſſe Seneca & omnis Philoſophorum grex docet, omnium rerum auctorem & moderatorem nullius indigum vi Majori vel neceſſitati ſubjecerit? Ne nunc quidquam de Scriptura Sacra dicam, quæ Deum ab omni parte beatiſſimum & perfectiſſimum veneratur. Meritò itaque illum Manilii, commentis Aſtrologicis plurimùm tribuentis verſiculum

Publica utilitas privatæ laude ſit tibi potior.
Novitas delectat.
Voluntati humanæ aſtra non imperant.
Stoicorum neceſſitas.
Deus nulli neceſſitati ſubjacet.
Ratio cunctas hominis actiones gubernat.
Deus omni ex parte beatus.
Manilius credulus.

Fata regunt orbem: certâ ſtant omnia lege.

improbas, licet à Lipſio approbatum, qui etiam admittit illud Ciceronianum 2. de divinat. *ab omni æternitate fataliter omnia deſtinata*, quibus germana ſunt illa Senecæ de provid. c. 5. *omnia certâ & in æternum ductâ lege decurrere.* Quamvis enim Lipſius ſe nonniſi pio & Chriſtiano ſenſu hæc verba de providentia divina intelligere dicat, tamen conſultius eſt ejuſmodi vocibus & loquendi modis abſtinere, quibus incauti in errores gentilium induci poſſint. Tanto magis cùm & inter Chriſtianos multi ſint, qui meritò à Te notata illa de æterna & immutabili prædeſtinatione divina dogmata foveant & tueantur, quorum rigorem non pauci jam antè rejicere cœperunt. Ita verò eſt Equitem illum Polonum, quîcum aliquantò tempore unum tectum me habuit, opinione iſta fuiſſe imbutum, dum in æternæ deſtinationis irrevocabilem legem exſecrandum homicidium conjiceret, & ſic mali Deum Opt. Max. auctorem faceret, quod nec Seneca feciſſet, qui de providentia c. 6. ſcribit: *Omnia mala à bonis Deus removit, ſcelera & flagitia & cogitationes improbas & avida conſilia & libidinem cæcam, & alieno imminentem avaritiam.* Ego quidem, qui profeſſo ſtudio modeſtam ſobrietatem & piam veritatem amo, à poſteriori judicium tutò ferri poſſe credo, nempè hunc eſſe prædeſtinatum ad ſalutem, qui conſtanter viam pietatis ad extremum triverit: qui verò eam deſeruerit, de illo dici illud poſſe,

Lipſius fatum tuetur.
Prædeſtinationis abſolutæ dogma multis jam diſplicet.
Arciſſevium Chriſtoph. convictorem Auctor Thorunii habuit.
Deus mali auctor non eſt.
Prædeſtinatus ad ſalut. qui ad mortem uſque pius.

Qui cecidit, ſtabili non fuit ille gradu.

Sed jam venio ad effectus Cometarum. Hîc etiam, Vir Doctiſſime, cavendum eſt diligenter, ne quid indignum DEO Sapientiſſimo & Juſtiſſimo Opti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Aſtris imperium Deus in homines non conceſſit.
Cometæ ſignificant bona & mala, non tamen naturaliter, nec neceſſario.
Scaligeri elogium, de Cometarum ſignificatione ſententia.
Cometa mutationem regnis portendere vulgò putatur:
Hanc ſine Cometa evenire ſæpiùs videmus.
Cometæ ut in natalibus ita in morte Principum nil efficiunt:
Non ſunt terrifica ſidera,
Nec prodigioſa illuſtri ſanguine expianda.

moque ſtatuamus eique tribuamus. Quod quidem fit ab illis, qui putant Deum aſtris in homines imperium & hæc vel illa in animis eorum efficiendi poteſtatem conceſſiſſe: quibus magnâ parte & vetus reclamat philoſophia. Cometarum ſignificationes eventuum lætorum & triſtium eos ſecutorum multiplici experientiâ firmatas non nego. Video ſubtiliſſimum illum Virum Scaligerum exert. 79. Cometas rerum ſigna eſſe negare. Nec tamen abſolute. Fateri enim id eum ratione concomitantiæ rerum, quæ poſt Cometas viſos eveniant, novi. Ita Tu, Vir Doctiſſime, calamitatum & mutationum publicarum indicia, non ulla determinata & univerſalia vaticinia ex Cometarum apparitione deducis, quod mihi placet, cum calamitates illas ſolis Cometarum apparitionibus adſtringendas haud eſſe doceat ratio & experientia. Omninò enim citrà has quoque ullas veniunt illæ, nec ſemper eas ſequuntur. Quâ in re Hiſtoriarum monumenta ſunt conſulenda. Et certè effulgente cincinnato illo ſydere vulgi quidem opinio eſt, ipſo judice Tacito, *tanquam mutationem regnis portendat*. Sed Vir cordatus & mentis bonæ vi ſuprà proletariam populi fecem evectus, meminit oportet in tàm vaſto mundi Syſtemate, ex plurimis imperiorum orbibus compoſito, converſiones eorum crebras vel abſque ullâ Cometæ phaſi eſſe debere, quia *heu! omnium rerum viciſſitudo eſt*, ut ille cum ratione & experientia ait. Sæpenumerò autem Principum & alioqui Clariſſimorum Virorum natales vel obitus in Cometarum phaſes incidunt, non tamen ideò Cometæ ulla in talibus efficacia tribuenda eſt, non cum Gentilibus dicendum, *terrificum apparuiſſe ſidus*, *non leviter*, *quia veneficio Cæſaris Claudii expiatum*. Hoc enim Nero aliquis fatorum & ſiderum adminiſtrum ſe ferens in cauſſam ſævitiæ rapiet, & id ſibi officii incumbere manifeſto veri, æqui & humani generis præjudicio, quò *prodigioſa illa ſidera ſanguine illuſtri ſemper expientur opinabitur*, *ut ſævum illud ſidus genio Heroniano accommodatum ſit aſſiduum propè aut certè frequens*. Qua de cauſa dicere ſoleo, pacis & ſalutis publicæ intereſſe tàm pernicioſas opiniones animis regnantium & vicariâ operâ reip. tractantium, omniumque adeò civium eximi. Huic meæ boni, ut vides, publici ſtudioſæ ſententiæ Te, Vir Clariſſime, accedere meque in ea firmare, meritò gaudeo. Verum tamen adſers Cometas ſemper ferre mala, & nunquam impune viſos eſſe, veterum auctoritate & experientiâ fultus. Id quidem propter cohærentiam rerum concedo, & quia ad ſuadendam morum ſanctimoniam, quam unicè intendo, & quæ nunquam ſatis commendari & inculcrai poteſt, talia faciunt, dicenda & crebro iteranda eſſe agnoſco. Nam de his certi eſſe poſſumus, vel decies repetita placitura, illis ſcilicet quibus generoſum incaluit pectus honeſto, quique ad virtutem & laudem vel ſpontè vel levi placidæ admonitionis ſtimulo perciti feruntur. Nempe *nobilis & generoſus equus umbra quoque virgæ regitur*, *ignavus ne calcaribus quidem concitari poteſt*, ut ait Seneca atteſtante experientia. Inclinandi facultatem non verò cogendi ſobria philoſophia tribuit aſtris. At cur illa dicta ſunt? *Sapiens dominabitur aſtris.*

Cometæ omnes an mala ferant.
Moralia quam ſæpiſſimè inculcanda.
Aſtra inclinant, non cogunt.

. . Sapiens uno minor eſt Jove: dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum. Horat. ep. 1.

Et rurſus:

Det (Deus) vitam, det opes: æquum mi animum ipſe parabo. ep. 18.
Sapiens ſibi fingit, fabricat fortunam, & ſexcenta alia.

Liberi arbitrii es, moneo ut non tibi peccatum, ſed tu peccato domineris. Hier.
Juſtitiæ præcepta omni ex parte implere non poſſumus, niſi adjuvemur à Deo. Auguſt.

Crediderim ego aſtra, Solem præcipuè & Lunam, ut in alia ſublunaria, ita & in humores corporis humani agere, atque ita hominem ad bonum malumque quodammodo inclinare, ſed hunc cum voluntatem ad utramque contradictionis partem habeat indeterminatam, ſi hanc ad bonum flectat, aſtris quoque dominari, mala à Deo meditata ac prædicta amovere, cæleſtis auxilii virtutem conſequi, & demùm mandata ſalubria exſequi. Atque ita intellexero illa Scripturæ Sacræ verba ad electum regalis Sacerdotii populum prolata: *Facite vobis cor novum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

vum & ſpiritum novum. Ezech. 18. tùm ad Regem Joſaphatum: *Inventa ſunt in te bona opera eò quòd excideris lucos ex terra, & præparaveris cor tuum, ut requireres Deum.* 2 Chron. 19. Hùc etiam retulero illas frequentes divinas admonitiones & comminationes divinæ ſapientiæ, juſtitiæ & bonitatis paternæ evidentiſſima documenta de convertendis ad eum peccatoribus, & ita avertendis à ſe paratis & vigilantibus in perniciem contumacium judiciis. Sed & illa de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicta, quod eum pœniteat mali contrà peccatores prolati. Pœnitet nempè Deum indictæ pœnæ, ſi hominem pœniteat pervicacis malitiæ, & illam Deus ab homine; ubi is à ſe hanc removet. Hæc cum mihi veritati congruentia videantur, proponere tibi volui, dum tangenda ſunt, quæ ad rem maximè ſpectant, quia non cæleſtium tantùm phœnomenωn & orbium, ſed & orbis terreni & hominis,

Electione propria quiſque naſcitur: undè fit, ut nos ipſi patres ſimus noſtri. Nyſſen.

Dei ſententia ad preces Ezechiæ & Ninivitarum mutata eſt. Hier.

Pœnitentia hominis mutat Dei ſententiam. Id. Vid. diſt. 1. de pœnitent.

Exhibet in parvo qui totum corpore mundum

Homo parvus mundus.

unde & microcoſmus vocatur, virtutes indagantur, & utrumque orbem ad creatoris gloriam & publicam ſalutem cæleſtemque beatitatem dirigere ſtudent. An verò maximè Cometa in illos quibus eſt verticalis, agat, Tuum eſt, Vir Doctiſſime, hiſtoriam Cometarum percurrendo, examinare, & mihi allatâ exemplorum face viam monſtrare. Ego ſpero Te bona quoque eveniſſe illis quibus Cometa fuerit verticalis, reperturum. Situm barbæ, comæ vel caudæ Cometicæ piè, fateor, ponis. Nam publicæ rei multùm intereſt homines effuſè & pervicaciter in vitia ſolutos, juſtorum Dei judiciorum imminentium metu & tàm illuſtri indicio coërceri, dum, ſi modo vera fatemur, paucos videas qui

Cometæ verticales an plurimum operentur.

Cometales minæ hominibus diſſolutis intendi poſſunt.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Illi certè Cometæ qui antè bellum civile inter Cæſarem & Pompejum geſtum fulſêre, ſignificaſſe bellum illud, Plinio, quem allegas, cenſentur. Scio. Sed ſi quæ ſecuta ſunt Cometas recenſenda, & illis adſcribenda ſunt, utique & proſpera, non tantùm adverſa. Nempe poſt illam apparitionem Cometarum Cæſar rerum potitus, Dictator creatus, triplicem egit triumphum: Cleopatra à Cæſare in regnum reſtituta, fratre exſtincto qui eam expulerat. Antipater Herodis Pater Judææ à Cæſare conſtitutus muros urbis Jeruſalem refecit, Carthago & Corinthus reſtauratæ, & alia ſecunda hìc illìc evenêre, ſed alibi, ut rerum fert humanarum ratio, triſtia. Ille autem Cometa qui Anno Chriſti, ſecundum conſentientes Funccii & Helvici epochæ veræ rationes 62. vel ſecundùm Calviſium & epocham vulgarem 60. ſub Nerone ſemeſtris apparuit, multa triſtia, quæ monſtrum illud hominis præcipuè commiſit, anteceſſit. Sed & antè ejus apparitionem multa evenerunt adverſa. Nam Clodomer Francorum Rex Gallias invaſit, magna ſeditioſorum Judæorum multitudo Cæſareæ Palæſtinæ periit, Tyridates Rex Arm. fugatus, caput regni Regis ſolo æquata. Nero matrem inceſtu contaminatam interfici publicè mandat, omni impio deterior. Multa etiam proſpera: Nam Ariſtobulo Herodis Chalced. F. Armeniæ minoris principatus à Nerone conceſſus. Romani in Africa feliciter rem geſſerunt: in Britannia multi Chriſtianam fidem ſuſceperunt. Poſt apparitionem itidem læta triſtiaque ſecuta ſunt. Romani ſcilicet in Britannia rem proſperè geſſêre uno die 80. circiter hoſtium millibus deletis, ſed mox in Armenia à Perſis ſuperati, legionibus ſub jugum miſſis turpiter terga dederunt: & iterum mox Corbulo Syriæ Proc. Tyridatem illum coram imagine Neronis confirmavit. Interim Nero furit, Octaviam non tantum repudiat, ſed & neci dat, Poppeam adulteram ei ſuperducit, urbem 6. dierum delet incendio. Poſt hunc Cometa fulſit, mox alius Anno ſcilicet ſecundùm Calviſium & epocham vulg. 64. ſecundùm Funccium verò Helvicum & epocham veram 66 & quidem ſex menſium ſpatio, ſicut & ille prior: prout Alſtedius notat. Antè hujus apparitionem evenêre illa proximè

Cometæ ante bellum Cæſaris & Pomp. Præluxerunt non tantùm triſtibus, ſed & lætis:

Illum ſub Nerone ſemeſtrem ut ſecuta ſunt, ita & anteceſſerunt multa triſtia, & læta, hæc etiam eundem ſecuta.

Nero impio pejor, in matrem,

Et in omnes furit.

mè recenſita læta & triſtia. Poſt hunc Nero ſuum ſervavit genium, belluæ potius immanis quàm hominis ritu ſæviit in Optimates & optimos quoſque, quæ procella atrox & Lucanum & Senecam Viros Clariſſimos hauſit. Optimates contra eum conjurârunt.

Bellum Judaïcum.

Bellum Judaïcum cœpit. In hoc Veſpaſianus à Nerone rebus Judaïcis præfectus multa præclarè fecit, non tantùm plures urbes expugnavit, ſed & totam Galilæam in deditionem accepit 145230. homines occidit vel cepit, ut Joſephus l.3. c.4. teſtatur, qui & ipſe tunc inter captivos, liberaliter tamen ob ingenii dotes, imò præclarè habitus, & ad Flaviæ gentis cognominationem admiſſus ſervatus à Tito, quem fama conſentiens amorem & delicium generis humani appellavit: Eccleſia Chriſti ex Nazaræis collecta paulò antè atrociſſimi belli exordia à Judæis in exilium pulſa, & imminenti malo ſubducta, ſedes in Syriam tranſtulit, manifeſto ſingularis divinæ providentiæ,

Deus mala ſuis vertit in bonum.

Cometis ſemeſtribus læta & triſtia ſucceſſerunt.

ſæpè quæ putamus mala eſſe in bonum vertentis, argumento. Atque hi Cometæ (quorum illum non recenſet Ricciolus, ideò tres tantùm ſemeſtres fuiſſe putat lib. 8: ſect. 1. de Cometis c.4. p.24. qua de re aliàs agemus) ſicut & alii duo Anno 603. ante ingentem Orbis Chriſtiani in ſacris & prophanis mutationem variaque triſtia ac læta, quæ perpetuò rerum ordine tunc quoque alternis evenerant, fulſerunt. Ita & ille Anno 1240. ante ingentes belli à Bathi (non Tamerlane, ut Pontanus apud Doctiſſimum Ricciolum putat, iſtius enim invaſio in ann. 1397. Helvico 1398. Funccio 1399. Calviſio cenſente incidit) Tartarorum Rege excitati furores, ſed & multa Venetis, Chriſtianis in Palæſtinam trajicientibus, Friderico 2. Imperatori Jacobo Arragonio aliiſque

Lib.2, c.25.

felicia, longiſſimum Plinio, ſemeſtre ſcilicet temporis ſpatium, impleverat.

Ille annuus ſupra urbem Jeruſalem multis pro miraculo eſt:

Nam quem ſub Veſpaſiano ante excidium urbis & politiæ Judaicæ luctuoſiſſimum, & nonniſi in pœnam exciſi Meſſiæ, ſecundùm prædictionem Prophetæ Danielis immitti dignum, integro anno ſupra urbem Jeruſalem luxiſſe memoras, Tychoni, Fromondo, & aliis Mathematicis eximiis extraordinarium portentum, ad incutiendum pervicacibus Judæis tempeſtivum metum & inculcandam pœnitentiam exhibitum fuiſſe placet. Nec ſine ratione, cum nullus unquam Cometa verus tamdiu fulſiſſe legatur.

Læta & adverſa eum ut anteceſſerunt, ita & ſecuta ſunt.

Verum tamen & illum annuum Cometam, ſive potius oſtentum, quædam læta anteceſſêre, quædam &, una autem & mala excepêre. Romani enim intra annum & dies 22. graſſante crudeli ambitione & militari licentiâ 5. Imperatores (Neronem, Galbam, Ottonem, Vitellium & Flav. Veſpaſ.) viderunt, evidenti rerum humanarum viciſſitudine, inter læta & triſtia variante. Sed iidem rem contra Judæos, quos extrema antecedens continuataque malitia, & hanc ſubſequens juſta Dei vindicta ad pa-

Judæorum meritum excidium.

nolethriam, ut 1000000. peſte, fame, ferro perierint, & 97000. capti fuerint, notante Joſepho l. 7. belli Judaïci & ex eo Adone Viennenſi & Calviſio aliiſque feliciter geſſerunt. Veſpaſiani de illis triumphum egerunt. Sed eodem ferè tempore Sarmatæ Iſtrum tranſgreſſi Romanos invaſerunt, Fontejum Agrip-

Veſpaſianus ſolus imperio melior factus.

Honores mutant mores, rarò in meliores.

Rebelles infelices.

pam trucidarunt. Mox verò Romani, Imperatore Veſpaſiano (qui ſolus hoc elogium meruit, ut accepto imperio, quod certè Virum declarat, melior factus fuiſſe diceretur) legibus urbem condente, proſpero rerum ſucceſſu uſi ſunt in Syria, Judæis, ut fieri aſſolet, infeliciter rebellantibus, & in Britannia. Iidem Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam aliaſque regiones, quæ liberæ antea, aut ſub Regibus amicis erant, in provinciæ formam redegerunt.

Funcc. ad Ann. C. 77. Calv. ad 74.

Cometa ante Arianiſmum.

Arii hæreſis deteſtanda.

Nicenam Synodum ſecutæ turbæ.

Nunc & reliquos Cometas à Te, Vir Clariſſime indicatos, breviter videamus. Varios Cometas peſtilentem Arii hæreſin præceſſiſſe notat Alſtedius, non Funccius, non Calviſius, qui aliàs talia adnotare ſolent. Atqui non tantùm Arii dogma meritò deteſtandum præceſſit Cometa, ſed & ingentem Eccleſiæ & orbis mutationem. Eccleſiæ quidem, multis diſſidiis & turbis poſt Nicenum Concilium exortis. De quibus quid Hilarius ad Conſtant. Imperat. ſcribat, noſti. Orbis verò mutatio tunc magna accidit, orto bello civili inter Conſtanti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Conſtantinum M. & Licinium Anno 325. ut Funccius & Helvicus ſecundum veram epocham putant: tum & ſede Imperii in Orientem tranſlata. Taceo Licinii Senioris, & Junioris Cæſarum, utriuſque Sororii Imperatoris Conſtantini, tùm Criſpi Cæſâris, & hujus quidem filii, denique ipſius Fauſtæ Auguſtæ aliorumque Virorum Illuſtrium cædes. Quanquam & felicia Cometam illum ſecuta. Nam, ut Pantaleon putat, Conſtantinus circà annum 326. Scythas, Sauromatas & Barbaros ſubegit, Eccleſiis pacem, libertatem & opes multas dedit, & varios hoſtes devicit. Memoras præterea Cometen, qui Imperii Romani ſub Arcadio & Honorio vaſtationem diſtractionemque à Vandalis & Gothis anteceſſerit. Non memorant hunc dicti Auctores. Alſtedius eum ann. 410. enſiformem, monſtra & plurima ac maxima effecta ei tribuit: præcipuè Romam Alarico Rege Gothorum Anno 410. ut Calviſius & epocha vulg. 412. ut Helvicus & epocha vera fert, 414 ut Funccius & Pantaleon putat, captam. Sed nonne antè hunc, tùm & priorem anni 405. Cometam Gothi, ut & Vandali in orbe graſſati, ſed & varia fortuna uſi ſunt? Nonne circa ann. 395. ne longius abeam, Franci & rebellant Romanis & à Treverenſibus cæduntur? nonne eoſdem tunc Gothi & Vandali trans Rhenum invadunt? nonne Hunni ſub idem tempus Antiochiam obſident? nonne Eugenius Rex Scotorum Imperium Occidentis, ut & Arbogaſtus Rex Gothorum & Vandalorum invadit? nonne iidem vincuntur? nonne Romani & Gothi crudelia bella gerunt, maximâ in utraque gente ſtrage editâ? nonne Radaguiſus cum 200. millibus Gothorum Italiam vaſtat, circa ann 402. ſi Pantaleoni, Anno 405. ſi Calviſio, 407. ſi Helvico, 409. ſi Funccio credimus, & à Stilicone ſecundum Conſule vincitur, capitur, univerſo exercitu amiſſo? nonne Hunni Armeniam & Orientis partes circa ann. 399. dehinc Anno 406. ut Calviſius, vel 408. ut Helvicus putat, Thraciam Iſtro ſuperato vaſtant? nonne Alani Gallias invadunt, biennio antequam Gothi Romam? nonne Cajanus præfectus tyrannidem invadit, in Occidente rebellat, vincitur & abſciſſo capite ſpectaculo & documento eſt bella civilia incentoribus eſſe pernicioſa? Alia ut taceam. Sed poſt Cometæ illius apparitionem nonne tot proſpera Romano Imperio eveniunt? Nonne enim Vandali in Gallia, capto & exſtincto eorum Rege Caroco Anno 411. ut Funccius putat, ſuperati? nonne Gothi in Gallia Stilicônis fraude invaduntur? nonne Anno 411. ut Calviſius, 413. ut Helvicus, 415. ut Funccius cenſet, Conſtantinus in Britannia, ut & Maximus in Hiſpania in Imperatores à militibus electi vincuntur & opprimuntur, & Ataulphi Gothorum Regis ferox animus matrimonio Placidæ Sororis Honorii Imperatoris emollitus ad pacem petendam, & quæ ad ſplendorem Imperio Romano reſtituendum facerent, ſedulò curanda perducitur? Denique ne quid hîc intentatum relinquam, Cometam qui exortum Mahometis in Arabia præceſſit, indicas. Non memorat hunc ullus illorum Chronologorum excepto ſolo Alſtedio, qui eum in ann. 620. ponit, & addit. *Tùm Coſroes Rex Perſarum Hieroſolymam diripuit, & Anno 622. Mahomed cæpit.* Nonne ante Cometam longè pejora & poſt hunc feliciſſima evenêre? En tibi illa. Phocas Imperatoris Mauritii Domini ſui & liberorum ejus interfector meritas tandem ſævitiæ luit, conjuratis in eum circa ann. 610. ferro ignique ſævientibus, pœnas. Perſæ qui ſub Phoca Romanorum viribus acciſis Meſopotaniam, Syriam totam, Palæſtinam & Phæniciam, tùm Armeniam, Cappadociam, Galatiam & Paphlagoniam, aliaſque Aſiæ provincias ann. 607. & ſequentibus depopulati ſunt & ceperunt. Iidem cuncta annorum feliciſſimorum terrore complêrunt, victis Romanis ubique inſultarunt, pacta Heraclii Imperatoris reſpuerunt. Tandem & urbem Jeruſalem quidem circa ann. 613. vel 614. ſecundùm rationes Funccii, Calviſii, Pantaleonis & Helvici ante apparitionem illius Cometæ ceperunt, & paulò ante Cæſaream Palæſtinam & Damaſcum: Sed quid urbes memoro? Ægyptum, Alexandriam, Libyam ad Æthiopiam uſque circa ann. 615. vel 616. ut

Conſtantini M. in neceſſarios crudelitas.
Cometam anni 324. læta quoque ſecuta.
Illos anni 405. & 410. multa mala præceſſerunt.
Roma à Gothis capta.
Gothorum & Vandalorum irruptiones.
Hunnorum rapinæ.
Alani Gallias invadunt.
Rebellis infelix.
Cometam anni 410. læta ſecuta.
Vandali in Gallia victi.
Gothi in Gallia cæſi.
Ataulphus nuptiis Placidiæ placatur.
Mahometis ortum Cometes præceſſit.
Phocas tyrannus infelix.
Tyranni horrenda cædes.
Perſæ ſub Phoca immane quantum graſſantur.
Jeruſalem à Perſis capta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Saraceni in Syria. Illyricum à Sclavis occupatum. Avares Thraciam diripiunt.

rationes dictæ ferunt, debellarunt. Interim quieſcentibus paulùm Perſis, Saraceni Syriam hoſtiliter habuerunt. Circa illa tempora Sclavi Illyricum & Dalmatiam occuparunt duce Cajano, qui Pannoniæ regnum invaſerat, cujus inſidias Heraclius omni regio apparatu amiſſo vix evaſerat. Avarum irruptionem in Thraciam & Conſtantinopolitanorum ſuburbiorum occupationem, & reliqua ut omittam. Sed en tibi ſecunda & læta poſt conſpectum Cometam. Pace cum Cajano factâ ann. 621. Heraclius in Perſas movit, & licet non ſine quadam adverſæ ſortis, ut eſt anceps alea belli, viciſſitudine, rem tamen ita feliciter geſſit, ut Anno 622. (eodem ipſo quo Mahometes furere cœpit) 50. millia Perſarum ceperit, & Anno 623. Coſroëm illum potentiſſimum & ſuperbiſſimum tyrannum ex regno in Mediam uſque fugaverit, fugientis terga preſſerit, cuncta ferro & igni vaſtaverit, & plures victorias etiam Anno 625. de hoſtibus retulerit, eoſdem ab urbe Conſtantinopolitana, quam obſederant, repulerit, contra eoſdem Turcorum vim magnam exciverit: tandem eò rem perduxerit, ut Coſroës fuerit captus & trucidatus, & quidem per extremam impietatem à proprio filio Siroe, mox imperio & vita exuendo. Perſæ dehinc ad petendam pacem & ſuſcipiendas ejus leges fuerunt adacti, ut ita poſt Cometam non tantùm urbem Jeruſalem ſed totam ferè Aſiam, quam ante viſum Cometam Phocas amiſerat, Heraclius recuperaverit. Ut plura ejuſdem generis, proſpera ſcilicet & læta ſileam. Nempe ita in hoc vaſto mundi theatro

Mahometes furit. Heraclius Perſas vincit. Coſroës ab Heraclio fuſus, fugatus, à filio occiſus.

Mixtura bonorum & malorum in orbe perpetua.

Sunt bona mixta malis, ſunt mala mixta bonis.

Cometa bona bonis, mala malis nunciat.

Non igitur ſola mala, ſed & bona; nec ſolum hæc vel illa præcedit Cometa. Quo apparente credo piè dici poſſe, Deum tunc his, ut ſic dicam, juſtitiæ ſuæ nunciis mandata dare illis Prophetæ verbis mortalium generi nuncianda: *Dicite juſto, quòd benè futurum ſit ei: nam fructu operum ſuorum potietur. Dicite impio, quod malè futurum ſit ei: nam merces manuum ejus retribuetur ei.* Eſa. 3. Hoc & noſtrâ ætate viſos Cometas mortalibus indicaſſe videtur mihi quidem, vero conſentaneum. Niſi quòd multi Cometæ anni 1618. bellum Germanicum, quod 30. annis duravit, adſcribant, ideò quòd & ille 30. diebus luxerit, cum tamen & obſervatum ſit eum 57. vel ut nonnulli volunt 59. diebus luxiſſe, quod docet Ricciolus, & conſtet perpetui quòque ſideris operationem ultrà triennium ex mente ipſorum Aſtrologorum non extendi. Porrò & ſi quis in prædictionibus ex aſtrorum adſpectu petitis, vel aliàs erraverit, omninò excuſandus eſt ab illis, qui ſe homines eſſe, & ut humani nihil à ſe alienum eſſe, ita & labi ac errare ſe poſſe, meminerint. Tanto magis cum ille modeſtè ſua proponit, quæ quidem virtus ſatis rara in ipſa quoque Repub. literaria, in qua dominari eam vel maximè oportuit, Tuam eruditionem inſigniter commendat. Atque hæc vel maximè enitere tùm deberet, cum homines probabilia docent, quæ per veram demonſtrationem docere nequeunt, & non perfectam cognitionem ac infallibilem ſententiam fundamento certæ veritatis immobili ſuperſtructam, ſed meras opiniones & conjecturas adferunt. Quod quidem in hac Cometica materia verum eſt. Omninò enim certum eſt, quod Seneca ait, *facilius dici poſſe quid Cometæ non ſint, quàm quid ſint.* In talibus igitur, ita difficilibus, ut captum noſtrum excedant, libertas cujuſque æquo animo (dummodo hæc ad utilitatem publicam collineet) ferenda eſt. Hoc dum plerumque negligitur, malè publico conſulitur. Denique veriſſimum eſt, multa quæ ſcientiæ nomine circumferuntur, & ad formandos mores non faciunt, nec divinis oraculis prodita ſunt, ad cæleſtem Scholam referenda eſſe. Sed jam tandem multùm verboſam epiſtolam finio: cui Tu, Vir Doctiſſime, ignoſces, pro ea qua es humanitate & æquitate. Vale.

Cometa 1618. triginta diebus luxiſſe & totidem annorum bellum Germanicum portendiſſe falſò putatur. Siderum operationem triennio Aſtrologi definiunt. Modeſtia inter eruditos quoque rara, licet eis maximè conveniat.

Cometicum argumentum arduum & dubium. Libertas publico utilis ſemper eſt ferenda.

Cæleſtis Schola olim nos docebit occulta.

Hannovera

Hannovera Hamburgum die 15. 25. *Aprilis* 1665.

EPiſtolam Tuam $\frac{5}{15}$. April. exaratam, prolixam quidem, ſed gratiſſimam mihi, rectè accepi. Ob iter verò impeditus, & plurimis domi officii negotiis diſtrictus, totam intrà octiduum perlegere vix potui, ita multimodæ eruditionis ſpecimina in ea occurrunt; quæ legentem me ſæpius retardârunt. Præter enim ſtyli elegantiam, &, quod rariſſimum eſt in homine, avitis natalibus ſplendido, Græcæ linguæ notitiam, deprehendo Oratorem, Politicum, Hiſtoricum, Chronologum. Hoc ſaltem moneo, tres illos à Te ex Phocylide adductos verſus, à Chriſtiano rectiùs aut diſertiùs in ſpem reſurrectionis corporum noſtrorum dici non poſſe. Dixerim itaque ab homine Chriſtiano ſcriptos, & Phocylidæ, ut gentilibus acceptiores eſſent, ſuppoſitos. Eſt enim reſurrectio, uti ſcis, præter & ſupra cauſarum naturalium vim, ordinem & curſum, quam paganis ſanâ ratione comprehendere minimè licuit, ἐμοὶ δὲ καὶ σοὶ, καὶ ἀληθεία, καὶ θεῖον καὶ ὑπὲρ φύσιν, ut ſcribit Dionyſ. Areopag. de divin. nom. c. 6. ὑπὲρ φύσιν δὲ, τὴν καθ' ἡμᾶς φημὶ, τὴν ὁρωμένην, οὐ τὴν παντοσθενῆ τῆς θείας ζωῆς. Nos itaque feliciores multò ethnicis, quod intellectu humano complecti nequimus, firmâ fide credimus, affirmante Servatore apud Joh. 5. 25. ὅτι οἱ νεκροὶ ἀκούσαντες ζήσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται. Hæc occaſione Phocylidæ. Venio ad Cometæ noſtri adumbrationem, quam correctam nunc mitto, quamvis nihilominus à parùm intento ſculptore locus inter *b* & *c*. omiſſus ſit, qui 12. diem Decembris denotaret. Explicatio quidem addita eſt, ſed Germanica, æqui bonique conſulenda, cùm tempus non vacet à vertendo eam Latinè. Pergo ad reliqua Tuæ epiſtolæ, inter quæ affers, quòd ſobria Philoſophia inclinandi facultatem aſtris tribuat, non cogendi. Rectè. Negari enim non debet, à corporibus cæleſtibus, pro vario eorum motu & poſito ad ſublunaria, corpora elementaria variè affici. Cùm verò mores animi temperamentum corporis ſequantur, & temperamentum illud ab elementis alteretur, elementa à corporibus cæleſtibus, ut jam dictum; dubium non eſt, homines inde ad bonum vel malum inclinare: quorum illud perſequi, hoc fugere, veri ſapientis eſt, ſibi ipſi fortunam fabricantis. Unico verbo. Cùm intellectus rectè monet, & intellectui rectè monenti appetitus obtemperat, ſic ut actiones noſtræ, eo ſe, quo decet, habeant modo, nihilque à nobis proficiſcatur, quod ſit contrà naturæ & Dei legem, liquet, inclinationem ab aſtris ortam voluntatibus hominum ſubjici, dominiumque ſapientis in appetitus pravos eſſe, & per conſecutionem, Sapientem aſtris dominari, liberum eſſe, nec non æquum ſibi animum parare. Verùm cùm aſtra ejuſmodi actionum ſint valdè remota cauſa, effectus eorum etiam valdè longè petiti erunt. De Cometis inprimis optimè mecum æſtimas, non eſſe cauſas, neque remotas quidem bellorum, mutationum imperiorum, aliarumque calamitatum, quarum ſunt indicia; niſi quis dicat, Cometas ſiccitates inducere, ex quibus oriantur ſterilitates, hinc fames, unde porrò humorum pravitas in viventium corporibus, quæ morborum plurimorum & tandem peſtis fomenta producat. Quàm vanum autem illud fuerit, dictu indignum eſt. Accedo ad aliud, in quo, Vir Nobiliſſime, à me paululùm diſſentis: nempe etiam proſpera multa Cometarum apparitionem ſignificare, ſive ſecuta eſſe: utpote civili bello finito, Cæſarem Dictatorem creatum, triplicem egiſſe triumphum, Cleopatram à Cæſare in regnum reſtitutam, fratre extincto, qui eam expulerat, & plura alia, quorum catalogum in hiſtoriarum allatarum exemplis proponis. Ut paucis reſpondeam (ad ſingula enim nimis longum foret) judico ſub Cæſaris triumpho totam Romam ingemuiſſe, cum ob libertatem, tum opes & cara quæque belli injuriis amiſſa. An non univerſa Ægyptus calamitatibus oppleta cogitabitur, cum Cleopatra fuit reducta? An non victi & vincentes ſolenne illud in ore habent: *Nulla ſalus bello?* Vincat igitur Cæſar & triumphet, ſed cum adverſitatibus ſubditorum. De aliis victricibus armis idem

Epiſtola, licet prolixa, æquo rerum judici placet.

Auctoris ſtudia & conatus Buſmannus laudat.

Phocylidis verſus non omnes ejus ſunt.

Reſurrectio eſt ſupra naturam ethnicis ignota.

Buſmannus Cometæ delineationem correctam Auctori mittit.

Aſtra inclinant non cogunt.

Voluntate hominis libera manente & inclinatione ab aſtris dominante, ac fortunam ſibi fabricante.

Ratio imperat.

Appetitus obtemperat.

Sapiens dominatur aſtris.

Aſtra cauſæ remotiſſimæ.

Ideò non cauſæ.

Buſm. cum Auctore conſentit.

Cometæ non ſunt cauſæ liberarum hominis actionum.

Cometas an proſpera ſequantur.

Cæſaris triumphus libertati Rom. pernicioſus.

Cleopatra in regnum reducta.

Belli plurima mala.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Belli Germanici commoda & incommoda.

eſto judicium. In bello noſtro Germanico, quod ſecutum eſt apparitionem Cometæ anno hujus ſeculi decimo octavo, multa proſpera tandem huic vel illi regioni obvenerunt: verùm nullus propemodum locus ſuperfuit, qui non dura quæque antea perpeſſus ſit; etiam munitiſſimæ Urbes, quas armata manus non invaſit, ſuas paſſæ ſunt calamitates, ob locorum vicinorum agros devaſtatos, & commerciorum penuriam aut defectum: quin proſpera illa numero admodùm pauca ſunt, ſi conferantur cum malis, quæ alibi obtigerunt. Quænam denique afflictiones, exactioneſque, anxietates & perditiones hîc illîc fuerunt, priuſquam ſingulari divinæ providentiæ gratiâ mala in bonum verſa ſunt? In veteri fœdere multa mala ſine dubio anteceſſerunt quoque Prophetarum vaticinia. Annon propterea ſecutæ imperiorum ſubverſiones, quas prænunciârunt, notatu digniores? Simile quid de Cometis dicere licebit, quorum ſigna magis obſcura ſunt; illorum prædictiones certiora denominabant. Maneo itaque in ea ſententia, Cometas ſemper indicare mala, quamvis à Deo clementiſſimo illa tandem in bonum verſa eſſe obſervatum ſit. De Cometa Jeroſolymitano, excidium urbis præſignificante, non refragor doctorum opinioni, fuiſſe oſtentum potiùs, quam Cometam, inter quos tamen vulgò recenſetur. Quomodo enim & ille, & ſtella, nativitatis Chriſti tempore Magis viſa, tàm exiguum locum, ut ait Chryſoſtomus homil. 6. in Matt. (urbis atque) turgurii ſcilicet oſtenderet, niſi ſublime illud relinquens ad inferiora veniſſet, ſuperque ipſum ferè caput (urbis &) pueri conſtitiſſet. Finio, ſi unicum adhuc adferam. Scribis, à poſteriori judicium tutò ferri poſſe, nempè hunc eſſe prædeſtinatum ad ſalutem, qui conſtanter viam pietatis ad extremum triverit. Ego affirmo, theſin hanc non eſſe ſufficientem, cum hoc modò & Turca & Judæus, conſtanter viam pietatis ad extremum terentes ad ſalutem prædeſtinati dici poſſint. Addendum itaque & hoc, quod Chriſtianis proprium eſt, illum ſcilicet eſſe prædeſtinatum, qui, præſuppoſitâ fiduciâ in Salvatorem, inque ſatiſfactionem & merita ejus, conſtanter viam pietatis ad extremum triverit. Sicut enim Deus, juxtà monitum Auguſtini, in tempore nos ad ſalutem adducit, ſic ab æterno de nobis ad ſalutem adducendis conſtituit, ſive decrevit. Aliter enim Deum in tempore agere, quàm agere ab æterno decrevit, impium & abſurdum eſt. Sed habitâ ratione fidei, ſive ſub conditione fidei in Chriſtum, Deus in tempore nos ad ſalutem adducit. Joh. III. ℣. 16. 18. Ergò habitâ ratione fidei in Chriſtum Deus ab æterno de nobis ad ſalutem adducendis conſtituit ſive decrevit. Vale.

Mala anteceſſerunt & ſecuta ſunt prædictiones Prophetarum.

Cometæ ſemper ſignificant mala, licet hæc Deus in bonum ſæpè vertat:

Ille ſupra urbem Jeruſalem viſus oſtentum potius dicendus:

Apparuit in aëre.

Prædeſtinatus dici poteſt qui conſtanter pius,

Scilicet Chriſtianus.

Auguſtini ſententia de prædeſtinatione.

Prædeſtinatio æterna ſub conditione fidei.

Hamburgo Hannoveram die 26. Aprilis 1665.

Officiorum amicis debitorum ne ſis parcus.

ITerum ab octo diebus, ex quo Tuas acceptiſſimas die 15. 25. Aprilis datas accepi, variis negotiis Amicorum & hoſpitum obſequio meo digniſſimorum officiis impeditus, reſponſum ad illas dare protinus non potui. Sed & nunc gravioribus quibuſdam occupationibus temporis nonnihil ſuffuror, ut has literas exarem. Poſtulat enim id & exigit à me officii ratio, quod tua eximia humanitas & eruditio meretur, ac jus ſibi vendicat in me ad colendum commercium literarum & alia officia Amicis præſtanda, prout par eſt, facilem. Atque hoc quidem, quod quemvis hominem modeſtum benèque moratum ac πολλοῖς conſtituit, de me præfiſcini tamen & illæſa modeſtiâ dicere debeo. Sed illas laudes, quas mihi pleno modio admetiris, in me non video. Quia & genus nominas, ego quidem cum Poëta, veritate & modeſtia,

Buſmanni humanitatem Auctor prædicat.

Promtus & paratus ad præſtanda officia eſto.

Modeſtus eſto.

- & genus & proavos & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra puto

Nobilitas ſola eſt atque unica virtus. Juven.

Dicere tamen mihi ſine jactantia liceat cum Theognide

Ἀίσχυν

Ἄιθων μὲν γένος εἰμί πολίν δ' ἐυδείχεα θήβην
Οἰκῶ, πατρώας γῆς ἀπερυκόμενος.

Itaque ſortis meæ ratio modeſtiam quoque docet. Sed & ipſa veritas. Itaque quod mihi adſcribis, quàm ſit exiguum ſentio, & propriæ tenuitatis memor ſum, & video potius quàm multa mihi deſint undique & quanto animi conatu incumbendum mihi ſit, ut talis ſim qualem me eſſe pronuncias. Tribuo id tamen Tuæ Humanitati ac benevolentiæ, quæ ubique elucet, dum meam tenuitatem ex propria meritorum tuorum magnitudine metiris. Sed ad epiſtolæ Tuæ capita propero. Novi Viros doctos, ut aurea illa Pythagoræ carmina, ita & Phocylidis γνώμας Judaïcæ vel etiam Chriſtianæ diſciplinæ quadamtenus accenſere. Nam & Suidas quædam eum tanquam χριστιανὸν Euangelio congruentia ſcripſiſſe, & res ipſa vel eum ab Judæis (quod de Platone & Pythagora perhibetur) nonnulla hauſiſſe, vel aliquos è Judæis ac Chriſtianis talia ſcriptis ejus pio dolo inſeruiſſe, teſtatur. Certè enim reſurrectio ut ſupra naturam, ita & ſupra rationem eſt. Quod Tu quidem auctoritate Dionyſii Areopagitæ comprobas. Apoſtolico iſti Viro affictа eſſe ab illis, qui novitios errores pallio venerandæ antiquitatis tegere & commendare ſatagunt, ſcripta, quæ ſub nomine ejus venditantur, Valla, Eraſmus, Cajetanus, Lutherus, Caſaubonus & alii viri docti teſtibus Gerhardo, Riveto aliiſque Criticis Sacris affirmant. Omnino itaque Ethnicis veri Dei & æternæ beatitatis ignaris longe beatiores ſumus, quos non tantùm ſana Ratio, ſed & Sacra Revelatio de his quæ ad noſtram perfectionem pertinent, plene inſtruit. Felices dico nos, quorum mentes non tantùm illud, ſed & aliud, idque longe præſtantius, gratiæ lumen, utrumque tamen ab illo Patre luminum è cælo nobis datum, illuſtrat, & ad lucem illam in acceſſam, ipſius Dei ſedem ducit. Satis profectò ibi divina Sapientia & bonitas elucet, ſatis ejus monita & ſolatia ſplendent, & ſi nunquam Cometa divinæ juſtitiæ fax, ut ſic loquar prænuncia fulgeat. De adumbratione Cometæ correcta magnas Tibi ago gratias. Cum autem & huic nonnihil per ſculptoris incuriam deſit, velim Tu ipſe corrigas, & in charta ſimplicitèr delineatam ad me mittas, quò inſeratur operi meo & ad nectatur aliis obſervationibus, æri, ſi Deus voluerit, incidendis. De verſione explicationis Tuæ Germanicæ Latina non amplius Tibi ero moleſtus, cum ſcriptum illud perbreve facilè operi Te adſentiente inſeri poſſit. Qua in re ſi quid Tibi gratum faciam, meritò mihi gratulabor. Prout quidem gratulor, dum ſententiam meam de tribuenda aſtris inclinandi, non cogendi (nam quod Helmontius prædictiones Aſtrologicas impugnans axioma illud vulgare quod aſtra inclinent non neceſſitent invertendum eſſe doceat ſuo loco relinquo, & ut mihi hic quoque mentem Tuam aperias rogo) facultate, gravi Tuo calculo firmas. Atque id tàm ſcitè & ſolidè doces, ut me Tibi de his cogitandi & judicium ferendi occaſionem dediſſe, jure gaudeam. Conveniens homini eſt leges divinas humanaſque (quibus ut non degener incola mundi & ad beatitudinem natus vivat) exactè noſſe, eaſque & unà libertatem, cùm judice Cicerone, omnes ideò legum ſervi ſimus ut liberi eſſe poſſimus, tueri voluptas,

Et melius nullâ quæritur arte favor.

Hoc enim etiam eſt ſervare hominem, ſervare ejus jura, ſervare libertatem, quæ omnibus gazis pretioſior, ipſâ quoque vitâ, ſi Sapientum Senatui credimus, gratior eſt, & pro qua ut docet Cicero, magnanimis Viris omnis debet eſſe contentio. Imò hoc etiam eſt ſervare ipſam hominis naturam, vel ut Philoſophi vocant, quidditatem, quæ eum facit hominem, & à brutis diſcriminat. At prima inter omnes leges eſt illa naturæ quæ deſuper data & prorſus divina nulli rei magis inimica quàm turpitudini, nulli magis amica quàm honeſtati, nihil magis quàm libertatem cujuſque hominis & utilitatem humani generis promovet, non ſolo Cicerone vel Plutarcho ac Senecâ, ſed univerſò illô Sapientum Senatu ſuffragante. Hunc Tu profectò Vir Clariſſime, egregio exem-

Nobili genere natus, patriæ finibus exſul.
Exſuli modeſtia convenit.
Laudes amicorum ſtimulo tibi ſint, ut talis ſis qualis eſſe diceris.
Philoſophi gentiles quædam à Judæis acceperunt.
Reſurrectio eſt ſupra naturam & rationem.
Dionyſio Areopagitæ afficta ſcripta.
Chriſtiani omnium feliciſſimi.
Ratio lumen naturæ.
Revelatio lumen gratiæ.
Cometâ quoque abſente divina juſtitia in SS. LL. & ubique elucet.
Buſmanno Auctor benevolentiam ſuam teſtatur.
Aſtra an inclinent vel cogant.
Helmontius prædictiones Aſtrologicas & illud vulgatum dictum, aſtra inclinant non neceſſitant, impugnat.
Libertas ex legum obſervantia naſcitur,
Laudatur, omnibuſque rebus præfertur.
1. de officiis.
Lex naturæ omnium prima,
Inimica vitio, amica honeſtati, libertati, utilitatique publicæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

plo illuſtrem reddis, dum ad eam tuendam libertate Philoſophica (libertatem quippe nec novit nec meruit, qui liberè eam non tuetur nec tractat nec quoties uſus fert, adhibet) uteris. Verè enim iterum Tullius: *Hoc liberiores & ſolutiores ſumus, quòd integra nobis eſt judicandi poteſtas: nec ut omnia quæ præſcripta & quaſi imperata ſint, defendamus neceſſitate ullâ cogimur.* Academ. quæſt. l. 4. Libertas profectò nos non tantùm truncorum & lapidum, ſed & brutorum cenſu eximit, & ad cæterarum creatarum rerum dominium ac divinæ naturæ ſimilitudinem, imo & participationem evehit. Ita libertate aurea nihil pretioſius, nihil jucundius, nihil optabilius homini à Deo datum eſſe patet. Ac proinde in ſemetipſos injurii ſunt, qui eam aſpernantur ſeque ea indignos (quo ſcilicet licentioſè vitiis indulgeant & virtutis adminicula ſibimetipſis ſubtrahant) reddunt & pronunciant. His ego nihil pejus opto, quàm ut, niſi ad frugem redire velint, perpetuo ſervitute gravi, quâ ipſâ gravis mors homini ingenuo & magnanimo levior eſt, premantur, prout quidem illi ipſi libidinum potius quàm legum ſervi eſſe malunt. Ne mirere, Vir Humaniſſime, me adeò ſtrenuè libertatem defendere. Notum eſt univerſo Orbi, ſingulare genti noſtræ à natura datum eſſe libertatis parandæ, fruendæ & ſervandæ ſtudium. Sed non diffiteor per hæc turbulenta tempora, convulſis armorum vi legibus, obtentu religionis violatam eſſe avitam illam libertatem. Equidem illa ſæpius in licentiam, in animis ſcilicet ferociorum, degenerabat, & ut ſemper majeſtati gravis erat, ita & rebus gerendis ſæpè obſtabat, ac confuſionem quandam pariebat. Sed, ut quondam in Comitio dicentem Lucam Opalinium, Virum illum Clar. tunc Cameræ Equeſtris, poſtea Curiæ Regni Mareſchalcum, adoleſcens audivi; *magis nobis placet illa inordinata libertas, quàm alibi benè ordinata ſervitus.* Sed ut cuncta mortalium incerta & viciſſitudinibus mille obnoxia, ita & noſtra gens, *nec totam libertatem, nec totam ſervitutem ferre poteſt.* Quare qui dicerent, in Polonia noſtra (quod olim de Republ. Spartana Plutarchus judicavit) *liberum maximè liberum, & ſervum maximè ſervum eſſe*, non malè id diſcrimen perpenderent. Ego verò ut illam in ſervos inhumanitatem Plutarcho quoque improbatam, tanquam legibus divinis humaniſque contrariam deteſtor, ita libertatem illis conſonam & per eas firmatam, inviolatam perpetuò manere debere, firmiter tueor. Nec aberravero à veritatis & inſtituti ſcopo, ſi dixero, his Cometarum portentis moneri & populares meos & omnes homines, ut libertatem illam, quam divinæ humanæque leges pariunt, poſtliminiò reducant, & tranquillâ poteſtate æqui & moderati imperii retineant. Cæterum nec Cometa, nec ullum ſidus aliave vis ſub ſole hominem ad virtutem vitiumve cogere poteſt. Solius hoc eſt libertatis, homini à benigno Creatore conceſſæ opus. Nec etiam Cometa Principem ullumve hominem occidere poteſt. Facit id potius luxuria in perniciem hominum, alioqui mortalitatis legibus ſubjectorum perquam ingenioſa, eoſque tot acceſſitis morbis, omnem artis veſtræ præſtantiſſimæ induſtriam eludentibus, enecans. Tum & avaritia, quæ ex ea oritur. Hinc & ex hac erumpens audacia, unde omnia ſcelera & maleficia gignuntur. [illegible] omnia trahunt ſecum bella cruenta, quæ terrâ marique geruntur, [illegible] libido, oblitos humanitatis & omnis juris homines, non tantùm contra homines, ſed & contra elementa armat, ac tot millia ferro terreo, [illegible] aquâ perimit. Hæc ſi cerneret priſca ætas, non æquè ut noſtra in [illegible] machinis mortiferis inventis ingenioſa. O quàm majori cum [illegible] bertaria jure Salluſtius, Horatius, Juvenalis & univerſus Sapientum cœtus [illegible] ritiam vitiorum compendium, Cloſo theſaurum, malorum [illegible] tropolin diceret! Phocylides verò ille noſter cumprimis exclamaret,

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Libertas hominem facit hominem, imò Deo ſimilem:
Multi eâ ſe privant, ut licentius vivant,
Digni qui premantur perpetuâ ſervitute.
Poloniæ libertatis encomium:
Hæc nuper violata,
Sæpius in licentiam degenerabat,
Gravis Regibus, Reipublicæ etiam ſæpè incommoda,
Placet tamen.
Opalinii Lucæ laus.
Humani ingenii inconſtantia.
in Lycurgo
Libertas & ſervitus maxima in Polonia,
Servi humaniter & benignè tractandi.
Libertas juſta [illegible]
[illegible]

Σοῦ γὰρ ἕκητι μάχαι τε, λεηλασίαι τε, φόνοι τε.
Ἐχθραὶ δὲ τέκνα γονεῦσιν, ἀδελφοί τε συναίμοις.

[Avaritia mater eſt mali omnis.
Aurum ſemper ineſcatio eſt, & argentum, hominibus.
O aurum malorum dux, vitæ corruptela, omnia convellens.
Utinam non eſſes mortalibus malum deſiderabile.
Tuâ enim cauſâ pugnæ, prædæ, cædeſque ſunt.
Infenſi parentibus liberique, fratreſque conſanguineis.]

Nempe hujus rei exempla triſtia non longè nobis ſunt petenda, nec à priorum ſeculorum memoria mutuanda. Noſtra quoque ætas ferax eſt horum. Viderunt noſtri oculi talia *Seculi noſtri mala horrenda.*

Aſt animus meminiſſe horret, luctuque refugit.

Sed venio ad id, in quo paululum diſſentimus, Cometam ſcilicet etiam proſpera ſignificare, ſive ſecuta eſſe, quod & Hiſtoricè & Ethicè me dixiſſe, probè meminiſti. Si ad leges perfectionis cuncta examinare velimus, fateor nec Cæſaris dictaturam, nec Cleopatræ reſtitutionem, nec, (ut alia præteream) nuperum bellum Germanicum ſinè mixtura magnorum malorum fuiſſe. Sed hâc non carent & aliæ res, quæ communiter bonæ & ſecundæ vocantur, adeoque nec illâ dementiæ magna quoque & celeberrima ingenia. Ideò Plutarchus egregiè & prudenter, ut ſolet: *Præſtantes naturæ nihil exiguum efferunt, & ob acumen vehementia earum atque efficacicas otioſa eſſe non poteſt: ſed quaſi æſtu fluctibuſque jactantur, donec mores ſtabiles atque compoſitos ſibi parent.* L. cum præcip. Viris Philoſopho eſſe diſput. Ita vitiis, quamvis mediocribus ac paucis *Cometa etiam proſpera ſignificat. Proſpera & bona quæ vocantur non carent malis. Ingenia magna non carent mixtura dementiæ: Ignea in aſſiduo motu, Donec componantur:*

Mendoſa eſt natura, alioqui recta: (velut ſi
Egregio inſperſos reprendas corpore nævos) *Boni quoque Vir: habent ſua vitia.*

Sicut Horatius ſuo exemplo idem quod experientia docet. Nempe omnis felicitas in his terris fallax eſt, & multis artibus imponit incautis, ac ut luxuriantes in pratis herbulæ frigidum ſæpè occultat anguem. De qua jure dici poteſt, *Plus fellis quàm mellis habet.* Et certè ſi quis de ea ænigma hoc proponat *Felicitas terrena fallax. Fellis plus quàm mellis habet.*

Dic mihi quæ in cælis extat vox integra, cujus
In terris tantùm ſyllaba prima patet?

Reſponſum non ineptum feret:

Illius abſtractum vocis ſuper aſtra reſidet,
Concretum nobis ſyllaba prima Fel eſt. *Belli mala.*

De bello, nullam ei eſſe ſalutem, quod ſcribis, pluſquam verum eſt. Sophocles Tragici cothurni Princeps, &, ſi Tullio divinanti (1. de divin.) fides habenda, divinus Poëta, graviter in Martem invectus *Sophocles laus.*

Τυφλὸς γάρ, ὦ γυναῖκες, οὐδ᾽ ὁρῶν Ἄρης
Συὸς προσώπῳ πάντα τυρβάζει κακά.

(Mars cæcus es, ô fœminæ, nihil videt,
Confundit omne, ut trux aper, mali genus.)

Tantum aculeum ſuaviſſima illa Poëſeos Atticæ μέλιττα (Apis) infixit Morti, Marti dicere volebam. Sed noſti & illud argutum Oweni:

Omega noſtrorum Mars eſt, Mars Alpha malorum,
In bello diſtant Omega & Alpha parum.

Et plura ejus generis, quæ ibi reperiuntur præteream. Nam ubi tot rerum teſtimonia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Clara per ſe probatione opus non habent.

teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis? Hoc cenſu non eximendum eſt & nuperum bellum Germanicum, quæ tamen ſua etiam habuit habetque commoda, Te quoque fatente, licet in comparationem malorum venire non audeant.

Belli Germanici commoda & incommoda.

Cometam 1618. ſecuta adverſa & proſpera.

Poloniæ adverſa & ſecunda Cometam 1618. ſecuta.

Atque ita etiam agnoſcis proſpera quoque nonnulla Cometam Anni 1618. ſecuta eſſe. Et, ut externa taceam, at unum domeſticum exemplum Tibi afferam, ſecuta ſunt Cometam illum in patria mea multa mala, motus ſcilicet Liſſovianorum, Cecorenſis clades, Regis à parricida percuſſi ultimum diſcrimen, amiſſa Riga cumque ea potior Livoniæ pars, peſtes aliaque. Sed & ſecunda eundem exceperunt non pauca, res ſcilicet contra Turcam totius Orientis viribus excitis nos invadentem, ac orbi Chriſtiano imminentem, tùm contrà Tartaros in Podolia, & Turcas iterum in Valachia, denique contrà Moſcos ad Smolenſcum geſtæ, alia ut omittam. Tu ipſe, Vir Doctiſſime affirmas multas hîc illîc fuiſſe afflictiones, bellum Germanicum ſecutas, priuſquam ſingulari divinæ providentiæ gratiâ mala in bonum verſa ſunt. Ita & bona Cometam illum ſecuta eſſe agnoſcis.

Cometis ſuccedere proſpera ex ſententia Buſmanni colligitur.

Tandem cum dicis Te in ſententia manſurum, Cometas ſcilicet indicare ſemper mala, quamvis à Deo Clementiſſimo illa tandem in bonum verſa eſſe animadverſum ſit: non obſcurè fateris poſt Cometas bona quoque, ex illis ſcilicet malis orta viſa eſſe. Sed non eſt mihi animus ullam diſputationem Tecum Vir Doctiſſime inchoare.

Stella Magorum dux an Cometa.

Quod ſi ſtella illa Magis viſa, & maximum gaudium, ut & hymnus ille Angelicus, *Hodiè natus eſt vobis Servator, qui eſt Chriſtus Dominus in Civitate David*, orbi ferens, Cometa fuit, ut poſt Origenem multis placet, equidem tunc cum Cometa ſummum generi humano affulſit bonum, nato verò Dei Meſſiâ, qui deſtruxit mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Euangelium.

Chriſti natalem mundo ſalutarem Cometa comitatus eſt, ex quorundam ſententia.

Prædeſtinati ad ſalutem, qui conſtanter ad finem uſq; pii, in Chriſtum credentes.

Scribis porrò theſin hanc, ad ſalutem prædeſtinatum eſſe eum, qui conſtanter viam pietatis ad extremum triverit, non eſſe ſufficientem, cum hoc modo & Turca & Judæus conſtanter viam pietatis ad extremum terentes ad ſalutem prædeſtinati dici poſſint; atque ita addendum eſſe, quòd Chriſtianis proprium ſit, illum ſcilicet prædeſtinatum eſſe qui præſuppoſita fiducia in Salvatorem inque ſatiſfactionem & merita ejus conſtanter viam pietatis ad extremum triverit. Equidem de Chriſtianæ pietatis cultoribus & ego mea intellexi. Verumtamen illius dicti Apoſtolici ſum memor.

Dei timentes in quavis gente ei grati.

Naturalis probitas.

In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni genere qui timet eum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. Actor. X. Cui conſonat & Paulinum illud: *Gentes quæ legem non habent naturaliter eà quæ legis ſunt faciunt: ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.* Rom. II. Omninò autem Chriſtianos illa in ardenti pietatis ſtudio conſtantia decet, ſemper memoriâ recolentes maximum illud Servatoris Chriſti beneficium, qui voluntati paternæ in omnibus ad ſalutem noſtram ſpectantibus juſſa ejus implendo ſatiſfecerit, & per hanc ſuam obedientiam accipere nomen quod eſt ſupra omne nomen meruerit,

Chriſti ſatiſfactio & meritum.

ut in nomen Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Jeſus Chriſtus ſit in gloriam Dei Patris. Philipp. II. Ita enim fideles ejus cultores norunt ſui officii eſſe, *ut non ſibi ipſis vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus & reſuſcitatus eſt:* quæ Apoſtoli (2.Cor.V.) verba Polycarpus epiſt. ad Philip. Martyribus tribuit, ad imitationem patientiæ & communionem afflictionum Chriſti omnes fideles exhortans.

Polycarpi monita pia.

Supra verò monitum huc apprimè ſpectans tale dat: *Credite ergò in illum qui reſuſcitavit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ex mortuis, & dedit ei gloriam & ſedem in dextra ſua: cui ſubjecta ſunt omnia cæleſtia & terreſtria & ſubterranea: cui omnis ſpiritus ſervit, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos: cujus ſanguinem requiret Deus ab eis, qui non crediderunt in eum: qui & reſuſcitavit eum à mortuis, qui & nos reſuſcitaturus eſt in vita, ſi fecerimus voluntatem ejus & ambulaverimus in mandatis ejus;* & quæ ſunt alia, primævam illam integritatem ſpirantia.

Deus qui reſuſcitavit Chriſtum, & nos reſuſcitabit.

Hi ſoli gratum animum in Servatorem teſtantur. In his ſolis mortis Chriſti beneficium ad omnes homines, quos Deus ad cognitionem veritatis

pervenire,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

pervenire, ad pœnitentiam accedere, & ita ſalvari ſincerè (non enim aliter de Deo cogitandum eſt) vult, pertinens, eſt efficax: Iſti ſoli faciunt officium, citrà quod meritum Chriſti nos non juvat, ſicut aliquando ex ore Pientiſſimi & Sapientiſſimi cujuſdam Principis audivi. Iſti ſoli ut merentur nomen fidelium in his terris, ita merebuntur (placet voce hâc uti ex ſenſu veterum, qui ea pro conſequi uſi ſunt) olim hanc gloriam, ut Chriſtus, quod ipſe veridico ore promiſit, nomina eorum tanquam verorum victorum, confiteatur *coram Patre ſuo & coram Angelis ejus.* Apoc. III. Hos ego dixi prædeſtinatos eſſe ad ſalutem, judicium à poſteriori ferendo. Alioquin in profundum illud divinæ prædeſtinationis mare immittere me nolo, ſatis autem tutò dici poſſe credo Deum ante jacta mundi fundamenta omnes credentes & mandatis ſuis obtemperantes ſervare, non credentes verò & immorigeros damnare conſtituiſſe, atque ita omnes in univerſum homines hos ſub conditione fidei & obedientiæ conſtantis, ad vitam, illos ſub conditione incredulitatis & inobedientiæ pertinacis, ad mortem prædeſtinaſſe. Auguſtini ſententiâ ſtabiliri abſolutæ Prædeſtinationis, & Janſenii dogma, noſti. Hoc decernere nec meum eſt, nec hujus loci. Ego veteribus Eccleſiæ Doctoribus, ipſo Auguſtino toties, ſed & Hieronymo aliiſque antiquis docentibus & monentibus, cum aperta Scriptura Canonica, ut ſola infallibili credendorum & faciendorum magiſtra, quæ etiam totius antiquitatis vox eſt, loquentibus, aures & fidem commodo. Cæterùm nuper accepi ab Amico quopiam Viro Illuſtri ſequentia, quæ hùc faciunt. *Dogmata Janſeniſtarum quæ gratiam, liberum arbitrium, prædeſtinationem & id genus alia, quæ captûs humani modulum excedunt, continent, ea ſunt ejuſmodi, ut de iis diſputare temerarium, & aſſerere mihi impium videatur. Omnem certè vim & libertatis Chriſtianæ uſum eripere hominibus præpotentis gratiæ virtute inſuperabili, quicquid contrà emollienda tàm atroci ſententiæ comminiſcantur, adverſarii prædicant. Sed nos in alienam meſſem falcem mittimus.* Jo non ſon Theologo, *ut fatebatur ingenuè Pontificum nonnemo.* Hæc ille. Et ego profectò credo ſatis eſſe homini, ſi ſciat in tempore à Deo revelata & mandata, & hæc cuſtodiat, ab æterno verò decreta curioſè non inquirat. *Quis fuit à conſiliis Domino?* Terrent illa: *Scrutator Majeſtatis.* Utinam omnes ſapiamus ad ſobrietatem, invitati & incitati iſtis Cometarum apparitionibus, quæ certè vanæ & fruſtraneæ non ſunt. Sed jam Vale, Vir Humaniſſime, & ignoſce verboſæ, ingenuæ tamen libertati, mihi verò conſtantem retribue benevolentiam.

Chriſti mortis beneficium ad omnes pertinens, in piis ſolis eſt efficax.
Deus omnes ſalvos cupit.
Meritum Chriſti.
Merita fidelium.
Merces piorum.
Prædeſtinatio conditionata.
Auguſtini ſententia de prædeſtinatione.
Doctores antiqui cum Scriptura loquentes audiendi.
Janſeniſtarum dogmata.
Dei præcepta facienda, arcana non rimanda.

Hannoverâ Hamburgum die 9. 19 Junii 1665.

ANtè menſem, & quod excurrit, reddita mihi eſt à Te epiſtola accuratiſſimè ſcripta, ſimul & humaniſſimè. Nihil enim omnium omittis, quæ ad negotium, de quo ultrò citroque his menſibus agere inſtituimus, ſpectant. Et officii quidem ratio poſtulaſſet, ut reſponſum ſtatim adornaſſem. Verùm febri detentus, à negotiis quibuſvis abductus ſum, ſic, ut etiam ad ſcribendum planè ineptus fuerim. Cùm autem epiſtolâ tuâ magnoperè à me contendas, ut in charta ſimpliciter delineatam adumbrationem Cometæ, à me ipſo correctam, ad Te mittam, quò id ſuppleatur, quod ex ſculptoris incuriâ omiſſum eſt, nunc Tibi eâ in re morem gero, juxta quam æri incidi poterit, obſervationibus Tuis, ſi ita privatæ & publicæ ſalutis cauſâ videbitur, inſerendum ſchema. Locus à ſculptore omiſſus, eſt alterum *b*, NB. ſignatus, reliqua quæque perſiſtunt in ſuo ordine. Helmontii contradictoria opinio, *Aſtra non inclinare ſed neceſſitare*, duobus præſuppoſitis nititur, primo dicit: ſi cæleſtes influxus obtinent cauſæ rationem, illorum effectus de neceſſitate erunt connexi ſuis cauſis, adeoque neceſſarii per modum aliarum cauſarum ſecundarum, quarum effectus ſuccedunt neceſſariò poſitis cauſis: niſi ſupernaturaliter impediantur, aut mutentur. 2. Si influentiæ

Auctoris ſtudia Buſmanno placent.
Buſmannus figuram obſervat. Cometic. ab ſe factarum correctam Auctori mittit æri incidendam.
Helmontii ſententiam Buſmannus explicat & refutat.
Aſtra non inclinant ſed neceſſitant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

influentiæ cæleſtes tantùm per modum ſigni & prænuncii ſint: utique neque minorem importabunt neceſſitatem: quinimò longè arctiorem, ſi divinæ providentiæ certam credamus præſcientiam, & opera manuum Domini per ſtellas præſignata credamus.

Cauſæ aliæ primæ aliæ ſecundæ.

Sol & homo generat hominem.

Aſtra inclinant, ſed non neceſſitant.

Voluntas potior aſtris.

Sapiens dominatur aſtris.

Proximis cauſis poſitis ponitur effectus.

Influens de cælo vis non ſigni ſed cauſæ rationem habere putatur.

Dionyſius Areopagita ſuppoſititius Buſmanno putatur.

Cometæ indicant mala, quæ Deus vertit in bonum, ſed non indicant bona:

Niſi ſecundariò & ex conſequenti.

Stella Magorum non fuit Cometa.

Ad hæc ut diſertè exponam meam ſententiam, notum eſt, cauſas alias eſſe primas, univerſaliſſimas & remotas, alias verò proximas & ſecundas. Cum igitur dicitur ab Helmontio, cæleſtes influxus obtinere cauſæ rationem, in antecedenti ſuæ theſeos confundit cauſas univerſaliſſimas & remotas cum cauſis proximis & ſecundis, quas in conſequenti poſuit. Poſitâ enim cauſâ efficiente per ſe, & proximâ, effectus ſuccedit neceſſario; non, poſitâ cauſâ univerſaliſſimâ & remotâ. Quis enim diceret, Solem generare hominem, quamvis ſinè illius virtute homo non habeat generandi facultatem, & regula veriſſima ſit, quòd *Sol & Homo generet hominem*. Porrò præter cauſas illas univerſales & remotas aliæ multæ intercedunt, quæ ad vim ab æthere demiſſam vel remittendam vel arcendam prorſus multùm momenti habent. Unde etſi aſtra ad conſtitutionem temperamentorum aliquid conferre ſtatuantur, mores autem animi ſequantur conſtitutionem corporum, axioma illud vulgare, quod *aſtra inclinent, non neceſſitent*, firmo ſtat talo, quippe voluntas actionum domina, ab Aſtris ingeneratas ac traditas inclinationes tollere poteſt, prævertere aut impedire; ſic ut hoc modo immotum maneat, *Sapientem dominari aſtris*, & paradoxum, quòd aſtra neceſſitent, immeritò in ſcenam producatur. Proximarum itaque cauſarum ratio habenda in effectibus neceſſariis, & non remotarum, quibus proximæ modum imponunt. Neque verò ad ſecundum Helmontii argumentum quidquam facit, quod ſcribit, ſi influentiæ cæleſtes per modum ſigni & prænuncii ſint, eas non minorem importare neceſſitatem. Cum à Viris doctis regula illa vulgata, quòd aſtra inclinent non neceſſitent, influentiis cæleſtibus nunquam applicetur, quâ ſigna, ſed quâ influunt in eſſe rei, ſive cauſalitatem quandam habere intelliguntur. Ut taceam, multa hîc præſupponi, quorum adhuc ſubjudice lis eſt, imò illud Geneſeos: *Stellæ vobis erunt in ſigna*, ab auctore nimis latè extendi. De quo nunc non eſt dicendi locus. Scriptorem, qui fecit ſibi nomen Dionyſii Areopagitæ, alium eſſe ab eo, qui vixit tempore paſſionis Chriſti, non repugno. Cometas ſemper mala indicare, quæ à Deo clementiſſimo ſæpè in bonum vertantur, fateor me ſcripſiſſe. Sed bona iſta à Cometis indicari nego: quippe mala primariò ſive proximè ſequuntur, ex quibus bona ſecundariò, ſive conſequenter & per accidens, poſtquam nempe ſatis plagarum fuerit. Poſt nubila ſcilicet Phœbus. Signa cæli certa tempeſtatem ſignificare notiſſimum eſt, quam imprimis nautæ maximo ſuo damno experiuntur, quam, poſtquam deſæviit, tranquillitas ſequitur. An idcircò ſecundarius ille eventus ſignis præcedentibus adſcribendus eſt? Stellam Magis viſam maximum gaudium generi humano attuliſſe eventus docuit, quam Cometam fuiſſe, malè ab Origene & aliis contrà expreſſa verba Sacri Codicis judicatur, dicentibus illis, εἴδομεν αὐτοῦ τὸν ἀστέρα. Præterea non quævis nova ſtella eſt Cometa: peſſimè itaque cum Cometis confunditur. In cauſas corruptionum regni Poloniæ proximas & Politicas inquirere aliis relinquo. Ariſt. 5. Polit. facilem putat eſſe remediorum cognitionem, cognitis cauſis, utpote, quæ perinde ut in medicinà, à contrariis deſumi debent. Contraria enim contrariorum remedia eſſe plus quàm certum eſt. Cæterùm difficilem crebrò eſſe medicis verarum cauſarum inventionem, adeoque difficillimam interdum aut nullam ægrotorum curationem, eventus ſæpe docet. Exiſtimo itaque Reipublicæ Polonicæ anarchiam (ita propemodum videtur) medelam difficilius admittere, quòd veræ & proximæ corruptionis cauſæ adhuc lateant.

Remedia à contrariis ſumenda.

Contraria contrariorum remedia.

Medici cur multos ægrotos non ſanent vel ægrè ſanent.

Quæ afferuntur à Te, Vir Generoſe, ex S. Petro, Deum non eſſe perſonarum acceptorem &c. malè Judæis & Turcis applicantur, quamdiu illi occæcati manent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

manent, quippe qui timet Deum & operatur juſtitiam, præſuppoſitâ cognitione & fide in eum, qui eſt mediator inter Deum & hominem, acceptus eſt illi, ſive Judæus, ſive Græcus, Javanus aut Mexicanus: Sed neque ego ſum Theologus, ideoque falcem in alienam meſſem non mitto. Sed Te commendo divinæ tutelæ.

Dei timens Deo gratus in quavis gente, ſi in Chriſtum credat.

Hamburgo Hannoveram Kal. Julii Juliani 1665.

QUòd reſponſum ad Tuas humanitatis & eruditionis plenas literas, die 9. 19. Junii datas, adhuc diſtulerim, fecerunt graves meæ occupationes. Hodiè tandem animum ad ſcribendum appuli. Facilè itaque ſilentium Tuum integri menſis excuſo, cum & ipſe tantundem fermè litarim ſilentio: tanto plùs quòd Tuum ſilentium ex imbecilla valetudine fuerit profectum. Hanc Tibi firmam, conſtantem & longævam omnibuſque proſperis ſucceſſibus cumulatam precor. Decet enim ut qui tot aliorum valetudinem curat, ipſe quàm optimè valeat. Quanquam contrarium etiam ſæpè videmus, dum multi Medicorum filii nec ſemetipſos, tantominus alios curare poſſunt, imperitis manum Medicam adferre neſcientibus, peritiſſimis verò, pertinaciâ morbi omnem artis induſtriam eludente, vel etiam elidente, adferre non valentibus. De figura obſervationis Tuæ Cometicæ correcta debitas ago Tibi gratias. Jam eam unà cum aliis, quæ adhuc viceſimum numerum excedunt, miſi in Hollandiam æri incidendam. Quod ad ſententiam Helmontii, qua vulgatum illud & ut mihi ſemper viſum fuit, verò conſentaneum axioma, *Aſtra inclinare, ſed non neceſſitare*, ſubruere conatur, attinet: miror eam, cum ſciam eum prædictionibus Aſtrologicis non favere, imò eas rejicere, & impugnare, licet non paucos antiquorum & recentiorum eas cum modo haberi & citra abuſum adhiberi à Chriſtiano poſſe, propugnare non ignoraverit. Aſtra, ut cauſas in inferiora operari, nonnullos negare noſti: quos inter eſt Clariſſ. Joannes à Leuneſchlos, Math. in Academ. Heidelberg. Profeſſor, Vir, ut audio, & ex litteris ad me datis video, apprime doctus. Is enim etſi ſideribus vires in inferiora illuminatione, quam ſolam eis relinquit, exercendi facultatem nullam tribuat, ſoli tamen Soli vim calefaciendi adſcribit, cum ſtellæ fixæ longiſſimè à nobis diſſitæ, Planetæ verò & Cometæ, nonniſi mutuatitio lumine gaudentes, præſtare id nequeant. Et Solis quidem actionem in hæc inferiora perpetuo generalem & indifferentem, nullatenus verò ſpecialem, & ex ſe ad unum potius, quàm ad alium effectum producendum determinatam eſſe ſtatuit: ita ut Sol per ſe tantùm illuminet & calefaciat: per accidens fumum & vapores efficiat, emolliat, liquet, induret &c. & cum actiones iſtæ omnes ad ipſas qualitates materiam valdè alterantes per ſe terminentur, apparenti ſui acceſſu & receſſu anni tempora 4. creet, caloremque pro diverſo locorum terreſtrium ſitu ad ipſum diſpenſet, ideòque omnes mundi inferioris mutationes ſolum Solem, ut cauſam generalem, aërem verò ut ſpecialem, quatenus is à terra quotidiè alteretur, reſpiciant. Undè vides illum aſtra nequaquam in numero cauſarum ponere, ſolo excepto Sole: quem etiam cauſam generalem & adiaphoram dicat. Aſtra & Cometas ſigna eſſe mutationum in aëre, eaque fortè phyſica concedo. Sed ut cauſſæ rationem habeant, quod quidem intendere Seneca l. natur. quæſt. 7. cap. 28. videtur, ut & neceſſario ſemper Cometarum apparitione ad illas mutationes aëris opus eſſe, Clariſſimus ille Vir hæc mera ſigna dicit illarum mutationum in aëre & temporum, quibus Sol & cæteræ cauſæ ſublunares æſtus, pluvias, ventos & alia gignant: eaque non omnibus terræ regionibus eadem, ſed pro diverſo ſitu diverſa, ut verbi gr. canis, qui nobis præſente Sole ſignum ſit caloris, antipodibus eo abſente, ſit frigoris; tùm verò etiam incertiſſima, & leviſſimas præbentia conjecturas, etiam reſpectu ejuſdem terræ loci,

Silentium amici juſtis de cauſis excuſa.

Medicus optimè valeat decet:

Multi eorum nec ſeipſos, nec alios ſanare poſſunt.

Morbus pertinax.

Helmontium aſtris tribuere neceſſitatem & negare prædictiones ex aſtris factas miratur Autor.

Leuneſchloſſii laus, de aſtris & Cometis ſententia.

Sol ſolus caloris fons:

Ejus actio in inferiora perpetuò generalis & indifferens.

Cometæ ſigna mutationum aëris dici poſſunt, non cauſæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Aſtrologicæ prædictiones Leuneſchloſſio rejectæ. Planetis certas domos Aſtrologi aſſignant. Leuneſchloſſius Auctori aſſentit.

loci. Talia autem de aſtris dici non poſſe, ſi veræ ſimul cauſſæ forent. Hariolationes porrò Aſtrologorum, ſed & illas Planetarum in certis Aulis ſe jactantium diſpoſitiones, prorſus rejicit, & non tantùm præſentibus & regnantibus in cælo Cometis, ſed & his non apparentibus tempeſtates, peſtem, bellum, mortem dominari & graſſari docet. Cometas tamen à Deo ad aliquid nobis ſignificandum uſurpari concedit, & ſigna cæleſtia nec profanorum more deſpicienda, nec ſuperſtitioſorum ritu ſuſpicienda, uno mecum dicit ore. Sed de his ſatis.

Cometæ bonorum quoq; ſigna, & prænuncii.

Nam quod antea exemplis monſtravi multis, poſt Cometas multa quoque læta in orbe viſa eſſe, & ita Cometas bonorum quoque ſigna eſſe, conſtare ſibi puto. Et ut unico inſuper exemplo id probem, dubio procul agnoſces Cometam Anni 1516. quem Alſtedius & 1517. quem Eckſtormius annotat, non tantùm mala ſed & bona excepiſſe, ut ita Cometes non minori

Cometas an plura mala quam bona ſequantur.

fermè jure bonorum quam malorum prænuncius dici queat. Dixi fermè. Quia in tanta iniquorum, perverſorum & impiorum, quâ ſemper mundus ſcatet, multitudine, probitate ac pietate ad paucitatem & in anguſtias redacta, non mirum eſt ſi vel plura mala, quàm bona (quod tamen nonnulli negant) Cometarum apparitione mortalibus denunciantur.

Stella Magorum multis Cometa putatur.

Stellam Magis viſam in natali Domini Cometam fuiſſe non affirmavi, ſed nonnullos poſt Origenem hanc ſententiam amplexos eſſe. Quanquam Origenes, ut docet Ricciolus Almag. l. 8. ſect. 2. c. 19. Numero 3. de genere Cometarum, vel ſimilem Cometis dixit, ſicut & Calvinus apud Marloratum. Hanc ſententiam annotat Eckſtorm. in hiſt. Comet. Sed & Beza apud Tychonem tom. 1. p. 327. & Adamus Tannerus q. 7. de cælis, teſte ibidem Ricciolo, in hanc ſententiam ivêre. Nonnullos Doctorum Eccleſiæ (Chryſoſtomum ſcilicet, Euthymium & Theophylactum alioſque) Angelum per eam intelligere, quæ & Melanchtonis & Chemnitii mens eſt, teſtatur Ricciolus l. c. N°. 8. & Maldonatus in Matth. qui etiam addit, pleroſque alios intelligere Cometam, ſe aut hunc aut Angelum. Extraordinarium fuiſſe phœnomenon vulgari ſtellæ appellatione inſignitum plerique docent, ut notum eſt.

Stellæ novæ an à Cometis diſtent:

Stellas novas à Cometis diſtingui à multis novi: ſed & pro iiſdem à multis haberi. Id enim ſtatuunt Nolthius, Buſchius & alii plures citati à Ricciolo Almag. lib. 8. ſect. 2. cap. 17. Numero 2. Maurolycus ibidem Numero 12. Clavius, Prætorius, Hagecius, Apianus, Argolus & alii plures Numero 13.

Illa 1572. quibuſdam eſt Cometa.

Ideò & illam ſtellam novam Anni 1572. fuiſſe Cometam dixit Beza, Eckſtormius, Elias Camerarius, Clavius, & ponè eum omnes illi à Ricciolo poſiti.

Buſmannus Phyſicum & Politicum agit. Polonæ Reipublicæ morborum cauſa recens inducta inæqualitas.

Citrà cognitionem cauſarum remedia morbis, ut in humano, ita & in Reip. corpore perperàm & ſinè effectu applicari, imò ſæpè noxia eſſe prudenter doces, ut Medicum corporis animique decet. Hunc non illum ſi agere velim, meritò cauſam tot morborum Reip. Polonæ corpus, ad periculum interitûs concutientium, in ſola inæqualitate libertati & quieti publicæ inimica, demonſtravero.

Libertas & ſervitus maxima in Polonia. Coſaci & Ruſſi ſervi benignius erant tractandi.

Magna illa, quam in poſtremis literis notavi, extremæ ut libertatis, ita & ſervitutis inæqualitas, eaque non civilis tantùm, ſed & ſacra, effecit ut de Coſacis & Ruſſis, Græcæ religioni addictis, idem quod Senec ep. 47. olim æquam ſervorum libertatem humanitati convenientem docens, dicere, ſi veritati ingenuæ locus detur, neceſſe habeamus: *Totidem eſſe hoſtes quot ſervos. Non habemus iſtos ſervos, ſed facimus.*

Exemplis malis tempeſtivè occurrendum. Jagellonia lex de hæreticis præſenti Polonæ Reipublicæ ſtatui incommoda.

Cæterùm iniquitas illa tritâ malorum exemplorum viâ, & ad Nobili genere natos cives, reliquis per omnia pares, aſſumto tàm ſpecioſo quàm ſæpè fallaci religionis velo, progreſſa eſt. Et ita quidem, ut omnes ab Eccleſia Romana diſſidentes, renovatâ nuperrimi belli occaſione lege Jagellonia, de hæreticis & de hæreſi ſuſpectis vel ejus fautoribus, examini Ordinariorum loci & inquiſitioni Magiſtrorum pravitatis hæreticæ ad hoc à ſede Apoſtolica deputatorum vel deputandorum, & rigori pœnarum civilium ſubjiciendis, nonniſi jam precariam, æquæ vice, obtineant libertatem. Quod Deo æquitatis cuſtodi placere, quis æquus dixerit? In Polonia locum non habuit illa iniqua προσωποληψία. Sed nec apud Deum olim

habebit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

habebit: ſicut adducto tunc à me Paulino loco docemur, eos ſcilicet qui ſinè lege peccaverint, ſinè lege perituros, quicunque verò in lege peccaverint, per legem judicatum iri: & quæ ſunt alia ad explicationem, ut videtur, illorum Petrinorum verborum, de Cornelio & aliis alienigenis & præputium habentibus, prolatorum ſpectantia. Scio tamen quid in negotio ſalutis valeat fides in Jeſum Chriſtum, ſalutis datorem. Nam *ut animæ, quæ conſulit corpori, quodammodo perſonam ſuſtinet caput, ibi enim omnes ſenſus apparent: ſic univerſo populo S. S. tanquam uni corpori caput eſt Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*, ut ait Auguſtinus de agone Chr. c. 20. in Pſal. 37. His Te benè valere cupio & viciſſim divinæ commendo tutelæ.

Perſonarum diſcrimen non faciet Deus cuique ſecundùm opera ejus redditurus. Fides in Chriſtum efficax ſalutis conſequendæ medium. Caput in corpore humanæ & Eccleſiæ. Chriſtus unus unum eſt caput Eccleſiæ. Nazianz.

Hannoverâ Hamburgum die 21. *Auguſti* 1665.

CUm alter Inſpectorum pharmacopolii cum Pharmacopola noſtro Hamburgum nunc proficiſcatur, ad coëmendum, uti ferè fit ſingulis annis, medicamenta ſimplicia, quæ vocant exotica, non potui intermittere, quin ſignificarem, me in abſentia D. Mulleri, Principis noſtri Conſiliarii, Obſervationes, quas Prodromum Cometicum inſcripſit, Johannis Hevelii accepiſſe. Perlegi ſtatim, & accuratiſſimè delineatum phœnomenum novum animadverti, ut inſtar omnium Vir tam præclarè in cæleſtibus edoctus meritò haberi debeat. Propter teleſcopia enim magna & rara ea annotavit, quæ aliis abſcondita manſerunt. Percharum autem mihi eſt, quod tam inſignis Aſtronomus eandem mecum aſſumſerit in plano adumbrationem. Perſuaſum hactenus fuit Mathematicis præclariſſimis, quoſcunque Cometas circulum percurrere exactè maximum, quibus contrariari nefas duxi. Nunc lubens largior Hevelio, Cometam nuperum, de quo ſermo eſt, ſub notabili incurvatione curſum ſuum ultimis diebus reduxiſſe, & plus duobus tribuſve gradibus à circulari orbita deviaſſe. An verò ſub ſimili ſemper incurvatione ille reflexus vel recurſus accidat, etiam Hevelius ipſe, ex nullis iis omnibus benè multis Cometis, quos perveſtigavit, id ipſum ullo modo penetrare potuit. Semper itaque addiſcendum nobis eſt, nec ullus tàm doctus, quin uſus & ætas plura edoceat. Porrò Cometas, ex mente Hevelii, ex halitibus fumidiſque evaporationibus tàm Solis quàm reliquorum Planetarum omnium conflatos & compoſitos eſſe, quæſtio eſt maximi ponderis & profundiſſimæ contemplationis, inter Copernicanos quidem pro certo; at verò reliquis naturalium rerum indagatoribus, in æthere generationem & corruptionem negantibus, pro magno paradoxo habita. Venio ad poſtremas Tuas Kal. Julii ad me exaratas, in quibus miraris, Helmontium vulgatum illud & veriſſimum axioma, Aſtra inclinare, ſed non neceſſitare, ſubruere conari, cùm tamen prædictiones Aſtrologicas rejiciat & impugnet. Ego verò, cum ſcripta ejus æſtimo, novitatem hanc in eo valdè non miror, utpote (ut de ejus Blas & Gas nihil jam afferam) præter rationem ſæpiſſimè in medicis ſtatutis nova attentante, & abſque effectu ſtabiliente.

Hevelium Buſmannus laudat: Conſenſum ejus de curſu Cometæ ſibi gratulatur. Diſcendum eſt quotidiè etiam doctiſs. Hevelii de Cometarum ex halitibus Planetarum generatione Copernicanis ſatiſfacit, reliquis non item. Helmontius novitatis amans, In Medicis hallucinatur Buſmanno judice.

De Mathematici Heidelbergenſis Joan. à Leuneſchlos illuminatione ſiderum, & imprimis Solis actione in hæc inferiora perpetuò generali & indifferente exiſtimo, eam vix differre ab eâ ſententiâ, quâ ſtatuitur, Aſtra cauſam ſublunaribus inſinuare univerſaliſſimam, non ſpecialem. Pro ſubjectâ enim materiâ operationes cæleſtium tàm ſunt diverſiſſimæ latenter, quàm manifeſtò idem calor Solis nunc fumum & vapores efficit, emollit, liquat, indurat, prout ipſa materia qualitatibus alterantibus eſt obnoxia. Quid eſt illuminatio Profeſſoris Heidelbergenſis ſiderum, niſi fortaſſis influxus inperceptibilis & inenarrabilis? Quamvis autem ſtellæ fixæ longiſſimè à nobis diſſitæ ſint, num propterea tàm ſtupendè magna corpora in emortuam terram non agant, nec Planetæ mutuatitio lumine valdè efficacia præſtent? Solius Lunæ effectus varii in humanis corpo-

Leuneſchloſſii ſententiam Buſmannus examinat. Stellas fixas licet longe diſſitas in inferiora agere Buſmannus ſtatuit.

Sol non ſolus agit in inferiora. *Cometam 1618. bona quomodo ſecuta:* *Nuperum 1664 & 1665. mala potius quàm bona.* *Cometa vernus 1665. turbas Polonicas prænunciaſſe putatur.* *Concordia orbi Chriſtiano optanda.*

corporibus in plantis & arboribus, conchis, cancris & marinis ſatis evincunt, præter Solis calorem aliud quid ſuccurrere, de quo præſtat ſilere, quàm actum agere. Cæterùm, Vir Generoſe, conſtare ſibi pergis, Cometas bonorum quoque ſigna eſſe, & unico inſuper exemplo probare conaris Cometæ anni 1618, quem non tantùm mala ſed & bona ſequuta ſint. Ad quod uno verbo reſpondeo: mala per ſe, bona per accidens Cometam excepiſſe. Certè Cometa nuperus fermè trimeſtris, hactenus majori jure malorum quàm bonorum prænuncius dici poteſt. Ubivis enim terrarum diſcordiarum ignis inter Principes gliſcit, & nullibi non cum injuriâ magnâ ſubditorum fovetur, in incendium maximum jam jam prorupturus. Noviſſimum Cometen in Pegaſo, novarum turbarum prænuncium in Polonia fuiſſe, res loquitur, & hiſtoria porrò loquetur. Deus tandem reſpiciat, & finem imponat diſſidiis ibidem: hîc & alibi ob diverſitatem religionum maximè obortis, ut fiat unus grex & unum ovile tandem eorum, qui Chriſtiano nomine inſigniuntur, quod optandum magis quàm ſperandum. Vale.

Hamburgo Hannoveram die 27. Sept. Juliani 1665.

Auctori per multos labores non ſemper officioſo, ſaltim officii promto eſſe licuit. *Hevelius princeps Mathematicorum noſtri ævi.* *Cometa nuperus Hevelium & alios multos multa docuit:* *An 1665. æſtate vel auctumno viſus.* *Imaginationes Cometarum ex ſtellis fingunt Cometas,*

ACcepi rectè Tuas literas die $\frac{11}{21}$. Auguſti datas, mihi ab Amico illo Tuo (cui humanitatis officium in mea domo prout temporis anguſtia ferebat, exhibui) redditas. Ad quas huc uſque reſpondere per multos labores, quibus prægravor, non potui. Exſpectavi præterea reſponſum ab Ampliſſimo D. Hevelio ad meas literas, in quibus ei perſcripſi illa, quæ ex ultimis illis Tuis ad eum & argumentum noſtrum Cometicum ſpectabant. Ecce verò ab eo reſponſum, ſed breve. Equidem Viro illi primas in orbe Aſtronomico deberi, non temerè cum tot aliis Viris Eximiis judicas. Hæ quoque ejus figuræ obſervationum Cometicarum, Tuæ aliiſque in opere meo, Deo volente, adjungentur. Jam verò illud ſub prelo ſudat & figuræ ſculptorum exercent ingenia. Omninò ipſum Hevelium quoque, non tantùm alios Viros diſciplinis Mathematicis excultos, poſtremus Cometa in Pegaſo conſpectus multa docuit. At verò poſtremum hunc eſſe multæ ex utraque Germania & Suecia literæ negant. Menſem enim Maji, Junii, Auguſti & Septembris Cometas nobis dediſſe novos referunt. Hanc opinionem & Italorum promiſſa confirmaſſe Neoburgo à Curtio accepi. Tu ſi quid certi de his habes, perſcribe. Idem & ab aliis Viris talium ſtudioſis & gnaris exſpecto. Interim opinari liceat imagines Cometarum ex diuturno uſu nuperarum obſervationum mentibus hominum obverſari, & ita facilè Jovem vel Venerem, LuPlacidiſſima aſtra, præſertim inter nubes longius latiuſque ſolito, radios ſpargentia, pro Cometa haberi. Verumtamen nihil hîc cujuſquam induſtriæ præjudicatum volo. Helmontii placita ſi

Cometas bona & mala ſignificare ex conſequenti Auctor probat. *Leuneſchloſſii ſententiam Auctor laudat.* *Stellæ ſi agunt in inferiora, non tamen tantum ut vulgò putatur.* *Chriſti natali præluxiſſe Cometam putatur.*

mihi per ocium exponere, brevibus licet, velis, erit gratum. Sententiam meam de Cometis non tantùm mala, ſed & bona ſignificantibus in opere meo, Deo juvante, præſertim in Hiſtoria Cometarum firmabo, & ſolidam eſſe, ut ſpero, allatis omnium Cometarum bonis juxtaque malis eventibus, ſive rebus eorum apparitionem ſecutis, demonſtrabo. Leuneſchloſſiana ſententia mihi, fateor, perplacet. Removet enim omnem neceſſitatem à Libertate hominis. Itaque eam recto, & firmo, quod dicitur, talo ſtare puto. Stellis, etſi aliqua actio in hæc inferiora concedatur (ex hypotheſi loquor) non tamen erit tanta, quanta eis communiter ab Aſtrologis tribuitur. Lunæ, quæ terræ vicina eſt, alia quàm aliorum Planetarum (illorum præſertim remotiorum Martis & Saturni, quibus omnium malorum origo imputatur) ratio ſit, oportet. Sed de his quoque uberius in opere meo ago. Verbum addo ad finem properans; utpote laboribus aliis preſſus. Affirmatur Cometam præluxiſſe natali Servatoris mundi. Hic certe, ſi unquam alius Cometa, toti Orbi illuxit ſalutaris. Quid vero dices

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dices de illo anni 1516. qui exoptatam Te judice reformationem in Eccleſia præceſſit? Nuperum Cometam, quem tot mala, præſertim bellum inter Anglos & Hollandos navale, tum illud in Polonia civile, ſæva peſtis in Anglia, aliaque ſecuta ſunt, infamiâ eorum & quidem, quaſi nil niſi mala attulerit res ipſa liberat. Bellum enim marinum ante eum ortum eſt. Illius verò civilis fumum flammæ jam jam erupturæ prænuncium, ante Cometam vidimus. Vidimus & peſtem in Hollandia, ſed & bella ante eundem graſſari. Videbimus, ut ſpero, brevi peſtem exſtinctam, pacem, quanquam hanc jam videmus, hic & illic compoſitam, aliaque læta. Ita Cometa noſter bona quoque præſignificavit. Hæc nempe eſt perpetua boni & mali in orbe viciſſitudo

Cometa 1516. Lutherum præluxit: Nuperum mala præceſſerunt, Bona ſecutura ſpes eſt. Bellum inter Anglos & Hollandos ante Cometam ortum: Tùm & Polonicum civile.

- - σὺν γὰρ μίσγεται ἐσθλὰ κακοῖς

(- - cum malis enim miſcentur bona.)

Miſcentur bona malis.

teſte Theognide. Notæ ſunt bellorum cauſſæ jam olim, avaritia ſcilicet, ambitio & omnis generis iniquitas, quam in patria mea vidi & ſenſi. Itaque multiplicia peccata populorum erant Cometæ tot mala portendentes. Utinam plagis ſaltem emendemur. Vale, Vir Doctiſſime, & parem mihi admetire benevolentiam.

Bellorum cauſa famæ aurique ſitis. Vitiorum portenta ferales Cometæ.

Hannovera Hamburgum die 31. Octobris 1665.

EX literis, quæ ultimas Tuas binas (cum inſertis aliis ad Dominos Conſiliarios olim noſtros, nunc Cellenſes) præceſſerunt, intellexi, opus Tuum literarium jam ſub prælo ſudare, aliorumque figuris obſervationum Cometicarum meam in eo adjunctum iri. Num verò tanti ſit, ut ætatem ferre poſſit, judicent eruditi. Conſcius ipſe mihi ſum, explicationem Germanicam ſchemati meo adjunctam vulgariter nimis eſſe ſcriptam, ideoque deſiderio Tuo ſatisfeci, jamque Latinam feci ademtis & additis nonnullis, quæ in vernacula aut correctione propter eruditos indiguerunt, aut commodè ex opinionum doctarum varietate nequiverunt exprimi. Rejectâ itaque vernaculâ meâ, nunc Latinam mitto explicationem, ſententiam de origine & effectis Cometarum meam ſic continentem, ut cum doctis ea de re liceat diſputare. At verò, quod ſcribis, Vir Generoſe, præter Cometam in Pegaſo conſpectum, & ſecundùm ſeriem ſignorum motum, alios Cometas menſe Majo, Junio, Auguſto & Septembre etiam viſos eſſe, à me deprehenſum non eſt, niſi quòd nonnulli plurimùm aberrantes, Jovem & Venerem in diverſis cæli locis ſecundùm motum proprium, nec non diverſâ facie ob aëris differentiam apprehenderunt.

Obſervationes ſuâs Germanicè editas Buſmannus Auctoris gratiâ Latinas facit.

Cometa nullus æſtate vel auctumno 1665. viſus.

Leuneſchloſſianam ſententiam, omnem neceſſitatem à libertate hominis removentem, non eſſe novam, ſed aliis verbis ferè prolatam, nec Peripateticæ ſcholæ contraire, nuper oſtendi. Neque enim in Philoſophia rectè edoctis unquam placuerunt Aſtrologorum ſcita, Planetis actiones & effectus nimiùm mirandos tribuentium: corporibus verò cæleſtibus actiones in inferiora naturales adimere, quamvis effectuum plerorumque certitudo nulli mortalium conſtet, eſt veritati obloqui.

Libertas naturæ humanæ à Peripateticis ſtatuitur. Aſtrologorum fatum & Planetarum efficacia Philoſophis veris diſplicuit.

Qui affirmant, Cometam præluxiſſe Natali Servatoris Mundi, abutuntur nomine, uti aliàs oſtendi. Nuperum Cometam bellum inter Anglos & Hollandos navale non præſignificaſſe, quòd bellum marinum antè exortum ejus cæperit, imò belli civilis initium Cometam prægreſſum eſſe in Polonia, non evertit definitionis meæ Cometicæ alterum membrum; cùm etiam reliqui hoc ſeculo conſpecti Cometæ gliſcentem aut præſentem ignem, in flammam jam jam erupturum quaſi digito monſtrarint. Scilicet Clementiſſimus Deus inſtar Patris filiis ſuis, ob ſcelera concepta, virgæ plagas oſtendentis, nobiſcum agit, donec cumulatus ipſorum acervus illum ad plagas inferendas adigat, eò vehementiores, quò magis minus prius oſtenſas contemſerant.

Cometa non præluxit natali Chriſti.

Cometæ ſequuntur & præcedunt bella. Dei paterna bonitas & caſtigatio.

Bello-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Iniquitas malorum cauſa.

Bellorum, & aliarum calamitatum cauſam, omnis generis iniquitates eſſe, inſtar fumi in cælum aſcendentis, veriſſimum eſt: *Tua* enim *ex Te perditio Iſraël:* vitâ autem peccantium in melius converſâ, emolliuntur tela dura plagarum & avertuntur. Ita Dei miſericordia juſtitiæ ipſius, homini intolerabilem vindictam temperat. Poſt maris denique æſtum tranquillitas & poſt nubila Phœbus: poſt filiorum item correctionem & vitæ emendationem, virgæ combuſtio. Nondum tamen irarum ſatis eſt. Cæterùm novum noſtrum Principem Sereniſſimum Joannem Fridericum doctum & ſapientum amantem nobis obtigiſſe gratulamur. Vale Vir Generoſe, & ignoſce differendi libertati.

Phœbus poſt nubila.

Deus virga iræ caſtigatis filiis virgam comburit.

Delineatio Cometæ

In proprio circulo, menſe Decembre 1664. exorti, & menſe Februario anni ſequentis è conſpectu ſublati, juncto ſchemate æri inciſo.

Obſervationes Cometæ 1664 & 1665 hyberni à Buſmanno habitæ.

Cometæ hyberni 1664. ortus, motus, progreſſus & exceſſus:

CUm nuperrimè, menſe Decembri anni 1664. elapſi, Cometam illuxiſſe relatum eſſet, quilibet non immeritò eum contemplari deſideravit. Viſus autem eſt ſtatim initiò cum cauda apprimè longâ, virgæ inſtar, in plaga Meridionali propè Corvum: magnitudine ferè luciferum ſuperans, luce tamen obſcurâ, radiis caudæ ſubpallidis, magnum cæli tractum occupantibus. Ortus ejus fuit inter Eurum & Notum, caudâ, quæ juxta Horizontem iridis colorem nonnullum oſtendebat ſurſum vergente, paulatim tamen decliviori, & cùm altiorem ſitum poſt aliquot horas exhibuiſſet, occaſum brumalem ſpectante. Motus proprius hujus novi phœnomeni primis diebus aliquantò tardior fuit, poſtea celerior, & tàndem rapidiſſimus, ut plerorumque aliorum Cometarum curſum ſuperaſſe videretur, donec fluvium Eridanum attingens, iterum tardiori viâ progredi cœpiſſet, & ſimul atque radios Comæ prælongos (ob Lunæ creſcentis lumen aliquot diebus tunc obſcuratos, imminutos, aut parùm viſos) in contrariam cæli regionem Euronotum verſùs projeciſſet, corpus caudatum mole decreſcens, poſt duos menſes in Ariete è conſpectu ſublatum eſt. Et quoniam motus ejus proprius ſive ſecundus, contrà ſeriem ſignorum innotuit, hinc factum, quòd (motu enim ut vocant, primo ſeu communi intrà diem naturalem, ſive intrà viginti quatuor horas, cum firmamento cæli in orbem rediit) ſingulis matutinis citius orietur. Nam primis diebus manè circiter quartam, deinde circà tertiam, ſecundam, primam, duodecimam noctis &c. apparuit, ita ut tandem poſt revertentes revolutiones diurnas, veſperi ſtatim poſt Solis occaſum in medio cæli, fulgore ſuo, obſervaretur.

Apparitionis tempus diverſum,

Ex matutino tandem factus erat veſpertinus:

Unus autem non geminus fuit.

Cur geminus creditus:

Ob variam diverſamque faciem hujus Cometæ, diverſæ opiniones ortæ ſunt. Quidam enim aſſeruerunt, binos Cometas ſingulis noctibus unà apparuiſſe, falſò exiſtimantes præter verum Cometam, obſcurum Cancri ſidus, novum etiam phœnomenon eſſe: alii, Aſtronomiæ periti, pro certo ſtatuerunt, duos Cometas, unum nempe poſt alterum, ſe obſervaſſe, quorum primus caudam verſus Zephyroboream porrexerit, & à Corvo ex Oriente in occaſum motu rectilineo ſub hæmiſphærium præcipitatus fuerit, Europæis non amplius viſus: poſteriorem verò primò juxtà Eridani conſtellationem conſpectum, caudam Boreæ obvertiſſe, nec non per rectam lineam ad Arietem tranſmigraſſe.


Geminum aliàs Cometen ſimul viſum eſſe certum eſt. Cometæ 837, 838. 1165. 1315. 1337. & 1505. gemini.

Etſi verò hiſtoriæ loquantur, binos Cometas anno à partu Virginis 729. ſimul exortos eſſe, quorum alter Orientem ſolem præceſſit, alter ſolem Occidentem ſecutus eſt: nec non certum ſit, anno 837. circà feſtum Paſchatis in ſigno Virginis Cometam apparuiſſe, qui viginti dierum ſpatio Leonem, Cancrum & Geminos pertranſiit, & in capite Tauri evanuit, quem anno ſequenti, 838.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura obſervat. Cometicar. Hanoveræ factr. ad Communicat Cl.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

icat Cl. viri D. Chriſtiani Busmanni, Med. et Philoſ. Doct. pertinens. N.° 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

838. Calendis Januarii, alius in ſigno Scorpii excepit: anno itidem Servatoris 1165. Cometæ duo ſimul illuxerint manè, ante Solis exortum, quorum alter ad Auſtrum, alter ad Aquilonem ſitum habuit: & anno 1315. menſe Decembri circa nativitatis Chriſti feſtum, Cometa ſit viſus, qui circa polum ſe volvens, caudam in diverſas orbis partes, in Orientem, Occidentem & Septentrionem extendit, & uſque ad finem Februarii duravit, ubi paulò poſt alius exortus eſt: & anno 1337. bini Cometæ, quorum alter ferè unius menſis ſpatio alterum præceſſit; ſimiliterque bini anno 1505. primus menſe Aprili, alter menſe Auguſto, annotati ſint: attamen hoc tempore binos eodem menſe effulſiſſe, aut potius priorem juxtà Tropicum Capricorni conſtitiſſe, & poſteriorem mox poſt quatuor dies juxtà Eridani aſteriſmum noviter detectum eſſe, veris obſervationibus manifeſtò refragatur. Quod intellectu haud eſt difficile, ſi motus Cometæ ex Libra per Virginem & Leonem meridiem verſùs, & iſthinc itinere verſo per Cancrum, Geminos, uſque in Arietem non æquali curſu, in occaſum conſideretur.

Cometam hybernum 1664. unum non geminum fuiſſe Buſmannus demonſtrat,

Ad demonſtrandum hoc, ut etiam Aſtronomiæ minus periti id facilè apprehendant, Circulus Cometæ proprius in plano cum ſignis ſex meridionalibus, in quibus is motum ſuum abſolvit, delineatus eſt. Primis enim diebus 3. aut 4. Decemb. anni jam præteriti ſub alis Corvi, in quo omnes cæli ſpectatores conſentiunt, apparuit. Hîc loci, 8, 9, 10, 11. Decemb. St. V. in conſtellatione Hydræ, caudâ ad duodecim pluresque gradus porrectâ, deprehenſus eſt, cujus ſitum literæ *a. a. a. b.* longitudinem & latitudinem, gradus æri inciſi, iſtis diebus, monſtrant.

Die 15. Decemb. St. V. in lit. *e*, comam ad novendecim gradus extendiſſe viſus eſt Cometa, cùm præcedentibus diebus ob nebuloſum aërem non conſpiceretur. Motum ejus tunc velociorem fuiſſe quam antea, ex lit. *c. d. e.* patet.

Die 17. Decemb. primùm, ob creſcentis Lunæ lumen, cauda ejus adeò imminuta fuit, ut præter caput lucidum vix aliud compareret, quæ tamen poſt mediam noctem horâ ſecundâ, Lunâ Horizontem prætervectâ, ad 5. & plurium graduum longitudinem iterum ſeſe exhibebat, undè ex *e.* in *g*, velociſſimo curſu perrexiſſe, & die præcedenti in *f.* conſtitutum fuiſſe cogitandus eſt: propter cælum autem nubibus obductum die 16. Decembr. non fuit conſpicuus.

Die 22 & 23. Decemb. circà ſextam veſpertinam, luminoſum Cometæ corpus ſinè caudâ, ob Lunæ plenæ ſplendorem intenſum planè abſorptâ, non ſinè admiratione cùm cælum turbidum illius aſpectum ad quatuor dies prohibuiſſet, in Eridano fluvio apparuit; ſitum tunc in *m. m.*

Hinc liquidò conſtat, Cometam diebus 18, 19, 20, 21. Decemb. utpote in *h. i. k. l.* in motu velociſſimo permanſiſſe, propter obſcuras autem noctes inconſpicuum factum.

Cometa hybernus velociſſimus, inconſpicuus factus,

Die 24. Decemb. comam fax hæc ob radios Lunares aliquot diebus abſconditam, antè Lunæ ortum in *o.* ſtatim poſt crepuſculum veſpertinum iterum exhibuit, cùm die proximè præteritâ vix faciem in *n.* oſtendiſſet.

Denuo apparet, ſed veſperi,

Porrò, diebus 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31. Decemb. item 1, 2, 3 Januarii in *p. q. r. ſ. t. u. v. w. x. y.* ut plurimum quotidiè phœnomenon noſtrum in conſpectum venit, curſu, quoad longitudinem, multùm imminuto, uti in adumbratione videre eſt. Poſt *y.* autem quoad latitudinem Septentrionalis factus eſt, antea meridionâlis perpetuò exiſtens. Caudæ longitudo iſtis diebus diverſimoda, interdum quindecim gradus non ſuperavit.

Ex meridionali Septentrionalis factus,

Poſt diem 4. Januarii, caput & cauda Cometæ uſque decreverunt; in longitudine autem tardiori motu inceſſit, quam in ſchemate de die in diem exprimere non licuit: in *z.* verò, die 16. Januarii valdè obſcurus Cometes, &, ob novum Lunæ lumen, ægrè viſus eſt; quin aër nebuloſus poſtmodum ulteriores obſervationes impedivit, donec 24 & 25. Januarii, ſtellam quintæ magnitu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

gnitudinis æquiparans cum cauda vix viſibili ulnæ longitudine, in 27. gradu longit. Arietis & 5. grad. latit. Septent. iterùm ſeſe detegeret.

Minatur abitum, Abit:

Sed 30 Januar. & 2. Februarii denuò apparens, etiam notabiliùs decrevit, ut parùm de eo ſupereſſet, propè 26. grad. Arietis & 6. grad. latit. Septentrion. interitum ſui ſinè cauda minitatus eſt, & deinceps diſparuit.

Non æquè velox fuit, Motûs ſui quaſi ſcientiam habuit; Motu ſuo circa proprium aliquem polum circulum deſcripſit maximum, Unus fuit non geminus:

Ex quibus patet. 1. Cometam noſtrum non æquali velocitate, ſed ſub Geometrica quadam proportione in proprio ſuo Circulo, ex quo non exorbitavit, progreſſum eſſe, & inſtar cujuſdam Planetarum, ſui motûs ſcientiam quaſi aliquam habuiſſe, quæ ipſi Intelligentiæ Ariſtotelicæ vicem præſtitit. Non minus 2. Inde animadvertitur, motu illo ſuo circa proprium aliquem polum circulum deſcripſiſſe maximum, qui Eclipticam interſecuit inſtar Æquatoris.

Quemadmodum etiam 3. Inde liquet, eos multum aberraſſe, qui ex uno Cometa binos fecerunt. Quamvis enim caudam in principio verſus Zephyroboream extenderit, poſteris diebus eandem ad Euronotum porrectâ: ob diverſitatem tamen ſitûs ad Solem id obtigiſſe extra dubium eſt; cum in confeſſo ſit, Cometarum capillos à Sole plerumque averſos eſſe. Undè etiam hic Cometa primis diebus Solem præcedens, antelucano tempore ſeu poſt mediam noctem caudam radiantem à Sole averſam diffudit, quam poſtea veſperi Solem ſubſecutus à tergo in contrariam plagam projecit.

Curſum non exorbitantem in proprio circulo tenuit.

Ad oſtendendum porrò unici hujus Cometæ non exorbitantem curſum in proprio circulo exactiùs, notandum eſt, novum hunc erronem quibuſvis Aſtronomis ubivis locorum, de quo etiam antea, primò juxtà Corvum ſeſe conſpiciendum exhibuiſſe motu tardiori, hinc ſub Tropico velociori inceſſu Navem ferè attigiſſe, & rapidiſſime ad Galli conſtellationem Caniſque Majoris prolapſum eſſe, quod, uti in ſchemate lit. *h.* oſtendit die $\frac{18}{28}$. Decemb. factum. Quo tempore eodem propemodùm loco viſus eſt Romæ, itidemque $\frac{19}{29}$. Decemb. in *i.* & $\frac{20}{30}$. Decemb. ibidem loci in octavo gradu verſus Æquatorem conſtitiſſe obſervatus fuit, quem ſitum ſchematis *k.* ferè deſignat. Ulterius, Cometam noſtrum Coloniæ & alibi locorum ad collum Leporis, ſive quod in ære inciſo idem fortaſſis eſt, ad lit. *l.* appuliſſe, jam dudum proditum eſt. Et quamvis neſciatur, num alicubi $\frac{21}{31}$. Decembris fulſerit, quod impedimentum ſine dubio caliginoſus aër attulit; reliquis tamen diebus propè Eridanum in menſe univerſo Orbi ſinè cauda illuxiſſe, extra controverſiam eſt; non quòd capillos ſuos promiſſos & radiantes amiſerit, ſed quòd Lunæ lumen fortius eos imbecilles & debiles veluti conſumſerit.

Obſervatio Romana: Et Colonienſis &c. Cometa an die 21. 31. Dec. 1664. fulſerit, neſcitur: Sine cauda dehinc apparuit ob Lunæ vicinitatem:

SupraLunam fuit, Sicut omnes alii Cometæ. Cæleſtia corpora quò ſunt à terra remotiora, eò tardiori motu proprio feruntur: Viciniora verò velociori, tùm & majora apparent. Cometa hybernus quando & quare tùm major tùm velocior, tùm verò minor & tardior fuerit.

Ad locum Cometæ quod attinet, uti is jam per totam Europam eſt conſpectus, ita quoque eum nonniſi ſupra Lunam in ætherea regione conſtitutum fuiſſe aſſerendum eſt. Jam dudum enim à Mathematicis luculentiſſimè eſt demonſtratum, omnes Cometas in æthereo ſpatio altiorem ſitum Lunâ habere. Verò tamen conſentaneum eſt, quò altius corpus cæleſte in ſublimi æthere hæret, eò tardiori motu proprio id ferri, quod Saturni & Jovis planetarum à terra maximè diſtantium revolutiones edocent: demiſſiores vero ſtellæ erraticæ concitatiori greſſu moventur, & quò terræ viciniores, eò majori corpore luminoſo ſeſe conſpiciendas præbent. Id ipſum Luna & Venus diſtantiis ſuis diverſis effectum dant, quæ in altiori ſitu minores, in humiliore ad terram majores apparent. Quæ Obſervationes Cometæ noſtro applicatæ indicant, primis diebus eum in minori diſtantia à terra, quantitatem corporis majorem habuiſſe, & velocitate Lunæ motum diurnum, qui eſt 12. graduum 11. min. ab Argo ad Eridanum uſque ex *e.* in *m.* ferè ſuperaſſe, & ſic Lunæ orbem tunc interſecuiſſe: poſtremis verò diebus in maximâ elongatione à terra conſtitutam fuiſſe, cùm tardiùs ferri inciperet, & minori facie compareret, quod alii, melioribus inſtructi organis Opticis, ex parallaxium notitiâ luculentiùs prodituri ſunt.

Parallaxes Cometar. dari Buſm. ſtatuit.

Unicum igitur ſaltem, non binos Cometas à menſe Decembri anni elapſi, in Februa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

in Februarium currentis, orbi illuxiſſe, qui in proprio orbe ſub Geometrica proportione iter ſuum abſolvit, jam oſtenſum eſt, ſimulque eorum opinio ſublata, ſtatuentium corpus lucidum in ſublimi æthere adeò rapidiſſimo curſu præcipitari non poſſe, cum præterea Regiomonti deprehenſum ſit, anno 1475. Cometam intrà diem naturalem quadraginta gradus circuli ſui confeciſſe.

Cometa Regiomont. 1472. uno die 40 abſolvit.

De ortu Cometarum vulgaris eſt opinio, quæ mentes imperitorum invaſit pridem, exhalationes pingues cum fumoſis expirationibus vi cæleſtium magnâ copiâ ex terra evocatas, attenuatas & in ſupremam aëris regionem ſublevatas, inque unam maſſam coactas, inflammari, atque ita ſtellarum lumini ſimilem oſtendere formam; quin, motu cælorum communi circumagi, tandemque conflagratâ materiâ combuſtibili diſparere: reliquias verò fumorum ſiccorum & aridorum diſſipatas procidere, unde aërem ſicciorem factum concitare vehementiores & crebriores ventos, inducere ſterilitatem; in hominibus augere flavam bilem, accendere & corrumpere ſanguinem, ut inde morborum malignorum peſtilentiumque genera varia oriantur.

Ariſtotelica de Cometarum generatione & effectis ſententia proponitur.

Cæterùm de natura novi hujus phœnomeni omniumque aliorum Cometarum aliter judicandum eſſe, quatuor potiſſimùm evincunt argumenta. Nam primò, etiamſi detur, exſpirationes fumoſas ad Lunæ concavum ferri, quod tamen falſum eſt, nullâ ratione fieri poteſt, ut tanta copia ſubtiliſſimarum exhalationum in unum globum coëat, & tantis ignibus fomentum præbeat, cum Cometa interdum terræ trientem aut quadrantem exæquet, ut ne omnes quidem ſylvæ aut nemora, quotquot ſunt ubique terrarum, pabulo ſex menſium, quibus Neronis principatu quendam fulſiſſe Seneca ſcribit, ſufficerent; præterquam quòd materia combuſtibilis, quò ſubtilior, eò citiùs deflagret, quò craſſior, eo diutiùs flammam retineat. Conſtat deinde liquido, meteora omnia accenſa & ferè combuſta non amplius in ſublime ferri, ſed paulatim inferiora petere, cùm è contrario Cometæ ſenſim evehantur, & indies ſublimius propiuſque firmamento accedentes è conſpectu denique ſubtrahantur. Quod etiam compertum eſſe veteribus, quoſlibet Cometas ſine occaſu ſemper evanuiſſe, hoc eſt, paulatim aſpectum fugere, Plinius teſtatur.

Quatuor argumentis à Buſmanno refutatur. *Cometarum magnitudo.* *Duratio.* *Altitudo.* *Diſparitis ſive occaſu.*

Tertio exhalationes altius duobus tribuſve milliaribus à terra non provehi alibi demonſtratur: Cometæ vero omnibus populis ſub eodem hemiſphærio conſpicui ſunt, quod non fieret, niſi orbi lunari proximi eſſent, cujus diſtantia minima à terræ centro eſt diametrorum terræ 32. ſeu milliarium 122760.

Quarto, parallaxium doctrina (dum omnibus parallaxibus Lunaribus minores exhibent parallaxes Cometæ) & circulus maximus intrà ſuos polos contentus, à quo toto durationis tempore neque ad hanc neque ad illam deviant partem, eos non in aërea plaga, ſed ſuprà Lunam in æthere planetarum inſtar, quorùm motus videntur æmulari, circumferri certiſſimæ veritatis notæ ſunt.

Parallaxes Lunaribus minores. Circulus maximus intra proprios polos, curſûs eorum norma, Et Planetarum imitatio.

Etſi vero de rebus cæleſtibus & à communi ſenſu remotis temerè quidquam affirmare, arduum ſit: probabiles tamen non deſunt certitudines (peritioribus in Aſtronomia ſua relinquitur ingenuitas & libertas) iis, qui opinantur,

„ *Cometas eſſe corpora cæleſtia lucida, extrà naturæ ordinem, vi divina in æthere è maximè ſublimi parte cæli demiſſa, & peculiari motu & figura conſpicua, ut ſint nuncii glîſcentium ingruentiumque calamitatum, à ſecuris mortalibus non animadverſarum vel neglectarum, ſi fortè, ipſis ad Deum converſis, mala iſthæc vel tota averti, vel paululùm mitigari poſſint.* Cui opinioni accedendum eſſe, ſuadent potiſſimùm ſenſus, ratio & experientia.

Cometa quid ſit, quidve ſignificet Buſmanno.

Etenim 1. lumen & figura extrà naturæ ordinem, motuſque geminus, viſionis ſenſui patent. 2. Hoſpitium in æthere, ratiocinationes prius allatæ & Aſtronomorum ſcholæ ſuppeditant. 3. Juſſu Dei tantum ac prodigioſum opus & regularitatem motuum propriorum effici, in re tàm remotâ & ex opinionum varietate dubiâ, via eſt tutiſſima: imò 4. æquè facile eſt, Deo opifice, ex pluribus ſtellis, in profunditate cæli nobis viſu inacceſſis, unum globoſum poro-

 ſumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cælo generationem & effluvia convenire Buſm. negat.

Cometæ ſignificare putantur bella, Principum mortes &c.

ſumque corpus in conſpectum demittere, quàm, effectoribus Planetis, Cometæ novi productionem ſubſtituere, aut ex effluviis cœleſtibus in puriſſimo æthere, mutationes abhorrente, à luminibus æternis, per tot millia ſeculorum pabulo non indigentibus, coagmentare. Prodit 5. experientia, quid portendat novum phœnomenon, à qua etiam veteres ab ultima antiquitatis memoria notandum animadverterunt, *Nunquam ſpectatum terris impunè Cometam*, ſed bella, regnantium interitus, imperiorum mutationes, & calamitatum ſegetem, ſtatim inſecuta eſſe, ita ut Cometæ ſint præcones malorum perpetui. Clementiæ enim Dei ſunt iſta opera ſublimia qui homines excitare allaborat, ut erectis capitibus, & ſublatis ad ſidera oculis, tempus viſitationis agnoſcant, & à peccatis deſiſtant. Hæc in univerſum veriſſima eſſe hiſtoriarum monumenta loquuntur. Vatem verò hîc eſſe, & prædictiones ſpeciatim non ſinè aliqua notâ, & maculâ augere, curioſum eſſe videtur. Quod ſi tamen ad aphoriſmos reſpiciatur Aſtrologicos, pro vulgi exſpectatione vaticinandum erit: Americæ Meridionali, Inſulis Moluccis & circumjacentibus Indiæ, regno Monomotapæ, Congi, Biafaræ, Guineæ, Cometam verticalem infeſta quæque præſagire: quòd is exortus eſt juxtà ſidus, avem rapacem denotans, indicat turbarum cauſam fore rapinas: ſitus ejus juxtà Hydram, Navem, Fluvium, Cetum, minatur regionibus maritimis, & pelago vicinis urbibus, hominumque cœtibus fortunas Oceano committentibus: projeciſſe eum virgam radiantem utrinque ad Geminorum capita, pectora & pedes, conjecturando ſignificata hinc inde adfert locis potiſſimum, ubi plures publicæ rei præſunt, inter quæ provincia non procul diſſita calamitates quidem maximas, verùm ob trigonum ad ſedem novæ ſtellæ in Caſſiopeja, iſtius loci mortalibus, anno 1572. beneficæ, ingruentia mala ultimo ab ea averſum iri, fortaſſis experietur. Nihilominus præterea totius Europæ ſingulæ provinciæ, ad quas crines explicuit, aut inclinavit jubam ſtella comata, plagas adverſitateſque in vicinis regnis exortas, ſatis ſentient: apparitiones inſuper toto bimeſtri, malorum durationem oſtendunt, quemadmodum etiam diverſa facies caudæ, modo hàc modo illàc protenſæ, cum longis, nullis, brevibus capillis, turbarum imminentium metamorphoſes ſpondent. Hæc more prognoſticantium.

Sed non in ſpecie:

Nuperus quibus fuerit verticalis & mala minetur.

Aſtrologicæ conjecturæ ex ſitu & curſu nuperi Cometa petitæ.

Stella 1572. in Caſſiopeja ſalutaris.

Votum hominis Chriſtiani Cometâ apparente.

Verbo, miſericordiæ Dei hoc opus cæleſte eſt, ut mortalibus veternus excutiatur, divina benignitas deprædicetur, & ira numinis ob ſcelera hominum concepta inde agnoſcatur. Qui precibus piis, & vitâ in melius converſâ, placare Deum ſtudebunt, punitionum ablationem mitigationemque aſſecuturi ſunt; reliqui, veritatem ſentient apud Prophetam Ezechielem cap. 24 ℣. 14. *Ego Jehova dixi, eventurum eſt, & faciam, non abſtraham me* (id eſt, juxtà Tremell. ſtat decretum irrevocabile) *neque parcam neque pœnitebit, ſecundùm vias tuas, & ſecundùm actiones tuas judicabo te, ait Dominus Deus.*

Hamburgo Hannoveram die 4. 14. Nov. 1665.

Humanitas ſive eruditio Buſmanni.

Buſmanni eruditionem & benevolentiam Auctor commendat.

Rectè accepi nudius tertius, imò & habui acceptiſſimas, Tuas literas ultima die Octobris Juliani datas. Humanitatis eæ plenæ ſunt (quod nemini paulùm modo humaniori ignotum erit, poſtquam unà cum aliis luci donatæ fuerint) ſed & benevolentiæ erga me, ita ut & officioſus in me compareas. Neque vero ſolas hujus notæ literas ad me miſiſti. Sed & accuratam Cometæ deſcriptionem, variâ humanitate pariter refertam, quâ re nil mihi, opus Cometicum molienti, accidere potuit jucundius. Tanto magis quod me hac ratione non exiguâ curâ liberaris, aliquem Virum bonum, rei Mathematicæ & linguæ veſtræ melius me gnarum, qui Tuæ figuræ deſcriptionem Latinam ex illa Germanica aptaret, quærere volentem. Itaque libenter meritoque fateor Te officio humanitatis & benevolentiæ non erga me ſolum, ſed & erga omnes bonarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

bonarum artium amantes, egregiè defunctum eſſe. Talem Te propitio Deo in Senatu Philoſophico ſiſtam, quem, ut noſti, libertatis Philoſophicæ uſus jure, ad omnes ex æquo pertinente, convoco. Hôc jure, ut neminem, ita nec Te, Vir Excellentiſſime, privare unquam voluí, quia nec poſſum, nec debeo.

Senatum Philoſoph. cum convocare cuivis bonarum artium amanti licet.

Crede mihi, æquo animo quemvis diſputantem fero, licet à me diſſentiat, dummodo bonis artibus commendandis corde candido det operam. Eandem æquitatem iiſdem ſtudiis, æternùm in hac vita tractandis, in illa altera fruendis, intentus, mihi à quovis relinqui poſtulo & obſecro, nunquam non meliora diſcere paratus. En Tibi hujus rei haud leve documentum! cui literæ Tuæ occaſionem dedêre, ſtimulumque mihi, ut Te nunc etiam adirem, & in quibus hæreo, conſulerem, ſubdidêre. Memoras Cometam Anno 837. circa feſtum Paſchatis in ſigno Virginis apparuiſſe; qui viginti dierum ſpatio Leonem, Cancrum & Geminos pertranſierit, & in capite Tauri evanuerit: quem anno ſequenti 838. Calendis Januarii in Signo Scorpii alter exceperit. Ita putat inter Chronologos, qui mihi ad manum ſunt, non poſtremo loco ponendus Calviſius, niſi quod 25. dies, Auctorem vitæ Ludovici Pii & alios ſecutus, ei tribuat. Tuum itaque Amanuenſem facili errore 5. dies omiſiſſe, vel certè Te alterius alicujus Chronologi fidem, ſæpenumero variam, ſecutum fuiſſe oportuit. Sed hoc minus eſt: nec tamen parvum vel contemnendum, cùm dicto Auctori tot ſigna Cometen tàm paucis diebus peragraſſe mirum videatur. Major autem mihi circà rationes annorum & Cometarum ex diſſidentibus Chronologorum ſententiis orta eſt difficultas. De qua neminem adhuc hîc vel alibi conſului. Tu te mihi primus Tuis in literis, quæ Cometam illum producunt, offers. En tibi Chronologorum & Hiſtoricorum, qui præſtò ſunt, miram diſcrepantiam hac tabella exhibitam

Diſſentientes tolera.
Bonas artes commenda.
Libertatem cujuſque boni & æqui conſule.
Diſcere meliora paratus eſto.
Auctoris quæſtio 1. de Cometis circa mortem Ludovici Pii.
Calviſius laudatur.
Chronologorum magnus eſt diſſenſus.

Cometa	A.C. 837. & 838.	geminus, Pictorum cladem magnam à Kenetho Scotorum Rege illatam portendens. Eckſtormius & Calviſius conſentiunt hîc in eo, quòd Cometam geminum antè illam ſtragem luxiſſe dicant. Sed Eckſtormius ſibi ipſi contradicere videtur. Nam ſtragem illam in Ann. 837. at Cometas prænuncios in 837 & 838. ponit. Calviſius autem utrumque cladi iſti præponit. Sed qui huic 25. diebus anno 837. is illi 838. apparuit. At Funccius cladem in 840. Cometam in 839. ponit.

Cometa Anno 837. & ſeqq.
Eckſtormius ſibimet contradicere videtur.

Cometa	Anno 837.	Circa feſtum Paſchatos apparuit Cometa in Virgine, & luxit 25. diebus. Calviſ. Sigon.
	Anno 838.	Eckſtormius.
	Anno 839.	Auctor vitæ Ludov. Pii. In eundem annum ponit Comet. Funccius, Eckſtorm. & Ricciolus ex aliis. Sed his iſte in Ariete luxit, & tamen ſicut & ille in Virgine morti Ludovici Pii præluxit.

Cometa	Anno 838.	Kalend. Januariis apparuit Cometa in Scorpio. Calviſius.
	Anno 840.	In eunte conſpectus idem Cometa putatur Auctori vitæ Ludovici.
	Anno 839.	Viſus ille Funccio, Eckſtormio & aliis in Ariete paulò antè Ludovici mortem, idem eſſe videtur cum hôc qui in Scorpio lucens morti Ludovici præluxit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa	Anno 842.	Cometa in Aquario antè bellum filiorum Ludovici, Funcc. Eckſtorm.
	Anno 843.	Ricciolus, qui plures tunc Cometas fulſiſſe ait, & ex Cardano refert tres Cometas apparuiſſe, in Libra, in Ariete & in Aquario. Ubi nota Eckſtormium Cometas in his ſignis viſos in ann. 828, 829, & 842. collocare.
	Anno 840, 841, & 842.	antè bellum illud fratrum ponit Cometam Alſtedius.

Auctor vitæ Ludovici Pii laudatur.

Error Eckſtormii, Alſtedii &c.

Cometa anni 836. pro 839 poſitus.

Quomodo hîc vera ſententia inter tot diverſas ſententias & rationes Chronologorum ſit expedienda videndum. Auctor vitæ Ludovici Pii, & diligens Hiſtoricus & peritus Mathematicus (cujus tamen colloquium de illo Cometa magno, qui feſto Paſchatis apparuit, cum Ludovico Imp. ad Carolum M. referri ab Eckſtormio, Alſtedio & aliis, & quidem auctoritate Faſcic. temp. qui etiam ad Ludovicum hæc refert ut mihi videtur, abutentibus, miror) magnam hîc fidem meretur. Hunc in Ann. 836. Cometam illum referre, quidam Vir doctus in hac Urbe agens, nuper prodidit. Qua de re nondum eum compellare licuit. Crediderim errorem eſſe in Anno 836 pro 839. Sed nondum me explicare poſſum difficultate, quæ mihi in lectione, ſat diligenti, Auctoris illius oborta eſt. Nam in meo exemplari Hanoviæ 1613. impreſſo in vita Ludovici cap. XVII. pag. 471. Lego Anno DCCCXXXIX. Cometam illum apparuiſſe in Virgine: alterum in Scorpio Kal. Januarii DCCCXL. pag. 472. Lego dehinc Cap. XVIII. de Conventu Vormatienſi, Lotharii cum Ludovico Patre in eo conciliatione & diviſione Imperii DCCCXL. Tum cap. XIX. Anno DCCCXLI. de rebellione Ludovici Junioris, & DCCCXLII. de magna Eclipſi Solis, mortem Ludovici Pii proximè antecedente, denique de ipſa morte, quam tamen Auctor ille, acta Anni DCCCXLII. annotans, ibidem in DCCCXL. p. 476. refert, ſicut editio Hanovienſis anni CIↃIↃCXIII. quæ mihi præſto eſt, legit, etſi illa Francofurt. anni CIↃIↃLXXXIV. quam curæ Reuberi debemus, hæc non legat. Sed ſi hæc legi debent, miror Auctorem, cætera eruditum & accuratum, hæc adeò confuſa memoriæ prodidiſſe, (niſi aliundè error tam gravis irrepſerit) licet certum ſit eum ſequi epocham vulgarem, non illam veram, ſecundùm quam pro anno DCCCXL. annus DCCCXLII. eſſet ponendus. Aliquid, ut puto, lucis his tenebris afferret conjectura mea, ut tres illi Cometæ ad ann. 840, 841 & 842. ab Alſtedio notati in ann. 839, 840 & 842. ad ſigna Virginis, Scorpii & Aquarii referuntur. In reliquis hæreo, & Tuam, Vir Humaniſſime, opem imploro. Nec temerè. Hiſtoriam enim Cometarum texo: quæ multùm Tuæ diligentiæ debebit, poſtquam me tot difficultatibus expediveris. Venio ad alia. Binos, imò & plures ſimul Cometas apparuiſſe, non paucis exemplis, à Te quoque adductis, firmatum eſt. Nos tamen menſe Decemb. Januario & Februario niſi unum non vidiſſe, ſolidè cum Clariſſimo Hevelio doces. Vellem poſterioris quoquè Cometæ menſe Aprili obſervati iter deſignaſſes. Quod quia factum à Te non eſt, velim adhuc fiat, ſi meis apud Te precibus locus eſt. Rectè porrò Cometas ſupra Lunam evectos cælo aſſeris. Verum tamen quoſdam infra Lunam obſervatos eſſe, Ricciolus & alii Viri docti, etſi huic ſententiæ Tychonianæ addicti, teſtantur. Memini me & in Prodromo Hevelii aliquid in hanc rem legere, quod Tu dubio procul notaveris. Ricciolus autem memoriæ prodidit Cometam anni 1450. Lunam ſubeundo eclipſim ei attuliſſe. Quod argumento eſt, eum infra Lunam fuiſſe poſitum. Cometas non eſſe exhalationes terrenas in aëre inflammatas egregiè demonſtras. Sententia Tua de Cometis vi divina in æthere è maximè ſublimi parte cæli demiſſis, & peculiari motu & figura conſpicuis corporibus cæleſtibus lucidis, ut ſint nuncii ingruentium calamitatum & homines ad pœnitentiam permoveant, pietatem, fateor,

Error circa annum mortis Ludovici Pii in ipſo vitæ ejus auctore.

Cometæ Alſtedio ad ann. 840, 841, 842. notati fortè in 839, 840 & 842. referendi:

Duo ſæpè apparuerunt,

At non 1664:

In cælo lucent:

Quidam etiam infra Lunam luxiſſe putantur:

Ille 1450. Lunam obſcuraſſe fertur.

Buſmanni ſententiam de Cometarum generatione & ſignificat. Auctor ab aliis diverſam eſſe oſtendit.

ſpirat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſpirat. Quia tamen tot Mathematicis Clariſſimis, Cometas ex illis cæli generationi & corruptioni obnoxii effluviis componentibus, & Philoſophicâ libertate utentibus, contradicit, aſſenſum ut illorum conſequatur, dubito. Sed cuique jus illius libertatis maneat integrum. Omnes autem videamus, ut monente voce divina, ad ſobrietatem ſapiamus, & in pietate ad omnia utili & utriuſque vitæ promiſſionem habente nos ipſos alioſque exerceamus. Cæterùm quod ad ſiniſtra, quæ ſola admittis, Cometarum prognoſtica attinet, non nego ſimpliciter Cometas hæc portendere, ſive hæc illorum apparitionem ſequi: ſed nec ſemper mala, tum etiam bona, per Cometas præſignificari, multis exemplis, ut aliàs, ita præcipuè in Hiſtoria Cometarum demonſtro & evinco. Interim homines per hæc ſigna officii à Deo admoneri, ad pœnitentiam exitialibus vitiis indormientes, eorumque veterno oppreſſos excitari, meritiſſimo Tecum fateor. Verùm ut minas & terrores coërcendis improbis ſpargi, ita dulcedinem promiſſionum & ſpei, invitandis magis magiſque ad virtutem probis, latè diffundi, publicæ rei intereſſe non parùm puto. Noſti enim verum illud eſſe vetus ab omni hominum memoria:

Libertatis Philoſophicæ jus integrum cuivis eſto.
Pietas ad omnia utilis:
In hac te & alios exerce.
Cometæ portendunt mala, quòd eos ſequantur:
Sed non ſemper, ſæpè etiam bona:
Excitant homines ad pœnitentiam.
Mali terrendi minis.
Boni ſolatiis promiſſorum ad virtutem erigendi, invitandi.

Oderunt peccare boni virtutis amore
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Metus malorum malos compeſcit & in officio retinet. At clementia & ſpes bonorum bonos ad pietatis officia plus pluſque invitat. Itaque Cometas bona bonis, mala malis ominari dico. Cometam in Natali Chriſti apparuiſſe Cardanus & Libavius dicunt. Sed & alios Cometas læta prænunciaſſe multa exempla docent. Ne longè abeam, nuperi Cometæ nobis aërem ſalubrem, vobis pacem, omnibus ubertatem attulerunt: ſed aliis alia. Polonica mala jam diu durant, ut & odia inter Britannos & Batavos, belli iſtius ſemina, quæ ſuccreſcentia antè Cometas vidimus. De felici ad vos Sereniſſimi Principis Joan. Friderici adventu gratulor. Novi eum eſſe literis egregiè excultum & literatorum amantem, deque eo, ut Patrono Gratioſo, meritò glorior, grati mei in eum animi teſtimonium mox, ſi vivo, orbi daturus. Quod reliquum eſt, en tibi nuncium de novo Cometa, quem hodie à Nobiliſſimo Heinſio, Fœderati Belgii Oratore in Aula Suecica Ordinario, accepi: tumque quæ nudius tertius à R. Schotto, hodie autem à Clariſſimo Bullialdo. De his ſententiam Tuam cognoſcere aveo. Vale.

Metus coërcet malos.
Spes alit probos.
Cometa bona bonis, mala malis nunciat:
In natali Chriſti luxiſſe putatur:
Nuperi bona quoquè ſecum tulerunt.
Belli inter Anglos & Hollandos portentum Cometâ prius.

Hannovera Hamburgum die 10.20. *Novemb.* 1665.

COmetam qui anno 837. circà feſtum Paſchatis in Signo Virginis apparuit, viginti quinque dierum ſpatio Leonem, Cancrum & Geminos pertranſiiſſe, liquet ex Hiſtoriographo, qui illum conſpexit, deſcripſit & motum ejus annotavit. Amanuenſem itaque meum quinque dies omiſiſſe, ægrè fero, & à Te peto, ut neque parvus neque contemnendus error corrigatur. Poſſe tamen Cometam tàm paucis diebus tot ſigna peragrare, ex motu à nobis juxtà Corvum conſpecti Cometæ innotuit: quippe 3. Dec. S. V. in Libra viſum, perque Virginem Cancrum, Geminos, in Taurum ad Eridanum uſque, novendecim dierum ſpatio vectum iſtum eſſe, magis mirum videri queat, quàm quòd Cometa anno 837. viginti quinque diebus tria ſigna peragraverit.

Cometam 837. Buſmannus aſſerit.
Motum ejus celerem cum motu nuperi Cometæ comparat.

De difficultate circà rationes annorum & Cometarum ex diſſidentibus Chronologorum ſententiis, ob geminos Cometas ann. 837. & 838. ortâ, ſolidè jam docebo, Calviſii, exactiſſimi Chronologi, ſupputationem firmiſſimo ſtare talo, reliquos autem vacillare. Nam primò de Pictorum clade magnâ, à Kennetho Scotorum Rege illatâ, ex Buchanani rerum Scoticarum hiſtoriâ conſtat, Regis Solvathii obitum poni in ann. Chriſti 787. Huic ſucceſſit Achaius, & regnat

Calviſium Buſmannus laudat & rationes ejus de Cometis 837. & 838. confirmat, ac reliquis præponit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Errorem Buchanani corrigit Buſm.

regnat annos 32. qui eſt Chriſti 819 (non octingenteſimus nonus, uti codex Francofurti impreſſus habet) Achajum excepit Congallus, & quinquennium regnavit. Hunc Dongallus, qui regnum annos tenuit ſex, alii ſeptem. Poſt quem Alpinus tertio anno interemtus eſt: cujus filius Kennethus quarto imperii anno cum Pictis congreſſus, cladem magnam anno 838. intulit. Idem Chytræus in Saxonia l. 21. Kennethum, nempe Alpini filium Pictos ex Scotia anno 838. ejeciſſe, eorumque regnum funditus aboleviſſe, refert. Eckſtormius ſtragem illam in annum 837. quidem ponit, priorem numerum regni annorum Dongalli in calculum ſumendo, & ita ex incuriâ ſibi videtur contradicere, cum Cometas prænuncios in ann. 837 & 838. ex vero poſuiſſet. Sed ut perſpicua ſit magis hæc diſſertatio mea in aſſignando anno cladis Pictorum à Kennetho illatæ, in minuta tabella veram cauſam diſſidentium Chronologorum, Calviſii & Eckſtormii, hîc exhibeo:

Picti ſeu Pictones Scotia pulſi.

Eckſtormii contradictio excuſatur.

Calviſii & Eckſtormii diſcrimen.

Juxta Calviſ.	Solvathius obit A. C.	787.	Juxta Eckſtorm.	Solvathius obit A. C.	787.
	Achajus regnat annos	32.		Achajus regnat annos	32.
	Congallus	5.		Congallus	5.
	Dongallus	6. al. 7.		Dongallus	6. al. 7.
	Alpinus	3.		Alpinus	3.
	Kennethus vincit Pictos anno regni	4.		Kennethus vincit Pictos anno imperii	4.
Inde oritur ſumma annor. Chr.		838.			837.

Error Funccii,

Hinc de Funccio non eſt quòd ſimus ſolliciti, qui aberraſſe biennium exiſtimandus eſt, cladem in annum 840. Cometam in Virgine in annum 839. ponens, ſecutus Auctoris Vitæ Ludovici Pii mendoſum fortaſſis (uti jamjam demonſtrabitur) exemplar.

Ex mendoſo fortè exemplari Auctoris vitæ Ludovici Pii.

Secundò, certum eſt, Auctorem dictum magnam fidem mereri deſcribendo Cometam, qui in Virgine apparuit, & 25. dierum ſpatio, Leonem, Cancrum Geminos pertranſiit. Luxit autem is anno Imperii Ludovici Pii vigeſimo quarto. At annus 24. regni Imperatoris, eſt annus Chriſti 837. Carolus enim M. mortuus eſt 28. Januarii anni 814. ita ut 23. regni Ludovici deſinat 28. Januarii 837. & eodem momento incipiat annus 24. imperii, quo ortus eſt Cometa in Virgine circà feſtum Paſchatis. Annum ergò Cometæ in Virgine, eſſe annum Chriſti 837. ſic demonſtratum eſt. Ex hoc fundamento porrò oſtendo, Virum illum doctum Hamburgi degentem, cujus mentionem in literis tuis facis, quòd is Cometam illum in annum 836. referat, ſeductum eſſe ex Gerh. Joan. Voſſii lib. 2. de Hiſtoricis Latinis cap. 34. pag. 291. Cùm enim Voſſius obitum Caroli M. in annum 814. rectè ponat, qui eſt primus Imperii Ludovici Pii, nec non Cometen, qui in Virgine conſpectus eſt, anno imperii illius vigeſimo quarto adſcribat, minimè iſte in ann. 836. ſed in ann. 837. collocandus eſt. Ideòque non, uti Tu, Vir Nobiliſſime, arbitraris, error eſt in 836. pro 839. ſed numeri unitatem in Voſſii libro omiſſam, & pro ıↄc ccxxxvi. ſcribendum fuiſſe ıↄc ccxxxvii. credendum eſt. Quâ de re Virum illum doctum rectè compellare licet. Eundem Cometam in Virgine Baronius in annum 837. ex Aimoino, ſuppreſſo tamen nomine, transfert, Colloquium Imperatoris cum Auctore libri pluribus enarrans.

Ludovici Pii imperium.
Caroli M. mors.
Cometa Anno Chriſti 837,

Errorem Voſſii & Blumii Buſmannus indicat:

Tùm & in conjectura Auctoris eundem monſtrat.
Cometa 837. non 836. nec 839.

Tertiò, Eclipſis magna Solis, mortem Ludovici Pii proximè antecedens, facta eſt die 5. Maji anno 840. juxta diligentiſſimam Calviſii ſupputationem, Buntingii & aliorum (uti Auctor vitæ Ludovici pag. Tibi 476. etiam refert) cùm eodem tempore Ludovicus Pius Wormatiæ ſubſiſteret, & paulò poſt, 20. Junii diem ſuum obiret; non anno 842. Erratum ergò etiam hîc eſſe in iſto Auctore ratione annorum, certum eſt. Rectè enim ponit cap. xviii. Conventum

Ludovici Pii mors.

Errorem in Auctore vitæ Ludovici Pii ab Auctore indicatum Buſmannus confirmat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ventum Wormatienſem Lotharii cum Ludovico Patre in eo conciliationem & diviſionem imperii in ann.840. rectè etiam mortem Ludovici Patris in ejuſdem anni 20. Junii, quam proximè præceſſit eclipſis die 5. Maji. Mendum ergò eſſe oportet (de quo modo ſupra) cap. XVII. in numero annorum Cometæ in Virgine ann. 839. pro 837, & in Scorpio 840. pro 838. quemadmodum idem error, cap.XIX. de rebellione Ludovici Junioris anno 841. factâ, & apparitione Cometæ anni 842. mortem Ludovici Patris antecedentis, indè manifeſtò patet. Nam ſi Ludovicus Pius, juxta Auctorem vitæ Ludovici, anno Chriſti 840. mortuus eſt, quomodo Ludovicus Junior Anno 841. rebellionem movere, & anno 842. mortem Ludovici patris antecedere potuit Eclipſis? Rebellio itaque rejicienda eſt in annum 839. & Eclipſis Solis in 840. quo Ludovicus Pius deceſſit: quod ſupputatio Eclipſis illius magnæ ſine controverſiâ ulteriori oſtendit clariſſimè. Quocirca parùm attenti fuerunt temporum ſupputationi Eckſtormius, Ricciolus, Funccius & alii, cùm annis 839 & 840. adſcribant, quod in ann. 837 & 838. ex ratiocinio ſtabilitur. At Cardanus & Alſtedius Auctores, ſeculi noni Imperatoribus συγχρόνοις, ex quibus Cometas ſuos tres, belli filiorum Ludovici Pii prænuncios ann. 840, 841 & 842. in Libra, Ariete, & Aquario, probare poterunt, producant. Neque enim nunc vacat, pluribus eò inquirere.

Cometa 837. non 839. & 838. non 840. apud Auctor. vitæ Ludovici Pii & alios.

Cometæ Alſtediani 840. 841 & 842. incerti.

Poſterioris Cometæ menſe Aprili obſervati iter, ob valetudinem tunc adverſam deſignare nequivi, febre detentus.

Cometæ verni 1665. obſervationes nullas Buſmannus per morbum fecit.

Quoſdam Cometas infrà Lunam obſervatos eſſe, ſano eſt accipiendum ſenſu, hoc eſt, circulum eorum proprium, orbem interſecare aliquando poſſe Lunarem, non, Cometam infrà Lunam perpetuò unquam moveri. In explicatione meâ nuperâ ejus rei mentionem feci; imò Clariſſimus Hevelius in Prodromo rationes addidit, Cometarum domicilium ſub Luna renuentes. Generationi & corruptioni cælum obnoxium admittere, paradoxum eſt; quemadmodum etiam effluvia cæleſtia in puriſſimis luminibus, mutationem abhorrentibus, perque tot millia ſeculorum non indigentibus fomento, ad ſtabiliendam Cometarum productionem, aſſenſum non conſequentur illorum, qui Philoſophiæ Peripateticæ libertate utuntur.

Quoſdam eorum ſub Luna obſervatos eſſe quomodo accipiendum.

Cælum non pati generationem, corruptionem & effluvia Buſmann. contendit.

Bona, quæ multis exemplis, in hiſtoria Cometarum, per Cometas præſignificari aſſeris, ejuſmodi ſunt, ut ſequantur non primò & ſimpliciter, uti ipſe fateris; ſed ſecundariò.

Cometas ex conſequenti præſignificare bona Buſm. Auctori largitur.

Olai Rudbeckii novus Cometa fidem non meretur. Oportuiſſet ipſum petitioni Oratoris Heinſii non ſolùm annuere, chartæque novi portenti obſervata committere, ſed præterea digito ipſum in cœlo Cometam monſtrare. Vale.

Cometam auctumno luxiſſe Buſm. negat.

Hamburgo Hannoveram die 15. 25. *Nov.* 1665.

MIrari profectò ſubit, Te non tantùm ita officioſum in me, ſed & promtum eſſe. Nam ad literas quas ad Te die 4. 14. hujus menſis dederam, reſponſum nudius tertius accepi. Et in quæſtionibus quidem ſatis arduis, & explicatu difficilibus, quæ vel moroſam diligentiam, vel felicem ingenii memoriæque vim, & promtam multarum rerum notitiam, & benè de amico reque literaria merendi voluntatem expoſcunt. Tu rarâ felicitate omnia ſimul junxiſti. Et illam quidem difficultatem non exiguam ex diverſis multum Chronologorum ſententiis ortam accuratè fateor expedis, Calviſium, cui quantum laudis ipſe Joſephus Scaliger, Vir in re literaria ſummus & emendator at correctorque temporum noſtro ſeculo Clariſſimus, ſed & orbis eruditus tribuat, novi, magni facio. Ei enim id exiguum, quod in Chronologicis ſcio, maximè me debere fateor. Adeòque Te quoque ei in re Chronologica plurimùm debere gaudeo. Etſi verò libenter meliora diſco, non diſſimulo tamen multum

Buſmanni officioſam benevolentiam & humanitatem Auctor commendat.

Calviſius laudatur multum à Scaligero filio, & laudandus eſt ob inſigne Chronologicum opus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ejus gratiâ Buſm. alios rejicit.

eſſe, antiquorum fidem in gratiam novitii ſcriptoris, in dubium vocare. Me nondum illarum rationum abs Te allatarum & conciliandis haud leviter diſſidentibus Chronologis adhibitarum momenta ritè expendiſſe, nec Virum illum doctum hìc agentem compellaſſe, invitus agnoſco. At enim heri & hodiè à me variis occupationibus impedito præſtari id non potuit. Vix anguſtia temporis hâc extemporali ſcriptione officium Tibi gratum præſtare utcunque permittit, ſaltem ut gratias agam de literis, humanitatis, officii, diligentiæ plenis, quas vel ipſe Cicero redivivus tales diceret. Quæ etiam me invitarunt,

Auctoris quæſtio 2. de ætate Hipparchi & tertia de ætate Mithridate.

ut plura ejuſdem generis Tibi proponam de ætate Hipparchi, ſummi ſuo ſeculo Aſtronomi, & Mithridatis Regum Clariſſimi, quæ duo difficilia in re Chronologica (ut adjuncta ſcheda ex præloquio Hiſtor. Comet. & ex Hiſtoria Cometæ Num. XXVII. excerpta continens oſtendit) mihi ſe obtulerunt. De utroque abs Te doceri volo. Neutrum enim in Hiſtoria mea Cometica prætere poſſum, ut nec annos Caroli M. & filii ejus Ludovici. Nam exploravi

Caroli M. mors refertur in ann. 814. à pleriſque, à nonnullis in 813, & 815.

quidem mortem Caroli in ann. 814. quod & Tu aſſeris, referri ab Ivone, Eginardo, Auctore illo vitæ Ludovici, & Adelmo, quos ſequitur Aventinus, Sigonius, Cario, Bucholzerus, Calviſius, Helvicus, Alſtedius, Eckſtormius, Ricciolus, Petavius, Serres, & Magnus Conringius: ſed annum 813. prodit Ado Viennenſis: 815. autem ponit Ritius, Acciajolus, Funccius, Sabellicus, & Pantaleon. Hos enim omnes habeo & conſului. Sed nec in annis Ludo-

Ludovici Pii ætas variè à Scriptoribus tradita.

vici Pii Auctores convenire comperio. Mortuum eum anno ætatis 64. Imperii 27. refert Auctor ille vitæ ejus, Bucholzerus, & Petavius. At Ritius expreſſè 74. annos ei tribuit. Imperaſſe eum paulò minus 28. annis teſtis eſt Ado, Ivo, Calviſius; paulò minus 27. annis Helvicus, & Tabulæ Helmæſtadienſes: 26. Funccius: 25. Pantaleon memorat. Bucholzerus 26. annos, menſes 4. dies 24. imperio ejus aſſignat. Calviſius & Tabulæ Gieſſenſes 27. annos, menſes ferè ſex. Helvicus annos 26. menſ. 5. Adeò ſunt Viri illi egregii ad diſſi-

Auctoris de Ludovici Pii annis conjectura, & Scriptorum de illis diſſentientium conciliatio.

dia formanda accurati. Mea ſi quid valet conjectura, puto rectè Ludovici Imperio aſſignari ab Helvico annos 26. menſes 5. ſi excludatur annus ferè integer, quo cum Patre imperavit (quanquam & hìc Sigonius, Calviſius aliique diſſideant) quem ſi in rationes referamus, rectè ei à Calviſio & aliis 28. anni, non tamen integri tribuuntur. Hùc pertinet nobilis quæſtio de illo Cometa

Error plurium de colloquio Caroli M. de Cometa cum Auctore vitæ Ludovici Pii.

maximo, quem in Ann. 837. ponis, & de quo Imperatorem Ludovicum collocutum ſecum eſſe, diſertè Auctor ille vitæ ejus teſtatur. Id tamen Alſtedius, Eckſtormius, Keckermannus, Lavaterus, & Ricciolus ad Carolum M. referunt. Tres priores cum Eginardo Philoſopho habitum colloquium illud à Carolo referunt, Wernerum Faſciculi temporum Auctorem allegantes: Lavaterus neſcio undè Ecmundum induxerit. Atqui Eginardus in vita Caroli

Faſciculi temporum auctor an colloquium de Cometa à Carolo M. habitum dicat.

Cometa morti Caroli M. non præfulſit.

de hoc ne γρῦ quidem, licet tot prodigia mortem ejus præcedentia recenſeat. Nec alii Auctores, qui res Caroli deſcribunt, Cometæ mortis ejus prænuncii ullam faciunt mentionem. Quin Auctor vitæ Ludovici, ut dixi, inter ſe & Ludovicum habitum colloquium affirmat. Dubito præterea an Wernerus hæc ad Carolum referat, & potius inclino in hanc ſententiam, referre ad Ludovicum. Meum enim exemplar Anno 1481. editum ad hunc referre mihi iſtam hiſtoriam videtur. Sed de his omnibus libenter Tuam ſententiam audiam. Ignoſcas velim tumultuariæ ſcriptioni in medio aliarum occupationum ſtrepitu. Vale benè, age proſperè, & conſtanter fave.

Hannoverâ Hamburgum die 24. Novembris 1665.

Hipparchi ætas à Buſmanno computata.

Hipparchum anno poſt mortem Alexandri M. 40. ſeu ante Chriſtum natum 283. vixiſſe, imò eundem poſt mortem Alexandri 197. ante Chriſtum natum 126. in vivis fuiſſe, & ita per 158. annos claruiſſe, nemo exiſtimabit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mabit, niſi qui illi Neſtoream ætatem aſſingat. Aut igitur perperam ex duobus Hipparchis unus ab authoribus quibuſdam concinnatus eſt, aut difficultati huic aliter occurrendum eſt.

Hipparchos duos fuiſſe ex diverſa multum annorum ejus computatione Buſm. ſuſpicatur.

Teſtatur autem Plinius: *Primum Romani generis Sulpicium Gallum rationem defectûs Solis & Lunæ extuliſſe in vulgus, qui Conſul cum M. Marcello fuit: apud Græcos verò inveſtigaſſe primum omnium Thaletem Mileſium. Poſt eos utriuſque ſideris curſum præcinuiſſe in ſexcentos annos Hipparchum.* Hæc Plinius l. 2. c. 12.

Ephemerides vel tabulas motûs Solis & Lunæ in 600 annos Hipparchus primus compoſuit.

At verò Sulpicius Gallus cum M. Marcello Anno U. 587. ante Chriſtum natum 164. Conſul fuit. Hipparchus itaque, qui poſt eum ſiderum curſum docuit, non vixit ante Chriſtum natum 283. ſed is eſt, cujus mentio fit apud Chronologos anno poſt mortem Alexandri 178. ab U. C. 607. id eſt, ante Chriſtum natum 145: item Anno U. C. 625. poſt mortem Alexandri 197. ante Chriſtum natum 126. Et hac ratione Hipparchus Sulpicio Gallo 40. circiter annis poſterior fuit, uti rectè annotant Alſtedius & Petavius.

Hipparchus Sulpicio Gallo poſterior.

Idem Plinius, qui libros ſuos Naturales Tito Veſpaſiano dedicat ſextùm Conſuli, anno nempe poſt Chriſtum natum 77. qui eſt mundi 4026. affirmat l. 2. c. 13. *Intra ducentos annos Hipparchi ſagacitate compertum eſſe, & Lunæ defectum aliquando quinto menſe à priore fieri, Solis verò ſeptimo &c.*

Luna intervallo 5. menſium bis obſcuratur.

Hinc demtis ducentis annis ab annis Mundi 4026. remanent anni Mundi 3826. ſeu quod idem eſt, ante Chriſtum natum 122. Satis itaque liquet, Hipparchum Aſtronomum à Chronologis allegatum, non vixiſſe Ann. Mundi 3665. ante Chriſtum natum 283. ſed Ann. Mundi 3803. ante C. N. 145. & reliquis.

Calviſii errorem de ætate Hipparchi Buſmannus excuſare ſtudet.

Quamobrem aut duo fuerunt Hipparchi, aut Hipparcho, cujus mentio fit apud Hiſtoriographos in vita Ptolomæi Philadelphi, quod verò eſt ſimilius, juſta ſeries annorum non tribuitur. Quod etiam Calviſius innuiſſe videtur, cùm ex Hiſtoricis adducit: *Magnâ liberalitate hunc Regem ſtudia literarum foviſſe, undè factum, ut ex omni Græcia eruditi Alexandriam confluerent, &c. Fuiſſe & alios ibidem* (Alexandriæ) *Viros celebres, ut Ariſtarchum Grammaticum, Cononem, Hipparchum.*

Hipparchus non vixit Rege Ptolemæo Philadelpho.

In genere itaque, ubi initium annorum imperii Philadelphi antè Chriſtum natum 283. Scriptores ponunt, Alexandriæ fuiſſe Hipparchum, non exprimentes annum certum, neque aſſerentes, floruiſſe ſub Philadelpho, & tantùm obiter ibidem de eo mentionem faciunt.

Ariſtarchi ætas.

Uti verò de Ariſtarcho dubitatur, quòd vixerit ſub Philadelpho, cùm Suidas eum 130. annis poſteriorem faciat, ita ob rationes dictas quoque de Hipparcho meritò dubitari debet, quòd vixerit ſub Philadelpho, cùm quòd res vetuſtate nimiâ obſcura eſt, tùm quòd perraræ per eadem tempora literæ fuêre, una cuſtodia (ut Livii verbis utar) fidelis memoriæ rerum geſtarum.

Literarum utilitas magna.

Mithridatis ætas.

Clariora certioraque domi militiæque geſta de Mithridate ex hiſtoria Romana exponi poſſe videntur, undè ſententiarum diverſitas inter Hiſtoricos & Chronologos, ſi non tolletur at minuetur. Quicquid eſt, Ricciolus audiri non debet, cùm ex Eutropio putat, Mithridatem periiſſe Junio Silano & Licinio Muræna Coſſ. nec alii, ultimum Regni & vitæ ejus annum in Coſſ. L. Julium Cæſarem & C. Mart. Figulum referentes. Ut verò quantum fieri poteſt in rebus, quæ ex magno intervallo loci vix cernuntur, ab ovo initium fiat: teſtantur monumenta Conſulum Romanorum, quibus anni Urbis ita à Viris eruditis nunc applicati ſunt, ut nihil magnoperè in iis deſideretur.

Conſulum & U. C. anni conjuncti.

Anno U. C. 654. Cajum Marium, qui fraude Q. Cæcilium Metellum patriâ ejecerat, ſub adventum hujus in Cappadociam navigaſſe, ubi à Mithridate Ponti Rege, qui jam, Plutarcho teſte in Mario, ad annum 25. regnabat, exceptus hoſpitio, regem potentem & magnanimum monuiſſe, ut compararet ſibi potentiam Romanâ majorem.

Mithridatici belli occaſio.

Occaſio favens belli portentum.

Anno U. 665. occaſione Italici belli civilis invitatus Mithridates, Aſiam exactionibus divexat per quatuor annos. Id bellum Syllæ commiſſum eſt, qui Mithridaticum bellum feliciter geſſit, & Athenas à Mithridatis copiis & ducibus occupatas vi cepit. Sequenti etiam anno (erat Urbis 667.) Archelaum & Dorylaum Mithridatis duces, & ingentes eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

copias cecidit, inque Italiam cum victore exercitu, decedente Mithridate provinciis, Aſiâ, Bithyniâ, Cappadociâ, Anno U. 670. rediit. Bello interim contra Mithridatem à Muræna, Legato Syllæ geſto. Anno Urbis 678. Mithridates graviſſimum bellum iterum excitavit, & M. Aurelium Cottam Coſſ. ad Chalcedonem terrâ marique ſuperavit.

Mithridaticum bellum ſecundum.

Lucullus bellat cum Mithridate.

Hujus in Conſulatu Collega L. Licinius Lucullus ad Granium amnem illum vincit. Deinde etiam pulſum Bithyniâ regem variis bellis fractum coëgit in Pontum profugere. Tandem in Pontum quoque hoſtem perſecutum, & ingenti prælio victum, inde etiam in Armeniam expulit, & Mithridatis duces vicit, Anno U. 683. Invaleſcente verò iterum Mithridate, & provincias amiſſas recuperante, Manilius Trib. pl. legem fert, A. U. 687. ut Pompejo hoc bellum committatur, quam legem diſſuadente Catulo & Hortenſio, ſuadet Oratione Cicero, quæ hodieque ſupereſt pro lege Manilia. Eodem anno Pompejus Mithridatem invadit, & nocturno prælio victum cogit ad Tigranem fugere. Cicero præturam hoc anno gerebat. Anno ſequente U. 688. Iberos & Albanos, alioſque Aſiæ populos vicit Pompejus, & A. U. 689. in Judæam cum exercitu victore deſcendens, illam regionem provinciam Populi Romani fecit, cùm anno ſequenti U. 690. M. Tullius Cicero cum C. Antonio Conſul creatus eſſet. Per eadem hæc tempora Pompejus in Syriam cum victore exercitu deſcendit, ubi, dum Damaſci eſt, audit, Mithridatem nova conſilia agitantem à filio occiſum. Hæc ſelecta ſunt ex Scriptoribus rerum Romanarum emendatioribus.

Pompejus bellum Mithridaticum patrat.

Ciceronis prætura.

Judæa provincia popul. Rom. à Pompejo facta.

Ciceronis conſulatus.

Mithridatis mors.

Periit igitur, ut ex dictis conſtat, Mithridates, ut Dio Caſſius l. 37. & Eutropius l. 6. annotârunt, M. Tullio Cicerone & C. Antonio Coſſ. qui eſt U. C. 690. non 689. Eutropii. In ſupputatione enim annorum Urbis, à Varrone & Catone factâ, differentia eſt unius anni, non anni primi conditæ Urbis, in quo conveniunt, ſed in digerendis Conſulibus ad annos Urbis applicandis. Quem errorem Latini Scriptores conceperunt à Græcis, annos Olympiadicos ad annos Urbis malè applicantes: Undè Livius & alii Latini integro anno ſæpè diſtant à Græcis, quos tamen in deſcribendâ hiſtoriâ ſuâ ut plurimùm ſequuntur, & modò Conſules in priorem annum rejiciunt, modò ſolido anno poſtponunt. Facilè itaque conciliantur Chronologi, quorum alii mortem Mithridatis in annum 690. alii in 689 & 691. rejiciunt, prout ſecuti ſunt aut Græcos Scriptores aut Latinos. Hæc nunc ſufficiant de anno mortis Mithridatis.

Anni U. C. conſularibus applicati parum differunt:

Ita & Olympiadici.

Hiſtorici Latini Græcos ſequuntur, & tamen anni ſpatio ab eorum rationib. diſtant.

Conſtat porrò ex ſupra dictis, ab anno U. 665. uſque ad annum U. 690. inter Regem & Romanos bella duraſſe annis xxv. Anno verò Urbis 654. Mithridates, auctore Plutarcho, regnaverat ad annum vigeſimum quintum. Undè oritur numerus annorum regni ejus circiter 60. Deniquè ad poſtremum non vi hoſtili victus, ſed voluntariâ morte in avito regno, ſenex, teſte Juſtino, deceſſit. Secundùm Florum per quadraginta annos reſtitit Romanis, aliquot nempè annis priuſquam in apertum bellum erumperet flamma, odio, aut quod armorum Romanorum curſum in Aſia impediret, non apertè reprimeret. Secundùm Juſtinum lib. 37. c. 1. bella cum Romanis per 46. annos variâ victoriâ geſſit.

Mithridates quot annis bellâvit cum Romanis & regnarit.

Liquet etiam ex ſuperioribus, eos, qui bella inter Regem & Romanos duraſſe annis 30. aut 26. aſſerunt, initium bellorum diverſimodè aſſumere, aut potius ex diverſimodè intellectis Hiſtoricis annorum numerationem formare.

De Calviſio ſic ſentio: in gratiam ipſius antiquorum fidem minimè in dubium vocari, ſed temporis veritatem antiquam ab erroribus, cùm ab ipſo, tùm ope Virorum eruditiſſimorum repurgatam, in apricum locari. Emendarunt enim jam dudum iſti non infeliciter Faſtos Romanos, ex Tabulis Capitolinis ſeculo priori Romæ inventis, quæ temporum injuriâ maximis motibus obrutæ fuerant.

Calviſium Buſmannus meritò laudat.

Faſti Rom. ex tabb. Capitolinis correcti.

Obitus

Obitus Caroli M. ponitur in ann. Chriſti 814. à coætaneis Scriptoribus; Eginardo nempe, Caroli M. Cancellario, qui vixit adhuc ætate Ludovici Pii: Adelmo ſive Adhemaro qui Carolo M. fuiſſe à Sacris, & Aimoino, qui vitæ Ludovici Pii Auctor creditur. Quos utpote teſtes oculatos ſequuntur recentiores. Ado enim Viennenſis vixit ſub Carolo Calvo, Ludovico Balbo, & Carolo Craſſo: ideoque fides coætaneorum Caroli M. & Ludovici P. Scriptorum non poteſt vacillare: ſed dicendum eſt, locare eum obitus Caroli M. annum in Ann. Chriſti 813. quo Ludovicus Pius Imperator proclamatus eſt. Reliquorum Caroli M. obitum in ann. 815. locantium, ratio reddi nequit. Sabellicus recentior eſt. Acciajolus compoſuit vitam Caroli M. ex Eginardo, obiitque anno Chriſti 1473. Ritius edidit libros tres de Regibus Francorum anno 1505. Fides itaque coætaneis Hiſtoriographis manet inconcuſſa.

Veteres Scriptores junioribus præferendi.

De Ludovici Pii annis imperii & vitæ idem dicendum eſt, quod de Caroli M. morte: fidem nempe Scriptoribus coætaneis habendam. Ex his calculus eruitur, mortuum eſſe anno vitæ 64. imperaſſe 27. menſes 5. ferè. Carolus enim deceſſit anno 814. 28. Januarii, Ludovicus anno 840. 20. Junii, quod tempus in ſe comprehendit 26. annos, 4. menſes, 23. dies integros, aut 24. ferè, ita ut 27. anno imperii mortuum eſſe rectè dicat Auctor vitæ Ludovici.

Ludovici Pii ætas.

Diſſidium itaque, ut conjectura Tua eſt, Vir Nobiliſſime, erit in anno ferè integro, quo cum patre imperavit: nimirum juxtà Adonem, Ivonem, Calviſium, paulò minus 28. annis, aſſumto in calculum anno illo, quo cum patre imperavit: juxta Helvicum & alios, paulò minus 27. annis: juxtà Bucholzerum 26. ann. menſes 4. dies 24. ſi annus ille, quo cum patre imperavit, non attendatur. Funccius numerum ſaltem annorum ſumſiſſe dicendus eſt, omiſſis menſibus & diebus. De Pantaleone non video cauſam ſuorum 25. annorum. Supererit tandem levis differentia in uno menſe & aliquot diebus. Undè verò ſumſerit Ritius 74. annos, quos vitæ Ludovici tribuit, hariolari nequeo, niſi quòd ex incogitantia aut mendo LXXIV. pro LXIV. ſcriptum ſit.

Chronologorum de ætate Ludovici Pii conciliatio.

Ritii error.

Error Ritii de annis vitæ Ludovici Pii.

Colloquium Aimoini cum Ludovico habitum referri à quibuſdam ad Carolum M. iniquè fit. Nam ipſe Auctor lib. IV. extremo cap. de geſtis Francorum ſatis apertè: *Quæ ſcripſi uſque ad tempora Imperii Francorum, Adhemari relatione didici, qui ei* (Carolo) *coævus & connutritus eſt. Poſteriora autem quia ego rebus interfui Palatinis, quæ vidi, & comperire potui, ſtilo contradidi.* Hinc lib. V. c. XVII. colloquium Imperatoris de Comete conſpecto ſecum habitum enarrat. Quamobrem malè ad Eginardum colloquium refertur, uti Tu rectè judicas. De Wernero hoc addo, vixiſſe eum ſeculo decimo quinto. Sive itaque is ad Carolum, ſive ad Ludovicum referat Colloquium, veritati Authorum συγχρόνων ſeculi noni indè nihil decedit. Neque enim temerè credendum recentioribus, niſi cum veteribus conveniant, ex quibus ſua excerpſerunt. Vale optimè.

Ludovicus Pius non Carolus M. colloquium de Cometa habuit cum Auctore vitæ ſuæ Aimoino,

Non cum Eginardo.

Werneri Relevinckii ætas.

Hamburgo Hannoveram die 29. Novembris Juliani 1665.

FElici profectò ſidere occaſionem & argumentum præbente Cometa, acceſſum verò conciliante Humaniſſimo Ornatiſſimoque Laurentio Mullero, Sereniſſimi Ducis Georgii Wilhelmi, Domini tunc Veſtri Clementiſſimi Conſiliario, amicitiam Tecum contraxi & literarum commercium inchoavi. Nam non tantùm Te Virum egregiè doctum & Virtuti deditum, nactus ſum amicum (quæ profectò jucundiſſima & utiliſſima vitæ poſſeſſio eſt) ſed & de multis rebus, præclara humanitatis, tùm etiam virtutis ſtudia promoventibus, Tecum mihi per literas conferre toties contigit. Næ plus hoc eſt, quàm illud Plautinum vel Gellianum confabulari cum amico. Hæc puto abſentium amicorum colloquia Reipublicæ eſſe utiliſſima. Oblectationem, quâ, ex amicitia & li-

Buſmanni amicitiam & literarum commercium Auctor ſibi gratulatur.

Amicus doctus & probus magni faciendus.

Confabulamur cum amicis abſentibus literarum beneficio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

& literis Tuis humaniſſimis aſſiduò afficior, auxerunt poſtremæ tuæ die 24. Nov. Juliani ſcriptæ. Ad has en tibi reſponſum, ſi non æquè accuratum, nempe αὐτοσχεδιασί (raptim) inter occupationes datum, promtum tamen & benevolentiæ Tuæ reſpondens.

Hipparchi ætas non accuratè adnotata.

Quod ad ætatem Hipparchi attinet, manifeſtum in ea annotanda ἀντιλογονομίαν (contradictionem in rationibus temporum) videmus. Nam ſub Ptolemæo Philadelpho ille inſignis Mathematicus, ſicut & Conon, qui 7. libros de Aſtrologia conſcripſit, ponitur.

Calviſii error de Hipparchi ætate ex Reineccio ortum trahit.

Et Calviſius quidem circà Ariſtarchum dubitationem non diſſimmulavit. Sed de Hipparcho ne γρῦ quidem. Imo auctoritate Reineri Reineccii Hiſtoriarum in Inclytâ Veſtrâ Julia Profeſſoris Clariſſimi ſe tuetur, quæ tamen in ſecunda operis ejus editione non comparet. Milichius autem errorem contrà rationem temporis apertius prodit, de uno & eodem illo Hipparcho agens. Non attingit Joannes Gerardus Voſſius ſeculi noſtri Varro, hoc diſcrimen annorum in ſpecie. Niſi

Suidas non ſatis accuratè Hipparchi ætatem putat.

quod tamen Suidam nimis laxè dicere ſtatuat, vixiſſe Hipparchum, dum ſub Conſulibus ſua adhuc libertas conſtaret Romanis: & apertius diſtinctiuſque dicturum fuiſſe, floruiſſe eum Perſeo à Romanis capto, ac tempore belli Punici III. & Numantini.

Hipparchi patria Nicea potius quàm Rhodus.

Attigit autem de patria Hipparchi diſcrimen, Ptolemæo Rhodum, aliis, quibus & ille accedat, Niceam Bithyniæ ei patriam aſſignantibus. At enim dicit eundem Hipparchum & Abrahin à quibuſdam confundi. Vide & Bibliothecam Geſneri & Simleri.

Ptolemæus Philadelphus pro Philometore.

Video autem Tibi cum Voſſio in computatione annorum circa ætatem Hipparchi convenire. Uterque etiam eum ſub Ptolemæo Philometore floruiſſe dicitis. Indè fortè etiam error

Ille cum Aſtronomo Ptolemæo confunditur,

ille de Ptolemæo Philadelpho Viros doctrina celebres, inter hos Hipparchum, Alexandriam convocante, provenit. Ptolomæus quidem, celeberrimus ille Aſtronomus (quem nonnulli, etiam Recentiorum, poſt Albumazarem, cum illo Rege confundere non verentur) Hipparchum ducem ſecutus eſt.

Hipparchus & Ptolemæus Aſtronomus longè ab ſe diſtant.

Sed longo annorum intervallo à ſe diſtant. Idem Voſſius alibi ætatem ſe, ut plurium aliorum, ita & Ptolemæi Philadelphi Philoſophi Pythagorici ignorare fatetur.

Neſcimus multa.

Ita nempe eheu! hîc & illîc in tenebris palpamus iter veri rectique. Utinam ſint plures qui illùc & ducere & duci velint, invitante modeſtia!

Hipparchum alterum Mathematicum ignorat Auctor.

Ego libenter, fateor, à Te diſcam, ſi alterum Hipparchum Mathematicum, ad quem illa Milichiana & Calviſiana (quanquam illum de uno eodemque Hipparcho, quem allegavit, ut ducentis annis ſuperiorem, & multum commendavit Plinius, loqui nimis apertum ſit) referri poſſint, indicâris. Alioqui plures ejus nominis fuiſſe, ex Onomatologis, præcipuè verò ex Bibliotheca Geſneri & Simleri didici.

Petri Lambeci laus, Leopoldi Cæſaris encomium.

Rectæ annorum Hipparchi computationi præbet teſtimonium & Doctiſſimus Lambecius hujus Gymnaſii quondam Rector, nunc verò Auguſtiſſimo Cæſari Leopoldo altero Ptolemæo Philadelpho à Bibliothecis in ſua Hiſtoria literaria.

Hipparchus 150. circiter annis ante C. N. vixit.

Ita nil certius eſt, quam Hipparchum ſeſqui ſeculo circiter nativitatem Chriſti præceſſiſſe. De annis quoque vitæ, imperii, & bellorum Mithridatis, mihi præclarè gratificatus es & ſatiſfeciſti, ut Virum doctum, induſtrium & amicum decet.

Annorum Urbis & Conſulum diſcrimen.

Diſcrimen annorum urbis Romæ & Conſulum eis applicatorum, conſulatus Ciceronis docet.

Ciceronis conſulatus in quem U. C. annum incidat.

Hunc Tu contra Eutropium in ann. U. C. 690. refers. Ita quidem & Helvicus: at Funccius & Petavius ann. 691. Buntingus verò & Calviſius cum Eutropio 689. putat. Ego non invidebo hanc quoque gloriam Romanæ eloquentiæ parenti Ciceroni, ut eo potius quam alio Conſule Mithridates, contra quem ille, ut graviſſimum Romano nomini hoſtem graviter detonârit, mortuus memoretur.

Mithridates meritò αὐτόχειρ dici poteſt.

Cæterùm novi vitam tanto Regi, quam voluntarium venenum aſſiduo uſu vi perditâ perdere non poterat, voluntarium & quæſitum & trepidantem ab illo ipſo adjutum percuſſorem, verius parricidam, ademiſſe.

Veteres auctores junioribus præferendi.

Junioribus Scriptoribus, qui ſua ab antiquioribus mutuentur, non eſſe contra hos fidem tribuendam, omninò æquum & prudens eſt. Cum autem Eginardus, quem allegas, epitaphium Caroli M. Aquiſgrani poſitum mortem ejus in Ann. Chriſti 814. referre teſtetur, miror novi-

tios

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tios illos auctores, qui ann. 815. putant, epocham Chriſti vulgarem pariter ut reliqui, ſecuti, fidei publicæ mendacium objeciſſe. Nam & inſcriptionem illam Aquiſgranenſem annum 815. ponere apud quoſdam, niſi fallor, legere me memini. An verò Wernerus colloquium illud Ludovici Pii de Comete cum Mathematico illo, qui vitam ejus poſtea deſcripſit, habitum, ad Ludovicum vel ad Carolum M. referat, inſpecto accuratiori & nitidiori exemplari quàm meum eſt, quod quadraginta annis poſt inventam typographicam artem divinam Coloniæ rudi prodiit arte, verbo velim innuas. Pro tot laboribus, mei cauſſâ ſuſceptis & exantlatis, niſi aliter gratum tibi animum teſtari poſſim, hîc quidem eundem hoc autographo teſtor, ſed & publicè in ſecula duraturo monumento teſtabor: teſtabor denique dono oblato operis mei exemplari, poſtquam juvante Deo prodierit, ut ex manu mea (hoc enim ſpero) accepta legas, quæ ad me doctâ & amicâ manu ſcripſiſti. Interim vale & cæptis noſtris fave.

Carolus M. 814. non 815 obiit.

Werneri faſcic. temp. Coloniæ Anno 1481. impreſſus confuſè res geſtas ponit.

Buſmanno humanitatem Auctor deprædicat, eique gratum animum teſtatur.

Hannoverâ Hamburgum die 5.15. Dec. 1666.

BInæ Tuæ heſterno die, & quidem poſteriores 2. 12. Decemb. exaratæ, horis antemeridianis, priores verò 29. Novemb. Juliani ſcriptæ poſt meridiano tempore, redditæ mihi ſunt literæ. Ex illis, poſt illa verba, pag. 1. *circa ætatem Hipparchii convenire*, uſque ad *provenit*, cupis ob errorem ab Amanuenſi Tuo commiſſum deſcribi intermedia; quod haud gravatè facio. Sic igitur ſonat contextus: Video Tibi cum Voſſio in computatione annorum circà ætatem Hipparchi convenire. Uterque etiam eum ſub Ptolomæo Philometore floruiſſe dicitis. Inde fortè etiam error ille de Ptolemæo Philadelpho, Viros doctrinâ celebres, inter hos Hipparchum, Alexandriam convocante, provenit. Ut verò ingenuè fatear, non video, quis ibi grandis error commiſſus ſit. Floruit enim verè Hipparchus anno ante C. N. 158. uti ex Ptolomæo Mathematico obſervatio de æquinoctio autumnali iſtius anni oſtendit, cùm poſt quatuordecim annos exſpiraret Ptolomæus Philometor, anno nempe ante C. N. 144. Iiſdem temporibus, anno ante C. N. 165. Perſeum Romani debellârunt, & Numantia ante C. N. 132. & 131. à Scipione obſeſſa & ſolo æquata eſt. Hactenus itaque rectè ſcripſiſti. Rectam etiam conjecturam Tuam eſſe exiſtimo, quòd inde error ille de Ptolomæo Philadelpho, Viros doctrinâ celebres, inter hos Hipparchum, Alexandriam convocante, natus ſit. Hoc addo: Hipparchum Aſtronomum non floruiſſe ſub Philadelpho, inde etiam probari poſſe me arbitrari, quòd is ſcripſit in Phœnomena Arati, quemadmodum ex Suida notum eſt. Aratus autem vixit Olympiade 124. hoc eſt, ſub initium regni Ptolomæi Philadelphi ante Chriſtum Natum 282. circiter. Ideoque Hipparchus non fuit σύγχρονος Arati, ſed poſt eum floruit. Verùm hoc argumentum leve eſt & incertum. De Milichio moneo, me errorem contrà rationem temporis in ejus Commentariis in 2. lib. Plin. non invenire. Utor autem exemplari, Halæ Suevorum Anno 1538. impreſſo. Nam ad cap. 12. Plinii nihil affert Milichius, quàm quòd Hipparchus conſcripſerit primus Ephemerides, & quòd multa ejus mentio fiat apud Ptolomæum. Idem Hipparchus à Milichio ad cap. 26. laudatur ſaltem, quòd fuerit Vir ſuo ſeculo (omiſſâ ærâ) in omni diſciplinarum genere præſtantiſſimus. Diſcrimen quod mihi cum Eutropio eſſe videtur, nullum ferè eſt, ſi computus juxta menſes inſtituatur. Urbs enim condita eſt xı. Kal. Maji, ſeu menſe Aprili. Unde initium annorum U. C. ab iſto tempore ſumendum eſt, quandò Palilia celebrabantur. At Cicero Conſulatum iniit menſe Octobri anno Urbis 689. currente. Mithridates autem mortem ſibi acceleravit proximè ſequenti æſtate anni Urbis 690. ante Octobrem ejuſdem anni, priuſquam Ciceronis annus Conſulatûs finiret. Itaque neque ego contra Eutropium ſum, neque hic à vero anno valdè aberravit. Hæc nunc ob feſtinationem tabellarii ſufficiant. De Wernero proximè. Vale.

Ptolomæi Philometoris & Philadelphi ætas.

Hipparchus vixit ſub Ptolemæo Philometore non Philadelpho: Scripſit in phænomena Arati.

Arati ætas.

Milichii exemplaria variant.

Urbis Romæ initium.

Palilia ſive Parilia feſtum anniverſarium xj. Kal. Majas, quo die condita Roma.

Ham-

Hamburgo Hannoveram die 23. *Junii Juliani* 1666.

AD literas Tuas die 5. 15. Decemb. proximi anni me, ut par erat, reſpondiſſe opinor. Exemplum tamen mei reſponſi in ſcriniis meis non invenio. Hoc autem non miror, cum non ſemper talia aſſervare mihi liceat. Quicquid de eo ſit, vivo officii & Tui memor inter infinitos labores, qui mihi continuò ſubeundi ſunt, ut ad finem operis mei optatum, juvante Deo, perveniam. De conſtituenda Hipparchi ætate Clariſſimo Iſmaëli Bullialdo aliiſque Amicis ſatiſfeci. Quæ Tibi tunc ex Milichio de ætate illius Excellentiſſimi Mathematici attuleram, ea in meo exemplari Francofurtano MDLIII. impreſſo, ita ut tunc dixi, extant. Scio autem Lipſienſem editionem anni MDLXXIII. qui fuit à morte Auctoris XIV. multum differre ab hac quam poſſideo. Calviſii quidem editio Lipſienſis anni MDCV. melior in multis eſt Francofurtenſi anni MDCXX. Hæc enim auctior, illa correctior eſt, quod non paucis exemplis aliquando, Deo volente, demonſtrabo. De Wernero debes mihi reſponſum, quia illud à Te poſtulavi & Tu promiſiſti. Vale Vir Humaniſſime, & mihi favere perge.

Auctoris quæſtio de ætate Hipparchi compoſita.

Milichii exemplaria variant: obiit ille 1559.

Calviſii editio Francofurt. auctior Lipſienſis correctior.

Hannoverâ Hamburgum die 23. *Octobris* 1666.

FIlius meus natu maximus, Latinè, Græcè & Hebraïcè doctus, & in Academiis Wittebergenſi & Helmſtadienſi per quinquennium ferè ſtudiis liberatioribus operam dans; nunc verò ob idioma Rabbinicum Hamburgi aliquot ſeptimanas ſubſiſtens, haſce ad Te, uti ſpero, rectè perlaturus eſt. Etſi autem ſcio Te magno cum deſiderio reſponſum meum ad Tuas die 23. Junii Juliani datas exſpectare, tamen quam plurimæ occupationes, quæ me viſendis ægrotis ob dyſenteriam epidemicam, ab initio Julii ad medium uſque Septembris hîc graſſantem, ita me fatigarunt, ut officii & Tui memor eſſe nequiverim, tarditatem meam excuſabunt. Ad illas itaque tuas jam nihil affero niſi quòd Milichii exemplar Francofurti MDLIII. impreſſum mihi videre, neque de Wernero, ob impedimenta modo memorata promiſſis ſtare, & accuratiori exemplari uti, nondum licuerit. Perſiſto autem in ea opinione confidenter, nihil decidere veritati autorum coætaneorum ſeculi noni, etiamſi Scriptor ſeculi decimi quinti iis adverſus ſit. Venio ad ultimas Tuas 6. Octobris Juliani ad me datas. Quæ de diſſenſu Calviſii & Milichii in conſtituenda Hipparchi ætate notaſti & ad me miſiſti, inſcripta erant ſchedulæ, Tuis die 15. 25. Novemb. 1665 datis incluſæ, cujus exemplum nunc remitto. Ad iſta tunc reſponſum in mea epiſtola die 24 Novemb. direxi, nec alio modo eam diſcrepantiam conciliandam eſſe exiſtimo. Quicquid ſit, non video quomodo Tua, de ætate Hipparchi aliâ ratione ordinanda ſint, quam ſicuti ad me doctiſſimè in epiſtola Tua die 29. Nov. Juliani 1665. ſcripſiſti, nec aliter conjicere queo, quàm in mea die 24. Nov. Juliani propoſui. Fieri enim non poteſt ut in tantis tenebris verius quid afferatur, quin tecum, eheu! exclamandum mihi eſt, nos hic & illic in tenebris palpari iter veri rectique. Conjecturis itaque inhærendum eſſe, ubi veritatis demonſtratio ceſſat, cum Viris Doctis mihi conceſſum eſto. Maximos ſumtus ad Operis Tui magni editionem requiri, non valde miror, non ignorans, quanti conſtent libri ſine figuris æneis imprimendi. Vale.

Buſmanni filius literas patris Auctori tradit:

Quibus diuturnum ſilentium excuſat.

Autores veteres præſtant novis.

Buſmannus Auctori de errore Calviſii & Milichii circa ætatem Hipparchi conſentit.

Neſcimus multa.

Conjecturis pro demonſtrationibus contentos nos eſſe in multis oportet.

Sumtus magni ab Auctore operi iſti edendo impenſi.

Ham-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Hannoveram die 20. *Octobris* 1666.

ADfuit mihi ante aliquot dies egregiè literis & artibus bonis excultus filius Tuus, qui mihi literas Tuas reddidit. Cui ego, quantum per tempus licuit; officium hoſpitalitatis & humanitatis, ut omnibus, ita præcipue ſtudiorum humanitatis amantibus debitæ, præſtiti. Ingenuâ profectò eſt facie, amænoque non vultu tantùm, ſed & ingenio: ita ut politiori humanitate omnibus, ne dum Tibi amicis, ſe commendet. Gratulor itaque Tibi, Vir Amiciſſime, de tali filio, utque ex ſtudiis & Moribus ejus probis uberrimum olim, grandævus ſeneſcentem adſpiciens, fructum capias, ex animo precor voveoque. Silentii Tui diuturni, utinam alia, quàm hæc ſontica, cauſa fuiſſet! Nunc jam abundè mihi de omnibus ſatisfeciſti, præter dubium illud de Wernero. Inſpexi ego aliud, nuperum ſcilicet & nitidum libri exemplum, nec tamen certus ſententiæ ad Carolum ne Magnum vel Ludovicum Cometam illum inſignem, & pium de eo cum Mathematico colloquium retulerit, fieri potui. Novi præterea in diſtinguendis & diſtribuendis antiquorum Auctorum ſcriptis, haud raros à Viris alioquin induſtriis committi errores, quod in vita Ludovici Pii ſupra vidimus. Quicquid autem de eo ſit, colloquium illud à Ludovico ſecum habitum Auctor vitæ ejus aperte fatetur, ut contradici ei ſine temeritate non poſſit. Sed de his ſatis in ſuperioribus egimus. Gratulor mihi de Tuo in his aliiſque aſſenſu. Benevolentiæ Tuæ tribuo reſponſum ad ultimas meas (quas ita breves & tumultuaria manu dederam, ut nec in ſcrinia, nec in rationes meas eas retulerim) Tibique de ea gratias ago. Hipparchi & Mithridatis ætas, tum & illa præclara ſtella crinita morti Ludovici præfulgens, aliaque huc ſpectantia ſolidè ſatis, ut ſpero, ſunt conſtituta, & in ſedibus ſuis firmè collocata: quorum & Tu pars magna fuiſti. Hac ratione Tuum quoque nomen æternùm celebrabitur, ſi quis humanitati & bonæ arti ac ingenio locus, & meus labor publico dicatus aliquo in pretio erit. Quanto enim indagandi & inveniendi veri ſtudio flagres luculenter demonſtraſti, & laudabili exemplo poſteritati egregia ingenii facinora, in quæ nil fortunæ, nil invidiæ licet, commendaſti. De morbo epidemico in ditionibus Sereniſſimorum principum alibique graſſante, vehementer doleo. Deus omnis boni Auctor, omnibus bonam, ſanam, juſtitiæ & pacis cupidam, det mentem in corpore ſano: Tibique cum Tuis inter proſperitatis documenta optatis tuis reſpondentia annos proroget propitius.

Buſmanni filius laudatur.

Humanitas humanitatem meretur.

Liberi probi ſenectam parentum recreant.

Werneri Rolevinckii faſciculus temporum non ſatis recto ordine editus.

Auctorum veterum ſcripta perperam diſtincta.

Buſmanni adſenſum Auctor ſibi gratulatur:

Ejuſq; benevolentiam celebrat gratus.

Veri ſtudioſus eſto.

Eruditio immortalis eſt: huic da operam.


Malis alienis dole.

Vota pia funde publicè privatimque.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura I. obſervationum Cometicar. in magna Brittannia factarum, de Cometa Aº 1664 et 1665. Nº 53



Die 10 Decemb: Anni 1664 proxime elapſi obſervatus eſt Cometa Supra delineatus a duobus Mathematicis Dublini in Hibernia, inventusq; eſt 26 gradus ad Declinationem verſus Auſtrum atq; ejus Aſcenſio recta erat 170°, 0′

Appulſus ejus ad Meridianum erat 30′ poſt quartam matutinam

Altitudo verà ejus ad illud tempus 10°. 45′. curſus ejus erat tardior ad occaſum quod certa obſervatione ad alias ſtellas comparata nobis innotuit

Hora Noctis	Altitudo	Azim
3 — 30′	7 — 30	Or 26°.35′
4 — 0	9 — 30	Or 16° 30
4 — 30	10 — 45	Merid
4 — 45	10 — 00	Occ. 1°. 15′
5 — 00	9 — 9	Occ. 6°. 0′

Obſervationes inſtitutæ erant per magnum Quadrantem Azimuthalem correctis ſimam Lingulam Magneticam directum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura 2. obſervat. Comet. in Britannia fact. N.° 54.



Tabula Obſervationis Secundæ

Decemb.	Hor	Longitud
22.	9. 0	8—26—0
27. Pm	[illegible]. 0	8—6—0
30.	7.15	8—1—0

Fere poſt octiduum apparuit iterum ille idem (quantum nobis conſtat) Cometa, nec ut nonnullis perſuaſum eſt alius, cum ad interim deſtitue=bantur obſervationibus ob cælum nubilum

Aſcenſus R.				
57	10	6	40	Meri.
30	0	4	50	Sept.
31	0	7	5	Sept.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXIII.

COMMUNICATIO LONDINO-BERENIANA.

Hamburgo Londinum die 27. Dec. 1664.

S. P. Vir Clariſſime &c.

AMicitiæ Tecum initæ, humanitate Tua provocatus, deeſſe nunquam volo. Adeoque de mutua officiorum meorum vice certum Te eſſe jubeo. Nunc ſcribendi ad Te novum exortum eſt argumentum. Nam inſignem Cometam nos ante dies circiter quatuordecim heic primum vidiſſe, Tibi ſignifico. De quo quæ fuerint Virorum Doctorum hac in Urbe & vicinia ejus obſervationes & judicia, cognoſces ex adjunctis, quæ velim cum aliquibus Viris Doctis & Aſtronomicæ artis ſcientiſſimis communices, quo eorum judicia & obſervationes Te parario mutuo obtineamus. Præcipue verò à Te vel per Te aliis edoceri cupimus, an ita ſe res habeat, ſicut ſparſit fama, jam ante duos menſes Vobis Viſum eſſe Cometam, tum vero qua die primum, in qua regione cæli, in quo ſigno Zodiaci, quove in ſidere viſus ſit, & quem ſervaverit curſum, aliaque quæ ab ejus notæ viris literarum cultores, diſcendi ſemper avidi (ſcientiæ enim amorem innatum nobis eſſe, non tantùm Ariſtoteles, Cicero & univerſa Philoſophorum cohors, ſed & natura & ipſa quotidiana experientia docet) exſpectare poſſunt. Vale & me conſtanti benevolentiæ mutuæ affectu proſequere.

Officii vicem amicis redde.

Berenio argumentum Cometicum Auctor proponit.

Cometa 1664 an autumno in Anglia viſus.

Scire naturâ appetimus.

Londino Hamburgum die Febr. 1665.

S. P. Generoſe Domine.

EGo quoque ſtrenuè defungar partibus meis in colenda amicitia, quam bono omine tecum inivi. Nec unquam negligam humanitatis officia, quæ Tibi fore grata intellexero. Mitto tandem ad Te etſi ſerius quàm vellem, varias Cometarum in diverſis ſignis apparentium deſcriptiones, diſcurſus & judicia. Nulla certe in me fuit mora. Verum Anglorum noſtrorum ſera cunctatio, ut in omnibus rebus, ita in his quoque eorum judiciis eblandiendis cauſa fuit. Vale Generoſiſſime Domine mihique fave.

Berenius in Auctorem officioſus,

Obſervationes Anglicanas & diſſertationes de Cometis 1664 & 1665. viſis mittit.

Angli cunctatores.

Tui obſervantiſſimus

PAULUS JASZ-BERENYI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Obſervatione. & diſcurſus Mathematicorum Londin. de hyberno Cometa.

Obſervationes, Diſcurſus & Judicia nonnullorum Mathematicorum de Nuperiori Cometa.

1. *Doctoris Wright.*

Wright Londin. Mathemat.

Cometa quando in Anglia viſus.

COmeta qui nuper apparuit, primò omnium Londini viſus eſt (poſtquam triduo ante in Comitatu Herefordſhire nonnullis viatoribus ſummo manè ex vertice montis Londinum verſus in forma incenſæ turris apparuiſſet.) 9. Decembris S.V. die Veneris horâ quartâ poſt mediam noctem in medio Hydræ, & barbam ſuam verſus caput Corvi extendere viſus erat, cujus novitate adducti vigiles ad Albam Aulam, Ducem ſuum ad intuendum invitarunt, Ipſeque REGEM, REX verò Fratrem Ducem Eboracenſem cum Regina & reliqua aulicorum turba. Obſervatus eſt ſatis prolixâ comâ, in forma ejus, qui 1618. Germaniæ malum portendebat, niſi quòd hic livido colore apparere viſus erat, prior verò igneo. Hìc non uſque adeo denſâ caudâ; ſed longiori, Ille verò craſſiori virgâ; ſed non æquè longa. Poſtea per nebuloſum aëra obſervare non licuit ante peractum octiduum, cum ſerenior aura magnam Spectatorum turbam hinc illinc in plateis convocaſſet, atque iterum 16. Decembris inter 11. & 12. noctis obſervabatur inter Orionem & Balænam, atque hanc eſſe cauſam quòd duos diverſos Cometas apparuiſſe ſuſpicantur.

Londin. Aula Cometam ſpectat.

Cometarum 1618. & 1664. comparatio: iſte cur geminus putetur:

2. *Doctoris Plaji Fordii 21. Januarii Londini.*

An portenderit aliquid mali.

An Cometæ bonum vel malum aliqnid portendant, & inprimis hic Cometa an terribilem aliquam rerum converſionem indicare voluit.

Siquidem omnia tam ſupra- quam infra-lunaria naturales ſuas habeant cauſas & rationes, nec ob id res novæ apparentes ſtatim prodigiorum claſſi annumerandæ; Idcircò non aliter de Cometis judicandum cenſeo, quam eos ex naturalibus ſuis cauſis dependere, nec malum nec bonum ſingulare nobis denunciare.

Plaji Fordii ſententia Cometas non eſſe portenta.

Dicunt verò Aſtrologi Jove in ſigno Piſcium vel Cancri conſtituto, ſi tum Cometa apparuerit, prænunciari rerum omnium abundantiam, quomodo ergo tam diverſos effectus ex Jovis unius poſitura, qui tot Terræ Diametris ſupra Athmoſphæram collocatur, colligunt? Tempore verò Julii Cæſaris Cometa apparuit, quem nihil mali ſubſequutum eſt, vide *Albertum Comm. Super Ariſt. Text. de Meteoris.*

Si malum aliquod ſequeretur viſos Cometas, aut eſſet illud particulare, uni regno, aut commune omnibus, quibus Cometa viſus erat, ſi particulare, non eſt ex Cometa qui univerſalis apparuit. Si univerſale, oſtendatur ullum exemplum calamitatis tantæ, quæ univerſum Orbem terrarum ſimul invaſit, nullo angulo intacto.

Meteora eund. cum Cometis habent materiam & tamen nil portendunt.

Præterea Trabes ignitæ, haſtæ ardentes, columnæ micantes & apertiones Hemiſphærii borealis, per interlineatas ſtricturas hinc illinc tremulo motu vibrantes, aliæque ſulphuratæ incenſiones ſubitanea corruſcatione defectos animos terrentes, ex eadem materiâ, quâ Cometæ conſtant, nihil tamen mali præſagiunt. Confer *Cartes Meteor.* Item *Lavater de Spectris.*

Cometæ nec ventos nec tempeſtates ſignificant.

Præprimis verò vulgo ita perſuaſum eſt Cometas ſignificare tempeſtates vel etiam pluvias; ſed neutrum fieri poſſe conſtat. Materia enim, undè ventorum vis generari deberet, erit ſiccæ exhalationes, hæ verò converſæ ſunt in corpus ipſius Cometæ, adeoque illis quaſi in centrum ſuum conglobatis aër factus eſt purior & liberior. Neque pluvias portendere poſſunt, nulla quippe res duos oppoſitos atque invicem contrarios effectus ſignificare poteſt. Et ut omnes

ferè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ferè in hoc conveniunt, ſignificari per Cometas ſiccitates, quomodo ergo inundationes & aquarum moles declives, ripas devaſtantes prænuncient.

Tantò minus Regum obitus:

Ridiculum vero eſt illorum commentum, qui dicunt mortes Regum & Principum per Cometas ſignari, quomodo verò generalis hæc irradiatio particulariter agat in Reges, nullâ aliâ re ſubditis quàm ſolâ virtute & potentiâ præeminentes ex arbitrio voluntatis humanæ, quid hæc ad cauſas naturales?

Vel aliquid boni malive.

Accidit verò interdum, ut non longo tempore poſt viſum Cometam Imperator vel Rex &c. aliquis obierit, cùm tamen mors Regis ſit notior morte hominis vulgaris. Idcircò ſtatim ad Cometam, tanquam cauſam efficientem ſtultè provocamus. Concludo ergo hunc Cometam nuperiorem, velut reliquos, fuiſſe naturalem, adeoque nec boni, nec mali quicquam indicare. Non tamen ob id negligendum eſſe; ſed ut Creaturam in aëre ex vaporibus volantem conſiderari debere. Nos verò ad pietatem & pœnitentiam ſemper & ubique paratos eſſe debere, nec ſignum cum Judæorum ſcribis è cælo exſpectare.

3. *Doctoris Gargravii 23. Januarii Weſtmonaſterii.*

Gargravius Cometas mala & bona portendere arbitratur.

Vetus illud effatum, nullum Cometam apparuiſſe, quin malum aliquod, vel bonum etiam portenderet pro rato habendum eſſe cenſeo, teſte Ariſtotele & Stobæo. Undè *Papa Clemens de Medicis Septimus, loco Emblematis utebatur pro Symbolo Cometa*, ſecundùm Paradinum *in Symb. Heroicis pag.* 179.

Cometa mala portendit, officii nos admonet.

Joſephus & Hegeſippus memorant ante Panoletriam Hieroſolymitanam apparuiſſe Xiphiam ſeu Cometam gladiatum ſuper Templum, iræ & juſtiſſimæ vindictæ Divinæ prænuncium, nec minoribus jam peccati obnoxii ſumus, quàm contemptrix illa Numinis Divini Gens Judaïca, omnia quoque ad illud inclinare videntur, ſi quis oculo politico inſpiciat præſentem rerum faciem, ut inſignes rerum mutationes exſpectandæ ſint, quas novus hic Propheta Cœlicus prædicere mihi videtur, & labentem in pejora populum ad ſanam mentem revocare.

Doctor Pontæus 23. Januarii Weſtmonaſterii.

Pontæus Cometas mala portendere putat.

Cometæ portendunt ut Eclipſes.

Dicant quicquid velint Epicurei iſti naturaliſtæ, Cometas (quod naturales ſint, nihilque portendant,) ſed verò conſiderent variam ſyderum poſituram, diverſos cæli aſpectus, Solis Lunæque labores naturaliter ſtatis temporibus fieri: & longinquâ experientiâ nos de eorum effectu certiores factos, has vel illas Syzygias talem aëris temperiem inducere ob aſpectum planetarum mutuum frigidiorum, qui procul à Sole, calidiorum qui propiores Soli, quidni etiam Cometæ raro apparentes & poſtea evaneſcentes, aliquid portendant, vel ſi mavis cum Machiavello genios eſſe præmonentes humanum Genus, ut futuram calamitatem prævideant, & virgam videntes reſipiſcant.

Machiavelli de Cometis ſententia. Halones. Parelii.

Anne Halones Parhelii Paraſeleni tempeſtates & madores indicant, qui circulari formâ apparent? Cometarum verò turbinata flamma ignem refert ex Elementi iſtius figura. Conferatur *Contarenus* de Elementis. Ergo Sulphureæ iſtæ partes primo quaſi in fontem collectæ, deindè per conflagrationem diſperſæ aëra inficiunt, adeoque Sterilitatem & morbos inducunt & bilioſos humores, undè iræ, rixæ, bella.

Domini Collini Mathematici 24. Januar. Manè.

Collini judicium de Cometæ nuperi ſignificat.

Cometa hîc apparuit in medio Stellarum, qui ſecundùm Cardanum de natura Martis ſunt. Ergo Bella & Siccitates portendunt. Domus illa cæleſtis, ubi primùm obſervata erat, fuit Octava, ideoque ſignificatorem mortis univerſalis fuiſſe vereor, & peſtem multis in locis graſſaturam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Videtur quoque ex particularibus Thematibus collatis indicare mortem duorum Potentiſſimorum Regum, unius in Europa alterius in Oriente.

D. Thomæ Street inſignis Mathematici.

Streeti de nupero Cometa judicium.

Cometa fuit Zenithalis per Africam ad nigrum fluvium, deinde ſupra Guineam, incepit ibi belli haud levioris incendium cum Anglis & Batavis, nec finitum donec planè nova rerum facies iſtis terris inducatur. Inundationes & horrenda naufragia ab Occidente audiemus, & procul dubio nuperior illa conjunctio magna in tali aſpectu cum Cometa vehementer cooperabitur.

Ex Obſervationibus per Teleſcopium Rivii.

Rivii obſervatio.

Cometæ 1664 color, figura.

Teleſcopium illud procul dubio accurratiſſimum eſt, & 60. pedum longitudinem æquat, videbatur Cometa ſublividus & interdum ſtricturis argenteis, cum puniceis, porraceis flammeis & Hyalinis intermixtim vibrantibus, ut vel ex eo poſſes ſulphureas flammas obſervare, in modum Spiritûs vini incenſi. Limbus obibat corpus Cometæ hirſutâ luce obfuſcatus, neque ille rotundus, ſed unciata ferè ad figuram Saturni. Jurabant verò nonnulli ſe vidiſſe partes ſulphureas & bituminoſas veluti ex incenſâ tædâ ſpargi, ipſe verò nihil quicquam talium obſervare potui.

Capitaneus Morgan.

Terræ motus probatur.

Adjunxit Argumentum haud leve inde poſſe inferri de motu Telluris Copernicæo, nam ſi Cometa conſtat exhalatione terreſtris materiæ, adeòque non tranſcendit Sphæram Lunæ, nihilominus tamen in modum reliquorum Luminarium, cum primo mobili 24. horarum intervallo circumgyratur. Ergò cum terra movetur.

Morgani ſententia de Cometis.

Addidit etiam Cometas ut plurimum obſervatos oriri in Zona torrida, ob vehementem attractionem Solis & obliquato curſu in temperatas partes deferri & ſic evaneſcere.

Hamburgo Londinum die 11. *Febr.* 1665.

Auctor Berenio de obſervationibus & judiciis de Cometis Britannorum Mathemat. gratias agit.

Cometæ duo an 1664. viſi:

Duos fuiſſe multi judicant, quidam etiam viſos ſibi eſſe dicunt,

Unum tantùm fuiſſe plures affirmant.

PLurimum equidem Tuæ humanitati debeo de nuper mihi redditis literis, quibus tot Præſtantiſſimorum Mathematicorum obſervationes & judicia, tum vero artificioſas Cometæ delineationes adjunxiſti. Nihil profectò apud me invenio, quô tàm luculentum ſtudium tuum penſem. Ne tamen ingrati animi notam incurram, paucis de illo phœnomeno accipe. Reperiuntur non pauci in Germania & Suecia, qui non tantùm duos Cometas diſtinctos, alterum quidem qui ad roſtrum Corvi in Dodecatemorio Libræ apparuerit & in Auſtrum tenderit, alterum verò qui ad oculum Leporis in dodecatemorio Geminorum viſus fuerit inque Septentrionem tenderit, extitiſſe, ſed & duos ſe ſimul unâ nocte, illum quidem mane, hunc autem veſperi ſe vidiſſe, aſſerant. Cæterum & hîc & alibi plures Viri Docti & Mathematici eximii inveniuntur, qui unum eundemque Cometam fuiſſe dicant & demonſtrant. Familiam hîc ducit Nobiliſſimus ille Aſtronomus Joan. Hevelius Senator Dantiſcanus, cujus indefeſſis & accuratiſſimis obſervationibus plus Viri alioqui docti & ſcientia rei Aſtronomicæ inſignes, quàm vel ſuis vel alienis rationibus, vel illorum ipſorum, qui ſe duos Cometas una nocte vidiſſe dicunt, narrationibus fidunt. Quæ autem eſt ſententiarum Mathematicorum Anglicanorum de effectis Cometarum diſcrepantia, eadem & hîc reperimus. Ita nimirum libertate ingenii, in diſquiſitione

Anglicani Mathematici de ſignificat. Cometarum diſſentiunt: Ita & alii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſitione veri in diverſum euntis attingimus, & diviſos toto orbe Britannos. Vidi nuper tractatum alicujus Aſtrologi, potiùs quàm Aſtronomi, qui augurando magis quam argumentando divinabat ex dodecatemoriis Tauri & Arietis cornupetarum, & ſignis Argonavis, Orionis pugnacis, Hydræ Aquaticæ, Eridani fluvii, & Ceti, quæ Cometes peragraverit vel attigerit, bellum, idque navale. Erat alius qui ex dodecatemorio libræ bellum ſacrum præſagiebat. Sed quid ex dodecatemorio Virginis & Geminorum ac Cancri, tum ex ſignis Corvi, canis Majoris & Leporis, quæ itidem Cometes vel tranſivit vel attigit, deducent? Mea itaque ſententia hæc eſt, ejuſmodi phœnomena, non eſſe temnenda, nec tamen timenda, ſed cauſis naturalibus, licet non ſatis notis (teſtantur id adhuc tot diſcrepantes ſententiæ) tribuenda, & ut documenta divinæ potentiæ, ſapientiæ & juſtitiæ, ac incitamenta pœnitentiæ æſtimanda, citra curioſam & voce divina vetitam diſquiſitionem, quæ hos ad deſperationem, illos ad confidentiam præcipites ferat. Quamvis autem fatear multa poſt Cometarum apparitionem, non tantùm Regibus & Imperatoribus, ſed & integris regnis ac imperiis à Deo peccatis hominum irato immiſſa fuiſſe. Verum tamen aſſero multa talia & citra Cometarum apparitionem, quin & multa bona & proſpera poſt eam mortalibus eveniſſe. Appello omnis ævi teſtem hiſtoriam. Nec enim aliter in tàm vaſto rerum humanarum orbe fieri poteſt, quam ut ex diverſitate ingeniorum diverſæ actiones, & ex his diverſa bonorum malorumque effecta proveniant. Sed hæc hactenus. Tu ingenuæ ignoſce libertati & Vale.

Aſtrologicæ prædictiones de Cometa 1664. argutæ

Refutantur.

Cometarum & alia cæli phænomena nec temnenda nec timenda, ſed animo pio cernenda.

Aſtrologica curioſitas noxia.

Deſperatio & confidentia vitanda.

Diverſa hominum ingenia, ſtudia, fata.

Hamburgo Londinum die 25. *Julii St. V.* 1665.

S. P. Doleo, Vir Humaniſſime, commercium noſtrum literarium per aliquot menſium ſpatium intermiſſum fuiſſe. Niſi continui & graves mei labores ſcriptionem impediviſſent, novis Te ad ſcribendum provocaſſem literis. Nam me ad Tuas menſe Febr. datas, quibus varias obſervationes & narrationes ac judicia de Cometa Mathematicorum Anglorum & Hybernorum adjunxeras, die 11. 21. Febr. reſpondiſſe, certum eſt: poſt hac literas, niſi me memoria fallit, me ad Te dediſſe puto. Nunc paululum otii nactus, has ad Te dare decrevi, quibus iterum iterumque Tibi de illis obſervationibus communicatis gratias ago debitas. Simul certiorem Te reddo me ab illo tempore plurimas obſervationes ex variis mundi partibus à Viris Clariſſimis in re Mathematica, Hevelio ſcilicet, Bartholino, Fernelio, Leüneſchloſſio, Placentino, Gravio, Büthnero; tum Kirchero, Ricciolo, Curtio & Schoto, celeberrimis S. J. Philoſophis accepiſſe: ac præterea amplum literarum commercium de hoc argumento cum Viris multis & Præclaris dignitate & eruditione Præſtantibus exercuiſſe: Quod cum Amicis innotuiſſet, auctores mihi ad hæc in unum faſcem colligenda, colligenda & edenda extiterunt. Qua in re cum morem eis, utpote rei literariæ uſus & alia publica commoda ob oculos mihi ponentibus, æquum eſſe cenſui gerere, factum eſt ut bonam operis partem, una cum figuris obſervationum Cometicarum aliarumque demonſtrationum Mathematicarum æri incidendis, in Hollandiam, ubi liber iſte imprimetur, miſerim. Velim itaque mihi mittas plures obſervationes de Cometa priori, qui menſibus Dec. Jan. & Febr. conſpectus eſt, tum de poſteriori, qui menſe Aprili viſus eſt. Quod ſi verò aliquam figuram ejuſdem generis ibi obtinere poſſis, velim eam rectà Amſterodamum ad Eruditiſſimum & Humaniſſimum Juvenem Adamum Francum, communem Amicum mittas, cujus induſtriæ libri illius editio, quam in ſe accurandam ſuſcepit, magna ſui parte erit adſcribenda. Cum autem Oxonii Cometes prior die 24. Nov. obſervatus eſſe dicatur, velim à Te doceri, uter ſtylus (quamvis Anglos Julianum communiter ſequi nôrim) ſit adhibitus computationi, & annon prior

Auctor ſilentium ſuum aliquot menſium excuſat.

Eidem gratias de obſervationibus Britannicis denuò agit: Tùm de ſtudiis ſuis in re Cometica eundem certiorem reddit, Ut de inſtituto opere.

Adamus Francus editionis hujus operis curator.

Cometa an 24. Novemb. 1664. viſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tri-Cometa, Di-Cometa & Mono-Cometa Obſervatoris Oxonienſis.

* Ricciol. Alm. N. 2. T. 1. p. l. 8. S. 1. c. 3.

† Scheiner. de Cometa 1618.

prior aliqua obſervatio illis in oris facta ſit? Tum quid Obſervator ille Oxonienſis per Tricometam, Dicometam & Monocometam intelligat. Nos enim hîc adeo lyncei non ſumus, ut illa myſteria pervidere poſſimus. In Cometa quidem anni 1618. his quidem obſervati aliquot nuclei rotundi * & tres ſtellæ inſignes, tandem una, illis † vero tria diverſa corpora. Ita & in nupero Cometa Clar. Hevelius obſervavit aliquot veluti particulas compactas, præcipuè nucleum rotundum, ultimis diebus Dec. & primis Januarii. Nemo tamen ideo Cometam in plures ſpecies vel partes diviſit. Sed nihil hîc de ſententia Auctoris illius definire vel decernere licet: cum eam nemo hîc divinando aſſequi queat. Vale & favere mihi porrò perge.

Vinſoriâ Hamburgum die 6. Septembris St. Juliano 1665.

Berenius pariter ſilentium ſuum excuſat,

Studia Auctoris publico bono dicata approbat,

Juvare pro ſua virili parte promittit:

Per peſtem Virorem doctorum conſortio ſe privatum dolet,

Judicia duorum Mathematicorum de Cometa verno 1665. Auctori mittit,

RArò literæ Tuæ ad nos commeant, ut & noſtræ ad Vos. Excuſatio utrinque eadem eſt: tot enim me res circumvallant, ut vix uni atque alteri ſufficiam: Te verò publicæ utilitati emancipatum eſſe, palam eſt. Tuæ 25. Julii labentis ſtylo Juliano ad me datæ, procurante Humaniſſimo Domino Adamo Franco 29. Auguſti ad me pervenêre; ex quibus, Te varia undique judicia de Cometa collegiſſe, eaque publici juris facere decreviſſe, intelligo. Rem Reipublicæ literariæ haud ingratam fore ſpero: quam promovere, ſiquidem penes me eſt, paratus ſum. Utinam verò nunc quoque mihi idem eſſet, quod antea, cum Viris literatis literarum commercium, exſpectationi Tuæ, ſi non in totum, certè ex parte ſatisfacerem; verùm contagioſa hæc lues, quæ urbem noſtram invaſit, in dieſque latius ſe ſpargit, nos in varias mundi partes disjunxit, adeoque nulla hodiè epiſtolaris colloquii apud nos occaſio, nulla opportunitas; idque ex Regio edicto incolis impoſitum: Quæ tamen ad manum ſunt, ad Te mitto. De mente Obſervatoris Oxonienſis non mihi conſtat, de eaque ab eo inquirere præſens occaſio prohibet. Anglos autem omnes ſtilum Julianum ſequi, ad eundemque omne opus exigere certum eſt. Vale Vir Nobiliſſime mihique porro favere perge.

Joan. Gadburii de Cometa verno 1665. judicium.

Judicium D. Johannis Gadburii *de nuperiori Cometa qui fulſit in Aprili Anno 1665.*

Cometarum trium in Corvi, Lepore & Pegaſo viſorum defenſio,

Ex diverſo apparitionis tempore, colore, motu & ſitu.

RAriſſimum eſt tres vidiſſe Cometas uno anno: ſed ut annus hic mirabilis, ſic ætas etiam mirabilis futura, nec cum Cometæ evaneſcunt, ſtatim effectus eorum ceſſat. Omnino cenſent tres fuiſſe Cometas, eumque qui ante feſtum Natalitiorum apparuit, plane diverſum fuiſſe, ab eo qui circa illud tempus flagrabat: medium apparuiſſe colore pallido & Saturnino, primum fulgentem & Jovialem. Hunc caudam direxiſſe verſùs Borrhapelioten, alterum ſurſum inſtar faculæ vibrantem. Ille mane, hic veſperi fulſit. Hic interdum ſine barba viſus: ille nuſquam. Diameter unius continebat duplum alterius. Hic ad plagam Nothapelioten, ille ad Borrhapelioten oriebatur.

Gadburius Math. Anglus malè ex nuperis Cometis cominatur.

Turcarum Imperatori mortem nuperus Cometes prænunciare putatur.

Tertius vero Cometes de natura Jovis erat, non multum differens à primo, qui in Novembri fulſit; primum de natura Martis fulſiſſe omnes concludunt, ultimum hunc de Martis & Jovis natura mixtum. Effectus priorum Cometarum accelerare videtur. Jupiter quidem beneficus eſt generi humano; verum radii Martis in primo, & Saturni in ſecundo plus valebunt: idcirco plus mali quàm boni exſpectandum.

Significare videtur mortes Potentiſſimorum Principum unius in Europa, alterius in Aſia, cum primis potentiſſimi Turcarum Imperatoris. Diſſenſiones & Bella

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Bella civilia, Hypocriſes & privatas machinationes pro evertendis Monarcharum Dominiis. In ſumma: dictus Aſtrologus ex primo Cometa Bella præſagit, ex ſecundo famem, ac Peſtem, ex Tertio mortes Principum ac ſtatuum perturbationes, imo nonnullorum everſiones, Bèlla in terris Borealibus rectè prædixit.

Cometa 1664 & 1665. primus bella, ſecundus famem & peſtem, tertius mortes Principum & motus Rerump. prænunciare putatur.

Judicium Clariſſimi D. Johannis Megalini, *inſignis Mathematici.*

Joan. Megalini de nupero Cometa judicium.

MEo judicio errare videntur, qui très diverſos tàm brevi tempore Cometas fuiſſe ſomniant, ex diverſitate colorum, Magnitudinis & Sitús. Quidni poterit Meteoron aliquod (inter Meteora numerandus utique maxime eſt) diverſo tempore diverſa apparere forma, diverſo colore, prout materiam combuſtibilem majorem vel minorem ſibi miniſtratam habuerit, & variè in reſpectu ad ſolem diſpoſitus fuerit. Obſervavi ante Natalitiorum feſtum Cometam, quem ſecundum vocant, barba ipſum ſequenti inſtar caudæ: quare dices? quia Solem occidentem comitabatur. Tertium verò barba præeunte, quia ſolem orientem præceſſit, atque radios ſolares plurimum valere in illuſtranda terreſtri hac materia, teſtantur Halones, Irides, Parrholii & Paraſeleni &c.

Cometarum trium defenſoribus reſpondetur.

Meteoris adnumeratur Cometa.

Cometa 1665 ſecundus & tertius dictus.

Barba quare Cometam caudæ inſtar ſequatur, vel etiam præcedat.

Non conſentio cum illis qui ſtellam novam in Caſſiopæa viſam 1572. & à Tychonæ Braheo obſervatam Cometam fuiſſe nugantur; (quicquid tamen Plinius diſtinxerit inter duodecim ſpecies Cometarum) ſed hanc litem meam non faciam, propterea quòd hujus non ſit fori. Neque ullus mihi perſuadeat hunc eundem fuiſſe, quem obſervavi in Livonia anno 1651. qui bellorum aquilonarium prænuntius ſi non effector (abſit ut ita dicam) à vulgo ſuperſtitioſo judicatur. Helleboro digna eſt hæc ſententia quæ 12. annorum ſpatio Cometam occultatum fuiſſe, jamque demùm apparuiſſe, poſt 12. annorum revolutionem aſſerit. Unde illi hanc novam periodum Cometarum invenerunt? Si hæc vera eſſet, bone Deus! quot Cometas numeraſſet prior ætas. Sed dices, fortè non erant à vulgo obſervati. Imò verò nullum unquam ſeculum tàm ſterile fuit virorum ingenioſorum, quin aliqui obſervarent, &, ſi aliqui: cur res tàm nova non in vulgus novitatis amantiſſimum ſpargeretur? ſi in vulgus: cur non ad Hiſtorias? ſi ad Hiſtorias: cur hoc ignoraremus? cum tamen longe minoris momenti circumferantur. Semeſtri ſpacio tres diverſos fuiſſe nulla verborum vi perſuaderi poſſum; anne putes tàm volatilem & combuſtibilem materiam ſemper unam eandemque eſſe, eundemque curſum ac magnitudinem obſervare; ſi illud, cur non perennaret; ſi ſtatuis ex Athmoſphæræ atomis conflatum, cur non variis modis mutabilem, unde ergo tres diverſos Cometas concludis à diverſo colore, ſitu, ac magnitudine: Medius in Tauro diſparuit, Ultimus in Andromeda apparuit: quæ diſtantia rogo?

Stella 1572. non fuit Cometa.

Cometa 1665 non eſt idem cum illo 1652.

Non efficit bella,

Non redit poſt plures annos.

Periodus Cometarum non datur.

Obſervarunt ſemper aliqui Cometas.

Hamburgo Londinum die 17/27. Octobris 1665.

PAulùm ab occupationibus ſpiſſis liberior factus ad Tuas Vinſoria die 6. 16. Septemb. datas, quas habui acceptiſſimas, expedio reſponſum. Tardius quidem quam volebam, ſed non quam poteram. Nuper ex D. Czuſio populari Tuo in patriam redeunte intellexi, Te ad linguam latinam apud Anglos promovendam magno ſtudio incumbere. Inde conjicere licet Te, ſicut de re literaria & gente illa celeberrima & diſcendi cupida præclarè mereri, ita continuis laboribus diſtrahi. Animadverti id in nuperis quoque literis Tuis. Quò majores itaque ſunt Tuæ occupationes, eò major eſt officioſa erga me alioſque Amicos benevolentia. Crede mihi quoque maximos ſubeundos & exantlandos

Tardius reſponſum excuſa & excuſatum habe.

Berenii ſtudium.

Angli à ſtudiis humanioribus laudantur.

Occupationibus honeſtis ſemper vaca.

 eſſe

eſſe labores, nec exiguas devorandas moleſtias in edendo magnæ molis & ardui argumenti opere. Hoc enim me cum 30. amplius Viris Illuſtribus, Doctis & omni laudis genere præclaris (inter quos Rautenſteinii, Heinſii, Bullialdi, Auzoutii, Gruteri meritò nunc à me apud Te commemorantur, utpote à quibus intra triduum amiciſſimas accepi literas) de argumento Cometico aſſiduum ferè coluiſſe literarum commercium teſtabitur, ſiquidem ultimam tanto operi manum Deus propitius imponere concesserit. Sudat autem jam illud ſub prelo. Ideò & Tua reliqua in Hollandiam (ubi & figuræ Mathematicæ & obſervationes Cometicæ 50. amplius æri inciduntur) brevi, Deo volente erunt mittenda. Quibus ſi addi aliquid velis, facies id, quamprimùm poteris. Res enim longam non patietur moram. Niſi fortè Tua extra ordinem appendicis loco ad calcem operis addantur. Quod vereor ne nonnullis tardius reſponſum exhibentibus eveniat. Maximoperè verò cuperem per Te obtinere alicujus Viri in Mathematicis verſati de poſteriori Cometa, qui in Pegaſo apparuit, obſervationes. Quanquam & catalogum Cometarum, breviſſimè annis natalium & ætatis illorum annotatis compoſitum, ex uno & altero Auctore, ut Daſypodio, Cæſio, Rockenbachio, qui hîc haberi non poſſunt. Rem mihi faceres gratiſſimam, Hiſtoriam quoque Cometarum ſcribenti. Peſtem in Urbe Veſtra graſſari, multaque millia hominum in ſingulas hebdomades conſumere, fama quoque publica ad nos detulit, imò & adhuc refert. Id ſanè, ut par eſt, cum dolore accipimus, & gravi illo malo graviter commovemur. Utinam malum illud peſtis ceſſet! utinam ceſſent & procul ſint & aliæ vitiorum ac bellorum atrocium peſtes. Miror autem nuper Londini inter media ſæviſſimæ peſtis & difficillimi belli pericula in quoſdam conſcientiæ cauſâ, eoſque modeſtos & quietos Viros ſævitum ad vincula, ut accepi, fuiſſe. Qua de re certiora abs Te exſpecto. Vale.

Auctor ſtudiorum ſuorum rationem Berenio reddit.

Anglicas obſervationes poſterioris Cometæ Auctor requirit.

Peſtis Anglica 1665.

Miſerere afflicti.

Vitia bellorum portenta.

Conſcientiæ cauſa in nullum Virum quietum ſæviendum.

Londino Hamburgum die 27. Auguſti Gregoriani 1666.

SUbvereor, ne pertinax ſilentium meum aditum ad Te mihi occluſerit; quod certè non eximiæ tuæ humanitatis oblivio, verùm occupationum Scholaſticarum deſultus, qui me à reſcribendo repreſſit, cauſa fuit. Dehinc tamen occupationes meæ remiſſionem aliquam mihi promittunt, adeoque ad juſſa tua capeſſenda promptiores nos experieris. Aſtrologorum variorum varia hîc ſunt de præſenti anno judicia. Quorundam opinio eſt, Solem curſum ſuum hoc anno immutaſſe, propiuſque ad noſtrum Zenith, tribus ſcilicet gradibus & aliquot minutis acceſſiſſe, æſtûſque tàm prodigioſi hanc aſſerunt cauſam fuiſſe. Alterius verò inſignis cujuſdam Mathematici opinio hæc eſt, ſi quis Conjunctionem Saturni & Jovis, quæ tribus ab hinc annis, anno nempe 1663. menſe Octobri in Sagittario contigit, inſignemque Solis eclipſim nuperrimam, cum reliquorum Planetarum Conjunctionibus & Configurationibus concomitantibus, probè conſideraverit, novam adfuturam Monarchiam nemo eſt qui negabit, eamque initium ſuum hoc anno & ex hac Inſula ſumpturam, veriſimile eſt. De Cometa in Hollandia denuò apparente hîc rumor volitat, nobis tamen Anglica hæc ſpatia incolentibus nondum eſt viſus. Mitto etiam metra quædam in Cladem & Fugam Hollandorum à Viro docto Anglo conſcripta, quibus tuum eſt tuum adjicere calculum. De parta verò Anglorum victoria, eorumque in Hollandiam Inſulam invaſione depopulationeque nihil ſcribam, eam enim publicis libellis apud vos circumferri non ignoro. Vale.

Berenius diuturnum ſilentium excuſat.

Sol anno 1666. curſum ſuum mutaſſe putatur.

Æſtûs intenſi 1666. cauſa.

Conjunctio Saturni & Jovis 1663.

Monarchia nova anno 1666. in Anglia oritura putatur.

Angli de incendio navium Hollandicarum gloriantur.

Hamburgo

Hamburgo Londinum die XXV. *Aug. Jul.* 1666.

SIlentium Tuum occupationibus & negotiis gravioribus tribui. Eadem æquitate & aliàs uti ſoleo. Benevolentiam tuam ad præſtanda officia mihi gratâ promtam & gratam habeo, & pari menſurâ me repenſurum polliceor. Aſtrologis ſua relinquo. Non enim in adyta eorum penetravi. Ubi quòd lateant (quod ſatis tutò ex his quæ legi & vidi, dicere poſſum) multa curioſa & noxia libertati induſtriæque humanæ, magis quàm certa & utilia, hæc à me & aliis, quantum licet, amolior, egregio publico pro mea virili conſulere ſtudens. Belli, quod inter Britannos & Batavos mari, & alibi gentium terrâ geritur, incendium non à Cometis nuperis, ſed ab ambitionis affectu, quo non alius flagrantior, ſicut quondam Burghlejus, Britannico ærario præfectus, apud Camdenum ex conſenſu Sapientum dixit, excitatum ab hoc potius quàm illis portendi dicere ſoleo, ex veri, ut puto, & publicæ utilitatis ratione. Tu mihi pugnas illas navales, quæ tot millia Chriſtianorum, & quidem profeſſione Euangelicorum hauſerunt, & incendium Ulienſe, quod propè centum quinquaginta naves onerarias, ſed & aliquot millia hominum inſolenti & inaudito facinore devoravit, indicas, mihique nota eſſe conjicis. Imò verò pluſquam nota & ingentem dolorem in corde meo excitant. Accedit quòd heſternâ veſperâ accenſam conflictûs in Albi ponè ipſam urbem hanc inter naves Britannas & Batavas flammam, & aliquot illarum maximo cum fragore horrendum in modum conſumtas viderim. Et

Silentium amici gravioribus occupati excuſatum habe.
Aſtrologicis arcanis immiſcere ſe Auctor nec vult, nec poteſt:
Multa ibi curioſa & noxia potius quàm certa & utilia.
Burglejus Theſaurarius Angliæ.
Bellum inter Anglos & Hollandos calamitoſum.
Miſerere afflicti.
Anglorum & Holl.. ad Hamburgum conflictus:

- - - necdum finitus Oreſtes.

Tuum eſt, qui in illa Britannorum metropoli celeberrima degis, ſed & omnium boni publici amantium, votis & ſtudiis piis induſtriiſque velut ſuperfuſâ copioſè frigidâ, talia incendia exſtinguere. De novo Cometa nihil à Batavis accepi. Sed & ſinè ullis Cometis portentorum ſatis eſt. Polonia noſtra belli civilis flammam reſtrinxit, pace cum Lubomirſcio & ſociis fœderis conventâ. Huic robur ſanctio Comitialis addet: cujus exſpectatio omnium mentes domi foriſque ſuſpenſas tenet. Vale ac mihi porrò fave.

Londini elogium
Pacis amans eſto.
Polonica pax

Hamburgo Londinum die 13. *Octobris* 1666.

AD poſtremas Tuas breviſſimas, die 31. Auguſt. datas nondum per multas occupationes reſcribere potui, officio inter hæc, quod mihi impoſueras, ritè perfunctus. Biduo poſtquam Tuas literas exaraſti urbs veſtra, antiquitate, magnitudine, ædificiorum ſplendore, populorum frequentiâ, & opibus famigeratiſſima, deflagravit. Horrendum profectò incendium illud fuit, quod cum extingui nulla vi & arte poterat, quinque diebus duravit, & circiter 90. Templa, ac 20m. domos, interque eas magnificentiſſima ædificia publica & privata magnamque librorum vim conſumſit. Quæ fuerit tunc Urbis Veſtræ miſeranda & lugenda facies, quæ trepidatio, qui hominum utriuſque ſexûs, omnis conditionis ætatiſque luctus, quæ jactura, facilè eſt cogitare. Tot tantiſque malis ipſi quoque hoſtes commoti, nedum amici, vel qui medio poſiti loco, nec inter amicos, nec inter inimicos numerari volunt. Erunt dubio procul, qui hoc, ut & illud belli incendium, utrumque ſanè horrendum & triſtè, ad Cometas referent. Verum ego his perſuaſum eſſe meritò velim non à Cometarum, ſed à Vitiorum potius portentis hos ignes maximis Regibus, populis, urbibus fatales accendi. Patiantur iſti naturam, benignam ſanè omnium noſtrûm, niſi degeneres, vel ingrati & impii eſſemus, matrem

Londinenſis urbis elogia,
Conflagratio luctuoſa.
Malis, etiam inimici commoveri, humanum eſt.
Cometæ non ſunt malorum cauſæ ſed hominum malitia.
Natura mater benigna.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

(noſti quàm doctè & facundè hoc argumentum Plinius Senior tractet) deſtinato curſu ſua peragere. Quod verò ad mores emendandos cumprimis ſpectat, commendent & urgeant, precor moneoque, talia & quævis alia triſtia ſine Cometarum quoque apparitione, ab hac verò etiam læta & proſpera evenire frequenter, adeoque divinam juſtitiam ubique conſpicuam, & huic cuncta noſtra indefeſſo pietatis modeſtæ ſtudio commendanda eſſe. Patria mea Polonia, non obſtante Cometarum apparitione nuperâ, pace jam fruitur, dubiâ tamen, ſed hominum non Cometarum vitio ſæviente etiamnum iniquitate. Sed & Tranſylvania ac Hungaria, patria Tua. Vidimus nuper pacem in diverſis utriuſque Germaniæ locis conciliatam. Idem gaudii Hiſpaniæ & Luſitaniæ obtigiſſe, certò ſcribitur. Speratur pariter & certò quidem pacem inter Suecos & Moſcos firmatam, tùm & nuperum diſſidium Bremenſe, compoſitum iri. De eadem inter hos & Polonos, ſed & inter veſtros Britannos & Batavos agitur. Accedent & hæc anni hujus, vel certè proximi lætis, quæ à divina bonitate exſpectanda ſunt, niſi peccata noſtra id gaudii intervertant nobiſque præripiant. Hoc abſit: illud fiat! Vale ac mihi conſtanter fave.

Cometas multa & mala antecedunt & bona ſequuntur.

Divina juſtitia ubique elucet.

Pax compoſita in Polonia,

Cur vacillet.

Pax Tranſylvanica, Hungarica, Germanica, Hiſpanica:

Alibi quoque gentium firmatur vel tractatur.

Anni 1665. læta.

T. omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

XXIV.

XXIV.

COMMUNICATIO

BONONIA-RICCIOLIANA.

Hamburgo Bononiam, Kalendis Aprilibus Gregorianis Anno Chriſti 1665.

S. P. Admodum Reverende &c.

QUantis benevolentiæ & ſtudiorum officiorumque vinculis homines, mortalis conditionis memores, tum literarum humaniorum cultores, tùm verò præcipuè Chriſtiani, perfectiſſimæ pietatis profeſſores, inter ſe jungantur, res indicat ipſa. Atque vel hæc ſola facilè me ad Te per literas compellandum permovere poterant. Sed fuêre & alia, quæ me ad id faciendum exſtimulabant. Fama nempe nominis Tui Clariſſimi, quam totus orbis literatus celebrat: & ardentiſſimum meum diſcendi ſtudium, ab iis præſertim, quibus ut certis Magiſtris, in hac vel illa arte, meritò fidendum eſt. Acceſſit nuper mihi conſpecta laus inſignis, quam magnis meritis in Rep. literaria Tuis debitam Ampliſſimus Hevelius, Mathematicus Eximius & Amicus meus honorandus, Tibi plena menſurâ tribuit. Tum vero & alter Amicorum Clariſſ. Abrah. de Grau, Liber. Art. Magiſter, Philoſophiæ Doctor & Matheſ. in Academia Franequera Friſiâ Prof. à quo heri literas & diſputationem de Cometa nuper habitam accepi, qui aliorum Virorum Doctorum premens veſtigia, Te Tuo merito magni facit. Auxit notabiliter meam & de Te exiſtimationem & Te compellandi fiduciam Clariſſimus Iſmael Bullialdus, Vir, ut noſti, omni eruditione & ſingulari Mathematicarum rerum ſcientia Excellentiſſimus, Amicus utriuſque noſtrûm, qui in ſuis ad me die 13. Febr. datis literis, ſignificavit ſe percupidè Tuas & Doctiſſ. Dominici Caſſini obſervationes expectare: in poſterioribus verò quas die 6. Martii exaravit; eaſdem mihi & promiſit veſtraque auctoritate ad probandum unum Cometam nuper in Corvo & Lepore viſum uſus eſt. His omnibus cauſſis me ad Te compellandum impellentibus grave pondus addidit Magnificus & Ampliſſ. Inclytæ urbis hujus Conſul Dn. Bartholdus Müllerus, Amicus & Fautor meus pl. obſervandus, Spectatuſque literarum & literatorum Patronus. Is cum paulò ante multa coram me in laudes nominis Tui dixiſſet, tùm etiam hodie Tui Almageſti Novi tunc commendati partem poſteriorem tomi 1. mihi mutuo dedit, ut ſcilicet Tuum de Cometis tractatum plurimâ, ut jam video, eruditione refertum, cum cura perlegerem, quod quidem è veſtigio cum inſigni delectatione adfeci. Poſtquam vero tot rationes ſcriptionis ad Te meæ habui, & de ſuaviſſima Tua eruditione non nihil ex tempore delibavi, ſcriptionem diutius differendam non eſſe ratus, inſtituti mei rationem paucis Tibi enarrare libuit. Simul autem & conſilium Tuum in quibuſdam ad Cometam nuper conſpectantibus exquirere volo, ut vel exinde, quanti Te, licet tantis terrarum ſpatiis, & editiſſimis Alpium jugis diviſum, faciam

Mortalitatis qui, idem & officii memor eſt.

Hominum vincula natura, humanitas, religio.

Ricciolum quibus de cauſis Auctor compellet.

Hevelius laudatur.

Gravius laudatur.

Bullialdus laudatur.

Italis unus tantùm Cometa 1664. viſus.

Bartholdus Mollerus Conſul Hamburg. laudatur.

Almageſtum Novum Riccioli commendatur.

Auctor cum Ricciolo argumentum Cometicum tractare incipit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Judicium imperitis ne permitte.

Artifici in ſua arte credendum.

faciam pervideas. Noſti nempe vetus illud, & in vita apprimè neceſſarium Phocylidis monitum:

> Μηδέ ποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς
> Τὴν σοφίην σοφὸς ἰθύνει, τέχνας δ' ὁμότεχνος.
>
> (Nunquam judicare homines ſiveris imperitos:
> Sapientiam ſapiens dirigit: artes autem qui ejuſdem eſt artis.

Commercium cum doctis colere coram & per literas.

Ricciolo Auctor quæſtiones quaſdam de Cometis proponit.

Cometa hyeme 1664. an unus apparuit:

Geminum fuiſſe quidam cur opinati?

Curtius laudatur,

Duos Cometas hybernos 1664. putat.

Hevelius laudatur.

Curtius Hevelio de uno Cometa 1664. aſſentit.

Hyberni hybernos Cometas 1664. duos fuiſſe putant.

Ubſalienſes Mathematici pro duobus Cometis hybernis 1664. ſtant.

Fornelius duos Cometas 1664. aſſerere conatur:

Ejus rationes.

Sed ad rem. Cum mihi in hac Urbe agenti frequens cum Viris doctis (à quibus dum eos loquentes in literis video, nunquam non doctior recedo) intercederet commercium literarum, factum eſt, ut nuper viſo in cælo Cometa, ex una quæſtione in aliam delapſi fuerimus, quas recenſere hîc, ne Tibi ſim moleſtus, nolo. Attingam tamen nonnullas earum, ut Tuum quoque ſublime explorem judicium. Quandoquidem nuperus Cometa primus viſus die 3. 13. Decemb. in his oris ad roſtrum Corvi ante ortum Solis proprioque motu verſus Auſtrum, deindè ad oculum Leporis die 21. 31. Decembris poſt occaſum Solis, proprioque motu verſus Boream tendens apparuit, factum eſt, ut nonnulli Viri Docti, & in re Mathematica Præſtantiſſimi, duos fuiſſe diſtinctos Cometas opinati ſint. Quos inter & Doctiſſimus Veſter Albertus Curtius, celeberrimus Philoſophus & inſignis Mathematicus fuit. Qui tamen poſtquam à me per Illuſtriſſimum Dominum Joannem Erneſtum de Rautenſtein, Miniſtrum Statûs, Conſiliarium Intimum & Legatum ad Conventum Imperii Neoburgicum, accepiſſet Ampliſſimum Hevelium, inimitabili diligentia ſtudiis cæleſtibus incumbentem, binis ad me exaratis literis ſententiam ſuam de uno Cometa mihi & aliis prodidiſſe & aſſeruiſſe, eandem & ipſe amplexus eſt. Licet autem non deeſſent, qui è variis locis duos ſe diſtinctè Cometas una nocte vidiſſe affirmarent: Hevelio tamen aſſentire maluit. Et certè non deſunt in Germania Mathematici qui adhuc eandem illam de duobus Cometis hybernis opinionem foveant. Quam & Mathematicis Hybernis placere Londino cum Obſervatione eorundem accepi. Eandem & Ubſalienſibus Mathematicis arridere, Holmia Suecorum ad me perſcriptum eſt. Præ cæteris verò eam propugnat Clariſſimus Jonas Fornelius, Mathem. in illa Acad. Prof. qui ex magna motûs Cometici inæqualitate diverſos fuiſſe Cometas evincere ſatagit. Dicit nempe Cometam, qui ad dies 12. 22. Decemb. per ſingulos dies duos tantùm in proprio Circulo peregerit gradus, non poſſe eundem eſſe cum illo qui à dieb. 12. 22. Decemb. ad dies 21. 31. ejuſdem pluſquàm 100. gradus emenſus fuerit, cum in nullo unquam Cometa tanta motûs inæqualitas fuerit obſervata. Quid de hac ejus objectione ſentiendum ſit, ſicut à Clariſſimo Bullialdo aliiſque Mathematicis egregiis (quamvis & ille, & horum plures pro uno ſtent Cometa) ita & abs Te, Vir Doctiſſime, judicium exſpecto.

Cometarum origo ſecundum Guerichium.

Schotus laudatur.

Guerichiana de Cometis ſententia Ricciolo proponitur:

Tum illæ de motu terræ & ſpatio vacuo,

Et anemoſcopii inventio.

Riccioli de Cometarum effectis ſententia Auctori probatur.

De Cometarum origine & motu non dubito me ex Tuo illo eruditiſſimo tractatu edoctum iri. Verbo tamen attingam Ampliſſimum Virum Dn. Ottonem Guerichium, Conſulem Magdeburg. (quem quanti Doctiſſimus pariter Veſter Caſparus Schotus faciat noſſe Te non dubito) exiſtimare Cometas provenire ex procellis, quæ in aëra latæ partem aëris cum impetu avellant & in ſublime rapiant, ubi illa à Sole illuſtrata quaſi caudam habens conſpiciatur. Præſupponit autem ille duo ardua de motu terræ & ſpatio vacuo principia. Et aërem quidem particulâ illâ avulſâ leviorem reddi, ſtatuâ vitro aëris vacuo incluſâ (quam non ſemel in ædibus Nobiliſſimi Domini Conſiliarii & Reſidentis Brandenburg. Filii ejus hac in Urbe agentis vidi) & ima petente demonſtrare ſe ait. Ad confirmandam ſuam ſententiam cum non pauca ad me miſerit, velim & Tu mihi ſuper ea re mentem Tuam aperias. De effectis Cometæ ſententiam Tuam, utpote Theologicam & Ethicam, non tantùm Philoſophicam, cum voluptate jam legi. Monſtras enim hæc veluti divinæ iræ mortalium ſcelera vindicaturæ indicia & pœnitentiæ incitamenta, non ut prodigia ad formandas vanas divinamque iram

cientes

cientes divinationes exhibita. Sed accuratius iſta, Deo volente, his diebus legam & expendam. Sum autem in eadem ſententia quam aureo illo ore prolatam laudas, neminem ſcilicet lædi niſi à ſe ipſo: non à fato Stoico, Chaldaico vel Aſtrologico, non à Cometæ vel ullo cæleſtium ſignorum in hominis liberrimum ingenium imperio. Quod & publicè docendum & adſtruendum eſſe, ad conſervandam publicam tranquillitatem reor. Hæc enim facilè à vanis vatibus & credulis ac temerariis eorum ſequacibus laceſſitur. Dico autem in tanta rerum humanarum varietate & ante vel citra ullam Cometæ apparitionem, multa mala & poſt eandem bona evenire. Puto etiam non minus in nupero phœnomeno efficaciæ Cancro, Virgini & Lepori, quam Corvo Orioni & Leoni tribuendum fore, ſi illa Aſtroſophica præſagia & vaticinia ſolido inniterentur fundamento. Hic jam tempore excluſus pedem figo, dum modò unum abs Te, quâ es eruditione, ſolertiâ & humanitate, obtineam, ut mecum communices Tuas obſervationes unà cum accurata Cometæ delineatione & adjunctâ ſententiæ Tuæ de nupero Cometa ſpeciatim explicatione, quæ tot aliorum Mathematicorum Clariſſimorum obſervationibus, delineationibus & narrationibus addi poſſit. Suadent enim, monent & incitant Amici (quibus refragari non convenit, præſertim cum talia publico bono inſervitura ſperent) ut illas in unum corpus redactas edam in publicum, adjunctis & his, quæ huc illuc de hoc argumento, & hujus occaſione alia quædam illi accommoda ad varios Viros Illuſtriſſimos & Doctiſſimos ſcripſi. Ita opus non tantùm Mathematicum; ſed & Politicum, Hiſtoricum & Ethicum conficietur, jucundum & utile ſimul. Fac proindè & Tu, Vir plurimùm Reverende, Clariſſime & Doctiſſime, ut ſymbolam Tuam, nominis Tui famâ & noſtrûm omnium exſpectatione ac luce dignam, & cum publica utilitate (quæ nobis corruptos ſeculi mores cum dolore intuentibus vel maximè curanda eſt) junctam quamprimùm obtineamus. Literas Tuas tutò trades ei qui has curaverit. Quanquam nomen meum præfectis tabellariorum Norinbergæ & hîc ſatis ſit notum. Vale & me æqua benevolentiâ complectere, qui ſum

Læditur nemo niſi à ſe ipſo. *Fato non ſubeſt homo.* *Libertas naturæ humanæ aſſeritur.* *Cometas & mala præcedunt & bona ſequuntur.* *Signa cæli, quæ Cometes percurrit, nulla certa præſagia ſubminiſtrant.* *Obſervationes Cometicas Auctor à Ricciolo poſtulat.* *Amicis juſta ſuadentibus obedi.* *Ricciolo Auctor operis ſui rationem exponit.* *Publicis utilitatibus ſtude.* *Malis alienis dole.*

T. obſervantiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ
Eques Polonus.

Bononiæ Hamburgum die 28. *Aprilis* 1665.

Generoſe &c.

SIcut in ipſo literarum Tuarum atramento, candorem animi, ſic prodigalitatem in me laudando agnovi, quibus cum me longè inferiorem ſciam, non potui ſinè rubore legere: quantuluſcunque tamen ſim, breviter ad poſtulata reſpondebo.

Primò itaque longè verius exiſtimo Cometam Decembri & Januario præterito conſpectum unicum fuiſſe: cum identitatis argumentum ſat probabile ſit, & color & magnitudo apparens & figura & capitis Cometici particulæ Teleſcopio præpotenti conſpectæ, & terminus à quo cœpit & in quem deſiit Cometæ motus: eſto eadem nocte diverſis horis cauda in diverſas plagas projecta apparuerit, ita nimirum exigente Solis modò majori, modo minori profunditate infra Horizontem. Neque vero Anomalia illa motûs initio & fine tardiſſimi, circa medium velociſſimi, ſufficiens eſt indicium diverſi mobilis, cum in planetis quinque minoribus, qui erronei quidem ſunt, ſed minus erronei quàm Cometæ, ſimile quid eveniat, ſi comparetur eorum motus, quando bis in una revolutione fiunt Stationarii, cum motu intermedio. Quis enim duas naves eſſe

Ricciolius Auctoris literas gratas habet, *Laudes ſibi debitas, & ab Auctore datas, per modeſtiam recuſat:* *Unum tantùm Cometam hyeme 1664. nos vidiſſe affirmat:* *De inæqualitate motûs Cometæ noſtri reſpondet.* *Naves duas ex una diverſus motus non facit.*

eſſe dixerit, ſi eadem procul conſpecta modò lentiſſimè in ſumma malacia, remis promoveatur; poſteà verò flante validiſſimo ac ſecundo vento velociſſimè deferatur?

Ricciolius modeſtè Guerichii patris ſententiam de origine & motu Cometarum refutat. Terræ motus cur à Ricciolo negatur. Spatium vacuum dari negat Ricciolius. Gravium deorſum deſcendentium acceleratio eſt realis, non tantùm apparens: Hanc cum motu terræ ſtare non poſſe Ricciolius probat.

Secundò ſalvâ reverentia, quæ debetur Ampliſſimo Viro Dn. Ottoni Guerichio, ejus opinioni de origine & motu Cometarum ſuffragari non poſſum, tùm quia dato etiam motu Telluris, procellæ hinc excitatæ & Cometæ multo frequentius fierent: tùm quia illa opinia, ſicut Tu mihi ſupponis, nititur duobus fundamentis de Terræ motu & de ſpatio vacuo, quorum utrumque mihi evidens eſt eſſe falſum. Quandoquidem ex reali incremento impetus & majori ac majori vi percuſſionis gravium ex majori altitudine deſcendentium, convincitur realem quoque eſſe accelerationem eorundem gravium, & non tantùm apparentem, ut contendit Galilæus, hanc autem realem accelerationem, quæ augetur ſecundùm quadrata temporum æqualium (ut manifeſtiſſimis experimentis ſæpius comperi, & Galilæiſtæ ipſi ſupponunt) non poſſe ſtare cum Telluris motu, demonſtravi jam lit. 9. Almageſti Novi & iterum in Aſtronomia Reformata, quæ paucis ab hinc menſibus in lucem prodibit. Vacuum porrò nullum dari illis ipſis experimentis per Hydrargirum factis hic cum P. P. Paulo Caſſato, qui jam edidit opus ſuum inſcriptum Vacum proſcriptum, & cum b. m. P. Franciſco Maria Grimaldo, cujus opus poſthumum nunc eſt ſub prælo, certi evaſimus.

Ricciolius per morbum nullas obſervationes Cometæ hyberni fecit.

Fr. Maria Grimaldus laudatur, moritur. Hevelii laudes & merita Ricciolius agnoſcit. Bullialdum de re Aſtronomica benè meritum eſſe Ricciolius fatetur.

Tertiò quòd meas de nupero Cometa Obſervationes requiris, doleo me nec Tuo nec aliorum amicorum Doctiſſimorum deſiderio poſſe facere ſatis. Nam tota Decembri, Januario & Februario, deſtillatione capitis permoleſtâ & tuſſi importunâ laborans, non potui ſedulo & organis neceſſariis, quibus alioquin multis & magnis prædictus ſum, Aſtronomicis Obſervationibus incumbere, neque mei vices ſupplere potuit meus peritiſſimus & accuratiſſimus Socius P. Franciſcus Maria Grimaldus, quia die 28. Decemb. Anni 1663. migravit, ut credere par eſt, in cælum, unde ſidera ne dum Cometas, quos nos ſuſpicimus, deſpicit. Si Clariſſ. Viris Hevelio & Bullialdo &c. contingat Te ſcribere, rogo ut meo nomine illos certos reddas, mihi deeſſe verborum formulas idoneas ad exprimendum, quanti eorum doctrinam & Aſtronomicos labores faciam, quantumque ex illis profecerim. Vale interim & me amare perge.

G. D. T.

Addictiſſ. & Obſervantiſſ. ſervus

JOAN BAPTISTA RICCIOLIUS.
Soc. Jeſu.

Hamburgo Bononiam die 17. Maji 1665.

Morbum amici dole.

OCtavo ab hinc die accepi literas Tuas die 28. Aprilis datas, quæ me non pauca, & præclara quidem, licet breves ſint, docuerunt. Id unicum ingratum, quod toto Decembri, Januario & Februario cum pertinaci catarrho conflictatus fueris. Morbus enim iſte Tuus optatiſſimas Tuas Cometæ in Corvo & Lepore aliiſque ſignis cœleſtibus per illud tempus viſi obſervationes nobis invidit, & liceat ita dicere, corvos deluſit hiantes. Omnes nempe ſingulare quidpiam ab eximia Tua eruditione & admirandâ propè, Vires certè unius hominis ſuetas excedente, induſtriâ exſpectamus: cum primis vero Clariſſ. Bullialdus, prout Tibi in prioribus ſcripſi. Nunc verò addo, eum dehinc mihi nunciaſſe, exſpectare ſe à Te & Clariſſimo Dominico Caſſino literas, tùm & obſervationes, de quibus Sereniſſimus Princeps Leopoldus ab Hetruria ſe monuerit. Unde vides, quantas ſpes indice tum Sereniſſimo illo Principe, tùm Clariſſi-

Amici merita citrà invidiam agnoſce. Riccioli eruditio & induſtria eximia. Leopoldus Magnus Dux Hetruriæ literarum & literatorum amans.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Clariſſimo Bullialdo de Tuis laboribus conceperimus. Dabis itaque operam ne hæ prorſus decollent, præſertim cum & multis & magnis Organis Mathematicis, de quorum defectu plerique Mathematici queruntur, abundes. Saltem nuperrimum Cometam, qui in Pegaſo luxit à die 6. Aprilis ad 20. ejuſdem obſervaveris. Fac itaque quamprimùm Tuæ magnæ induſtriæ & exiſtimationis auctoramenta habeamus. Magnum Syſtemati meo de Cometis Mathematico, Politico & Ethico, ſed & laudibus Tuis addes ornamentum. Idem à Scientiſſimo Kirchero præſtolor. Jam quidem ejus nonnulla obſervata Curtianæ debeo benevolentiæ. Sed, ut noſti, tutius &

Inſtrumenta Mathematica multa & magna Ricciolius poſſidet.

Cometæ verni 1665 duratio.

Kircheri laus.

Obſervationes quaſdam Auctor à Curtio habet.

Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Dedi ad eum binas literas die 18. Martii & 6. Maji, quibus ei inſtitutum meum expoſui, utque illud favore ſuo promoveret, & obſervationibus ac narrationibus ſuis de motu & operatione Cometæ, vel etiam de origine ejus ornaret, officioſè petii, quod etiamnum per Te facio, plurimùm ſalute ei adſcriptâ. Sunt mihi ad manus Obſervationes Pariſiis, Ingolſtadii, & Pragæ, à Mathematicis Societatis Veſtræ habitæ, ut & Colonienſes, Leodienſes, Olomucenſes, Tridentinæ aliæque. Vellem itaque utriuſque veſtrûm pariter obſervationibus gaudere: quas in opere, volente Deo, brevi perficiendo & urgentibus Amicis edendo, nominibus Veſtris præfixis, ſicut & aliorum Clariſſimorum & Illuſtrium Virorum, colligere conſtitui. Sententiam de origine Cometarum, ita & de vacuo, ac motu telluris; quam Ampliſſimus Dominus Guerichius defendit, Te oppugnare video. Equidem & aliorum Virorum Doctiſſimorum judicia eam non probant, vel certè non ex toto. Illa de motu terræ videtur valdè Scripturæ Sacræ Solem moveri affirmanti repugnare. Sunt tamen qui illam ſententiam Scripturæ convenire doceant, ut inter cæteros Chriſtophorus Wittichius Profeſſor Noviomagi, & Henricus Nicolai, olim Elbingæ & Dantiſci, uterque Theologi celebres. Cum Magno illo Philoſopho Carteſio, Hollandiam, tum cum in Sueciam tenderet, tranſeunte Anno 1649. miſcui tunc de talibus ſermones: ſed ille deferri cum ſuo vortice, non ſeparate moveri terram ajebat. Hevelius (at quantus in Aſtronomicis Vir!) nuper quoque movit terram, ne moto Sole plura abſurda, aliàs inevitabilia, incurreret. Quidquid de eo ſit, illud eſt longè certius & immobile oraculum, fore mobilium tranſlationem, tanquam factorum, ut maneant ea quæ ſunt immobilia, noſque regnum immobile ſuſpicientes habere gratiam, per quam ſerviamus cum metu & reverentiâ, placentes Deo noſtro, qui ignis conſumens eſt. Ad illam æternæ quietis metam motum & curſum omnem dirigamus par eſt, ſi illud pluſquam Stoicum *non moveri* conſequi velimus, à quo nos quamdiu imbecillitati & viciſſitudini hujus ſeculi ſubjecti ſumus, illa ipſa prohibet, mentis tamen invictam conſtantiam, & ſpem immobilem eripere non poteſt. Socium Te ſtudiorum Tuorum Franciſcum Mariam Grimaldum (ex illa Regia & olim Sancta, ſtirpe, quæ tot Principes Sacros & Profanos feliciter tulit, uti Tu ipſe in Epitome Genealogiæ Grimaldæ gentis ſed & in epiſtolis ad Eminentiſſimum Hieronymum Card. Grimaldum, & ad Magnanimum Honoratum. II. Monœci Principem deducis) & quidem peritiſſimum & accuratiſſimum, amiſiſſe, eſt quod Tecum Viri literati doleant. Epiſtolam Tuam legendam Ampliſſimo Domino Conſuli Möllero communicaveram: quîcum ante triduum multa de rebus non tantùm Politicis, ſed & Aſtronomicis (Vir enim eſt in omni literarum genere verſatiſſimus & verus patriæ ſuæ Pater) contuliſſe, multaque etiam in laudes Tuas ex ore ejus audiviſſe, meritò mihi ſed & Tibi gratulor. Ejuſdem epiſtolæ apographa ad Clariſſimos Viros Hevelium & Bullialdum miſi, quibus id fore pergratum, non dubito. Scio enim utrumque magni Te facere. Scias verò illum Cometographiæ ſuæ (quæ cuncta de ortu motuque Cometæ aliaque ad hoc argumentum ſpectantia accuratiſſimè explicabit

Ipſe ab eo obſervationes & judicium de Cometa poſtulat.

Terræ circumvolutio Script. S. repugnare videtur multis, aliis non item.

Carteſius laudatur, auctori notus.

In Sueciam abit.

Terram cum vortice deferri non ſeparatim moveri ſtatuit.

Immobile oraculum mobilia cuncta tranſlatum iri, ut ſola immobilia permaneant.

Immobile in terris unicum æternæ quietis ſpes.

Mortem Virorum doctorum dole.

Grimaldorum gens illuſtriſſima

Mölleri Conſ. Hamb. merita & laudes.

Erga Ricciolium benevolentia.

Cometographia Heveliana delineatio generalis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

explicabit, & 450. amplius obſervationes Cometæ orbi exhibebit) Prodromum nuper admodum præmiſiſſe. Vale, conſtanter fave & feliciter age.

Hamburgo Bononiam die 31. Maji 1665.

Extemporalis ſcriptio erroribus obnoxia. Officii defectus ſedulò penſa. Occupati in omnes officioſi eſſe nequeunt. Kircheri laus. Prodromum Prodromi Cometici Heveliani Riccioli & Kircheri gratiâ Auctor parat.

DAto die 17. Maji ad literas Tuas reſponſo, quamvis ob anguſtiam temporis feſtinanter & propè tumultuariâ manu exarato, utcunque me officio in Te meo defunctum fuiſſe ſpero. Tu & erroribus calami, ſi qui fortè præter mentem (ut in ſcriptione, quæ ἐκ τοῦ παρατυχόντος protruditur, fieri aſſolet) irrepſerint, & ſimplicitati verborum minuſque polito ſtylo veniam æquus dabis & facilis. Nunc defectus illos peñſare jubet officii ratio. Sed continuorum graviorumque laborum multitudo, mentem & manum in præſtanda Tibi grata officia ſuamet ſponte proclivem, retardat & prorſus impedit. Ecce verò auctarii, vel potius auctoramenti & hoſtimenti vices ſupplebit epiſtola iſta ad Subtiliſſimum Kircherum, quam ante octiduum finire non potui. Hanc perlectam pro Tua humanitate quamprimùm promovebis. Miſſurus utrique veſtrûm hodiè eram Prodromum Prodromi Cometici Heveliani: ſed nec hunc alioquin affectum perficere potui. Proximè tamen, ſi Deus vitam & valetudinem prorogare voluerit, id faciam. Tu interim da operam, ut Symbolam ad Opus meum conferas, exiſtimatione Tuâ & exſpectatione noſtrâ dignam. Iiſdem armis contra utrumque Veſtrûm pugnandum mihi foret, niſi veſtram humanitatem ut vinci facilem, ita & mutuò officio vincentem experirer. Vale & mihi porrò fave.

Hamburgo Bononiam die 17. Junii 1665.

*Kircheri elogium. Prodromum Prodromi Heveliani Auctor Ricciolio & Kirchero mittit. Doctos Viros cultu & benevolentiâ proſequere. Parce labori & ſumtui. Kircheri Mundus Subterraneus laudatur. Dei providentia patet per omnia. Daniæ Rex laudatur. Phænomenon in Andromeda viſum an Cometa? Si hoc: foret iſte intermedius Cometa. * Prodromo Prodromi Heveliani conficiendo Hevelii erga Ricciolium benevolentia occaſionem dedit.*

PRoximæ meæ literæ, quibus incluſeram has, quas ad Ingenioſiſſimum Kircherum de argumento Cometico dederam, ſpem Tibi fecerant ut & illi, me utrique veſtrûm Prodromum Prodromi Cometici Heveliani miſſurum fuiſſe. Sto promiſſis & fidem præſto. En igitur utrique veſtrûm debitum induſtriæ & benevolentiæ meæ teſtimonium; ſed & obſervantiæ, quâ Magnum illum Aſtronomum proſequor, monumentum. Quod unum exemplar utrique veſtrûm mittam, ideò facio, ut & laboris & ſumtûs fiat compendium. Ita enim unâ fideliâ, ut dici ſolet, duos dealbabo parietes. Velim officia mea cum plurima ſalute deferas celeberrimo illi Socio Tuo. Ejus ingenium non tantùm in terræ viſceribus reconditum, ſed & terras mariaque cæloſque permeans, in magnifico illo Mundi Subterranei opere, miror, deque tantis Mæcenatibus & Euergetis illi gratulor. Utinam & ego aliquem inveniam, in re præſertim tenui magnoque conatu! Sed Dominus providebit, quod Symbolum ſacrum ætate noſtra Phœnix Principum (quod me à nonnemine in publico Orbis theatro dictum videre memini) Fridericus III. Rex Danorum Inclytus uſurpat, Munificentiſſimus profectò Literatorum Patronus. Cæterum Kircheriana humanitas reſponſum mihi promittit (quod ei indices velim) ad nuperam epiſtolam, quâ propono controverſiam an aliquod phœnomenon ad cingulum Andromedæ borealius viſum fuerit Cometæ ſimile, nec ne? quod quidem diſcuſſionem & deciſionem meretur certam. Nam ſi prior illa ſententia obtineat, hoc arguere videretur nos inter primum & ſecundum Cometam habuiſſe medium, cum Clariſſimus Vir Abrah. de Grau Profeſſ. Franequeranus illud ibidem ineunte Febr. viderit à Cometa diſtinctum. De qua re utriuſque veſtrûm, Tuam ſcilicet & Kircherianam ſententiam exſpecto, utque eam quamprimum obtineam, urgentibus Amicis Operis (cui veſtra ſuo loco, Deo dante, inſerenda erunt) editionem, rogo. *Unum addo, antequam finio Tibi me

me ſingulari jure hoc Heveliani libri compendium debere. Documentum hujus rei haud leve eſt, quòd & ille publico illo de Motu Lunæ Libratorio ſcripto Tibi dedicato, imò ad Te directo, quanti Te faciat, teſtatus fuerit, & Tu pariter in literis ad me, Te quoque eum magni æſtimare, dum Te multa ex ejus, ut & Clariſſimi Bullialdi, ſcriptis didiciſſe, candidè fateris. Cæterùm & longè celeberrimum illum Socium Tuum Kircherum Hevelio in ſuo Mundo Subterraneo multùm tribuere animadverto. Itaque utrique Veſtrûm meritò opuſculum hoc mitto, paulò poſt ad finem perducendum, favente Deo. Interim quæ porrigo grata mente excipite, & ulteriori ſtudio favete, ipſique benè Valete.

Hevelius Ricciolium magni facit,

Et iſte illum,

Pariterque Kircherus.

Hamburgo Bononiam die 24. *Junii* 1665.

NEque nunc Prodromo Prodromi Heveliani ultimam manum imponere, multis impeditis laboribus, potui. Adjungo tamen ſuperioribus non pauca, quod reliquum eſt, proximè Deo volente, miſſurus. Neuter veſtrûm me vobis citius id officii præſtare non potuiſſe miretur. Haud falſus profectò es, ſi tantum,

Præter cætera me - - - cenſes
Scribere poſſe inter tot curas totque labores,

Auctoris occupationes aſſiduæ, tuendæ vitæ cauſſâ:

quibus me rerum mearum ratio aſtringit. Unde etiam vides me ſemper ferè feſtinante & extemporali Scriptione uti, dum tempori divina humanaque ſapientiâ monente, ſerviens, ad res magis quàm ad verba attendo. Omnem autem humanitatem & æquitatem de Te mihi polliceor. Quem in præſentia ſummoperè rogatum volo, ut incluſas Romam literas unà cum adjunctis quamprimùm mittas. Hac lege tamen, ut quæ mitto perlegas, &, ſi velis, deſcribi pro Te facias, & vel per partes deſcripta illuc promoveas. Occurrunt enim non pauca tàm in Hevelianis exceptis, quàm in meis additamentis, ibi Aſtronomica, hîc Hiſtorica & Chronologica, de quibus judicium & reſponſum Tuum meritò exſpectabo. Quibus hîc unum adjicio, quod inexplebili meæ diſcendi cupiditati & ingenuæ libertati, Tuæque inſuper humanitati (hæc enim triga me ad Te conſulendum pertrahit) tribuas velim. In Almageſto Tuo c. 5. de Cometis annotas Cometam Anno 814. Caroli M. ut & alterum Anno 839. Ludovici Pii mortem prænunciaſſe. Libenter ex Te diſcam, quis Auctor illum memoriæ prodiderit? Fateor enim me hîc hærere, cum nec Ivo Carnot. nec Adelmus, ſed nec Eginardus nec Aventinus, nobilis Bojorum hiſtoricus, nec Carolus Sigonius, inſigne illud Italiæ Veſtræ decus, nec Donatus in vita Caroli, nec Funccius, Buntingus, Calviſius & Bucholzerus, quatuor alioquin in talibus notandis diligentes Chronologi, Cometam Anno 814. apparuiſſe & Caroli M. mortem præſagiviſſe ſcribant. Omnes autem in extrema filii ejus Ludovici Pii tempora eundem referunt, ſicut & auctor vitæ Ludovici anonymus, qui, ut & Aventinus eum cum Eginardo Philoſopho de hoc portento notabile illud, quod noſti, colloquium habuiſſe, literis conſignavit. Miror Henricum Eckſtormium in hiſtoria Cometarum, & cum eo Alſtedium in ſua Chronologia hoc colloquium à Carolo fuiſſe habitum referre (licet hanc hiſtoriam de Ludovico recitari Alſtedius ſciret) quin imo utrumque & Faſciculum temporum in teſtem adducere, cum tamen & is ad Ludovicum hæc ut mihi videtur, referat. Quod ſi Tu tamen pro multa Tua lectione & eruditione contrarium me hîc docueris, erit quo nomine gratias Tibi agam. Quanti moderatam Tuam & morum probitati commendandæ miniſtrantem de Cometarum effectis ſententiam, ut & alia abs Te inimitabili diligentiâ compoſita faciam, in meo opere, Deo volente, brevi in lucem prodituro, videbis. Vale.

Scriptio extemporalis

Tempori ſervi.

Res magis quàm verba attende.

Diſcendi cupidus eſto.

Libertatis amans eſto.

Cometa an morti Caroli M. præfulſerit.

Aventini laus.

Sigonii encomium.

Colloquium de Cometa Ludovicus Pius non Carolus M. cum Mathematico habuit.

Error Eckſtormii & Alſtedii.

Diſcere à doctiori nunquam te pudeat.

Laudes meritas cuique tribue.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Bononiam Kal. Juliis St. Gregoriano 1665.

Schotti elogium. Erga Auctorem benevolentia.

LIteras meas cum potiore Prodromi Heveliani contracti parte ante octiduum rectà ad Te miſſas, rectè Te accepturum ſpero. His ſubmitto pauca illius opuſculi, gratiâ utriuſque veſtrûm compoſiti, quod reliquum eſt, brevi Deo volente miſſurus. Libenter omnia ſimul miſiſſem; ſed id per alios continuos labores, quibus me ſubtrahere non poſſum, facere non licuit. Doctiſſimus & Solertiſſimus Schottus multas obſervationes nuper ad me miſit, etiam ex Italia veſtra, quas non habui. Multùm me ejus humanitati eo nomine debere profiteor. Reſponſum à Te & Humaniſſimo Kirchero exſpectabo cum deſiderio. Propoſitas à me proximè quæſtiunculas Hiſtorico-Chronologicas velim grato animo accipias, meque de his inſtruere non negligas, qui ſum ad omnia officia Tibi præſtanda paratiſſimus. Vale.

Hamburgo Bononiam die 8. Julii 1665.

Prodromum Prodromi Heveliani abſolutum Auctor Ricciolio & Kirchero mittit.

Hevelius laudatur.

Merita encomia & officia cuique tribue.

Publicis utilitatibus ſtude.

Diſcere à doctiori nunquam Te pudeat.

Veritati indagandæ da operam.

Diſcendi avidum importuna quoque vota & improbi labores decent.

Juſta amico non neganda.

EN Tibi tandem & per Te Humaniſſimo Kirchero velocibus pedibus, ut ſic loquar, inſtructum Prodromi Heveliani Prodromum, quem utriuſque veſtrûm cauſâ adornavi, ſed manu, inter multa alia negotia indeſinenter obſtrepentia, quod meritò fateor & deprecor, tumultuariâ. Vos, quæ eſt æquitas & humanitas veſtra, ſerenâ hunc ſatis longum & longo tempore ad Vos euntem, licet à feſtinante expeditum, Præcurſoris Præcurſorem, excipietis fronte, non tàm mei, qui nil niſi propenſum in bonas litteras, Auctorem de re Aſtronomica optimè meritum, & utrumque veſtrûm ſtudium teſtari hoc qualicunque labore volui, quàm Clariſſimi Nominis Heveliani reſpectu. Defectus, ſi qui (prout feſtinantibus & occupatis ut plurimùm evenire ſolet) fuerint, plenâ æqui judicii & benevolentiæ menſurâ implebitis. Quod ſi verò hoc opuſculum gratum Vobis fore, tùm verò & judicio Veſtro publicè, ſaltem quadamtenus, utile eſſe poſſe intellexero, ingens operæ pretium faciam, & ad ſimilia aliaque Viris literatis grata & publicè utilia futura tentanda excitabor. Tu verò, Doctiſſime Riccioli, me diſcendi hæc & illa à Te percupidum, rebus ſcitu dignis, quas propoſui, imbuere non dedignêre. Noſti quæ ſint veri indagandi ſtudia, quæ leges, quæ eorum qui diſcendi deſiderio ardent, importuna vota, qui improbi labores. Hæc mihi cuncta promittunt, me animum ſpe haud inani paſcere, nec Te negaturum mihi ea, quæ & Te dante & me accipiente digna erunt. Sal. Plur. Doctiſſimo illi & Clariſſimo Tuo Socio Kirchero adſcribo, ab utroque veſtrûm præſtolans & porrò præſtolaturus reſponſi vicem. En vobis quæ exeunte Junio à Clariſſimo Bullialdo ſcripta, antè quatriduum accepi. Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Prodromus Prodromi Cometici Heveliani.

à

STANISLAO LUBIENIECIO

compoſitus & RR. DD. PP. Joan. Bapt. Ricciolo & Athan. Kirchero è S. J. cum expedito Curſore miſſus.

QUandoquidem Nobiliſſimus & Clariſſimus Hevelius inter alios mihi quoque, (quîcum de argumento Cometico per literas etiamnum ſat frequenter, imò ſi labores ejus cæleſtiaque ſtudia diurna nocturnaque ſpectes, frequentiſſimè confert) Prodromi ſui Cometici editionem tribuit, mei officii eſſe duxi in his pagellis eum Vobis, qui tàm cito eximium iſtum librum nanciſci non poteſtis, ob oculos ſiſtere. Spero autem, quæ eſt veſtra æquitas & humanitas, Vos id officii in bonam partem interpretaturos, tanquam ſi Prodromi Prodromus ad vos advolet, & præcurſor præcurſorem præcurrat.

Prodromus Cometicus Hevelianus cur ab Auctore in compendium redactus.

1. Obſervationes ſuas ſpeciales, quas ultrà 450. habet accuratas, ac omnia quæ ex iis accuratiori calculo derivanda ſunt, Cometographiæ reſervat Auctor.

Hevelianarum obſervat. numerus.

2. Cometa Anno 1664. ut meritò inter præcipuos, qui unquam affulſerunt, numeratur, ſic paritèr quàm exquiſitiſſimè obſervari meruit: quam ad rem dextrè perficiendam Auctor optimis inſtrumentis ſe inſtructum fuiſſe teſtatur.

Cometæ 1664. dignitas.

3. Obſervationes ſuas à die 14. Dec. St. Greg. arceſſit, quàm maximè idoneis ad hanc rem inſtrumentis, præcipuè majore Sextante, & maximo Quadrante uſus.

Hevelianarum obſervationum initium à die 4. 14. Decembr.

4. Diſtantiæ Cometæ à fixis, tùm altitudines meridianæ, præſtant cæteris obſervationibus omnibus.

Obſervationes Cometarum optimæ quæ ſint.

5. Dicta die 14 Dec. ſub horam 5. in Quadrante Orientali ad Euronotum propè Roſtrum Corvi, vix ab eo ſemigradu diſtantem Cometam, Favonium verſùs altum 9°. ab horizonte in 8. gr. Libræ ſub Latitud. Auſtr. 22. gr. obſervavit. Cujus caput erat ſatis conſpicuum ſubflavi coloris luminiſque debilioris. In meditullio ejus lucidius quoddam lumen trium vel 4. minutorum in Diametro, ſtipatum alio obſcuriori ac tenuiori capillitio, cujus tota dimetiens 12. fere min. æſtimabatur, nudo viſui apparebat. Caput verò luſtratum præſtanti ac prælongo Teleſcopio ita, ut animadverſum fuerit meditullium corporis non ex uno ſolo clariori nucleo, ſed ex plurimis particulis Cauda ejus inſignis tunc fuit 14°. longa.

Hevelianæ obſervationes ex ordine.

6. Tunc etiam intra horam unam & alteram ex diverſis impetratis diſtantiis, præſertim Cometæ ab Arcturo, Spica, Corde Hydræ & Regulo, promptè & ſecurè conjecit, Cometam habere motum proprium ab ortu in occaſum S. contra S. S. & quidem diurnum eo tempore vix 1° majorem.

7. Die 15. Decemb. obſervavit in $7^{\circ}\,26$. Libræ, & in $22^{\circ}\,26$. lat. Auſtr. Cometam, qui ad partes Auſtraliores, Tropicum verſus Capric. cui jam imminebat; viam curſu retrogradu inſtituerat, motuſque ejus 24. horarum ſpatio gradum penè integrum æquaverat.

8. Exploratis, poſt peractas duas illas obſervationes & cum priorum Cometarum curſu collatas, angulo inclinationis orbitæ & eclipticæ, nec non Nodo Cometæ deſcend. illo ſcilicet 53. ferè gr. hôc in 28. vel 29. gr. propemodum Libræ verſante, ſtatim optimè prævidit Cometam Dantiſci nunquam planè horizontem ſubire poſſe, licet altitudo poli Gedanenſis ſit $54^{\circ}\,22'\,52''$. elevatio Æquatoris $35^{\circ}\,37'.\,8''$. atque ſic altitudo Tropici Capricorni ſupra horizontem

Cometa horizontem Dantiſc. non ſubiit.

tantum 12° 6′. 8″. ſed appropinquaret quidem de die in diem magis magiſque finitori, ita tamen ut infra 5° 26′. ei nunquam accederet, verùm deindè rurſus in dies altiora peteret, & ab horizonte ſucceſſivè plus pluſque diſcederet: quo ſic in parte oppoſita ſub æquali penè angulo inclinationis, tramite ſuo, Eclipticam trajicere poſſet.

Cometæ quidam curſum ſuum ſub circulo ferè maximo perficiunt.

Hevelius curſum Cometæ in futurum prævidit.

9. Cum autem in eo Cometæ omnes conſentiant (ii ſcilicet quibus ſemicirculum integrum emetiri contingit) quòd curſum ſuum, antequam tardi vel ſtationarii fiant, penè ſub ſectione maximi circuli peragant: initiò ſtatuit protinus Auctor Cometam ab Hydra verſus Navim, Canem Majorem, Leporem, Eridanum Cetumque verſus tendere neceſſariò debuiſſe. De quo cum alios Amicos literis die 15. Decemb. datis monueris, ad me quoque eadem die 28. Decemb. perſcripſit.

10. Die 18. Decemb. Cometam obſervavit hora quarta matutina 3° 45′. Libræ ſub latit. Auſtr. 25° 36. ſub Cratere inter roſtrum Corvi & Hydram, Tropicumque Capricorni jam ſupergreſſum ſub meridiem diei 16. & quidem ſub angulo ferè 18. gr. caput ejus creviſſe, lucidiuſque paulatim evaſiſſe, materia tam capitis quam nuclei pariter plus pluſque condenſatâ: caudam 12° longam oſtentaſſe.

Cometa eò velocior quo terræ vicinior.

Cauda ejus longiſſima.

11. Die 21. Decemb. obſervavit Cometam ex Libra in Virginem tranſiviſſe, & jam tunc in Hydra ipſa, in 28. ſcilicet gr. Virg. & lat. Auſtr. 30° latuiſſe: & ut in dies fieri decliviorem, ſic ſucceſſivè, in vicinia telluris, velociorem, quâ de re itidem litteris illis me monuerat. Caput verò ejus tunc notabiliter excreviſſe materiâ ejus magis magiſque condenſatâ, & toti corpori Cometico majorem ſplendorem conciliante. Caudam inſolentem ultra 22. gr. procurriſſe, directione ejus inter ſecundam & quartam à corde Hydræ protenſa, ita tamen ut curvitate in ſecundam à corde magis propenderet.

12. Die 23. Decemb. obſervavit Cometam ſub Hydra in 22° 6. Virg. & lat. 34° 36. Auſtr. motu proprio à die 21. adhuc 7° ferè abſolviſſe, caudamque inſignem 20. grad. circiter verſus Occaſum projeciſſe.

13. Die 28. Decemb. ægrè detexit Cometam hora prima matutina propè meridiem vix 6 grad. ſupra Finitorem elevatum, ſingulis diebus maturius ortum, utpote diſcedentem longius à Sole ad ejus oppoſitionem. Neque verò amplius ſub Hydra latuiſſe, ſed confecto immenſo itineris ſpatio in ſuo tramite, occaſum verſùs 38. ſcilicet gr. ac in longit. adhuc ampliori, vid. 46 gr. elapſis diebus 4. cum dimidio longè ſitum mutaviſſe, in puppi ſub clypeo navis diverſatum, ex Virgine in Leonem profectum, curſu ſuo magis magiſque concitato, cum inter 27. & 28. diem propemodum undecim gr. in univerſum autem 56. ferè (qua de re iiſdem illis literis hac die ſcriptis quoque me monuerat) confecerit.

14. Sicuti Cometa ad diem 27. imò 26. Decemb. continuò declivior, ita exinde magis magiſque elevari cœptus, diſcedendo ſenſim ab Horizonte Trop. Capricorni, Æquatorem Eclipticamque verſùs obſervatus eſt: ſatis autem conſpicuus (licet Luna à conjunctione recens obſtiterit) capite, cujus diameter 22. ferè min. fuerit, admodum crinito & hirſuto, nucleis magis quam antea condenſatis, at cauda non amplius longâ in Occaſum directâ, ſed breviore, latiore tamen, verſùs Septentrionem, ſurſùm protenſâ, ſpectaculum jucundum & rarum, cum alias Cometæ in oppoſitione Solis & Terræ caudam amittant plerique, præbente.

Cometa ex matutino veſpertinus factus.

15. Conjicit Cometam die 28. poſt occaſum Solis circa horam decimam ex matutino veſpertinum evaſiſſe. Cum autem illâ die nubibus conſpectum ejus invidentibus, non fuerit viſus, die 29. hora veſpertina nona 36. decem gr. altus rurſus obſervatus eſt, manè in horam circiter ſextam incidente Solis & Cometæ oppoſitione.

16. Licet verò Luna Cometæ vicinia, utpotè in eodem Geminorum ſigno

hoſpitans,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

hoſpitans, fuerit, ille tamen admodum lucidus ac circumcirca hirſutus, magnitudine valdè conſpicua, barbam curtam rectà ferè ſurſum projiciens, in capitis centro lucidiſſimo & denſiſſimo nucleo, coloris ferè ignei, deprehenſo, obſervatus eſt, ſub pede anteriore Canis Majoris, cui adſtabant à parte inferiore duæ ſtellulæ globo nondum adſcriptæ, ſatis tamen conſpicuæ: in longit. nimirùm 28° 46. Geminorum, & latit. 47° altitudine Meridiana, globi indicio, ultra 12° jam provectâ, ſed & motu in propria orbita concitato, qui à die 28. manè ad veſp. d. 29. ſpatio 43. hor. 23° 46. ferè, in ſignifero verò 36°. impleverit, exemplo certè rariſſimo.

Nucleus rotundus in capite Cometæ obſervatus.

Stellulæ duæ nondum globo adſcriptæ.

17. Die 30. Decemb. circa decimam veſp. Cometam in collo Leporis obſervavit Auctor, lumine adhuc perquam lucido & conſpicuo, quamvis cum Luna junctum & vix 35. gr. ab ea remotum. At is barbam, longam unum gradum, à Septentrione recedentem Euronotum verſùs ſpargebat, & exponebat ad partes contrarias, pedem ſcilicet Orionis dextrum vel potius paulò infra eum. Nucleus verò ille capitis major quaſi loco motus ad limbum ortivum deflectere viſus eſt, exiſtente Cometa in 12° 46. Gemin. in latit. Auſtr. 40° 16. Aſc. R. 76° 36. atque declinat. 17° 16. alto in Meridie 18° 27'. atque ita à die 27. Dec. jam ultra 13°. aucto, & intervallo 24. horarum 12° 44'. in ſuo itineris ductu, in longit. verò 16°. promoto (ita ut illa die motus ejus, utpote terræ proximi, fuerit velociſſimus) ac porrò ſtrictè per caput Leporis pergente, oculum tamen ejus (quantum conjicere ex ſequenti obſervatione auctori licuit, aëre ſubobſcuro antehac obſervationum ſuarum diligentiam eludente) non occultaſſe, ſed tantùm ſupergreſſum eſſe in diſtantia 20. circiter minutorum, quâ de re à Vobis aliiſque, quibus magis favit tunc cælum, certiora præſtolatur.

Cometa quandò terræ viciniſſimus & velociſſimus fuit.

18. Die 31. Decemb. Caput Cometæ, qui ad 14°. ſupra horizontem aſcenderat, licet aliquantum quoad diametrum imminutum, colore tamen ſatis ſplendido inſtar ſiniſtri pedis Orionis gaudebat, Nucleo illo rotundo paulò longiùs verſùs limbum Ortivum prolato, caudam unius ferè gr. longit. ad Euronotum projiciens: commorabatur autem tunc veſpertina hora nona in 2° 46. Gemin. & latit. Auſtr. ferè 34°. in motu proprio tardior factus. Cum ſpatio 24. hor. tantùm 11° 16. in longit. 10°. & in latit. 6°. peregerit.

19. Die 1. Januar. hujus anni 1665. Cometa propè ſtellulam Eridani animadverſus eſt hora octava veſpertina, quæ duabus poſt horis in coma emicuit, nucleo illo majori in meditullio capitis obſervato de priore ſplendore nonnihil remittente. Obſervatus tunc eſt Cometa in longit. 24° 26. Tauri, & latit. Auſtr. 27° 45'. Motus Cometæ diurnus fuit 9°. long. verò 8° 26. & latit. 6° 15'. de die in diem remiſſior.

20. Die 3. Jan. ob brevitatem temporis vix obſervari Cometa potuit, in 14° 26. Tauri & latitud. Auſtr. 19 . caudam projiciens tres circ. gr. longam ad mediam ſtellam trium Informium ad mandibulam Ceti exiſtentium , ſed inclinatiorem Ortum verſùs. A die 1. Jan. ad 3. uſque peregerat in ſua orbita 12½ grad.

21. Die 4. Jan. inter nubium hiatus Cometa ſecundùm longit. & latit. exactè obſervari non potuit. Viſus tamen eſt colore albicanti & lucida ac caudâ notabili præditus. Colligitur autem certò ex priorum obſervationum rationibus, hæſiſſe tunc in 11°. Tauri & latit. Auſtr. 15°. 26. ferè, exiſtente Aſcenſ. R. 43° 16. & declin. 36. Boreali, & ſic quoque hâc die ſub hor. 3. pomerid. eundem ſub 44°. atque angulo pene 31°. Æquatorem jam tranſiviſſe.

22. Die 5. Jan. Cometa Sole occidente hora 4. 36. conſpectus eſt admodum vicinus mandibulæ Ceti, ſed nuſquam illam texit, quicquid alii in contrarium dicant, cum eadem hora 9. in ipſa cauda media (quæ ad 14°. excurrebat ſingulari denſitate claritateque prædita) apparuerit. Comam, in qua binæ ſtellulæ, ſcilicet circà medietatem ſpectabantur, in extremitate verò, ubi cauda valdè ſe dilatabat, pariter viſa eſt ſtellula globo nondum annumerata, planè tunc Cometa Ortum verſùs ad Clypeum Orionis porrigebat. Caput ex parte imminutum

Stellula globo nondum annumerata.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nutum nec adeò hirſutum, nihilominus tamen conſpicuum, nucleò illius in centro vix veſtigia poſt ſe relinquente. Circà h. 9. Mandibula Ceti, Cometa & illa in ore Ceti ſub linea ferè recta conſpecta eſt, longitudine phœnomeni exiſtente 8° 46. Tauri. latit. Auſtr. 13°. Aſc. R. 4° (ubi annon 40°. ſubſtitui debeant? doceri peto) 26. & decl. 2° 26. Boreal. Motus proprius Cometæ in tramite ejus eò tardior, quò Cometa reſpectu Meridiani altior evaſit, à d. 1. ad 5. Januar. 20° 45′. ferè, à die 3. ad 5. 8° 26. motu proprio, diùrno verò inter 4 & 5. Jan. 3° 36 progreſſus.

23. Die 6. Jan. Caput Cometæ minus, lucidum tamen apparuit hora 6. conſtituebat tunc cum Mandib. Ceti & illa in ore, triangulum ferè æquilaterum. Cauda 15°. longa verſùs ortum procurrit. Singulare quid in ea obſervavit Auctor, quòd quaſi ſcintillârit fluctuaritque modò arctata, modò dilatata. Erat tunc Cometa, in 7°. 6 Tauri, & lat. 10° 36′. Auſtr. exiſt. Aſc. R. 28°. 6. & delin. 4° 4′. Bor.

Cometæ cauda velut ſcintillat.

24. Die 7. Jan. obſervavit auctor caput Cometæ diminutum, nihilominus tamen ſatis clarum, comâ 13° longa, minimùm 2°. & amplius latâ inſigne: longitud. verò Cometæ detexit in 5° 36. Tauri, latit. Auſtr. 8° 36′. Aſc. R. 35° 36. decl. 5° 23′. bor. atque Altit. Merid. 40° 59′ 40″. cum Cometa continuo ductu caput Andromedæ verſùs, diſcedendo nempe perpetuò à mandibula Ceti contra S. S. aſcenderet.

25. In omni obſervatione quàm maximè operam dedit Auctor, ut diſtantias Cometæ à dictis ſtellis Capite Androm. & mandib. Ceti debitè exploraret, utpote perquam conducibiles ad motum ſcilicet proprium ac diurnum facillimo negotio, etiam abſque omni calculo cognoſcendum. Diſtantia autem Cometæ à Mandibula (NB.) neceſſariò ſemper tanto crevit in omni obſervatione, dum motu indeſinenti ferebatur retrogrado, quanto altera diſtantia Cometæ à capite Andromed. nunquam non decrevit. Extitiſſe proinde has diſtantias ſemper normæ loco de certitudine & præciſione ſuarum obſervationum judicandi ait, cum ſi vel ſemel in ſemiminuto tantùm error fieret, illicò vitium in alterutra diſtantia innotuiſſet: tùm nunquam hæ binæ diſtantiæ conjunctim, totum intervallum, capitis ſcil. Andr. & Mandib. Ceti quod aliàs 48° 9′. 40″. eſt, conſtituiſſent. Hincque binas has dictas diſtantias quocunque etiam die obſervatas, cujuſcunque etiam fuerint quantitatis (dietìm enim immutabantur) ſemper tamen ſibi invicem additas, neceſſariò componere 48° 9′. 40″. affirmat, deque hoc obſervationum ſuarum ἀκριβείας documento certos eſſe jubet omnes Aſtrophilos, quibus hìc optimè conſultum eſſe voluit, ut ſcilicet ſcirent quali compendio interdum attendendum ſit, & quòd hâc ratione non ſolùm diligentia obſervatorum in ſtellis phœnomeniſque rimandis, ſed & inſtrumentorum conſtructio & perfectio omnium optimè explorari nullo negotio poſſit. Quod ut clarius proponat, docet conſtitutis tribus ſtellis in una eademque rectâ linea, omninò neceſſum eſſe, ut binæ intercapedines ab utraque extrema ſtella conjunctìm, aſſiduè prorſus ſint æquales diſtantiæ ipſarum extremarum, veluti negari haud poteſt.

26. Die 9. Jan. in eod. quo prius ſtatu Caput Cometæ & caudam deprehendit, niſi quod hæc aliquantò longior 15. ſcilicet gr. exiſteret, & Orientalis in fronte Ceti cum aliis quibuſdam in ea conſpiceretur: Cometa verò vicinus admodum ſtellæ in fronte Ceti Occid. circà initium Tauri ſub. latit. Auſtr. 5° 46. longit. 2° 56. Tauri, Aſc. R. 32° 6. & declinat. 7° 23′. deprehenderetur, illo die duos penè gradus conficiens.

27. Die 10 Jan. Cometam obſervavit debiliori capite, materiâ ejus interiori plus pluſque ſe diſgregante, & caudâ rariori breviorique 12 ſcilicet gr. tantum. longit. ejus tunc exiſtente 2° 0′ Tauri, latit. 4° 40. Auſtr. Aſcenſ. R. 31° 0′. & decl. 8° 11. Bor. motu languidiore, ſicut ad Leporem uſque concitatiore fuerat, cum 24. horis vix 1½ grad. peregerit.

28. Die 11. Jan. Auctor in itinere Sextante ac Quadrante, tuboſpicillo longiori,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

giori, quod tranſvehi non poterat, deſtitutus, Cometam ab aliis Aſtris debitè dimenſus eſt. Caput ejus tunc pallidius & minus ratione diametri obſervavit, caudam verò longiorem ad 18°. circ. ſed tenuiorem, tùm & duas ſtellulas, alteram à parte ſuperiori, alteram à parte inferiori caudæ, hanc in fronte Occid. Ceti, illam incognitam quandam, exiſtente Cometa in 1° 20′ Tauri, latit. Auſt. 3° 30′, qui à die heſterna adhuc 1° 20′. confecerit. Singulare hîc quidpiam refert, hâc ſcilicet nocte, Cometam cum loco cœli, ubi aliquot annis continuis nova illa ſtella hæſit in collo Ceti, culminaſſe: illam à toto præterito anno hucuſque nondum ſe ab anni 1663. primis dieb. Sept. conſpiciendum præbuiſſe, ita ut dubium ſit an ſit aliquando rurſus proditura, an verò perpetuis tenebris ſe devoverit.

Stella in collo Ceti quando deſiit ab Hevelio videri.

29. Die 12. Jan. ægrè Cometam Auctor obſervavit ſinè inſtrumentis inter nubes, quanquam ſufficienti lumine præditum & cauda circà eductionem ad 7. vel 8°. longa, ſed circà apicem tenui & rara, cujus tota long. tamen 20°. æquabat. Colligit tamen Cometam tunc degiſſe in 0° 40′. Tauri, & in lat. 2° 40′. Auſtr. nubibus certas inſtrumentorum obſervationes, ad die 17. impedientibus.

30. Tribus continuis diebus circà veſp. conſpecti ab Auctore ſunt parelii cum ſuis variegatis circulis: qualia phœnomena, item halones, coronæ lunares, aliaque hujuſmodi aërea meteora in horizonte Gedanenſi ſæpius notata eſſe ait.

31. Die 16. Jan. notavit eclipſin Solarem, (à Scriptoribus ephemeridum ſilentio præteritam, ſicut & illam Anno 1664. 28. Jan. ab ſe obſervatam) non viſam tamen, quod nubes cælum ſpiſſæ texiſſent.

Eclipſes non omnes à Calendographis annotantur.

32. Die 17. Jan. Cometam ex voto obſervavit capite ſatis conſpicuo, ſed aliquanto diminuto, tùm rariori & tenuiori materia prædito: cauda ſubobſcuris, rariſſimis ac divaricantibus radiis (ſed cælo non admodum defœcato) circ. 8°. conſtante, ad oculum Boreum Tauri exporrectâ: in qua rurſus plurimæ ſtellulæ lucidiſſimæ paſſim occurrebant, inter quas capiti proxima vix 30′ vel 40′ remota excelluit. Cometa exſiſtente in longit. 28°. 20. Arietis, & latit. 1°. 0′. ſed Boreali, quòd Eclipticam jam tranſgreſſus eſſet die 16. Jan. ſub Meridiem in 29°. ferè Arietis. Cum autem à die 10. ad 17. Jan. uſque curſu ſuo 6°. 14′, confecerit, exinde motus diurnus poſterior deprehenditur fuiſſe tantum 38. minut.

Cometæ cauda plures ſtellulas exhibet.

33. Die 19. Jan. Caput Cometæ, etſi multò minus, tamen paulò ferè lucidius, quàm antè viſum fuit, idque ſcintillans radioſque recentes ſubinde ejiciens ac vibrans, ſicut & cauda, quæ inſuper debilis & circà cuſpidem valdè attenuata 8°. tantum extitit. Long. Cometæ animadverſa eſt 27°. 40′ Arietis, lat. 1°. 45′. bor. Aſc. R. 25° 36 decl. 12° 36′. Bor. Alt. verò Meridiana hâc die quidem, ſed ne vix ac ne vix obtenta eſt: eò quod adeò tempeſtive hora veſp. 5. 30′. primo ſcilicet crepuſculo culminaverit, ac viſui penè ſua exilitate & debili colore illuſerit. Exinde cum de die in diem culminationem anticipaverit, haud amplius ab hac die in illo horizonte culminare viſum fuiſſe docet; ut &, Occidentaliores illum diutiùs in meridie obſervare potuiſſe. Motum ejus proprium ita remiſſum & languidum factum fuiſſe refert, ut tantum ſemigr. uno die peregerit.

Cometæ motus languidiſſimus.

34. Die 20. Januar. Cometa licet vix ultra 35°. Luna, ad 20°. propemodum ab horizonte elevata, à Cometa abeſſet, nihilominus accuratiſſime, ſi unquam adhuc, inſtrumentis, ab Auctore obſervatus eſt. Habuit verò caput valdè diminutum, colorem longè debiliorem & pallidiorem, caudam pertenuem & albeſcentem 7°. circiter longit. 27° 25′ Arietis, latit. Bor. 2° 12′. Motu ſuo vix 27′. illa die peregit.

35. Die 21. Jan. veſperi, non obſtante Lunæ vicinitate, itidem obſervatus eſt Cometa, quanquam capite minore & obſcuriore, tùm caudâ breviori 2°. longâ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Sed poſt Lunæ occaſum & caput lucidius & cauda longior ſtatim apparuit ad 4°. ferè protenſa, exiſtente Cometa in 27° 26. Arietis in latit. 2° 36′. bor. & ſingulis tunc horis non niſi unum minutum conficiente.

36. Die 23. Jan. Cometa ferè conjunctus cum Lunâ, quæ ab eo tantùm 8° 20′. ad Auſtrum remota, utpotè in 27°. Arietis cum Cometa conſiſtens, corpus admodum debile, caudam ferè nullam habebat, ita ut ægrè inſtrumentorum ope inveſtigari & detegi potuerit, quod ad popularem aſpectum attinet, caudâ penè exutus. Teleſcopio obſervatus inſignem diſcum variis nucleis materiaque diverſa præditum, ſed minimè rotundum exhibuit, cujus magnitudinem hac via infallibili obſervaſſe ſe docet, quod comparationem inſtituerit inter partem ejus interiorem lucidioremque remoto omni capillitio & rariori iſto lumine quo cingebatur, maculaſque Lunares: id quod convenienter in tam arctâ conjunctione præſtare in expedito erat. Atque ita refert accuratâ inſpectione & contemplatione deprehendiſſe partem iſtam capitis luminoſiorem juſtè ſuperiori parti, Ponti ſcilicet Euxini ſemiſſi, nimirum à catena Mundi ad Inſulam Apolloniam uſque ſex min. prima ſubtendenti æquiparari poſſe. Commorabatur in 27°. Arietis, in latitud. Bor. 3°. motus proprius duobus diebus 41′ peregerat. Ubi videtur auctor qui ad me die 27. Jan. ſcripſit, Cometam die 23. Jan. in 26°. Arietis, ſub latitud. bor. 4°. ferè ſeipſum correxiſſe, vel quod veriſimile die 23. pro 27. poſuiſſe.

37. Die 27. Jan. Quamvis Luna pluſquam dimidiata & vicina fuerit, Cometam tamen rectè organis detexit Auctor, & acquiſivit unicam diſtantiam à Mandib. Ceti ex qua cognovit ſpatio 4. dierum præcedentium 1°. 1′. progreſſum eſſe, & in 26° 40′. Arietis & latit. bor. 4°. hærere, & per tubum quidem priorem luciditatem & magnitudinem exhibuiſſe, ſed nudis oculis obſcurum & caudâ penitus orbatum ob viciniam Lunæ apparuiſſe.

38. Die 28. Jan. Cometa nudis oculis exiguus & pallidus videbatur, ut ægerrimè per rimas pinnacidiorum deprehendi potuerit. Nonnullæ tamen diſtantiæ extortæ ſunt, ex quibus didicit Auctor eum à 23. die adhuc 1° 20′. tranaſſe, exiſtentem in long. 26° 30′. Arietis & lat. 4° 12′. ferè, & quotidiè adhuc motu retrogradu inceſſiſſe ſub latit. ſemper majori.

39. Die 30. Jan. obſervavit inter nubes Cometam, ſed lumine nimis pallido & obſcuro, tùm exutum omni caudâ ob Lunæ plenæ, ut putat, præſentiam.

40. Die 2. Febr. circà horam quintam Sole occidente non ſolùm Venus & Mercurius, ſed & Cometa proſperè ab auctore detectus eſt, ante Lunæ ortum. Illa die vix 8′. promotus erat: in Eclipticæ verò longit. 26° 20′. Arietis & lat. bor. 5° 8′. verſabatur: ratione autem eclipticæ ferè videbatur ſtationarius, tùm motu tardiſſimo in ſuo orbe progredi, atque motum proprium maximè in latum protendere. Claritate non abſimilis ſtellæ 4. magnit. ſed magnitudine multo major erat. Tria namque minuta, imò 4. ope Teleſcopii æquare, tùm capillitium penè totum exuiſſe notatum eſt. Ad dextram capitis ſurſum binæ conſpectæ ſtellulæ, quæ una diametro Cometæ tàm à ſe invicem, quàm inferior à Cometa removebantur. Cauda dein $2\frac{1}{2}$ gr. imò trium & amplius inter vibrandum, ſed pertenuis & rariſſima apparuit.

41. Die 3. Febr. corpus Cometæ non tantùm nudis ſed & armatis oculis omni capillitio nudatum viſum eſt, ſic ut interior & clarior diſcus tantum in oculos incurreret. Binæ illæ ſtellulæ prid. ad dextram Cometæ obviæ ipſiſſimo limbo ejus Orientali adhærere animadverſæ ſunt: quarum inferior à Cometico capite planè tecta fuerit, ſuperior verò minimùm limbum ſtrinxerit. Optaſſet auctor potuiſſe illas aliquot horis à ſe obſervari, ut certò conſtaret, fuerintne illæ à corpore Cometico obtectæ, an tantùm obumbratæ, tùm ut de capitis denſitate & tenuitate aliquid certi pronunciare liceret: tùm quòd ejuſmodi occultationes ad parallaxes cognoſcendas perquam utiles eſſent: & an aliquam

ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

an nullam habuerit Cometa ab Obſervatoribus longè à ſe remotis & accuratis informari cupit. Ex harum verò ſtellarum ſitu cum ſitu Cometæ & diſtantiis diverſis, inprimis à Mandib. Ceti & capite Androm. collato, exquiſitiſſimè diametrum Cometæ haud 3'. ampliorem eſſe exploravit. Cometa tunc nullum planè motum ratione Eclipticæ, ſed latitudinis tantùm, ſcilicet 5° 13'. manente ferè long. ead. 26° 20' Arietis, oſtendit, ut appareat eum in ecliptica fuiſſe ſtationarium.

Cometa an aliquam vel nullam habuerit parallaxin, Hevelius ab aliis doceri cupit.

42. Die 4. Febr. Cometa nudis oculis alius, capite ſcilicet pallidiore, tùm cauda, quanquam eadem longitudine, obſcuriore, ſed tubo optico idem ferè qui ante apparuit, lumine tamen rariori, hirſuto capillitio jam penitùs exutus. Docet dehinc ex duarum illarum ſtellarum ſitu, utpote cum à Cometa unica ejus diametro vel 3. 4ve minut. removerentur, in longit. nil quicquam proceſſiſſe Cometam, ſed motum ſui tramitis, qui hâc die erat tardiſſimus, ſcilicet vix ultra 4'. in latum protraxiſſe, atque ita ſtationarium ſecundum longitudinem penè evaſiſſe. Latitudinem verò borealem ad 3'. auctiorem factam eſſe, hoc eſt 5° 16'. Et per conſequens Cometam in ſuo tramite hac trajectione haud poſſe fieri ſtationarium, ſed ſolummodo reſpectu eclipticæ.

Cometæ motus tardiſſimus.

43. Diligentiſſimis obſervationibus conatus eſt autor inveſtigare, quomodo Cometa adhuc iter ſuum ſuſceptum ac hucuſque perductum, hoc eſt, ſub quo angulo, vel potius qua incurvatione, tum quam cæli partem verſùs iſtud reflectat, cum rem hanc valde neceſſariam nemo adhuc inveſtigaverit. Sed nec 5, 6, 7, 8 & 9. Februarii per injurias aëris fieri id potuit.

44. Die 10. Februarii auctor Cometam, qui nudis oculis inter vapores obſervari non potuit, ope Teleſcopii tandem feliciter detexit, ſcilicet à duabus illis ſtellulis quibus die 2. Febr. adhæſit, jam ad gradum integrum progreſſum eſſe, motu curriculi ſui penè toto ſecundum latitudinem, deflectendo leniter ad cornua Arietis & Eclipticæ polum verſus, ſeſe extendente, vix notabili ſpatio ſecundum longitudinis ductum, quantum videl. ex ſolo aſpectu & conjectura denegatis omnino diſtantiis à fixis, dijudicare dabatur. Videbatur itaque 26°. 46. long. & 6°. 26. ferè lat. bor. occupare, atque ita jam motu incedere directo, viamque ſuam nunc reflectere ſub inſigni itineris incurvatione caput Arietis verſus, ac ſi totum iſtud ſidus peragrare conſtituiſſet.

45. Die 12. Febr. Quamvis cælum fuerit ſudum, tardius tamen detectus eſt Cometa, tùm ob crepuſculum vividius, tùm ob Venerem appropinquantem, tùm præcipuè ob diminutionem à die 4. Febr. tàm luminis quàm corporis. Itaque hora demum $6\frac{1}{2}$. in conſpectum prodiit exiguus, pallidus, ſubobſcurus, ut vix ſtellæ illi Arietis ſub cornu quintæ magnitud. comparari potuerit, caudâ omni orbatus: niſi quòd radiolum quendam pertenuem & obſcurum primam Arietis & collum verſùs ſpargere videretur. Dehinc ex diſtantiis à Mandibula Ceti, cap. Andr. Palilicio, & ſiniſtro pede Perſei impetratis, & poſitu ſtellarum Arietis deducit Cometam in long. 27° 6 Arietis & latit. bor. 6° 30, & ait motu proprio eundem promotum eſſe à 2. Febr. adhuc 1° 45', atque ità docet motum incitaſſe ad 13'. ſcilicet uno die ſub ductu ſuo incurvato, ſiquidem curſum ſuum planè tunc inflectebat in directum S. S. S. caput Arietis verſùs, cum anteà motu retrogrado conſtanter progreſſus fuerit.

46. Die 13. Febr. nec nudis oculis nec inſtrumentis, ob craſſiores aëris evaporationes, detegi Cometa potuit, ſed tubo deprehenſus eſt uno gr. vel paulò plus adhuc à prima Arietis diſtare, ita ut in 27° 13' Arietis, in latit. 6° 35'. bor. hæſerit, atque motu proprio 24. horis 14'. confecerit.

47. Die 14. Febr. inter nubes locus Cometæ exactè notari non potuit, caput ejus nudis oculis tenue & obſcurum apparuit.

48. Die 18. Febr. Vix Cometa ab Auctore, licet ſolicitè eum quærente, inventus eſt, & quidem quo minimè rebatur loco, ſcilicet propè ipſam primam ſtellam Arietis, atque ad ejus ſiniſtram, mediam ſcilicet capitis Arietis

 &Ple-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

& Plejadas verſùs, vix 5. vel 6'. ab ea ſtella prima remotum, ita ut proculdubio eam planè texerit circa meridiem. Quam conjunctionem ſi ab aliis Orientalioribus in China vel alibi degentibus quiſpiam obſervavit (de quo tamen ipſe dubitat) libenter ad adnotandum ſimul tranſitum vel eclipſin illam notabilem, ſciret. Ita docet longit. phœnomeni fuiſſe in 28° 37'. (Arietis ſcilicet quod in textu omiſſum res ipſa videtur indicare) atque lat. 7° 10'. Bor. & perconſequens magis magiſque in motu ſuo directo perrexiſſe, & quidem à 12. Februar. adhuc 1° 40'. ſeu 1° 42'. ut 6. ſcilicet diebus ferè tantum cæli ſpatium quantum præcedentibus 10. à 2. ad 12. Febr. emenſus fuiſſe judicetur. Undè manifeſtum fit motum diurnum ultimò obſervatum fuiſſe 21'. cum die 4 Febr. tantùm 5'. proceſſerit. Caput ejus fuit pallidiſſimum, nihilominus 2'. circiter in diametro, cauda nulla.

Cometa hyemalis 20. Februarii ultimo ab Hevelio obſervatus.

49. Die 20. Febr. inter nubium hiatus deprehendit Auctor Cometam jam à prima Arietis diſceſſiſſe, quem tamen amplius propter craſſiores nubeculas, & evaporationes inveſtigare non potuit. Abhinc ad diem 7. Martii cælum continuò nubibus ſpiſſis obductum erat, illa verò dies Cometa nullibi detegi potuit, dubio procul tùm ob nimiam diſtantiam, tùm ob corporis tenuitatem.

50. Feliciter abſolutis obſervationibus Auctor longitudines & latitudines Cometæ in tabellis exhibet, quò uno intuitu videri poſſint, ad cognoſcendum facilè motum progreſſumque Cometæ.

Cometæ motus diurnus,

51. Motum Cometæ diurnum & horarium ab hora octava veſpertina cujuſvis diei incipit, ad exhibendam eò diligentius cuilibet gradus velocitatis & tarditatis cognitionem, & vitandam ex diverſis temporibus matutinis & veſpertinis orituram confuſionem.

Reverà inæqualis fuit.

52. Motum horarium apparentem reverà inæquabilem fuiſſe docet.

53. Rationem reddit curſûs Cometæ in delineatione deſignati, ſecundum ſcilicet aſteriſmos cæleſtes ſtellaſque ad curſum ejus tanto certius comprehendendum, tùm indicandum & cognoſcendum qualem viam itinerariam deſcripſerit.

Cometa hyemalis cur geminus quibuſdam videatur?

54. Recenſet cauſas, quæ nonnullos permoverint, ut ſtatuerent duos extitiſſe diverſos Cometas, nempe quòd initiò quotidiè ad Auſtrum horizontem verſùs cauda proceriſſima ad occaſum exporrecta, altitudinemque ſuam Meridianam continuò diminuendo, curſum deproperaverit: poſtmodum verò rurſùs, præſertim à die 30. & 31. exutus ferè omni coma, de die in diem plus pluſque aſcenderit, motu, ut putabant, ferè contrario: tùm quòd prior matutino, poſterior veſpertino apparuerit tempore. Quod hæc ſententia animis eorum inſederit, non eſſe mirandum docet, præcipuè quòd nonnullos latuerit Cometas curſum ſuum propemodum ſub circulo maximo abſolvere, ſed & quòd ignoraverint initio angulum orbitæ & eclipticæ: quem cum ille alterâ ſtatim obſervatione die 15. Decemb. inveſtigaverit, & in globo trium pedum ferè, quòd ad diametrum attinet, magnitudine, accuratè deſcripſerit, & ita certò cognoverit quem ductum curſu ſuo poſthac conſtanter ſequi debuerit, ideò nonniſi unum Cometam nobis viſum fuiſſe ab initio ſe affirmaſſe, & Amicis (quos inter me & per me multos alios fuiſſe, literæ ejus operi meo Deo volente inſerendæ teſtabuntur) prædixiſſe demonſtrat, ac in teſtimonium Cometas 1652. & 1661. adducit.

Unum eundemque fuiſſe quî Hevelius inveſtigarit.

Cometarum tramitem quî Hevelius deſcribat?

55. Docet ſe tramitem Cometarum deſcribere aut ad ductum alicujus Quadrantis, quo altitudines ſub circulo verticali aliàs in globis depromuntur, deſcriptâ ſcilicet certâ ſectione circuli maximi, per duo triave obſervata Cometæ loca, in globo jam rei hujus gratiâ notata: vel dirigendo globum eatenus, ut dicta illa tria Cometæ loca Horizontem omninò ſtringant, id quod vel ex ſola globi circumvolutione, vel variata inſuper elevatione poli, vel Æquatoris proſperè ſuccedit, ut ſic circulum iſtum maximum ſive totum propemodum itineris Cometici curſum ad ductum Horizontis adumbrare exquiſitè poſſis. Atque

Atque id exemplo viæ itinerariæ Cometæ nuperi demonſtrat. Quam tamen tùm peractam tùm peragendam, neutiquam omninò veram & genuinam eſſe in ſequentibus docet.

56. Omnium Cometarum motum docet triplicem eſſe. Nam

1. Communis eſt, ſeu primi mobilis, ut Peripatetici loquuntur, quem alioqui Mathematicorum plerique Terræ ejuſque motui diurno tribuunt, quo mediante Cometæ cum ſtellis fixis ſimul oriri, ſimul occidere 24. horarum ſpatio videntur. De quo hîc non agitur.
2. Apparens, quem hic Cometa curſu ſuo retrogrado C. S. S. & penitùs inæquali perfecit. De quo hîc agitur.
3. Proprius verus & genuinus, quem omnis Cometa à naturâ habet, ut ipſi qui naturalis ſit.

Cometarum motus eſt, Vel communis ſeu primi mobilis, Soli vel terræ conveniens, Vel apparens; Vel proprius verus & genuinus.

57. Motus ille apparens ſolus à nobis omnibus percipi oculis inſtrumentiſque obſervari poteſt, atque ex ejus ductu trames Cometæ viſibilis propemodum ſub circuli maximi ſectione exortus atque delineatus eſt. Hic tamen non eſt ille verus, genuinus & naturalis: ſed potiſſimùm ex terræ motu redundat, ſine quo ſanè fieri vix poteſt, ut vel unicum Cometam, nedum omnes unâ eâdemque invariatâ hypotheſi expedire poſſis, omnibus abſurdis, difficultatibus mirîſque phœnomenis in quibuſvis obviis. Hunc motum terræ ſe motui Cometarum genuino ac innato immiſcere ait. Cum autem terra reſpectu elongationis à Cometa alio tempore valdè ſit diverſa, ſequi neceſſario dicit, ut motus hic apparens hoc quam illo tempore planè ſit diverſiſſimus: atque ita tardiſſimus, ut Cometa planè ſtationarius eſſe videatur, cùm videlicet terra penè in ipſum Cometæ incidit veſtigium, ſecundùm ſcilicet ejus exporrectionem, ſuper quo reverà omnes Cometæ ſuo motu verò moventur: è contrà velociſſimus cum Cometa & Terra ſe invicem tranſeunt, hoc eſt, ubi terra, vel à parte ſuperiore vel inferiore Trajectoriam Cometæ motu contrario tranſcendit. Illud in noſtro Cometa circà initium Dec. vel potiùs 23. Novemb. (ibi enim primam fuiſſe ejus ſtationem colligit, quod me Anglicana & Lugduno-Batava obſervatio docuêre) hoc inter 29. & 30. Dec. contigiſſe affirmat. Et ſtatim docet fieri aliter non poſſe, quàm ut motus iſte apparens velocior reddatur, imò in ipſo tranſgreſſu omnium velociſſimus.

Motus Cometarum apparens. Motus terræ ad expediendas motûs Cometici difficultates neceſſarius.

Cometa quandò videtur eſſe ſtationarius, Et quando eſt velociſſimus? Nuperus hyemalis quando ſtationarius & velociſſimus fuit?

58. Motum iſtum in Cometa obſervatum ex motu Cometæ proprio vero, & motu terræ annuo compoſitum ratione utriuſque motus neceſſariò, adeò inæqualem certis temporibus apparere debuiſſe, licet motus verus per ſe penè æqualis ſingulis diebus & ſummè ordinatus fuerit, demonſtrat.

Motus Cometæ apparens erat inæqualis, licet motus verus fuerit ordinatus.

59. Cometis illum verum & proprium à natura inditum motum eſſe diverſum, & cuique Cometæ ferè peculiarem, imo nec in unius Cometæ curſu ab omni parte æqualem, attamen in omnibus ſummè regularem & proportionatum docet: reliqua in IX. Cometographiæ ſuæ librum de hoc argumento reſervans, his interim prolatis ut curſum Cometæ demonſtret, & Philomathematicis facem quaſi præferat, ſtimuloſque addat ad has res ſublimes ulterius proſequendas.

Motus Cometarum verus & proprius eſt varius.

60. Incomparabilem Tychonem, tùm Snellium, Crugerum alioſque, refert in ea fuiſſe ſententia, Cometas ratione motûs apparentis ſub circulo exquiſitè maximo ferri. Hos autem hallucinatos eſſe, ſe lib. 1. Cometographiæ abundè demonſtraſſe affirmat, & docet neque hunc neque ullum alium Cometam unquam ſanè adeo ſtrictè circulum maximum toto durationis tempore motu ſuo apparenti deſcribere, ſed eos potius aliquando ab iſta orbita penitus rotunda nonnihil, imò ſatis evidenti ſpatio deviare.

Tycho refutatur ab Hevelio. Cometæ motu apparenti ſub circulo exquiſitè maximo non feruntur, Sed deviant.

61. Et lubens quidem largitur Cometam ſi ea velocitate incedat, ut minimum duos quovis die expediat gradus, licet poſthac motum intendat ad 20, 30, 40° & amplius, ſicut in Cometa Regiomontani Anno 1472. animadverſum eſt, donec iterum curſum ſuum ad 2°. circ. redigit ac retardat, eo ſcilicet tempore,

Cometæ curſus diurnus longiſſimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Quî & quando circulum maximum deſignat? Quando id fieri nequit?

pore, iſtudque intervallum peragrando deſignare motu ſuo apparenti (demptis ſcilicet refractionibus & parallaxibus, ſi quæ Cometis inhærent) circulum ſatis præciſè maximùm.

62. At negat id tunc fieri, ubi Cometa tardiori quam 2° motu fertur vel ſtationarius eſt, vel curſum reducere incipit. Tunc enim dicit Cometam paullatim jam ab illo circulari ductu deflexiſſe, atque eò plus quò tardior ſit, propiuſque ad ipſam accedit ſtationem, idque exemplo nuperi Cometæ demonſtrat, nempe à die 18. Dec. exiſtente ejus motu jam 1° 51′. ad 8 & 9. Jan. uſque, ubi adhuc penè ſimili peragebat, ibidem curſum Cometicum fere ſub ductu circuli maximi peractum eſſe. At eundem ſub notabili incurvatione curſum ſuum S. S. S. reduxiſſe ad oculum docet, quod ex obſervationibus ejus ſuperius poſitis facilè colligi poteſt.

Cometæ deviatio quid variationis adferat?

63. Oſtenſo nullius Cometæ curſum integrum ſub ductu circuli abſolutè maximi abſolvi, ex iſta Cometæ deviatione oriri docet, quod angulus orbitæ & Eclipticæ, tùm Æquatoris in Cometis indies variet, idque exemplo nuperi Cometæ probat.

Cometarum nodus Boreus & Auſtrinus,

64. Exinde nodos Cometarum diverſos deducit, & ferè in perpetuo verſari motu, nec utrumque nodum, Boreum ſcilicet & Auſtrinum, ſive aſcendentem & deſcendenem ſemper in gradu prorſus oppoſito Eclipticæ verſari docet.

Quî uterque varient.

65. Mox quanta fuerit diverſorum Cometarum variatio anguli orbitæ & eclipticæ, tùm nodorum progreſſio in tabella exhibet, & Cometam 1661. tàm angulum illum quàm Nodos omnium maximè ibi 15° 44′, hîc 27° 6′ eductis) variaſſe aſſerit, & concludit nequaquam Cometas præciſè ab ipſo initio ad finem uſque obſervare tramitem circuli maximi, licet plerique, imò ferè omnes quibus Cometæ ætherei ſunt, aliter, ſed perperam ſtatuant.

Cometarum deviatio unde veniat?

66. Illam deviationem vel evagationem oriri 1. ex deviatione reali, quæ ex ipſa materia Cometica originem ducit, & 2. ex deviatione apparente, quæ ex vario ſitu variaque diſtantia Cometarum à Terra & Sole motuque Terræ annuo profluit: 3. & ultimò ratione motus impreſſi atque inclinatione diſci corporis Cometici prolixius docet, & materiam hanc nondum à quoquem quod ſciat, vel leviter tactam, nedum planè retectam pertractat, ita tamen ut plenam hujus rei demonſtrationem in lib. IX. Cometogr. referat: & qualiſnam revera ſit ductus Cometarum curſûs, quo apparente ſcilicet illum deſcribunt, arduum eſſe fatetur & oſtendit.

Cometæ ætherei. Terræ motus. Cometæ incurvatio invento Hevelio debetur:

67. Tùm gratulatur ſibi multùm, cum res magni momenti ſit ſcire, ubinam Cometæ ſint ſtationarii & ſub qua inflexione viam vertant, tum ad Cometas æthereos eſſe, contra Peripateticos, tum ad motum Terræ annuum probandum, ſe incurvationem illam à nemine, quod ſciat, ſive in hoc, ſive in aliquo alio adhuc rectè animadverſam, inveſtigaſſe & deſcripſiſſe.

Qualis ea fuerit?

68. Oſtendit Cometam nuperum non ſubitò poſt ſtationem ſub angulo acutiſſimo ſive nullo, iter ſuum reflexiſſe, retinendo eum ipſum omninò ductum, quem eouſque conſervaverat, ſed pedetentim ſub lentiſſima obliquatione ſatis notabili iter ſuum reduxiſſe, à pedibus ſcilicet præcedentibus atque collo ad primam præciſè Arietis, ubi die 18. Febr. deprehenſus eſt. Motum itaque ſuum directum ſub longè elevatiori tramite deinde inſtituiſſe, quam ille aut fortaſſis alii unquam putaſſent. Quantum autem ex iſto obliquiori ductu atque curſu, quem motu retrogrado totâ duratione peregit, colligere licet, quemadmodum etiam haud veretur affirmare, Cometam inde à prima ſcilicet Arietis ſupra ejus caudam Plejadas verſus, à parte tamen earum paulò ſuperiori, ſub 5°. circ. latit. bor. curſum ſuum arripuiſſe, ità ut Eclipticam primùm in 10°. Cancri in medio ferè aſteriſmo Geminorum (ad quod NB. caudam adeò conſtanter per totam durationem tàm matutinus quàm veſpertinus exporrexit) rurſus tranſgrederetur, ad obtinendam denuò lat. Auſtr. ſi nempe eouſque perduraret & minimè conſumeretur priuſquam eò deveniret. Optandum eſſe dicit Auctor à

Caudæ hyemalis cauda perpetuò ad ſignum geminorum direxit.

quopiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quopiam id ipſum obſervari potuiſſe, ſed valdè dubitat, cum à die 18 Febr. jam amplius detegi à ſe non potuerit, ab alio quopiam id animadverſum eſſe, licet omnium longiſſimis tubis opticis id tentatum fuerit: Cometa ſcilicet jam tunc valde imminuto & à terra remotiſſimo, quem tamen eouſque imò longius ob corporis ſui conſtitutionem in altiſſimo æthere conſervari potuiſſe Auctor opinatur.

69. Hunc ductum Cometæ, quem in progreſſu S. S. S. ſequutus ſit, inter ſingularia, imò inter naturæ arcana meritò referendum eſſe dicit, & ſibi perſuadet Cometam altera vice in 10°. Cancri Eclipticam tranſcendiſſe, id ex ductus ejus incurvatione & reliquis circumſtantiis deducens, undè neceſſariò ſequi dicit, quod diſtantia Tropicorum hujus Cometæ (ut ita loqui liceat) omninò ſit æqualis diſtantiæ Tropicorum terræ ſeu Solis, hoc eſt 47°. ferè: tùm quòd rurſus ſub tali incurvatione, ut ad Arietem factum eſt, ea lege, ſi eouſque perduraſſet, ad Corvum redierit, atque ſic totum ſuum orbem ſub ductu lenticulari planè finierit & abſolverit.

Naturæ arcanum ſingulare detectio viæ Cometæ hyemalis.

70. Annon exinde præſumere, imo concludere liceat, motum hunc apparentem, tàm retrogradum quam directum, prorſus ex terræ motu annuo redundaſſe, quæ ejus eſt ſententia, peritioribus & ſinè præjudicio res expendentibus, remque Aſtronomicam, præcipuè Cometographiam excolere cupientibus decidendum relinquit.

Terræ motum ad demonſtrandum Cometæ curſum Hevelius multum facere putat,

71. Motum illum ex motu Solis proveniſſe negat, & negato terræ motu quævis abſurdiſſima proſilire docet. Sequi ſcilicet ex lege infallibili, quod integrum Syſtema Cometicum, adeò vaſtiſſima machina, quæ nulla ratione materia quadam ipſi corpori Solari, ut facilè conceditur, affixa ſit, à Sole motu prorſus contrario, quem Peripatetica Schola ipſaque natura reſpuat, per diverſos Planetarum orbes, obliquo & inclinato ad eclipticam ſitu perpetuo & conſtanti motu æquabili circumducatur vel circumrapiatur. Quod quàm abſurdum ſit, inprimis ſi diverſiſſima illa inæqualitas & velocitas motûs apparentis, conceſſo etiam in linea quadam rectâ, Cometam motu proprio ferri, Terra ſtante & abſque motu Solis per calculum & rectè conſtructam hypotheſin, ad omnium dierum Cometæ à terra diſtantias defendi & demonſtrari debeat, iterum iterumque Aſtronomis dirimendum committit.

Imò neceſſarium eſſe docet.

72. Secundâ vice Cometam trajeciſſe eclipticam in 10°. Cancri (niſi prius abſumptus eſt) die 13. Martii hujus anni 1665, Sole tùm exiſtente in 21°. Piſcium, ſive potius Terrâ in 21°. Virginis in elongatione à Sole ſeu Terra 109°. hoc eſt, paulò poſt ejus Quadraturam, atque ibidem velociſſimum ejus motum ad 13°. ferè, ſicut inter 29. & 30. Decemb. fuiſſe ex illa hypotheſi certò affirmat, & certa ac infallibili conſequentia ex motu retrogrado curſum Cometæ directum, proportione motus Cometici à die 22. Jan. ad. 4. Febr. & exinde ad die 18. ſumptâ, deducit & commonſtrat, ut & proportionem curſûs à die 23. Nov. ad 4. Febr. & exhinc ad 18. Aprilis, velut à carceribus ad calcem.

Cometici motus proportio.

A principio ad finem.

73. Ad motum apparentem retrogradum ſive contra ſignorum ſeriem reverſus, motum Cometæ proprium ex Corvo ad 26° Arietis uſque deducit, ſecundum verò latit. in ipſa ſtatione haud 5° 16'. bor. majorem extitiſſe dicit. Et latitudinem quidem dehinc creviſſe, utpote die 18. Febr. 7° 16. obſervatam, non tamen in curſu directo 8°. ſupergreſſam eſſe, imò de die in diem ſenſim ad Eclipticam uſque Nodumque deſcendentem decreviſſe, atque ita minimum motum in ſuo tramite non infra 5'. extitiſſe, indeque nullâ ratione in ſua orbita vel tantillum ſubſtitiſſe, ſed ſolummodo reſpectu Eclipticæ penè ſtationarium factum eſſe (quod & pag. 17. dixerat Numero 42. à nobis notatum) & velociſſimum curſum inter 29 & 30. Decemb. in Lepore (cujùs animalculi curſus perniciſſimus vulgo notus) peractum nonniſi ad 12°, 44'. produxiſſe, in oppoſitione ſcilicet Solis, quod etiam ad illum calami errorem pag 7. dum de eadem re ſermo fit, admiſſum, facit, exiſtentem pronunciat.

Cometæ motus proprius deducitur.

74. Hâc occaſione docet non ſemper Cometas in oppoſitione Solis fuiſſe velociſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometæ in oppoſitione Solis non omnes velociſſimi, ſed quidam retrogradi.

lociſſimos, ſed quoſdam etiam retrogrados: velociſſimos autem omnes ubi Terra Trajectoriam, aut in ſuperiori, aut ab inferiori parte tranſit, inprimis ſi accidat in diſtantia Cometæ à Terra nec non Sole propiore.

Cometæ hyemalis motus fuit velociſſimus,

Comparatur motui Cometæ 1472,

75. Cum omnium Cometarum motus apparens ſit diverſus, & modò tardior modo velocior, nuperi certè licet non velociſſimus omnium, præcipuo tamen ab Auctore ponitur loco. Meminit inter alia Cometæ illius Anni 1472. qui teſte Regiomontano 24 horis 40°. in ſua orbita, in longitudine verò 4. integra ſigna Zodiaci hoc eſt 120°. à fine nempe Virg. ad principium uſque Geminorum, motu pariter retrogrado, adinſtar nuperi, qui tantùm 13°. in ſuo orbe apparenti & 16°. in longit. tranſcendit, pervolaverit.

Cometa hyemalis cum illo 1472. comparatus.

Ricciolus laudatur,

Kircherus laudatur.

76. Hac occaſione egregiam ratione motûs à Libra ad Arietem, & caudæ ad ſtellas Geminorum ſemper directæ comparationem utriuſque iſtius Cometæ inſtituit, quam me primùm in lectione Hiſtoriæ Cometarum, à Te rerum naturæ & utriuſque mundi ſagaciſſime, cum Tuo Kirchero Ricciole, ſummâ diligentiâ compoſitâ obſervaſſe, & contrà Ubſalienſem Mathematicum Cometæ Corvi & Leporis inæqualem motum ad geminum Cometarum probandam adferentem urſiſſe, aliquando in opere meo, ſi Deus utrique noſtrûm vitam prorogâvit, videbis: à quo etiam didici Cometam 1471. in proprio ductu 30° abſolviſſe.

Cometa hyemalis die 23. Nov. obſervatus:

77. Aſſerit Auctor Cometam die 23. Nov. potuiſſe videri, cui fini obſervationes Oxonienſem & Lugduno-Batavam attuli. Hujus à me ſibi communicatæ (fortè & ab alio quopiam) p. 32. meminit. De illa reſponſum ab eo expecto.

Ejus motus, & duratio ferè ſingularis, quâ præſtet celeberrimo illi Cometæ 1472,

Riccioli Almageſtum laudat Auctor.

Cometarum diverſorum duratio collata cum duratione Cometæ hyemalis.

Cometa ſuper Jeruſalem anno integro fulgens pro phænomento extraordinario à quibuſdam habetur.

Ricciolum conſulit auctor de Cometa octimeſtri, & de numero ſemeſtrium.

Epocha Chriſti vulgaris biennio minor eſt verâ.

78. Demonſtrat Cometam noſtrum in longit. 5. integra Zodiaci ſigna & 11° 41′, in orbe ſuo verò 159° 15′. abſolviſſe, & ad illum Regiomontani, qui 175°. peregerit, acceſſiſſe, ac diebus 79. ſi ſcilicet phaſis ejus à die 2. Decembris arceſſatur, duraſſe. Ac notat paucis ut tanto ſpatio durarent, contigiſſe, cum nec ille Anni 1472. hoc beneficii obtinuerit. Quod quidem Tu, Clariſſimæ diligentiæ Ricciole, ſpeciatìm non annotas. Cui debeo ut plurima, ita & didiciſſe me ex Tuis rationibus, Cometam noſtrum duratione illi Tychonianis, Haſſiacis aliiſque obſervationibus celeberrimo anni 1577. æqualem, ſuperiorem verò illis Anni antè C. N. 356. 336. 130 & 119. qui 70. Anni poſt Chriſtum nat. 1532. qui 71. & Anni ante Chriſtum Natum 431. qui 75. diebus apparuerunt: ſed inferiorem fuiſſe illis Anni 676 1264. 1363 & 1433. qui 90. tùm illo Anni 1337. qui 120. denique illis Anni 64. 603. & 1240. qui 180. diebus fuerint viſi, ut in medio relinquam illum, qui ſuper Hieroſolymitanam urbem integro anno fulſit, & pro extraordinario portento à Tychone, Fromondo, Glorioſo & Cottunio à Te allegatis habetur. Cum verò ibidem durationem Cometæ ſex menſibus definias, Auctor verò hîc loci illi qui apparuit Anno Chriſti 975. (non 375.) octo menſes tribuat, quâ de re nihil alii habent, ſed tantum Calviſius ex Cedreno, & Eckſtormius ex Schoſſero, Cometam hunc deſcribunt, velim quid hìc ſtatuendum ſit, mihi haud gravatim perſcribas. Adhæc ſemeſtres, quales Tu tres tantùm, ſcilicet Anni 64. 603. & 1240. cujus ut nec proximi durationem in ulla Chronologia Cometica adhuc invenire potui, cenſes; ille quatuor & tres quidem diverſos Anni 60. (quem & Eckſtormius recenſet, ubi apparet biennalis illa diverſitas ſupputationis vulgaris & veræ ſatis nota, ut & in Alſtedio binos ſemeſtres Cometas Anno æræ, ut putat, veræ 62 & 66. vulgaris verò 60 & 64. ponente, Te verò nonniſi unum in Annum 64. referente) tùm Anni 145, 337. ac demùm 1240. recenſet. Velim me qui hîc tangenda iſta eſſe putavi, in ſupputando pariterque diſputando, pro eximia Tua tam humanitate quàm eruditione adjuves. Sed ad orbitam Cometæ noſtri.

Cometæ ex matutinis facti verſpertini & contrà.

79. Recenſet Cometas qui ex matutinis facti ſunt veſpertini & vice verſâ 594. 1472. 1531.

80. Come-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

80. Cometam in Gedanenſi hemiſphærio (multò magis in locis minori elevatione poli gaudentibus) horizontem circa meridiem non ſubiiſſe nec ſe occultaſſe, contra nonnullos probat: nempe quòd Cometa etiam in depreſſiori ſitu atque in majori ſuâ latitudine Auſtr. 49°. non ultra 6°. infra Tropicum Capricorni pervenerit, ideoque adhuc ultra 5°. in meridiano Gedan. elevatus fuerit: alibi tamen ubi polus elevatior ſit, uno alterove die Æquatorem ſtringere aut etiam penitus occidere potuerit, ut Holmiæ, Narvæ & aliis in locis, die 26 & 27. Dec. At in locis Norvegiæ, Finniæ &c. Septentrionalibus horizonti ſe omninò ſubmerſerit, imò ante 30 Januarii conſpectus non fuerit.

Cometa hyemalis horizontem Gedanenſem non ſubiit.

81. Cum dixerit Cometam ejuſmodi inæquales motus diurnos in ſua orbita peregiſſe, docet motu quidem totâ duratione fuiſſe inæqualem, interim tamen ſub ea ipſâ inæqualitate ſummam latuiſſe regularitatem & proportionatam inæqualitatem, cum debitâ proportione motus iſte creverit, & decreverit, ita ut motus ille pro irregulari, multominus vagabundo, reputari non mereatur, Cometis motu apparenti viam quidem ſemel ſuſceptam conſtanter, ſed ſub certâ deviatione, more Planetarum, peragentibus.

Motus Cometæ inæqualis, proportionatè tamen fuit:

82. Motum Cometæ genuinum à natura inditum docet, non à quovis nec niſi accuratioribus majorum inſtrumentorum ope acquiſitis obſervationibus, mediante demum calculo inveſtigari poſſe, nec eundem eſſe cum illo apparenti, imò nihil cum eò habere commune, niſi quòd uterque motus Terræ & Cometæ in orbita illa apparente ſeſe miſceat, ac illum motum apparentem componat producatque.

Genuinus ille difficulter inveſtigatur.

83. Hinc delabitur in quæſtionem, omnium naturæ Speculatorum judicio ſubjectam, qualis ſit illa itineris via, quam omnes Cometæ motu ſuo genuino & vero deſignent? Utrum ferantur motu circulari? an recto? an verò curvo? ſi ſit rectus, an ſit preciſè rectus? an potius ex parte curvus & flexuoſus? E contrariò ſi ſit incurvus, utrùm ſit regularis an verò irregularis? Denique ſi regularis, utrum ſit ellipticus an parabolicus, an verò hyperbolicus? Sed cum hæc ſint ardua cognitu, Mathematici autem non nudis verbis ſed rationibus & demonſtrationibus acquieſcant, in Cometographiam ſuam hæc refert, in Prodromo ſolum delibata. In meo opere ſuper his non pauca, diverſæ ſcilicet ſententiæ à diverſis latæ, reperientur Deo volente.

Hevelius quæſtionem omnibus Mathematicis proponit de motu Cometæ genuino.

84. Motum Circularem Cometis non competere docet, allegatiſque teſtibus Tychone & Keplero probat. Contrarium dicit Doctiſſimus Chriſtianus Buſmannus, Ph. & Med. Doct. ac Phyſicus Hannover. Ordinarius, quicum de hoc argumento commercium literarum mihi intercedit, ut & cum Clariſſimo Abrahamo de Grau, Math. Profeſſ. Franequeranus, qui ſtat pro vago motu.

Motus Circularis Cometis non competit:

De eo diverſæ Mathematicorum ſententiæ.

85. Auctor noſter (quem & Clariſſimus Fridericus Büthnerus Prof. Math. Gedan. ſequitur ferè ut puto rectilinearem motum in ſeſe ſtatuens, qui curvilinearem facere fuerit viſus; in ſpecie vel parabolam ſimpliciter, vel evolutam parabolam ſeu conchoidem) per lineam rectam propemodum, hoc eſt, incurvatam, vel potius Conicam motum hîc expedit, præſuppoſito expreſſè motu Terræ, quod & Büthnerus facit & Gravius, ſed & notus Vobis Leuneſchloſſius Heydelberg. Math. Profeſſ. qui etiam viam Cometæ variè incurvari docet.

Motus terræ.

86. Docet Cometas in motu ſuo naturali nunquam fieri ſtationarios nec retrogrados, ſed ſemper prorſum & in directum, ubicunque ſint, tendere, & *propemodum*, ſi vel annum integrum ac diutius durent, in ſuo ductu verò æqualiter progredi. Sed ad penitiùs hæc cognoſcenda lectorem ad Cometographiam ſuam remittit, utque ad lectionem illius libri mentem à præconceptis opinionibus & pertinacia liberam adferat, monet.

Motus Cometarum naturalis ſingulare privilegium.

87. Motum illum Cometæ directum & penè æqualem motui Planetarum facit ſupparem, etſi ille apparens ferè ut plurimùm contrarius, inæqualis, ſtationarius, imò retrogradus ſit. Utrumque convenientiſſimè explicari docet mediante

Motum Cometarum cum motu Planetarum confert.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Conica ſectio in Cometarum motu quid præſtet:

diante ſectione Conica, quam in Cometis modo parabolam, modò hyperbolam, modò ellipſin referre, ſecundum nempe motum Cometæ impreſſum atque inclinationem diſci Cometici, nec non diſtantiam vel intervallum Cometæ à Sole, angulumque Trajectoriæ & plani Ecliptici, docet.

Per hanc omnes Cometas difficultatibus omnibus liberat Hevelius.

88. Hâc viâ Conicâ omnes Cometas omnibus difficultatibus expediri docet, etſi motum illum apparentem habeant mirabiliter irregularem, ſimul tardiſſimum, ſimul velociſſimum, & illo Cometæ 1472. longè velociorem, nec non quam diutiſſimè durent.

Cometarum motus inſolens.

89. Etiam hos Cometas eadem viâ ex difficultatibus omnibus evadere demonſtrat, qui ſpatio 50. dierum 16. ſigna Zodiaci peragrare, vel duobus tantummodò diebus 8. Zodiaci ſigna pervolare poſſunt. Licet in medio tardiſſimè procedant: quod citra motum Terræ fieri poſſe valdè dubitat, & nullos Cometas reſpicere Conicas ſectiones aſſerit.

90. Fatetur poſſe nonnullos in linea ferè recta ſive obtuſiori Conica moveri, atque pluſquam ſex Zodiaci ſigna percurrere: imò alium etiam in linea omninò recta 16. imò 18. ſigna cæleſtia peragrare, nec tam hunc vel ullum alium annuo ſpatio totum orbem magnum pervaſiſſe, nedum Syſtema totum Planetarum, multominus fixarum tranſcendere, atque ita mundi machinam emetiri totam, & diametrum orbis magni ſive Terræ vel Solis æquare docet.

Cometas in orbe Planetario generari, curſum abſolvere & diſſolvi Hevelius docet:

91. Hinc infert omnes in univerſim Cometas in Syſtemate generari Planetario, motum ſuum abſolvere tandemque etiam penitus diſſolvi, priuſquam ad fixas viamque lacteam pervenire poſſint, nec ideò originem eorum ſub fixis vel in via lactea quærendam eſſe.

Eoſdem nunquam eſſe vel tardiores Saturno, vel velociores Mercurio.

92. Singularem ſubdit obſervationem Cometas nunquam eſſe tardiores Saturno, vel velociores Mercurio motu ſuo vero, & in ſua vera Trajectoria ſecundùm Semid. Terræ.

Motus Cometæ verus diurnus inveſtigatu difficilis:

93. Verum motum diurnum Cometarum omnium valdè eſſe diverſum ſe inveniſſe multo ſudore & in Cometographia demonſtrare affirmat, & addit ſingulare quidpiam, cujus Cometæ motus proprius fuerit tardiſſimus, illius motum rurſus eſſe velociſſimum, allegatis exemplis Cometarum 1472. & 1607.

Hujus inæqualitas unde veniat.

94. Inæqualitatis motus hujus veri rationem reddit, & demonſtrat non eo loco Trajectoriæ, quo alias motus in ſua orbita omnium ſit velociſſimus, ubi videlicet Cometa Terræ proximus eſt, aut Terra motu contrario veſtigium tranſgreditur, ſed ibidem ſolummodo, ubi Cometa Soli vicinior exiſtit, adque perpendiculum ex Sole in Trajectoriam incidit, ſub angulo ſcilicet normali, eſſe concitatiſſimum: quin etiam conſiderandam hîc eſſe corporum ſoliditatem Atmoſpheræ, ex qua prodeunt primùm, qualitatem & alias cauſas, quæ Cometam alterum alteri modò tardiorem, modò velociorem efficiant.

Sol tanquam Rex à Cometis adoratur, Centrum Planetarum:

95. Omnes & ſingulos Cometas Solem certo reſpectu venerari & ſuſpicere, tanquam ſuum Regem, præſertim ſuâ inclinatione diſci perpetuo Soli ſub angulo recto obverſi, ſicut Planetæ coævi Solem ſemper pro centro habeant, comperiſſe ſe dicit. Indeque etiam curſum Cometarum Conicum, modo celeriorem, modo tardiorem deducit, brevibus tamen, reliquis in Cometographiam rejectis, ut & plurimis ac diverſiſſimis & haud vulgaribus quæſtionibus de Cometarum motu genuino, deque illorum deviatione, incurvatione & inclinatione &c. quas recenſet. Inprimis vero ibidem ex cauſis merè phyſicis commonſtraſſe ſe dicit, unde motus Trajectorius verus Cometarum originem ſuam ducat, tùm quomodo conſervetur?

Cometographiæ Hevelianæ quædam capita.

Motûs Cometici ratio ſummatim enarratur.

96. Concludit hanc rem aſſeverando, quod Cometæ ſimul motu apparenti, ſimul vero ſeu nativo, inæquali quidem, ſed maximè regulari in Trajectoria Conica & plerumque parabolica, ad planum tamen Eclipticæ frequenter inclinata, ſemper in directum progrediendo, donec intereant, ferantur. Nihilominus ſub circulo propemodum maximo eos obſervari, modo ſegniori, modo concitatiori incedere curſu, nonnunquam directos, ſtationarios, rurſus retrogrados,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

grados, vel vice verſa ferri, atque id calculo Cometarum clarè evinci, ſubdit.

97. Præcipuam illam quæſtionem ac verè principalem, utrum Cometæ ſint ætheræi vel aërei? decidit, ac æthereos eſſe aſſerit 7. præcipuè rationibus, ubi inter alia notat Cometas, ſi aërei eſſent, miras ſanè apparitiones in aëre oſtenſuros eſſe, ut ſemper tortuoſus, vagabundus imò reciprocus motus, confuſo ordine abſque omni lege & proportione deſcriberetur, nec diutius duabus horis in aëre ſupra horizontem commorari poſſe, tum & parallaxes clarè evincere Cometas minimè in aëre verſari. Addit autem ſe loqui de Cometis veris, non de Pſeudo-Cometis, qualia ſunt aërea vel ignita, quæ pro Cometis ſæpè venditantur.

Cometas in æthere non in aëre apparere Hevelius docet.

Pſeudo-Cometæ meteora aërea.

98. Probat Cometas eſſe æthereos exemplis Cometarum 1652 & 1661. (quorum occaſione Cometographiam conſcripſit) præcipuè verò nuperi Cometæ, cui 7. illas rationes aptas, idque etiam obſervatione tam ſua, quam Cl. Bullialdi (quam ad ſe miſerit, prout & ad me miſit) die 9. Jan. facta comprobat, aliorum Mathematicorum in remotioribus locis degentium obſervationes ſuo tempore libenter viſurus, quarum non paucas ego in meo opere, Deo volente, promam.

Cometæ æther ei 1652. & 1661.

99. Peripateticorum ſententiam diſcutit, & oſtendit motum adeò Regularem, directum, ſtationarium & retrogradum in aëre, ubi illi Cometas ſub concavo Lunæ mobiles ſtatuunt, dari non poſſe, Cometas, quos Pſeudo Planetas vocat, motu ſuo ferè in omnibus æmulari Planetas, & ritu eorum in Perihelio ſemper motu ſuo nativo velociores eſſe, & ita etiam in æthere moveri, parem obſervantiam Soli, ceu Regi, exhibentes.

Cometæ Pſeudo-planetæ.

100. Docet ex parallaxibus verticalibus & horizontalibus, quæ in Cometis longè minores quàm in Luna, imò in ipſo interdum Sole dentur, Cometarumque illorum trium proximè recenſitorum Obſervationibus, quas ſe more Mathematico ad probandam certò ſententiam Suam in Cometographia l. 4. 10. & 11. allaturum eſſe pollicetur, Cometas cæleſtibus non elementaribus annumerandos eſſe corporibus, contrà quàm Peripatetica Schola Ariſtoteli tenaciter adhærens ſtatuat. Idem unica obſervatione à ſe die 4. Febr. habita, inveſtigatâ ſagaciter Cometæ nuperi parallaxi demonſtrat, ut & hanc 8″. provenire, ſed horizontalem 41″. quæ Cometam tunc à terra 5000. Semid. Terræ ſive 4300000. mill. Germ. diſtantem æthereum fuiſſe arguit.

Parallaxes Cometarum Lunaribus minores.

Cometæ die 4. Febr. à terra diſtantia.

101. Ut parallaxes, ita & diſtantias Cometarum in dies variari, & modò terræ viciniores, modo ab ea remotiores eſſe docet, ideò ſcilicet quòd Cometæ non in circulari orbe, cujus centrum terra eſt, ſed in Trajectoria Conica, ut plurimùm obtuſiori, atque ſub diverſo angulo inclinationis ad planum Eclipticæ, in hac vel illa à Terra Soleque diſtantia moveantur.

Parallaxes & diſtantiæ Cometarum in dies varians.

102. Concedit Cometas nonnunquam orbem Lunæ ſubintrare, imò etiam ipſum aërem vaporoſum aliquando trajicere poſſe: non quidem quòd in aëre generentur, ſed quòd trajectoria in tanta vicinitate ad terram trajici poſſit, ut neceſſario Cometam per atmoſphæram noſtram crepuſculinam tranare oporteat, petendo ſtatim ætheris ulteriora & remotiora. Cum autem illa trajectoria in ſingulis Cometis planè ſit diverſa, tum qua ſitum, inclinationem & diſtantiam à Sole terraque, inde demonſtrat nullum Cometam cum altero in omnibus, præſertim in ductu tramitis, tam veri quam apparentis, planè convenire, ſed hos in Ortum, illos in Occaſum, paucos Meridiem, plurimos Aquilonem verſus pergere.

Cometæ quandoque orbem Lunæ ſubintrant.

Cometæ nunquam inter ſe per omnia conveniunt: Pauci Meridiem, plurimi Aquilonem verſus tendunt.

103. Oſtendit & rem eſſe arduam decidere an omnes Cometæ fiant Stationarii & retrogradi? Et ſe rem hanc, à nemine adhuc tactam, multominus detectam, ex Cometæ nuperi Obſervationibus didiciſſe & detexiſſe. Et obſervaſſe quidem ſe non omnes Cometas, poſtquam tardi facti ſunt, fieri Stationarios, nec curſum ſuum reflectere, & ſi qui iter obliquent, eos ſemper ſub diverſa planè curvatura, quæ in noſtro circa Arietem obtigit, iſtud inſtituere: at

Cometæ ſtationarii & retrogradi.

Hevelii ſingularis de Cometæ motu obſervatio nuper facta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

omnes, undecunque etiam proveniant, quantacunque eorum ſit Trajectoria, cujuſcunque inclinationis, inceſſûs vel durationis, quorum Trajectoria extra orbem annuum exporrigatur, tardiſſimos circa exitum, imo ſtationarios & retrogrados fieri: hos antequam ſextus, illos antequam tertius elabatur menſis: hos autem nunquam amplius quam 6. Zodiaci Signa curſu ſuo emitiri, ſed priuſquam ad 180. gradus Eclipt. ſive ad ſemicirculum perveniant, motum ſuum ſub incurvatione quadam, ſed ſemper diverſâ, juxta inclinationem Trajectoriæ, & perpendiculum quod ab extremitate in planum Eclipticæ, vel longius à Sole, vel propius ad Solem decidat, offlectere. Reliquos, qui ſint rariores, quique trajectoriam intra fines orbis magni ducant, ſub quocunque eſſe inclinationis angulo, ſive ſupra ſive infrá planum Eclipticæ id accidat, pariter certo quidem tempore, intra videlicet ſemeſtre ſpatium, minimum ſemel tardiſſimos, ſed nunquam omninò ſtationarios, multominus retrogrados fieri: verum ſemper videri, quo ad motum apparentem, vel Contra Seriem Signorum, vel S. S. S. in directum procedere, atque aut circulum, aut etiam in nonnullis pro motûs veri velocitate lineam helicam deſignare, poſſeque non tantùm 6. ſigna ſed & totum ſigniferum aliquot menſibus percurrere. Rationem hujus rei hanc ſolam affert, quòd Terra motu ſuo annuo hos Cometas circumire planè poſſit, atque ita lineæ viſoriæ ex Terra in Trajectoriam per Cometam ductæ circumcirca integram Sphæram fixarum hoc pacto tangant ſecentque, illos verò nullo modo, ſed tantum ab uno latere Orbis Magni &c.

Terræ motus.

Cometæ die 4. Februarii diſtantia à terra.

104. Ex diſtantia illa Cometæ à terra, ſcilicet 5000. Semid. Terræ & diametro apparente 3'. die 4. Febr. obſervata, reſolutione unius trianguli rectanguli facta, deducit diametrum veram Cometæ illa die 2560. mill. Germ. ſive triplo majorem terræ diametro, & ſexies ferè majorem Lunæ, cujus diameter juxta Theoriam Auctoris alioqui ſit 442. mill. Germ.

Cometæ magnitudo quotidiè variat, vera ſcilicet non apparens:

105. Non tantum ſemper ſed quotidiè variam fuiſſe Cometæ magnitudinem demonſtrat, & initio quoad veram magnitudinem attinet, majorem, in medio minorem, in fine autem maximum extitiſſe colligit, factâ inter veram, de qua ſola loquatur, & apparentem Cometæ magnitudinem diſtinctione. Apparentem, etſi in medio itineris multò extiterit amplior, quam in exitu, eandem veræ diametri proportionem arguere negat, & exemplo Cometæ 1652. probat, docetque, quod mirum, etſi diameter apparens decreſcat, veram nihilominus increſcere poſſe, dato ſcilicet intervallo à Terra ampliori: nec, prout, communis fert ſententia, Cometas ad exitum uſque paullatìm reipſâ mole decreſcere, donec in nihilum redigantur, ſed, quod exemplo illius Cometæ 1652. confirmat, Cometæ materiam ultimo dum decreſcit apparenter, magis magiſque in dies diſgregari, diſſipari, atque ita paullatim tenuiorem & pallidiorem reddi, donec planè diffluat, pari modo ut ab exortu ſenſim congregatur, coagulatur, condenſatur, minorque quoad diametrum redditur: ſic, ut tandem exiſtente in ſummo robore & denſitate, Cometa etiam minor reverà exiſtat.

Ejus materia ſenſim ut congregatur, ita diſgregatur.

Cometarum corpora ubinam per ſe ſint minima:

106. Nequaquam Cometarum corpora in vicinia Terræ, quo ad diametrum veram eſſe minima, imò talia in maxima à terra diſtantia eſſe poſſe docet.

Eorum materia non quærenda in terræ viſceribus, nec in aëre,

107. Ex ſuperioribus deducit Cometarum materiam non eſſe in terræ viſceribus vel etiam in aëre quærendam, cum terra tantum materiæ, cujus diameter quadruplo, imò interdum decuplò major ſit, intrà multos licet annos evaporare & contribuere non poſſit. Ideo rejicit illam ſententiam (Domini Gerichii ſcilicet Conſulis Magdeburg.) Cometam eſſe partem aëris vi tempeſtatis cum impetu avulſam, & in ſublime delatam. Sed & illam alteram, quæ materiam eorum ſub via lactea uſque orbeque fixarum quærit, cum Cometæ nunquam tam altè fuerint evecti: probat autem quærendam eſſe in Planetarum Syſtemate, in æthere; exinde ſe generationem & alterationem in cælo concedere coactum fuiſſe fatetur, & conſequenter Cometas, demonſtratis Planetarum evapo-

Nec ſub via lactea, Sed in æthere & ſyſtemate Planetario. Cæli generatio & corruptio datur.

rationibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

rationibus & effluviis, ex iis generari docet. Ita verò ut ex hujus vel illius Planetæ, ut & Solis, vel etiam omnium exſpirationibus, Cometæ ſuo tempore procreentur. Hanc ſententiam paucis complectens dicit: Corpora cæleſtia habere potentiam aliquam promotricem alterationis, generationis, & corruptionis: tum materiam vaporoſam ex corporibus eructatam ad coagulationem & condenſationem à natura illis inſita maximè propendentem, qui halitus ætherei ſpontè ex ſe concreſcunt, dum ſibi relinquuntur, ſicuti ex ſe nubes: dein etiam quòd coagulata materia nucleique congregati ægrè diſcedant, niſi vi quadam, ſive extrinſeca, ſive intrinſeca, quæ adeò nobis nondum innotuit, & diſſipentur & reſolvantur, ut tandem illa materia eò quò ejecta redire poſſit.

Cometæ ex Solis & aliorum Planetarum effluviis generantur.

108. Quæſtiones de generatione Cometarum ex effluviis iſtis æthereis, modo, & cauſſa ejus, aliaſque Auctor in Cometographia ſua ſe explicaturum promittit. Hìc interim brevibus docet unicum Solem quovis tempore tantum materiæ & exhalationum evomere poſſe, ut ex materia illa uno anno ejecta 130. amplius tales Cometæ, vel 9. diſco terreno prorſus æquales progenerari poſſint. Unde quid de cæteris Planetis dicendum ſit, judicandum relinquit.

Solis effluvia ſuppeditare poſſunt materiam vel pluribus Cometis uno anno generandis.

109. Non tantum non mirandum eſſe dicit, quòd tot Cometæ uno ſeculo prodeant, ſed potius quòd tam pauci, cum Sol tantam materiæ copiam uno anno ejicere poſſit. Sed rem difficultate non carituram fatetur, ſi materia Cometarum Soli Terræ tribuenda eſſet. Putat itaque multos Cometas vel à nobis longè remotos, vel parvos, nobis eſſe inconſpicuos: ideò vero tàm raro apparere, quod Cometæ ex diverſis Planetis profluens materia non facilè in unam maſſam coïre poſſit: cum raro Cometa ex unius Planetæ materia naſcatur.

Cometas tàm paucos apparere mirum:

Multi eorum ſunt inconſpicui:

110. Ex eo quòd Cometæ ex duobus, tribus, pluribuſve naſcantur Planetis, diverſum eorum lumen coloremque deducit, nullum eis proprium lumen tribuens: niſi quòd Cometæ materiam & à terra diſtantiam multùm ad diverſitatem coloris luminiſque conferre dicat.

Eorum diverſus color à Planetis provenit:

111. Ex colore Cometarum de natura & operatione (ſi quæ illis attribui debeat) eorum conjici judiciumque fieri poſſe, & hoc aliquid pro divinationibus Aſtrologicis facere dicit, nec non in nupero Cometa Jovis materiam invaluiſſe, quamvis ex Marte, Sole, aliiſque inferioribus Planetis aliquid ei acceſſiſſe non dubitet: Tùm etiam ex colore Cometarum de eorundem à nobis diſtantia conjecturam fieri poſſe, ut ſcilicet Cometæ rubicundiores, ignei, majores, lucidiores, nobis plerumque ſint viciniores.

Hunc aliquid facere ad judicium de Cometis faciendum.

112. Quòd Cometæ indies mutent colores, tribuit diverſæ à terra diſtantiæ & eorundem materiæ.

Cometæ colores in dies cur mutent.

113. Docet materiam Cometicam non eſſe æquabilem & continuam aliquam maſſam, quæ in globum ſeu Sphæram, planè ut Planetæ perpetui corporaque illa ætherea perfecta coaleſcat: ſed ad inſtar noſtrarum exhalationum & evaporationum terreſtrium nubiumque in corpus quoddam extenſum, explanatum, latèque diffuſum, inæquale plerumque & diſcretum coïre confluereque: ac inde ceu corpora diſcea & planiformia Cometas apparere, certa tamen corporis ſui craſſitie, more nubium atque macularum Solarium, cum quibus alioquin in multis appoſitè conveniant: cum & harum materia in longum latumque fuſe diffundatur, nequaquam in perfectam Sphæram condenſentur: quanquam obſervatum ſit in una macularum illarum inſigniori nonnunquam diverſiſſimos nucleos modo rotundos, modo alterius alicujus figuræ apparere.

Cometicæ materiæ ratio qualis:

114. Materiam illam Cometicam multis modis differentem cum ſuis diverſiſſimis nucleis, in perpetuo motu coagulationis, condenſationis, congregationis, augmentationis, diminutionis, accretionis, & decretionis, pro facultate naturali ſibi indita, verſari, & caput Cometæ 1664. in dies variaſſe affirmat, quod ex ſuperioribus patet. Unde etiam concludit, dari motum materiæ Cometicæ continuum.

Motus ejus continuus datur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Materia capitis Cometici diverſa diverſum lumen & colorem affert:
Hic ſemper idem à Cometis retineri nequit.

115. Ex diverſitate materiæ capitis Cometici magnâ, diverſitatem luminis & coloris quotidie accidere probat.

116. Concludit nullum Cometam propter diverſitatem materiæ, halituum ſcilicet nucleorumque commotionem, tam etiam diverſiſſimam diſtantiam Cometæ à Terræ colorem, lumenque ſuum, licet hoc prorſus à Sole hauriat, illud vero, etſi ex unico tantum Planeta deducat, conſtanter per totum apparitionis tempus conſervare poſſe, ſed aſſiduè lumen, colorem formamque capitis eapropter mutare & nonniſi certis quibuſdam diebus ſplendidiori, amæniori & majori ſpecie videri: quod nuperi Cometæ obſervationibus aſſerit.

Cometica corpora diſcea, non ſphærica docens Cometas nec in circulo, nec in linea recta moveri:
Sed curſum eorum in ſectionem conicam tranſire.

117. Cum corpora Cometica ſint diſcea vel planiformia, minimè verò ſphærica & abſolutè rotunda, ſed quod ad figuram attinet ſcabroſa, irregularia, ex eo concludit, quòd nullâ ratione in orbem, hoc eſt in circulo, nec penitus in linea recta moveri poſſint, poſitô ab ipſo primo primordio motus impreſſus primuſque impetus omninò rectus ſit, ſed ſummâ neceſſitate in ſectionem Conicam, ſive parabolicam, ſive hyperbolicam, ſive ellipticam degenerent, maximum verò circa verticem parabolæ, circà medium ſcilicet lineæ apodemicæ, minimnm circà itineris extremitates deflectant, in trajectoria videlicet, vero & genuino motu, neutiquam apparenti: attamen in omni Cometarum curſu non una eademque ratione, nec quà ſitum Trajectoriæ ad Solem.

Cometæ una diſci facie ſemper Solem adſpiciunt:

118. Conſequenter docet hæc corpora Cometica extenſa & diſciformia non poſſe circà axem moveri, ut quidem Planetis reliquis omnibus ex ſua ſententia moris ſit: ſed materiam illam expanſam, vel corpus illud Cometicum diſciforme, utrumlibet extenſum latus perpetuo ad Solem convertere: adeo ut radius ex Sole ad diſcum Cometæ ductus, ſemper ſub angulo normali ad diſcum indicat, quocunque etiam Cometa feratur motu: Tum etiam non ſolum incurvationem tramitis & deviationem aliquam à linea recta directionis neceſſario dari: cum Cometæ Solem, ceu Regem venerentur, & quaſi pro centro habeant, licet in linea Conica decurrant: ſed etiam aliquam librationem Cometicam in omnibus Cometis naſci: prout in Luna peculiarem quendam librationis atque reciprocationis motum ante aliquot annos, libro Tibi Doctiſſime Ricciole, inſcripto docuerit, & ad certas leges reduxerit. Quam librationem & reciprocationem corporis Lunaris, cum hæc pariter unicum hæmiſphærium corporis ſui Terræ aſſiduè exponat, eodem modo quo in Cometis fieri dicit, cum & hi continuò eandem faciem diſci Soli obvertant, atque terra motu annuo loco perpetuo dimoveatur, ideoque oporteat ut certa libratio & reciprocatio propterea exoriatur.

Deviant à recta orbita, & corpora eorum librantur.
Hevelii liber de motu terræ libratorio.
Lunaris corporis libratio.

Cometographiæ Hevelianæ plura capita recenſita.

119. Alias quæſtiones hùc ſpectantes, ſcilicet unde Cometæ adeò procliviter unâ eademque immota facie ad Solem propendeant? an in quavis cæli parte Cometæ generentur? an certo anni tempore? an certum Zodiacum inſtar Planetarum obſervent? An Cometæ more macularum Solarium, poſſint fieri reduces? in quibus Cometæ cum iis maculis optimè, rurſus minimè conveniant? an poſſint tempore magnarum conjunctionum facilius generari? an fieri poſſit ut certò à quovis prædicantur? & alias, in Cometographiam rejicit.

Cometa hyemalis cauda ſingularis.
Cometarum ſpecies.

120. De cauda Cometæ acturus, fatetur eam aliquid ſingulare præ cæteris præ ſe tuliſſe, atque magis diverſa phœnomena oſtentaſſe, quàm omnes ferè ii qui hoc & ſuperiori ſeculo effulſerint. Cometas ſive crinitos ſeu barbatos ſeu caudatos, & alios qui in 12. ſpecies ſubdividantur, indubitatum eſſe dicit diverſas facies, ſed diverſo tempore oſtentaſſe. Tùm nuperum Cometam à primo die 14. Decembris caudatum fuiſſe, exhibita cauda 14. gr. ferè longa, verſùs extremitatem dilatatâ & valdè diſperſâ, cum alii pyramidatas in ſpeciem coni caudas exhibuerint, ſicut ille 1652. die 20. Decembris: Deinde caudam ejus, quamdiu matutinus erat, occaſum verſùs, in loca ſoli oppoſita, de more omnium Cometarum, exporrectam fuiſſe, die 15. Decemb. aliquanto longiorem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

rem, 21. ſcilicet gr. eadem tamen figurâ, & die 21. Decemb. omnium dierum longiſſimam, 22. ſcilicet gr. apparuiſſe, & quod ſingulare, paullulùm arcuatam fuiſſe vel incurvatam, concavitate deorſùm, inſtar cornutorum vel ceratiarum, atque illius anni 1618. accuratè re conſideratâ viſam fuiſſe: die verò 23. Decemb. rurſus omninò in directum Corum & Favonium verſùs, ut anteà, comam protenſam: die 28. Decemb. Cometa oppoſitioni Solis imminente, caudam penè erectam, ſurſùm Septentrionem verſùs inſtar caudæ Pavonis 7. ferè grad. longam apparuiſſe: Hinc Cometa ab Oppoſitione Solis ulterius diſcedente, atque ab Occaſu minus quàm ab ortu diſtante, neceſſariò cauda ſeſe reflexiſſe Eurum paullatim verſus, eoque magis quò propior Soli fuerat, Favonium verſùs deveniſſe, quanquam die 29, 30, 31. Decemb. & 1. Jan. tantùm barbatus, curtam ſcilicet barbam ob Lunæ ſplendorem retulerit: ſic ut eo tempore jure Crinitus, Comatus vel Hircus appellari potuerit. Rurſus verò ubi Quadraturæ Solis magis magiſque proximaret, caudam creviſſe, ſed eandem ſemper dum veſperi appareret atque caudam retineret, Eurum verſus exporrexiſſe. Tandem à die 22. Jan. uſque ad 2. Febr. omni cauda exutum inſtar Cometæ Diſcei (qui veteribus Chryſeus eſt) apparuiſſe, ſed tamen comam die 3. Febr. recuperaſſe, eamque ad ultimum die 13. ad 18. Febr. deperdidiſſe.

121. Diverſitatem caudarum adſcribit diverſo apparitionis tempori, cum Cometæ matutini caudam in occaſum, veſpertini in ortum projiciant, in oppoſitione Solis aut nullas, aut aliquam erectam aut barbam demiſſam oſtendant: denique ad ſuperiora ætheris loca aſcendentes, etſi revera longiſſimam alant, omni tamen penitus exuantur. *Caudarum Cometicarum diverſitas diverſo apparitionis tempori adſcribenda.*

122. De origine phœnomeniſque variis caudarum acturus, dicit, poſito & probato, capita Cometarum omnino eſſe æetherea, etiam caudas ibi dari: *Caudæ in æthere dantur.* 2. Capita Cometarum lumen, ſicut vidimus, omnino à Sole mutuari, atque exinde etiam caudas à luce Solari ejuſque radiis procreari. 3. quod corpora minimè ſint ſphærica, ſed diſcea & explanata: quem diſcum Soli perpetuo ad perpendiculum directè obvertunt. 4. quod caput ex diverſiſſimis nucleis tùm tenuiori & dilutiori materia poriſque interſita conſtet, ut radiis ſolaribus haud difficulter tranſitum concedat. 5. Quod Cometæ habeant ſuas atmoſphæras peculiares, quæ eos cingant. *Cometæ cinguntur peculiaribus Atmoſphæris.* Exinde concludit dum radii Solares in corpus iſtud diſceum incidunt, inprimis in nucleos illos diverſos, eorumque varias varieque inclinatas ſuperficies, adverſus terram expoſitas, plures & rectiores ad nos reflecti, quorum beneficio caput Cometæ conſpiciamus: at reliquos radios ad latera nucleorum hinc inde, tum in materiam rariuſculam interjectam corpuſculis incidentes, neceſſario per caput ſub diverſiſſimis angulis, partim reflexionis, partim refractionis tranſverberari, vel tranſire, & quidem in partem ſoli oppoſitam, ad atmoſphæram ſeu in materiam illam dilutiorem poſt Cometam latentem: *Atmoſphæra Cometam ambiens.* in hac materia rariuſcula lumen Solis per caput Cometæ tranſverberatum, ab ejuſque nucleis reflexum, à materia verò aliquantò dilutiori refractum, in plaga Soli oppoſita in Atmoſphæra videlicet Cometica ſiſti, caudamque effingi. Pro conſtitutione autem capitis & materia adhærente caudas variam induere ſpeciem, atque ita caudas nil niſi radios Solares refractos & reflexos eſſe. *Cauda Cometica quomodo effingatur, quare varias induat ſpecies & quid ſit: Nil eſt niſi radii Solares refracti, & reflexi:*

123. Docet non adeò ſtrictè omni tempore omnes Cometarum caudas in plagam Soli contrariam protendi. Et fieri quidem poſſe quandoque, ut certò tempore eò directè vergant: verum plerumque omnes ab iſta recta directionis linea ex Sole per centrum capitis Cometici in ejus oppoſitum ducta deflectere deviareque: quod capita Cometica pariter nonnihil circa Trajectoriæ extremitates à ductu itineris omnino recto diſcedant: quæ tamen deviatio capitis cum hac caudæ nil commune habeat: illâ ex vario inclinationis diſci Cometici angulo ad Trajectoriam, hac vero longè aliunde ortum ſuum trahente. *Non ſemper in plagam Soli oppoſitam extenditur; Datur ejus deviatio, quæ cum deviatione capitis nil commune habet.*

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tycho deviationem caudæ Cometicæ animadvertit, non tamen aſſecutus eſt.

Et Tychoni quidem ex Cometa 1577. hanc caudæ exorbitationem ex parte ſuboluiſſe, & caudam non penitus in adverſum Soli dirigi, animadverſum fuiſſe: ſed eam rationem iſtius rei tunc planè penetrare haud potuiſſe. Licet enim initiò ſibi caudam eam ad Venerem deflecti perſuaſiſſet: paulò tamen poſt optimè perſpexiſſe & agnoviſſe, rem hanc nil habere ſoliditatis. Se autem rem hanc ex diſpari omninò ratione (quæ an à quopiam alio hucuſque tradita fuerit, ignorat) deducere, ſcilicet ex diverſiſſima illa refractione & reflexione radiorum Solarium. Cum enim capita Cometarum ex diverſiſſimis multiſque corporibus irregularibus varios, ad invicem ſitus obtinentibus, locaque paullatim mutantibus componantur: ſic ut modò in hoc, modò in illo latere plures paucioreſve dentur & conſtipentur nuclei: hinc facilè fieri poſſe ait, ut radii Solis reflexi refractique per caput Cometæ tranſeuntes, non perpetuo in illa ipſa linea recta ex Sole per Cometam ducta decuſſentur, ſed quod potius refractio & reflexio radiorum jam in hac, jam in ea capitis parte diverſimodè omnino accidat. Ita ex ejus mente pro materiæ diverſitate & variis ſuperficiebus corpuſculorum nucleorumque ac laterum inclinationibus variis, caudam nonnunquam neceſſario à recto tramite paullulùm deviare oportet.

Capitis Cometici conſtitutio diverſa diverſitatem caudæ adfert.

Nempe pro capitis conſtitutione ejuſque materia modo talis, modo alia, major minorque provenit caudæ declinatio & deviatio, interdum etiam planè uniformis radiorum fit refractio, ut cauda neutiquam deviet, ſed recta in oppoſitum vergat Solis. Hìc ut paulùm ac velut in tranſcurſu ſiſtam gradum, obſervavi in lectione Tui Almageſti, Reverende & Doctiſſime Ricciole, illa, quæ de Tychone Clariſſimus Hevelius dixit, tùm & alia, quæ de ſitu & inclinatione caudæ tùm ex plurium Mathematicorum, tùm ex Tua ipſius mente diſputas. Magnum in eo conſenſum plerorumque animadverto caudas per refractionem & reflexionem radiorum Solarium fieri. In reliquis porrò circa horum radiorum ejaculationem, refractionem & reflexionem diſſenſum perſpicio. Tibi & Clariſſimo Hevelio in eo quoque convenit, quòd uterque Veſtrûm ſtatuat, caudas diverſas exiſtere ob diverſam denſitatem & aliam diſpoſitionem materiæ Cometicæ, niſi quod ille dicat fieri eaſdem ex refractione & reflexione varia radiorum Solarium per caput Cometæ tranſeuntium, cum illa materia ſit varia &c. Tu verò ſtatuas in caudis eſſe ſubſtantiam Cometicam ex corpuſculis ſubtiliſſimis conſtantem, & refractionem fieri extra caput Cometæ in materia ſpectante ad Cometam. Cum itaque videatur ille à Te diſſentire, & velle nonniſi in capitis materia eam refractionem accidere, & hinc declinationem caudæ provenire, mihi dabitur, ſi Deus permittet, ab utroque veſtrûm aliquid hìc diſcendi occaſio.

Ricciolı ſententiam de cauda Cometica laudat Auctor:

A qua Hevelius nonnihil recedit,

Quem diſſenſum Auctor in medio relinquit,

Et ab utroq; plenius doceri cupit.

Cometicæ caudæ deviatio multiplex & inæqualis;

124. Docet ille deinceps hanc deflectionem caudæ non in omnibus Cometis in ſimili ſitu ad Solem vel Terram: neque ad Eccliptam vel Æquatorem planè eſſe eandem, ſed longe potius diverſam pro conſtitutione nempe capitis ejuſque nucleorum atque materiæ: quæ cum in perpetuo ſit motu hinc illam deviationem in omnibus Cometis eſſe diverſam & inæqualem, & in uno eodemque toto durationes tempore diſſimilem, reſpectu ſcilicet magnitudinis, ſitus, & plagæ cæli. Qua occaſione maximam caudæ Cometæ Anni 1652. deflexionem ad 19 grad. illius vero 1618. ad 22. refert.

Nondum potuit ad certas leges ab Hevelio reduci.

Apianus primus perpetuam caudæ Comet. à Sole averſionem obſervavit.

Tycho multa obſervavit,

Non tamen omnia.

125. Licet multas, non tamen omnes neceſſarias Obſervationes Cometarum habuit ad manum, ideo ſe illam caudæ deviationem, licet ſummo ſtudio tentatam, perficere & ad certas leges redigere non potuiſſe, fatetur: præſertim cum antè Apianum (quem Tu quoque in doctiſſimo Almageſto Tuo primum omnium obſervaſſe perpetuam illam caudæ Cometicæ averſionem à Sole teſtaris) & Tychonem vix quidquam & nihil accuratum de Obſervationibus Cometarum, tùm verò præcipuè de illa caudæ inflexione, relictum ſit. Qua occaſione & præſentis & futurorum ſeculorum induſtriam ad obſervanda ritè talia phœnomena excitat.

126. Quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Aſtrologicæ prædictiones pluris fieri quàm obſervationes Aſtronomicas & diſquiſitiones Phyſicas Hevelius queritur.

126. Quæritur longè plures de prædictionibus Aſtrologicis, quàm obſervationibus Aſtronomicis & inquiſitionibus Phyſicis de natura, ortu, & motu Cometæ eſſe ſolicitos. Quæ vetus eſt Senecæ l. 7. Natur. quæſt. in ipſa fronte querela, ut notum eſt. Adeò *naturale eſt magis nova quàm magna mirari*, ſicut ibid. Philoſophus ait, & ad Cometas transfert. Nempe etiamnum verum eſt, quod ibid. ſubdit: *Non enim deſunt, qui terreant, qui ſignificationes ejus* (ignis adventitii) *graves prædicent.*

Cometicæ caudæ incurvatio.

127. Ad caudarum incurvationem venit, & ſcire cupit an die 21 Dec. ab aliis animadverſum fuerit ſimile phœnomenon, Cometæ ſcilicet caudâ curvitate quadam circà extremitatem, concavitate deorſum præditâ: quale, ſed magis conſpicuum in Cometa 1618. conſpectum eſt, & quidem paullò diverſum. Alio enim die convexitatem curvaturæ ſurſum, alio die rurſus eandem deorſum expoſuiſſe dicit. Unde iſtam caudarum curvitatem & obliquationem non in omnibus quando datur, eſſe ſemper eandem, & hanc planè differre à caudarum inclinatione & deviatione, de qua paulò antè dixit, apertè aſſerit.

Varia eſt.

A caudæ inclinatione & deviatione differt:

Illa abſque hac raró fit.

128. Nullam unquam curvaturam in caudis dari poſſe abſque omni inclinatione, exceptis quibuſdam ſolum caſibus dicit. 1. Incurvationem tàm convexam quàm concavam ex radiis Solaribus procreari ratione materiæ ac nucleorum capitis, in quibus nunc alia atque alia detur reflexio & refractio. 2. Induci ſimilem quoque curvitatem caudis, quòd potiſſimum fit; ex diverſitate Atmoſphæræ Cometicæ, ejuſque materiæ dilutioris Cometam concomitantis. Quâ occaſione plurimas quæſtiones jucundas curvaturam caudarum concernentes in Cometographia explicatas recenſet.

Cometæ die 18. Jan. ſingularis vibratio & ſcintillatio:

129 Singulare ſe phœnomenon in nupero Cometa detexiſſe ait, fortè & alibi obſervatum (quâ de re velim à Vobis Viri in re Mathematica Doctiſſimi certior reddi) ſcilicet caudam unà cum capite, cumprimis die 18. Jan. radios frequentes vibraſſe, ac ſubinde quaſi novos ejeciſſe, ac ſi aſſiduè ſcintillaret, tùm modo longior modo brevior per intervalla fieret: quod in Cometa 1652. die 26. & in Cometa 1661. die 6. Febr. à ſe, in illo verò Anni 1618. à Cyſato ſæpiùs annotatum teſtatur.

Ejus cauſſa.

130. Oriri hoc dicit ex duabus rationibus: 1. ratione capitis, quòd ſit ex materia diverſa, & diverſis nucleis irregularibus, ſcabroſis & anfractuoſis, in perpetuo erga ſe invicem anomalo motu verſantibus compoſitum, ut exindè radii Solares in ſuperficiebus opacorum corporum in capite perpetuo fluctuantium, tùm in interjecta materia mobili, refracti & reflexi continuo mutentur. 2. Ratione atmoſpheræ Cometicæ: quia pariter inconſtans eſt, ad quam aſſiduè modo alia atque alia, modo plus minuſve materiæ accedit, rurſus etiam de ea decedit; ſic ut in perpetuo motu condenſationis, rarefactionis, nec non locali verſetur: fieri utique aliter non poſſe dicit, quam quod certa vibratio, micatio ac ſcintillatio detur: indeque caudas modo majores modo minores, arctioreſque hoc vel illo tempore neceſſariò apparere. Hæc in ſummam contrahens, dicit, prout materia Cometam ambiens, permanens vel mutabilis, continua vel diviſa, longior vel brevior, caput Cometæ pluribus vel paucioribus, majoribus vel minoribus nucleis, materiaque iis intermixta conſtat: viciſſim prout hi nuclei varia forma præditi, tùm Solares radii per caput trajecti vividiores vel longiores ſunt; ſic Cometarum alii caudas referunt longiores, alii breviores, alii continuas, alii interruptas & diviſas, alii item conſtantes, alii mutabiles.

Atmoſphæra Cometica diverſa vibrationem Cometæ efficit.

Cometicæ caudæ diverſitas unde provenit.

Cometographiæ quædam capita.

131. Quæſtiones de caudarum coloribus & luminibus diverſis, cur ſcilicet plerunque capitis colorem æmulentur, & circa caput plerunque ſint lucidiores, aliaſque, ad Cometographiam ſe retuliſſe indicat.

Cometicæ caudæ magnitudo eſt alia vera, alia apparens:

132. Caudarum magnitudinem docet aliam eſſe apparentem, aliam veram, Illam, quæ fiat oculorum judicio & inſtrumentorum dimenſione, vel etiam à rudioribus ſecundum pedes, ulnas, imo perticas & haſtas diſcretione, quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

que pro diverſitate temporis ſit diverſa: Hanc quam reverà poſſideat Cometa, atque in ſemid. terræ vel ſecundùm milliaria & ſtadia determinetur.

Hæc unde provenit, *Nil cum vera commune habet.*

133. Apparentem caudæ longitudinem dicit oriri ex vario Cometarum ſitu, diſtantia à Terra, & elongatione à Sole, anguloque viſionis, & nihil habere cum vera commune.

Cometa quandoque ſine cauda videtur etſi longiſſimam habeat:

134. Reliquis hùc ſpectantibus quæſtionibus in Cometographiam rejectis, caudam licet reverà ſit longiſſima, tamen certò reſpectu ad Solem & Terram, nihil planè de ipſa cauda apparere, ſed Cometam exutum omni ſyrmate inſtar diſci videri.

Nuperi Cometæ hyemalis caudæ conſtitutio:

135. Omnia de caudis dicta nupero Cometæ competere ait: ejus caudam veram, ut fieri plerumque ſolet, à principio paullatim creviſſe, deinde rurſus certâ porportione decreviſſe, minimè vero reipſâ adeò diſcrepantem fuiſſe, quam apparens ſeſe nobis oſtenderit: potuiſſe tamen etiam eo tempore omnium longiſſimam videri, ubi admodum breviori barbâ apparuerit. Longiſſimam fuiſſe 22. gr. dicit: ut illius, inter alios, Cometæ 1618. certis diebus 60, 70, imo ultra 100. gradus Longomontano teſte. Hæc cum ita ſint, libenter diſcam, cur Romanis & aliis Mathematicis, noſtri quam illius Cometæ cauda longior videatur.

Hujus an illius 1618. cauda fuerit longior.

Cometæ in Solis oppoſitione quandoque cum cauda, quandoque ſine illa apparent.

136. Quæſtionem proponit: quare Cometa nuperus circa ipſam oppoſitionem Solis, quod multis benè videbitur abſurdum, barbam ſatis prolixam 6. vel 7. graduum exporrexerit, die 28. Dec. ſilente ſcilicet Luna, & quidem ſurſum erectam, inſtar caudæ Pavonis? Ubi rurſus diſtinguendum eſſe ait inter diſtantiam ſeu ſitum Cometæ reſpectu Eclipticæ. Nam hoc negare abſonum eſſe, & tot aliorum Cometarum exemplis contrarium: quando videlicet Cometa in ipſâ Ecliptica reſidet, ubi Sol, Terra, & Cometa in uno eodemque plano exiſtunt, quod tùm, etiamſi caudæ vera longitudo omnium ſit maxima, nihil penitus quicquam caudæ appareat: ſed ea tantum ſi latior eſt ipſo corpore, crinibus ſuis circumcingit caput, ut inſtar Hirci & Hirſuti Cometæ appareat: prout planè in nupero Cometa certis diebus, cum ejus magnitudo ad $2\frac{1}{2}$ gr. extenderetur, manifeſtè obſervatum eſt. At verò quando Cometa inſignem latit. præſefert Auſtralem, ut in nupero 28. Decem. contigit, ad 49. nullâ certè ratione fieri poſſe affirmat, ut abſque omni cauda appareat, ſi quâ reverà præditus eſt: ſed ex neceſſitate magnam partem caudæ ponere ob oculos, & quidem erecte ſurſum ſemper, Aquilonem, Eclipticamque verſus. E contrario, Cometa obtinente aliquam latitudinem notabilem borealem, atque extrà planum Eclipticæ conſtituto, barbam omnino deorſum viciſſim Eclipticam verſus promittere: ac ſi deviatio caudæ eſſet immenſa: imo cauda quaſi in obverſum Solis, ſeu ad Solem exporrigeretur, cum tamen fallacia viſus ſit, ut doctiores benè intelligunt, pro vera ſcilicet longitudine caudæ atque diſtantia à Terra Soleque.

Cometica cauda deliquium majus vel minus patitur: *Eclipſi Solis id declaratur:*

137. Docet poſſe caudam à capite, modo totaliter, modo partialiter, tum à parte ſuperiori, tum inferiore eclipſari. Ideo phœnomenon illud proxime deſcriptum nihil niſi obtectionem, occultationem vel Eclipſin caudæ, quæ à capite fiat, eſſe dicit, & exemplo eclipſeos Solaris declarat. Sicut enim cùm Luna conjuncta eſt Soli, nullam omnino reſpectu noſtri habens latitudinem, eclipſin totalem Solis dari; cum autem Luna Auſtralis eſt, tantum modo à parte inferiore partialem accidere eclipſin, contrarium in latitudine Boreali deprehendi: Ita hìc, quando caput Cometæ in oppoſitione eſt, & quidem in Ecliptica, nobiſcum ſcilicet & ſole in uno eodemque plano, caudam à capite obtegi: etſi cauda amplior ſit ipſo capite, caput in ipſa quaſi coma conſpici eaque cingi, ac ſi eſſet ab omni parte villoſum & hirſutum: ſi verò latitudo caudæ æquet diametrum capitis, planè caudam occultari, ita ut tùm Cometa penitùs orbicularis inſtar diſci appareat, atque tùm totalem accidere Eclipſin caudæ affirmat &c.

138. Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

138. Concludit etiam in ipſa oppoſitione Cometæ & Solis poſſe dari, ut ita loquar, totalem, etiam partialem, tam à ſuperiore quam inferiore parte eclipſin caudæ.

Defectus ille etiam in oppoſitione Solis & Cometæ accidit.

139. Veram caudæ longitudinem, ab amplitudine atmoſphæræ Cometicæ ut plurimùm dependere ait: ita ſcilicet ut hæc eo major ſit, quò atmoſphæra Cometica amplior, nucleique capitis ſolidiores ſunt.

Cometicæ caudæ veræ longitudo ab amplitudine atmoſphæræ Cometicæ pendet:

140. Jubaris Cometici 1652. longitudinem veram ponit initio die 20 Dec. 27½ Semid. Terræ: circa exitum verò die 4. Januar. jam 192. Semid. Terræ: cum tamen longitudo caudæ apparens ab exordio 7°. & in fine 1°. 30'. tantum obſervata ſit. Aliorum quoque Cometarum ſcilicet 1618. & 1607. veram caudæ magnitudinem ponit.

Hæc in Cometis 1607. 1618. & 1652. demonſtratur:

141. Concludit inde ex plurium Cometarum obſervationibus, veram Cometæ longitudinem caudæ ſemper circa exitum reipſa majorem fuiſſe quam ex illa apparente minore fieri unquam debuiſſet.

Hanc circa exitum revera majorem eſſe concluditur.

142. Exinde etiam argumentum ſumit, ut probet ſuam de ortu & interitu Cometarum theoriam: quâ ratione ſcilicet initiò paullatim congregetur, coaguletur, condenſetur: rurſus in fine pari ferè modo diſſolvatur, attenuetur, diſſipetur. Solvi Cometam & Sen. l. 7. Nat. quæſt. c. 16. ſubducere ſe oculis cap. 21. excedere c. 29. non autem extingui c. 17. & 21. alibi tamen ut ignem paſci, nec ut ſubitaneum, ſed inter æterna opera naturæ cenſendum, & mundo intextum non fortuitum ait c. 21. & 30. quod in tranſitu dictum eſto.

Cometarum ortus & interitus fit ſucceſſivè.

Senecæ ſententia de diſparitione Cometarum.

143. Deducit ex obſervationibus Cometarum, quòd ſæpius licet cauda apparens. e. g: Cometæ 1618. 104. gr. apparuerit, tamen per ſe genuina caudæ longitudo tantùm fuerit 438. Semid. Terræ. E contrariò in Cometa 1607. licet cauda apparens longè brevior 10. tantùm gr. conſpecta ſit, tamen vera longit. ad 1301. Semid. Terræ, hoc eſt 1119000. mill. Germ. excreverit.

Cometica cauda viſa longior reipſa fuit brevior, & contrà:

144. Longitudinem tamen hanc veram non in ſingulos dies certâ proportione creſcere vel decreſcere, ſed ſine lege, pro magnitudine materiæ, ad atmoſphæram affluente, vel decedente.

Id ad certas leges redigi nequit.

145. Quæſtiones de caudis: quare ſcilicet in conum faſtigiatæ ferè nunquam ſub maximo viſionis angulo ſpectentur? quando ſyrma inſtar caudæ Pavonis appareat, ut nuper die 28. Decemb. contigit? an cuſpis ipſa caudæ ad terram uſque pertingere poſſit? & alias in Cometograph. ſe explicaturum promittit.

Cometógraphiæ quædam capita.

146. His ita generaliter in Prodromo expoſitis, ſpecialiora, accuratioraque ex calculo eruta in illo opere Cometograph. pollicetur.

147. Cometam deſcribit, corpus eſſe æthereum, crinitum ſeu barbatum, temporaneum, haud omninò quoad caput globoſum, ſed diſciforme, ex halitibus fumidiſque evaporationibus tàm Solis quàm reliquorum Planetarum omnium conflatum, & quidem ex multifariis corpuſculis, nucleiſque, partim rotundis, partim diverſis irregularibus, inſperſâ hinc illinc materiâ rariori compoſitum: cujus univerſa materia, nullo prorſus nativo, inſtar eorum corporum, ex quibus prodiêre, gaudet lumine: ſed omne quod habet, à Sole prorſus haurit. Cujus inſuper cauda ex radiis reflexis refractiſque Solaribus procreatur, dum in medio quodam rariori, ceu in Atmoſphæra Cometica, Cometam circumdante, à parte à Sole averſâ ſiſtuntur. De reliquo corpus ipſum mobile eſt, non quidem motu duplici, in quodam eccentrico & ſuper axem, ut reliqua corpora ætherea & æterna, ſed tantùm motu propemodum rectilineo, faciem ſemper Soli rectâ fermè obvertendo, ſecundùm iſtum impetum, quem Atmoſphæra iſta prior primæ coagulatæ materiæ ejectæ impreſſit atque communicavit.

Cometæ deſcriptio Heveliana.

148. Queritur plurimos magis de ſignificationibus Cometarum, quamvis minus certis multoque abjectoribus, quam de ortu & motu eorundum, etſi longè certioribus & ſublimioribus, eſſe ſolicitos: promittit tamen ſe aliquid de eo ad calcem Cometographiæ dicturum.

Aſtrologicas prædictiones curioſe, arcana naturæ negligenter inquiri Hevelius queritur.

149. Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hevelii modeſtia, pietas, in rem literariam amor,

849. Proteſtatur ſe non oſtentationis vel vanæ gloriæ, ſed divinæ gloriæ & veritatis & ſcientiæ naturalis promovendæ ſtudio ſua conſcripſiſſe, & meliora certioraque ſuſcipere paratum eſſe: interim obteſtatur æquos Lectores, ut ad cognoſcendam penitus ſuam ſententiam, Cometographiam promiſſam, cujus jam IX. Libri ſint penitus excuſi, exſpectent.

Et promiſſio de Cometæ verni delineatione.

150. Promittit & deſcriptionem ac delineationem recentiſſimi Cometæ quem à 6. ad 20. Aprilis ſumma pariter induſtriâ obſervarit.

Hamburgo Bononiam die 29. *Julii* 1665.

Literarum ſtudioſi literatos in arduis conſulunt.

NIſi certus eſſem ſub quibus legibus in re literaria vivamus, & Tuam ſingularem humanitatem perſpectam haberem, non toties moleſtiam Tibi quæſtiunculis meis facerem. Sed legum illarum Tuæquæ humanitatis fiduciâ ſpero me nec Tibi ingratam, nec mihi infructuoſam rem facturum, ſi & in Prodromo Prodromi Heveliani quædam Tibi propoſita uberius exponam, & nova quædam inſuper proponam, ut tanto plura abs Te addiſcam. *Cometæ ſemeſtres numerati à Ricciolio, Ab Auctore examinantur, Anno C. 64.* Quod ad tres Cometas Ann. 64. 603. & 1240. quos ſemeſtres pronuncias attinet, dum alios tàm Chronologos quàm etiam Cometologos conſulo, nondum mihi ſatiſfacio, nec me haud levibus difficultatibus explicare valeo. Eckſtormius enim illum demum ſub Nerone ſemeſtrem facit Anno 60. epochæ illius vulgaris, ſecundum Alſtedium verò, qui ſe cum Funccio, Helvico aliiſque Chronologis veram putare putat, 62. anno: Alſtedius porro & illum Cometam Anni 64. epochæ vulg. ſuæ vero 66. ſemeſtrem pronunciat. At de iſtius duratione nil habet Funccius, nec ille Eckſtormius, in talibus annotandis alioqui diligens. Sed non dubito Te, ut & Alſtedium, certò fidei hiſtoricæ niti fundamento, quod perlibenter videbo, ab amica manu indicatum. *Anno C. 603.* Alter Tibi Cometa ſemeſtris eſt ille Anni 603. qua in re narrationem Joannis Prætorii refers. Quod cum nec Funccius, nec Buntingus, nec Calviſius, nec Bucholzerus, nec Alſtedius, nec ille Eckſtormius memorent, velim obortam hîc dubitationem animo eximas. Nec non illam de Cometa ſemeſtri tertio, *Et Anno 1240* qui Anno 1240. fulſit. Nam primum Alſtedius eum ſemeſtribus non accenſet, at Funccius, Buntingus, Calviſius, Bucholzerus, & Eckſtormius nec reliquis, niſi fortè is ſit quem iſte in Ann. 1239. ponit. Deinde refers ex Pon- *Error Pontani de Tamerlane. Tamerlanis ætas.* tano Anno illo Tamerlanem in Aſiam irrupiſſe: ex Cardano verò id Anno 1260. quo & Urbanus Papa obierit, factum eſſe. Et Urbanus quidem circà ann. 1264. conſentientibus Chronologis mortuus eſt. At iidem omnes Tamerlanis res geſtas in ſubacta Parthia, Ægypto & Aſia, captoque Bajazete in ſeculi 14. exitum, & illius ipſius exceſſum in 15. ſeculi initium ponunt. Sed ſi illa Tartarorum in Poloniam, Sileſiam & Hungariam irruptio circa ann. 1242. & in Aſiam circà Ann. 1260. duce Halach intelligatur, res eſt in ſalvo. Præ- *Cometæ ſemeſtres numerati ab Hevelio & aliis,* ter hos tres Cometas ſemeſtres abs Te indicatos, unus tantum eſt inter illos 4. ab Ampliſſimo Hevelio productos, Anno ſcilicet 1240. Nam reliqui à Tuis diſſentiunt, Anno ſcilicet 60. de quo paulo antè dixi. Anno 145. de quo nil apud Funccium, Buntingum, Calviſium, Alſtedium, Bucholzerum, Eckſtormium alioſque. Anno 337. Hunc annotat Faſcic. temp. Sigonius, Eckſtormius ad Ann. 335, & Alſtedius, in Ann. 337. ſecundum epocham veram eum conjiciens juxtà cum Hevelio. *Ab Auctore collecti novem.* Ego dum in iis inveſtigandis paulum operæ impendo, inveni jam novem, quos tibi hîc in tabella exhibeo:

1. Anno 59. (60. 62.) 1. Anno Chriſti { 59. Buntingus. 60. Eckſtormius.
62. Alſtedius, Funccius enim durationem ejus non adnotat, ſicut nec Calviſ. ad ann. 60.

2. Anno

2. Anno Chriſti { 64. Ricciolius, Bunting. Vid. ad hunc ann. / 66. Alſtedius. *2. Anno 64. (66.)*

3. Anno Chriſti 78. Eckſtormius, cujus hîc errorem animadverto, utpote qui allegârit Plinium & Milichium, quaſi illi de hoc Cometa tradiderint, quòd 180. (cum Plinius 80. dies longiſſimum ſpatium Cometis aſſignet, & Milichius id non corrigat, quod feciſſe Muretum ad Senec. lib. 7. Nat. quæſt. cap. 21. Tu me docuiſti) hoc eſt ſex menſibus durârit. *3. Anno 78.*

4. Anno Chriſti 145. Hevelius. *4. Anno 145.*
5. Anno Chriſti 337. Hevelius. *5. Anno 337.*
6. Anno Chriſti 603. Ricciolius. Annotant eum & alii, ſed non tempus durationis ejus. *6. Anno 603.*
7. Anno Chriſti 906. Antiquit. Brittan. p. 75. *7. Anno 906.*
8. Anno Chriſti 1110. Sebaſt. Francus. *8. An. 1110.*
9. Anno Chriſti 1240. Ricciolius, Hevelius. *9. An. 1240.*

His fortè plures aliquando inveniri poterunt. Sed nonne jam accenſeri iſtis poteſt ille Anno 1337. conſpectus, quem Tu quatuor amplius menſibus luxiſſe teſtaris? Duorum Buntingus & Eckſtormius meminerunt, quorum alter quatuor, alter duobus menſibus durârit. Fieri autem poteſt unum & eundem fuiſſe & vel citius uni vel etiam diutius apparuiſſe, alteri verò ſerius & proinde per pauciores dies. Ita illum Anni 1618. quem à die 24. Novemb. arceſſis, Eckſtormius die 16. Novemb. apparuiſſe & obſervatum eſſe prodidit. Octimeſtrem Cometam Ampliſſimus Hevelius in ann. 375. ponit. Meminit hujus Cometæ Alſtedius ad ann. 377. ſecundùm epocham veram; & Eckſtormius ad ann. 375. ſed durationem ei nullam aſſignant. Tu eum non annotaſti, ſed nec Funccius, nec Calviſius, nec Bucholzerus. Subvereor autem ne in allegatione Heveliana error ſit, ut ann. 375. pro 975. poſitus fuerit. Hoc enim anno octimeſtrem inveni apud Calviſium ex Cedreno & Eckſtormium ex Schoſſero. Apud eundem præterea invenio plures Cometas à paucis annotatos. Alibi etiam nonnullos inveſtigavi, ita ut ſperem me poſſe numerum eorum ad cccc. uſque extendere, ſaltim ei accedere: quod Mantiſſæ loco cum brevi catalogo eventuum lætorum & triſtium Cometas ſecutorum operi meo addi poterit, quod quidem Amici à me poſtulant. Id propoſiti & ſtudii Te quoque, licet gravioribus intentum, & ut eruditionis ita & induſtriæ Tuæ nervos in majoribus explicantem approbaturum eſſe ſpero. Schottianas literas iterum accepi ante octiduum, humanitatis & benevolentiæ eximiæ indices. Tuas quoque & Kircherianas cum deſiderio exſpecto: ut & abs Te nuncium de Tua Aſtronomia Reformata, quæ jam in lucem exiverit, cujus titulus, ſed & eruditio ac diligentia Tua prorſus egregia, ſingulare quidpiam nobis pollicetur. Pollicetur porrò mihi eadem & obſervationes de Cometa menſe Aprili conſpecto abs te factas. Dolendum eſt morbum Tuum prioris obſervationes nobis invidiſſe. Clariſſimus Hevelius Cometographiæ ſuæ totus incumbit. Vale & mihi conſtantem ſerva benevolentiæ Tuæ affectum.

Annon & illi Anni 1337.

Cometa octo menſium 375. (corr. 975.)

Hiſtoria Cometarum inſtitutum Auctor Ricciolio exponit.

Schotti humanitas.

Aſtronomia Reformata Riccioli.

Bononiâ Hamburgum die 15. *Julii* 1665.

De ægritudine in ægritudinem delapſus, & tympaniti atque apoplexiæ obnoxius, de Medicorum ſententia cogor vacare à ſtudiis, alias mihi jucundiſſimis. Vixque aliquid de Prodromo, ad me tantâ humanitate & diligentiâ perſcripto delibare, audiendo magis quàm legendo potui, & hæc pauca dictare. Ne tamen voto Tuo frauderis ex parte P. Athanaſii Kircheri, ſtatim miſi Romam quæcunque juſſiſti. Ignoſce conditioni meæ, qui cum Tibi & Hevelio plurimum debeam, nihil poſſum præſtare in hac vita, & moneor parare

Ricciolius ad periculum vitæ ægrotans Auctori, quantum poteſt, ſatiſfacit Prodromum Prodromi Heveliani Ricciolius Kirchero mittit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

rare me atque accingere ad iter in alteram vitam, quod mihi Deo favente benè vertat. Res ipſa per ſe loquitur, nec pluribus opus eſt. Vale Vir Præclariſſime, & Deum O. M. pro me orare ne graveris.

Hamburgo Bononiam die 19 Auguſti Anno 1665.

Morbo amici dole. Officioſus in amicum eſto. Amico bona precare. Deo in vita & morte obedi. Mortem intrepidus exſpecta, Et ſemper, etiam ſanus, cogita, Idque ſine triſtitia & plenus.

MAgnam & ego ægritudinem animo concepi, licet id Stoica, at non Chriſtiana philoſophia vetet, poſtquam epiſtolam Tuam ægritudinis tuæ, & ad vitæ quidem periculum multiplicatæ nunciam, medio Julio miſſam eodem menſe decurrente accepi. Ad hanc Tibi reſpondere citius volui, debui. Sed & à Clariſſimo Hevelio cujus in Tua illa, licet brevi, epiſtola, non oblitus es, imò verò mentionem honorificam feciſti, aliquid reſponſi, & vel abs Te vel de Te aliquid literarum exſpectandum, priuſquam Tibi reſcriberem, mihi eſſe duxeram. Cum autem ſpes meæ fruſtrà hactenus fuerint, non aliud decuit, quam mutuo humanitatis officio erga Te defungi. Omnes, qui Tua præclara de Republica literaria merita norunt, nuncio triſti de periculoſo Tuo morbo, valdè affecti ſunt, unaque mecum longam valetudinem Tibi ex animo, boni publici ſtudio precantur, lætumque de Tuæ valetudinis meliore ſtatu nuncium præſtolantur. Interim rectè facis, quòd animum firmatum conſtantiâ in obſequium Deo Creatori tam gratum quàm debitum compoſueris, & ſi is velit, extremum diem intrepidus exſpectes. Venit mihi iſta Tua legenti illud Senecæ ſenis in mentem, quod ep. LXI. ad Lucilium ſuum ſcribit: *Hoc animo tibi hanc epiſtolam ſcribo, tanquam eum maximè ſcribentem mors evocatura ſit. Paratus exire ſum, & ideo fruor vitâ: quia quamdiu futurum hoc ſit, minimi pendo.* Quod pluribus ibi docet, *finem noſtri ſine triſtitia cogitandum* & *mortem plenis nobis exſpectandam eſſe*, id Tu laudabili exemplo comprobas. Sic Te hoc rerum ſtatu adire, & paucis hiſce compellare & conſolari volui. Vale longum, Salve multum, Valetudine Tua, ut Cicero ad Atticum alicubi ſcribit, à multiplici & pertinaci morbo confirmatâ.

Hamburgo Bononiam die 10. Februarii 1666.

Triſtitia ex malo, lætitia ex bono alieno hominem decet. Riccioliо recuperatam ſanitatem Auctor gratulatur: Tùm & præclara opera edita. Valetudo à morbo confirmata. Riccioli merita de Republica literaria. Chronologia reformata arduum opus, Herculeus labor.

QUantum mœrorem ex epiſtola Tua medio Julio anni præteriti data, quæ mihi nuncium triſtem de graviter affecta valetudine Tua attulerat, conceperim, teſtata eſt mea die 19. Auguſti tunc ad Te ſcripta. Teſtabitur & Humaniſſimus Schottus, quam ſolicitè in vitam & valetudinem Tuam inquiſiverim. In præſentia vero teſtatur hæc epiſtola magno me gaudio nuper affectum eſſe, poſtquam Schottiana die 27. Jan. exarata, Te vivere, imo benè valere, & publico datâ Geographiâ & Aſtronomiâ reformatâ, in Chronologiam quoque reformatam toto animo & ſtudio incumbere nunciavit. Gratulor Tibi meliorem imo bonam, & à morbo, ut fieri ſolet, confirmatam valetudinem: quam cum auctario omnis proſperitatis Tibi, Viro de Republica literaria optime merenti, in plures annos precor. Gratulor quoque & Tibi & Reipublicæ literariæ, Te non tantum Aſtronomiam Reformatam, cujus mentionem aliquando in Tuis ad me literis injeceras, ſed & Geographiam reformatam, cum orbe erudito communicaſſe, imo & in Chronologia reformanda totum occupatum eſſe. Arduum ſane & Herculeum, in domandis ſcilicet tot errorum hic & illic in orbe literario graſſantibus monſtris, ſubis laborem, ſed humeris Tuis parem. Macte animo eſte, Tu cum Kirchero & Schotto, eximii cæli totiuſque naturæ interpretes. Nobis utinam tam longè remotis, doctiſſimis Tuis & Kircherianis monumentis (quanquam hæc, ut & Schottiana, donat nobis utriuſque Germaniæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

maniæ indefeſſa agendo induſtria) frui liceat! Ego ſane dum Cometicum opus meum molior, ex Tuo Almageſto, quem ab anno ferè ex inſigni humanitate & benevolentia Ampliſſimi Domini Conſulis Mölleri retineo, & ad dextram proximè habeo, quotidiè ferè multa diſco. Videbis aliquando, quanti Te faciam, etiam dum diſſidentes plurium Hiſtoricorum & Chronologorum ac Cometographorum rationes confero, & veritatem, quam nobis cunctis rebus cariorem eſſe debere noſti, inveſtigo. En Tibi ſpecimina quædam ſtudii Chronologici ex operis mei utraque parte excerpta, quantum ratio permittebat temporis. Utinam hæc uſibus Tuis, dum Chronologiam reformare ſtudes, inſerviant! Mihi quidem tàm gratum quam utile fuerit, ſi Tu, qua eruditione, induſtria & humanitate polles, de his judicium facere, & de ætate Hipparchi, & Mithridatis, ac Cometis ſub Nerone, & circa mortem Ludovici Pii viſis, vera & certa docere volueris. Candorem ubique meum boni & æqui conſule. Studio enim veritatis nihil habeo antiquius. Opus meum apud Batavos Dei gratia fervet. Prodromum Prodromi Heveliani, aliquantum correctum, primæ operis parti ac Tuæ communicationi, Kircherianam proximè præcedenti, inſerui. Utinam Tuis, vel ſaltem Tuâ operâ alicujus Præſtantis Mathematici obſervationibus utriuſque Cometæ, opus meum exornatum fuiſſet! Poſſideo tamen plurimas undique ad me miſſas. Verum enimverò Schotiana induſtria & benevolentia palmam omnibus præripuit. Cunctas figuras accuratè æri incîdi curo, non ſine magno ſumtu. Altera operis pars Hiſtoriam Cometarum continet. Hos ante Chriſtum natum L. numero in tabulas retuli. Jam ſum propè LXXXV. à Chriſto nato qui à Te & Rockenbachio in Ann. 340. refertur. Octimeſtris Cometa ille eſt, quem ego Tibi indicaveram Anno 975. non 375. quod corrigi Ampliſſimus Hevelius petiit. Sed de his plura nunc ſcribere non vacat. Velim mihi aliquid & ad ſuperiores literas meas reſcribas. Vale feliciter.

Germanica induſtria indefatigabilis. *Almageſti Riccioliani commendatio.* *Auctor diſſidentes Scriptores conciliat.* *Veritatis ſtudioſus præ omnibus eſto.* *Chronologici ſtudii ſpecimina Ricciolio Chronologiam reformanti ab Auctore miſſa.* *Veritas tibi cariſſima eſto.* *Auctor operis ſui progreſſum Ricciolio exponit.* *Riccioli nullas obſervationes ſe habere dolet Auctori.* *Cometarum hiſtoria, numerus.* *Octo menſium Cometa Anno 975. non 375.*

Specimina ſtudii Chronologici.

STudium Chronologicum perdifficile & multis nodoſis quæſtionibus ac diverſis Auctorum ſententiis eſſe implicitum, jam olim credidi, nunc verò in componenda Hiſtoria Cometica experior. Diſſidentes multum de annis Mundi, & natali Chriſti opiniones enumerando attigi: ſed rem in medio reliqui, nulli Præclarorum Virorum ſententiæ præjudicare volens. Tanto magis cum hæc velut in tranſitu tangam, imò & totum opus meum Cometicum, ſat ingens & arduum, ſolis horis ſuccisivis componam. Cum tamen in rectè conſtituenda Chriſti epocha plurimum ſit ſitum, diſſimulare non poſſum, me quoque, ſi quid judicare de his mihi fas eſt, epocham communem biennio inferiorem verâ animadvertere. Notum eſt quid in hanc rem ſcripſerit Scaliger, Calviſius, Helvicus, Alſtedius, aliique, & poſt hos Joannes Wichmannus Prof. Roſtochienſis. Is in opuſculo ſuo Chronologiæ Sacræ, aſſerit Chriſtum natum Anno Periodi Julianæ 4711. Juliano 43. Idem docet Chriſtum ſecundùm epocham communem judicari natum biennio currente à morte Herodis M. quod veritati Sacrarum Literarum repugnat. Ponit itaque ille mortem Herodis in annum Periodi Julianæ 4712. Julianum 44. cùm Langio, & in medio conſiſtit hinc inter Keplerum & Petavium, qui in annum Per. Jul. 4710. Julian. 42. illinc inter Scaligerum, Calviſium & alios, qui in ann. Per. Jul. 4713. Jul. 45. eam referunt. Annus autem Julianus primus, conſulatûs ejus quartus, ſecundùm ejus ſententiam incidit in ann. Per. Jul. 4669. Mundi 3961. U. C. Varronianum 809. Capitolinum 808. verum 807. Olymp. 183ᵃ. quartum, vel Iphiti 732. Adhæc ex tabulis ejus, relictis ſuo loco omnibus epochis ab eo conſtitutis, ipſaque Chriſti nati in ann. Mundi 4003. poſita, hanc tabellam epochas Imperatorum XIII. ab Auguſto ad Trajanum continentem compoſui. In qua ſi diſcrimen annorum completorum & currentium obſervetur, non puto errorem commiſſum eſſe.

Chronologicum ſtudii perdifficile. *Anni Mundi variè putantur.* *Horæ ſucciſivæ Auctoris hoc opus conſtituunt.* *Epocha Chriſti vulgaris biennio eſt minor verâ.* *Joannes Wichmannus accaratus Chronologus.* *Chriſti natalis annus examinatur.* *Herodis mors.* *Annus Julianus.*

Imperatores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

IMPERATORES.

Epocha 13. Imperatorum.

1. *Auguſtus*	ab A°.	Per. Jul. 4670.	Jul. 2. M.C. 3962.	U.C. 708.	ante C.N. 42.		Olymp. 184.		ann. 57.	
	ad Ann.	Per. Jul. 4727.	59.	4019.	764. à Chr. N. 15	(17)[a]	198^{x}.	2	a. 19. Aug.	
2. *Tiberius*	ab A°.	Per. Jul. 4727.	59.	4019.	764.	15	(17)	198^{x}.	2	ann. 22. m. 7. d. 5.
	ad Ann.	4750.	82.	4042.	788.	38	(40)[b]	204^{x}.	1	b. 16. Martii.
3. *Caligula*	ab A°.	4750.	82.	4042.	788.	38	(40)	204^{x}.	1	ann. 3. m. 10.
	ad Ann.	4754.	86.	4046.	792.	42	(44)[c]	205^{x}.	1	c. ad 24. Januarii.
4. *Claudius*	ab A°.	4754.	86.	4046.	792.	42	(44)	205^{x}.	1	ann. 13. m. 8. d. 20.
	ad Ann.	4767.	99.	4059.	805.	55[d]	(57)	208^{x}.	2	d. ad d. 13. Octob.
5. *Nero*	ab A°.	4767.	99.	4059.	805.	55	(57)	208^{x}.	2	ann. 13. m. 7. d. 28.
	ad Ann.	4781.	113.	4073.	819.	69[e]	(71)[e]	211^{x}.	3	e. al. d. 10. Junii.
6. *Galba*	m. 7. d. 25.	disjunctim, ſed conjunctim ann. 1. dies 21. Xiphilin.								
7. *Otto*	m. 3. ——									
8. *Vitellius*	m. 8. ——									
9. *Veſpaſianus*	ab A°.	4782.	114.	4074.	820.	70[f]	(72)[f]	212^{x}.	1	f. 1 Jul. ann. 10. minus d. 6.
	ad Ann.	4792.	124.	4084.	830.	80[g]	(82)[g]	214^{x}.	2	g. 24. Junii.
10. *Titus*	ab A°.	4792.	124.	4084.	830.	80	(82)	214^{x}.	2.	ann. 2. m. 2. d. 20.
	ad Ann.	4794.	126.	4086.	832.	82[h]	(84)[h]	215^{x}.	1.	h. 13. Sept.
11. *Domitianus*	ab A°.	4794.	126.	4086.	832.	82	(84)	215^{x}.	1.	ann. 15. -- d. 5.
	ad Ann.	4809.	141.	4101.	847.	97[i]	(99)[i]	218^{x}.	2.	i. 18. Sept.
12. *Nerva*	ab A°.	4809.	141.	4101.	847.	97	(99)	218^{x}.	2.	ann. 1 m. 4. d. 9.
	ad Ann.	4811.	143.	4103.	849.	99[k]	(101)[k]	219^{x}.	1.	k. 27. Jan.
13. *Trajanus*	ab A°.	4811.	143.	4103.	849.	99	(101)	219^{x}.	1.	ann. 19. m. 6. d. 15.
	ad Ann.	4830.	162.	4122.	869.	118[l]	(120)[l]	223^{x}.	4.	l. circa 11. Aug.

Hamburgo

Hamburgo Bononiam die 7. Februarii Juliani 1666.

MUltis indiciis cognita mihi Tua humanitas, germana felicis eruditionis proles, imò quæ quibuſdam (*a*) ipſa eruditio eſt, tùm & inſtituti utriquè noſtrûm communis quodammodo ratio, me iterum ad te literis compellandum invitat. Octavus enim dies agitur, ex quo ad Te literas dedi, quibus præter caput & excerpta quædam Hiſtoriæ meæ Cometicæ, præcipuè quæ ad ætatem Hipparchi & Mithridatis, tùm ad Cometas Neronianos & circa mortem Ludovici Pii viſos ſpectant, ſpecimina ſtudii mei Chronologici ad te miſi. Cuncta iſta Humaniſſimo Schotto, qui me non tantùm de tua proſperâ valetudine, ſed & de ſtudiis, præſertim Chronologicis, reddidit certiorem, ritè curanda commendavi. His nunc addo alia ejuſdem generis, quæ & ad Tuam Chronologiam reformatam, & ad meam Hiſtoriam Cometicam pertinent. Cum enim hanc ex Tuo, Rockenbachii, Eckſtormii & Alſtedii catalogò præcipuè componam, meritiſſimo in iis quæ de hoc argumento ponis mihi dubia, ad Te ipſum recurro. Quis enim Te melius mentem Tuorum verborum explicuerit? Et quid ni hæc, etſi Tua non eſſent, Tibi illuſtranda proponerem, Viro non tantùm vaſtâ eruditione & indefeſſâ diligentiâ prædito, ſed & in Chronologia reformanda occupato? Video te optimè de republica literaria, licet tàm gravi ſenecta, mereri, & ſtudia ut Geographica & Aſtronomica, ita & Chronologica reſtituere & promovere. Quidni ergò Tuo quoque exemplo exciter, ut aliquid pro mea parte virili tentem, & ſtudium rei literariæ juvandæ mihi quoque ineſſe, licet tenue, teſter apud te? Accipe itaque hæc & priora ab amica & ſtudioſa manu. Vides me inter multorum aliorum laborum impedimenta meum ſaxum volvere ad metam. Cum enim antè octiduum octogeſimo quinto Cometæ, quem Tibi & Rockenbachio debeo, appropinquaverim, hodie centeſimum ſecundùm ferè abſolvi. Hunc cùm Rockenbachius eodem anno quo Arcadius Imperator & Stilico vitam cum morte commutârunt, fulſiſſe dicat, neceſſariò in ann. Chriſti 408. communem, verum 410. retrahendum mihi eſſe judico, licet in 412. ab Auctore poſitum. Nam & antea animadverti Rockenbachium cum Funccio aliorum rationes quadriennio excurrere: ut cùm Chryſoſtomi mortem in ann. 411. ponunt uterque, quam reliqui in 407. uno animo ponunt. Sed venio ad alia Te propius ſpectantia. Velim abs Te doceri, quo Auctore Cometas produxeris anni 130. Uſuardo Regi Angliæ fauſtum, 213. & 363. quos nullus Auctorum, quos vidi, memorat. In eodem illo indiculo fauſtorum & infauſtorum Cometarum dum de morte Agrippæ loqueris, annos circiter 13. ante Chriſtum natum intelligendos eſſe, & Scribæ vel typographi vitio ſub linea tranſverſa poſitos, cum ſupra eam ponendi eſſent, res ipſa docet. Atque hæc ego pro jure amicitiæ & libertatis homine ingenuo & publicæ utilitatis amante reique literariæ ſtudioſo ad te ſcribenda eſſe duxi. Ad quæ tu, quâ es humanitate & erga me benevolentia, quamprimùm reſpondebis, ac meum candorem boni & æqui conſules. Vale diu & feliciter.

Humanitas pro eruditione.

(*a*) Gell. 13. c. 15.

Ricciolium de multis Auctor conſulit.

Schotti humanitas.

Ricciolio Riccioliana dijudicanda Auctor proponit:

Utpote optimo ſuorum interpreti,

Et Viro longè doctiſſimo.

Imitari Viros induſtrios honeſtus quiſque debet.

Literariam rem pro tua virili adjuva.

Cometa Rockenbachii anno 412. in 408. (410.) referendus.

Funccius & Rockenbachius quadriennio aliorum rationes præcurrunt.

Cometarum anni 130. 213 & 363. ſedes dubia.

Error Scribæ vel typographi in Riccioli Almageſto.

Bononiâ Hamburgum die 8. Martii Gregoriani 1666.

BReviter ſcito me, licet Dei Opt. Max. miſeratione apoplecticum periculum evaſerim, adeò tamen moleſtâ fluxione & catarrho adhuc laborare, ut vix Chronologiæ abſolvendæ paucas aliquando horas indulgere poſſim, & nullas concederem ſi Medicorum conſilio acquieſcerem.

Ricciolius tum valetudine in gratiam rediit.

Itaque dabis mihi, pro tua ſingulari humanitate, veniam, ſi paucioribus, quam vellem, duabus tuis eruditiſſimis epiſtolis reſpondebo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Epocha mundi à Ricciolio conſtituta.

Quoad Mundi annos ante epocham Chriſti vulgarem, ego in meo Tomo I. lib. 7. recenſeo 70. opiniones diverſas; ſed hoc totum intervallum pendet ex aliis partialibus intervallis, quæ ſingillatim examinavi diu multumque ſeparatis libris ejuſdem primi Tomi Chronologiæ Reformatæ, neque unquam quievi, donec viſus ſum mihi tùm aliorum tùm meis novis argumentis ad veritatem propius acceſſiſſe. Summa horum intervallorum eſt quam vides in laterculo hoc

Epochæ variæ à mundo condito uſque ad Chriſtum à Ricciolio conſtitutæ.

INTERVALLA	Juxtà Hebr. & vulgatum Latinum.	Juxtà LXX. interpretes Anni
Ab initio Mundi ad finem Diluvii Noë.	1656.	2256.
A fine Diluvii ad Sacrificium Abrahæ & Repromiſſionem Dei juratam.	506.	1356.
A Repromiſſione dicta ad Exodum.	430.	430.
Ab Exodo ad fundamenta Templi.	580.	580.
A fundamentis Templi ad captivitatem Babylonicam ſolutam à Cyro.	476.	476.
A captivitate ſoluta ad CHRISTUM.	536.	536.
Summa - - - -	4184.	5634.

Epocham Chriſti communem uno anno ab illa, quæ dicitur vera non differre probabilius eſt.

Quoad annos CHRISTI tandem concluſi, nulla neceſſitate illos diſcrepare à vulgari & uſitata epocha annorum Chriſti. Eſto diſcrimen unius anni non ſit improbabile; nullum tamen eſſe probabilius eſt, ut oſtendo meo libro 8. Tomi primi, ſolutis aliorum nodis quantumvis perplexiſſimis.

Hipparchi ætas à Ricciolio conſtituta.

Periodus Calippi conflata ex 4. Cyclis Metonicis decennovalibus, ex qua triplici Hipparchus ſuam periodum compoſuit.

Hipparchi ætatem ac tempus ex fontibus Ptolemaicis liquidius haurire poteris, prout indicavi in Chronologico indice Aſtronomorum præmiſſo à me Tom. I. Almageſti Novi, certum eſt enim inde, ipſum obſervaſſe cæleſtia, ſi non ab anno 54. ſecundæ Periodi Calippi, id eſt, 200. antè epocham Chriſti, tamen ab anno 17. tertiæ Periodi Calippi, id eſt, 162. antè epocham Chriſti, uſque ad annum 50. ejuſdem tertiæ Periodi, hoc eſt, 129. ante epocham Chriſti: de qua Periodo ejuſque initiis certiſſimè nobis conſtat ex eclipſibus & aliis argumentis à me adductis lib. 4. Tomi I. De Mithridatis annis non alligavi opinionem meam Eutropio, ut Tu ſupponis: ſed priore loco attuli Appianum Alexandrinum, cui potius in hoc credo.

Epocha Octav. Auguſti verior à primo Conſulatûs anno, vel potius à Triumviratu.

De annis Octaviani Auguſti cum ſex ſint opiniones, verior tamen & communiter intelligenda eſt, quæ numerat, illos vel à primo Conſulatu inito die 19. Sextilis, vel potius à Triumviratu à die 29. Novembris Anni ante ep. Chriſti 43. currentis, & inſtante 42. inde autem ad Trajani mortem ſunt anni pleni 158. menſes 7. & perpauci dies. Cum Trajanus obierit ineunte Auguſto anni Chriſti 117. & Hadrianus non eo die ſed 11. Auguſti inivèrit. Ego autem lib. 4. Tom. I. à cap. 8. ad 16. plures quæſtiones de annis Imperatorum Romanorum extricaſſe conatus ſum.

Ricciolius in Almageſto Cometarum hiſtoriam conſcripſit antequam ἀκρίβειαν Chronologicam aggreſſus eſſet: Candidè agit.

Quoad reliqua Cometarum tempora, quando illa in Almageſto conſignavi, nondum Chronologiam meam ad incudem revocaveram, ut poſtea coepi facere: itaque avidiſſimè exſpecto tuum opus de Cometis, uſurus eo, ſi Deus & vita permiſerint, & correcturus ingenuè, quæ corrigenda monſtraveris. Interim perge me amare & de literis benè mereri, & ad multos annos Vale cum ſumma proſperitate.

Hamburgo Bononiam die 7. April. Gregor. 1666.

Amici mala & bona pro ſuis reputa.

MUltum profectò gaudii attulerunt mihi humaniſſimæ literæ tuæ die 8. Martii datæ, mihi vero quarto ab hinc die redditæ. Nam quod antea auditione acceperam, nunc in Tuis lego & video, Te & rectius valere per gratiam divinam, & ſtudiis humanioribus aſſiduò dare operam. Næ Tu Herculeo quo-

quodam labore Augiæ ſtabulum (abſit verbo invidia) repurgas, dum Chronologiam tot fœdis & diuturnis diſſidiis ſcatentem mundare & reformare contendis. Me, &, quovis credo, bonarum artium amante judice, tanto labore magnum laudis perennis præmium ab orbe literario pactus es. Idque Tibi nullum æquum negaturum, certus ſum. Non pauci Viri doctrinæ laude præſtantes, quibuſcum mihi commercium literarum intercedit, de Tuo iſto præclaro conatu & opere ex me dedicerunt, plurimumque eo nomine Tibi & Reipublicæ literariæ gratulantur, ac porrò gratulabuntur. Exſpectamus magno cum deſiderio hocce Tuum opus, ut videamus rationes, quibus iſthæc temporum intervalla ab origine rerum ad earundem reformationem ſalutarem per Chriſtum factam diſpoſita, aſſeris. Epochæ Chriſti diſcrimen levius eſt. Indicandum tamen, non tantùm agnoſcendum eſt. Tu utrumque candidè præſtas. De ætate Hipparchi ſententiam Tuam adhuc ignoravi. Almageſti enim tui priorem Tomi 1. partem non vidi fateor. Spero autem me integrum opus à Te, ſi aliquod exemplum quo carere poſſis, habeas, & Deus utrique noſtrûm vitam proroget, per commutationem aliquando obtinere poſſe.

Publicè utilis & laudandus.

Laudem cuique debitam æquus tribue.

Publicis utilitatibus præclarorum Virorum exemplo ſtude.

Epochæ Chriſti diſcrimen leve.

Almageſti exemplum à Ricciolio Auctor per commutationem obtinere cupit.

Gratulor Tibi tuam de hac re ſententiam cum rationibus Virorum doctorum, quibuſcum hac de re contuli (inter quos & Clariſſimum Bullialdum eſſe noſti) convenire. Ita conſtat Hipparchum ſub Ptolemæo Philometore, non Philadelpho, tertia periodo Calippica, anno circiter & poſt mortuum Alexandrum & ante natum Chriſtum 162. Sulpicii Galli æqualem floruiſſe. Quæ de Mithridatis annis mones, grata ſunt. De annis Auguſti aliorumque Imperatorum rationes Tuas, quas ſolidè affirmabis, ut & reliqua, cum deſiderio exſpectamus. Ego Deum precor, ut Tuis laboribus bono publico dicatis adſit benignus! Video enim Te obedire ſalubri Domitii Piſonis monito, ab Auctoribus non libros, ſed theſauros eſſe componendos. Hujus & ego memor quæ ad formandos mores & demonſtrandam veritatem faciunt, paſſim inſero. Atque hæc conſcientiæ, hanc libertati & Deo Auctori: reliqua ſcientiæ deputo. Nam & hujus me ſtudioſum eſſe fateor. Si hîc aliquid poſſum, quod & Tibi uſui ſit, ex his, quæ adjungo ex Hiſtoria Cometica excerpta, judicabis. Cometam anni 130. in 631. vel 633. referendum eſſe, ipſe, ut credo, agnoſces. Diſcrimen de annis Theodoſii Imperatoris verbo tolles. Gravius illud eſt de annis S. Martini, poſterorum Ludovici IV. Regis Galliæ, tùm Caroli Martelli, illius Siculi. Hoc autem poſtremum Te tangit: ut & quæ ad Cometam mortis Caroli Magni prænuncium, ac illos circà filii ejus Ludovici Pii mortem, annotavi. De his excerpta * mitto. Reliqua hîc inſero, æquitatis & candoris Tui, quem literæ Tuæ produnt inſignem, certus.

Hipparchi ætas rectè à Ricciolio conſtituta.

Auctores non libros ſed theſauros componant.

Conſcientiæ & ſcientiæ ratio conveniat.

Ricciolio excerpta quædam ex Hiſtoria Cometarum Auctor mittit.

Quæſtiones novas Chronol. Auctor Ricciolio proponit.

* Vid. T. 2. p. 93. 166. 140, 141 & ſeqq.

Cometæ ante Ludovici Pii mortem.

Cometæ ante Ludovicum Pium A. C. 840. mortuum.

1. Anno Chr. 837. qui autumno Solem anteceſſit. Eckſtorm. Hunc in A.C. 836. refero, ut 837. ponatur celebris ille Cometes, qui ſequitur.
2. Anno 838. qui vere m. Aprili Solem ſecutus eſt, & 25. diebus apparuit. Eckſtorm. Ante hunc Aventinus in Virgine eum apparuiſſe & 25. diebus luxiſſe, Rockenbachius verò in Libra viſum eod. anno teſtantur. Annales Fuld. eum 837. m. April. in Libra tribus noctibus obſervatum memorant. Auctor vitæ Ludovici anonymus, ſi filum hiſtoriæ, non diſtinctionem capitum & annorum, ſpectes, à Viris doctis correctam, non in 839. ſed in 837. cum in Virgine, Leone, Cancro, Geminis & Tauro 25. diebus monſtrat. Hunc ſequitur Calviſ. & alii. Puto Cometam eod. anno in Libra initio viſum in Tauro diſparuiſſe, poſtquam C. S. S. proceſſiſſet.
3. Anno 840. (corr. 838.) in Scorpio, Anonymus & Calviſius. Anno 839. Cometa oſtenditur in Ariete à Vincentio Speculi auctore, Funccio, Buntingo, Rockenb. Eckſt. & aliis apud Ricciol. Conjicio & hunc Cometam in Scorpio primùm obſervatum, itidem C. S. S. ad Arietem cucurriſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

TABULA EXHIBENS

Diverſas Auctorum ſententias de ſerie & annis Ludovici IV. cognomine Tranſmarini, Regis Galliæ, ſucceſſorum, in quibus familia Caroli M. defecit.

Ludov. 4. Regis Galliæ ſucceſſores variè memorantur & numerantur.

1.	Aimoin. l. 5. c. 43. & 44.	Ludovicus IV. Tranſmarinus Rex Franciæ obiit 94.	Lotharius † A.C. 976.	Ludovicus V. ſine prole † 985.	
				Carolus Lauduni captus.	Ludovicus & Carolus filii in carcere Aurelianenſi nati.
			Carolus		
2.	Ritius de Regib. Franc. l. 1. in fine & principio l. 2.	Ludovicus Tranſmarinus obiit 960.	Lotharius ſine prole deceſſit.		
			Carolus captus	Ludovicus V. Carolus.	
3.	Serres in Ludovico V. & Hugone: [Chronologia ad Inventar. Serris Ludovicum A°. 954. Lotharium 986. obiiſſe dicit.] NB.	Ludov. IV. Tranſmarinus Rex Galliæ 33. obiit 955.	Lotharius † 964.	Ludovicus V. ſine prole obiit 965.	
			Carolus Dux Lothar. captus Lauduni, Aureliani in carcerem datus.		
4.	Calviſius.	Ludovicus IV. Tranſmarinus obiit 954.	Lotharius obiit 986.	Ludovicus V. † 987.	
			Carolus Lothar. Lauduni captus ab Hugone.		
5.	Alſtedius Chr. Reg. Galliæ.	Ludovic. IV. Tranſmarinus Rex Galliæ 33 † 956.	Lotharius obiit 987.	Ludovicus V. obiit 988. Carolus Lotharius Dux.	
6.	Petavius Ration. Temp. part. 1. lib. 8. c. 16.	Ludov. IV. Tranſm. † An. C. 954.	Lotharius obiit 986.	Ludovicus V. ſine prole † Compendii 987.	
			Carolus Lothar. Dux Lauduni captus, Aureliani in carcerem datus genuit	Ludovicum & Carolum.	
NB.	Idem cap. 19. edit. Pariſ. 1636. & 1652.	Ludovicus IV. Tranſmarinus.	Lotharius. Carolus.	Ludovicus V. Carolus captus Lauduni &c.	
7.	Funccius.	Ludovicus IV. Tranſmarinus obiit 955.	Lotharius obiit 986.	Ludovicus V. obiit 987.	
			Carolus Lotharingus.		
8.	Helvicus.	Ludov. IV. Tranſmarinus † 953.	Lotharius obiit 985.	Ludovicus.	

Petavius ſibi ipſi contradicit.

Tabella

Tabella diſcrepantes Auctorum ſententias de annis & familia Caroli Martelli Siculi oſtendens.

Caroli Martelli, Siculi familia & anni variè numerantur.

I. *Annal. Hungar.*

Carolus 2. cognom. Claudus Rex Siciliæ
Uxor
Maria Stephani 5. Regis Hung. filia

- Carolus Martellus
  Uxor
  Clementia Rudolphi Imp. filia.
  - Carobertus, ſive Carolus Robertus, qui monente Pontifice natus XI. annos anno 1299. in Hungariam miſſus Carolus tantùm vocatus eſt.
- Robertus.

II. *Blondi.*

Carolus 2. Rex Siciliæ.
Uxor
Maria

1. Carolus Martellus, qui maternâ hæreditate regnum Hungariæ & non filius accepit.
2. Robertus Calabriæ Dux, Rex Neapol. 3, 4, 5, 6. filii. 1, 2, 3, 4, 5. filiæ, è quibus Clementia nupſit Carolo Philippi Regis Franc. filio.

III. *Bonſinii ex tabulis plumbeis Neapoli in ſepulcro Caroli I. Regis Siciliæ inventis.*

Dec. 2. rer. Ungar. l. 9. p. 335.

Carolus 2.
Uxor
Maria.

1. Carolus Martellus, princeps Salernitanus, qui viventibus adhuc parentibus rex Hung. renunciatus eſt.
2. Ludovicus.
3. Robertus 4, 5, 6, 7, 8, 9. filii. 1, 2, 3, 4, 5. filiæ.

IV. *Apud Bonſin.*

Lib. c. p. 336.

Carolus 2. † Neapoli A°. 1308. regni 25.

- Carolus Martellus Rex Hung. † ante A.C. 1308. ſuperſtitibus parentibus:
  Uxor
  Eliſabetha Rudolphi Imp. filia.
  - Carolus 4. Rex Hung. poſt patrem.
  - Clementia ſecunda.

V. *Apud Bonſin. l. c. p. 337, 338.*

Carolus 2.
- Carolus Martell.
  1. Carolus Rex Hung.
     Uxor
     Eliſabetha Ducis Polon. ſoror.
     1. Ludovicus R. Hung. & Polon. duxit
        1. Caroli 4. Imp. filiam, ex qua nullam prolem ſuſcepit.
        2. Eliſabetham Boſſenſis Bani filiam, ex qua
           - Maria Sigiſmundi Regis Caroli 4. Imp. filii uxor, quæ patri in regno Hung. ſucceſſit.
           - Aduiga S. Hedwigis quæ nupſit Jagelloni M. D. Litv.
     2. Andreas, cui ex uxore Joanna, Roberti Regis nepte, & Caroli filia, Carolus Martellus natus eſt poſt Andreæ Regis & patris interitu, quippe qui Nonis Sept. 1345. Averſæ interfectus, & in Baſilica Neapol. ſepultus eſt.
     3. Stephanus 1332.
  2. Clementia quæ nupſit Ludovico Philippi Pulchri Regis Galliæ filio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Bonfin. l. c. pag. 340. & ſeqq.

VI. Carolus Martellus, regnante adhuc in Hungaria Andrea Veneto, regnum ingreſſus eſt, & aliquot annos apud Hungaros cum Carolo filio fuit, antequam rerum potiri poſſet. Paulo poſt Pontifice puerum iſtum commendante lites & diſſidia inter Hungaros orta. Andreas Rex 1301. in arce Budenſi mortuus eſt. Ab ejus morte quidam ex Proceribus Carolo Martelli filio adhæſerunt, alii Venceſlaum Bohemiæ Regem Venceſlai filium Ottocari nepotem elegerunt. Carolus A. C. 1342. regni 42. 17. Kal. Aug. Viſſegradi obiit. Huic Carolo patrem Carolum Martellum Ludovici avum filio ſuperfuiſſe plerique volunt. Uter ex his prius diem obierit Hungarici Annales nil ſanè definiunt.

Carolum Martellum filio Carolo Rege Hung. quidam ſuperſtitem fuiſſe volunt.

Hæc de familia & annis Caroli Martelli & poſterorum ejus ex parte excerpſi feſtinanter ex Bonfinio apud Amicum, ob cujus morbum librum habere tunc non potui. His omnibus diligentèr expenſis, vides, Doctiſſime Riccioli, difficile eſſe ſententiam illam Spondani, quam affers, de morte Caroli Martelli anno 1301. quo Cometa viſus eſt, ſubſiſtere poſſe. Velim me de his ſuo tempore moneas & informes. Sed ante omnia ſententiam Tuam de iis, quæ ex hiſtoria Cometarum, anni cumprimis 840. & ſequentium excerpta Tibi mitto, ad me quamprimum perſcribe. Fieri enim poteſt, ut ex Cometis meis N°. CLXXI, CLXXII, CLXXIII & CLXXIV. plures facias, qua in re auctoritati tuæ cedam, & ſeriem Cometarum alitèr diſponam. Itaque in hiſtoria progredi, ſaltem in ſerie tutò contexenda, non potero, priuſquam Tuæ ſententiæ certus fuero. En vero Tibi & Catalogum Cometarum * ante Chriſtum Natum, quem ex Tuis & Rockenbachii, Eckſtormii ac Alſtedii rationibus compoſui. Velim cuncta boni & æqui conſulas, & excuſes meam libertatem, quâ in Te tot nugis obruendo utor. His tamen rationem juſtam non deeſſe per Te ipſum vides. Modeſtia, æquitas & ſinceritas Tua plurimùm Te hîc orbi literato & ſeræ poſteritati commendabunt, utpote virtutes hoc exulcerato ſeculo raræ, & cum inſigni eruditione ac induſtria junctæ. Vale diu & age feliciter, ac mihi fave conſtanter.

Error Spondani.
Carolus Martellus Anno 1301. non mortuus:
Ricciolium Auctor de Cometis circa mortem Lud. Pii conſulit.
* Vid. T. 2. p. 37.
Conſule de dubiis & arduis Viros doctos & ſolertes.
Conſule boni laborem & candorem alterius.

Hamburgo Bononiam die 14. *Aprilis* 1666.

ILlis quæ proximè ad Te miſi, pauca adjungo. Ac primum quidem, quod ad Cometas circa mortem Ludovici Pii attinet, adjungo tabellam cuncta exhibentem *, quam etiam nuper cum Clariſſimo Bullialdo communicavi. Ab utroque Veſtrûm aliiſque Viris doctis hîc & ubique meliora diſcere ſum paratus. Unum nunc addo, de quo doceri abs Te cupio. Auctor vitæ Ludovici Pii Cometam illum in Virgine *more Planetarum Orientem verſus proceſſiſſe* negat: Aventinus autem affirmat. Tabellis de ætate & poſteritate Caroli Martelli Siculi, hæc nunc, librum Bonfinii nactus, addo. Tertia & quarta ſententia videtur eſſe in unam tabellam ita redigenda. Dehinc verò plures ſententiæ diverſæ, quas en Tibi, componendæ.

* Vid. T. 1. Communic. Bulliald. p.
Diſcere meliora ſemper paratus eſto.
Contradictio duorum Auctorum in eadem re.

III. *Ex tabulis plumbeis Neapoli inventis teſte Bonfinio.*

Caroli Martelli genealogia variè adnotata continuatur.

Carolus 2. | † 1308. Maria {
1. Carolus Martellus, viventibus parentibus Rex Hung. renunciatus, iiſque ſuperſtitibus ante Ann. Chriſti 1308. mortuus & Neapoli ſepultus.
Eliſabetha Rudolphi Rom. Regis filia { Carolus 4. ſucceſſit patri in regno Hung. & principatu Salernitano. Clementia
2. Ludovicus.
3. Robertus. 4. Philippus. 5. Raymundus. 6. Berengarius. 7. Joannes. 8. Chriſtianus. 9. Petrus.
1. Clementia. 2. Blanca. 3. Leonora. 4. Maria. 5. Beatrix:

Quarta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Quarta ſententia, pro ea quam cum tertia junximus, haud immeritò poni poteſt hæc, quæ Carolo 4. Regi Hungariæ alias uxores copulat. 1. Mariam Caſimiri Ducis Poloniæ filiam. 2. Beatricen Henrici 7. Imperatoris filiam, & Eliſabetham Ladiſlai Poloniæ Regis filiam. Bonfin. l. c. p. 345.

Caroli 4. R. Hung. uxores variè numerantur.

Porrò recenſitis tunc ſententiis ſeptima addi nunc poteſt Michaëlis Ritii, qui licet Bonfinii rhapſodus vocetur, ab eo tamen diſſentit de hac re. Id tabella ſubjecta monſtrat.

de regib. Ungar. l. 2.

VII. *Mich. Ritii Neapolitani.*

Ritius à Bonfinio duce in diverſum abit,

Carolus 2.
|
Maria

{ Carolus Robertus, ſeu Carolus ſimpliciter ab Hungaris vocatus, Rex poſt Wenceſlaum Bohemum & Ottonem Bavarum 1310. creatus.
|
Maria Chazmeri Ducis Pol. filia.
Beatrix filia Rom. Imper.
Eliſabeth alterius Ducis Boëmiæ Ladiſlai filia.

{ Carolus Martellus. Ex hoc { Anna Boëmiæ Regina. Venceſlaus filius. Venceſlaus nepos.

Paulò tamen ſupra hanc Caroli Martelli genealogiam ponit.

VIII. *Ex eodem Ritio.*

Tùm & ab ſeipſo.

Carolus 2.
|
Maria

{ Carolus Martellus { Carolus Robertus Rex Siciliæ, à Bonifacio 8. in Regem Ungariæ præ Andrea 3. illo Veneto declaratus, & poſt ejus mortem tandem electus Venceſlao & Ottone ejectis.

IX. *Hungaricorum & aliorum Auctorum:*

Joannes Sambucus Hiſtoricus Cæſareus inter Reges Hungariæ, quos verſibus deſcripſit, tùm in appendice Chronologica, non Carolum Martellum patrem, ſed Carolum Filium numerat. Ita & Abrah. Bakſchaj Hungarus in Chron. & Helvicus, & Alſtedius & nupera Chronica Hungarica Germanicè Biponti Palatinorum impreſſa. Dubravius in Hiſtor. Bohem. l. 18. & tabula geneal. Regum Hungar. Carolum Robertum, non Carolum Martellum, Regem Hungariæ vocat. Ita & Funccius. Auctoribus Hungaris de rebus Hungaricis tutiſſime credi arbitror. Hi autem Caroli 2. cognomento Claudi regis Siciliæ nepotem Carolum, Caroli Martelli filium regem ſuum agnoſcunt. Iidem patrem ſupervixiſſe filio teſtantur. Bonfinius verò * refert eundem mortuo filio regnum adminiſtraſſe, & Hungaricos ſcriptores (quibus tamen nemo melius Reges eorum noſſe debuit) utrumque Carolum confudiſſe, intrepidè pronunciat. Sed de his pluſquam ſatis. Vides, Doctiſſime Riccioli, tot Auctorum, licet diſſentientium auctoritate ſalvâ, mortem Caroli Martelli, æquè ut Andreæ Regis Hungariæ, in ann. 1301. quo Cometes apparuit, poni à Spondano non potuiſſe. Exſpectabo tamen, quid tu ad probationem hujus ſententiæ ſis dicturus. Quàm porrò multa in hiſtoria & Chronologia examinis curam mereantur, docent & hæc, quæ adferam. Cùm enim in hiſtoria Cometarum ex ratione rerum intervallis Cometarum quantum licuit, accommodatarum Levigildi ſive Leonogildi Arianæ hæreſeos, uſque ad impiam filii Hermelgundi cædem defenſoris, tùm nuptiarum utriuſque & Recaredi alterius filii mentionem facere neceſſe habuerim, volui de diſcrimine, quòd hìc animadverti, Te conſulere. Hac enim ratione & Tibi induſtriæ laudiſque & lectionis fructum literarum ſtudioſis præbebo, ut ſpero. Epitomator quidem geſt. Francic. prior, qui & Gregorii

Carolus non quartus, ſed tertius, qui & Martellus, Hungariæ Rex fuit.

* Dec. 2. rer. Ungar. l. 9. p. 350.

Carolus Martellus & Andreas Rex Hung. eodem anno non mortui.

Quæſtiones denuò Hiſtoricas & Chronologicas Ricciolio Auctor proponit.

Hiſpaniæ Regis Levigildi hiſtoria confuſa examinatur.

Epitomator geſt. Franc. prior Gregorius Turon. vel certe ejus æmulus.

gorii Turon. auctoritatem præfert, filiam Chilperici & Fredegundis, Rigundem, Leudebegildi filio uxorem eſſe deſponſatam cap. 35. teſtatur. Sed en Tibi quæ ex ipſius Gregorii hiſtoria de hâc re excerpſi. Filia Chilperici Leuvichildi filio deſponſatur. Greg. l. 5. c. 39. vocatur Rigunthis: deſponſata celebratis nuptiis abiit in Hiſpaniam l. 6. c. 45. à Deſiderio duce Toloſano retinetur l. 7. c. 9, 10.

Richaredus Rex Hiſpan.

Richaredus filius Leuvildi l. 8. c. 30. (frater enim Recharedi duxerat Ingundin filiam Sigeberti c. 28. quam Sidegundem Epitomator geſt. Franc. poſterior c. 83. vocat) rex mortuo patre fœdus init cum Guiſintha noverca l. 9. c. 1. Chlodoſindam (filiam Sigeberti ex Brunichilde, ſororem germanam Childeberti) petit dari ſibi uxorem l. 9. c. 16. & obtinet: hanc promiſſam, Longobardorum

Arianiſmum Rex Hiſpaniæ rejicit.

Regi Richaredo poſt ejuratum ab eo Arianiſmum promittit: c. 25. Clodoſvinda ei deſponſata c. 28. Rigunthis filiæ Chilperici cum Rudegundi matre ſua (annon Fredegundi, nam S. Radegundin Abbatiſſam Pictavienſem antea obiiſſe ſcripſerat eod. l. c. 2. at Fredegunda tunc vivebat infra l. 10. c. 17. cap. 27:) contentio & pugna c. 34. Plura de Rigunthi apud Gregorium non invenio. Sed de matre ejus Fredegundi non pauca infrà, ut diximus, Gregorius ſcribit.

Sigebertus Rex Mediomatricum.

Chilpericus R. Sueſſionum.

Rigundis filia R. Galliæ, Sponſa Rex Hiſpaniæ.

En verò Tibi etiam quæ ex Aimoino de hac re excerpſi: Sigebertus duxit Brunichildim l. 3 c. 4. frater ejus Chilpericus alteram ſororem Galſontam (utraque Atanachildi Regis Hiſpaniæ fuit filia) c. 5. Levigildus duxit Gadſunidam matrem Brunichildis lib. 3. c. 17. 38. ibid. Herminithrildus filius Levigildi duxit ſororem Childeberti Regis Franciæ Ingundam. Rigundis Chilperici filia deſponſata Regi Hiſp. (Recaredo ſcilicet, Pater enim Levigildus habuit uxorem Gadſundam, quæ ſupervixit patri ejus & ab eo liberaliter culta eſt. Gregor. l. 9. c. 1.) ducitur in Hiſpaniam l. 3. c. 56. retinetur à Deſiderio cap. 60. reducitur ad matrem c. 72. Nil amplius de ea apud hos Scriptores invenio. Sed Recharedi regnum & converſionem c. 75 & 77. Fredegundis autem mortem Aimoinus cap. 86. deſcribit. Clodoſuindæ autem nuſquam, quod ſciam, meminit.

Clodoſuinda videtur eadem cum Rigundi eſſe, vel pro ea poni.

Error Aimoini & Aventini corrigitur.

Quod autem ad marginem c. 75. legitur Levigildum fratri Richaredo regnum reliquiſſe, id ſtatim c. 77. ubi filius dicitur, refellitur. Favet huic errori Aventini hiſtoria. Is enim Herminigyldi filios Levigildum & Recharedum fuiſſe dicit. Verùm omnes quos vidi Auctores Hermingildum, illum Martyrem & Ricaredum filios Levigildi fuiſſe, uno ore dicunt. Omnes præterea Aventinus ab Ariana impietate converſos eſſe ait. Atqui propter hanc pater ille filium

Hermingildus ſeu Hermelgundus Princeps Hiſpan. Levigildi filius, non pater ab eo necatus, Ricaredi frater non pater.

Hermingildum necavit, ac poſt patris demum exceſſum Ricaredus eam ejuravit. Ita ſi Scriptoribus Gallicis ipſique Ritio & æmulo ejus Taraphæ ſua conſtat auctoritas, errores illi in Aventino ſunt corrigendi. Pariter in Sigonio Veſtrate, Viro cæteroquin doctrinæ & diligentiæ eximiæ laude digniſſimo, qui Ingundin Childeberti ſororem Levigildo, qui poſtea in Hiſpania interfectus fuerit, nupſiſſe refert. Nam ſecundùm illorum rationes Levigildi filio Hermin-

Ingundis non patri Levigildo, ſed filio ejus Hermingildo nupſit.

gildo nupſerat. Idem Scriptor laudatus paulò infra ad Ann. 589. & Funccius ad 591. ab Anthari rege Longobardorum poſtulatam eſſe in matrimonium Childeberti ſororem, eique Ricaredum à Childeberto prælatum fuiſſe memorat. Intelligit uterque dubio procul illam Clodoſuindam. Sed quid de Rigun-

Rigunthis an ducta à Ricaredo, annon pro ea Clodoſuinda patruelis.

thi Childeberti patrueli, Ricaredo deſponſata, ad eum ducta, ſed ad matrem reducta factum, in Scriptoribus, quos vidi, inveſtigare non poſſum. Niſi fortè conjiciam Ricaredum Rigunthin theſauris ſpoliatam, ad matrem reductam non duxiſſe uxorem, ſed patruelem ejus Clodoſuindam. Ubi autem Rigunthis adulteria exercuit, de quibus Greg. l. 9. c. 34. poſtquam de Clodoſuintha Ricaredi ſponſa c. 25. & 28. egiſſet? Serres & Peravius hæc ſilentio tranſmittunt, niſi quòd iſte Leovigildi filios Hermenigildum & Ricaredum nominet. Calviſius rem ex diverſis Auctoribus, ita ad Ann. 585 refert: Hermenigildum Sigeberti filiam, Childeberti ſororem Inguldin uxorem habuiſſe, filiam Chilperici ab Antharito rege Longobardorum poſtulatam, Reccaredo datam eſſe ad Ann. 586 & 587. Anno verò 594. Clodoſuintham Childeberti ſororem ei nupſiſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nupſiſſe. Sed ad Anno 587. Recaredum menſe ſeptimo poſt obitum parentis Arianiſmum abdicaſſe ex Iſidoro dicit: cum Tarapha ex Sigiſberto anno decimo in Concilio Toletano id factum eſſe dicat. Denique quæcunque ex illis, quas recenſuimus, ſententia obtineat, videtur neceſſariò error in Franciſco Tarapha corrigendus, qui in vita Richaredi eum filiam Childeberti matrimonio ſibi junxiſſe, cum vel ſoror, illa Clodoſuintha (cujus ſororem major natu Recaredi frater in uxorem habuerat) filia Sigeberti, vel patruelis, filia Chilperici, illa Rigunthis ponenda ſit. Vide quæſo & confer Gregor. l. 4. c. 32. & l. 9. 16, 25, 28. de filia Chilperici (Rigunthi) & Sigeberti (Clodoſuintha) minori natu Leuvildi filio (Recaredo) deſponſata. Adeò videmus Gregorium, ſed & Aimoinum (imò plurimos veterum ſcriptorum) multis in locis eſſe depravatos. Alioqui eos & ſibi ipſis non tantùm aliis contradicere dicendum foret. Niſi tamen ex incuria quorundam id provenire dicamus. Ita & in annis Attilæ diſcrepant Auctores. De qua etiam re mentio hîc facienda eſt, cùm in hiſtoria Cometarum idem argumentum attigerim. Noſti quomodo Nicolaus Olahus in Attila exagitet Sabellicum, qui Attilam anno ætatis 56. obiiſſe dicit, quæ & Callimachi in Attila computatio eſt. Ita enim ſequeretur Hunnis Pannoniam anno 373. ingreſſis, Attilam dehinc anno 28. electum in regem, tantùm 12. annos fuiſſe natum. Quod ei abſurdum videtur. Itaque affirmat Attilam in regem electum anno ætatis 72. & regnaſſe 44. unde Annos ætatis ejus 124. colligi vult, cùm tantum 116. colligantur. Nempe igitur non 72. ſed 80. ætatis anno ad regnum perveniſſe dicendus erat.

Error Franc. Taraphæ corrigitur.
Ricaredi uxor Childeberti R. Franciſ. ſoror non filia.
Auctorum libri multis in locis depravati.
Attilæ anni variè putantur.
Error Sabellici de annis Attilæ:
Tùm Callimachi.
Hunni Pannoniam ingreſſi.
Error Olahi de annis Attilæ corrigitur.

Id enim & rationes ejus exigunt. Dixit enim Hunnis ex Scythia egreſſis Attilam 52. annos fuiſſe natum, & poſt 28. annos in regem electum. Ita Attila anno Chriſti 445. mortuus eſt. Eaſdem illas rationes ſequitur Bonfinius, ſed errat in earum collectione, dum annum Chriſti quadringenteſimum quintum pro quadringenteſimo quadrageſimo quinto ponit. Verum enim verò quô anno Olahus Hunnos Pannoniam ingreſſos eſſe ait, hôc Joan. Sambucus & Michael Ritius Gothos Pannoniam intraſſe putant. Iidem demùm Attilam poſt annos 28. anno Chriſti ſcilicet 401. (quod & Funccius & Alſtedius aſſerunt: vid. Aventin. Annal. p. 158. & Sigonium ad Ann. Chriſti 401. qui tamen Hunnos Pannoniam poſt Gotthos Anno demum 411. obtinuiſſe dicit) Gotthis pulſis Pannoniam incolere cœpiſſe affirmant. Dehinc poſt annos 28. Anno Chriſti 428. regem creatum eſſe, regnum autem 27. annis tantum tenuiſſe, & ſic anno Chriſti 455. (cui ſententiæ Euſebius, Sigebertus, Caſſiodorus, Avent. Sabell. Pantal. Funcc. Calviſius, Helvicus, Alſtedius, Petavius aliique favent) obiiſſe dicunt. Olaho aſſentit Abrahamus Bakſchai in Chronol. regum Ung. ubi Attilam Anno Mundi 4407. Chriſti 445. ingreſſus in Pannoniam 72. imperii 44. ætatis 124. mortuum eſſe prodit. Sed de Attilæ quoque annis hæc ſufficiant. Verbum addo de Sponſa ejus lethifera, cujus etiam in hiſtoria Comet. feci mentionem, ac proinde de diverſis circa eam Auctorum ſententiis ad te refero. Avent. Annal. 2. pag. 167. Hildigundam Herrici Reguli Francorum filiam vocat. Olahus Mycoltham, Bonfinius Ildiconem, uterque Bactrianorum regis filiam fuiſſe dicit, Ritius Miltzotham, Callimachus Ildiconem vocat. Bakſchai Hildiconem ſive Mykoltham regis Bactrianorum filiam fuiſſe dicit. Quæ ſententia reliquas, ut puto, conciliabit. In prælio Catalaunico ſolum Theodoricum Viſigothum ex Ducibus occiſum à Pomponio Læto, Sabellico, Olaho, Bonfinio aliiſque, & ante omnes à Turonenſi, dici: à Sigonio Gundicanum Burgundum addi, ante prælium cæſum à Callimacho indicari, Meroveum etiam Gallum omnibus invitis ab Aventino & Ritio adjungi, innuiſſe Tibi talia correcturo ſufficiat. Atque hæc ſunt, quæ in præſentia ad Te, Humaniſſime Riccioli, perſcribere volui debuique, ut habeas ex mea parte, in quo Chronologiam reformes. Pauca quædam alia ejuſdem generis habeo, ſed hâc vice moleſtus amplius Tibi eſſe nolo. Cæterum iterum iterumque oro,

Hunni Scythia egreſſi.
Error Bonfinii corrigitur.
Hunni & Gotthi eodem anno Pannoniam invaſiſſe falſo putantur.
Pannoniam poſt Gotthos tenuerunt Hunni.
Attila quo anno mortuus.
Sponſa Attilæ ſenis lethifera.
Attilæ Sponſa variè nominatur.
Bakſchai ſententia diſcrimen Auctorum de ſponſa Attilæ componit.
Catalaunici prælii hiſtoria varia.
Ricciolo Auctor non pauca in Chronologia reformanda ſuppeditat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ut mihi de Cometis, circa mortem Ludovici Pii viſis, ſententiam Tuam quamprimùm perſcribas. Hanc enim ante omnia exſpecto. Vale & meis ſtudiis favere perge.

Bononiâ Hamburgum Kal. Maji 1666.

Hieronimus Boncompagnus Cardinalis.

Ricciolius quâ de cauſſâ vindicias Kalendarii Gregor. conſcribat.

EMinentiſſimus Cardinalis & Archiepiſcopus Bononienſis Hieronymus Boncompagnus, Gregorii XIII. abnepos, juſſit me ſcribere Vindicias Kalendarii Gregoriani, à Franciſco Leucra nuper impugnati, occaſione Paſchatis ad diem 25. Aprilis hoc anno producti. Proinde oportuit me intermittere ſtudium Chronologicum, & abſolutis Vindiciis Medici longiori intermiſſione me purgare deſtinant. Ne igitur mireris, ſi perpaucis reſpondeo, ne nihil omninò reſcribam.

Cometa ante mortem Ludovici Pii Anno 837. non 839. judice Ricciolio aſſignandus.

Cometa 1301. morti Andreæ R. Hung. nequaquam Caroli Martelli præluxit fatente Ricciolio.

Cometam illum celebrem, qui ferè triennio præluxit morti Ludovici Pii, prudenter adſcribis anno 837. nam ita conſignavit Scriptor Vitæ illius, qui Aſtronomiæ peritus eſt, & affirmavit illum diſparuiſſe in Tauro ſub Aurigæ pedibus: nec aliter Baronius aut ego. Eſto indicarim opinionem aliquorum de anno 839. Cometa verò anni 1301. utique pertinet ad mortem Andreæ Regis Hungariæ. Sed unde Spondanus illum præluxiſſe morti Caroli Martelli deduxerit, divinare nequeo. Anno tamen 1308. iniviſſe Hungariæ Regnum non ipſum Carolum Martellum, ſed Carolum ejus filium non pauci cenſent; quos inter Petrus Bercius l. 2. comment. rerum Germanicarum.

S. Martini mors Anno Chriſti 401.

Clodoveus Rex Gall non anno 112. ut plerique putant, ſed 114. ab obitu S. Martini ſecundum Ricciolium mortuus.

S. Martinum obiiſſe cenſeo Anno 401. quia ex Gregorio Turonenſi obiit media nocte diei XI. Novembris, pertinente adhuc ad diem Dominicum currente litera F. & Cyclo Solis 18. & ex Severo Sulpicio obiit anno 16. à Conſulatu Evodii incluſivè numerato, nempe anno 401. & demum ex Gregorio Turonenſi Clodoveus mortuus eſt poſt annos 112. ab obitu S. Martini; mihi autem longè verius eſt Clodoveum deceſſiſſe anno 114. à quo retrocedendo per annos 112. integros, & computatis menſibus, quos Turonenſis, rotundo contentus numero, neglexerit, facilè devenitur in annum 401. alioquin pluribus annis oportet diffidere ab his notis, ſi dies XI. Novembris debet pertinere ad Dominicam vel præcedentem vel ſubſequentem. Theodoſii II. mors in meo Manuſcripto Catalogo Imperatorum conſignata eſt anno 450. Julii die 29. ex quo emendandus eſt annus 454: unde autem irrepſerit mendum neſcio. His paucis contentus eſto: plura enim nec per tempus nec per valetudinem poſſum. Tu interim qui vigetior es perge de Republ. Litteraria benè mereri & me interim ama.

Ricciolius nec per tempus nec per valetudinem de omnibus ſatisfacere plenè Auctori poteſt.

Totus Dei & in Deo Tuus

Jo. Bapt. Ricciolus,
Soc. Jeſu.

Hamburgo Bononiam die 26 Maji 1666.

Chronologicum ſtudium à Ricciolio intermiſſum moleſtè Auctor fert.

Chronologia ubique erroribus ſcatet.

PRoximus tabellarius octavo abhinc die acceptiſſimas literas Tuas mihi attulit Kal. Majis datas. De quibus debitas Tibi ago gratias. Te à laboribus Chronologicis ad alia revocatum eſſe, ægre intellexi. Spero tamen & hæc quibus nunc das operam vindicando Kalendario Gregoriano, in publicum fore utilia. Opto ut Tuos illos labores quamprimum & quam optimè & quàm feliciſſimè perficias: Multa equidem præſtanda occurrunt Tibi. Nam quocunque Te verteris, præſertim in Chronologicis, plurima corrigenda invenies. De Cometa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa 837. anni me Tibi ſatiſfeciſſe, de vita quoque S. Martini, Theodoſii & Caroli Martelli dicenda dixiſſe, Tibique hæc cuncta placuiſſe multum mihi, idque merito gratulor. Judicium enim Tuum in talibus maximi facio, qui eis ex induſtria das operam, & ad errores corrigendos toto incumbis pectore. Spero proinde & illa quæ de hinc ejuſdem generis ad Te ſcripſi, Tibi placitura. Velim pro merito emendes, quæ ſunt emendanda. Vide quantum fidei libris ipſis ſit tribuendum. Ut taceam multos præſtantes auctores ſibi ipſis contradicere, quod in meo opere allatis non paucis exemplis demonſtro, multa vitio typographorum & editorum in bonorum & accuratorum auctorum ſcripta irrepſerunt. Feci hujus rei hodie aliquot experimenta, unam atque alteram horam continuis laboribus ſubtrahendo, & jucundis ſermonibus de iſtiuſmodi rebus cum Humaniſſimo & Solertiſſimo Viro Joanni Blumio impendendo. Is cum ſit ad S. Joannis à Bibliothecis, librorum ſelectorum & diverſarum editionum copiâ vota mea exſatiare potuit. Indicavi illi errorem in poſterioris geſtorum Franc. epitomes auctore, qui Fredegarius fuiſſe videtur, & illa ex Gregorio Turonenſi excerpſiſſe ſcribitur. Nam cap. LXXIII. & in putandis & in ſupputandis rationibus temporum erraſſe vel Auctorem, vel editorem manifeſtum eſt. Similem errorem in ipſo Gregorio l. 4. & 10. fine demonſtravi, idque ita ut, quod maximè miror, errores iſti ab ſe non parùm diſtent. Cuncta Tibi talia correcturo in tabellis more meo exhibeo, & notas adjungo.

Riccioli aſſenſum de Cometa anni 837. gratulatur ſibimet Auctor: Tum de vita S. Martini, Theodoſii 2. & Caroli Martelli.

Auctores, etiam magni, ſibimet contradicunt.

Typographorum & editorum incuria cum publica injuria conjuncta.

Epitomator poſter. geſt. Franc. videtur Fredegarius fuiſſe.

Error multiplex Fredegarii: Tùm ipſius Gregorii Turon.

	Geſtor. Franc. epit. poſter. cap. LXXIII.		*Gregor. l. 4. c. ult.*	*l. 10. c. ult.*
A principio ad diluvium anni	IIMCCXLII.	---	IIMCCXLII.	- IIMCCXLII.
A diluvio ad Abrahamum	DCCCCXLII.	---	DCCCCXLII.	} CIƆ IV.
Ab Abrah. ad egreſſ. ex Ægypto.	CCCCLXII.	---	CCCCLXII.	}
Ab egreſſu ad ædif. templi Salom.	CCCCLXXX.	---	CCCCLXXX.	} CIƆ IƆXXXVIII.
Ab exſtr. templi ad ejus deſtr.	CCCLXL.	---	CCCLX.	}
A deſtr. templi ad paſſionem Chr.	DCXLVIII.	α' --	DCLXVIII β'	} γ'
à paſſ. Dni. ad tranſ. S. Mart.			CCCCXII.	α'. 5164.
A paſſ. Domini ad tranſ: Clodovei	CXII.	-----	CXII.	β'. 5200.
A tranſ. Clodovei ad tranſ. Theodob.	XXXVII.	---	XXXVII.	γ'. 5184.
A tranſ. Theodob. ad tranſ. Sigeberti.	XXIX.	---	XXIX.	
	VMDCCLXXIV.		VMDCCXLIV.	

Atqui apud Fredegarium VMCCCXLII. apud Greg. VMDCCXC. anni inveniuntur. Utrobique etiam anni illi ad α' & β' collecti differunt: tum & illi l. 10. ut litera γ' oſtendit: Sed & lib. 10. non meliorem computationem invenio. Illis enim 5184. annis adduntur.

A reſurr. Domini ad tranſitum S. Martini anni CCCCXII.

A tranſitu S. Martini ad ordinationis noſtræ primum & viceſimum, qui fuit Gregorii Papæ Romani V. Guntramni regis XXXI. Childeberti Junioris XIX. anni CCXVIII. Quorum omnis ſumma eſt annorum MMMMMDCCCLXIV. Atqui non plures quàm MMMMMDCCCXIV. inveniuntur. Illos apud Fredegarium à paſſione Domini ad mortem S. Martini annos CCCCXII. Scribæ vel Typographi vitio omiſſos eſſe patet. Idem vitium animadverto in annis DCXLVIII. pro DCLVIII. (quot non tantum hîc l. 4. ſed & l. 1. c. 22. Gregorius ab exciſo templo ad exciſum Chriſtum computat) poſitis. Jam ſi in omiſſos ibi CCCCXII. hîc XX. annos illis VMCCCXLII. addamus, ſummam VMDCCLXXIV. annorum conflabimus. Sed apud Gregorium lib. 4. fine juſto minorem, lib. verò 10. fine juſto majorem computationem habemus. Ibi pro annis CCCLX. anni CCCLXL. ſive CCCXC. (ut enim ibi apud Fredegarium pro annis DCXLVIII. ex Gregorio annos DCLXVIII. reſtituimus, ita hîc apud Gregorium pro annis CCCLX. ex Fredegario

Librorum mendoſæ editiones Scribis, Typographis, editoribus imputandæ.

Errores Fredegarii & Turonenſis Auctor corrigere ſtudet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

viciſſim annos CCCLVL. reſtituamus par eſt) ponendi, ut utrobique anni VMDCCLXXIV. conſlentur: hîc demtis L. annis MMMMMDCCCXIV. relinquendi ſunt. Venio nunc à ſupputatione ad computationem Gregorianam. Hanc multum à reliquorum Auctorum ipſiuſque veritatis rationibus diſtare, multo labore inveni. Modò enim exceſſu, modò defectu peccat. Ille primum in annis diluvii & Abrahami putandis cernitur: de quibus & Tibi mea, & Tua mihi ſententia jam ante perſpecta eſt. De annis quadringentis triginta à promiſſione de Chriſto Abrahamo facta ad egreſſum ex Ægypto, ſententia Tua eſt certa. Nititur enim fide Scripturæ & conſtanti auctoritate, quæ 215. annos habitationi Abrahami cum poſteris in terra Canaän, totidem habitationi Jacobi cum poſteris in Ægypto tribuit. Illius ſententiæ, quam mihi antea ex Hebræorum, Vulgati Latini & LXX. Interpretum auctoritate de 580. annis ab Exodo ad fundamenta templi primi elapſis attuliſti, fundamentum ſcire ex Te deſidero. Contrarium enim 3. Reg. VI. 1. legitur: ubi expreſſè dicitur anno 480. ab exitu Iſraëlitarum templum ſtrui cœpiſſe. Ideò & Petavius hunc locum allegat, & ex eo illud annorum 480. intervallum probat Rat. temp. p. 2. l. 2. c. 11. Et certè conſtat Iſraëlitas in deſerto 40. fuiſſe, Joſue 17. Judicibus ferè 300. Eli, Samueli & Sauli 80, Davidi 40. annis paruiſſe. Quibus annis ſi quatuor anni Salomonis (quarto enim regni anno auguſtum illud opus Clariſſimus Regum aggreſſus eſt) addas, anni 480. componuntur. Verumtamen & Ivo duobus ſupra quingentos annis ſpatium illud definit. Pariter Gregorius & Fredegarius, etſi apud utrumque anni CCCLXL legantur, in putandis tamen durationis templi annis aberravit. Stetiſſe enim illud annis circiter 450. Interpretes LXX. Ado & Pantaleon: 431. Bucholzerus: 428. Helvicus: 427. Calviſius & Alſtedius: 423. Funccius: 422. Petavius putat. Tu 476. prodis. At Ivo octingentos ſexaginta, demtis ſcilicet ab annis 914. (totidem enim regno Hebræorum à Saule ad templi deſtructionem tribuit) Saulis 10, Davidis 40, Salomonis 4. annis. Jam ut videamus an Gregorius reſurrectionem Domini cum morte S. Martini annorum CCCCXII. tùm & hanc cum viceſimo primo ordinationis ſuæ anno CCXVIII. annorum intervallo rectè junxerit, reliquum eſt.

Gregorii ſupputatio & computatio falſa.

Abrahamo facta de Chriſto promiſſio ab exodo Iſr. annis 430. diſtare oſtenditur.

Exodus Iſraëlitarum à templo Salomonis annis 480. non 580. diſtat.

Anni Iſraëlit. in deſerto, Joſue, Judicum &c. ad Davidem.

Error Ivonis, Gregorii & Fredegarii de templo Salomonis.

Templum Salom. quot annis ſteterit.

Error Ivonis novus.

Ut & Gregorii.

Miſeram Tibi excerptum de annis S. Martini & Clodovei, ex hiſtoria Cometæ N°. CXIX. in quo dixeram Aimoinum fine lib. 1. non expreſſiſſe aliter annum mortis Clodovei quàm quòd Anno Iↄ...... obiiſſe dicat. Nempe aliud libri exemplum mihi tunc non erat. Hoc mihi ſuppeditavit inſtructiſſima illa bibliotheca ad S. Joannis, Pariſienſe ſcilicet anni 1612. ubi fatalis Clodovei annus à Chriſto Nato DXIII. fuiſſe ſcribitur. Secundùm has rationes compoſitas S. Martinus Anno CCCCII. dehinc Clodoveus CXII. fuerit mortuus. At quàm hoc adverſatur Gregorio, mortem S. Martini in annum CCCCXII. idque à paſſione Chriſti producenti! Ita enim anno à nativitate Domini CCCCXLVI. obierit. Hoc ſi cum initio Epiſcopatûs & vitæ S. Martini compoſitis Severi, hujus Gregorii & aliorum rationibus connectamus, triceſimum annum ſupra centeſimum attigiſſe eum dicendum nobis erit. At verò ipſe Gregorius annos LXXXI. ei tantùm adſcribit. Sunt tamen qui his ſex addant. Inde patet nequaquam mortem S. Martini in annum Chriſti CCCCXLVI. prolongari poſſe. Ita enim Clodoveus obierit Anno 558. Theodebertus 595. Sigebertus 624. Gregorius ipſe Turonenſis electus fuiſſet circa Annum 643. Tandem Gregorii Romani quintus annus foret Chriſti 664. quod contra omnem temporis rationem eſt. Si quis dicat pro paſſione nativitatem Domini eſſe reponendam: nec ſic rectè conſtabunt rationes. Nam ita Clodovei mors in ann. 524. Theodoberti in 561. Sigeberti in 590. Gregorii ipſius electio in 609. at Gregorii Romani in 604. incideret. At neque hæ rationes cum rei veritate congruunt. Itaque pro anno à Nato Chriſto 412. ponendus 402. Sic mors Clodovei in 514. Theodoberti in 551. Sigeberti in 580. incideret. Quod ſatis omnium Chronologorum, multorum certè & præcipuorum, rationibus, unius & alterius anni diſcrimine non

S. Martini & Clodovei mors quo ſpatio diſtet.

Errorum Gregorii catena.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

non obſtante, convenit. Sed reſtat difficultas de illis annis ducentis octodecim à tranſitu S. Martini ad viceſimum primum Turonenſis, quintum Romani Gregorii. Ita enim ille cum ſexcenteſimo viceſimo, iſte cum ſexcenteſimo decimo quinto concurreret. Denique ſi vel Ann. Chriſti 395. (ſicut Scaliger & multi cum eo volunt, quorum ſententia de morte S. Martini eſt noviſſima) S. Martinum obiiſſe dicamus, hâc ratione, retento ſcilicet illo 218. annorum intervallo, Turonenſis Anno 597. Romanus Gregorius 608. electus fuiſſet. Quod nondum cum veritate convenit. Incomparabilis Scaliger pro illis annis ccccxii. ponendum eſſe ccclxii. putat, ut ita S. Martini mors in cccxcv. ponatur. Quam ſententiam nunc in medio relinquo, utpote jam alibi *, ut noſti, viſam. Jam jam tamen dixi, nec huic illos 218. annos convenire. Itaque & nobis liceat accuratis Chronologorum rationibus in auxilium advocatis hîc pro annis ccxviii. ponere clxxxviii. quæ mutatio, ut quivus videt, facilè fieri potuit. At verò hâc ratione Scaligero & aliis mortem S. Martini in Anno 395. referentibus, mors Clodovei in 507. Theodoberti in 544. Sigeberti in 573. Sigeberto, Baronio, Calviſio & aliis, qui eam in 402. collocant, mors Clodovei in 514. Theodoberti in 551. Sigeberti in 579. incidet. Diſcrimen hoc in tanta ſententiarum diſcrepantia erit levius & tolerabilius. Mihi ſufficiet errores haud leves indicaſſe, & quâ ratione commoda corrigi poſſint, oſtendiſſe. Mentio Adonis paulò ante facta monet me ut verbo indicem gravem errorem in fronte libri ejus commiſſum, ac minimè ferendum. Dicitur enim eum Chronica pertexuiſſe *ad ſua tempora, id eſt, ad regnum Ludovici Francorum Regis, cognomento Simplicis, Anno Domini* 1353. Ita habet editio Baſileenſis mdlxviii. Pauca verba multos continent errores. Chronica enim ſua tantum ad 879. perduxit. Sed & ipſe illo ſeculo vixit, ut res ipſa indicat. Ludovicus porrò cognomine Simplex inter Reges Galliæ nullus fuit. Sed Carolus, Ludovici Balbi filius, qui patre anno 879. ut Petavius affirmat, & Serres aliique putant, mortuo puer, ut Ado in fine indicat, fuit. Cæterùm non longè poſt annum illum 1353. Adoni affictum invenire, Carolum Sapientem Regem Galliæ licet. Miror Viros doctos, qui illa Adonis Chronica ediderunt, tàm craſſum errorem non animadvertiſſe. Certè & Geſnerus & Simlerus Viri doctiſſimi in ſua Bibliotheca hunc errorem retinuerunt. Gerardus Joannis Voſſius ætate noſtra, Varroni Romanorum doctiſſimo comparandus, errorem quidem illum in annorum numero corrigit, & ad annum Chrſti ɪↄccclxxix. non ad ᴄɪↄccclɪɪɪ. ut Margarinus vel alius quiſpiam putat, Chronica produxiſſe affirmat: corrigit & alterum errorem eorum qui Adonem Chronici & Martyrologii auctorem cum Odone ſeu Udone Trevirenſi Epiſcopo duobus ſeculis poſteriore confundunt: illum tamen de Ludovico Simplice retinet, certè ſilentio præterit. Sed de his hactenus: quæ hîc à me dicta ſunt, boni & æqui conſule, ac mei, qui doceri ſemper cupio, memor vive. Ampliſſimus Hevelius, communis utriuſque noſtrûm amicus, in literis haud ita pridem ad me ſcriptis, Te plurima ſalute impertit, ſeque aliquoties ad Te ſcripſiſſe antè aliquot annos, nihil autem reſponſi accepiſſe ait. Meam de Cometa anni 837. conjecturam gravi aſſenſu, ut & Clariſſimus Iſmaël Bullialdus firmat. Sed jam Vale, & diu feliciter age.

P. S. Hæ literæ octavo ab hinc die nulla ratione per temporis anguſtiam & rerum amplitudinem abſolvi potuerunt. Interim die abhinc ſexto mortui Illuſtriſſimi Domini Rautenſteinii Amici mei eximii (quem Te noſce ſaltim de nomine ſcio) funus ad me heri allatum eſt, magno equidem cum dolore meo: cujus Te & per Te cum multa ſalute Humaniſſimum Kircherum, defuncti jucundum amicum & ſimul epitaphii heri ex tempore facti participem facio. Iterum vale 2. Junii 1666.

Scaligeri de annis S. Martini ſententia.

* T. 2. p. 393. 94

Errorum Gregorii & aliorum correctio probabilis ab Auctore facta.

Error multiplex in Adonis titulo.

Adonis inſcriptio multis modis falſa.

Ludovicus Simplex inter Reges Galliæ nullus.

Error à Geſnero & Simlero non animadverſus: Voſſi. laus.

Diligentia in Adonis ætate annotanda.

Silentium de errore commiſſo in Ludovico Simplice ſuppoſititio.

Hevelii erga Ricciolium benevolentia.

Rautenſteinii mors & epitaphium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXV.

COMMUNICATIO ROMA-KIRCHERIANA.

Hamburgo Romam die $\frac{8.}{18.}$ *Martii Anno* 1665.

S. P. Admodum Reverende &c.

LIbertate dicendi agendique, ex uſu ſobriæ rationis proveniente, nihil præſtantius homini munere divino obtigiſſe palam eſt. Huic dono cœleſti, quod ingenuus quiſque maximi facit, & impenſè diligit, tùm verò & juri æquo, quod homini in hominem natura, Chriſtiano in Chriſtianum religio, literato in literatum Philoſophia conceſſit, ſed & Tuæ eximiæ humanitati diffidere, ne dicam injuriam facere, viderer, ſi epiſtolæ hujus libertatem operoſè excuſare vellem. Aditum mihi ad Te paravit meum diſcendi, à Te viro doctrina Inclyto, deſiderium, Tuæ vero non tantùm eruditionis latæ, altæ & profundæ, ſed & humanitatis diffuſiſſimæ laus celebratiſſima. Occaſionem præbet nuper in cœlo viſus inſignis Cometa, ejuſque iter ſummâ curâ à Te obſervatum, & tum ad Sereniſſimum Ducem Brunſvicenſem Auguſtum, tum ad Eruditiſſimum Albertum Curtium miſſum, quod vidi & teneo ſumma cum animi mei oblectatione. Hæc, fateor, ex ſtudio Mathematico provenit ſingularis, niſi quòd mihi delineatio à Te facta deſit, quam velim ad me mittas. Iter illud abs Te monſtratum & deſignatum tenet Clar. Chriſtianus Buſmannus Phil. & Med. Doctor ac Phyſicus Hannover. Ordinarius, in literis ſuis nuper de hac materia ad me datis. Is ſicut Te merito magni facit, ita ſibi gratulatur Tuas obſervationes cum ſuis convenire. Nempe enim ſtatuit ille Cometam à roſtro Corvi ſub Tropicum Capricorni ſe demiſiſſe, donec ad aſteriſmum Galli juxta Canem Majorem pervenerit, ut demonſtret unum eundemque fuiſſe Cometam. Te vero eodem loco eodemque tempore, die ſcilicet 27. Dec. phœnomenon illud obſervaſſe (quod me alioquin & Colonienſis obſervatio docet) gaudet, ut & poſtera die in Cane Majore. Dehinc die 29. Dec. ille Cometam colligit fuiſſe in pede ſiniſtro Canis, quod ferè convenit cum Tua obſervatione, quæ Cometam 8. gradu à Tropico verſus Aquatorem tunc temporis ponit. Niſi quòd differentia parallaxeos ſit notabilis, quam Tu ipſe indicabis. Dubitatio multorum animos haud levis inceſſerat an fuerit unus idemque Cometa, an vero duo diſtincti Cometæ? Hoc ſuadere videbatur diverſus ſitus, diverſum apparitionis tempus & diverſus motus. Primò enim ad roſtrum corvi plaga inter Meridiem & Orientem media, ad Meridiem tamen magis vergente: deinde verò ad oculum leporis plagâ inter Meridiem & Occidentem media ortus apparuit Cometa. Et ibi quidem ante ortum, hìc poſt occaſum, quanquam hoc non eſſe inſolens, pluria exempla ſatis nota doceant. Inter quæ eſt illud à Scaligero allegatum, cum Carolus Rex Galliæ Italiam veſtram invaſiſſet, quod tamen ipſe in dubium revocat. Quin & illìc verſùs Auſtrum, hìc verſùs Boream

Libertas res præſtantiſſima,
Magni fit & diligitur.
Hominum vincula eos colligant, niſi obſtet feritas.
Diſcere Te à doctioribus ne pudeat.
Kircheri laus,
Quibus de cauſis quave occaſione Auctor eum compellârit:
Ejus deſcriptio Cometæ 1664.
Buſmanni obſervationes cum Kircherianis conveniunt.
Cometam 1664. unum fuiſſe probatur.
Obſervationes Romanæ, Colonienſes & Hannoveranæ conveniunt.
Cometæ gemini 1664. viſi rationes.
Exerc. 79.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Boream progrediebatur proprio motu Cometa. Accedebat & quorundam prope audax aſſertio, ex locis tamen diverſis Suecia, Dania & Germania profecta, de duobus diſtinctis Cometis una nocte viſis. Dubium movere poterat & breve 9. ſcilicet dierum ſpatium, quo Cometa ab Hydra ad Leporem difficulter 82. vel plures, ut alii volunt, gradus emenſus fuerit. Sed prudentiæ Curtianæ

Hevelio Curtius de uno Cometa 1664. aſſentit.

majoris auctoritatis erant Hevelii unius Magni illius Aſtronomi à me ad illum opera communis Amici Viri Ingenio, virtute & dignitate Excellentiſſimi Domini Rautenſteinii Miniſtri Status & ad Conventum Ratisb. legati Neoburgici miſſa accuratiſſimæ obſervationes, quàm, contrariæ rationes narrationeſque. Atque hæc ſententia & Clar. Bullialdi aliorumque plurium Aſtronomorum Præſtantiſſimorum conſenſu firmatur. Inſiſtit preſſo pede veſtigiis Tuis in

Cometa cur die 27. Januar. & ſeqq.

hoc carpendo itinere Cometæ dictus Buſmannus, dum ait Cometam non amiſiſſe caudam, ut nonnulli putabant, ſed intenſius Lunæ lumen imbecille & debile lumen caudæ veluti abſorbuiſſe. Quod ipſum & alii Aſtronomi dicunt.

Kircherus Aſtrologicas prædictiones arguit.

Aſtrologi nonnulla placita ſua vice oraculorum populo obtrudunt:

Porro quod in quarta, ut ſic dicam, itineris Cometici ſemita ponis, Aſtrologos caudam Martio Saturninam definientes, futilibus ſuis vaticiniis non ſine multorum periculo urbem infatuaſſe, libenter video. Pie etenim & prudenter judicas quoſdam Aſtrologorum ſuas illas prædictiones vice oraculorum populo multorum cum periculo obtrudere.

Sæpè magno cum publicæ rei detrimento.

Horoſcopos qui erigunt & genethliacos componunt Cometas rationibus ſuis non adhibent.

Fit nimirum ſæpè, ut qui res novare & vel in ſimpulo fluctus excitare audent, nimia ſpe vel etiam deſperatione præceps acti, fati quandam neceſſitatem & aſtrorum efficaciam, manifeſto juſtitiæ divinæ & libertatis humanæ præjudicio, ſceleribus obtendant. Faciunt hoc & alibi, licet in erectione thematum & conſtructione illorum domorum cæleſtium Cometas ni fallor non collocent. Inventi & in his oris ſunt qui ex ſigno libræ bellum religionis, ex aliis ſignis, ut Tauri & Arietis Cornupetarum, hydræ aquaticæ, navis Jaſonis, Orionis armati & pugnam cientis, fluvii Eridani & Ceti bellum navale prædicunt. Cæterum res ipſa docet bellum Britannos inter & Batavos in quod intendunt iſti Aſtroſophi vates oculos, dum in ſigna illa quæ permeavit vel attigit Cometes, ante apparitionem illius apparuiſſe, nec de religione, quæ utrique populo una, ſed de regione, illa ſcilicet aurum ſudante geri. Quod ſi vel luſus ingenii inſtituendus foret, res non procederet, imò nec recto ſtaret talo. Nam

Batavorum & Britannorum bellum, mores, elogia.

inimitabili Batavorum ſolertiæ Cancrum, & pertinaci Britannorum ferociæ Arietem (quibus ſignis utraque natio ſubjecta eſt) inepte & præterito quidem Leone, quem & inſignia & res fortiter terra marique geſta utriuſque nationis demonſtrant, quemque pariter percurrit Cometa, accommodari patet. Tum verò

Signis cæleſtibus, quæ nuperus Cometes percurrit, ſubjecti pace & proſperitate gaudent.

etiam elucet ad alias nationes urbeſque, Cancro licet & Arieti ſubjectas, nihilominus tamen altæ pacis abundantia uſque ad invidiam luxuriantes (inter quas & florentiſſimæ Italiæ Veſtræ urbes Neapolis, Florentia, Ferraria, Petavium, tum Genua, Mediolanum aliæque conſpiciuntur) eadem adverſa eodem jure & itinere extemplo tranſferenda eſſe. Illud denique clarum evadit, teſte omnis

Aſtrologicæ prædictiones incertæ.

ævi experientiâ, optimâ rerum magiſtrâ, prædictiones illas ex aſtris certæ & infallibili veritati deputandas non eſſe. Ut taceam pari jure non tantùm ad Corvum & gallum, quod etiam nonnulli faciunt, nec ad Leonem ſolùm, quem res ipſa monſtrat, ſed & ad Craterem urnæ capacem meri plenum, ad canem rabidum, ad Cancrum tardigradum, ad gemellos, quibus nihil tenerius, imo ad virginem, qua nihil mollius, denique ad Leporem, quo nihil timidius, al-

Alluſiones quorundam Aſtrologorum ineptæ.

ludendum eſſe. Cæterum res ipſa loquitur, iſta non poſſe commodè ad caſtra etiam adverſa (uni enim cauſæ pariter in parià objecta operanti prorſus contrarii tribuerentur effectus) transferri, nec nationibus, de quibus ſermo eſt, & propoſito bello, ſed & bello in commune conſiderato convenire Ingenium in

Ingenioſè quædam ſine judicio dicuntur.

Subtilitas in ſupervacuis teritur. Sen.

talibus ſæpe agnoſco, ſed judicium ſæpius deſidero. Ideoque cenſeo aſſeri hæc *jucundâ magis quam neceſſariâ ſubtilitate*, qualis Pythagorica de ſyderum muſica apud Plin. l. 2. c. 22. Qui etiam ſupra cap. ſcilicet 7. improbat dum multi ſuſtinent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nent. *Aſtro eventus aſſignare & naſcendi legibus, ac prædicere futura, & hæc ſingula improvidam mortalitatem involvere, ſolum ut inter iſta certum ſit nihil eſſe certi ait.* Alluſionibus illis ad ſigna cæleſtia ſuppares apud eundem cap. 25. leguntur. Dicant ergo Aſtrologi & omnes illi creduli Cometem *terrificum ex parte ſydus, ac non leviter piatum*, verbis à Plinio mutuatis. Atqui tamen ipſe eveſtigio dicit, *Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romæ admodum fauſtus, Divo Auguſto judicatus ab ipſo:* & paulò poſt de ſidere poſt obitum Cæſaris viſo: *interiore gaudio ſibi illud natum ſeque in eo naſci interpretatus eſt, &, ſi verum fatemur, ſalutare id terris fuit.* l. c. Equidem ſoleo & ego ad talia ſatis, ut puto, tutò reſpondere, ſi hiſtoriarum monumenta & vel propriam experientiam conſulamus, multa mala ante vel etiam citra ullam Cometæ apparitionem, multa etiam bona poſt eandem immitti mortalibus à Deo Creatore & Rectore univerſi, unicuique ſecundum opera reddente, quod nos toties ſacra pagina docet. Hanc meam ſententiam Clariſſimus Iſmaël Bullialdus, inter præcipuos ſeculi noſtri Philoſophos & Mathematicos merito ponendus, in nuperis literis ad me die 6. Martii Lutetia datis, gravi aſſenſu firmavit. Hac occaſione ſententiam ejus de Cometa Tibi planius exponam. Quod ad materiam ejus attinet, putat eam affinem eſſe ac valdè ſimilem galaxiæ, æthercam eſſe, nec unde niſi à galaxia procedat, aut quo ipſa ſe recipiat ſciri poſſe. Neque verò ille facit cum Ampliſſimo D. Ottone Guerichio Conſule Magdeburg. Viro admirandis inventis (quorum non pauca Schottiana ſolertia in lucem protulit) celeberrimo. Is enim, præſuppoſitis duobus perquam difficilibus & acerrime adhuc ut me melius noſti, diſputatis, de motu telluris & vacuo principiis, autumat Cometas provenire ex procellis, quæ partem aëris avulſam in ſublime ferant. Aërem tunc leviorem reddi ſtatua vitro aëris vacuo incluſa & fundum petente, quod ipſe ſæpius apud Filium ejus, Sereniſſimi Electoris Brandenburgici hac in urbe Reſidentem Legatum vidi, demonſtrare ſe affirmat. Illam porrò aëris particulam illuc deferri putat, ut ibi à radiis ſolaribus illuminata, caudata conſpiciatur. Adfert Clariſſimus Bullialdus in rationem experientiam omnium ſeculorum, quæ demonſtrârit in altiſſimorum montium jugis nullas procellas nulloſque ventos pervenire aut ſentiri. Quantum Guerichianæ ſententiæ illa Epigenis apud Libav. tract. probl. de Comet. Apiani apud Keckerm. Syſt. Phyſ. c. de Cometis, Cardani apud Scalig. exerc. 79. denique ipſius Scaligeri faveat, fac Vir Doctiſſime, ſi per Tua negotia licet, ut ſciam. Addo Ampliſſimum Guerichium Cometas Caudatos ponere in ſuprema aëris regione, quæ illi nil niſi aura eſt: Crinitos enim extra auram in ſpatio puro exiſtentes, à terra & ambiente eam aëre ſeparatos eſſe & fortè quieſcere, motu eorum ex motu terræ proveniente putat. Clariſſimus autem Bullialdus, adducta Senecæ ſententia, qui Cometam ſupra Lunam fulſiſſe cenſuerit, nuperum quoque ſupra Lunam evectum, die ſaltem 9. Januarii, Luna longè ſuperiorem fuiſſe, aſſerere non dubitat. Ad ultimum Vir iſte longè Doctiſſimus ſtatuit, unum nobis eundemque viſum fuiſſe Cometam. A qua ſententia dictus Dn. Guerichius non eſt alienus. Porrò & Præſtantiſſimorum Italiæ Veſtræ Mathematicorum, nominatim Ricciolianas & Caſſinianas obſervationes, diligentiſſime poſtremis diebus Decemb. factas, in teſtimonium adducit, quamvis has nondum (ſed tantùm indices earum literas) accepiſſet, fide mihi data ſe mecum eas communicaturum. Tandem ſubjicit, Suecos interim & alios monere me debere, ut opinionem de duobus viſis Cometis conceptam deponant, nec in eum errorem induci ſe patiantur. Sed en Tibi quæ nudius tertius ex Suecia à Jona Fornelio, Profeſſ. Math. in Academia Ubſal. die $\frac{14}{24}$ Febr. ſcripta accepi. Hîc pedem figo, dummodo unum à Te impetrem, ut me bees Tuo reſponſo, quod Theatro meo Cometico (tale enim & tantum opus ex Clariſſimorum Mathematicorum Obſervationibus & judiciis, hortatu amicorum, ſed & ſtudio boni publici, compono) inſeri queat. Vale & me mutuæ benevolen-

Mediocria, certa, tuta ſectare.

Cometa terrificus,

Cultus Romæ, fauſtus judicatus Auguſto,

Salutaris terris:

Multa cum & mala antecedunt & bona ſequuntur.

Bullialdus laudatur,

Aſſentit Auctori de ſignif. Comet.

Materiam Cometæ affinem galaxiæ eſſe putat.

Guerichii patris elogium,

Inventa admiranda,

Sententia de Cometis,

De motu telluris & vacuo,

Anemoſcopium,

Sententiæ de Cometis contradicit Bullialdus,

Eadem cum Epigenis, Apiani, Cardani & Scaligeri quodammodo comparatur opinione.

Cometæ Guerichio caudati & criniti, illi mobiles, hi ferè immobiles:

Nuperus ſuperior Luna, judice Bullialdo, fuit,

Hyeme 1664. unus tantùm.

Auctor Forneliana cum Kirchero communicat,

Operis ſui inſtitutum ei exponit;

tiæ affectu proſequere, qui ſum

T. obſervantiſſ.

Stanislaus Lubienietzki de Lubienietz
Eques Polonus.

Hamburgo Romam die 26. *Aprilis St. V.* 1665.

Cometa vernus 1665.
Ab hyberno alius judice Hevelio,
Sed ſecundùm nonnullos cum illo unus idemq́;.
Cometa vernus cur ab hyberno diſtinctus.

DUm præſtolor mutuam Tuæ humanitatis & reſponſionis vicem, intervenêre quædam quæ me ad novas haſce literas exarandas impulerunt. Novus nempe Cometes ante menſem nobis apparuit in Pegaſo. Novum dico judice Magno Hevelio, qui inter alia die 7. Aprilis hæc ad me, ut vides in apographo, ſcribit. Sed ſi aliorum quantumvis Clariſſimorum Mathematicorum judicio ſtare velis, eundem eſſe cum priori Cometam dicent. Verum tamen Clariſſimus Eraſmius Bartholinus Regius Math. Prof. Hafniæ, ſententiæ Hevelianæ, ſubſcribit. Inter alia verò literis ad me die 21. Aprilis datis, Viris quibuſdam eruditis hunc Cometam eundem eſſe cum priori contendentibus, rationes non tantùm ex contrario motu, ſed & ex quantitate motûs, diverſitate anguli interſectionis, & magnitudine diametri (quæ adeo diminuta fuerit, cum viſum noſtrum effugeret, ut ſi generationem Cometis concederemus, tantam molem tam brevi tempore reaſſumere non potuerit, etſi coæva reliquis ſtatuamus corpora, tàm ſubito propinquus accedere, emenſo longiſſimo itinere nequiverit) petitas, oppoſuiſſe ſe ſcribit. Tuum eſt Vir celeberrime, Tuam nobis hic prodere ſententiam. Quam ut obtineamus, ſtudiò has ad Te dare volui. Acceſſit amicum poſtulatum Clariſſimi Joannis Placentini Profeſſ. Matheſ. Francofurtani, qui mihi incluſas haſce ardenter commendavit, &, ut credo, de Obſervatione ſua Tecum agit. Offero Tibi operam meam in curando Tuo reſponſo, quod mecum pariter exſpectat. Mundum Tuum ſubterraneum à paucis diebus Urbs hæc vidit, non ego, qui ab aliquo tempore domo pedem, negotiis obicem ponentibus, efferre nequeo. Vale.

Placentini literas Kirchero Auctor mittit.

Româ Hamburgum die 8. *Maji* 1665.

Generoſe & Clariſſime Vir.

Kircherus Auctoris inſtitutum laudat:
De quæſtionibus ad argumentum Cometicum ſpectantibus ei miſſa Phyſiologia ſua nova de nat. Comet. ſatiſfacit.

LIteras Tuas omni humanitatis genere refertas, legi: ex quibus intellexi Te meum de monſtroſis hujus anni in cælo phœnomenis Cometarum deſiderare judicium. Laudo proinde inſtitutum tuum; & ſi quid mei ingenii imbecillitas poteſt, votis Tuis omninò obſecundandum duxi. Verùm cum iſtiuſmodi argumentum amplius ſit, quàm ut brevi hoc epiſtolio expediri queat: mitto Tibi integrum libellum à me de natura Cometarum ad multorum Principum inſtantes deprecationes, extortum: quem ex Latino in Italicum idioma tranſlatum, ſuo ſubſcripto nomine, me ſic volente & jubente, publicæ luci dedit Joſephus Petruccius, meus privatus diſcipulus, juxta mentem meam in Itinerario Extatico manifeſtatam. In hoc dialogo, quicquid de Cometarum natura, qualitate, proprietate, ortu, compoſitione, deſiderari poteſt, proponitur & reſolvitur. Sententia in eo expoſita de Cometarum geneſi, ita ad ſe animos peritorum attraxit, ut vix ſit, qui eam non ſequatur. Aſtrologorum circa prognoſes deliramenta deteſtor, cum ex fluido fumo nulla, ex incerta curſûs ſui inconſtantia, præter quam quod iis nulla vis influxiva inſit, conſtitui queat ratio futurorum divinatrix, eſſe tamen ſigna quædam ingentium in ſuperioribus cæleſtium corporum globis alterationum effumationumque factarum, quibus inferior mundus infeſtetur, non nego. Sed hæc fuſiùs in dicto Dialogo expoſita reperies.

Cometas generari ex exhalationibus Solis & aliorum Planetarum plerique jam credunt.
Kircherus Aſtrologicas prædictiones deteſtatur.

Die

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa vernus 1665. ab hyberno alius:

Hybernus unus tantùm fuit.

Romani Aſtronomi omnes hyeme 1664. unum tantùm Cometam luxiſſe conſentiunt.

Die 5. Aprilis novus nobis Cometa apparuit, priori, ſive magnitudinem, ſive capitis luciditatem ſpectes, haud inferior: 15. dierum ſpatio antè Solis ortum in Pegaſi conſtellatione is apparuit, donec Soli junctus ex oculis noſtris evanuit. Quòd verò nonnulli putent, duos Cometas per Januarium, & Februarium in cælo viſos, diverſa caudæ directione, valdè hallucinantur, cum unus & idem omnium Romanorum Aſtronomorum conſenſu fuerit: caudam enim in Occidentalem partem vibravit, cum Solem præcederet, in Orientalem cum Solem ſequeretur: quemadmodum in bicorni Luna experientia docet. Verùm innumeris literis exarandis diſtentus, ſiſto calamum. Obnixè rogans, ut meam in reſpondendo brevitatem excuſes. Reliqua quæ uberius de hâc vaſtiſſima materia ſcribi poterant, ſupplebit Phyſiologia nova de natura Cometarum, veluti vicariam operam, mei loco, uberrimè præſtitura. Vale.

Generoſæ D. T.

Servus humillimus & devotiſſ.

ATHANASIUS KIRCHERUS.

Hamburgo Romam die 13. *Junii* 1665.

Kirchero integræ humanitatis laudem Auctor tribuit:

De ejus conſenſu & judicio ſibi gratulatur:

Novam ejus de Comet. nat. phyſiologiam celebrat,

Excerptum ſive compendium ejus dari ſibi petit.

Kirchero Auctor operis inſtituti rationem amplius exponit.

Cometas & triſtia antecedent & læta ſequuntur.

Rautenſteinius laudatur.

Heinſius pater & filius laudantur.

Symbolas huic Syſtemati inſerendas à Viris Clariſſimis Auctor poſtulat.

Literas Tuas die 8. Maji datas, rectè ante paucos dies accepi acceptiſſimas ſanè. Nam Tuam & eximiam eruditionem (præcipuè rerum Mathematicarum ſcientiam, quam tot illuſtria ingenii facinora, & Pentametri novi admiranda inventio in lucem jam olim extulit) & egregiam benevolentiam, dexteritatem, verbo, humanitatem teſtantur. Gratum etiam mihi legere fuit in Tuis literis, inſtitutum meum, qui Tuum de nuperis Cometarum phœnomenis inſignibus judicium, tot aliorum Virorum in re Mathematica aliiſque Philoſophiæ partibus exercitatiſſimorum nominibus adjungendum, exquiſivi & conſului, gratum Tibi fuiſſe. Approbaſti id etenim adeò humanis literis, ſed & commentario illo longè doctiſſimo, quem magnâ cum oblectatione legerunt jam nonnulli Viri eximii, ut rerum Mathematicarum, ita & linguæ Italicæ gnari. Ad me quod attinet, qui nondum perfectam ejus notitiam conſecutus ſum, fateor mihi fore pergratum, ſi ipſe excerptum ex hoc libro erudititiſſimo feceris, vel per illum ipſum diſcipulum Tuum Joſephum Petruccium, laudabili ſtudio ad illa ſublimia Matheſeos templa enitentem, fieri curaveris, Syſtemati meo Cometico inſerendum. Ita enim opus meum, volente & favente Deo Opt. Max. dividere inſtitui, clariſſimis Heveliorum, Bullialdorum, Curtiorum, Ricciolorum, Bartholinorum, &, quod exſpecto, Schottorum, Leuneſchloſſiorum, Placentinorum, Graviorum, Büthnerorum, aliorumque Mathematicorum præſtantiſſimorum, nominibus inſignitum. Ita ut Senatum Philoſophicum quodammodo illùc coacturus ſim, felici, ut ſpero, ſydere. Nam & felicia Cometam comitari & ſequi (ſed & antecedere, ut ſunt magnæ in tanta terrenarum rerum fragilitate vices) non tantùm, ut à pleriſque creditur, triſtia, firmiter aſſero tueorque. Cæterùm & plurimùm ſplendoris operi meo addet Illuſtriſſimus Rautenſteinius, Miniſter Statûs & Legatus ad Conventum Imperii Neoburgicus, Vir eruditione politiori & egregiis meritis, Tibi, ut ſpero, notus, nec non Nobiliſſimus Nicolaus Heinſius illius Dan. Fil. quem cum Patre literarum laude clariſſimo Italiæ Veſtræ ſatis innotuiſſe ſcio. Ad hanc ſocietatem & Te invito, utque dignam tanti nominis famâ Symbolam in medium afferas, rogo. Excerptum ex illo libro Italico poſſet quoque à nobis hìc fieri. Sed tutius eſt ad fontem recurrere, & ex eo limpidam aquam haurire. Utinam & aliquid amplius, quam quod jam communis terit manus, ad nos mittas, quo frequentem Senatum Philoſophicum, raro & ſingulari ſcientiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Italia omnis generis fructuum ferax. Roma laudatur à celebritate nominis.

Tuæ, in rebus Mathematicis ſubtiliſſimæ, fructu (cujus omnigenâ copiâ abundat Veſtra Italia, ac præcipuè Urbs Veſtra, toto ſemper celeberrima orbe,) ornes, dites, reficias.

Kirchero Auctor quædam communicat & decidenda proponit. Cometæ tres an Romæ obſervati. Gottignesii Rom. Math. laus, tabulæ Uranographicæ. Obſervationes Romanas Auctor à Kirchero petit: Plures à Mathematicis è ſodalitio Jeſuitarum factas enumerat. Cometæ ſigna artificialia, doctrinalia, memorialia.

Non ita pridem Curtiana facilitas admenſa mihi eſt inter alia obſervationem iſtam Romanam die 11. April. factam. Quam poſtquam cum Clariſſ. Hevelio, Amico meo ſingulari, communicaſſem, heri ab eo tale reſponſum accepi, quale in adjuncto apographo, cui & alterum obſervationis illius additum eſt, videbis. Quod ſi obſervatio illa à Gottigneſiana venit manu (cujus Viri Eruditiſſimi tabulas Uranographicas Cometæ menſe Dec. & Jan. ad uſque 2. Febr. conſpecti Curtianæ paritèr debeo benevolentiæ) velim eum, vel quiſquis tandem illius auctor eſt, moneas, quo Hevelio & nobis omnibus per te ſatisfaciat. Velim autem per Te omnibus obſervationibus veſtris potiri, futuro meo operi, Deo volente inſerendis. Quod ſi Te parario reſponſum ad hoc poſtulatum ab auctore obſervationis iſtius conſequar, ejus quoque nomen, unà cum tot aliis, æternitati commendabo. Nam ne ſis ignarus, etiam Monluccianas, Leinbererianas, Olomucenſes, Pragenſes, Viennenſes, aliorumque Sociorum Veſtrorum, quibus omnium conſenſu in re literaria promovenda ſingularis debetur laus, obſervationes ab Amicis ad me miſſas, operi illi cum bono Deo inſeram. Magnam Te mihi contrà curioſas Aſtrologorum prædictiones, divinationibus & oraculis ſe comparantes, præſtare auctoritatem, multùm mihi gratulor. Nam cum aliquot Viris Doctiſſimis argumentum hoc pertracto. Non nego autem Cometas ſignificare aliquid in cælo, bona ſcilicet bonis, mala malis, ſed non ſuapte naturâ, at volente potius & ordinante Deo, qui hunc veluti miniſtrum ad mortales mittat, ut in cæleſti poſitus ſuggeſtu concionetur, cunctos à Maximo uſque ad minimum, officii commoneat, & tàm pronunciet quàm denunciet, nomine Omnipotentis Dei illa quæ Iſaias c. 3. 10, 11. memoriæ prodidit.

Ricciolius laudatur, Ejus ſententiam de Comet. ſignific. ſibi favere Auctor gaudet:

Multùm me hîc quoque, ut aliàs in ſtudio Aſtronomico, juvabit Celeberrimi Riccioli, utpote diligentiſſimi Mathematici, Amici mei obſervandi, auctoritas, qui piè & prudenter hanc de Cometarum prognoſticis materiam pertractat. Is enim, ut noſti, illas illuſtrium phœnomenorum apparitiones (etiam meteororum apparitiones momentaneas momentis virtutum hac ratione addi non ægrè feram) ad omnem modeſtiam & pietatem transfert, quò malorum metu perculſi, & bonorum ſpe erecti ad eam monente Deo excitemur.

De aliorum quoque Virorum præclarorum conſenſu hic ſibi gratulatur. Cometæ fauſti & infauſti. Mathematici olim Roma pulſi. Nero triſtia Cometarum præſagia crudeliter interpretabatur. Brevitas rerum fœcunda.

Uti verò pruritum divinandi in Longomontano & Keplero notat, ità quæ de ſententia Caroli Piſonis, Fromondi, Thomæ Fieni, Cottunii, præcipuè verò Nicolai Cabæi, qui fauſtos & infauſtos orbi intulit Cometas, refert, pro me multùm faciunt. Spero me aliquid amplius à Te in hanc rem accepturum: tùm & ab aliis Urbis Veſtræ Mathematicis. Meminit enim hæc dubio procul, quot & qualia olim contrà Mathematicos, Magis & Chaldæis hariolis accenſitos, utpote arte præſtantiſſima per curioſitatem avaram abuſos, edicta prodiderit, & quoties Neronianam ſævitiam illuſtri ſanguine Cometas expiaſſe, ſuſpectumque de malis eventibus ſidus, triſtiſſimum reddidiſſe, graviter doluerit. Cæterùm cum tot literis exarandis aliiſque laboribus exantlandis ſis occupatus, dabis operam, quæ ſingularis Tua eruditio & humanitas eſt, ingenioſâ & multi ſucci brevitate vota noſtra impleas. Vale & mutuâ porrò benevolentiâ me proſequere. Nam ut magno decori amicitiam Tuam mihi duco, ita ſum & maneo conſtanter

T. Obſervantiſſ. ac ſtudioſiſſ.

STAN. LUBIENIETZKI.

Hamburgo Romam die 24. *Junii* 1665.

DUm ad litteras meas, præſertim poſtremas die 3. menſis hujus ſcriptas reſponſum abs Te præſtolor, viſum eſt mihi conveniens, ut nunc quo-

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

que paucis Te alloquar. E re nempe mea & publica eſt, ut priora illa poſtulata de compendio quodam eruditiſſimi illius commentarii de Cometa Italici, quod operi meo, Tuo ſub nomine inderem, tum de conciliandis diſſidentibus Heveliana & Veſtra Romana de viſo ad cingulum Andromedæ Borealius Cometa, ſententiis, in memoriam tibi revocem. Adhæc adjungere aliquid literarum neceſſe habui opuſculo iſti, quod Humaniſſimi Riccioli Tuique cauſâ haud levi labore concinnavi. Nec enim ſolùm, ut vides, Prodromum Cometicum Hevelianum in compendium redegi, ſed & annotatiunculis quibuſdam hîc illîc ornare volui, quæ tamen non parùm, ubi ad quæſtiones à me & per me ab aliis, majori rerum Aſtronomicarum peritiâ inſtructis, propoſitas reſpondebit, augebuntur, nec parùm luminis quibuſdam Palatii Aſtronomici cameris inferent. Magni me, ut par eſt, labores Hevelianos facere, fateor, & ubique teſtor, &, ſi Pruſſia provinciarum nobiliſſima Copernico, Artho & Crugero, certè & Hevelio, ſi vel omni comparatione odioſa abſtineam, optimo jure gloriari poteſt. Præcipuè verò celeberrima illa non tantùm Mercurii ſed & Palladis artibus urbs Dantiſcum, cui hæc tria cæli Aſtronomici ſidera (Copernico enim Thorunium pulchra & polita gaudet) debemus. Tantò verò lubentius de Hevelio apud Te loquor, quia video Te quoque ipſum ejus accuratas obſervationes Solares & Lunares magni facere, & eum dubio procul vel ſolum, vel cum paucis aliis, dum tom.I. Mundi Tui Subterranei cap 5. Lunam contemplans & perluſtrans Lynceos * noſtri ſeculi Aſtronomos memoras, intelligere. Quanti ipſe Ricciolius longè doctiſſimus eum faciat, in ſua quoque ad me epiſtola teſtatur, dum ſe multùm ex ejus, ſicut & Clariſſimi Bullialdi, Amici itidem mei plurimùm colendi, laboribus didiciſſe fatetur. Atque hæ erant cauſæ, quæ me permoverunt, ut Prodromum illum Hevelianum compendioſiori via ad vos mitterem eundemque vobis quamprimùm ſiſterem. Cæterùm quòd ad auguſtum illud opus Tuum, quod dixi, attinet, fateor Auguſtis & Mœcenatibus fuiſſe digniſſimum. Miror in te profectò humani ingenii vim ſagaciſſimam, perſpicaciſſimam, inveſtigandorum naturæ myſteriorum inſatiabilem & irrequietam, quia indefeſſam agendo. O quantam robuſta illa Tua mens agitat molem! Maria fluctiſona ſulcas, iratis immiſces Te undis, immenſi Oceani fundum petis, fluxum & refluxum ejus & vicibus alternis fugaces Euripos metiris, terras alio Sole calentes, & extrema Indiarum adis, & prærupta montium caput inter nubila condentium ſcandis juga. Imò verò Veſuvii & Ætnæ incendia, Plinio Seniori longè felicior, perſcrutatus evadis, alioſque Vulcanios montes, ſed & Lunæ ſtellarumque orbes imò ipſam Solis Regiam exploras. Ego verò Te ingenii vires in rimandis Terræ viſceribus ſolis explicaturum putabam. At video tanti ingenii virtuti inviam nullam eſſe viam. Parce precor, ſi infra merita Tua, quod meritò vereor, conſiſto. Nondum ritè immenſa illa Mundi Tui ſpatia peregi, nondum omnes intercapedines emenſus ſum, nondum tot anfractus perreptavi, nondum omnes excuſſi angulos, ſed ſolùm curſorio oculo hæc & illa, ex quo ſcilicet Mundus ille Tuus in orbem noſtrum paulò antè delatus eſt, perluſtravi. Sed gratulor mihi, non inventuros quidquam in Tuâ iſtâ tàm validâ machinâ præſidii illos, qui aſtris imperium in humanas mentes deferunt, iiſque faſces judicii ſubjiciunt, dum Tu Soli lucis caloriſque parenti, & ſtellis, influentem in hæc inferiora vim beneficam adſcribis, illæſa manente ingenii humani libertate. Huic dum indiſſolubili nexu cæleſtis gratia jungitur, mediâ inter faſtuoſam arrogantiam & ſecuram ignaviam tutò itur viâ, ad eludenda vel certè elidenda cuncta ſtrategemata Satanæ. Sed hîc ſiſto gradum, dummodo id unum abs Te impetrem, ut ad has, ſicut & ad priores meas literas, obtineam reſponſum, quod cum deſiderio exſpecto.

Hevelius ab obſervatione Romana de phænomeno in Andromeda diſſentit:

Ejus Prodromi Cometici Prodromum Auctor Kirchero offert.

Hevelii merita magni Auctor facit.

Pruſſia laudatur.

Præſtantiſſimis Mathematicis gaudet.

Hevelium Kircherus magni facit:

* Confer Frid. Mulleri Cometol. l. 2. c. 2. p. 23.

Ut & Ricciolus.

Bullialdum Ricciolius magni æſtimat.

Mundus Subterraneus Kircheri laudatur.

Kircherus in Mundo Subterraneo quid præſtiterit.

Laudes meritas Amicis citra invidiam & adulationem tribue.

Kircherus Aſtrologis curioſis contradicit.

Aſtrorum vis in inferiora influens benefica illæſâ humanæ naturæ libertate.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Româ Hamburgum die 25. Julii 1665.

Kircherus Auctoris literas habuit gratiſſimas; Ut & Prodromum Prodromi Cometici Heveliani: Inſtitutum Auctoris approbat, Eventum felicem auguratur: Modeſtè de ſuis loquitur, Candide cum Auctore agit, Cur ex induſtria Cometas nuper non obſervârit.

INſigni litterarum Tuarum humanitate, non me viciſti ſolùm, ſed adeo me Tibi devinxiſti, ut me & æris & juris Tui totum feciſſe videaris. Prodromum Hevelianum à Ricciolio mihi tranſmiſſum, & à Tua eruditione ἀνακεφαλαιωτικῶς (ſummatim) compilatum, unà cum literis, quibus quid in boni communis & Reipub. Aſtronomicæ emolumentum moliaris, mihi communicare non dedignatus es, fida manu accepi. Laudo & approbo tuum in tanti momenti negotio inſtitutum, & non dubito, quin ut ingenii felicitate gaudes, ita quoque ſtylo polles, ut id ad æterni nominis tui honorem, pari cum fructu ſis completurus. Quod verò meas apud Te nugas aliquid eſſe patiaris, id non tàm meæ peritiæ, quàm Tuæ imprimis humanitati innatæ adſcribendum duco. Ego ſanè, ut ea, qua par eſt, ſinceritate, Tecum agam, fateor, me Cometicis Obſervationibus hoc & præcedenti anno, minimè ex profeſſo incubuiſſe, eò quòd ita vellent, qui mihi præcipere poterant, ne ex Romani nocturni aëris virulentiâ ſanitati oppidò nocivâ accidentia, ut dici ſolet, quærendo, ſubſtantiæ detrimentum paterer. Ne verò opera mea defuiſſe videretur; nullum non movi lapidem, ut cæleſtia hujuſmodi portenta, per Collegii noſtri Mathematicum P. Franciſcum Ægidium Godinium, quam exactiſſimis inſtrumentis obſervarentur. Quod & reliqui Urbis Mathematici meliori quo quiſque potuit modo præſtiterunt. Horum innixus Obſervationibus, circà tantorum effectuum cauſas, phyſicæ cœleſtis adyta paulò altius intrare, nec non combinatoria artis trutina rationes ſingulorum expendere cœpi: undè protinus nova illa phyſiologia Cometica prodiit, quàm multis antè annis jam in Itinerario exſtatico deſcriptam publici juris feceram: hujus verò currentis anni exordio, ad multorum procerum inſtantes deprecationes, per Joſephum Petrucium, ſubtilis ingenii juvenem, meum privatum Academicum, Italico idiomate (conſultò tamen meo ſuppreſſo nomine) deſcriptam prælo tandem ſubdidi: In qua ſub forma dialogi, meam de vagabundis & inſtabilibus hujuſmodi phœnomenis ſententiam ita expoſui, ut apud eos, qui recta & ſincera rationis trutina, res abſque ſiniſtro affectu ponderare ſolent, aliquem ſibi locum habituram confidam.

Kircherus obſervationes Godinianas promovit: Aliorum Mathem. Romanorum obſervationes ad inveſtigandam Cometarum naturam adhibet: Hinc nova illa Phyſiologia ab eo edita.

Kircherus multis laboribus occupatus Auctori de compendio Phyſiol. ſuæ novæ gratificari nequit: Deq; eo dolet, Nil tumultuario opere factum publico committere vult, Ad Itinerarium extaticum Auctorem remittit, Vel Phyſiologiæ novæ verſionem ſuadet,

Quod verò, Vir Doctiſſime, meam in Phyſiologia propoſitam ſententiam, Latino ſermoni redditam tibi communicari ſollicitiùs à me efflagites; crede, in tanta negotiorum mole, novorumque impreſſione librorum, uti id temporis anguſtiæ, quibus continuo premor, non patiuntur, ita quoque tibi me tuæque laudabili poſtulationi ſatisfacere non poſſe, ſummoperè doleo. Poſſem quidem tumultuario ſtylo nonnihil extemporaneo labore congerere. Sed cum orbis literarius, nonniſi rara & ſingularia à me expectet; certè illa uti probè & debita mentis ἀκρίβεια (diligentia) ruminentur, expendanturquè, ita quoque plurimum & temporis & otii requirere videntur. Quare tibi author ſim, ut Itinerarium extaticum à me antè ſex circiter annos editum tibi compares; in quo quicquid ad cæleſtis philoſophiæ arcanam notitiam pertinet, ſub ficti raptùs integumento ad veritatem diſcuſſum expenſumque reperies: ſi vero phyſiologiam Italico idiomate conſcriptam malles, non puto apud veſtrates defuturos Italici ſermonis gnaros, qui ejus in Latinum transferendæ curam libenti animo ſint ſuſcepturi.

Tùm Hevelianum Prodromum Comet. tùm ejus compendium gratum habet.

Sed progredior ad Hevelianum Prodromum: in quo neſcio, quid potius mirari debeam, tuamne in opere Heveliano abbreviando induſtriam, quàm authoris in argumento abſtruſo inſignem ingenii vim exactamque induſtriam. Obſervationibus noſtris, quantum comparare unam cum altera licuit, Hevelianæ congruunt omnes: excepto illo, quòd Hevelius tubo optico, neſcio quid ſtellularum conglobationi in Cometico corpore ſimile ſe obſervaſſe dicat, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura 2da ad Communicationem R.P. Athanaſii Kircheri S.I. Pertinens ad Archetypum Romanam Facta Romae Nonis Iuly 1664 Delineatæ Phaſes Iovis & Saturni. a Ioſepho Canpano. vitreis Lentibus Torno a Se Nuper Invento Deprehenſæ & Spectandæ Exhibitæ ſunt Iuly die 30. h. 2¼ noctis Latiorem Iovis Faſciam Obſcurã Perambulabant Maculæ due Obſcuriores. quas Celeberr.s Aſtronom.s Coſſinus Authori Primum Indigitauit: easq. umbras Satellitum dixit. Iovem Subeuntium. qui Deinde ab Eius Occiduo Margine vero Emergere viſi Sunt.






Figura Prima Pertinens ad Communicationem R.P. Athanaſii Kircheri Soc. Ies.





B. Stopendael Schulpſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quod tamen noſtri Mathematici tubis minoribus, mediocribus, maximis 50. palmarum (quibus nil excellentius & admiratione dignius in hoc genere alibi viſum fuiſſe puto) minimè deprehenderunt. Cætera omnia mihi perplacent; utpote à Viro jam à juventute in Aſtronomicis pragmatiis longè exercitatiſſimo, ſummo & indefeſſo labore obſervata. Mitto hiſce incluſum Syſtema Saturninum, à Campano ingenioſiſſimo Teleſcoplopæo, 50. palmarum tubo obſervatum: cujus inſolentis phœnomeni phyſicos effectus uti omnes in admirationem rapiunt; ita quoque nondum inventus eſt, qui cauſam finemque, quam author Naturæ eo intenderit, inveſtigare valuerit. Sed ne tædio longiori epiſtola te afficiam, ſiſto calamum: nihil aliud deſiderans, niſi ut quantocyus ingenioſa tua molimina lucem videant. Vale, Vir Doctiſſime, meque, ut ſoles, amare ne deſiſtas.

Tubi Romani præſtantiſſimi. *Hevelium Kircherus magni facit.* *Kircherus Auctori Syſtema Saturninum Campani mittit.* *Saturninum ſyſtema.*

P. S. Mitterem Tibi quoque Theorias Cometicas, à Caſſino editas, ſi mihi indicaveris, quâ occaſione eas Tibi tranſmitti cupias, opus enim majus eſt, quàm ut per tabellarium tranſmitti poſſit. Salutem quoque officioſiſſimè confeſras Inclyto Hevelio, quem antè 32. circiter annos Avenione, amicum habui officioſiſſimum, dum frontiſpicium Libri, qui inſcribitur, Primitiæ Gnomonicæ Catopricæ, pro ſuo in me meaque affectu æri incidere non eſt dedignatus. En verò Tibi amicitiæ & occupationum mearum teſtimonium Elenchum librorum meorum, tàm eorum, qui jam prælo parati, proximè edentur, quàm eorum, qui, ſi Deus vitam conceſſerit, prælo parandi ſunt. Prioris generis ſunt hi:

Caſſini theorias Cometicas Kircherus Auctori offert. *Hevelius Kirchero annis ab hinc 32 notus & officioſe benevolus.*

1. China, Monumentis quà ſacris, quà prophanis, nec non abditis Artis & naturæ ſpectaculis, aliarumque rerum memorabilium enarrationibus illuſtrata. *China illuſtrata à Kirchero.*
2. Diatribe de occultis Numerorum myſteriis, quà origo, antiquitas & fabrica Numerorum exponitur, eorumque abditæ proprietates demonſtrantur, & fontes ſuperſtitionum indè emergentes deteguntur, & confutantur. *Numerorum hiſtoria.*
3. Ars analogica, quà de quovis propoſito themate, per rerum naturalium analogiſmos, ſive ſymbolicos conceptus, tùm expeditè ſcribendi, tùm amplè dicendi campus aperitur. *Analogica ars.*
4. Geometria Practica combinata in uſum Principum. *Geometria Practica.*
5. Ars combinatoria, ſive Ars magna ſciendi, quà ad omnes Artes & ſcientias facile addiſcendas, & de quocumque argumento diſcurrendi porta aperitur. *Ars combinatoria, ſive ars magna ſciendi.*

Poſterioris generis ſunt:

1. Iter Hetruſcum, quo Hetruriæ tùm priſcæ, tùm hodiernæ origo, ſitus, natura, Politica, cataſtrophæ, monumenta ſacro-profana, nec non Naturæ admiranda, triplici ratiocinio, Geographico-Politico-Phyſico deſcribuntur & explanantur. *Hetruſcum iter, ſive Hetruriæ hiſtoria.*
2. Latium Priſcum, quo ejus origo, ſitus, natura, Urbes, Montes, Lacus, monumenta veterum, triplici pariter ratiocinio deteguntur & explanantur. *Latii Priſci hiſtoria.*
3. Arca Noë, unà cum turri Babylonica, architectonica arte deſcripta & explicata, quam, Deo dante, polypœdia Biblica excipiet. *Arca Noë.*

Hamburgo Romam die 19 Auguſti 1665.

NUllum eſt tàm validum impedimentum, nullum tàm acerbum diſſidium, quod prohibeat homines mutuâ certare humanitate. Hæc enim ipſam naturam hominis conſtituit; & ab eo, ut propria & inſita virtus, ortum ducit. Itaque

Humanitate certare hominibus convenit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Nullo in ſacris vel civilibus obſtante diſſidio.

Kircheri humanitas deprædicatur.

Itaque hominem exuit, cui deeſt humanitas, quicquid tandem ſive in ſacris, ſive in profanis vitio naturæ, generi nominique & origini ſuæ contrario prætexat. Te omnibus, etiam qui aliàs in adverſis militant caſtris (noſti hæc quoque humanitate carere non debere) ſingularis & polita humanitas, ſed & ſtudia illa humanitatis, quibus in tot librorum voluminibus fuſè & utiliter explicatis, orbem inſtruis, ditas, exornas, præ reliquis commendant. Quam ergo mihi tribuis humanitatem (quam ex officii ratione, ut cuique juſtâ menſurâ tribuam, quaquaverſum curam & operam meam converto) in Te ipſo laudas eximiam. Teſtaris hanc non tantùm epiſtolæ benevolentiâ, qua illa completa eſt, ſed & iſtis quæ ei adjunxiſti munuſculis literariis. De indiculo librorum abs Te tùm mox edendorum, tùm poſthac componendorum, gratias Tibi ingentes ago. Ingenii enim vim magnam, imo admirandam, in his video, quæ ut ſe diu & feliciter bono publico explicet, ex animo opto.

Saturni & Jovis obſervatio.

Gratias ago Tibi amplas & pro illa obſervatione Saturni & Jovis. Quæ cum ab Heveliana differat aliquantum, Tuâ cum venia eam operi meo (cujus jam per Dei gratiam initium fit in Hollandia) indam, & quidem iis, quæ mecum communicaſti, interſeram. Pariter & illam demonſtrationem parallaxeos ex phyſiologia Cometica, ex qua Vir egregiè

Henr. Burdelii laus.

doctus Henricus Burdelius, non poſtremus meorum Amicorum, linguæ Italicæ melius quam ego gnarus, præcipua capita excerpſit, librumque illum ſanè doctiſſimum, in compendium redegit. Quod itidem excerptum hiſce meis literis ſubjiciam, volente Deo, ut ita quæ inter nos de hoc argumento communicavimus, juſti libelli menſuram ſint impletura. Vellem ſi per Tua negocia liceret, verbo mihi Te reſpondere poſſe de obſervatione illa Tua Cometica, ad Sereniſſimum Ducem Auguſtum & Curtium doctiſſimum miſſâ, quam etiam

Kircheri judicium de phænomeno in Andromeda Auctor requirit:

libenter à Te ipſo haberem, alioquin ita ut habetur, operi inſerendam: nec non de illo phœnomeno ad cingulum Andromedæ Septentr. conſpectum, quod Clariſſimus Gravius Profeſſ. Franequeranus aſſerit, & in continuatione Obſervationum ſuarum de Cometa in Pegaſo factarum ponit firmatque.

Ab eod. verni Cometæ 1665. obſervationes Romanas poſtulat.

Velim quoque mihi mittas veſtratium Obſervationes de nuperrimo Cometa, ut unà cum aliis æri incidi & imprimi poſſint.

Prodromus Prodromi Cometici Heveliani ab Auctore primò feſtina manu conſcriptus, poſtmodum aliquantum correctus.

Compendium illud Prodromi Heveliani, Tibi à Ricciolio (de quo utinam verbo me, quô in rerum articulo, pertinaci morbo correptus verſetur, certiorem feciſſes) meo nomine miſſum, αὐτοσχέδιον ſubſecivis horis & verè tumultuaria manu in chartam conjectum eſt. Teſtatur id feſtinata quam vidiſti & lituris plena ſcriptio, cui poſterior cura nonnihil bonitatis attulit. Tibi quòd hæc præcipitata placuerint, ſingulari tribuo æquitati & benevolentiæ. Tanto plus cum immeritas laudes mihi admetiâris. Spero nec illum laborem, ut Heveliani nominis, ita & ſtudii Aſtronomici cultoribus ſtrenuis ingratum vel etiam inutilem fore. Cæterùm quæ ibi Hiſtorica & Chronologica de Cometis attigi dehinc reſumta, & ut cum dulcedine, laboris non exigui moleſtiam tollente & obliterante, ita & cum utilitate quadam in publicum redundatura, ſub incudem revocata fuêre.

Hiſtoriam Cometarum meditatur Auctor.

Quod ita feliciter divinâ gratiâ ceſſit, ut in animo habeam, ſi vivo, operi meo Mantiſſæ loco adjungere Hiſtoriam Cometarum multum auctam, unà cum brevi indiculo triſtium lætorumque, quæ eorum apparitionem ſecuta ſunt.

Operis hujus molem cur haud moleſtam, imò potius gratam & utilem Auctor ſperet.

Prævideo opus meum in molem haud exiguam ſurrecturum eſſe iis, quæ vel ab Amicis ad me, vel à me ad eos ultrò citròque ſcribuntur, illud identidem augentibus. Sed ſpero ſelectam rerum varietatem non tantùm lætam, ſed & commodam ac utilem operis prolixitatem, & Aſiatici ſtyli imitatricem induſtriam, bono publico devotam non ſolùm excuſaturam, ſed & commendaturam eſſe.

Prolixitas grata, quam jucunda & utilis varietas comitatur.

Quæ Hevelio indicari juſſiſti, actutum feci. Caſſini obſervationes Cometicæ, quas mihi commendavit Bullialdus, illi verò Sereniſſimus Princeps Hetruriæ, mihi gratiſſimæ forent ſi daretur commoda occaſio, in quam inquiram. Vale & pro illa humanitate mihi porrò fave.

Excerpta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Excerpta ex Kircherianâ Phyſiol. novâ de Comet. natura à Joſ. Petruccio *editâ.*

Kircherianæ Phyſiol. novæ de Comet. nat. compendium.

EXcellentiſſimus autor tractat in hac diſſertatione de Cometarum materia, motu, loco, magnitudine, colore, cauda, duratione operatione, vel influxu.

Cæleſtia corpora corruptioni obnoxia.

Ætheris ſpatium limpidiſſimum.

Cometarum materies maculæ Solis, ſive fumi è Sole exhalantes.

Cometarum generatio unde & quomodo fiat.

Quod ad materiam attinet, poſtquam autor præſuppoſuit 1. Corpora cæleſtia eſſe obnoxia corruptionibus, eò quòd habeant qualitates elementorum. 2. Spatium illud ætheris immenſum eſſe limpidiſſimum, ſolumque auræ ætheræ plenum, nec in illo dari ſoliditates niſi corporum ſtellatorum; dicit (& probat authoribus Vendelino lib. de Comet. Caramuele lib. de obſervat. eclipſ. Scheinero in Roſa Urſina, Galilæo in nuntio ſidereo) Cometas oriri ex Sole ejuſque maculis. Maculæ Solares autori ſunt quædam umbræ, mixtæ cum luce ad inſtar fumorum ſeu fumi (Scheinero approbante dict. lib.) qui à ſuperficiè Solis bullientis in æthera ejiciuntur. Quando autem quibuſdam temporibus materia ſolaris in intimis ſuis viſceribus à malignis aliorum planetarum, qui circumcirca ſunt poſiti, aſpectibus commoveatur, inde in ætherem, dicit, extolli immenſos globos fumoſos, qui, pleni halituum, ubi cum fumis aliorum planetarum condenſantur & à Sole illuſtrantur, aut per antiperiſtaſin frigidi in æthere ambientis inflammantur, fiant Cometæ. Ad quod producit Scheinerum, qui libr. ante dict. ſcribit, ſe per continuas multorum annorum obſervationes conſideraſſe, quòd, quo tempore Sol fuerit purus ab omnibus maculis, ſemper natus ſit Cometa. Auctor ſtatuit etiam, ex reliquorum planetarum & ſtellarum fixarum fumis & exhalationibus vel ſolis, vel conjunctis cum fumis ſolaribus, oriri & componi Cometas, id tamen fieri per lucem & radios ſolares, qui & illa corpora illuſtrent, & inde extrahant illos halitus & vapores gignendis Cometis idoneos. Hoſce autem Cometas dicit non videri tàm per defectum materiæ, quàm per immenſam à noſtris oculis diſtantiam: ſolere tamen apparere in forma ſtellarum, ſicuti qui anno 1572. in Caſſiopea apparuit.

Cometæ ex maculis ſive evaporationibus ſolaribus produci probatur.

Sol in geneſi Cometarum plurimum poteſt.

Cometæ cur non ſemper videantur.

Cæli motus.

Intelligentiæ cæleſtium ſphærarum motrices.

Solis motus.

Solis & Cometæ motûs ratio.

Cometæ motus quando tardior,

Et irregularis,

Tùm varius & differens:

Diminutio,

Quod motum concernit, author inculcat ſpatium illud immenſum ætheris, quod ſupra lunam eſt, vehementiſſima commotione perpetuo agitari à globis cæleſtibus, qui ab intelligentiis præſidentibus ſecundum ideas divinæ mentis rapidiſſimè moveantur, modò ab ortu in occaſum, modo à meridie verſùs ſeptentrionem intra tropicos, modò circà proprium axem. Unde fiat, ut Sol, Rex aſtrorum, commotus ab Oriente in Occaſum, ſit cauſa vehementiſſimi motus in illa parte, quæ præcedit, & in illa quæ ſequitur, ac ſi formaret ſulcum in æthere. Quando igitur exhalatio illa ſeu fumus eſt ejectus in partem anteriorem Solis, tunc Cometa à vehementi motu Solis propellitur & fugatur in partem illius antecedentem; Verùm ſi incidat in partem Solis poſteriorem, ſive quæ ſolem ſequitur, tunc rapitur unà cum illo ab ortu in occaſum, non autem eadem motus celeritate, quia cum non poſſit illum ſequi, ſubinde magis in itinere retardatur. Ubi vero aliquanto remotius ab illo ſulco ſolis elabitur, eo tempore non movetur amplius motu regulari, ſed volat quorſum impetus & impulſus illum propellit, modò velocius Luna gyratur, modò paſſibus lentioribus in modum Saturni ingreditur, uſque dum diſſipatus & evaneſcens in ſuum Chaos revolvatur. Alibi in eadem diſſertatione ſcribit auctor, quòd Cometa, quoniam ex varia materiæ fumoſæ mixtura componatur, ſortiatur in hoc vaſto ætheris ſpatio varios & differentes motus. Quia principio ſuæ originis, quando plenior eſt materiæ, in hoc loco movetur ubi ſe accendit; verùm quando paulatim motum acquiſiverit liberum, compedibus fumoſæ materiæ ſolutus non amplius in partem inferiorem ſe demittit, ſed in altum dirigens viam volet uſque ad confinia firmamenti, ut in fine illius retroceſſionis appareat ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

forma indies minore & cauda evaneſcente colorem rutilum mutet cinericio, uſque dum volet ad hanc altitudinem, & reſolutus in ſubtiliſſimum ætherem oculis noſtris fiat inviſibilis. Hoc accidiſſe ait in nupero Cometa.

Tandem diſparitio.

Cometarum ſitus ex parallaxi dignoſcendus.

Parallaxin minorem dant ſublimiora, majorem depreſſiora.

De ſitu vel loco Cometarum judicandum eſſe ex parallaxi autor docet, cum eo minor ſit parallaxis, quo major eſt altitudo objecti quod intuemur: & viciſſim major parallaxis à minus elevato objecto oboriatur. Exempli loco ſint in globo Terræ A. B. C. duo ſpectatores in diverſis mundi partibus A. & B. Phœnomenon verò aliquod in locis N, D, E, F, G, H. Certum eſt hoc ipſum Phœnomenon ſive ſtellam N. in punctis A & B. propter tumorem telluris A. I. B S. ut & propter vicinitatem ſuam non poſſe videri, in aliis tamen punctis I. & S. viſibile, ſcilicet in quacunque parte tumor terræ conſpectum non impedit. In punctis verò D,E,F,G,H, quò altiores Cometæ exiſtunt, hòc anguli in quibus videntur, ut ADB; AEB, AFB, AGB, AHB. ſe magis acuunt, minoremque parallaxin dant, & conſequenter in majori parte mundi conſpiciuntur. Cumque Cometæ ſunt elati ad illam altitudinem, ubi globus terrenus eſt inſtar puncti inſenſibilis, propter immenſam diſtantiam, omnis angulus quo videntur, reſtringitur in unam lineam: & tali in caſu judicandum eſt, eſſe in loco altiſſimo, quia non patiantur parallaxin. Atque id etiam accidiſſe dicit in noſtro Cometa, quem non fuiſſe paſſum parallaxin inde probat, quia in omnibus partibus Europæ fuerit obſervatus in eodem loco, ſub iiſdem ſtellis fixis, ſub iiſdem triangulis, & quia Viennæ & aliis locis, ſine minima ſitûs mutatione, ſicut obſervationes peritiſſimorum monſtrant, ſtella fixa in ore balenæ quinto Januarii fuerit viſa obſcurari ab hoc Cometa.

Cometa nuperus toti Europæ viſus nullam fecit parallaxin.

Stella fixa in ore Ceti die 5. Jan. 1665. à Cometa obſcurata.

Cometa quando ſupra vel infra Solem:

Nulli infra Lunam,

Quandòque aliorum aſtrorum eclipſin faciunt;

Præterea in hoc capite de ſitu Cometarum ſtatuit, quod ſi evaporatio, illa accendatur in parte ſuperiore Solis, illa elevetur ſupra Solem, & ita Cometa ſit futurus ſupra Solem: verùm ſi in parte quæ reſpicit terram incendatur, concludendum Cometam eſſe ſub Sole ſupra Lunam. Adhæc locum Cometarum exiſtere omne illud ſpatium, quod à Luna porrigitur uſque ad extremos fines mundi: & quòd in mundo Sublunari nulli naſcantur Cometæ: quòd à Cometa poſſint provenire eclipſes aliorum aſtrorum, quamvis autor dicat ſe non legiſſe unquam, quod Sol & Luna inde eclipſin fuerint paſſa, quòd umbra terræ conica Cometis tenebras queat obducere.

Eorum magnitudo incerta.

Parallaxis ultra Solis ſphæram vix ſentitur.

Geometria incertum frequens.

De magnitudine Cometæ dicit autor non poſſe certi aliquid conſtitui, quia nondum eſt determinatum, quantum diſtat à terra. Illi, qui ſibi perſuadent mediante parallaxi eam ſe poſſe conſequi, tam incerto fundamento nituntur, quam eſt indubitatum ultra cælum Solis vix dari parrallaxin ſenſibilem. Qui illam ope Teleſcopii aut aliorum inſtrumentorum Aſtronomicorum obtinere cogitant, gravibus ſe exponunt erroribus. Geometræ metientes loca non longè diſſita, ut altitudines montium, turres civitatis & ſimilia, vix intra decem, qui idem objectum geometricè quadrante metiuntur, uni cum altero convenit de altitudine graduum, aut minutorum. Inſuper opinio eſt cui non contradicitur *Cometas quandocunque ſunt ſupra Lunam & Solem, eſſe immenſæ & incredibilis magnitudinis, tricies vel centies majores terra, non connumerata longitudine caudæ aut barbæ præſentis Cometæ, quæ diverſis temporum intervallis* à me, dicit autor, *fuit obſervata quindecim, viginti graduum cæleſtium.*

Cometæ quidam triceſies vel centies terra majores:

Nuperi cauda 20° ſæpius obſervata:

Color eorum varius undè proveniat:

Color Cometæ eſt varius, idque autor dicit provenire à qualitate materiæ fumoſæ; ſi halitus fumoſi ſe incendunt, ſubitò reſplendent colore flammeo; ſi verò hic ardor ſucceſſivè deficit propter frigus ambiens, eo caſu fuſcum mutabunt pallore: imò quantò magis hi fumi aſcendunt in altum, eò pallidiores apparebunt. Medio noctis, quandò nimirum aër à vaporibus eſt purgatus, liberè videtur claritas Cometarum; verùm quando hi appropinquant horizonti, ubi vicini vapores aërem reddunt craſſiorem, videntur pallidi.

Caudæ quomodo conflentur,

De Cauda Cometæ docet autor, quod Cometæ caput ſint fumi conſtipati, & in unum corpus intenſiore gradu collecti, in quo radii ſolares refracti in modum

dum ſpeculi eo modo ſplendentis, reflectunt lucem Solis, & quando ii radii illuſtrant materiam fumorum rariorem, quæ circùm eſt poſita, repræſentant hanc formidabilem caudam, totum figmentum Solis. Inde etiam eſt quòd Cometa ſemper caudam vel barbam habeat converſam verſus partem ſoli oppoſitam, ſicuti Luna, quando præcedit ſolem cornua vertit in occidentem: quando verò ſequitur eum, in orientem. Cometa etiam poteſt apparere interdum ſine cauda ob duplicem rationem 1. Si Luna ſplendet, evaneſcit ſplendor caudæ nec eſt viſibilis. 2. Cometa multoties eſt in loco parum apto, ut à ſole illuſtretur.

Cur ſemper à Sole averſæ;

Cur hæ interdùm non appareant:

De duratione Cometarum dicit auctor, quòd illa dependeat à durabili materia illorum. Quia quantò materià illorum futura eſt viſcoſior, & magis in centrum condenſata, tantò diutius permanebunt: contrà ſi ſunt compoſiti ex debili & flacceſcente ſubſtantia, tantò conſumuntur celerius & in chaos redeunt, unde venerant.

Duratio eorum unde dependeat:

De effectibus Cometarum autor ſtatuit illos non influere in damnum mortalium, ſed ſolummodo eſſe ſigna alicujus magnæ commotionis, quæ facta eſt in globis cæleſtibus, unde poſtea terra fiat particeps talis influxus. Debere haberi pro indubitato, quòd Sol non ſolùm influat cum lumine & calore in corpora inferiora, verum etiam ſit à natura donatus virtutibus particularibus, quæ ſi aliquando à malefico ſitu Martis aut infauſto Saturni aſpectu infeſtentur, ſubito ab illa malignitate concitatæ commoveant illas horrendas conturbationes motûs, quæ ab aliquibus vocantur morbi Solis: undè naſcantur ſterilitates, ſiccitates, terræ motus, inundationes, quæ damno afficiunt hunc mundum ſublunarem, & inſuper in hominibus bilem accendendo moveant bella & ſimilia, quæ magnas corporum cæleſtium commotiones neceſſariò ſequuntur. Non autem ſemper (ſecundum autorem) commotiones corporum cæleſtium producunt Cometas; ſed tùm ſolummodo, quando illi fumi ab illis corporibus exhalati, propter immenſam materiam in altum evolant, & in æthere condenſantur. Undè etiamſi Cometa ſpatio triginta, quadraginta, quinquaginta annorum non apparuerit, mala tamen (ut mortes Principum, peſtes, fames, caritas annonæ, terræ motus) ingruere poſſunt. Hæc mala ut plurimum etiam à ſuis cauſis proximis dependent: ut peſtis aſcribi debet diſpoſitioni aëris, putredini venenoſæ cadaverum & animalium, corrupto victui & aliis malis conditionibus locorum proximis cauſis contagiorum. Tandem tamen etiam author docet, quod Cometa à Deo poſſit eſſe collocatus in æthere, tanquam caracter qui indicet generi humano, ut propter bonum aliquod futurum, gaudium concipiat, aut benè operetur, quò infortunio ſe ſubtrahat. Altiſſimus enim ſæpiſſimè utitur cauſis naturalibus, ut Hieroglyphicis, ut homo in his legat hoc quod ſapientia divina deſcripſerit in cælo, terra & elementis, ut ſi ſemitas præceptorum divinorum egrediatur, illa homini horrorem incutiant, illumque ad meliorem frugem reducant.

Effectus non nocent hominibus, ſed ſunt ſigna commotionis corporum cæleſtium,

Non ſine vi quadam terram influente;

Eaque interdum malignâ ex accidenti.

Cæleſtium corporum commotiones non ſemper Cometas producunt.

Cometis longo tempore non apparentibus cur mala in orbe eveniant.

Peſtis cauſæ proximæ.

Cometa ſignum ſupernaturale, doctrinale, memoriale: bonum omen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXVI.

COMMUNICATIO HERBIPOLI-SCHOTTIANA.

Hamburgo Herbipolin die 24. Maji 1665.

Admodum Reverende &c.

SI quàm inexſpectatæ iſtæ meæ, hominis Tibi prorſus ignoti, erunt literæ, tàm ingratas Tibi fore ſuſpicari poſſem, ilicò abjicerem calamum, & tacitus celeberrimam Tuam & tot libris eruditis teſtatam rerum Mathematicarum ſcientiam venerarer. Sed benè me ſperare jubet innata Viris bonas literas diurnâ nocturnaque manu tractantibus humanitas & benevolentia facilis. Hanc quod mihi de Te pollicear, non tantùm nexus ille literatorum & literas amantium (in horum cenſu me, in illorum Te, meritò pono) quo mutuò junguntur per longiſſima quoque terrarum mariùmque ſpatia, facit, ſed & laudabilia Tuorum ſociorum Celeberrimorum, Curtii ſcilicet Riccioli, & Tui illius admirandi Kircheri exempla. Iſti enim ad meas literas humaniſſimè mihi reſponderunt. Has autem ad eos paulò antè de argumento nuperorum Cometarum dederam. De his nempe plurimorum Virorum Aſtronomicæ artis peritorum, narrationes, obſervationes, & judicia ab initio uſque adhuc undique, nec ſinè ſumtu, nec ſine labore haud mediocri colligo. Quid ni itaque & ad Te, Virum doctrinâ & ſcriptis præclarum, me conferam? Dignitas Tua, ut id faciam, invitat, inſtituti porrò ratio, etiam incitat me. Nam ut in re civili, *populi mancipium eſt, quiſquis patriæ eſt utilis*, ſicut Publius ille Syrus, niſi fallor, dixit, & crebra experientia confirmat: ita & in re literaria virorum præclarorum & inſignium dignitas, ut omnium linguas ſtiloſque reddit ſibi vectigales, ita & plures in ſui coràm vel per literas cultum & conſortum trahit. Abs Te verò quid ni ſingulare quippiam exſpectem, qui ut Guerichiana ita & Kircheriana admiranda in lucem protuliſti, mihi autem cum utroque illorum commercium literarum intercedit? Ampliſſimi Guerichii (cujus filius Sereniſſimi Electoris Brandenb. Prolegatus in hac Urbe ſplendidiſſimus & Conſiliarius digniſſimus, ſingularis amicitiæ jura mecum hîc colit) ſententia de motu terræ, & Vacuo ſpatio, ut multis aliis, ita & Doctiſſimo Ricciolio, improbatur, prout id aperte mihi in literis die 28. Aprilis datis teſtatus eſt, iiſdemque Erudiſſimi Caſati Vacuum Proſcriptum lucem jam videre, & alterum ſimilis argumenti Celeberr. Franciſci Mariæ Grimaldi opus poſthumum mox proditurum nunciat. Te olim, in nomine, fama, meritis Magno Valeriano ſententiam de Vacuo improbaſſe, niſi fallor, verum eſt. Sat ſcio ſocios Tuos Viennenſes & alios eam damnaſſe. Velim itaque mihi paucis argumenta & demonſtrationem aliquam ad hanc ſententiam probandam haud gravatim mittas, quâ de re ipſum quoque Dominum Guerichium monui. Nam ne ſis inſtituti mei totius ignarus, ſuaſu & hortatu Amicorum (quos inter primas tenet Illuſtriſſimus Dominus

Ignotos nobis, orbi notos taciturno culta proſequimur:

Meritò tamen interdum ſcripto adimus.

Schottus laudatur.

Schotto inſtituti rationem Auctor proponit:

Meritò ſe id facere probat.

Præſtantes Viros adeunt, conſulunt, adhibent plerique.

Dignitas conciliat favorem, cultum ſed & moleſtiam.

Guerichio filio Auctor ſingulari amico utitur:

Patris opiniones non admittuntur à Ricciolio.

Vacuum proſcriptum.

Valeriani M. elogium, ſententia de Vacuo improbata.

Schotto inſtituti rationem Auctor amplius exponit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Rautenſteinius Tibi dubio procul notiſſimus) conſtitui cum Bono Deo edere cuncta quæ de Cometis nuper conſpectis, eorumque occaſione à me vel ad me à Viris Clariſſimis ex Italia, ut dixi, Germania, Gallia, Anglia, Dania, Suecia, Hollandia, Pruſſia aliiſque regionibus ſcripta ſunt. Ubi non tantum Mathematica, ſed & Phyſica, Politica, Hiſtorica, Ethica multa erunt, ut opus illud ſit omnibus æquè gratum & utile. Cujus in ſocietatem Te quoque invito, ut ſcilicet, ea quæ ad hoc argumentum pertractandum & illuſtrandum ſpectant, ad me directo itinere hûc quamprimùm mittas. Clariſſimum Joannem Hevelium, Senatorem Dantiſcanum & Aſtronomum Excellentiſſimum, nuper admodum Prodromum Cometæ nuperi m. Dec. Jan. & Februario (eundem enim unumque fuiſſe ab initio dixit & aſſeruit) viſi Cometographiæ ſuæ, me inter alios rogante, præmiſiſſe noris jam, ut ſpero. Vale, & qua es humanitate, mutuo favore me proſequere.

Hevelii elogium,
Sententia de uno Cometa hyberno 1664.
Et Prodromus Cometicus.

Herbipoli Hamburgum die 20. Junii 1665.

ECce quomodo amo litteratos litterariæque Reipublicæ Fautores ac Promotores: quæ diverſis ex locis de duobus Cometis nuperis accepi, & in uſum proprium aſſervavi, libenter communico Amplitudinæ Veſtræ, ſuo tamen tempore remittenda. Utatur ad libitum, mutetque, corrigat, omittat, diſponat prout placet, dummodo litterariam Rempublicam ſcripto aliquo publico (quod promittit) ditet. Deum rogo, ut id quàm citiſſimè fiat, quò ego quoque frui illo queam. Si qua aliâ in re operâ meâ uti placuerit, promptum me atque paratum inveniet. Innumeros ferè Scriptores Germanicos de dictis antea Cometis habeo, quos quia aut jam fortaſſis habet Amplitudo Veſtra, aut haberet facilè Francofurto aut Lipſiâ poteſt, tranſmittere ſuperſedeo, præſertim cum jam unum in volumen compacti ſint.

Salutem humaniſſimam Nobiliſſimo Domino Gerickio, Reſidenti, cujus Dominus parens ab anno integro ſilet, neſcio qua de cauſa. Deum rogo, ut Ampl. Veſtram quàm diutiſſimè ſervet incolumem.

Schotti humanitas:
Quæ de Cometa utroque in proprium uſum aſſervabat, Auctori mittit,
In ea plenum jus concedit,
Inſtituto Auctoris favet & benè precatur:
Operam ſuam in aliis eidem offert.
Guerichiis Schottus benevolus.

Prænobili Ampl. Veſtræ Addictiſſimus

CASPARUS SCHOTT, Soc. Jeſu.

Exempla Obſervationum utriuſque Cometæ 1664. & 1665. nec non Epiſtolarum variarum de hoc argumento ad Communicationem Rever. D. P. Caſpari Schotti Soc. Jeſu pertinentium.

I.

Obſervatio per P. Theodorum Moretum Uratiſlaviæ in Sileſia facta.

Obſervationes Uratiſlavienſes Cometæ hyemalis,

DIe 11. Decembris (1664.) apparebat Cometa in Sileſia, ſed die 16. primùm viſus fuit Uratiſlaviæ in Burgo Cæſareo Societatis Jeſu, conſiſtens circa roſtrum Corvi marini, habens caudam ad longitudinem haſtarum colligatarum in faſciculum, extenſam verſus Occidentem: apparebat enim manè horâ quartâ. Indè uſque ad 1. Januar. viſus non fuit ob continuas nubes. Apparuit autem 1. Jan. veſperi horâ quintâ infra Tauri oculum ad Eridanum propè Æquatorem, deſtitutus omni cauda, quia tunc erat in oppoſitione cum Sole, aut circa oppoſitionem.

Denuò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Denuò comparuit 5. Januarii recuperatâ jam cauda, in ore Ceti, ita ut horâ quintâ veſpertinâ Cometa eclipſarit claram ſtellam oris Ceti, à qua circa nonam receſſerat ad dimidium gradum. Quod benè notent aliorum locorum Obſervatores, ad determinationem parallaxis in ordine ad altitudinem Cometæ illius diei.

Quoad Prognoſtica, notandum Cometam videri ortum circa Scorpionem, & inde perpetuò tranſiiſſe per conſtellationes aqueas, Hydram, Corvum marinum, Craterem, Argonavim, nimboſum Orionem; etſi altiùs verſùs polum aſcenderit, habiturum caudam falcatam ex neceſſitate naturæ. Triplex autem illa, quæ hactenus in hoc Cometa contigit, circa caudam variatio, rarum eſt experimentum: quod ita attonitum fecit Prædicantem Lutheranum ad S. Magdalenam Uratiſlaviæ, ut pro concione dixerit, in feſto Epiphaniæ tres apparere Cometas. *Cometæ hyemalis caudæ variatio triplex. Tres Cometæ hyemales apparuiſſ cuipiam viſum eſt.*

Pragæ Magiſtratus Eccleſiaſticus perquàm ſolicitus eſt, ut indicendis publicè deprecationibus iram cæli placemus. Vindictam enim ſcelerum auguramur & pertimeſcimus.

2.

Obſervatio Romana.

Obſervatio Romana 1.

ANno 1664. die 12. Decembris fuit viſus primùm à militibus Caſtri Sancti Angeli.

Die 14. Decembris hora 3. *poſt occaſum Solis*, erat propè roſtrum Corvi. Subſequentibus diebus ivit verſùs Argum lineâ rectâ, uſque ad diem 20. Caudam ſemper habuit præciſè averſam à Sole: quæ die 18. Decembris ſubtendebat angulum viſorium 11. graduum. Colore erat fuſco ad inſtar flammæ piceæ. Caudam extendit ad ventum Nord-Weſt (Burrhozephyrum) altitudo Meridiana Cometæ erat graduum 24. minutorum 36'. Aſcendebat ſuprà horizontem hora $8\frac{1}{3}$ occaſu Solis.

3.

Alia Obſervatio Romana.

Romana 2.

COmeta Romæ die 12. Decembris, primùm obſervatus eſt in pede Crateris, in Hydra. 18 & 19. inter Craterem & Corvum, cum utroque conſtituens triangulum, donec Tropicum Capricorni attigit. Feſtis Natalitiis non fuit viſus ob nubes continuas, donec redditâ cælo ſerenitate 27. iterum apparens deprehenſus eſt creviſſe mirum in modum mole & celeritate motus, ita ut ſex gradus faceret eo temporis intervallo, quo antè vix duos abſolvebat. Oriebatur octavâ horâ à Solis occaſu cum dimidia, nunc horâ citius cum dimidia. Quoad figuram, barbam projicit longiorem, quam in ullo unquam Cometarum obſervaverint Aſtrologi, & creſcit cum proportione in dies, quia principio apparebat 6. palmorum, & 22. Decemb. in duplum excreverat, hoc eſt, 12. palmos, ſeu ut loquuntur Aſtrologi, 15. grad. cæleſtes. Et eſt multò longior Cometâ qui apparuit Anno 1618. quoad locum, abſque dubio eſt ſupra Lunam, & videtur toti Europæ. *Cometæ hyemalis barba præter ſolitum longior: Illa quoque Cometa 1618.*

Juſſu Pontificis congregatum ferunt Bononiæ Collegium Aſtrologorum de ferenda ſuper Comete iſto ſententia. Et exiit hæc: Ab orbe condito neſciri comparuiſſe pariter monſtroſum. Si porrò augurari fas ſit è præviis Priſcorum hiſtoriis, videri eo inſignem quandam calamitatem Italiæ & maritimarum aliquarum ſeu urbium ſeu Rerumpub. portendi. *Pontifex Romanus judicium de Cometa ferri jubet. Bononienſium Aſtrologorum de Cometa hyemali judicium.*

4. Obſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

4.

Obſervatio Romana 3.

Obſervatio Romana facta à P. Athanaſio Kirchero.

Reverende in Chriſto Pater.

Pax Chriſti.

Kircheri epiſtola ad Schottum.

MItto Reverentiæ Veſtræ Cometam qui 12. die Decembris à militibus Caſtelli Sancti Angeli primò detectus, & deinde à me obſervatus fuit, eo qui ſequitur modo, in conſtellatione Hydræ, Corvi & Crateris.

Decimo quarto die fuit ad pedem Corvi; ſequentibus diebus uſque ad vigeſimum proceſſit lineâ rectâ eo tramite, quem Figura ſubjecta monſtrat. Vid. Fig. 1.

Motu diurno rapitur cum ſtellis fixis, ſpacio 24. horarum ad eundem locum redeundo.

Caput lucidam ſtellam exprimit, quæ per tubum ſpectata luminoſum corpus Lunæ inſtar exprimit.

Cauda, in quantum ſenſibilis, ad undecim gradus ſe extendit. Colore eſt fuſco ad inſtar flammæ piceæ.

Caudam extendit ad ventum Nord-Weſt.

Reverentia Veſtra diligenter eum obſervet, ut quo loco in æthereo ſpacio ſtabuletur, explorare valeam. Vale, mi Pater, mei apud Deum memor. Romæ 20. Decemb. 1664.

Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto

ATHANASIUS KIRCHERUS.

5.

Litteræ P. Athanaſii Kircheri, datæ Româ ad P. Caſp. Schott.

MIſeram Romam ad P. Athanaſium Kircherum Obſervationem Ingolſtadianam infrà poſitam, ad quam reſpondet idem ut ſequitur:

Reverendo Pater in Chriſto.

Pax Chriſti.

Ingolſtadiana Obſervatio Romanis Mathemat. quodammodo diſplicet.

Obſervationes Anglicæ, Holland. Pomer. Polon. Germ. Gall. Hiſpan. Siculæ nullam parallaxin in Cometa indicant.

Obſervatio quam Reverentia Veſtra ad me miſit, illa eadem eſt, quam Pater Leinberer Ingolſtadii deſcripſit. Verùm illa Romanis Mathematicis vel ex eo capite non placuit, quod Cometam nimis terræ vicinum ponat; cum aliæ obſervationes ex Hollandia, Anglia, Pomerania, Polonia, cæteriſque Germaniæ partibus, uti & ex Francia, Hiſpania, Sicilia tranſmiſſæ, atque cum noſtris comparatæ, omnis parallaxeos expertes fuerint. Cujus luculentiſſimum ſignum deprehenderunt 5. Januarii, quando Stella Menkar, ſive os Ceti, ita Cometæ capiti vicina fuit, ut eam quaſi contingeret. Quam in omnibus Obſervationibus aliunde tranſmiſſis, quantumvis diſſitiſſimis regionibus, prorſus eodem in loco, nullâ ſitus differentia, diſpoſitam invenimus.

Verum cum præcedenti poſtâ Reverendæ Veſtræ fuſius ſcripſerim de iis, quæ ipſum ſcire volebam. Siſto hîc calamum, ſequenti poſta ei obſervationes Cometæ à principio uſque ad finem æri inciſas, & à patre noſtro Mathematico deſcriptas tranſmiſſurus. Vale, & Deum Matremque pro me ora. Romæ 7 Januarii 1665.


Reverentiæ Veſtræ quem novit.

ATHANASIUS.

6. Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N°. XVI. *Figura I obſervat Cometicar. Romæ factar ad Communicat* R.P.A. Kircheri *pertinens.*




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura 2. Obſervat. cometicar. a R.P.A. KIRCHERO ad communicat. R.P.C. SCHOTTI. n. 17
Iter Cometæ Anni 1664 a 14. Decemb. uſque ad 30. Romæ obſervatum

Ad Sereniſſimum Principem Auguſtum, Ducem Brunſvic. et Luneburg.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

6.

Ex aliis Litteris P. Athanaſii Kircheri ad P. Caſparum Schott.

DE Cometa nil ſcribo, cùm is jam toti orbi innotuerit, ut quot Aſtronomi ſunt, tot de eo libelli jam ſint editi. Mihi tot inter coquos juſculo huic apparando manus adhibere, expedire minimè viſum fuit, vel ipſo diſſuadente Pontifice Summo, qui non ita pridem me, uti frequenter ſolet, ad litterariam ſuam converſationem vocare dignatus fuit: quâ & de Cometa, inter alia literariæ materiæ argumenta, mentio facta fuit: ubi Sanctitas Sua de nullitate effectuum Cometarum tum Aſtronomicis, tum Aſtrologicis ratiociniis, ita doctè ac ſcitè dixit, ut totâ vitâ ſuâ in hujuſmodi profeſſione Magiſtrum egiſſe videretur. Inter cætera incorruptibilitati & ſoliditati cælorum non favet: Peripateticorumque ſententiam ceu popularem & inconcinnam repudiat, rationibus tum ex natura rei, tum ex Sanctorum Patrum ſententia adductis. Metum verò ſeu trepidationem Magnatum cæteraque vaticinantium Aſtrologorum prognoſtica, veluti deliramenta irridet. Sola mortalium delicta Cometam eſſe aſſerit, qui Dei juſtâ permiſſione terrarum orbem innumeris calamitatibus percutiat. Sed ad alia &c. Romæ 31. Januarii 1664.

Kircherus de Cometa nil edere vult,

Pontificis ſummi benevolentia & converſatione gaudet.

Pontifex Romanus prædictionibus Aſtrolog. nullam dat fidem,

Incorruptibilitati cælorum non favet,

Sententiam Peripatet rejicit.

Metum Magnatum, quem ex prædictionibus Aſtrolog. concipiunt ridet,

Peccata hominum Cometae vocat

Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto

ATHANASIUS.

7.

Ex aliis ejuſdem ad eundem litteris.

MItto Reverentiæ Veſtræ hîc Saturni & Jovis phaſin, à Joſepho Campano, tubo optico 35. palmorum à ſe conſtructo, noviter detectam. Ex qua colligitur, Comites Saturni non ſidera, ſed orbem lucidum eſſe: quo fine Saturno circumdatum, Deus novit. Sciat quoque Reverentia Veſtra hîc ab Aſtronomis in Cingulo Andromedæ novi Cometæ rudimentum obſervari, ad inſtar nubeculæ obſcuræ. Addunt, ſtellam in eodem aſteriſmo nativâ ſede, quam ab Orbe condito ſtabilem habuit, relictâ ad unum circiter gradum receſſiſſe; idque ex Tabulis Tychonis, globiſque ſe demonſtrare poſſe exiſtimant. Ego verò errorem hunc Aſtronomicis calculationibus potiùs, quam Naturæ defectui adſcribendum duxerim. De mundo Subterraneo &c. Romæ 21. Februarii 1665.

Saturni Comites orbis lucidus eſt.

Cometa novus in Andromeda Romæ obſervatus.

Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto

ATHANASIUS.

8.

Obſervatio Hamburgenſis.

Obſervatio Hamburgenſis.

COmeta viſus hoc anno, creditur primùm apparuiſſe alibi in Feſto S. Andreæ Apoſtoli S. V. Ortus Hamburgi plerumque circà horam $2\frac{1}{2}$ poſt mediam noctem, ex Sud-Oſten, & manſit ſupra Horizontem uſque ad 10. circiter antè meridiem: quo tempore occidit in Sud-Weſt. Erat oculorum judicio 5. gradibus circiter infrà roſtrum Corvi. Cauda extendebatur uſque ad baſin Crateris, per gradus omninò undecim.

Notapelioti cæli plaga.

Notozephyri plaga.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

9.

Obſervatio Lipſiana.

Obſervatio Lipſienſis.

LIpſiæ comparuit $\frac{3}{13}$ Decemb. corpus erat rotundum, extremitates circumquaque obſcuriores ſeu pallidiores, interiores lucidæ, ſed non ſcintillantes. Caudam erigebat radiis albicantibus, qui ſubinde magis magiſque dilatabantur & ulterius exporrigebantur. Quò magis Horizonti appropinquabat, eò minùs radii prædicti conſpiciebantur. Similes erant illis radiis, quos Sol æſtivo tempore per nubes aquoſas trajicit, dum (ut vulgus loquitur) aquam bibit.

Obſervatus fuit, dicto die $\frac{3}{13}$ Decemb. manè circà horam 4. in ſigno Libræ, paulò ſuprà Tropicum Capricorni in Corvo. Eodem ſitu & loco viſus fuit Lubecæ, Hamburgi, Uratiſlaviæ, & aliis in locis. Caudam direxit verſùs Sud-Weſt (plagam Notozephyricam). Circà horam 6. erat ferè in Meridiano, & appropinquante Sole paulatim diſparuit.

Obſervat. Lubec. Hamburg. Uratiſlav.

Die $\frac{4}{14}$ mane horâ 3. emergere cæpit ex Sud-Oſt (in Plaga Notapeliotica); ſed propter tempus nebuloſum obſervari non potuit.

Die $\frac{5}{15}$ cælum nubibus erat obductum, unde nonniſi poſt horam 5. matutinam videri obiter potuit. Deſcenderat paulò profundiùs verſùs Horizontem Sud, ſeu Auſtralem, & digreſſus à Corvo, verſùs Sudweſt (Notozephyricam plagam) progreſſus, erat ſub Cratere, in gr. 1. Libræ, ut aliqui judicabant.

Die $\frac{8}{18}$ Decemb. ortus circà horam 3. circà 5. extendebat caudam ſuam longiſſimam, in medio nonnihil dilatatam, rectà verſùs Weſt (Zephyrum). Videbatur ſubinde radios caudæ atttrahere. Corpus erat majus quàm præcedentibus diebus. Eodem modo viſus fuit die eodem Auguſtæ. Sequentibus diebus cælum ſemper fuit turbidum, & nubibus obductum, unde videri non potuit uſque ad $\frac{12}{22}$ Decembris.

Obſervatio Auguſtana.

Die $\frac{12}{22}$ manè circà 4. (quia in ortu ſuo videri non potuerat) viſus fuit verſus Sud (Auſtrum), in gr. 1. Virginis. Caudam projiciebat paululum in altum verſùs Nordweſten (Borrozephyrum), uſque ad collum Hydræ extenſam. Hinc colligebat nonnemo (Matthias Dannewald) eum ſingulis diebus progreſſum grad. 5. (medio ſcilicet motu) verſus Sud-Weſt (Notozephyrum).

Matth. Dannewaldi de hyemalis Cometæ motu judicium.

Poſt hæc tota ſeptimana cælum fuit turbidum & nubiloſum, ideò intra dies 5. videri amplius non potuit. Multi putarunt eum interim evanuiſſe, maximè quia è Thuringia, & aliis ex locis nunciabatur, eum ad quatuor jam ſeptimanas viſum. Quod tamen incertum adhuc.

Obſervationes Thuringanæ.


Die $\frac{18}{28}$ Decemb. veſperi ob nebulam videri non potuit. Hora prima poſt mediam noctem, primò cauda, deinde corpus totum è nubibus emerſit. Circa $1\frac{1}{2}$. erat ferè in Meridiano, gradibus 8. circiter elevatus ſupra horizontem, in gr. 2. Leonis, in medio ſcutuli Navis Argo. Caudam extendebat ad 20. gradus rectà verſùs canem minorem, & polum Septentrionalem, ſurſum. Progrediebatur velociter, & circa horam $3\frac{1}{4}$. mergebatur infra Horizontem.

Cometas duos hyeme ſimul apparuiſſe quidam opinati ſunt.

Eodem die $\frac{18}{28}$. Decembr. à diverſis viſus eſt alius ſub cingulo Orionis, obſcurus & pallidus; quem tamen, quoniam propè horizontem Occidentalem erat, judicarunt eſſe gladium Orionis. Anſam hic rumor præbuit aliis, ut diligentiùs hunc Cometam obſervarent. At quia quatuor noctes pluviæ & turbidæ ſecutæ ſunt, neuter videri potuit.

Die 22. Dec. aut 1. Jan. St. N. ſereniſſimâ nocte, novus hîc Cometa effulſit totâ nocte, & uſque ad horam 2. poſt mediam noctem à multis fuit obſervatus. Alter verò qui in Auſtro fuerat, videri amplius non potuit, ideò evanuiſſe creditus fuit. Poſterioris hujus corpus apparebat pallidum & ſubalbidum, ac ſi nubeculâ quapiam eſſet obductum: & paulò minus quam prioris Cometæ. Nulla apparebat cauda, ideòque ab aliquibus credebatur eſſe nova ſtella firmamenti. Creditum tamen, caudam non apparuiſſe ob Lunam plenam non procul

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Cometa obſervatus Ingolſtadij Anno 1664. 18. Decembris in A. *20. Dec. in* B. *25. in* C. *Ex obſervationibus Mathematici Ingolſtadienſes collegerunt Cometam incedere ſupra verticem habitantium circa Promontorium Bonæ ſpei, et Chilenſe Regn: ſeu maximè Auſtrales Americæ teras. Longitudinem Caudæ ſupponendo Cometam plus. quam duabus Semidiametris ſupra terram aſcendere, quod demenſtrant per Calculum Aſtronomicum, ultra 1291 milliaria Germanica produxit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

cul inde ſitam. Erat in gr. 26. Tauri circiter, infra Æquinoctialem circulum, in medio Eridani. Altitudo meridiana erat graduum 31. ſupra horizontem Auſtralem.

Die 24. Dec. 3. Jan. intra 5. & 6. horam apparuit cum ſyrmate longo, quod verſus Taurum projiciebat, id eſt, verſùs Nord-Oſten (Borrhapeliotem.)

Die 26. Dec. 5. Jan. apparuit duobus circiter gradibus ſupra Æquinoctialem, in ipſis faucibus Balenæ, verſùs Oſt. (Apeliotem.)

Habebat ante ſe lucidam Balenæ, quam circa horam ſeptimam caudâ ſuâ complectebatur. Extendebatur ad gradus 15. verſus Hyades. Obſcurior erat quam antea.

10.

Obſervatio Gracii in Styria facta 22. Decemb. 1664. *Obſervatio Graciana.*

VIſus eſt Cometa ſereno cælo manè circa horam tertiam. Erat in linea recta cum Spica Virginis, & cum ſtella media Crateris. Item in linea recta cum ſtella Orientaliori quæ eſt in pede ſiniſtro poſteriori Leonis, & cum parva ſtella Hydræ, quæ prima eſt Occidentem verſùs inter illas tres, quæ cum Æquinoctiali parallelam efficiunt. Longitudo Cometæ erat gr. 8. Virginis, cum ſtella quæ eſt in aure Hydræ, Meridianum occupabat. Altitudo ſupra Horizontem gr. 19. Latitudo grad. 30.

Declinatio ab Æquinoctiali gr. 19. Cauda non deſinebat in acumen, aut in rotundum, ſed magis ac magis in latum diffundebatur. Vide adjunctam figuram.

11.

Obſervatio Colonienſis. *Colonienſis.*

A Colonienſibus fuit viſus Cometa primâ vice die 13. Decembris 1664. ſub Corvo.

Die 27. ſupra dorſum Galli.

Die 30. infra collum Leporis.

Die 31. prope Eridanum, ſine cauda.

Die 1. Januarii Anno 1665. Eridano ſe immerſit, caudâ deſtitutus.

Die 2. prope linguam Ceti.

Die 3. ipſas Ceti fauces ingreſſus fuit.

Die 4. & 5. Superatis faucibus declinabat Orientem verſùs.

12. *Ingolſtadienſis.*

Obſervatio Ingolſtadiana Cometæ Anni 1664. & 1665.

DIe 24. Decemb. Magnitudine ſua æquat ſtellas primæ magnitudinis, adeòque ſuperat globum terræ ad minimum centies & ſepties. Diſtat à ſuperficie terræ integro ejuſdem terræ diametro, hoc eſt, 1710. mill. Germanicis. Cauda ſe extendit ad mill. Germ. 831. Inſidet ſupra verticem inhabitantium promontorium Bonæ ſpei.

Die 25. Decemb. obſervatus fuit ut in hoc ſchemate apparet. Vid. Fig. 2.

Diebus 26, 27, 28, 29. Decembris ob nubes nuſquam comparuit.

Die 30. Decemb. circa horam nonam veſpertinam, cælo nonnihil ſereno, viſus ſub conſtellatione Orionis paulò infra Leporem, non jam caudatus, ſed crinitus, luce nonnihil pallidiori, magnitudine ſuâ apparente ſtellas primæ magnitudinis notabiliter ſuperans.

Die 31. Decemb. horâ $7\frac{1}{2}$. altitudo Cometæ obſervata 22° 36. Diſtantia à ſtella lucida in pede dextro Orionis 9° 25′. Diſtantia à lucida in humero ſiniſtro Orionis 28° 22′. Undè ex globo Aſtronomico colligimus, Longitudinem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometæ fuiſſe 3°. Geminorum. Latitudinem Auſtralem ejuſdem 39°. Declinationem ab Æquatore 12° 6.

Hora 9$\frac{3}{4}$ circiter, Altitudo Cometæ Meridiana 28° 46. Eodem tempore altitudo pedis Orionis 32° 26.

Hora 12$\frac{1}{4}$ noctis, altitudo Cometæ 16° 46. altitudo pedis Orionis 23° 18'. Diſtantia Cometæ à pede lucido Orionis 10° 47'. Diſtantia ab humero lucido Orionis 27° 56. Unde ex globo collegimus, hoc tempore fuiſſe longitudinem Cometæ 28° 46. Tauri, latitudinem Auſtralem 31° 46. declinationem 12° 6. Colligitur hinc à quadrante poſt ſeptimam veſpertinam, uſque ad quadrantem poſt 12. noctis, Cometam proprio motu ſaltem apparenter verſùs Occidentem progreſſum eſſe, 7. circiter gradibus: quorum quilibet conſtat milliaribus Germanicis 58. ſupponendo ſcilicet (quod evidenter demonſtrari poteſt) Cometam à centro terræ diſtare milliaribus Germanicis pluſquam 3411.

Ex poſtremis hiſce obſervationibus conſtat motum proprium Cometæ jam longè velociorem eſſe, quam primis diebus. Quod in aliis quoque Cometis antehac crebrò fuit Obſervatum.

13.

Tridentina.

Obſervatio Tridentina, miſſa ab ejus Auctore.

Reverende in Chriſto Pater.

Pax Chriſti,

Digiſeri epiſtola ad Schottum.


NÆ mihi fauſto ſidere novum Cometæ nuperi jubar illuxit, utpote cujus obſervationibus, admodum licet rudibus, iſthîc à me germana ſimplicitate deditis, nomen meum quantumvis obſcurum adeò tamen inclaruit, ut obſervationes dictæ, famæ beneficio magis quàm ſuo merito laudatæ, Reverentiæ Veſtræ quoque deſiderium ſui accenderint. Cujus exſpectationi tametſi verear, ut inventio mea, delineatiove, neceſſariis ſcilicet inſtrumentis (nam præter globum & circinos duos ad manus nihil erat) deſtituta ſatisfaciat; non dubito tamen ex adverſo, quin Reverentia Veſtra pro ſua, quam literis ad me datis oſtendit, humanitate, meos ſaltem conatus qualeſcunque ſit approbatura. Atque ideò vel hodie poſtulata feciſſem, niſi me quadrageſimalium concionum frequentia, Rhetoricæque præterea labor aſſiduus ab opere deſtineret. Faciam tamen proximis Paſcæ Feſtis, quod poſſum, & ipſe (quia neminem qui ſciat, alium iſthîc habeo) meorum exemplar unum aut alterum in papyro delineatum ſubmittam. Interea tamen, ne nihil faciam, unum aliquod adjicio præſentibus, parvulum obſervati per ſingulos dies curriculi totius Cometici Syſtema, quod raptim è figuris reliquis, quas pro diebus motibuſque variis varias partim Geographicas, partim Aſtronomicas in uno folio digeſtas ordine poſueram, non tam oſtentandi, quàm exercendi mei cauſâ, globulum in unum contraxi, Reverentiam Veſtram demiſſè rogans, velit illud æqui bonique facere, dum per otium aliud aliquantò ſolertiùs elaboratum (qualia duo tantùm, Principi Mantuano nimirum & R. P. Prov^{ci}. noſtro ſubmiſi laborioſè concinnata) detur expedire, vel cupro inciſum (quod P. Joſephus Ferronius S. J. Mantuæ Profeſſor unicè deſideraverat) etiam Reverentiæ Veſtræ ſubmittere. Quod donec faciam, Reverentiæ Veſtræ Sanctiſſimis ad Deum ſacrificiis ac precibus enixe me commendo.

Vide adjunctum Schema.

Convenêre cum mea hac obſervatione, tàm quoad circulum Cometæ Maximum, quàm quoad explicationem ejuſdem, Romani, Bononienſes, Mantuani, Padovani, Faventinus Cardinalis Roſeti Secretarius & alii plerique, etiam Germani, ſolis Salisburgenſibus exceptis, quorum edita in lucem aſtrolabica figura docet, Cometam nec circulo regulari, nec directo curſu, nec infra ſeu extra Tropicum Capricorni unquam deſcendiſſe; ſed & in piſces uſque progreſſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura 2. obſervat. Cometicar. Tridenti factar. ad Communicat. R. P. C. Schotti pertinens. N.° 43




B. Stopendaal ſculp.


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura obſervat. Cometicar. Salisburgi factar. ad *eandem Communicat. Schottanam pertinens. N°. 54*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Systema Astronomicvm Cometæ

Menſe Decembr. A°. 1664. et Ianuar. A°. 1665. Salisburgi obſervati.

Locus Cometæ, 12 Decemb. in Cauda Hydræ. 16. Eiusd. ſupra inferiorem partem ventris Hydræ. 20. Eiusd. in ventre Hydræ. 23. Eiusd. ſubtus Cor Hydræ. 26. Eiusd. in Via Lactea. 29 Eiusd. in Capite Leporis. 1. Ianuar. 1665. propè Eridanum. 5. Ian. in pectore Balenæ, 9. Ian. in Collo Balenæ. 13 Ian. in Occipite Balenæ. 17. Ian. circa pectus Arietis. 21. Ian. circa Pisces, verſus Andromedam.

Altitudo Cometæ ab Horizonte elevati. 12. Dec. 13. gr. 16. Dec. 15. gr. 20. Dec. 18. gr. 23. Dec. 20. gr. 26. Dec. 23. gr. 29. Dec. 26. gr. 1. Ian. 27. gr. 5. Ian. 29. gr. 9. Ian. 37. gr. 13. Ian. 45. gr. ſupra Æquat. 4. gr. 17. Ian. 55. gr. ſupra Æquat. 13. gr. 21. Ian. 59½ gr. ſupra Æquat 17½ gr.

Declinatio Cometæ à Meridie vers. Orientem. 12. Decemb. 34. gr. 16. Dec. 24. gr. 20. Dec. 14. gr. 23. Dec. 11. gr. 26. Dec. 9. gr. 29. Dec. 6. gr. 1. Ian. 23. gr. 5. Ian. 19½ gr. 9. Ian. 10. gr. 13. Ian. 5. gr. 17. Ian. 2½ gr. 21. Ian. ſub Meridiano.

Cauda Cometæ in Hydra exiſtentis, verſus Cor huiꝰ Syderis in Occidentem protenſa. Extra Hydram à Luna obfuscata. In Balena, intra utrumq; caput Meduſæ et Tauri Septentrionem verſus prominens.

Imago Cometæ, in Hydra exiſtentis, ſupra Meridianum, Coloris Iovialis; propè et infra Meridianum Saturnini. Extra Hydram Coloris Saturnini, In Balena, ſub eius Ortu, Coloris Martialis; propè et infra Meridianum Mercurialis; remotior tandem, Saturnini.

Motus Cometæ Sphæricus et Spiralis, ſub ſingulis horis matutinis 15. gr. 45. minutas, ſub Veſpertin. 23. gr. in hoc Climate ſuperans, ſed retardat, rediēs. Aſterismus huiꝰ Cometæ ex angulari Planetarum diſtantiâ elicitus; intercidit Guttur Vulturis volantis et Cygni; Dorſum Draconis; et Syncipvt Maioris Vrſæ.

G. Gerritſz ſculp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

greſſum 21. Januarii fuiſſe fingunt. Quorum omnium ego contrarium per hoſce meos oculos & ſanctam Mathematicorum fidem teſtari poſſum & demonſtrare. Sed de his plura proximè. Tridenti 22. Martii 1665.

Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto

MICHAËL DIGISER,
Soc. Jeſu.

14.

Obſervatio Salisburgenſis.

Obſervatio Salisburgenſis. Vide Syſtema Aſtronomicum Cometæ.

VIde & lege adjunctum Syſtema Aſtrolabicum. Ex quo intelliges Auctorem Obſervationis diſſentire ab omnibus aliis obſervatoribus, utpote qui exiſtimat, Cometam nunquam deſcendiſſe infrà Tropicum Capricorni, & progreſſum antè Februarium Anni 1665. uſque ad Piſces.

15.

Obſervatio Argentinenſis.

Argentinenſis.

ARgentinæ die $\frac{8}{18}$ Decembris Anni 1664. Sole verſante in 27. gradu Sagittarii, fermè in ipſo Tropico Hyberno, ſub 4. gradu Libræ, viſus eſt.

16.

Obſervatio Bochenheimenſis in Lotharingia.

Bochenheimenſis in Lotharingia.

HAnc perſcripſit hùc Herbipolim P. Deſiderius Lupius Societatis Jeſu, ſequentibus verbis, inter alia:

Lupii epiſtola ad Schottum.

Novi apud nos nihil, niſi metus & terrores, quos Cometa vel Cometæ (ſi duo fuerint) in animis excitant. Cauſa dubitandi an unus, vel duo fuerint, eſt hæc:

Die 17. Decembris Anni 1664. manè circa quintam prima vice his locis viſus eſt portentoſus ille Cometa, qui oriebatur circa Solem Orientem, cum cauda virgata ingenti verſus Occidentem verſa, vel verſus Meridiem & Occidentem: neque altè aſcendebat ſupra Horizontem, curſum Solis illius temporis imitando. Illum cælo ſereno ſæpius ita vidimus, maximè die 27. At 28, 29 & 30. cælum nubilum occultavit.

Die 31. Decemb. comparuit nobis unus alto loco, paulò infra Orionem, ad dexteram, qui crinitus ſolùm videbatur, & obſcurus. An nebulæ impedierint, vel plenilunium, non ſcimus. Ipſo die novi anni 1665. idem ille, & ferè eodem modo, ſed loco paulò altiore, viſus eſt.

Die 2. Januarii cælum nubilum occultavit.

Die 3. Jan. circà ſextam, ſeptimam, octavam &c. veſpertinam apparuit caudatus ingenti radio ſeu virga in Orientem obverſâ. Ita nobis viſus uſque ad diem 10. Januarii. Interea cælum nubilum & nivoſum nobis occultavit. Quid vos Viri docti, Academici, Aſtrologi de hoc portento? nemo iſthîc in lucem quidquam edidit? Quæſo nos edoceat &c. Bochenheimio 12. Januarii 1665.

Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto

DESIDERIUS LUPIUS.

17.

Obſervatio Brixiæ in Italia à P. Franciſco Lana, ad elevationem poli grad $44\frac{1}{2}$.

Obſervatio Brixienſis.

P. Franciſcus Lana Soc. Jeſu Philoſophiæ Profeſſor in Collegio Brixienſi, ejuſdem Societatis, ſcribit ad P. Caſparum Schott die 25. Decemb. S. N. anni

Lanæ epiſtola ad Schottum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

anni 1665. Italico idiomate ſequentem epiſtolam in Latinum idioma tranſlatam :

Reverende in Chriſto Pater.

Pax Chriſti.

EXiſtimo Reverentiam Veſtram obſervaſſe Cometam, quem dicunt ab aliquibus obſervatum jam fuiſſe die 25. præcedentis menſis. Nos hîc propter continuas pluvias, eum videre non potuimus antè diem 19. præſentis menſis. Oritur circà horam nonam noctis (ſeu ab occaſu Solis) ſuprà noſtrum Horizontem, in parte Auſtrali. Movetur motu diurno cæli verſùs Occidentem : extendit caudam valdè longam verſùs eandem partem.

NB. falſum hoc eſt.

At *motu proprio progreditur verſus Orientem.* Hinc eſt, quòd ſingulis diebus paulò tardiùs oriatur. Maxima ejus altitudo ſuprà noſtrum Horizontem eſt tantummodò 15. graduum, prout obſervavi hâc nocte diei 25. Decembris. Non potui facere exactiores Obſervationes, partim quòd frequenter obfuſcatur à nubibus intercurrentibus, partim quia vapores circà Horizontem impediunt quominùs internoſcam ac diſcernam ſtellas Cometæ propinquas, maximè quia circa ſe non habet ſtellam aliquam notabilem. Solùm notavi, quòd preteritis diebus extenderit caudam, quaſi directè in partem oppoſitam Solis verſùs Occidentem ; jam verò extendit eandem verſùs Caurum vel Corum (quem Itali vocant Maëſtro, Hollandi Nort-Weſt tot Weſt) & hoc manè reſpiciebat directè ſtellam Canis minoris, & hac fortaſſis de cauſa cauda apparet nunc minor, quàm apparebat dum Occidentem reſpiciebat. Rogo Reverentiam Veſtram ut communicet mihi ſuas aliorumque Obſervationes in Germania factas, ut ex motu & parallaxi Cometæ deprehendere poſſimus altitudinem ipſius. Brixiæ die 25. Decembris 1664.

Reverentiæ Veſtræ

Indignus Servus in Chriſto

FRANCISCUS LANA.

18.

Obſervatio Pariſienſis.

Pariſina.

Alenze à Secretis Regi Galliæ laudatur.

Rex Galliæ rei Aſtronomicæ ſtudioſus.

Auzutii ſententia de motu Cometæ,

QUæ ſequuntur, miſſa fuêre Pariſiis ad Virum Clariſſimum Dominum de Alenze, Secretarium Regium, qui illa pro humanitate ſua communicavit Reverendo P. Caſparo Schott.

Dominus Auzout volens ſatisfacere deſiderio ſuæ Majeſtatis, volentis cognoſcere motum Cometæ, excogitavit hypotheſin, quâ facilè explicat dictum motum ſeu curſum.

Ac *primò* quidem judicat, Cometam ſemper fuiſſe motum in plano cujuſdam circuli maximi, inclinati ad Æquatorem circiter 30. gradibus, & ad Eclipticam circiter 49. grad. aut 49. grad. & 30. minutis.

Secundò, circulum illum interſecare Æquatorem in 43. gradu, 30 minuto Eclipticam verò in 28. gradu Arietis, aut paulò ulterius.

Tertiò Circulum illum deſcribi poſſe in globo, elevando Æquatorem paulò minus 30. gradibus, & gyrando globum euſque, donec Horizon interſecat Æquatorem circà gr. 45. min. 30.

Quartò, tradit methodum applicandi huic circulo Cometam, & determinandi de die in diem locum cæli, in quo repertus fuit, & in poſterum reperietur, ope Ephemeridis quam habet in calce ſui ſcripti.

Quintò invenit per ſuas ſupputationes, quòd maximus ſeu velociſſimus motus diurnus ac proprius Cometæ fuerit 13. graduum 25. minutorum : & quòd tunc fuerit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

fuerit viciniſſimus terræ & quòd die 10 Febr. hic idem motus non exceſſurus ſit 8. minuta: & quòd deinceps adhuc magis magiſque ſit diminuendus.

Ex quibus concludit, quòd ratio ſeu proportio motûs ipſius diurni, ad diſtantiam ejuſdem à terra ſit ut 3. ad 14. Hoc ita erat 29. Decembris, quando Cometa erat in oppoſitione cum Sole. Sperat etiam ſe ex hiſce hauſturum lumen aliquod pro deciſione famoſi illius Problematis de motu terræ. Idem Dn. Auzout dixit, caudam Cometæ fore verſam verſus Septentrionem & Occidentem uſque ad 29. Decemb. & hoc tempore reſpecturam rectà Septentrionem; deinceps verò dirigendam verſus Orientem. Quæ omnia congruunt experientiæ ad miraculum. Undè meritò ſperatur de hypotheſi ipſius: quæ ſi conformis invenietur obſervationibus ſubſecuturis quæ fient, non dubitabitur amplius de veritate: & clarè deprehendetur, Cometarum quoque curſum eſſe regularem, contra ſententiam omnium Aſtronomorum præcedentium.

Et terræ:

Prædictio de Cometæ cauda.

Ex iſta eadem hypotheſi (quæ non habuit pro fundamento pluſquam quatuor aut quinque ad ſummum Obſervationes) concludit Dn. Auzout, quòd 2. Decemb. hoc phœnomenon fuerit ferè ſepties remotius à terra, quam quando fuit in ſuo perigæo: & quod futurum ſit in eadem remotione die 27 Januarii. Item, quòd Cometa ille qui incœpit comparere manè, ſit ille idem qui comparuit veſperi; tametſi multi crediderint contrarium.

Judicium de diſtantia Cometæ à terra.

De uno Cometa hyeme viſo, qui nonnullis geminus putatur,

Cæterùm etſi fortaſſis hæ conjecturæ non ſorturæ ſint effectum: non tamen ideò hoc conamen non erit glorioſum ſuo Auctori, quandoquidem in rebus difficilibus ſemper magnum eſt aliquid tentaſſe.

Et laus.

Hæc de Domino Auzout. Sequitur Obſervatio Domini Bout.

Butius Coſmographus Regis Galliæ denotat Regi viam Cometæ.

DIe 15. Januarii Dux de St. Agnan obtulit Regi chartam Aſtronomicam, quam concinnavit Dominus Bout Coſmographus & Ingeniarius Suæ Majeſtatis, juſſu ipſius Regis. Continet illa omnes conſtellationes inter quas tranſit circulus, qui notat viam Cometæ in cælo, ipſius circuli obliquitatem ad Eclipticam & Æquatorem, una cum locis in quibus Cometam obſervavit. Interim antequam imprimatur dicta charta, ecce nonnullas ejus obſervationes:

Rex Galliæ rei Aſtronomicæ ſtudioſius.

Prima fuit 25. Decembris, hora tertia minuto 15. qua obſervavit Cometam in Meridiano, cum parva ſtella quæ eſt in corde Leonis, & Auſtraliori trium quæ ſunt in collo. Altitudo erat grad. 12. 36. Diſtantia à Sirio gr. 46. 6. à Canicula gr. 45. 25'. Aſcenſio recta gr. 46. 35'. Declinatio Meridionalis gr. 28. 38'. Longitudo gr. 10. 18'. Virginis. Latitudo Meridionalis gr. 39. 29'. Cauda finiebatur ad medietatem diſtantiæ capitis & caniculæ verſus hanc eandem ſtellam.

Obſervationes Pariſienſes.

Die 26. Decemb. hora ſecunda 47'. Cometa tranſibat Meridianum cum corde Hydræ. Altitudo 11. grad. 30. Diſtantia à Sirio 39. 8'. à canicula 44. 20. Aſcenſio recta 137. 56. Declinatio Auſtralis 29° 38'. Longitudo 2° 26. Virginis. Latitudo Meridionalis 43° 26. Cauda videbatur valdè parva, operta nubibus, directa verſus Caniculam.

Die 31. Decemb. horâ undecima noctis. Diſtantia à Sirio 31° 46. à Rigel 10. 6. Longitudo 0. 36. Gemin. Latit. Auſt. 33. 6. Cauda non apparebat & cælum erat opertum.

Die 3. Januarii 1665. Altitudo maxima 39° 46. Meridianum tranſibat cum ultima caudæ Arietis. Diſtantia ab Aldebaran 25° 16'. à pede Orionis Rigel 29° 56. Declinatio Merid. 1. 28'. Aſcenſio recta 45° 30. Longit. 12° 34'. Tauri. Latit. Merid. 17° 56'. Cauda apparebat exigua, contrario ſitu à præcedente: nam dirigebatur verſus humerum Occidentalem Orionis, tranſiens per parvam ſtellam informem & Meridionalem intra jugum Libræ & Æquatorem ſupra gradum ejus 49.

Die 9. Jan. ante 6½ horam veſperi altitudo ſumma 48. 6. Diſtantia eſt ab Aldebaran 32° 44. à pede Orionis Rigel 45° 15'. Declinatio 6° 52'. Longitudo 2° 15'. Tauri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tauri. Latitudo Meridionalis 5°46. Cometa videbatur paulò infra ſtellam, quæ eſt infra oculum Balenæ. Cauda tranſibat per ſtellam, quæ eſt inter hanc poſitionem & Aldebaran. Qui collocârunt globum cæleſtem ad elevationem 59°. invenerunt omnes poſitiones Cometæ valdè prope ſectionem Horizontis: & via ejus fuit notata per Dominum Bout, inde à 26. Decembris, ſupra plures globos, & inter alios ſupra globum Dn. Abbatis Martineau, ope duarum primarum obſervationum, & Dn. Boüilliau, quæ eſt notata in charta ipſiuſmet Dn. Bout: quam obſervationem habuit à Domine de Montmor Magiſtro de Requeſtes.

Martineau Abbas.

Montmorius libellorum ſupplicum magiſter.

19.

Litteræ Excellentiſſimi Domini Joannis Matthæi Fabri, *Auguſt. Doctoris, Sereniſſimo Principi Würtembergenſi à Conſil. Medic.*

Admodum Reverende Domine Pater.

Fabri epiſtola 1. ad Schottum.

IMportunus ne Tibi eſſem, vereri potuiſſem, qui ignotus ad Te ſcribere audeo, niſi fama Tua jam utroque cardine refracta, mihi perſuaſiſſet, non minoris Te æſtimare ſolitum innoteſcere incognitis, quam placere familiaribus. Nulla virtuti via debet eſſe invia. Si Heliconis es inquilinus, qualem Te dudum Apollo Tuus proclamavit orbi, aditum ad Te gravate minus toleraveris. Hoc præ cæteris, ſi noſces monente & jubente Sereniſſimo Noſtro Principe me, quod vides, conari. Addes quod deſiderem momentum, ut in ſe perrarum ita & arduum, Tibi proponere; Sidus ſcilicet (ſi modò Tu quoque inter Uranopolitas numeras) hodie neſcio an mirabile magis, an formidabile, horizonti noſtro apparuit. Inde ſcrutinio Tuo dignum cenſuit Inclytus noſter Princeps, atque ut Literatorum amore parem vix fert, Te verò talium numero cuiquam haud cedere certus eſt. Manu mea Tuum evocat Genium, ſciſcitaturus, quidnam de hoc phœnomeno ἀκείβεια Tua teneat. Quid de loco, motu, conſenſu, effectu denique cenſeas. Tenet Ducalis Bibliotheca (quam non ſalutatam Te haud ita pridem in vicinia tranſiiſſe Sereniſſimus dolet) Teleſcopium Wiſelianum è ſumptuoſiſſimis unum, nullo niſi experti Gubernatoris defectu laborans. Vah quam Te præſentem nocte præterlapſa optavimus, quæ aprica quidem ſatis, ſed vulgarem tantum conſpectum, nullo ſcilicet alio Inſtrumento, præter Globum (eum quidem vaſtiſſimum) extante, expoſuit. Ne igitur tàm rarum ac prodigioſum ſidus antè diſpareret, quàm experientiſſimi alicujus Naturæ Hierophantæ apophtegmata, forſan etiam peritiori conſpectu commodatura experiretur, Tuum, Celeberrime Scote, ſollicitat ingenium Princeps μαθηματόφιλος, quem ut ſcio non deſtitues, ita meum quoque Genium mirificè afficies, atque provocabis ſimul, ut & alia quædam Tuæ eruditioni, profectò non injucunde obventura, patefacere audeam.

SchottumFaber primùm compellat, magni facit, de favore Domini ſui Ducis Wirtemberg. certiorem reddit. Dux Wirtemberg. rei Mathematicæ ſtudioſus, Schottum magni facit, Bibliothecam inſtructiſſimam & præſtantiſſimum Teleſcopium Wiſelianum habet, bonarum literarum amans,

Sed quid optem magis, quam coram talia exponere? Securè quidem aſſeveraverim, Te non ſine inſigni delectatione, potiſſimùm à conſuetudine Tanti Principis (qui hoc ipſo nuncio Te peculiariter & gratioſè invitare jubet) diſceſſurum: imò verò non diſceſſurum, niſi porrò ſemper præſenti futuro animo. Pluribus non occupo negotia Tua, quæ cumulata ſat ſcio, ſed, deprecatus ignoti alloquii audaciam, plurimùm ſalvere & Valere jubeo. Dabam Neoſtadii 1665. $\frac{17}{27}$. Decembris.

Perhumanè Schottum ad ſe invitat.

R. T. D.

Ad quæcunque paratiſſimus officia

JOANNES MATTHÆUS FABER
Auguſt. Dr. Ser. Pr. Würtenb.
à Conſil. Medic.

20. Reſponſio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

20.

Reſponſio prima ad præcedentes Litteras.

Excellentiſſime Domine,

Schotti reſponſio ad literas Fabri.

HUmaniſſimas juxtà ac elegantiſſimas Excellentiæ Veſtræ literas, datas $\frac{17}{27}$ Decemb. præteriti menſis, accepi $\frac{21}{31}$ ejuſdem à meridie. Reſpondiſſem eadem die, niſi tabellarius ſeu poſtarius abitum maturaſſet; & niſi die ſequenti (quo Eminentiſſimus noſter cum tota Aula in Collegio noſtro novum annum auſpicatus eſt, celebratis Miſſæ ſolemniis, & prandio ſumpto) certiora, quæ nunciare cupiebam, exſpectaſſem.

Elector Moguntinus Herbipoli feſtum novi anni operatur.

Alio nunc, antè tres & amplius ſeptimanas rumore ad me delatum, de novo in cælis phœnomeno, variis in locis viſo. A quo tamen tempore nec ego, nec quiſquam alius in urbe hac quidquam notavit, propter cælum perpetuò aut turbidum, aut nubibus obductum, niſi quòd nocte diem 29. Decembris antecedente, arcis excubitores inter nubila caudatum animadverterunt ſidus. Quâ de re certior factus ab Eminentiſſimo noſtro, denuò noctibus ſingulis oculos in cælum, ſed fruſtrà, direxi; fuit enim ut antea ſemper votis meis contrarium. Quare cum ex propria obſervatione nuntiare nihil queam, quo Sereniſſimi Principis laudabiliſſimo deſiderio ſatisfaciam; quæ partim Eminentiſſimus noſter, partim alii Magnates, & ego, cum per litteras, tùm ab oculatis teſtibus oretenùs accepimus, ſignifico: quæ tamen Sereniſſimo Principi, & Excellentiæ Veſtræ jam nota fortaſſis erunt.

Rei Mathematicæ ſtudioſus.

Duci Wirtembergenſi alienas Obſervationes Schottus mittit.

Obſervatio Bremenſis.

Bremâ $\frac{7}{17}$ Decembris ita ſcribitur. Verè novus Cometa nobis lucet, caudâ ſatis latâ & longâ. Colorem non adeò accuratè obſervare licuit. Circà Horizontem Hydram occupavit, ſub & antè roſtrum Corvi Hydræ inſidentis. Ortus eſt antè horam tertiam matutinam, plagâ inter Meridiem & Orientem mediâ: meridiem tenuit horâ ſexta matutina. Sic *ſubſequentibus diebus horâ 4. aut 5. aut 6. videri cælo ſereno potuit*. Vicinitas horizontis (vix nimirum ultrà 10. gradus aſcendit) efficit plerumque ut nonniſi è nebulis eluceat &c.

Hoc falſum eſt, quoniam in antecedentia motus eſt.

Obſervatio Hamburgenſis.

Hamburgo eadem ferè ſcribuntur. Aſſeritur enim, tametſi alii Cometæ locum in cælis, ac tempus ortûs mutent notabiliter, hunc tamen hactenus plerumque ortum circa horam $2\frac{1}{2}$. poſt mediam noctem, inter Orientem & Meridiem (auß dem Süd-Oſten à plaga Notapeliotica) locum ſeu ſitum ejus in cælo eſſe ſub roſtro Corvi: caudam extendi uſque ad pedem Crateris per gradus omninò undecim, conjecturam eſſe, effulgere cæpiſſe circà initium Decemb. Qui in locis noſtræ urbi vicinis eum ſpectarunt, aſſerunt caudam extendi, oculorum judicio, ad pedes octo circiter (von anfang ab initio).

Obſervatio Aſchaffenburgenſis.

Addit Vir Illuſtris, qui eundem ante dies paucos ſpectavit Aſchaffenburgi, caudam longiſſimam eſſe, ſed admodum raram ac tranſparentem, & multis ſtriis ſeu lineis lucidioribus interſtinctam. Idem Vir Illuſtris & alii notarunt, caudam dirigi verſùs Galliam, Belgium & Angliam.

Ingolſtadianam Obſervationem exhibet accluſum Schema, ruditer & raptim delineatum.

Omitto alia, quæ Molſheimio, Badenâ, Edlingâ, aliiſque è locis ſcripta accepi, & quæ ab aliis oculatis teſtibus hùc adventantibus audivi, continent enim nudam tantùm phœnomeni viſi narrationem, ſine ulla Mathematicâ obſervatione.

Hoc addo, duos ex Collegii noſtri Patribus, cum die ultimo anni, negotiorum cauſâ in pago tribus abhinc horis diſſito, & loco alto conſtituto, noctem habuiſſent ſereniſſimam, & ab hora ſecunda poſt mediam noctem uſque ad auroram totum colluſtraſſent ſedulò cælum, ac minutiſſimas quaſque ſtellas clariſſimè vidiſſent, nullum Cometæ veſtigium deprehendiſſe. Ex quo conjicio, aut jam diſparuiſſe, aut tardiùs oriri quàm ut à nobis conſpici queat.

Fffff De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Prognoſticon de Cometa ſine accurata ejuſdem obſervatione non fit.

De effectuum ſignificatione nihil habeo quod dicam, cum prognoſis ſupponat accuratam ac certam obſervationem magnitudinis, figuræ, coloris, motûs aliorumque accidentium Cometæ.

Hæc habui, quæ Sereniſſimo Principi, & Excellentiæ Veſtræ communicarem. Si alia &c: Herbipoli die 2. Januarij 1665.

Excellentiæ Veſtræ Addictiſſimus

Casparus Schott,
Societatis Jeſu.

21.

Schotti reſponſio 2. ad literas Fabri.

Altera Reſponſio ad eaſdem Literas.

Excellentiſſime Domine,

Cometa hyemalis ex matutino veſpertinus, ex barbato caudatus factus.

TAndem aliquando deprehendi Cometam, quem jam diſparuiſſe ſuſpicabar; ſed longè alio in loco ac tempore, quam quæſiveram. Nam die 4. præſentis menſis Januarii St. N. veſperi horâ ſextâ comparuit inter Taurum & Arietem (infra Taurum in Eridano volebam dicere) inter nubes identidem ſubtercurrentes, non procul ante Meridianum noſtrum, caudâ non jam in Occidentem, ut antea, ſed in Orientem verſâ. Nimirum ex barbato ut antea erat, factus eſt caudatus, quoniam Solem Orientem antea præcedebat, nunc decumbentem ſubſequitur. Motus ergo fuit in antecedentia, à die 17. Decemb. uſque ad dictum diem quartum Januarii, à roſtro Corvi, ſub quo apparuerat infra Hydram, per viam lacteam, per Orionem & Eridanum, uſque ad Eclipticam, ferè infra Taurum, per ſpacium 130 & amplius graduum; adeò ut decem & amplius horis citiùs quam antea ex Horizonte ortivo emergat. Vidit eundem Eminentiſſimus noſter in Arce cum Aulicis ſuis, & tota penè urbs noſtra. Volebam die ſequenti pernoctare in Arce, eumque iterum obſervare accuratius per tubum binoculum melioris notæ, quem habet Eminentiſſimus noſter, ſed tempus pluvium ac nivoſum eripuit illum iterum è conſpectu noſtro, uti & nunc quoque die 6. Januarii, dum reverſus ab Eminentiſſimo hæc ſcribo. Si pergat viâ inchoatâ, tendit rectè per Triangulum & Andromedam, verſùs Draconem, atque adeò verſùs ipſum polum arcticum. Terrebit vehementer, nullus dubito, Septentrionales. Ego nihil enuntio, quoniam incerta judico omnia prognoſtica, quæ Aſtrologaſtri magna ex parte imperiti è ſimilibus ſignis deducunt. Si enim bella denuntiat, ſi mortes Principum, ſi ſterilitatem, tempeſtates, terræ motus ac ſimilia: cur nobis potius, quam regionibus aliis, per quas motu ſuo diurno quotidie tranſit? Aſiæ dico pœnè univerſæ, univerſæ Europæ, & Americæ?

Elector Mogunt. ſtudiis Mathemat. delectatur.

Schottus prædictiones Aſtrologicas de Cometarum effectis parvi pendit.

Ab ultimis meis nihil aliunde accepi, niſi quod Moguntiæ & Erfurdiæ & Viennæ, imò & in Gallia atque Italia fuerit viſus. Et Viennæ quidem primùm viſus fuit die 20. Decembris, caudâ Occidenti obverſâ, manè circa horam quartam. Antea verò & poſtea videri vix potuit ob aërem turbidum ac nubiloſum. Si Sereniſſimus Princeps & Excellentia Veſtra interim aliquid habuit, ſeu typis impreſſum, ſeu manu ſcriptum, communicare non dedignetur. Interim maneo Excellentiæ Veſtræ & debitor & creditor. Herbipoli die 6. Januarii 1665.

Excellentiæ Veſtræ Addictiſſimus

Casparus Schott.

22.

Fabri epiſtola 2. ad Schottum.

Aliæ litteræ Excellentiſſimi Domini Joannis Matthæi Fabri *&c.*


AD præcedentes duas epiſtolas prolixè & humaniſſimè reſpondet Excellentiſſimus Dominus Doctor, reſponſionique ſubjungit ſequentia:

Dum

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47


Figura motus quotidiani Cometæ obſer



Tempus			Poſitus Secundum figuras Cæleſtes	Longit:	Lat:	Caudæ dire[…]
An. 1664	Dec.	15	Circiter in puppe Navis Argo	6 ♍	40 A.	In occaſum
		17	A Roſtr. Corv. 42 a cord. Hydr. 33 in media Navi	10 ♌	40 A.	verſus lucid. Procy
		21	A Crur. ſin. Or. 7 ab ocul. ♉ 29 inter Lepor. et Erid.	8 ♊	11 A.	ſine Cauda
		22	A Crur. ſin. Or. 17.30. ab ejus hum. d. 24.30. in Eridano	30 ♉	9 A.	ſine Cauda
		25	A Crur. ſ. Or. 33 ab ocul. ♉ 25 juxta boreal. lucid. Balen.	15 ♉	1 B.	verſus humer. dext
		29	A Corn. Auſtr. ♈ 17 ab oc. ♉ 32 juxta mediam. lucid. Balen.	5 ♉	3 B.	Eadem plane
		30	A Corn. Auſtr. ♈ 14 ab oc. ♉ 32.30 ibid. Paulo Borealior	4 ♉	5 B.	ad oculum ♉
		31	A Corn. Auſtr. ♈ 13 ab oc ♉ 36 ibid. Paulo Borealior	3 ♉	6 B.	Paulo intro oculum ♉
An. 1665	Ian.	2	A Corn. Auſtr ♈ 12 ab oc. ♉ 36 In cervice Balenæ	29 ♈	7 B.	Eadem directe
		3	A Corn. Auſtr. ♈ 10 ab Orient. maj. in rictu Balenæ 15	27 ♈	8 B.	Paulo auſtralior
		4	A Corn. Auſtr. ♈ 8.30 ab ead. lucid. Bal. 15 30	27.30 ♈	10 B.	Eadem vergens
		7	A Corn. Auſtr. ♈ 8 a lucid. cap. Bal. 18.30	26 ♈	12 B.	Med. inter [illegible] ♉ et
		9	A Corn. Auſtr. ♈ 8 a lucid. cap. Bal. auſtr. 19 30	27 ♈	12 B.	Eadem directe
		10	A Corn. Auſtr. ♈ 7.30 ab ead. lucid. Balen. 19	28 ♈	11 B.	Rurſus eadem
		11	A. Corn. Auſtr. ♈ 7.30 a lucid. [illegible] ead. 20	27 ♈	11 B.	Plane eadem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47


Obſervati Neostadii ad Cocharum . ad Commũnie Casp. Schotti N° 30.




	Menſura	Color.
Caudæ directio		
ccaſum ♑ Occid.		
s lucid. Borealem	12 circiter gr.	Obſcur. ob vicin. horizont.
Caudæ Procyon	plus 30 gr. long. 8 lat.	Candid. radians
Cauda ♑ ob vicin. Lunæ		
s humer. dextr. Or. Orient:	16 fere gr.	Lucid. rar. rad.
n plane	12 grad.	Ejuſd. color.
ulum ♉	ejuſdem long.	Ejuſd. color.
intro oculum ♉	ejuſdem long.	dilut. radians
n directa	9 grad.	Ejuſdem color.
auſtralior		Rad. rari.
n		long. perrar.
inter et Plejades		rariſſimi albi
m	ob raritatem vix menſurabilis	longior rariſſ.
is eadem		rurſus tales
eadem		vix notabiles propter ☾

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Dum heſternâ veſperâ exaratum epiſtolium jam claudendum eſſet, en à Reverentia Tua ſecundas longè mihi gratiſſimas, & continuantis affectûs obſides. Gratias imprimis pro communicatione Obſervationum habet Sereniſſimus Noſter Princeps, plura ſubinde ex eruditionis Tuæ Pantometro exſpectans, meque ad quæcunque officia obſtringes penitùs. Tiliæ noſtræ idæa proximè ſequetur, atque ſimul philologica quædam linguarum exoticarum ænigmata, quæ Oedipum jam jam inveniſſe credam, ſi intuitum Tuum obtinebunt benignum. Hâc tamen vice addere non pauca negotia prohibent. Interim Vale.

Dux Wirtembergenſis ſtudiis Mathematicis delectatur.

23.

Obſervatio Studgardiana

Obſervatio Studgardiana.

In Würtembergia, miſſa ab Excellentiſſimo Domino Joanne Matthæo Fabro, nomine Sereniſſimi Principis Würtembergenſis.
Vide Iconiſmum adjunctum.

24.

Obſervatio Neoſtadiana.

Neoſtadiana ad Cocharum.

Ad Cocharum, facta ab Excellentiſſimo Domino Joanne Matthæo Fabro.
Vide Figuram adjunctam.

Epiſtola Obſervatoris.

Fabri epiſtola ad Schottum tertia.

Admodum Reverende Domine Pater,

NEſcio quâ ingenti ſomnolentiâ factum ſit, Pl. R. Domine Pater, ut nuper, dum typum Studgardianæ obſervationis Cometæ tranſmitterem, Epiſtolam ipſam omiſerim. Veniam ut rogo, ita impetraturum ſpero. Interea accipe quæ noſtra obſervatio congeſſit, atque rudi penicillo oculis expoſuit. Dimenſiones cum ex ipſo typo deſumi (præcipuè latitudo, cujus gradus ratione globi compreſſi ſubinde latiores aut anguſtiores eſſe debent) non poſſint, ſubjunxi illas quâ poſſibili diligentiâ in ipſo cælo ſtellato deprehendere potui. Ab 11. hujus menſis partim ob Lunæ vicinitatem, partim per cæli nubili interventum, non vidi ampliùs. Vid. Fig. 3.

Præteritâ tamen nocte, cum cælum apricum per nubium intervalla nonnunquam appareret, locum quidem ejus, nullam tamen amplius vidi Cometam, ideoque omninò extinctum ſuſpicor. Circà Memmingam jam à 12. Novemb. viſum fuiſſe, perhibet Aſtronomus haud in obſuris Schorerus. Si quæ alia habeantur, rogo communicationem. Interea te ſalvere plurimum jubet Sereniſſimus Noſter Princeps, mecum, Tantique Viri conſpectum & alloquium optamus uterque. Eadem nocte quâ Patres veſtri conſpectu Cometæ fruſtrati fuerunt, etiam ex arce Louvenſtein quidam pervigiles nihil planè, ſereno licet cælo, notare potuerunt. Raptim Neoſtadii 1665. 18. Januarii.

Cometa 12. Novembr. 1664. ad Memmingam obſervatus.

Dux Wirtemberg erga Schottum benevolus.

T. R. D. obſervantiſſimus

JOANNES MATTHÆUS FABER.
Doctor.

25.

Obſervatio Cometæ facta Friburgi Briſgoiæ menſe Decembr. Anno 1664. & Januario 1665.

Obſervatio Friburgenſis.

NOs die 20. Decemb. primùm vidimus Cometam circa horam ſecundam manè ſuper monte Orientali apud Tropicum Capricorni, oblongum ful-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

gorem quaſi tenuis & illuſtratæ nubeculæ, quem conſequente poſtea capite Cometæ advertimus eſſe barbam illius. Superabat ferè magnitudo ſtellas primæ magnitudinis, maligno tamen & nebuloſo lumine, adhibito duorum convexorum vitrorum tubo pedali. Apparuit ferè Jovi æqualis, ſed fuſco & malè terminato lumine, inſtar pugni puerilis. Barba cum modica latitudine in longum directè tendebat ferè uſque ad Cor Hydræ, niſi quod ſenſim deſinebat in tenuiſſimi luminis cuſpidem. Puto hoc genus Cometæ ab Aſtronomis haſtam vel lanceam vocari. Paulò antè medium quintæ, adhibito inſtrumento parallactico bipedali (nam aliud ad manus non erat, neque facilè inſtrui ad uſum poterat) utcumque dimenſi ſumus diſtantiam Cometæ à Spica Virginis: reperimus ferè æqualem 32. gradibus. Videbatur tunc linea recta ducta à Spica Virginis ad Cometam tendere ferè per medium inter duas ſtellas lucidas, quarum Auſtraliſſima cadit in roſtrum, altera borealior in collum Corvi. Ad oculum æſtimando prædictam diſtantiam Cometæ à Spica, videbatur tantundem ferè diſtare Spica ab arcturo. Itaque Longitudo Cometæ videtur tunc incidiſſe ferè in principium Libræ, Latitudo paululùm ultra 29°. gradus Auſtrales: Declinatio in Auſtrum ad gr. 26½. undè uſque ad Cor Hydræ ferè ſunt 35°, quibus non multò pauciores videntur fuiſſe, ad quos porrecta fuit longitudo barbæ, ſi tenuiores radios adnumeres. 21, 22 & 23. ob nubes videri Cometa non potuit.

24. Decemb. circa horam quintam obſervatus Cometa diſtabat à corde Hydræ 25° 46. à Spica Virginis 46° 26. Videbatur ferè in una linea recta Cometa & duæ borealiores è tribus lucidis ſupra Cor Leonis. Quare tunc longitudo Cometæ ferè fuit 7°. & latit. auſtralis 37°. Declinatio in auſtrum 28½ gr. Barba parùm deflectebat à cane minori in Occidentem. Proprio motu autem confecit hoc quatriduo 5. gr. 15′.

Die 25. Dec. manè 1°. quadrante poſt 4. vidi Cometam inter nubes & nebulas tenuiter, fermè in una linea recta cum corde Leonis & ſuprapoſitarum trium lucidiorum borealiſſima. Barba jam multo minor apparuit, caput aliquanto majus, quàm nuper. Itaque tunc fuit circa malum navis. Poſt hunc diem erant perpetuæ nubes uſque ad 31. Decembris.

31. Decemb. circa horam nonam erat Occidentalior, à Cane majore 30° 5′. Efficiebat ferè lineam rectam cum auſtraliſſima trium junctarum balteo Orionis, & Stellæ Rigel. Ergò tunc illius longitudo ferè fuit 1°. in ♊. Latitudo Auſtralis 35°. Declinatio in Auſtrum 11½ gr. Undè colligo intra 7. dies proximè antecedentes (hoc eſt à 24. Dec. uſque ad 31.) Cometem proprio motu confeciſſe circiter gr. 79. itinere ſumpto ferè per medium poli & per lucidas auſtraliores Canis majoris, & per lucidas Leporis. Videbatur adhuc Cometes major ſtellis primæ magnitudinis, ſed lumine, uti aliàs, nebuloſo, & abſque barba & cauda æqualis fermè in ambitu comatus.

Anno 1665. 1. Januarii hora ſeptima veſpertina iterum figura Cometæ fuit ſimilis heſternæ. Diſtabat à Rigel ſive lucido pede Orionis 15° 24′. ab Aldebaran ſive oculo ♉, 24° 46′. Ergò longitudo Cometæ tunc erat ferè 2°. in ♉. Latitudo 28. cum declinatione Auſtrali gr. ferè 9. Paulò ante nonam per tubum deprehendi unam ſtellulam valdè vicinam Cometæ, in diſtantia quaſi unius pedis apparentis, quæ ſub medium noctis plus quam duplo videbatur ab eodem diſtare, & apparebat jam auſtralior, quàm Cometa, cum antea fuerit borealior. Confecit motu proprio Cometes ab heſterna obſervatione circiter 9°.

2. Januarii nihil obſervari potuit ob nubes & pluvias.

3. Jan. ſub initium noctis Cometa obſervari non potuit. Sub medium noctis ſereniore cælo apparuit propè os Ceti: diſtabatque ſecundùm ocularem æſtimationem ferè tantundem à lucida capitis Ceti, quantum invicem diſtant duæ lucidæ in humeris Orionis, & videbantur in Cometa ferè concurrere duæ lineæ rectæ, quarum una ducitur per dictas duas humerorum, altera per

duas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

duas lucidiores in utroque pede Orionis. Conſtituebat fermè Triangulum Iſoceles cum oculo ♉. & plejadibus.

4. Jan. 1°. quadrante poſt ſextam veſpertinam inter nubes emicans Cometa apparuit iterum caudatus, ſed in Orientem verſa cauda, in apparente longitudine duorum pedum: ſed latior jam coma erat, & inſtar virgæ addenſata. Vertebatur cauda ad caput Orionis. Circa horam nonam aſpectus per tubum referebat lumen ferè clarius quàm ſuperioribus diebus. Cæterà retinebat veterem magnitudinem & figuram. Obſervatus conſueto Inſtrumento parallactico: poſt medium nonæ diſtabat à Lucido pede Orionis 31°. 56′. ab Aldebaran ſive ♉ⁱ oculo 24°. 36. Lucida in capite ſive hiatu balenæ erat, paulò Occidentalior, & borealior, à lineâ rectâ quæ per Cometam & caput Andromedæ ducta ſit, modicè declinans in Occidentem. Fuit igitur tunc Cometa ſecundùm longitudinem in 11°. ♉, ſecundùm Latitudinem auſtralem in 15°. ferè, declinans ab æquatore in Boream duobus gradibus. Confecit intrà triduum circiter 19. gradus.

5. Jan. nubes.

6. Jan. poſt medium octavæ veſpertinæ obſervatus inter nebulas diſtabat ab oculo ♉. ſive Aldebaran 28°. 5′. à Plejadibus 21°. 38′. Efficiebat triangulum Iſoſceles ſuper baſi nectente duas lucidas boreales in capite Ceti, brevioribus cruribus. Cauda videbatur tenuior quàm nudius tertius (forſan ob nebulas clariorem aſpectum adimentes) in longitudine continebat circiter 10. gradus. Vertebatur iterum ad caput Orionis. Hinc colligimus tunc longitudinem Cometæ fuiſſe circiter in 7°. gradu ♉. Latitudinem Auſtralem 11°. cum declinatione in Boream ad $3\frac{1}{2}$ gradus. Confecit intra hoc biduum circiter gr. $5\frac{1}{2}$.

7°. Jan nubes. Similiter 8°.

9°. Jan. veſperi 3°. quadrante ad ſeptimam ſereniſſimo cœlo apparuit Cometes iterum cum virgata, rariore tamen, cauda, eaque verſâ ferè ad caput Orionis, aut propius ad oculum Tauri, eâ longitudine, ut fermè ſtellas Taurinæ ſectionis attingeret. Diſtantes à capite Cometæ plus quam 12. gradibus. Secabant ſe in loco Cometæ duæ rectæ, quarum unam duximus per lucidam Arietis in Orientali cornu & trium lucidarum in capite Ceti auſtraliorem; alteram per duarum borealium lucidarum in eodem capite occidentaliorem, & mediam trium lucidarum in capite Arietis. Deprehendi præterea tunc per Tubum ſtellulam à Cometa duobus circiter palmis diſtantem, auſtraliorem in ipſo verticali circulo Cometæ: per eundem tubum corpus Cometæ ſecundum diametrum ferè triplo majus apparebat Jove, ſed fuſco & malè firmato lumine. 3°. quadrante ad 9. eum dimenſi ſumus. Diſtabat 15° 36. à prædicta lucida Arietis ab oculo ♉ verò 32° 6. Ergò in longitudine habuit $2\frac{2}{3}$ Tauri, Latitudinem Auſtralem 5°. paulò plus, ab æquatore in Boream declinabat ad $7\frac{1}{2}$ gradus. Confecit à 6°. Januar. hucuſque circiter $6\frac{1}{2}$ gr.

10. Veſperi ſubinde Cometes è ſparſis nubibus emicabat: obſervari tamen per inſtrumenta ob intervenientes nubes non potuit. Si quid fidere licet ſubito aſpectui, conſtituebat Cometa cum duabus lucidis borealibus in capite Ceti, & cum alia minore vertice ejuſdem Ceti parallelogrammum obliquangulum. Cauda paulò minor apparebat quàm heri, & ab oculo Tauri nonnihil declinabat in Auſtrum.

11. & 12. Nubes adimebant aſpectum ſiderum.

13. Veſperi 3°. quadrante, ad octavam apparuit Cometes jam non paulò minor, quàm aliàs, cùm caudâ pariter minore ac rara ut ægrè conſpiceretur. Vertebatur illa, per tubum, corpus valdè obſcurum apparebat, magnitudine adhuc ſuperante primæ magnitudinis ſtellas. Diſtabat à Lucida Arietis 12°. 15′. à Lucidiore in capite Ceti 14°. 6. ſtabat in una linea recta cum prima Arietis & auſtraliſſima trium lucidarum in capite Ceti. Undè videtur tùm Cometæ longitudo incidiſſe ferè in ipſum principium Tauri, latitudo Auſtralis $1\frac{1}{2}$ gr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Confecit à 9ª. Januarii uſque hùc circiter 4. gradus.

14. Januarii veſperi bis Cometam obſervavi ſereno cælo: ſemel 1°. quadrante poſt ſextam circiter. Diſtabat tùm à Lucida Arietis 12°. 6: à lucida in capite Ceti circiter 15°. 48'. ſub idem ferè tempus inventa, & altitudo Lucidæ Arietis ab Horizonte in gr. 64, ſed quadrante exiguo. Iterum primo quadrante poſt nonam diligentius obſervatus diſtabat ab oculo Tauri 36°. 4'. à Lucida Arietis 11°. 35'. à nodo ligaminis piſcium 10°. 17'. a lucida in capite Ceti 15°. 57'. linea rectâ per Cometam & lucidam Arietis ductâ paululùm ad Orientem relinquebat lucidum pedem Andromedæ: per tubum corpus & cauda apparebant ferè, ſicut heri, paulò debilius. Hinc colligo tunc longitudinem Cometæ fuiſſe in ♈ gr. 29. latitudinem adhuc auſtralem ½ gr. ab heri confecit iter ferè 1. gr.

15. & 16. cælum nubilum, emicante tamen ſubinde Cometa.

17. Jan. Veſperi paulò antè horam octavam diſtabat à lucida in capite Ceti 18° 3'. ab auſtrali lucida in eodem capite 17° 6'. Iterum circa tertium quadrantem ad nonam, diſtabat à nodo Lini 10° 45'. à lucida ♈ 10° 46. per tubum apparuit parva ſtellula, non plus uno palmo diſtans à Cometa in medio latitudinis caudæ, ipſe Cometa per tubum jam non apparuit major tertiæ magnitudinis ſtellis: caudam adhuc vertit ad caput Orionis juxta oculum Tauri. Ergo circa hoc tempus longitud. Cometa habuit circiter 27°½ in ♈. latitudinem Borealem 1. grad.

26.

Mantuana Obſervatio & Mediolanenſis.

Obſervat. Mantuana & Mediolanenſis.

MAntuæ factæ ſunt ſequentes Obſervationes: Die 22. Decembris Corpus Cometæ horâ duodecimâ Italica diſtabat a Procyone 60. gr. 20. min. ab Arimech. gr. 37. 26: unde erat propè ſtellulam in corpore Hydræ, barba pertingebat uſque ad 3. ſtellas ſitas in inflexione Hydræ.

25. Decemb. Corpus Cometæ horâ ſeptimâ Italica diſtabat a Sirio 39° 2'. a Regulo 44° 38'. Ab Arcturo 86° 16. a corde Hydræ 22° 26. unde erat in velis Argo-navis.

27. Decemb. horâ ſeptimâ Italicâ corpus Cometæ diſtabat a Sirio 21°. a Procyone 35. a corde Hydræ 29°. Unde ſitum erat inter ſtellas, quas noviſſimi Aſtronomi vocant ſtellas ſupra caudam Syrii.

29. Decemb. hora quarta Italica corpus Cometæ diſtabat a Syrio 10°. a Bellatrici 30° 15'. unde diſtabat circiter unum gradum a cauda Leporis.

30. Decemb. ante tertiam horam noctis Italicam diſtabat 26°. a Bellatrice, a lucida cinguli 16°. unde erat in collo Leporis.

Die 1. Januarii 1665. circa horam quartam Italicam diſtabat a Bellatrice 29°. 46. à lucida cinguli Orionis 22° 15. Erat inter ſtellas Eridani, diſtans ab Æquatore declinatione Auſtrali 10°.

4. Januarii circa ſeptimam horam Italicam diſtabat à Rigel 33° 36. Ab Aldebaran 25° 36'. ſitus erat in ore Ceti jam in hemiſphærio Boreali, citra Æquatorem uno circiter gradu.

5. Januarii, prima horâ noctis diſtabat ab Aldebaran 27° 10'. proximus mediæ ſtellæ in ore Ceti ſitæ, quam initio barba, ſeu cauda tegebat; ſed poſt quintam horam noctis jam diſtabat ſenſibiliter ab eadem ſtella, quam non amplius tegebat.

6. Jan. circa ſecundam horam diſtabat à dextro cornu Arietis 20°. a Capra 51°. ſitus inter dentes Mandibulæ dextræ Ceti.

9. Jan. hora quinta Italica 36. diſtabat à media in ore Ceti 9°. à ſtella Borealiori in baſi Trianguli verſùs Andromedam 25° 16.

10. Jan. horâ tertia Italicâ diſtabat à lucida in fronte Arietis 10°. à media in ore Ceti 10°. à lucida Mandibulæ boreali 7° 46.

Obſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Obſervationes Mediolani inſtitutæ ferè omninò conveniunt cum Mantuanis: hæ tamen poſteriores accuratiores ſunt.

27.

Obſervatio Leodii, ad elevationem poli grad 50. minut. 40. miſſa ad R. P. Caſparum Schott. inſcio Auctore. Leodienſes 1.

DIe 22. Decembr. Anni 1664. hora quarta matutina, apparuit in ipſa Hydra, inter Craterem & corvum: & cum Spica Virginis, ac ſtella in oculo Corvi, ferè conſtituebat lineam rectam.

Diſtabat	à Stella in oculo Corvi	grad. 16. minut 43.
	à Spica Virginis	grad. 36. minut. 35.
	à Corde Leonis	grad. 43. minut. 3.
	Altitudo ſuprà Horizontem erat	grad. 14. minut. 30.

Cauda à parte Occidentali ſtellæ extendebatur verſus Cor Hydræ, & aliquoties eò uſque videbatur pertingere.

Diſtabat autem Cometa à Corde Hydræ grad. 31. minut. 15. tanta igitur erat longitudo caudæ.

Corpus ſtellæ facilè ſuperabat magnitudine 4. ſtellas primæ magnitudinis. Color erat rubeus.

23. & 24. Decembris nihil potuit obſervari propter nebulas.

Die 25. Decemb. viſus eſt infrà Hydram; ſed ob inconſtantiam auræ nihil eſt obſervatum.

26. Decembris hora $11\frac{1}{2}$ noctis apparuit in velo Argus, poſt malum octo circiter gradibus. Conſtituebat lineam rectam cum ſtella quæ eſt in compage inferioris pedis Leonis, & ſequenti quæ eſt in flexu colli Hydræ.

Horâ 1. min. 42. Juba Leonis, & Cor, & Cometa erant ferè in eadem linea recta.

Horâ 2	Diſtabat	à corde Hydræ	grad. 22. minut. 33.
Horâ $2\frac{1}{4}$		à Cane Majori	grad. 39. minut. 5.
Horâ $2\frac{1}{4}$		ab eodem	grad. 38. minut. 55.
Horâ $2\frac{1}{4}$		à Cane Minori	grad. 43. minut. 36.
Horâ $2\frac{1}{3}$		à Corde Leonis	grad. 45. minut. 1.
Horâ $2\frac{1}{2}$		à Spica Virginis	grad. 58. minut. 45.
Horâ $2\frac{1}{2}$		à Cauda Leonis	grad. 58. minut. 0.

Altitudo Caudæ Leonis ſuprà Horizontem erat grad. 45. min. 5. horâ $2\frac{3}{4}$.

Altitudo Spicæ Virginis gr. 23. m. 52. horâ $2\frac{1}{2}$.

Altitudo Cometæ graduum 9. horâ $2\frac{1}{4}$.

Cauda erat longè brevior quam die 22. & extendebatur directè verſus canem minorem.

Magnitudo ſtellæ erat ferè eadem, licet aliquibus paulò major videretur.

Die 30. Decemb. comparuit iterum hor. 9. veſpertinâ, non ut antea, crinitus, infra Orionem, in medio colli Leporis

Diſtans { à Lucida in pede ſiniſtro Orionis gradus 9. minut. 0.
à Cane majore grad 20. min. 0.

Unde liquet, à 26. Decembris uſque ad 30. velociſſimè progreſſum, confeciſſe gradus circiter 52. nec motum directè ab Oriente in Occidentem, ut priùs, ſed deflexiſſe ad plagam inter Septentrionem & Occidentem, ſed Occidenti viciniorem.

1. Die Januarij 1665. apparuit iterum ſine coma, ſed ſolito lucidior, quadrante poſt ſextam veſpertinam, in flexura illa fluvii Eridani, quæ eſt inter pedem ſiniſtrum Orionis & Cetum, paulò infra ſtellam, quæ eſt ordine octava, vel ſecundùm alios nona in fluvio, numeranti à pede Orionis. Nam

Diſtabat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Diſtabat { à pede ſiniſtro Orionis grad. 15. minut. 42.
ab oculo grad. 24. minut. 50.
ab humero dextro Orionis grad. 29. minut. 20. }

Elevabatur autem pes Orionis ſupra Horizontem gr. 11. minut. 40.

Confecit igitur à 30. Decembris gr. 20. circiter verſus eandem plagam, inter Septentrionem & Occidentem progrediendo.

3. die Januarii viſus eſt circa $5\frac{1}{2}$. veſperi, habens comam decem circiter pedum quoad apparentiam, averſam de more a Sole, adeòque verſus Orientem protenſam: faciebatque lineam rectam cum utroque humero Orionis.

Elevabatur ſupra Horizontem gr. 29. minut. 40.

Diſtabat { ab oculo Tauri grad. 23. minut. 43.
ab humero ſiniſtro Orionis grad. 29. minut 34.
à lucida in ore Ceti grad. 8. minut. 30. }

Pes ſiniſter Orionis elevabatur ſupra Horizon. grad. 9. minut. 20.

Fuit igitur hoc tempore ante os Ceti, diſtans ab eo gr. 3. minut. 30.

Infra Æquatorem grad. 2.

Confecit proinde à 1 Jan. grad. 12. iterum verſus plagam inter Septentrionem & Occidentem, ſed huic viciniorem.

Leodienſis 2.

28.

Obſervatio ejuſdem Cometæ Leodii, miſſa ad eundem ab ipſo Auctore, unà cum ſequenti epiſtola:

Admodum Reverende in Chriſto Pater.

Pax Chriſti.

Ferilli epiſtola ad Schottum.

Litteræ Reverentiæ Veſtræ utpote abſque expreſſo nomine ejus, cui deſtinatæ erant conſcriptæ, ſerò, & poſt longum gyrum ad manus meas devenêre. Timeo ergò ne Reverentia Veſtra ſe contemtam exiſtimet, dum videt nullum ſuis reſponſum mitti. Sed abſit Reverende Pater hæc cogitatio. Veſtra Reverentia tùm propter famam doctrinæ, tùm verò potiſſimè quia Vir eſt religioſus, Societatis noſtræ alumnus, à nobis omnibus & à me plurimi fit. Ecce ergò, etſi ſerò, meas ad Reverentiam Veſtram mitto Obſervationes Cometæ, quas Reverentia Veſtra deſiderat. Fateor me timere, ne in iis, quas Reverentia Veſtra vidit, non unus, ſed plures errores irrepſerint: exiſtimo enim, eas ab aliquo Obſervationum noſtrarum minus experto excerptas fuiſſe, & abſque debito examine, & rerum intelligentia, ad alias regiones fuiſſe tranſmiſſas: certo enim mihi conſtat, me inſcio, omnia hæc fuiſſe peracta. Ecce ergò mitto Obſervationes exactiſſimas; tales enim eas eſſe ſcio: quia non ſolùm per diſtantias obſervatæ ſunt, ſed ferè ſemper pro legitimis comprobatæ ſunt per lineas rectas in quibus ſtellæ & Cometa jacebant, quæ ſe exactè interſecabant in puncto per diſtantias notato.

Schottus laudatur.

Anno 1664. die 22. Decembr. horâ quarta matutina.

Cometa diſtabat { à corde Leonis grad. 43. minut. 3.
à corde Hydræ grad. 31. minut. 15. }

Cauda Cometæ fermè pertingebat uſque ad ipſum cor Hydræ, ſed ulteriùs non protendebatur.

Die 26. Decemb. horâ $2\frac{1}{2}$. manè.

Cometa diſtabat { à Cane majore grad. 38. minut. 55.
à Cane minore grad. 43. minut. 36. }

Tunc temporis elevabatur ſupra Horizontem, Cometa quidem grad. 9. Spica Virg. gr. 23. 52′.

Die

Die 30. Decemb. horâ nonâ veſpertinâ.

Cometa diſtabat à Cane majore grad. 20.
à pede ſiniſtro Orionis grad. 9.

Anno verò Domini 1665. die 1. Januarii horâ 6. veſpertinâ

Cometa diſtabat ab oculo Tauri grad. 24. 56.
à pede Orionis grad. 15. 42′.
ab humero dextro Orionis grad. 29. 24′.

Die 3. Januarii hora veſpertina ſeptima.

Cometa diſtabat à cauda ſuper caput Arietis grad. 30°. 53′.
ab humero Occid. Orionis grad. 20. 5′.

Die 5. Januarii hora veſpertina $6\frac{1}{2}$.

Cometa diſtabat à lucida ſuper caput Arietis 23°. 12′.
ab oculo Tauri 25°. 56′.

Die 7. Jan. hora nona veſpertina.

Cometa diſtabat à pede Orionis grad. 40. 56.
ab oculo Tauri grad. 29. 28′.

Die 9. Januarii hora ſexta poſt Meridiem.

Cometa diſtabat ab Occidentaliori cornu Arietis 14°. 15′.
ab ore Ceti 9°. 45′.
ab oculo Tauri 31°. 27′.

Quo tempore Cometa elevabatur ſupra horizontem 44°. 35′.
Siniſter autem pes Orionis grad. 27. 4′.

Die 10. Januarii hora nona $9\frac{1}{4}$.

Cometa diſtabat ab ore Ceti grad. 11. minut. 45.
ab oculo Tauri grad. 33. 9.

Die 11. Januarii hora $7\frac{3}{4}$.

Cometa diſtabat à lucida Arietis grad. 13. 22′.
ab Ala Pegaſi grad. 30. 44′.

Die 12. Jan. hora octava, quando pes Orionis elevabatur ſupra horizontem grad. 25. 38′.
Cometa verò grad. 46. 56′.

Cometa diſtabat ab ore Ceti grad. 13. 38′.
à cornu dextro Arietis 10°. 45′.

Die 13. Januarii hora $7\frac{1}{2}$.

Diſtabat Cometa ab Ala Pegaſi grad. 28. 47′.
à cornu dextro Arietis 10°. 6.

Die 14. Jan. hora $6\frac{1}{4}$.

Cometa diſtabat ab ore Ceti gr. 15. 48′.
á lucida ſuper Ariet. 11°. 26.

Die 16. Januarii hora $7\frac{1}{2}$.

Cometa diſtabat ab ala Pegaſi gr. 26. 45′.
ab ore Ceti gr. 16. 55′.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Die 19. Januarii horâ 7½.

Cometa diſtabat {à lucida ſuper Ariet. grad. 10. 6.
ab ala Pegaſi grad. 25. 12′.

Die 20. Januarii hora 6¾.

Cometa diſtabat {ab ala Pegaſi grad. 25. 12′.
à lucida Arietis grad. 9. 57′.

Die 21. Januarii hora 7¼.

Cometa diſtabat {à lucida Arietis grad. 9. 18′.
ab ala Pegaſi grad. 24. 55′.

Die 3. Februarii horâ ſeptimâ.

Cometa diſtabat {à lucida Arietis grad. 8. 16′.
ab ala Pegaſi grad. 22. 43′.

Atque hæc ſunt quæ per diſtantias obſervavimus: nam etſi viderimus Cometam uſque ad 14. Feb. nihilominus non poterat facilè obſervari per Inſtrumenta. Dignetur Reverentia Veſtra boni conſulere hanc tardam reſponſionem. Utinam ea citius perveniſſet ad Reverentiam Veſtram, quam amo in Domino, & plurimi facio. Dignetur pro me Deum orare, ut particeps fiam beatitudinis æternæ, in qua ſpero me æternum fruiturum conſortio Reverentiæ Veſtræ. Valeat Reverentia Veſtra! Leodii 13. Martii Anno 1665.

Reverentiæ Veſtræ indignus Servus in Chriſto

ANTONIUS FERILLUS.

29.

Obſervatio Herbipolitana.

Obſervatio Herbipolenſis ad elevationem poli gr. 50.

HErbipoli, ob cœlum continuò pluvium, aut nubiloſum, non potuit obſervari ante diem 1. Januarii Anni 1665. tametſi diu antè de illo aliunde fuiſſemus moniti. Tandem

Die 1. Januarii 1665. horâ 7, 8. & 8½ poſt Solis occaſum, viſus fuit Cometa paulò antè, in & poſt Meridianum, ſinè cauda, lucidior quàm ſequentibus deinceps diebus. Tranſierat Eridanum, & appropinquabat ori Ceti.

Die 2. & 3. Jan. fuit cælum pluvium.

Die 4. Jan. hora 6. poſt meridiem, erat antè os Ceti, in ipſa ferè Æquinoctiali linea. Cauda protendebatur verſus dorſum Erichtonii, inter Orientem & Septentrionem; eratque nunc longior, nunc brevior, ſed rara ac tranſparens, videbaturque ſubinde ventilari.

Die 5, 6 & 7. nihil potuit obſervari.

Die 8. viſus in ore Ceti. Cauda verſus eandem plagam extendebatur, iterumque ventilari videbatur, ac modò longior modò brevior apparebat, & ut antea rara ac tranſparens.

Die 9 & 10. Januarii ibidem viſus in palato Ceti, paulò ſupra Æquatorem. Cauda reſpiciebat magis Septentrionem quam antea; eratque adeò rara, ut per illam ſtellæ apparerent.

Sequentibus diebus appropinquavit ſemper magis ac magis Arieti, & magnitudo ejus minuebatur.

Die 15, 16 & 17. non procul à ventre Arietis, minor quam antea, caudaque breviore, ſed verſâ adhuc in Orientem æſtivum, è regione Solis. Videtur ab aliquot diebus altior, id eſt, remotior à terra, quam antea.

Die

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Die 18 & 19 non potuit obſervari.

Die 20. in ventre Arietis, & in ipſa Ecliptica, cum cauda verſâ ad Orientem Æquinoctialem valdè brevi tenuique.

Die 21 & 22. non potuit obſervari.

Die 23. Jan. viſus fuit adhuc circa Eclipticam, ſed admodum minutus corpore & cauda.

Sequentibus diebus uſque ad diem 2. Februarii non potuit amplius obſervari, primis quidem ob vicinitatem Lunæ, poſterioribus verò ob cælum nubilum.

Die 2. Februarii iterum comparuit veſperi ab hora ſexta & ſequentibus, non procul ab auricula Auſtrali Arietis, exiguus corpore & caudâ, & obſcurus.

Ab hoc die uſque ad ſeptimum Februarii ſemper magis ac magis appropinquavit dictæ auriculæ, ſemperque magis & corpore & cauda & lumine diminu tus fuit.

Die 7, 8 & 9. Februarii erat viciniſſimus ſtellæ quæ eſt in auricula Auſtrali Arietis, minor & obſcurior quam diebus præcedentibus. Cauda exigua adhuc verſus Orientem erat directa. Monachii tamen viſus adhuc fuit die 10, 11, 12 & 13. Februarii, eodem in loco quo hîc, & eadem cum exilitate & obſcuritate. *Obſervatio Monachiana.*

30.
P. CASPARI SCHOTTI

Hallucinatio circa prognoſin Cometæ hactenus explicati.

Schotti judicium de Aſtrologia judiciaria, inprimis de prædictionibus ex Cometarum apparitione factis.

Circa prognoſin Cometæ hactenus explicati oppido diverſa circumferuntur judicia, non à Germanis tantùm, ſed ab Italis quoque, aliarumque nationum Aſtrologis.

Sunt multa, ut decet, modeſta atque inter conjecturæ ac probabilitatis limites contenta. Nonnulla tamen plus æquo exorbitant. Non pauci Viri docti, ut è meo quoque calamo aliquid prodiret, optant. Sed partim interrupta non ſemel inter aliquot menſes valetudo, partim labor in elimandis aliis operibus, quæ præ manibus habeo, id hactenus non permiſêre. Solum ad petitionem Amici integerrimi ac doctiſſimi perbreve quoddam ac impolitum judicium, neſcio cui Magnati exhibendum, conſcripſi, quod & hic apponendum cenſui.

Reverende in Chriſto Pater,

Pax Chriſti,

Calamum meum, olim frequenter ad Vos excurrentem, provocat Reverentia Veſtra, & quid de novo ſidere ſentiam, edicere jubet. Maluiſſem alia occaſione, aliâque in cauſa ſcribendi onus impoſitum: ſive enim loquar; temeritatis; ſive taceam, ignorantiæ notam non effugiam. Media ergò via ingrediar, ut nec tacuiſſe, nec locutus fuiſſe videar. Præmiſſas dabo, concluſiones deducat, qui volet, & quas volet; modò non alias, quam legitimas. Ajo itaque. *Amicorum cauſſâ nonnulla facimus quibus libentius abſtineremus.*

Primò. Probabiliſſimum eſt, omnes Cometas eſſe irati Numinis linguas, & malorum ſecuturorum, ut ira DEI avertatur, nuntios. Eſt unanimis Philoſophorum, Aſtrologorum, Hiſtoricorum ſenſus, & receptiſſima jam inde ab omni ævo mortalium ferè omnium opinio, exemplis innumeris confirmata. Ridendi ergò qui contendunt, Cometas non magis infelicitatem quam felicitatem portendere, eo quòd aliqui Cometæ fauſti fuerint aliquibus Principibus, quos enumerant: quaſi verò illi ipſi non magis regnis ac populis luctuoſi, quam Principibus illis fauſti illuxerint. Hinc deducas quid de noſtro Cometa, de quo diſceptatio eſt, ſtatuendum. *Cometæ malorum nuncii.* *Quidam fauſti.* *Triſtia miſcentur lætis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometis præſignificata mala incerta, & quæ determinari non poſſunt.

Secundò Æquè probabile mihi eſt, mala, quæ Cometæ regionibus & populis portendunt, ante eventum eſſe incerta: undè temerarium eſt aſſerere ſerio, quæ & quibus illa portendantur. Moveor primò, quia incerta eſt Cometarum materia, incerta cauſa efficiens, ac tot ferè ſententiæ, quot de ea re ſcriptores. Quis ergo divinet, hunc quidem inducturum ſiccitatem ac ſterilitatem; illum aëris intemperiem, hominumque aut animalium peſtem; alium regnorum mutationem, Principum mortem, ſeditiones, bella aliaque ſimilia. Nec obtrudant experientiam, quæ docuerit Cometas tali loco cæli & tali tempore anni ortos, tali tantoque motu per talia ſigna progreſſos, talis magnitudinis, coloris, appendicis portendiſſe famem, bellum, peſtem &c: Nam ad regulas non dico certas ac infallibiles, ſed vel probabiles de Cometarum effectibus procudendas, neceſſarium eſt, ut plures ejuſdem per omnia conditionis appareant, quorum effectus ſubſecuti ſimiles ſint: quod hactenus non contigit; ut ex Cometologiis huc uſque editis conſtat. Moveor ſecundò, quia Cometæ inſigniores, qui notabili aliquo tempore durant, motu tam aliis ſtellis communi, quam ſibi proprio, varias regiones toto orbe ſibi ſuccedentes, peragrant; incertum ergò, cui potiſſimum præ aliis malum portendant. Dicere autem omnibus portendere, eſt experientiæ refragari. Hinc iterùm deducas, quid de noſtro ſtatuendum. Eſto enim ratum ac firmum bellum denuntiare illis regionibus, quibus longum ſyrma, ceu extentam manu virgam, obvertit; incertiſſimum tamen foret, Belgis ac Anglis ideò potiùs, quam aliis intentare, quòd caudam ab ortu ſuo uſque ad Decembris exitum illis obverterit. Nam ut nobis Belgæ ſunt occidentales, ita nos Ungaris, Ungari Thracibus, Thraces Perſis, Perſæ Indis, hi Chinenſibus, Chinenſes Japonibus, alii aliis ſupra quorum regiones iter ſuum direxit hactenus, & etiamnum dirigit ſyrmate converſo.

Principes à peſte & infectione aëris tutiores aliis hominibus.

Tertiò improbabile mihi ſemper viſum fuit, Cometas, qui mortalitatem inducunt (ſi qui inducunt) Regum potiùs ac Principum capita petere, quam aliorum. Ratio eſt, quia hi tutiores ſunt ab infecto aëre quàm alii, ut experientia in famoſiſſimis etiam peſtibus docuit: utuntur enim meliori victu, eoque ad Medicorum aſſidentium præſcriptum, vel veſcuntur vel abſtinent &c. Cælum ergo infamant, qui ſtellas Regicidas autumant.

Stellæ Principes non necant.

Cometas quoſdam mortem Principum portendere probabile eſt.

Quartò Probabile è contrario viſum mihi, Cometas quoſdam Regum ac Principum mortem portendere, ac veluti funebres quaſdam faces, mortiſque lampades tam caris cælo capitibus prælucere. Quinam autem & quorum funera prænuntient, prorſus incertum. Ratio primi eſt experientia omnium ferè ſeculorum, quâ conſtat, quam plurimos Viros Principes vel eodem vel ſequenti anno poſt exortos Cometas fatis conceſſiſſe. Catalogum invenias apud Cometologos. Ratio ſecundi patet ex jam dictis: nam nec certa, nec probabilis ſuppetit experientia, quâ conſtet cujus conditionis eſſe oporteat Cometas, ut prædictum effectum prænuntient; nec ſi hoc conſtaret, ſtatui ullo probabili argumenta poteſt, quod hujus potiùs, quàm illius capiti mors immineat.

Quintò de præſentis Cometæ vel effectu vel ſignificato, nihil adhuc etiam probabiliter ſtatui poteſt. Nam tota Cometarum prognoſis deſumi ſolet ab eorum loco, motu, duratione, anni tempore, quo exorti, figura, colore, magnitudine ac ſimilibus accidentibus. Quæ omnia videntur mihi adhuc incerta, uti colligo ex pluribus obſervationibus ad me miſſis Roma, Brixia, Græcio, Praga, Lipſiâ, Memminga, Studgardia, Neoſtadio ad Cocharum, Argentina, Molſhemio, Coloniâ, Leodio, & aliis ex locis. Tempus nunc non ſuppetit, ut illas intar ſe accuratè conferam, & quid ex omnibus concludendum de dictis accidentibus, ſtatuam. Duo ſolum obiter noto, de quibus multos ambigere video. Primum eſt, Cometam qui alibi ultimo Dec. hic primò Januarii comparuit ſine cauda prope Eridanum, ac deinceps à quarto Januarii uſque ad 23. ejuſdem caudatum in Eridano, Ceto, & Ariete; etiamnum durare (niſi hodie

Obſervationes ex variis locis ad Schottum miſſæ.

Cometa hyemalis ſine cauda & cum cauda:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

hodie aut heri extinctus ſit) contra ac ego ipſe putaveram, & alii ad me ſcripſêre. Nam licet à 24. Januarii uſque ad 1. Februarii, tum hic, tum alibi inconſpicuus fuerit, partim ob Lunæ vicinitatem, partim ob cælum pluvium; tamen à 2. Februarii, uſque ad 7. imo uſque ad octavum & nonum ejuſdem incluſivè comparuit iterum, eodem pœnè loco quo eum reliqueramus; nempe in Ariete, paulò infra auriculam.

Ubi die 9. Febr. apparuit?

Alterum eſt, dubium me diu hæſiſſe num is qui Romæ à 12. Decembris ibidemque ac alibi ſubſequentibus diebus ad exitum ferè ejuſdem Menſis ſub roſtro Corvi, ſub Hydra & in Argonavi comparuit, ille idem fuerit qui ad Januarii initium adhoc uſque tempus percurrit, ab Eridani flexura prima poſt Orionem per os ac fauces Balenæ, uſque ad auriculam ferè Arietis Auſtrum reſpicientis. Cauſa dubitationis erat, quòd hîc ante Januarii Kalendas propter cœlum continuo turbatum, nullum Cometæ veſtigium notare potuerim, frequentibus licet aliorum litteris ac ſermonibus monitus; aliorum vero relationes & obſervationes variare non parum deprehenderim. Nunc tamen conſpirantes obſervationes ac relationes plurimorum variis è locis ad me miſſæ, dubium omne ſuſtulere: nec enim ambigi amplius poteſt quin unus ac idem ſit. Tandem ſupponendo unum ac eundem eſſe Cometam, qui hactenus effulſit, addo joci cauſâ, quod nonnemo jocando nuper magno cuidam Principi dixit: *Cometa ortus fuit ſub Corvo, diuque eodem in loco hæſit: inde progreſſus petivit Argo navem, eamque celeriter tranſgreſſus tranavit fluvium, & os Balenæ inſedit; tandemque Arietem petivit in quo etiam hæret. Corvus animal rapax eſt, populus rapax, quem bellum primum petet, ac diu premet: inde navalia ſubſequentur prælia; mox Oceanum trajiciet Mars ac Balenam (ſocietatem, ut vocant Indicam) petet; tandem Arietem invadet, ac viribus debilitatis deficiet.* Hæc ille jocando. Quod vaticinium ſi verum, vel ex hoc capite minùs accidet ingratum, quòd Martem procul à Germania noſtra ableget. Seria magis expecto à Rev. V. quæ ſcientiarum arcem inſedit, cujus Sanctiſſimis ſacrificiis me commendo. Herbipoli 10 Februarii 1665.

An unus idemque fuerit in Corvo & Lepore?

Unum eundemque eſſe concluditur.

Schottus argutas prædictiones Aſtrologicas ridet.

Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto

CASPARUS SCHOTT.

31.

Reſponſio ad præcedentes litteras.

Reverende in Chriſto Pater

Pax Chriſti

DOctiſſimum Reverentiæ Veſtræ diſcurſum de famoſo noſtri temporis Cometa accepi, quem & confeſtim in pleno conſeſſu ſummorum Virorum legi, cùm Rever. P. Rectori noſtro adeſſent in conſueta recreatione præcipui hujus Collegii Patres. Aderat & P. Albertus Curtius, Rector Collegii Neoburgici, præcipuus ſtudiorum Reverentiæ Veſtræ fautor & admirator & ipſe quoque ejuſdem Cometæ, quoad licuit obſervator, quem etiam Monachii nobiſcum adhuc vidit 8. vel 9. hujus Menſis Februarii. Tulit Rev. V. ab omnibus eum plauſum, quem merebatur, quemque ſine rubore, ſi coràm fuiſſet, acceptare non potuiſſet. Noſtri Ingolſtadienſes parant aliquid typo publico; quod ſi prodierit, non patiar id à Rev. V. deſiderari. Interim quæ ſubindo huc mittunt, ad Aulam confeſtim deſtinantur, neque inde ad nos redeunt, ut communicari etiam aliis poſſint. Omnium accuratiſſimè, quod ſciam, obſervavit in noſtra Provincia hoc ſydus Tridenti P. Michael Digiſer, perpetua multarum noctium ſerenitate ab hoc uſus. Miſit huc ſpecimen laboris ſui eleganti calamo expreſſum, atque ita diſtinctum, ut ſingularum noctium obſervationes ſingulas tabellas impleant. Si mihi eadem pingendi facultas, grave non fuiſſet

Curtius Schotto ſingulari ratione favet.

Schotti judicium de ſignificat. Comet. approbatur.

Digiſer egregius Cometæ obſervator.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Pingendi facultas Mathematico neceſſaria. Lutheranorum Mathematicorum nonnulli invidiæ adverſariorum ſe objiciunt. Schottus ſpem fecerat operis Cometici, Commendandæ in ſecula ſuæ Societatis cauſſâ.

pro Reverentia Veſtra alterum exemplar expingere. Sed nunc hominem non habeo, qui in hoc meas vices ſuppleat, & ego nec tantum quidem in pictura calleo, quantum ſubinde pueri per luſum illinere Thecis ſcriptoriis ſolent. Circumvolitant paſſim chartæ obſervatrices à Lutheranis plerumque auctoribus editæ, cum ridiculis gloſſematis, ut cuivis affectus & ſtudia partium dictabant. In horum confuſionem exſpectamus omnes à Reverentia Veſtra, tot adjumentis ex omni orbe terrarum adjuta, perfecte elaboratum opus de eodem Cometa, ut extet aliquid à Societate editum, quod ætatem ferat, quod hominum doctorum judicia ſuſtineat, quod deceat famam Reverentiæ Veſtræ, quod exſpectationi ac deſiderio litterati orbis adæquatè ſatiſfaciat. Quò citius id prodierit, hoc plauſum majorem feret. Interim ego me SS. Reverentiæ Veſtræ Sacrificiis & precibus peramanter ac ſtudioſè commendo. Monachii 24. Februarii 1665.

Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto

GEORGIUS SPAISER.

32.

ANNOTATIO

An tempus Cometæ apparituri poſſit prævideri, ac prædici.

Cometæ an prædici poſſint? Henr. Jul. de Blume epiſtola ad Schottum. Bartholom. Schimpfer prædicit Cometam. Comes Torgez Auſtriacorum Procerum doctiſſimus. Gaſſendus laudatur, Apparitiones Cometarum nil ad nos facere putat.

VIr Clariſſimus Henricus Julius de Blume Viennâ ad me ſcripſit 7. Februarii currentis anni 1665. inter alia quæ ſequuntur:

Quæſo autem, ut ſignificet Reverenda Paternitas Veſtra, quid illi videatur de eo, quòd nonnulli jam pridem viſum iri Cometam ſub finem anni præteriti prænunciarunt. Inter eos eſt quidam Bartholomæus Schimpfer, Miniſter Lutheranus in Saxonia, qui in judicio de Eclipſi edito lingua vernaculâ Halæ Saxonum anno 1654. hunc Cometam diſertis verbis prædixit, ut mihi his diebus prandenti cum Principe Averſpergio, ex ipſius libro prælegit Comes Torgez, inter Proceres Auſtriacos ſummæ eruditionis. Memini me vidiſſe hominem illum ante complures annos in aula Ducis Lunæburgici, & fuiſſe admirationi ob peritiam artis Chiromanticæ. Rationem ni fallor affert conjunctiones Planetarum: Undè & anno 84. itidem Cometam appariturum eſſe affirmat. Utile fuerit inquiri an Cometarum exortus certis rationibus præſciri poſſint: id enim ſi fieri poſſit, Cometæ non magis aliquid inſoliti portenderent, atque Eclipſes Solis & Lunæ, quas accidere certo atque ſtato tempore omninò neceſſe eſt. Magni nominis in Gallia Philoſophus Petrus Gaſſendus, in vita Nicolai Claudii de Peireſk, Senatoris Aquæ Sextienſis, ubi ipſi de Cometa anni 1618. viſo ſermo eſt, Cometarum apparitiones nihil ad nos facere exiſtimat. Hæc Dominus Blumius.


Schottus Schimpfero contradicit. Planetarum conjunctionem non ſemper ſtella nova vel Cometa ſequitur.

Similia ad me ſcribit nonnemo Monachio die 10. Martii hujus anni 1665. ait enim audiviſſe ſe nuper, cum Rottenburgo Dilingam tenderet, fuiſſe editam pro anno 1664. practicam Calendario adjunctam, in qua futurus in Decembri Cometa prædictus eſſet. [Quæ res (addit ipſe) argumentum præbet naturalis & penè ordinarii eventus, cum certæ ſunt conjunctiones planetarum]. Utrique reſpondi, Bartholomæum Schimpfer, & quoſcunque alios qui Cometarum exortus prædixerunt aut prædicere voluerunt, perſuaſum habuiſſe, magnam planetarum conjunctionem (qualis fuit præterito anno 1664. in Capricorno) plerumque ſecutum fuiſſe ſtellam novam aut Cometam, inductos experientia, qua conſtat ſæpe id contigiſſe. Nam poſt ſimilem conjunctionem apparuit anno 1604. ſtella nova, & annis 1652. ac 1661. Cometa. Addidi falſam eſſe aut fallibilem ſaltem hanc regulam, cum anno 1662. menſe Decemb. magna fuerit Planetarum conjunctio in Sagittario: quam tamen Cometa nullus nullaque ſtella nova (quod ſciatur) eſt ſecuta.

33. Obſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47


Figura 1 obſervat. Cometicar. Tridenti factar. ad Communicat. R. P. C. Schotti pertinens. N°. 46.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura 2 obſervat. Cometicar. Tridenti factar. A°. 1664. in Pegaſo ſub Piſcium ſignô, 1 April et ſeqq. hor. 2.3.4 mat. ad eandem Communicat. Schottanam pertinens. N°. 47.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

33.

Obſervationes variæ Cometæ novi Anni 1665. menſe Aprili.

Obſervatio Neoſtadiana ad Cocharum, facta ab Excellentiſſimo Domino Joanne Matthæo Fabro.

Obſervatio Neoſtadienſis Cometæ verni.

DE novo Cometa ſic ſcribit, inter alia, Neoſtadio ad Cocharum fluvium die $\frac{5}{15}$ Aprilis, dictus Dominus Faber:

Fabri epiſtola 4. ad Schottum.

Cæterum novus (ſi modò novus) ingens certè denuò nobis fulget Cometes. Eum Sancto Paſchatis feſto, horâ quartâ matutinâ obſervavi primùm, ſed obſcurè, ob diluculi Lunæque propinquitatem; quemadmodum & ſequenti die. Unde circiter judicando (ob defectum apparitionis aliarum ſtellarum) inter Pegaſi alas vel ventrem conſiſtere viſus eſt. Verum $\frac{2}{12}$ Aprilis, manè circà tertiam luculentiſſimè eum obſervavi, adeoque ab Andromedæ capite, gradibus 3. 36; à lucida verò in ventre Pegaſi gr. 15. 36. collocatum deprehendi; caudâ per eandem alteramque lucidam in ala Pegaſi in Occidentem Meridionalem vergente.

Die $\frac{3}{13}$ ejuſdem à capite Andromedæ gr. 6. à ventre Pegaſi gr. 19. remotus cernebatur, adeoquè Orientem verſùs Septentrionalem profectus, caudâ latus Capitis Andromedæ ex parte Meridionali prætereunte.

Die $\frac{4}{14}$ à Capite Andromedæ gr. 9. 36. à ventre Pegaſi gr. 22. aberat, tumque prædictum caput in media ferè cauda effulgebat.

Denique hodierno diluculo paulò poſt tertiam emergere viſus eſt caudâ gr. plus 24. præmiſſâ, capite verò fulgentiſſimo, ac 2½. paulo poſt in latere Auſtrali ſurgente magnitudine quidem nihil, ſplendore vero perparùm cedente. Receſſerat à Capite Andromedæ 12. gr. à ventre Pegaſi 27. gr. caudâ ſtellam (ut reor mediam in brachio Andromedæ) tranſlucentem oſtendente. Brevi conſpectum iri tempore reor, quòd ortui ſatis velociter appropinquet, quotidie ferè 3°. 36 procedendo. Si modò ſignificativa ſunt ejuſmodi phœnomena, hoc certè noſtro infauſtum ſidus vertici imminet, eoque urgentiùs, quò ortivo Horoſcopo vicinius. Deus meliora! Vale interim, Vir Celeberrime, ac ſalve. Dab. Neoſtadii 1665. 5 April.

Reverentiæ Veſtræ obſervantiſſimus

MATTHÆUS FABER, Doctor.

34.

Obſervatio Pragenſis.

Obſervatio Pragenſis.

HAnc perſcribit Pragâ die 2. Maji 1665. Prænobilis ac Reverendiſſimus Dominus Godefridus Aloyſius Kinnerus à Lowenthurn, ad P. Caſparum Schott, his inter alia verbis.

Kinneri epiſtola ad Schottum.

Cometa novus in Bohemia primùm viſus eſt Gitzinii ipſo Sacri Paſchatis die, hìc feriâ ſecundâ ab aliquibus, feriâ tertiâ verò à multis, potiſſimum verò à R. R. Patribus in Collegio obſervari cœpit in pectore Pegaſi exiſtens, caput habens par Veneri, caudamque ad 12. & amplius gradus extendens. Pater Benjamin Schlajer, Mathematicus Pragenſis, curſum ejuſdem diebus, quibus ſerenitas favit, ad 20. uſque, niſi fallor, Aprilis obſervavit, quo tempore Heliacè occumbens videri deinceps deſiit, rediturus fortaſſis in conſpectum, ubi è radiis Solis emerſerit, & novam veſperi ſcenam daturus. R. P. Theodorus Moretus, qui in Provinciali Congregatione diebus aliquot hìc fuit, exiſtimat eundem eſſe, qui nuper in Arietis Conſtellatione diſparuit: videri autem deſiiſſe, quòd curſu ſuo tùm ad cæli ſuperiora eniteretur: unde nunc iterato redux

Schlajer Mathematicus Pragenſis.

Moretus Cometam vernum cum hyemali eundem eſſe putat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dux ſecundò prodeat in conſpectum in Epicyclo ſuo verſus inferiora tendens. Mihi neque vacat, neque libet, quid de hoc ſentiendum, examinare, & quali Eccentrico vel Epicyclo Theoriam ſuperſtruere oporteat, ſi uni eidemque phœnomeno quis cupiat favere. Prodiitne jam in lucem Polygraphia Reverentiæ Veſtræ? Cuperem & illius pro me conſueto pretio exemplar. His finio, meque SS. ſacrificiis ac precibus commendans, maneo.

Polygraphia Schotti.

Admodùm Reverentiæ Veſtræ Addictiſſimus

GODEFRIDUS KINNERUS.

35.

Obſervatio Lucernenſis.

Obſervatio Cometæ facta Lucernæ. Anno 1665.

CIrcà finem Martii rumor advenit, rurſus in cælo videri Cometam. Nos Lucernæ illum advertere cœpimus ſub diluculum.

1. Aprilis manè paulò poſt quartam, ſed ubi propriè tunc eſſet, diſcerni non poterat, ſtellas circumjacentes occultante nimirùm propinquo Solis lumine, neque cauda ſatis liquidè apparebat.

Die 6. Aprilis paulò poſt primam manè obſervatum eſt Cælum, ſed Cometa adhuc non videbatur, ſolùm apparebant Horizonti vicinæ ſtellæ nebulis occultæ. Horâ tertiâ clare apparebat Cometa, major ſtellis primæ magnitudinis, ſed obtuſo lumine, cum barba non Exigua, verſâ propè directè ad Delphinum, & modicè in Boream declinante.

Diſtabat circà medium quartæ à lucida in ore Pegaſi 16. gr. 50. min. à lucida Occidentaliore in pede Pegaſi, quæ eſt extrà quadratam Pegaſi 10. gr. 40. min. Circà quartam iterùm obſervatus diſtare Cometa ab Auſtraliore crucis lucidæ Cygni, quæ eſt interior alæ Auſtralis 29. gr. 0. min. à lucida Aquilæ 41. gr. 50. min. Unde collectum, Cometæ declinationem borealem 17. gr. 10. min. Latitudinem 26. gr. 3. min. Aſcenſionem rectam 336. gr. Longitudinem in Piſcibus 15. gr. 30. min.

Die 7. Aprilis 1. quadran. poſt horam tertiam manè, diſtabat à lucida Aquilæ 45. gr. 30. min. ab Auſtrali ala Cygni, quæ eſt una crucis, 30 gr. 53. min. Circà tertium quadrantem ad quartam diſtabat ab ore Pegaſi Lucido 20. grad. 10. min. à lucida in pede Pegaſi & una quadrati 7. gr. 19. min.

Paulo poſt quartam in Meridiana videbatur Lyra, vel alia lucida, forſan quæ eſt lucida in poplite Herculis. Altitudo Aquilæ paulo ante inter 39 & 40. grad. Caput æquale fuit, aut majus, ſtellis primæ magnitudinis, obtuſo lumine; cauda tendebat ad Delphinum, cum modico declinatione ad Boream. Collegimus inde, Aſcenſionem rectam 338. gr. Declinationem Borealem 19 gr. 3. min. Longitudinem in Piſcibus 18. gr. 20. min. Latitudinem 26. gr. 20 min. ſed globo tantum ad hanc dimenſionem adhibito. Curſus ab heri videbatur eſſe 3. gr. 53. min.

Die 8. Aprilis manè circa tertiam quadrantem ad quartam diſtabat ab Aquilæ lucida 50° 3'. Plures diſtantiæ accipi accuratè non poterant ob nubes identidem ſupervenientes. Utcunque tamen videbatur diſtare à lucidiore pedis Pegaſi, qui eſt in quadrato, 5. gr. 20. min. ab inferiore ejuſdem quadrati in ala 8. gr. 36. min. Undè collegimus, aſcenſionem rectam 342. gr. 3. circiter min. declinationem Borealem 21. gr. 15. min. Longitudinem in piſcibus 23. gr. 6. min. Latitudinem 26. gr. 10. min. Cauda tum tendebat ad Delphinum, cum declinatione ad Boream & erat valdè lucida, ſicut & ipſe Cometes: Longitudo caudæ clarè ad 6. gradus extendebatur, inde paulatim diſparebant radii; erat acutior ad caput Cometæ, inde paulatim nonnihil dilatabatur.

Die 9. Aprilis nubes turbarunt Syſtema.

Die

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Die 11. Aprilis circa medium quartæ apparuit Cometes lucidiſſimus, cum cauda pariter lucidiſſima & rubicunda, circà caput ita addenſata, ut Cometæ corpus multùm ibidem ſuperaret, extenſa in longitudinem ferè ad 17. gr. Diſtantiam capere non licuit ob ſupervenientes nubes.

Die 12. Aprilis ſtatim poſt tertiam noſtri horologii, Caput Cometæ ſupra Horizontem emerſit, caudâ ſive barbâ præcedente lucidiſſimâ, iterum extenſâ in principio ferè ad 19. gr. poſteà ad 16. gr. iterum circà caput latiùs extenſâ. Vergebant barbæ radii ad lucidam Cygni, qui eſt in ala Auſtrali & cruce. Diſtabat Cometes à lucida in capite Andromedæ 3. gr. 12. min. vel ut poſterior obſervatio monſtrabat, 2. gr. 58. min. à lucida pedis eductione in Pegaſo 15. gr. 55. min. juxtà poſteriorem Obſervationem 15. gr. 58. minut. ab eductione alæ in quadrato Pegaſi 19. gr. 55. min. vel ut poſterior obſervatio arguebat, 20. gradus, 14. min.

Contigit prima obſervatio à 1. quadrante poſt tertiam uſque ad tertium quadrantem, ſecunda à tertio quadrante uſque ad quartam. Sub tempus diſtantiæ ab ea ſtella, quæ eſt in eductione alæ Pegaſi primò obſervata, erat Aquilæ Altitudo 41. gr. 26. quæ in globo exhibet horam tertiam 48'. min. Hinc globus oſtendit ad hoc tempus Cometæ declinationem 24. grad. 30. min. Borealem latitudinem 23. gr. 10. circiter min. Longitudinem in Ariete 8. gr. 15. min. Aſcenſionem rectam 358. gr. 30. min. Curſum à prima Obſervatione 22. grad. 54. min. in intercapedine dierum 16. grad. 0. min: à Secunda 19 grad. 20. min. intra dies 5: à Tertia 14. grad. 45. min. intra dies 4. Itaque à primo die veniunt in motu æquali, ad unum diem 3 grad. 49'. à Secunda die autem 3 grad. 16 minut.

Die 13. Aprilis horâ tertiâ manè cauda adhuc ſine capite, quod ſub Horizonte latebat, apparuit valdè lucida, extenſa nonnihil ſupra lucidam in capite Andromedæ, adeòque ad 6. ut minimè grad. Diſtabat à lucida in eductione pedis Pegaſi 19 gr. 29. min. (erat tunc altitudo Aquilæ 40 grad. 30. min. adeòque tempus horæ 3. & 45'. circiter) à capite Andromedæ 5. gr. 11. min. à cingulo Andromedæ 12. grad. 15. min. à lucida in eductione alæ Pegaſi 23. grad. 25. min. & tunc fuit noſtri horologii hora quarta.

Undè collegimus declinationem Boreæ 1. gr. 30. min. Aſcenſ. rectam 2. gr. 5. min. Latitudinem 22. gr. 53. min. Longitudinem 12. gr. 30. min. Curſum diametri ab heri 3. gr. 38. min.

Die 14 Aprilis Cometes viſus eſt ante plenum ortum projicere barbam ultra ſtellas pedis Pegaſi. Poſtea paulatim minor apparuit. Tendebat ad mediam ſtellam Crucis in Cygno. Ergò extenſa barba fuit ad gradus 26. gr. ferè, dum maxima fuit. Circa medium quartæ diſtabat 8. gr. 18. min. à capite Andromedæ 9. gr. 43. min. à Cingulo, vel correctiùs 10. gr. 2. min. Erat tunc Altitud. Aquilæ 40. gr. 12. min. Ab eductione pedis abfuit 22. gr. 18. aliàs 15. min. à Caſſiopæja 29. gr. 25. min. Erat tunc hora quarta.

Hinc collegimus, Cometam declinaſſe à Tropico Cancri in Boream 1. grad. 38. min. in Boream à Tropico in aſcenſione recta 6. gr. in longitud. 16. grad. 0. min. In latitud 20. gr. 50. min.

Die 15. Aprilis longitudo Caudæ maxima ſub ortum Cometæ deprehenſa 27. gr. 30. min. circa tertium quadrantem diſtabat à ſtella Caſſiopejæ proxima, quæ eſt in ejus humero Auſtrali 39. gr. 33. min. à Capite Andromedæ 11. gr. 21. min. ab occidentaliſſima Caſſiopæjæ, quæ eſt in ejus capite 32. gr. 49. min. & tunc fuit hora quarta.

Unde collegimus declinationem à Tropico Cancri in Boream 1 gr. 30 min. Aſcenſionem rectam 9 gr. 30 min. Longitudinem 19 gr. 0 min. Latitudinem 19 gr. 25 min. Curſum 3 gr. 15 min. ab heſterna obſervatione. Die 16 April. nubes circà Horizontem prohibuerunt aſpectum Cometæ.

36.

Exemplum Literarum Monachii ſcriptarum.

Schorreri epiſtola ad Schottum.

Reverende in Chriſto Pater,

Pax Chriſti,

ID agebam, ut Reverentiæ Veſtræ mitterem Romanas chartas jam prius; ſed cum diligenter quæſiviſſem neutiquam reperi pluribus hebdomadis. Nunc inventas hiſce accludo. Quas ſi Reverentia Veſtra jam aliunde habuerit, libeat remittere. Accludo litterarum P. Honorati partem, & alterius Mathematici cogitationes Româ mihi miſſas.

Cometa tertius Romæ in Andromeda obſervatus putatur.

P. Fabri hæc habet: Hîc Romæ more ſolito vivimus. Tertium Cometam illuſtriorem primo aſpicimus ab octo diebus, longam caudam in occaſum porrigit, in ortum tamen brevi porecturus. Jam proceſſit ab Equuleo ad Caput Andromedæ ſeu umbilicum Pegaſi in arcu Eclipticæ parallelo, quantùm ſcilicet obſervari potuit.

Cometarum mira varietas.

Illius motus diurnus eſt ferè 5 gr. 36. ortum verſus; ejus latitudo eadem ſemper 25 gr. 20. Certè in Cometis natura ludere videtur. Nam primus in occaſum movebatur, tertius in ortum: primus in Circulo maximo, tertius in minore: primus in orbita maximè inclinata ad Eclipticam ſcilicet ferè 50 gr. tertius in orbe parallelo, ac proinde nullo modo inclinato: primus motu maximè inæquali, tertius æquabiliſſimo: primus verſùs Auſtrum, tertius verſùs Boream: primus ut Planetæ; ſecundus eodem cum ſtellis motu, eandem ſemper diſtantiam, eundemque ſitum ſervabat; tertius partim ut ſtellæ in circulo ſcilicet Eclipticæ parallelo, partim ut Planetæ, quorum velocitatem, exceptâ duntaxat Lunâ, ſuperabat. Reverentiæ Veſtræ SS. Sacrificiis unice commendo. Monachii 26. Maji 1665.

Reverentiæ Veſtræ Servus in Chriſto

CHRISTOPHORUS SCHORRER.

Ephemerides Cometarum incertæ.

Ille, qui Ephemerides novi Cometæ ſcripſit, non eſt Profeſſor in Sapientia, prout in literis inſinuavi, ſed ipſe vocat ſe Aſtronomum Archigymnaſii Bononienſis, hic inter alia in prima Ephemeride ita ſcribit: Cometa qui nunc feſtino greſſu ad Solis copulam tendit, ipſum aſſequetur die 22. Aprilis manè, ſed cum latitudinem tunc temporis habiturus ſit grad. 15. & in ortu altitudinem grad. 13. videri adhuc poterit. Orietur antè Solem horâ $1\frac{1}{5}$, eritque infrà ſtellam in apice Trianguli gr. ferè 2. & à verticali per lucidam cinguli Andromedæ nonnihil declinabit ad Boream.

Etſi medio Aprili occidere incipiet poſt Solem, veſperi tamen videri à nobis non poterit Occidentalis, quia ejus altitudo in occaſu Solis nunquam major erit gradibus 6. Iterum verò cum Sole occidet circà medium menſis Maji, ſed initio menſis ejuſdem ejus altitudo in ortu Solis erit grad. 10. orieturque antè Solem minutis 42′. quare ægerrimè videri poterit toto illo menſe, præterquam ad finem, cum oriri incipiet hora $1\frac{1}{2}$ antè Solem, & in Solis ortu altus erit grad. $15\frac{1}{2}$ ſpectabiturque ſuprà Plejades. Tota autem menſe Junio commodè conſpici poterit matutino tempore, quia die 10. in ortu Solis altus erit gr. 21. die 20. gr. 27. & in fine menſis gr. 34 orieturque cum Plejadibus. Erit verò tùm temporis ſepties altior à Terra, quàm initio menſis Aprilis. *Et paulo poſt dicit:* Menſe Martio extremam Signi Sagittarii partem, deinde Capricornum, & Aquarium cum Latitudine Boreali percurriſſe & veniſſe à Serpentario per Antinoum, Equuleum, & Pegaſum, ubi primum à nobis 4. Aprilis conſpectus eſt, cùm videri multò antè potuerit, ſive ipſum nubes, ſive lunare lumen, ſive incuria diu obſervationi ſubtraxerit.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Herbipolin Kalendis Juliis Gregorianis 1665.

Schotto de communicatis obſervationibus, judiciis & figuris Cometicis gratias agit: Hæc ſe ſub ejus nomine editurum pollicetur.

QUas Tibi dignas pro tanto favore rependam grates? Accepi enim rectè ante triduum faſciculum Tuum, qui non tantùm humaniſſimum reſponſum Tuum, ſed & uberem variarum obſervationum Cometicarum congeriem, unà cum adjunctis ſchematibus continebat. Ex his cuncta deſumam, ac ſub nomine Tuo, ſub Titulo Communicatio Herbipoli-Schottiana (ſic enim Deo volente librum dividam, ut omnibus ab Curtio, Hevelio, Bartholinis, Gravio, Bullialdo, Placentino, Leüneſchloſſio, Ricciolio, Kirchero, Büthnero &c: mihi, ut & illis à me communicatis tales præfigam titulos) edam, quæ nondum ab aliis communicata acceperam. Sunt enim inter hæc quædam, quæ jam inſerta ſunt operi: ut obſervationes Olomucenſes, Pariſinæ, Romanæ & aliæ nonnullæ. Ita pro his chartis exemplum libri, quamprimùm editus fuerit (quod ut quàm ocyſſimè fiat omnem do operam, præmiſſâ jam primâ libri parte in Hollandiam, & ſecundam cras Deo dante miſſurus, cum omnibus meis Tuiſque ſchematibus, quorum inciſio æri multum requirit temporis) à me habebis. Faxit Deus Opt. Max. ut dignus inveniar, quò non tantùm cognitu, ſed, quod præcipuum eſt, & factu digna Orbi Chriſtiano proponam. In eo enim ſum, ut utile quoddam Philoſophiæ, non tantùm Theoreticæ, ſed & Practicæ exhibeam compendium, ſaltem ſpecimen, Principibus & Viris Rempublicam tractantibus maximè accommodum. Tu cœptis fave, & à me nil niſi ea, quæ ab homine ingenuo meritò exſpectanda ſunt, exſpecta. Fac ut ſciam an, licet hæc Tua lucem ſint viſura, cuncta Tibi reſtituere debeam? an verò eadem impreſſo exemplo, tùm & aliis officiis, quæ in mea fuerint poteſtate, penſare poſſim? Accipe nunc pauca hæcce, quæ nuper ab Hevelio accepi, ad Kircherum dedi. Nobiliſſimum Dominum Reſidentem Brandenburg quîcum mihi ſingularis neceſſitudo intercedit, per hos aliquot dies compellare non potui: mox tamen officio meo defuncturus. Ampliſſ. D. Parens ejus etiam nonnulla ad opus meum dabit, Plurima verò Illuſtriſſimus Ille Neoburgicus Miniſter & Legatus D. Rautenſteinius, Amicus utriuſque noſtrûm, cujus de Tua eruditione & humanitate ſpes & pollicitatio me non fefellit. Unum addo. Obſervatio Romana & Franequerana docet me Cometam obſervatum eſſe, ibi in Aprile hîc in Februario & Martio (& quidem ab illo qui in Lepore apparuit diverſum) ad cingulum Andromedæ Septentrionalius. Hoc Hevelius negat. Velim mihi paucis dicas, quid de hac re ſtatuas. Quæ de his Roma, Bononia, Dantiſco & Franequera exſpecto, poſtquam ea accepero, Tecum communicare non negligam, ſi Deus utrique noſtrûm & Amicis illis vitam prorogârit. Vale, & me conſtanti benevolentia proſequere.

Schotto Auctor exemplum libri promittit.

Auctoris votorum ſumma publico prodeſſe.

Philoſophiæ quoddam hic eſt compendium ſaltem ſpecimen, Viris Principibus & aliàs in foro verſantibus utile.

Schottum Rautenſteinius magni fecit.

Cometæ ſuppar phænomenon in Andromeda 1665.

Herbipoli Hamburgum die 15. Julii 1665.

Schottus Auctoris ſtudia probat.

FAcilè apparet, Muſas omnes cum Apolline, omnes Gratias, eruditionem denique ipſam in pectore Tuo, Vir Nobiliſſime atque Ampliſſime, ſedem fixiſſe; adeò mellita ac erudita ſunt omnia, quæ ad me & ad Kircherum noſtrum ſcribis. Gaudeo proindè ſummoperè, opus tuum tam bellè procedere, ſpemque eſſe ut brevi lucem videat: erit enim, ut auguror, non minus elegans & jucundum, quam utile. Opto vitam mihi prorogari, quò illo frui aliquando liceat. Ex illis quæ miſi, ſelige quæ magis probas, cætera vel corrige, vel omitte.

Quæ Operi Tuo inſerentur, non eſt neceſſe remittere; quæ omittuntur, poſſent ſuo tempore, & datâ occaſione commodâ, remitti.

Magni Hevelium ſemper fecit.

Nobiliſſimum atque Eruditiſſimum Dominum Hevelium, magni, ut par eſt, æſtimavi jam dudum, atque inter ſeculi noſtri lumina ſplendidiſſima ſemper numeravi. Prodromum ejus, cujus in ſuis ad Te datis meminit, nondum

Hhhhh 2 vidi:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

vidi: curabo ut Francofurto ad me mittatur, ſi haberi poſſit.

Non audeo interpellare negotioſum Tuum otium, & petere ut pro ſecunda phyſicæ meæ Curioſæ editione aliquid, quacunque de materia, ſubmittas. Potius opto Valere Te quam optimè, hortorque (ſi fas eſt) ut expectatiſſimo Tuo opere & me & Remp. literariam univerſam quantocyùs beare ſtudeas.

Hamburgo Herbipolin die 5. *Auguſti* 1665.

Amici ſilentium ſua habere impedimenta ſemper cogita, nec illud malè interpretare: Tardo ad ſcribendum æquus ignoſce. Gratus in quemvis benè de te meritum eſto.

Hiſtoriam Cometarum meditatur Auctor.

Cometarum indiculus nullus Auctori per omnia ſatiſfecit. Riccioli merita Auctor celebrat. Morbum dolet. Longam valetudinem ei precatur. Doctis Viris vitam longævam precare. Dei voluntas ubique ſpectanda & ſectanda. Publica commoda juva. Noſce te ipſum.

DEcem dies excurrunt, ex quo ad Tuas humaniſſimas literas reſpondere Tibi debui. Id quominus facerem adhuc, fecerunt varia impedimenta, quæ ut noſti eluctari non ſemper noſtræ opis eſt. Expectabam ad hæc hinc inde aliqua Tuo digna ſcitu, de argumento ſcilicet noſtro Cometico, cum multi Amici vicem reſponſi mihi debeant. Sed illorum vel tarditas ad ſcribendum, vel multitudo negotiorum, quibus diſtrahuntur, vota mea moratur. Ego inter hæc Tua morari nolui. Agnoſco enim, & mox, ſi vivo, publice celebrabo gratus multùm me eximiæ Tuæ humanitati, & facili ad implenda mea vota benevolentiæ debere, Teque mediocres meos in juvanda re literaria egregiè auxiſſe conatus. In eo jam cum Amicis deſudo, quo opus meum quamprimùm in lucem prodeat. Quod publice non tantum jucundum, ſed & gratum ac utile fore, & Tibi antehac, addita rudi ejus delineatione demonſtravi. Accedet Mantiſſæ loco Hiſtoriæ Univerſalis Cometarum, cum indiculo non tantùm triſtium ſed & lætorum eventuum eos ſecutorum. Ibi conabor Cometas perpetuæ illi & gravi infamiæ, quaſi nil niſi triſtia portendant, eximere. Quo de inſtituto libens Tuum judicium cognoſcam. Sed & ſententiam de numero Cometarum, in quo fateor neminem mihi undique ſatisfeciſſe, quos adhuc vidi. Utinam ego aliis, qui & librorum neceſſariis ſubſidiis careo, & aliis laboribus neceſſariò exantlandis abunde facere hoc poſſim! Diligentiæ Ricciolianæ hic quoque multùm, alibi plurimum debeo. A quo eadem illa die 15 Jul. datas literas accepi octo ab hinc diebus, poſtquam tunc meas ad illum miſiſſem. Scies, ut puto, eum cum catenatis morbis luctari in extremo vitæ diſcrimine poſitum. Precor ei longam & rectam valetudinem, ut præclaris excellentiſſimi ingenii & indefatigabilis diligentiæ monumentis Rempublicam literariam amplius illuſtret. Promittebat ille nobis Aſtronomiam Reformatam, inque ea ſingulare quoddam rei Mathematicæ decus. Exſpectandum jam nobis eſt, quid de eo Deus Optim. Max. vitæ & necis omnium noſtrûm arbiter, ſtatuerit, cui in omnibus ſubmittere nos par & neceſſe eſt. Te Phyſicam curioſam nobis promittere libenter audio. Utinam aliquid tanto Tuo conatu & voto conveniens adferre in medium queam! Non deeſſet profectò Tibi opera mea, utpote juvandis & promovendis uſibus publicis unicè intenti, & omni ſtudio ac toto pectore in eos incumbentis. Sed mecum habito, & novi quàm ſit mihi curta ſupellex. Adhæc tantis laboribus diſtracto nequaquam licet in præſentia animum ad aliquid ejus generis tentandum appellere. Tibi interim & pro honore, quem mihi amica invitatione exhibes, & ſimul pro æquo, vel potius amico & benevolo de laboribus meis judicio, & optati ſucceſſûs voto, debitas ago gratias. Clariſſimum Hevelium Te pro merito magni facere gratulor, ſingulari amicitia Viro illi in re Mathematica Excellentiſſimo, unaque humaniſſimo conjunctus. A quo cum antea Obſervationes Pragenſes, Olomucenſes aliaſque nonnullas, alias item aliunde acceperim, non erit opus ea bis proponere, niſi ubi diſcrepabunt exemplaria, qua in re Tuum jam me juvit, & porrò juvabit. Cujus pro arbitrio utendi facultatem humanitati Tuæ debeo. Quæcunque operi meo non inſerentur, nec mihi uſui erunt, ad Te libens meritoque remittam. Vale & mihi conſtanter fave.

Hevelii amicitiam ſibi gratulatur, Et merita prædicat Auctor.

Herbipoli Hamburgum die 8. *Auguſti* 1665.

Joan. Matth. Faber laudatur.

INter alia Cometarum Syſtemata nuper miſſa, unum fuit à Clariſſimo Expertiſſimoque Domino Joanne Matthæo Fabro, Sereniſſimi Ducis Wirtember-

bergici Jatro Aulico, mihi tranſmiſſum, videlicet majus omnium in folio integro, cum Cometæ itinere ſubſcripto, & in varias columnas diviſo. Significavi dicto Domino, me id Nobiliſſimæ Dominationi Veſtræ miſiſſe, incidendum cum multis aliis in æs, pro Opere ſuo quod molitur. Reſcripſit, nolle ſe illud publicè proſtare, utpote non undequaque elaboratum. Rogat itaque, ut ſi res integra adhuc ſit, non incidatur. Addit, habere ſe aliud accuratiùs digeſtum, & per folia quatuor chartæ regalis, ut vocant, extenſum, elaboratum pro Bibliotheca Sereniſſimi ſui Principis: velleque ſe illud contrahere ad minorem formam, ac per me mittere, ſi intelligat, in qua forma aut magnitudine cupiat delineari. Hæc Nobiliſſimæ Dominationi Veſtræ ſignificare volui; nec aliud addere, ne à ſuſceptis ſtudiis avertam vel modicùm.

Figuram obſervat. Neoſtad. publico dari recuſat, meliorem pollicitus.

Hamburgo Herbipolin die 19. *Auguſti* 1665.

QUod à me nomine Excellentiſſimi & Clariſſimi Viri Domini Joannis Matthæi Fabri, qui Sereniſſimi Ducis Wirtembergici Principis virtutibus & rerum geſtarum gloriâ Inclyti Medicum magna cum laude agit, poſtulas, æquitati vel maximè convenit. Nullus enim ſuo in ea quæ meditatus & commentatus eſt, quæque fecit, jure, cui æqua libertas, cordata cura, & amicitiæ fides optimè de integritate cavit, privari poteſt. Itaque libenter meritoque ſchema illud Obſervationis Cometicæ remitterem, ſi id præſto eſſet. Sed poſtquam mihi ejus, ſicut & aliorum copia ex ſingulari Tua humanitate, ea fini ut operi meo inſererentur, facta fuiſſet, cuncta extemplò in Hollandiam miſi & ſculptori tradidi æri incidenda. An res jam ſit integra, non habeo dicere. Imò addubito potius, cùm ſciam Amicos, quibus id negotii curandum commiſi, magno ſtudio operi ſe accinxiſſe adque illud incumbere. Verumtamen ego acceptis Tuis ea de re literis quarto ab hinc die, heri ad Amicum Adamum Francum, qui editioni præeſt, ſcripſi, ut ſchema illud Obſervationis Neoſtadii, ad Cocharum factæ, quamprimum ad Te directo Francofurtum itinere mitteret. Atque id Clariſſimo illi Viro, licet ignoto, cum pl. ſalute meo nomine perſcribi cupio. Nec non, in votis me habere, ut ſive illa priora correcta, ſive quæ ſecunda doctior cura elaboravit, ad me quamprimùm mittat. Multum enim intereſt ad rem ritè perficiendam, ut cuncta ſculptor & typographus in tempore, quod omnium rerum primum eſſe noſti, habeant. Eruditiſſimo Kirchero ad literas humanitate refertas die 25. Aug. datas hodie, ut & Humaniſſimo Ricciolio ad illas, quæ eadem, quâ Tuæ mediæ datæ erant die (erat 15 Julii) reſpondeo, poſtquam nihil reſponſi à Clariſſimo Hevelio, dubio procul opus Cometographicum Herculea virtute urgente, obtinuiſſem. Nihil quod ad Te nunc ſcribam, habeo, præterquam Clariſſimum Gravium Profeſſor. Franequer. phœnomenon illud ad cingulum Andromedæ Borealius aſſerere. Vale & conſtanter ex æquitatis & humanitatis communis, omnia impedimenta ſuperare doctæ, lege, mihi fave.

Wirtemberg. Ducis elogium.

Æquitati in minimis quibuſque ſtude.

Jus propriæ rei quiſque retinet.

Figuram Neoſtadienſem Schotto cur Auctor mittere non poſſit à Fabro corrigendam:

Miſſurum ſe eſſe promittit.

Temporis diligentem rationem in omni actione habe.

Hamburgo Herbipolin die 14. *Octobris* 1665.

PRomiſſi fidem feceram Tibi me obſervationem poſtulante id Clariſſimo D. Fabro miſſurum. Et ego quidem è veſtigio in Hollandiam ad Amicum, qui editioni mei operis præeſt, literas hujus rei gratiâ dederam quò votis veſtris meoque paritèr officio ſatisfacerem. Sed partim abſentiâ partim errore ejus Stutgardianam, (utpote ab eodem Auctore profectam, quam non deſideras) obſervationem pro Neoſtadiana mihi mittendis, partim meis aſſiduis occupationibus factum eſt, ut tamdiu reſponſum & officium hocce meum fuerit dilatum. Quod benigne excuſari peto. Interim neſcire Te nolo tum cum obſervationem hanc repeteres rem non amplius fuiſſe integram, Amico figuras à Sculptore æri incidi jam ante curante. Quid Clariſſimus D. Faber de hac re ſtatuere velit, ex Te ſcire aveo. Optarem certè illud, quod promittit obſervationis exem-

Figuram Neoſtad. æri jam inciſam Auctor Schotto nuntiat: mittit tamen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Alteram ejus exemplum correctius deſiderat & poſtulat.

plum ab eo obtinere. Atque hoc Tua eximia benevolentia & dexteritas efficiet, ſpero. Fama novi Cometæ Sueciam, Angliam & Hollandiam implevit. Nos hîc nil tale inveſtigare poſſumus. Sed nec Clariſſimus Hevelius, poſtremis literiş die præteriti menſis ultima datis, Cometam ullum poſt illum in Pegaſo viſum agnoſcit, imò illi opinioni ſe opponit. Si quid de ſtatu valetudinis Doctiſſimi Riccioli exploratum habes, fac ut ſciam. Vale & mihi porro fave.

Cometæ autumnalis 1665. fama ſurgit: Contradicente Hevelio.

Herbipoli Hamburgum die 21. 31. Octobris 1665.

Figuram Neoſtad. Schottus Fabro mittit, ejus exemplum correctius poſtulat: Sed nil reſponſi accipit.

ACcepi ſchema Neoſtadianum. Scripſi antè complures hebdomadas ad Clariſſimum Dominum Fabrum, monuique ut aliud accuratè delineatum, quâ vellet formâ & magnitudine, ad me mitteret, tranſmittendum Præn. D. V. ſed nullum hactenus reſponſum accepi. Scio occupatum eum diu fuiſſe, avocatum ab Illuſtriſſimo Principe Magno Magiſtro Equitum Teutonicorum. Monebo iterum. Si nihil impetravero, utatur illo quod jam æri inciſum, moneatque Lectorem, non fuiſſè illud ab Auctore numeris omnibus abſolutum.

Cometa autumnalis inviſus, inauditus Herbipoli, Romæ &c.

Geographia Reformata.

De novo Cometa hîc nihil inaudivimus. Nec Pater Kircherus in ſuis nuperis ad me mentionem ullam fecit. Fuerit utique rumor falſus. R. Patrem Ricciolium æſtimo adhuc in vivis eſſe: cum enim nomina omnium, qui toto orbe è Societate noſtra moriuntur, ad nos perferantur, illius nomen nondum inaudii. Viderit dubiò procul Præn. D. Veſtra dicti P. Riccioli Geographiam reformatam in Italia impreſſam. Præteritis nundinis Paſchalibus unum ſolùm exemplar repertum fuit Francofurti, & ad me miſſum. Exſpecto avidè opus Cometicum Præn. D. V. Benè Valeat.

Hamburgo Herbipolin die 14. Novembris 1665.

Auctor ſtudium in commoda publica teſtatur.

COeptis Te meis & conatibus bonum publicum undique, pro modulo virium à Domino mihi conceſſarum, juvare cupientibus favere, ex literis Tuis die 31. Octob. à Te datis, mihi vero nudius tertius redditis, libentèr intellexi. Gratias Tibi ago debitas de tanta Tua benevolentia quam non merui. Dabo tamen operam ut eâ dignus inveniar. Velim urgeas Clariſſimum Fabrum ut correctam obſervationum ſuarum figuram nobis exhibeat. Quod ni fecerit, ego Tuum conſilium in monendo Lectore ſequar. Accepi non ita pridem XIII. figuras & demonſtrationes Mathematicas, ſingulari curâ & ſolertiâ compoſitas, inprimis autem argumento Cometico illuſtrando inſervientes à Clariſſimo Olao Rudbeckio, per Nobiliſſimum Nicolaum Heinſium, Fœder. Belg. in Aula Suecica Oratorem Ordinarium. Sed has jam in Hollandiam promovi, ubi fervet feliciter opus. Editionem ejus tardabit & juſta moles, & multitudo figurarum ænearum, quæ plures centum erunt. Exemplum libri, quamprimum perfectus fuerit, faxo ut ſine mora accipias. En Tibi quæ hodie à Nobiliſſimo Heinſio de novo Cometa accepi. En & Bullialdana, hodie itidem ad me perlata. Tu quid de novo Cometa ſtatuas, fac ut ſciam. Doctiſſimum Ricciolium in numero viventium eſſe mihi illique ipſi, ſed & orbi literato gratulòr, cumque longum valere unà Tecum & cunctis bonas artes amantibus, precor.

Figuram Neoſtad. correctam Auctor iterum à Schotto poſtulat.

Lectori obſervandum de figura Neoſt. monitum.

Operis iſtius editionem quæ tardarint:

Exemplum ejus Auctor Schotto promittit.

Docti Viri vita longæva digni.

Herbipoli Hamburgum die 27. Ian. Gregor. 1666.

Cometa autumnalis inviſus, inauditus Herbipoli & aliàs: hybernꝰ 1666. fama volat.

QUòd rariùs, quàm deſidero, calamus meus ad te excurrat, cauſa eſt, quia timeo, ne Tibi aut moleſtus ſim, aut à ſtudiis Tuis Te avocem. De Cometa in Suecia viſo, ut in ultimis monuiſti, nihil hîc viſum, nec aliundè auditum. De alio nuper, ut ferunt, in Auſtria viſo, magnum quoque hîc ſilentium. P. Ricciolius ſanus eſt & incolumis. In ultimis 13. hujus ad me datis ſcribit, ſe poſt editam Geographiam & Aſtronomiam reformatam (quarum poſtremam necdum vidi) totum incumbere in reformandam Chronologiam quatuor Tomis explicandam. Horum duos jam eſſe abſolutos, reliquos abſolvendos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dos, ſi per ægritudines licuerit. Addit, cum ſua Aſtronomia, ſed ſeparatim, editam eſſe Phyſico-Matheſin P. Franciſ. Mariæ Grimaldi de lumine, coloribus, Iride &c. Opus poſthumum & egregium. P. Kircherus intra menſes aliquot, præter multorum annorum conſuetudinem, ſiluit. Timeo ſiniſteriorem valetudinis ſtatum. Urſi reſponſum per literas, Opus Tum exſpectatiſſimum quo in ſtatu progreditur, rebus Hollandicis adeò perturbatis?

Phyſico-Matheſis Grimaldi.

Dominus Faber altum ſilet per menſes aliquot, nec ad binas meas reſpondet. Vivus, an mortuus ſit, neſcio. Hæc nunc occurrunt. Aliàs, ſi permittis, plura. Salutem humaniſſimam, ubi occaſio dabitur, Dn. Excellentiſſimo ac Strenuiſſimo Baroni Wirtz (ſi adhuc apud Vos) & D. de Geriken, de cujus D. Parentis, Ampliſſimi Conſulis Magdeb. adverſâ valetudine accepi aliquid, magno meo dolore ab Ornatiſſ. Domino Jodoco Herman Ulrich, Secretario R. M. Daniæ, qui Erfurdo ſcribit, ſe ad eum Magdeburgum tendere, ad procuranda pro Majeſtate Regia experimenta illa, quæ in Technica mea deſcribo.

Faber ad binas Schotti literas nil reſpondet.

Wirtzium Schottus ſalutatum laudat.

Rex Daniæ bonarum literarum amans & patronus.

Hamburgo Herbipolin die 10. Februarii 1666.

PRomptam reſponſionis vicem merebatur epiſtola Tua die 27 Jan. data, utpote eximiæ humanitatis plena; & mihi multis de cauſſis gratiſſima. Sed varia objecta mihi adhuc fuêre impedimenta, etiam poſtquam duas hîc lineas proximo die Sabbathi exaraſſem. Præterea volebam prius officio debitæ viſitationis mutuæ apud Illuſtriſſimum Wirtzium Campi Mareſchallum & Nobiliſſimum Guerichium Legatum Brandenburgicum Reſidentem, quos ſalutare juſſeras, defungi, quàm Tibi reſcribere. Illum die Dominica, hunc nondum compellavi coram, ſed per fidas mentis internuncias quotidie. Et ut hunc prius paucis expediam, & ipſe benè valet, & Ampliſſimum Dominum Parentem benè valere certus ait. Imò verò de eo ſic ſcribit: Benè valet

- - ſolidæque ſuo ſtant robore vires.

Guerichio filio Auctor ſingulari amico utitur:

Pater benè valet.

Te verò humaniſſimè reſalutatum cupit. Sed venio ad Illuſtriſſimum Wirtzium, qui hodie mihi adfuit, mutuâ me viſitatione dignatus. Noſti Viri non tantùm bellicis, ſed & literariis & virtutum laudibus cum primariis quibuſque noſtri ſeculi Viris certantis, humanitatem. Hæc vel me tacente Tibi dicet, cum ſalutationem Tuam gratiſſimam habuiſſe, cùm eam ipſi tunc deferrem.

Wirtzii merita Auctor celebrat:

Benevolentia erga Schottum & Guerichium patrem,

Hodiè verò apud me multa in laudem Tui & Ampliſſimi Guerichii dixit. Fatetur pro candore ſuo, eum & plurimas curioſas obſervationes & demonſtrationes experimentis probatas dediſſe, & in hoc genere plus quàm ullus alius antè eum præſtitiſſe. Multis de Vacuo egimus inter nos. Ex ejus mente *Sphæra*, licet omnium figurarum ad evacuandum aptiſſima ob fortitudinem, quâ reſiſtit meliùs, quàm ulla alia figura, *non poteſt* hâc arte, quam vulgò extractionem dicimus *omnino vacua reddi.* Hoc autem aſſerit, *quod detur vacuum in Sphæra* majus vel minus, prout illa extractio exactè facta fuerit. Vacuum autem tale intelligit, quod eſt ab omni ſenſibili corpore, etiam ſubtiliſſimo, vacuum. Sed de his aliàs plura, ſi voles. Nunc enim vides quot mihi ſint perficienda Tuâ & Riccioli gratiâ. Candorem ei meum, & rei literariæ in Chronologicis magno incerto laborantibus juvandæ ſtudium, gratum fore ſpero. Tibi de nuncio bonæ ejus valetudinis & præclarorum laborum plurimùm debeo. Ex literis ad eum & adjunctis chartis diſces quo in ſtatu opus meum ſit poſitum. Hæc cuncta illùc promovenda Tuæ induſtriæ & benevolentiæ commendo. Si quid de Clariſſimo Fabro vel Reverendiſſimo Kirchero cognôris certi, mecum communica. De Cometa autumnali & brumali hic quoque altum eſt ſilentium. Vale feliciter.

Candor & bonarum artium amor,

Et ſententia de Vacuo.

Extractionis ars in ſphæra evacuanda fruſtrà non eſt,

Ricciolio Auctor Chronologica quædam per Schottum mittit.

Chronologiæ incertum multiplex incumbit.

Herbipoli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Herbipoli Hamburgum die 28. *Martii* 1666.

Jodocus Herm. Ulrichius Regi Daniæ à ſecretis.

INcluſas nuper confeſtim miſi ad R. P. Ricciolium, & reſponſum obtinui, quod hiſce accluſi. Rogo viciſſim Præn. D. Veſtram, ut ſi fortaſſis Hafniam ſcribit, ſive per ſe, ſive per Amicorum aliquem, incluſas ad Excellentiſſimum Dominum Secretarium Regiæ Majeſtatis Jodocum Hermanum Ulrichum dirigere non gravetur. Scripſi eidem ante plures ſeptimanas ob negotium aliquod quod Regiæ Majeſtatis nomine mihi commiſerat, litteraſque per poſtam miſi; at quoniam reſponſum nullum accepi, dubito an ad ipſum pervenerint.

Aſtronomia Reformata Riccioli laudatur à Schotto. Riccioli laus.

P. Ricciolius brevi tradet duos Chronologiæ Tomos abſolutos ad cenſuram. Curavi Venetiis afferri Aſtronomiam ejus reformatam, duos Tomos complectentem, qui tamen mole non excedunt unam Almageſti novi partem. Opus & egregium & accurate elaboratum. Eſt ſibi ubique ſimilis.

Kircheri occupationes. Obeliſcus Chiſius Romæ erigendus. Faber Schotto reſpondet, aliud ſe figuræ obſervat. Comet. exemplum accuratius miſiſſe ei affirmat, Id inter vias periiſſe Schottus aſſerit.

P. Athanaſius Kircherus totus eſt occupatus in Obeliſco recens reperto in Patrum Dominicanorum horto ad Minervam interpretando, quem Summus Pontifex erigere, & Obeliſcum Chiſium appellare cogitat. Excellentiſſimus Dominus Faber ſcribit, ſe præteritâ æſtate circa Pentecoſten miſiſſe ad me hemiſphærium Cometicum denuò & accuratiùs delineatum, priorique ſubſtituendum: ſed in via unà cum litteris interiit: nihil enim accepi. Mea ſtudia valdè lentè procedunt ob adverſam valetudinem quâ identidem affligor. Rogo divinum numen, ut Præn. D. Veſtram diu ſanum & incolumen conſervet.

Hamburgo Herbipolin die 9. *Junii Gregor.* 1666.

Temporis parcus eſto.

ACceperam rectè Tuas literas die 28. Martii Gregor. datas, unà cum incluſis ad Nobiliſſimum & Ornatiſſimum Virum Dominum Secretarium Ulrichum. Has extemplo Hafniam promoveram. Sed tardius acceperam ad meas reſponſum. Hujus verò quoque participem Te è veſtigio reddere non potui: Subinde enim varia interveniebant impedimenta, quæ officii vicem differre cogebant. Omnia quippe temporis momenta captanda, & quantum per alias neceſſarias vitæ tuendæ occupationes licet, editioni operis mei impendenda mihi ſunt. Scribit autem mihi nonnemo Amicorum Hafniâ, illum Dominum Secretarium officio ſuo erga Te jam antea ſatisfeciſſe. Quod niſi feliciter ſucceſſerit, me monebis, ego verò meum amicum. Doctiſſimo Ricciolio non pauca in Chronologia corrigenda argumenti mei Cometici occaſione indicavi. Atque hoc ille, qua egregia eſt humanitate, gratum habuit, mihique ad illa ſtudia continuanda animum addidit. Hemiſphærium Cometicum ab Excellentiſſimo Domino Doctore Fabro correctum & elaboratum libenter habuiſſem. Doleo illud periiſſe. Operis mei editio feliciter divinâ gratiâ procedit, quantum quidem Auctore tam longè diſſito & aliis laboribus diſtracto fieri poteſt. Nemo poſtquam id prodierit, me biennium circiter huic magno & multiplici labori impendiſſe mirabitur. Vale in annos quàm plurimos bono publico. Illuſtriſſimum autem *Rautenſteinium* à Suecica legatione redeuntem Chilonii Cimbrorum die 28. Maji Gregor. obiiſſe, ſcito. En Tibi Epitaphium memoriæ Optimi Amicorum à me dicatum, & ante octo dies inter doloris & laborum onera tumultuario opere compoſitum. Iterum Vale, ac mihi fave conſtanter.

Chronologica multa Ricciolio Auctor propoſuit. Fabri ſyſtema Comet. correctum Auctor dolet periiſſe. Operis hujus editio abſente Auctore fit, Tardius eam perfici cur nemo mirari debeat. Rautenſteinianæ mortis nuncium & epitaphium Auctor Schotto mittit.

XXVII. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXVII.

COMMUNICATIO GEDANO-BÜTHNERIANA.

Hamburgo Gedanum die $\frac{9}{19}$ *Dec.* 1664.

S. & O. Vir Clariſſime, Doctiſſime, Humaniſſime.

LIcet mihi de facie notus non ſis, tamen es de fama & libris, quibus orbem literatium, ac præſertim ſublimem Matheſeos ſphæram illuſtras. Itaque bonarum literarum amans, earundem cultorem Præſtantiſſimum & Clariſſimum jure, quod in ſe literati & literarum ſtudioſi meritò habent, uſus compello. Atque hæc ſola ratio ſufficit ad excuſandam hanc, qua nunc in ſcribendo utor, libertatem & fiduciam. Sed accendor præterea ad ſcribendum non ſolùm ad Te, ſed & alios Viros doctos, hôc novi Cometæ, quem à die $\frac{3}{13}$ hujus menſis animadvertimus in cælo ardere, ut ſic loquar, prodigioſo igne. De quo en Tibi quæ à nonnullis Viris eruditione & rerum naturalium, ac ſimiliter Matheſeos ſcientiâ excellentibus, Huſvedelio, Garmerſio & Joanne Mullero ſcriptione vel auditione accepi, tùm & quæ ipſe nudo obſervare oculo potui. Hæc Tuam mutuam benevolentiam & induſtriam facilem provocatura eſſe certo mihi polliceor, de tua egregia humanitate optimè perſuaſus. Spero me plures Obſervationes de hocce Cometa Pariſiis, Hafnia & aliunde habiturum, quas tecum libenter communicabo, poſtquam Tibi literarum commercium, quod Tecum colere aggredior, fore gratum videro. Quod reliquum eſt, appetentem novum annum Tibi Tuiſque feliciſſimum precor, ſed & omnibus bonis, quin & univerſis mortalibus, præcipuè verò illis qui à Chriſto appellari volunt: qui utinam Deo hæcce judiciorum ſuorum & æquitatis mnemoſyna, quæ vulgo ſcopæ vocantur, in cælo monſtrante, novam vitam agere tandem incipiant, & metu Altiſſimi, quem ut Patrem omnes invocant, & cuique citrà ullum perſonarum reſpectum ſecundum opera retribuere norunt & confitentur, bella cruenta & paricidalia aliaque nefanda flagitia, illo ſemper verè pœnitentes ad juvandum parato, procul ejiciant. Vale Vir Doctiſſime diu & feliciter ac me benevolentia Tua complectere.

Buthnerum de fama & libris tantùm notum Auctor compellat.

Jure, quo in orbe literario vivitur, uſus.

Et occaſione novi Cometæ 1664.

Cum eo argumentum Cometicum tractare incipit.

Votum novi anni.

Ad D. Mag. Fridericum Büthnerum, Scholæ Sancti Joannis apud Dantiſcanos Rectorem & Mathematicum Clariſſimum.

Dantiſco Hamburgum die 21. *Decembris* 1664. *anni finientis.*

S.P. Gratum eſt mihi conatus meos Virum aliquem doctum inveniſſe Patronum. Vereor ne pluris fortè æſtimentur quàm ipſi vel digni ſunt vel ego merear.

Buthnerus modeſtus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Majorem quàm par eſt de Auctore opinionem concepit, Suum de Cometa commentarium Germanicum ei mittit: Quem ſe civium ſuorum gratiâ conſcripſiſſe fatetur: Defectum inſtrumentorum, quo Gymnaſium laboret, agnoſcit, Sed hunc Hevelianarum tùm machinarum Math. copia quàm obſervationum diligentia penſari deprædicat. Obſervationes fixarum & planetarum Hevelianæ. Hevelii induſtria incomparabilis.

merear. Quamvis non dubitem, Te non tantùm Virum Doctiſſimum, ſed & in Matheſi & Aſtronomicis verſatiſſimum appellare. Ex ungue enim Leonem. Pro tranſmiſſis obſervationibus Cometicis, gratias ago: ſed hoſtimenti loco Germanica quædam de eadem materia adjungens, Civibus noſtris gratificari volui, qui

> Multa ſuper cœli rogitant incendia multa.

Materiam, uti illam Anno 1652. aſtronomicè non diſcuſſi: contentus famem eorum explere, qui cum Seneca lib. 6. quid ſit? quid ſignificet? inquirunt. An acu rem tetigerim, dies docebit. Quod loca Cometæ notata attinet, premitur noſtrum Gymnaſium ſimili fato, ut neceſſariis machinis ſive inſtrumentis deſtituatur. Quamvis Gedanum quod ſibi gratuletur habet, quòd Ampliſſimus Dominus Hevelius defectum eum & machinis ſuis Aſtronomicis & laboribus nocturnis ſuppleat ſolus. Idem poſt Cometographiam, quam nunc præ manibus habet, novum Canonion fixarum conſcripturus. Quo nomine labor fruſtra fuerit oculos ad fixas impellere, & obſervationes curioſè ad eas alligare, cum eas nondùm ſat tutò habeamus reſtitutas. Plurimæ vacillant, nec quæ ſint in Canonio Tychoniano dignoſci poſſunt. Quam cauſam primam eſſe judico, cur cælum à Tabulis & calculo Erronum & configurationum tantoperè diſcrepet. Congeſſit idem noſter Dominus Hevelius librum obſervationum fixarum, aliumque Planetarum bonæ ſatis magnitudinis, ſummâ diligentia & facili manu habitarum, non contentus ſemel diſtantiam accepiſſe, nec unam ſaltem fixam cum una fixarum obſervaſſe, ſed ſæpius & cum pluribus fixis. Mirabitur poſterior ætas tantum unum Virum potuiſſe. At obtupeſceret, ſi paratiſſimam promptitudinem volvendi machinas & facilitatem ſtellas aſſequendi noſcitura foret. Parallaxes (ſi quæ fuerint) Cometicæ illius operam & machinas efflagitant. Mihi locum ſaltem noſtratibus indicaſſe animus fuit. Habes igitur, Vir Spectatiſſime, quæ Tibi polliceri de meo Cometa poſſis. Non obſervationes Aſtronomicas, ſed ut ille apud Virgilium

Buthnerus obſervationes ſuas ad Aſtronomicæ ἀκριβείας leges non eſſe factas fatetur.

> Parta meæ Uraniæ ſunt munera: Namque notavi
> Ipſe locum aërii quô congeſſère Planetæ.

Obſervatio Buthneriana Cometæ 1664 11. 21. Dec Gedanenſis altitudo Æquatoris.

Verè dixi notavi & nudo ſaltem oculo notavi, neque Globum neque filares extenſiones applicans, Geometricas tantummodo figuras & lineas invicem contuli. Vides & has notationes Cometæ, principio illo fundari: accurata recenſione fixarum ſecundum longitudinem & latitudinem. Ultimum locum die $\frac{11}{21}$. Decemb. ſuffurari potius ob nubes intercedentes mihi obtigit quàm annotare. Poſt hoc tempus ab aſpectu Cometæ partim propter ædes faſtigiatas, partim propter nivoſum, nubiloſum, pluvioſum cælum excludebar. Obſervatus tamen adhuc eſt in horizonte libero ab aliis die 18. Decemb. Noſtram enim elevationem Æquatoris necdum exceſſit, quæ 35° 37′. hîc Gedani eſt. Obſervationes tranſmiſſas cum Domino Hevelio communicavi. Rem gratam facies, ſi & alibi habitas obſervationes tranſmiſeris. Nos iterum gratis officiis & ſtudiis jucundis eam demereri εὔνοιαν de Te conabimur. Corpus Cometæ per Tuboſpecillum triangulare apparuit, in curvis angulis ſive anſulis, in medio autem obtuſiore inclinatione atque ſculptor in ectypo finxit. Cæterum nec tota configuratio hydræ partium & ſtellarum ejus ſatis ad ἀκρίβειαν & lineam Mathematicam: quod monuiſſe oportuit. Quod reliquum eſt annum, qui nunc ad fores noſtras excubat, feliciſſimum, proſperrimum, fauſtiſſimum Tibi Tuiſque apprecor, ſufficiat Deo Patri Clementiſſimo Orbi Chriſtiano has ſcopas ſaltem monſtraſſe! Ne corripiat nos in ira ſua ſed miſereatur noſtri propter eum qui ſcopas & ſcuticas ipſe humeris ſuis ſubire dignatus eſt. Ita faxit Miſerator Noſter! Vale Vir Spectatiſſime.

Cometæ 1664 corpus triangulare. Figuræ obſervationum ſuarum Gedani ſculptæ errores Buthnerus notat. Votum novi anni. Deus noſtri miſeretur ob paſſionem Filii ſui.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Dantiſcum die 3. *Januarii Anno* 1665.

OCtavo ab hinc die accepi rectè literas Tuas, exeunte anno præterito datas, ad quas quod paulo tardius reſponderim, varia effecêre impedimenta. Ingentes Tibi gratias ago quod me tam docto & amico reſponſo beaveris, adjunctis & chartis à Te de Cometa nuper editis. Cultorem me eſſe bonarum literarum non diffiteor: non tamen mihi tribuo perveniſſe ad illa ſublimia Aſtronomicæ ſcientiæ palatia, &

Auctor debitam modeſtiam ſervat.

Edita doctrinæ Sapientum templa Serena

quæ è longinquo miror & veneror, aliis præſertim, iiſque gravibus, deditus negotiis. Quantopere amem & colam Matheſin ejuſque Myſtagogos, ex illis quæ ad vos antea miſi, & nunc porrò mitto, facilè videre potes. Non dubito Ampliſſimum & Clariſſimum Dominum Hevelium (quem meritò maximum noſtræ ac venturæ ætatis miraculum deprædicas) Tecum, mê id rogante, & hoc compendio laboris ac ſumtûs utente, communicaturum, quæ ad eum mitto. Velim libertate Philoſophica utaris, & mihi mentem Tuam aperias, an Cometa, qui nobis à die $\frac{20}{30}$ Dec. in lepore conſpici cœptus adhuc viſitur, unus idemque ſit cum illo priore qui ad corvi roſtrum apparuit. Nam video Viros Doctos & Aſtronomos celebres diverſum hîc ſentire. Velim etiam innuas, quem Cometæ motum, rectumne, an circularem, an epicyclicum, an alium tribuas: tum & paucis indices, de curſu ejus, an ſcilicet majorem vel minorem circulum deſcripſerit. Velim denique chartas illas à Te nuper editas ad me mittas. Prius enim exemplar Hafniam me mittere oportuit. Vale, & ad incluſas Clariſſ. D. Doct. Huſvedelii literas ad me datas, paucis reſponde, mihique conſtanter fave.

Studiis Mathematicis delectatur.

Hevelio laudes meritas Auctor tribuit,

Cometa hybernus 1664. unus an geminus.

Cometæ quo motu ferantur:

Nuperus an majorem circulum deſcripſerit.

Dantiſco Hamburgum die $\frac{20}{10}$. *Januarii* 1665.

UT felix fauſtumque ineuntis hujus anni curriculum, Jova Deus eſſe jubeat, ſincero corde, calido voto, animoque fervido, Tibi, Tuiſque comprecor. Reſponſorias meas priores, per Tabellionem debitè oblatas eſſe, nullus dubito. Nunc ſaltem ad eas, quæ 7. Januarii S.N. mihi obtigerunt. Deſideras reſponſum ad Domini Doctoris Huſvedelii literas. Rectè Vir dictus honoratiſſimus motum Cometæ in Auſtrum dirigi, conjecit: Obſervationes enim uno vel altero die habitæ, ſtatim hoc ipſum ita futurum, determinabant. At reverſum iterum eſſe hoc phœnomenon, nulli id conjicere licebat. Intra duo enim ſecula, qui id feciſſet, obſervatus eſt Cometes nullus. Ab aliis id fieri poſſe, planè negatum. Ut taceam, hunc in hæmiſphærium Auſtrale abiiſſe & exinde rediiſſe, atque hæmicyclum abſolviſſe. Proinde linea directionis ſive inceſſûs Cometici, alio, quàm antea feceram, ſitu deducenda erit. Eum igitur, antè faciem Globi noſtri in directum protendo, terminis ejuſdem utrinque in ſpatium longiſſimum expanſis. Quâ poſitâ, ſufficiet linea ad ſemi-circulum, quem moveri viſus eſt, delineandum. Quid ſint Cometæ, difficilem omnium quæſtionem eſſe, & ipſe arbitror: Nec ea fori Aſtronomici. Matheſis enim quantitatem ſibi tantùm delegit contemplandam: Naturam & Eſſentiam Cometæ, Phyſico relinquens. Liceat tamen & in naturam Cometarum inquirere. Ex Galaxia, ex maculis ſolaribus, particulam aliquam abſcindi, unde Cometa fiat, & ipſe nego. At qualis materia remanſura ſit Cometico corpori, & Elementari & cæleſti materia eidem negatis, non capio. Poſſe (ſcribit Dominus D. Huſwedelius) quædam probabiliter in medium produci, quæ veritatem in puteo demerſam in lucem afferrent. Deſiderio teneor eorum, quæ Vir Excell. de materia Cometica meditatus fuerit. In Chymicis novimus

Votum novi anni.

Büthneri de epiſtola Huſvedelii judicium.

Cometa hybernus 1664. in Auſtrum directus, atq; inde in Septentr. reverſus, ſecundum Huſvedelium: at ſecundum Büthnerum unam rectam lineam confecit.

Cometæ quid diſquirunt Phyſici.

Matheſis tantùm quantitatem conſiderat.

Veritas Democrito in puteo demerſa putatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Elementa quatuor Ariſtoteli, quæ infinita Democrito & aliis.

Lux Solis & ſtellarum ab igne noſtro elementari differt, judice Büthnero: ſecus aliis videtur.

Cometa an de novo oritur, vel à Deo initio rerum creatus.

quintum Elementum cælum eſſe & appellari, invitis Ariſtotelicis, qui ſaltem 4. quæ mixtionem ingrediuntur, agnoſcunt elementa. Aſſenſum & meum cohibeo in eo, quòd corpus aliquod conflagrare ibi, Dn. D. Huſwedelius credit, cum ignem Elementarem noſtram regionem excedere non poſſe, certus ſtatuam; Lucem autem illam æthercam Solis, & ſtellarum, qualem nonnulli ignem vocare conſueverunt, ab igne noſtro elementari penitùs differre arbitror; ut qui ignem eadem appellaverint, homonymiâ lædant. Attigi quædam de hiſce in deſcriptione mea poſteriori, quam tranſmiſſam æqui bonique conſulas oro. Scio & Scaligerum hanc ſerram cum Cardano reciprocaſſe. Præcipua quæſtio fuerit: Anne Cometæ de novo oriantur, an verò periodum certam habeant, ſintque ex numero primitus creatorum corporum. Cum hanc ultimam ſententiam etiam magni nominis Viros hodie amplecti videam. Vale.

Hamburgo Dantiſcum die 14. 24. *Febr.* 1665.

Auctor dilatum reſponſi officium excuſat.

Huſvedelius unum Cometam hybernum 1664. & 1665. aſſerit.

Cometæ hyberni 1664. curſus:

Unum Cometam tunc luxiſſe Viri docti ſtatuunt.

Hevelio plurimum tribuit Curtzius.

Hevelii laus.

Gedanum de Hevelio aliiſque rebus meritò gloriatur

Doctis Viris longa vita & ſalus precanda.

Cometas duos hyeme 1664. apparuiſſe multi contendunt.

Auctor Büthnero de commentario ejus de Cometa 1664 & 1665. gratias agit, eumq́ laudat.

Curioſitas Chriſtiano non convenit.

Ignorare nos non pudeat, quæ ipſe Filius Dei ignoravit.

Miraberis, credo, me tamdiu ad literas Tuas amiciſſimas die 10. 20. Januarii ſcriptas tacuiſſe. Meritòque me, fateor, negligentiæ cujuſdam accuſares, niſi me excuſarent præter alias quaſdam occupationes haud parvi momenti, quæ me diſtrahebant, tum iter, quod mihi in Holſatiam inſtituendum erat, tùm paulo imbecillior valetudo, quam & labores & crebræ aëris mutationes accerſunt. Tuas illas literas cum Clariſſimo Huſwedelio communicavi, qui, niſi continuæ ejus occupationes eum diſtinerent, repoſuiſſet jam nonnihil ad ea, quæ in Tuis ad me literis ad eum pertinentia ſcripſeras. Firmiter ille aſſerit unum eundemque fuiſſe Cometam nuper viſum, & Cometam vel rectilineo, vel epicyclico, vel alio motu à roſtro Corvi ad triangulum Menkar perveniſſe demonſtrari poſſe putat. Clariſſimus Bullialdus quoque videtur ſtatuere unum fuiſſe Cometam. Sed & Celeberrimus Albertus Curtzius è Societate Jeſu, quamvis antea aliud ſentiret. Cum autem à me per Amicum Ratiſbonenſem Illuſtriſſimum Dominum Rautenſteinium, Conſiliarium & ad Comitia Imperii Legatum Neoburgicum, accepiſſet, Clariſſimum Hevelium contrarium ſtatuere & obſervationes ejus accuratiſſimas non aliud quàm unum eundemque Cometam indicare, maluit priorem ſententiam deſerere, & narrationem eorum, qui ſe duos una nocte vidiſſe Cometas referebant, quàm Hevelianam induſtriam & fidem in dubium vocare. Meritò itaque tanto Viro, quem præcipuo inter Aſtronomos loco conſentiens doctorum Virorum Senatus collocat, Urbs veſtra, multis alioqui divinis beneficiis cum præſtantiſſimis totius Europæ certans, gloriatur. Meritò & nos omnes, quotquot bonarum literarum cultores & ſtudioſi ſumus, Deum, ut vobis primùm, deinde & toti Reipublicæ Literariæ hoc decus conſervet quàm diutiſſimè, ardentibus votis precamur. Eſſe autem nonnullos in Germania, Suecia & ultima Hybernia, Aſtronomos qui ſtatuant duos fuiſſe Cometas viſos, ſed & inventos fuiſſe, qui duos ſe vidiſſe diſtinctè affirmare non dubitaverint, ex literis Amicorum intellexi: Velim Tu hìc ſententiam Tuam enucleatiùs mihi proponas. Scriptum Tuum publicis typis expreſſum monſtrat Te inſignem rerum cæleſtium habere notitiam. Ego Tibi de illo, ut eleganti munuſculo, gratias ago. Nondum potui judicia aliorum de eo expiſcari. Neque etiam ipſe tantùm licentiæ ſumam, ut Tibi contradicam. Ingenuè tamen ſententiam meam proponam, quod ad præſagia ex Cometarum apparitione & ſitu petita attinet, quam Te pro Tua æquitate & humanitate boni & æqui conſulturum, firmiter ſpero. Curioſè arcana imperſcrutabilis ſapientiæ divinæ, cui neminem à conſiliis fuiſſe illa ipſa ait, involare ac rimari, tùm & illa temporum momenta quæ, ipſo Chriſto teſte, Pater, in propria poſuit poteſtate, imò ultimi judicii diem & horam, quam idem Chriſtus neminem, nec Angelos, cæleſtes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

leſtes, nec Filium, ſed ſolum Patrem ſuum ſcire, ore veridico protulit, divinare; tùm verò & ſigna expetere cæleſtia, vel metuere, denique ex illis certa quædam & determinata omni ex parte effecta præſagire, prædicere & hariolari divinis oraculis repugnare manifeſtum eſt. Jam ſi experientiam propriam & alienam, ſive omnis ævi memoriam conſulamus, fatendum quidem eſt multa mala poſt Cometarum apparitionem in orbe, imò & in variis regionibus & urbibus ſigno cæleſti, in quo, ſub quo vel ad quod Cometa ponitur ſubjectis eveniſſe. Verum tamen ſemper id & in omnibus regionibus lociſque illi ſigno ſubjectis, tùm & nunquam læta viſô illîc Cometâ eveniſſe, admodum difficile probatu judico. Quantum enim mediocri hiſtoriarum lectione & notitia rerum aſſecutus adhuc ſum, videre mihi videor, nec ſemper mala, quin potius bona quoque regionibus & locis illis obveniſſe, nec omnibus bona malaque, viſô illic phœnomenô, obtigiſſe, multò minus omnibus omnia illa mala ex Cometis elici ſolita, immiſſa eſſe, imò quibuſdam nulla. Nimirum in tam vaſto terreo orbe, citrà ullam quoque Cometarum vel Eclipſium vel ſignorum cæleſtium apparitionem triſtia accidere neceſſe eſt. Ita videmus Viros Principes hîc illic mori (ſed & generari ac naſci) & per ſuetum libertatis ingenii divinitùs homini, utpote ratione prædito, conceſſæ abuſum, contentiones ambitioſas & avaras, rixas, odia, bella, ex his naturali curſu famem, dehinc peſtem, provenire, vel potius prorumpere. Videmus & motus tùm civiles, tùm ſacros oriri, denique terræ ſiccitates hîc, undarum eluviones illîc (utraſque, licet contrarias, iiſdem locis portendere imò adferre vulgò creduntur iidem Cometæ) aliaque mala, in pœnam mortalibus, vitiorum pertinaci certamine divinam juſtitiam provocantibus immiſſa, graſſari. Atque ita Cometæ & reliqua ſigna cæleſtia nihil mali in nobis efficiunt, nec nobis calamitates acceṙſunt, ſed quod & antiquus Auctor Græcus Pythagoras vidit,

Cometas multa triſtia ſequuntur.

Aſtrologicæ ex Cometarum apparitione prædictiones incertæ.

Cometas læta quoque ſequuntur.

Mala homines ſibi acceṙſunt, ſuntque cauſa exitii ſui, non aſtra.

Γνώσῃ δ' ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας. id eſt,
Cognoſces verò homines ſua ſponte accerſita mala habere.

Rectè proinde ipſi Matheſeos conſulti dicere ſolent, *Aſtra inclinare, ſed non neceſſitare.* Veritati conſonat & ille vulgatus verſiculus:

Aſtra regunt homines, ſed regit Aſtra Deus.

Ita inclinationem quandam, quod ad actiones hominis naturales attinet, nullam autem neceſſitatem ſyderibus tribuamus, ipſa veritatis tuendæ neceſſitas exigit. Spernere Cometas aliaque ſigna cæleſtia profanorum, eadem temerariè optare, quærere & inveſtigare, & ex illis prodigia determinata ac prædictiones certas evolvere, curioſorum & perverſorum: ea timere & cum ſtupore admirari, ſuperſtitioſorum: ea autem naturalibus cauſis, quæ probari & ferè demonſtrari poſſint, deputare, & ut divinæ potentiæ, ſapientiæ, & juſtitiæ ſigna ſpectare & mirari, iiſdemque ad mutandam quamprimùm vitam in melius, velut admoto ſtimulo excitari, prudentum & proborum eſſe judico. Hæc ut ad Te ſcribam, efficit nonnullorum curioſitas, quæ in his quidem ex ſigno libræ (cui religionem & juſtitiam Veterum Aſtrologorum ſuperſtitio ſubeſſe voluerit) bellum ſacrum, in illis autem, ex ſignis Tauri & Arietis tùm hydræ aquaticæ, navis Jaſonis, Orionis pugnacis, Eridani fluvii, cetique bellum, idque navale prædicentibus eluxit. Quæ tamen nondum ſigna Virginis & cancri (miror Leonem præteriiſſe, & non ab illo leoninam virtutem bella illa geſturis indidiſſe) neque etiam corvi, lepuſculi & Canis attigerat, quamvis illa Cometes vel pertranſiverit vel attigerit. Cæterum ſi ita ibi argutari placuit, poterant, credo, plures, de rapaci ſcilicet corvo & rabido cane adduci argutiæ. Quid tùm autem de aliis ſignis, præcipuè de Virgine & lepore fiet? Argutandum paritèr erit, & replenda caſtra; non tantùm effeminatis (qui ſub thorace

Aſtra inclinant quodammodo hominem in actionibus naturalibus, ſed nullam neceſſitatem imponunt.

Cometæ nec temnendi nec timendi, ſed expendendi, & in argumentum virtutis ducendi.

Libra ſignum cæleſte.

Aſtrologicæ ex Cometa 1664. & 1665. prædictiones curioſæ refutantur.

 muliebrem

Milites effæminati, molles, libidinoſi, impudici, timidi.

muliebrem animum gerant, vel qui dediti ſint iis, quæ ad effæminandos animos pertineant, quæ olim cuncta Cæſar caſtris exeſſe & ejici vel arceri voluit, tùm conviviis & ventri & turpiſſimæ parti corporis, Martem cum Venere adulterino ritu jungentes, & verè nil niſi Attici milites ſint, de quibus illud Ariſtophanis dici queat ἐπὶ τοῦ προσώπου τ' ἐσὶν Ἀττικὸν βλέπος, muliebrem impudicitiam in vultu & ore gerant, & muliebres potius tranſmarinorum unguentorum odores, quàm virilem animum & militarem virtutem oboleant) ſed plane Virginibus & fœminis, etſi nulla re niſi ſexu Amazones referentibus. Imò cogendi in caſtra erunt lepores galeati, qui Cornificium deſertis ſignis perdiderunt, iiſque duces Cervi (quos nec leonibus præficere civilis prudentia ſuadet) adjungendi, vel tenelli gemelli, vel certè ignavi, qui cancrorum more nil niſi retrocedere norint, omnia præpoſperè & tardiſſimè gerant, nec ullas rei benè gerendæ occaſiones obſervent. Sed me jam charta & tempus, quamvis nondum materia & ratio deficit. Vale Vir Clariſſ. libertati candidæ ignoſce, & parem refer vicem ac favere perge.

Cervus Dux exercitui leonum non præficiendus.

Dantiſco Hamburgum die 21. *Martii* 1665.

REdditæ ſunt mihi, die 6. Martii St. N. literæ Tuæ $\frac{14}{24}$. Februarii perſcriptæ: ut & menſe Januario aliæ, eæque priores, die $\frac{3}{13}$. Januarii exaratæ, Magnifici Domini Hevelii (cujus nomine nunc ſalutem refero) literis incluſæ. Utque ad priores prius reſpondeam, duo in illis quærebantur: (α) An unus idemque Cometa eſſet, qui ad Corvi roſtrum apparuit, cum eo, qui in Ceto conſpectus fuiſſet? Deciſionem iſtius quæſtionis jam dedi in continuatione mea, per integrum: in ſpecie verò Num. 16, 17. At, ſequentibus numeris ea, quæ objici poterant, pro contraria opinione, dilui. Unum igitur Cometam fuiſſe, etiamnum firmiter adſtruo. Quod Aſtronomos in Germania, Suecia, & ultima Hibernia attinet, qui duos ſe diſtinctè vidiſſe affirmarunt, operæ pretium facturos exiſtimaverim, ſi locum & configurationem ſtellarum proderent, quâ Cometam utrumque *diſtinctum*, *diſtinctè* unâ nocte obſervaſſent.

Cometa unus hyeme 1664. & 1665. luxit.

Nobis quippe ejuſmodi ſpectaculum notare, adeo felicibus eſſe non licuit. Fortaſſe autem error aliquis inde iis ſeſe ingeſſit, quod quem Cometam manè fulgere, eundem tempore & loco tàm repentè mutatis, ſub veſperam accendi, iterum animadverterent. At verò inde Cometam duplicare velle, inanis eſt conjectura. Ita olim Venus, propter ſubitam mutationem ſuæ apparitionis, manè & veſperè, etiam duplex, eaque diverſa ſtella fuit judicata, diſtinctis nominibus Phoſphori & Heſperi condecorata, quam tamen unum eſſe eundemque Planetam, Pythagoras demùm primus ſuo ſeculo notavit. Laërt. Niſi fortè malimus dicere, idolum aliquod Cometæ in oculis illorum luxiſſe. (β) Alterum quod quæris, eſt, ut libertate Philoſophica uſus, quem curſum Cometa tenuerit, aperiam. Num majorem num minorem circulum deſcripſerit? cum Clariſſimum D. Huſwedelium vel rectilineo vel Epicyclico, vel alio motu, à roſtro Corvi ad triangulum Menkar perveniſſe demonſtrari poſſe, perſcribas.

Cometa unus manè & veſperi ſicut Venus lucere poteſt & ſolet.

Phoſphorus & Heſperus unum ſidus.

Pythagoras primus Phoſphorum & Heſperum unam eſſe ſtellam docuit.

Hîc, quò ad terminum motûs primùm reſpondeam, die 5. Febr. St. N. eundem ultimò, per lentem concavam luſtravi, corpore admodum diminutum, at caudâ aliquâ adhuc inſignitum. Subſedit tùm infrà cornu ſequens Arietis, latitudinem adeptus jam Borealem: longè ſuprà triangulum Menkar ſive lucidam mandibulæ Ceti.

Obſervatio Cometæ die 5. Febr. St. N. 1665. à Büthnero facta.

Quem tamen die 12. Feb. S. N. iterum ſub dio verſatus, nullibi amplius reperire potui. Ut intrà hoſce dies diſparuiſſe eundem facilè credam. Lineam quod attinet, quam motu ſuo deſcribere eſt viſus, negavi eandem in Continuatione mea Num. 18. circulum fuiſſe. Propendi verò ad parabolam. Certò eam determinare non audeo, quia accuratiſſimæ obſervationes, quà tempus

Cometæ curſum circulum feciſſe Büthnerus negat, ad parabolam propendens.

quà

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quà locum, ad id prærequiruntur. Interea dum Obſervationes meas hactenus habitas ad calculum revoco (quæ cauſa fuerunt, quòd non æquè citò ad literas priores tranſmiſſas reſponderim) tantò magis in ea opinione confirmor, à Cometa nullatenus Circuli rationem obſervatam fuiſſe. Epicyclus, idem quoque circulus eſt, circulo junctus, motum Eccentricum, juxta Aſtronomiam Danicam, vel Ellipticum juxta Aſtronomiam Philolaicam tantummodo ſalvat, motumque curvilineum non rectilineum, corporis mobilis præſupponit. Verumenimverò habemus per Dei gratiam (quæ ſæculi noſtri felicitas eſt) & aliàs lineas curvas à Geometris magni nominis, ſolidè enucleatas. Ipſeque Carteſius in Geometriam ſuam parabolam, hyperbolem & ellipſim introduxit; veteres Geometras eo nomine caſtigans, qui inter rectam & circulum, totius Geometriæ pomæria coarctarunt. Quin pergit idem, & præter has, quas lineas ſimpliciſſimi generis appellat, & alias ſecundi generis, tertii, quarti ordinis, in forum Geometricum tranſcribit. Et verò, ſi pag. 26. evolvere ſit animus, Conchoidem fuiſſe ſupponere licebit, ſi Vincentius de S. Victore in opere ſuo Geometrico adeatur, vel Conchois vel paraboleides. Utrumque enim ſymbolizare, *conchoidemque parabolam eſſe evolutam* demonſtrat author prædictus. At motus hic à me, ex trajectione per lineam rectam Cometicâ, & circulari motu Terræ tanquam διδομένοις, tantummodo deducitur. Si vero δεδόμενα hæc quæſtioni ſubjiciantur, obſervationes accuratiſſimas habere oportet, quæ nobis puncta definiant, quibus via Cometica inceſſerit. Unde demum ad ſpeciem lineæ perveniendi nobis facultas patet. Ad ἀκρίβειαν autem illam obſervationes meas minimè adſpirare candide fateor: ut nec illud prætereo, Fixas innumeras vixdum limam ſuam ultimam à Tychone vel Longomontano paſſas eſſe. Proinde parùm commodi exinde ſperare licet, quamvis Cometam cum hac & illa fixa in certa figura Geometrica comparaverim, & exinde locum ejus ſecundum longitudinem & latitudinem, tùm & interſectionem orbitæ & angulum inclinationis eruerim: attamen vel propter fixas nondum penitùs reſtitutas, firmo ſatis talo hiſce concluſionibus inniti verebor. Exſpectamus verò novum Canonion fixarum, Herculeo labore à noſtro Atlante conſtructum, & ſuo tempore edendum: quod ut lucem aliquando aſpiciat, pro ſalute hujus noſtri Hipparchi, meritò mecum Deo preces votaque facis. Inclinationem orbitæ admodum variabilem à circulo reperi. Tranſiiſſe tamen Eclipticam inter 27°. & 29°. Arietis calculo conſtitit. Quod ſupereſt, in linea determinanda laboro. Quantum & quouſque profecero, in diſputationibus meis, σὺν Θεῷ prodidero. Quæ enim Germanicè à me hactenus ſunt emiſſa, exoterico genere & ad popularium noſtrorum captum αὐτοσχεδίως ſunt conſcripta. Quæ ſequentur, ſi Jova vitam & vires ſuffecerit, magis mathematicè. Denique ut paucis omnia complectar, repeto ex Continuatione Num. 18, 19. fuiſſe curſum Cometæ rectilinearem in ſeſe. Qui curvilinearem facere nobis fuit viſus, in ſpecie vel parabolam ſimpliciter, vel evolutam parabolam, ſive conchoidem. Lineam hancce Cometa non à latere globi terreni, in Syſtemate Mundano incedere viſus eſt; ſed in ſitu tranſverſali hoc modo, ut ſub Cancro omnium maximè proximus Terræ exiſteret, in Libra verò & Ariete omnium remotiſſimus. Ruit igitur aſſertio illa in priori meo ſcripto, à Planetis ſatoribus eundem in motu propulſum eſſe. Cum ſubſequentibus diebus motus ejus contrarium ſtatuere ſuaderet. Proinde & primam ſententiam & lineam directionis ratione ſitús mutavi, tranſverſalem, non collateralem Globo terreno eandem faciens. At nimis multa de linea motús Cometici. Nunc ad Aſtrologica deveniam.

Epicyclus quid.

Motus eccentricus & ellipticus.

Lineæ curvæ plures nunc in Geometria quàm olim ſunt.

Carteſius Geometriam inſigniter auxit & veteres caſtigavit.

Conchois & parabola evoluta idem.

Obſervationes accuratiſſimæ ad determinandum curſum Cometæ requiruntur.

Fixarum innumerarum ſedes vix certa reddita.

Fixas ſtellas optimè Hevelius figet.

Hevelii in reſtituendis fixis induſtria ſingularis.

Inclinatio orbitæ à circulo variat.

Cometici motûs linea qualis ex Buthneri mente.

Buthnerus ſemet corrigit.

Scrutari extremi diei momenta, ſigna expetere vel metuere, & ego improbo. Dies enim ille eſt ultrà communem Naturæ ſortem, atque in ſolidum potentiæ & ſcientiæ divinæ ſubjacet. Fide quippe concipimus, mundum conditum: fide itidem concipimus, eundem deſiturum eſſe. At verò ſignis eluceſcentibus, aliqua ſub denominatione contingentiæ humanæ, & voluntatis divinæ

Curioſitatem Buthnerus improbat.

Aſtrologiam Buthnerus defendit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

vinæ conjicere vel prædicere, divinis oraculis minimè repugnat. Præfabor autem, Aſtrologiæ ſuum quendam locum inter ſcientias relinquendum eſſe.

Arabum commenta Buthnerus rejicit.

Dum verò Aſtrologiam nomino, non approbo omnia, quæ Arabes in eam infarſerunt, ſed Phyſica à ſuppoſitionibus Arabum diſſeparo.

Experimentis ſpecialibus in re Aſtrologica Buthnerus gaudet.

Longè etiam ſolidioribus fundamentis eandem niti, non paucis ab hinc experientiis hactenus edoctus fui, quam quæ vulgus Aſtrologorum modò ſuſpicit colitve. Proinde pars aliqua Phyſicæ audit, quales etiam Phyſiognomonica & Inſomnia apud Ariſtotelem: Meteorologica Virgilii in Georgicis, Σημειωτική apud Medicos numerantur.

Cometa ſignum & cauſa eventuum naturalium Buthnero quomodo dicatur.

Et hucuſque Cometam in naturalibus, ſignum eſſe eventuum naturalium ſtatuo; ut & cauſam eorundem faciam. Eventus autem, qui Cometam noſtrum naturaliter ſequi poſſunt, ajo eſſe, frigus intenſiſſimum, eluviones aquarum, infectiones aëris, corruptiones agrorum, morbi pecudum & hominum, peſtes, ſiccitates & æſtus, naturali nexu ſe inſequentes: ſub determinatione tamen, tum contingentiæ (poſſe iſta fieri, ſi ſubjectum patiens receptivum ſit influxûs illius) tum &, ſi Deus vitiis noſtris infeſtus, precibus non flectatur.

Prædictiones eventuum naturalium licitæ.

Phyſicè ſua conſtat auctoritas.

Talia prædicere nec impium eſt, nec curioſitatis, niſi Phyſicam & reliquas ſcientias fortean uno ore ad Orcum damnare velimus.

Certi & veri gradus dantur.

Quod certitudinem attinet, diverſæ ſunt diverſis ſcientiis, veritatis & evidentiæ gradus: daturque etiam rerum veritas & certitudo, non ſolum earum, quæ ſemper & perpetuò fiunt, ſed & quæ plerumque; quamvis non pari neceſſitatis gradu & Regula. Unde & τὸ καθ' αὑτὸ iiſdem competet, quemadmodum prolixè ſatis hæc ipſa Philoſophus in analyticis ſuis tractat.

Cometæ ſignificatio ſupernaturalis.

Cometa fideli monitori & conſiliario comparatur:

At præter hanc ſignificationem rerum naturalium ſpectatur & in Cometa aliud quid θεῖον τι, quatenus directione vel aliis indiciis, regna & Reſpublicas æquitatis, juriſque divini & humani admonet, & à vehementia Conſiliorum, ceu fidus Achates, avocat, quibus etiam, ſi non audierint, mala impendentia interminatur.

Per ſe mali nuncius non eſt,

Sed per accidens:

Imo potius bonus conſiliarius.

Cometa igitur non per ſe mali nuncius exiſtit, qualem vulgus increpat; ſed per accidens. Quin potius bonum Conſiliarium vocavero, qui Dei providentiâ & φιλανθρωπίᾳ in mundum immiſſus, primò de malitia cordis humani concionatus, faſtum impotentium & libidines potentiorum caſtigat, conſilia ſua acerba corrigant, ſalutem ſuorum lenioribus pharmacis curent, nec cupidine lucri aut animi elati in præcipitia ſeipſos ſuoſque trahi patiantur, addito non obſcuro indicio, quam ſpem lucri & honoris concepiſſent, in damnum & everſionem ipſis eſſe ceſſuram.

Deus hominum miſeretur eoſque per Cometas ad pœnitentiam invitat.

Non enim Deus tot millium, quos in perniciem mutuam jam ruere velle prævidet, miſereretur? qui Jonam ad Ninivitas miſit! An verò negabimus Numen illud ter optimum curâ mortalium tangi?

Cometa Mercurio comparatur.

Sed ne gratis hæc mihi credi ita velim, Cometam à Deo rebus mortalium inferri, Mercurii cujuſdam vice, unde probabitur? Dicam, dum hæc ſaltem præmiſero.

Demonſtratio τοῦ ὅτι & διότι.

Duo demonſtrationum genera ab Analyticis notari, τοῦ ὅτι & διότι: Quarum hâc mediatæ affectiones, illâ immediatæ demonſtrantur, per ὅτι à poſteriori, ex hypotheſi, deducendo ad abſurdum, inconveniens, impoſſibile, vel denique inductione à ſenſu factâ.

Demonſtrationes Aſtronomicæ, Geometricæ, Phyſicæ.

Ita in Aſtronomicis, Motus Planetarum, Eclipſes Solis, Lunæ demonſtrantur. In Geometricis immediatæ affectiones, quales benè multæ apud Euclidem leguntur. In phyſicis, ignis urit &c.

Demonſtratio à poſteriori locum in Cometis non habet.

Quamvis igitur nulla hîc directa & oſtenſiva à priori, occurrit demonſtratio: nihil tamen prohibet, à poſteriori aliquid haberi.

Cometæ inſignes Rerumpublicarum mutationes nunciant,

Unde ita colligo: Si ſemper apparitionem Cometarum inſignes mutationes Rerumpublicarum ſubſecutæ ſunt, *quæ analogiam quandam vel ratione ſigni, vel aſteriſmi, vel tranſitus, aut alterius alicujuſmodi* in aſtrologia ſaniori, confirmati, habuerunt, Cometæ utique labefactandarum vel etiam evertendarum iſtarum Rerumpublicarum nuncii fuerunt.

Tanquam præcones muti, Monentes & minantes ſimul.

Qui quia rerum humanarum neque præſentium neque futurarum quicquam ſciunt, nec quid Reges in conſiliis ſuis iſtis temporibus agitent, norunt, & principio aliquo intelligente, Summo, Omniſcio & Optimo admonitionis ergò, ſi verò hunc monitorem reſpuerint, comminationis cauſâ immiſſi, rectè dicentur.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Sed antecedens, experientiâ tot ſeculorum roboratur. Ergò & conſequens patet.

Si quis negaverit Cometam ratione apparitionis ſuæ ſignum eſſe, negaverit idem quoque eſſe ex genere τῶν πρός τι. Ergò Cometa ens abſolutum erit. Ergò perfectionis vel ornatûs mundi cauſâ luceſcet: quod utrumque ſtatuere inconveniens eſt. Cum mundus ſuum ornatum & perfectionem ex primæva ſtatim creatione obtinuerit. Aut dicendum Deum & Naturam aliquid fruſtrà agere. Proindè ipſi Cometæ veluti ſtatuæ quædam Mercuriales at mobiles, à Deo certis quibuſdam Rebuſpublicis præſtitui & præfigi rectè dicentur. Si certis Rebuſpublicis præfigi negaverimus, ſigni rationem evertemus, cum ſigna non rerum vagarum ſigna dicantur; ſed talia quæ τὸ ὅτι indicant, ſi non aliter, at ſaltem ex intentione ejus, qui ſignum inſtituit.

Cometa ſignum eſt, qui non fruſtrà apparet,

Statuæ Mercuriali, at mobili comparatur.

Saltem ſignum eſt ex intentione Dei,

Quod hominum ſolertiam attinet, an poſſint aliquid exinde eruere? an ſubjecta certa determinare? quàm verè? cur huic non alteri? ea partim ex prioribus fluunt, partim ad Aſtrologiam pertinent. Brevibus: Si Cometæ ſunt ex genere relatorum ſive ſignorum, finis eorundem utique dabitur & τὸ (ſignificatio) & τῶ Subjecti ſive Politiarum. Cum aliàs fruſtra immitterentur à Deo ejuſmodi fidi Achates, quorum vocem nullus intelligeret: Deuſque fine ſuo fruſtraretur & homo ludificaretur. Quibuſdam regionibus in vaſto hoc terrarum amphitheatro bona quædam obveniſſe, non diffiteor. Habet enim Cometa reſtrictam ſuam ſignificationem, quod ad mala & ſubjecta, quibus portendit. Ut iniqui fuerint qui omnium, quæcunque mala in tota rerum Univerſitate contingunt, prænuncia ſigna & eventa ad Cometam referunt. Proinde ita futurorum ſignificator exiſtit, ut tamen nec ſuetas Naturæ vices, nec liberum hominis arbitrium tollat, nec mala ſua omnibus omninò locis præfiguret. Quod conjecturas meas attinet, Cometam ſignum concomitans voco, rerum non longè futurarum, ſed jam jam præſentium, & quæ modò fermentantur. In ſcripto præſenti (quod æqui bonique conſulere velis, oro) numero 18. ſub calcem, & in Continuatione numero 33. expreſſe ajo: Deum pro ſingulari ſua bonitate & ſapientiſſima cura, potentiæ hocce opus, Magnatibus veluti Mercurium quendam immittere, eos à conceptis jam conatibus deterrendo; ſecus ſi faxint, peſſima quæque & ſubverſa in fine conſilia paſſuros. Hîc nihil curioſitatis. Eo enim fine id ſignum in cælo à Deo Optimo conſpiciendum omnibus patuit, ut monitor eſſet, & homines eo terriculamento ſapere diſcerent. At cur, quærendo pergis, ex Eridano, Argo, Ceto, mala aquatica conjiciuntur, præteritis Virgine, Leone, Lepore, Sirio? Hoc ipſum deſidero in vulgo noſtro Aſtrologorum, ut tandem veras cauſas Aſtrologiæ ſcrutari & ſelectum facere velint, cum regularum Arabicarum numero infinitarum, tum prædictionum exinde conficiendarum. Hominem unicum eſſe objectum hygιείας in Medica facultate clarum: cui tuendæ, immenſus numerus herbarum conducit: reducuntur omnes quoque eædem ad hominem. At inter tantam congeriem herbarum ſeligere hanc, præ illa, huic malo, & huic homini accommodam, artis & artificis Medici eſt. Simili ratione Cometa una ſaltem eſt ſtella, punctique ſive Centri rationem obtinens in cælo, circundata undique innumero exercitu ſtellarum, quas ſupra ſe & infra ſe, tum & ex latere utroque intuetur. Aſtrologi autem boni & ſani eſt, ſcitè componere exinde ſignificata. Ne igitur argutias eſſe judices velim, quæ cum ratione & judicio à me fuêre ita poſita. Veteres illas regulas Aſtrologicas de motu, celeritate, orientalitate Libræ Signo religionis &c. & ſexcentas alias jam dudum exui. In firmiores Phyſicæ & Matheſeos principiis magis conformes jam per tredecennium annos & ultrà incumbens. Faciant id & alii Aſtrologi, & bonum Aſtrologicum promovere mecum ſtudeant. Modum, ſi quæſierint, Meteorologica primò terant, & quid veri, quid falſi iis inſit, ſectentur. Miſer næ ille diſcipulus, qui ultrà præcepta Magiſtri ſui ſapere non ſatagat, nec aliquouſque etiam ſuo ipſius Marte progrediatur. Palma utique omnibus in medio

Ad certum finem & ſubjectum:

Bona etiam ejus apparitionem ſequuntur, ſignificationem habet reſtrictam, mala cuncta ad eum non referenda,

Rerum viciſſitudinem & hominis libertatem non tollit:

Signum eſt Concomitans rerum proximè futurarum,

Comparatur nuncio malorum, ſi homines mali eſſe perrexerint,

Et monitori terrenti

Buthnerus Aſtrologos vulgares culpat, commenta Arabica & prædictiones exinde factas rejicit.

Buthnerus ſtudia ſua Mathematica à Vulgaribus differre demonſtrat.

Aſtrologiæ multa adhuc deſunt.

Diſcipulus conetur ſuperare magiſtrum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Aſtrologi plerique Arabicis figmentis ſtudent. *Kepleri in excolenda Aſtrologia laus ſingularis.* *Buthneri humanitas.*

eſt poſita. Doleo autem plerorumque Aſtrologorum torporem, qui nihil ultrà Arabum ſomnia tentant, & religioni ſibi ducunt, propriis humeris artem ſubire. Dum enim omnes cæteræ artes, ſuos hactenus habuerunt cultores & apices, hæc ſola hactenus, ſi unum Kepplerum excipias, inculta jacuit.

Hæc pro ingenuitate mea liberè ad Te perſcripſi, itidem amanter rogando ne, quæ prolixè & libere ſcripſi, ea ſiniſtrè interpretari velis. Si dubia aliqua adhuc occurrerint, explanare eadem inpoſterum paratus ſum, & ad reciproca ſtudia, favorem & amicabilem collationem iterum iterumque me offero. Vale.

Hamburgo Dantiſcum die 16. *Aprilis St. N.* 1666.

Auctor dilati reſponſi officium apud Buthnerum excuſat.

LIteras Tuas die 21. Martii datas his diebus accepi. Quæ cum & eruditionis & humanitatis ſint plenæ, jure ſuo reſponſum è veſtigio poſtulabant: Sed varia interceſſerunt negotia, quæ me circumſtabant & urgebant, ita ut impedimentum hoc mutui erga Te officii amoliri ſubitò non potuerim. Ut taceam doctiſſimam epiſtolam Tuam reſponſum cum cura exigere, quam tamen nonniſi mediocrem tenuitas ingenii & exigua rerum Mathematicarum ſcientia, (utriuſque enim mihi benè conſcius ſum) è contrario verò magna negotiorum copia, Tibi promittere poteſt. Quantùm tamen fieri à me poterit.

Cometam unum hybernum 1664. fuiſſe multi affirmant: *Geminum à quibuſdam ſtatui non mirandum:* *Rationes pro hac ſententia.*

Κατὰ πόδας Te præeuntem ſequar. Rem gratam mihi feciſti, quòd literis Tuis quoque ſententiam de uno Cometa mihi confirmaveris. Idem poſt Ampliſſimum & Incomparabilem Hevelium veſtrum & Clariſſimum Bullialdum, publicis nuper demonſtrationibus & alii Viri doctrinâ inſignes, & præſtantes Mathematici fecêre. Quibus quod & tu pro egregia Tua eruditione accedas plurimum Tibi gratulor, cujus etiam humanitati ac in me benevolentiæ plurimùm debeo. Non miror tamen multos etiam putare & tueri geminum nos nuper in Corvo & Lepore vidiſſe Cometam. Nam non leves (aut ego fallor) rationes pro adſtruenda ſua ſententia adferunt; præcipuè verò diverſum ſitum, illo inter Orientem & Meridiem mane, hôc inter Occidentem & Meridiem veſperi apparente: & diverſum motum in proprio circulo, illo ſcilicet in Meridiem, iſtô in Boream flectente; ſed & valdè, (quam nuper objectionem à Clariſſimo Fornelio Profeſſ. Math. Upſalienſi accepi) inæqualem & inauditum, cum Cometa qui à die 18. 8. ad 22. 12. Decemb. 10. gradus tantum peregiſſe obſervatus ſit, non poſſit idem eſſe cum illo qui à die 22. 12. ad 21. 31. Dec. pluſquam 100. gr. perfecerit. Ad quæ cuncta ego tamen pro mea tenuitate reſpondi, antequam ſolidius reſponſum ex doctiſſima Clariſſimi Bullialdi informatione depromere poſſim. Ad quod ſi & Tu, Vir Eximie, qua es eruditione & humanitate aliquid addideris, addes unà multùm Tuis in me meritis. Quæ ut Tibi grato aliquo officio penſem, ſedulò cogito & votis ſtudiiſque ſinceris

Hevelii laus. *Bullialdi elogium.* *Auctor de hoc opere cum Buthnero confert.*

in id incumbo. Et ecce offert ſe occaſio, quò & Tibi, & Magno Hevelio, quem Tu Hipparcho illi Plinianis elogiis celeberrimo, ſicut ille Præſtantiſſimum Bullialdum, meritò comparas, id præſtem officii ut meritis veſtris publicum exhibeam teſtimonium in mea farragine obſervationum & judiciorum, quæ de nupero Cometa undique collegi ad me vel ad Amicos ex Italia, Gallia, Britannia, Dania, Suecia, Hollandia & diverſis Germaniæ locis miſſa, ut & plura Hiſtorica, Politica & Ethica iis intermixta. Hæc enim ut in ordinem redigam, illorum ipſorum, qui talia vel ab aliis acceperunt vel ad me perſcripſerunt, conſilium & voluntas efficit. Quod cum jam Ampliſſimo Hevelio indicaverim, Tibi quoque, Vir Clariſſime, qui me licet ignotum & immeritum Tua amicitia & literarum commercio dignaris, indicandum eſſe duxi, ne citra veſtram voluntatem veſtra intra privatos amicitiæ parietes ſcripta, publici juris faciam. Hoc enim eſſet contra jura amicitiæ & æquitatis, quæ viciſſim mihi fidem facit, Vos id conſilii approbaturos. Tantò magis cum jam ante

Veſtra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Veſtra cum variis Viris doctis ore & ſcripto communicata, ſalvâ & utriuſque veſtrûm & meâ exiſtimatione, premere nequeam, &, ſi id fieri velitis, veſtra ut recognoſcatis & pro lubitu efformetis exornetiſque Vobis libertatem concedam, imo perquam libenter me id viſurum agnoſcam. Velim itaque Vir Doctiſſime, Tua Germanico ſtylo expolita Latina facias; Illa, dico, quæ in poſtremis Tuis allegas, tùm & alia vel jam edita vel quæ promittis edenda (in quibus adſit Tibi benigniſſimus Deus, bono publico, ut & in deſiderato illo totius Reipublicæ literariæ votis opere Heveliano ex animo precor) in breve quoddam compendium redigas. Erit hoc publicum Tuæ egregiæ eruditionis & in me benevolentiæ, ut & mei grati in Te animi, monumentum. Quid autem de hoc meo inſtituto ad Clariſſimum Hevelium ſcripſerim, ſpero Te ex illo cognoviſſe. Crede mihi, Magnorûm Virorum monita nec levis momenti rationes, præſertim à ſpe promovendi boni publici petitæ, me vel renitentem ad opus hoc aggrediendum movent, aſſiduò illud pium votum JOVA JUVA in corde & ore habentem, & propriæ tenuitatis mihi benè conſcium. Sed ad capita Tuarum literarum redeo. Verum quidem eſt, non paucos Mathematicos in Germania, Suecia & Hybernia ſententiam de duobus Cometis nuper conſpectis acriter tueri. At eoſdem narraſſe duos ſibi una nocte viſos eſſe Cometas nec accepi nec ſcripſi, ſed tantùm quoſdam homines è Germania & Suecia id narraſſe. Vidi in lectione hiſtoriæ Cometicæ ſæpè & committi hîc errorem, multis ex uno Cometa ob diverſum apparitionis tempus, tùm ſitum motumque, vel figuram coloremve alium, duos facientibus, & Cometas matutinos fieri veſpertinos, & contrà. Ideò in rebus tam arduis & abſtruſis nihil Stoico ſupercilio & cenſoria gravitate decernendum, & ſicut omnis diſſenſus tolerandus, ita & error, ſi vel certò compertus fuerit, facilè excuſandus, nec de mortalium quoquam illud ἀυτὸς ἔφα (ipſe dixit) uſurpandum eſt.

Compendium Commentarii Germanici de Cometis ab eo Latinè fieri petit.

Cometæ duo fiunt ſæpè ex uno eodemque & quare.

Libertas & modeſtia Philoſophos decet.

Nam & ſæpè videmus ejus commatis homines, qui tantum præſumere ſibi audent, vel etiam talia adulatorio more tribui ſibi partiuntur, graviſſimè labi, uti omnia elata. Cogitandum certè omnibus eſt, longè plura à nobis neſciri quàm ſciri. Hinc illa Scientiſſimorum communi judicio Virorum, Salmaſii, Heinſii & Boxhornii (quorum modeſtiam vaſtiſſimæ eruditioni junctam familiarius cum eis verſans noveram) ſymbola: Quantum eſt quod ſcimus! Quantum eſt quod neſcimus! Maxima pars eorum quæ ſcimus, minima eſt eorum quæ ignoramus. Nempe & hi Magni in Republica literaria Viri, quantum & ſibi & Sapientiſſimis quibuſque deeſſet, ſedulò cogitabant, quod & illud Theognideum in mentem nobis revocat.

Præſumtam opinionem fuge.

Magnorum Virorum magna ſunt vitia.

Scientia noſtra in hoc mundo eſt imperfecta, exigua.

Magnos Viros decet modeſtia.

Ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν, εἰδότες οὐδέν.
Nos homines autem vana exiſtimamus, ſcientes nihil.

Quæ tu quidem, Vir Doctiſſime, benè ſcis cuncta. Ego tamen volui hæc Tibi, & ſimul ignorantiam meam, quæ me quoque, in Mathematicis præſertim, quæ vix primis labris, quod dicitur, deguſtavi, tenet, & magis quidem, quam Tua forte, vel plurium aliorum ferat ſententia, indicare. Fateor autem me è numero diſcentium eſſe, & illius prudentiſſimi moniti, *Multi perveniſſent ad ſcientiam niſi putaſſent ſe jam perveniſſe* recordari, nempe cum ſcientiæ cupiditatem benigna nobis inſeverit natura. Sed ad alteram epiſtolæ Tuæ partem venio, quæ de Aſtrologicis agit. Ubi primum dicere debeo, me quæ dixeram de curioſitate, quæ non tantùm ad certò & neceſſariò determinanda ſiderum & Cometarum effecta, ſed & ad ſcrutanda abſtruſiſſima divinæ ſapientiæ decreta & temporum nomenta, ipſumque adeò extremi judicii diem provoleto, nec ſine temeritatis nota aliis hæc oraculorum inſtar obtrudat, nec ad Te, nec ad ullum alium, qui ſobriè Aſtronomica & vel Aſtrologica tractet, direxiſſe. Noſti enim inveniri tales, qui & mundi finem & extremum illud judicium ad certos redigant annorum numeros. Atqui ſicut & antea dixi, Chriſtus ipſe in Euangelio

Modeſtiam ſerva.

Præſumta opinio ſcientiæ multos à ſcientia arcet.

Scire naturâ appetimus.

Curioſitas cavenda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

de die & hora illius judicii nec ſe, nec Angelos, nec ullum alium, ſed ſolum Patrem ſuum ſcire affirmat. Idem in Actis (quod meritò me hic repetere paulo poſt videbis) diſcipulis curioſius in reſtituendi regni Iſraëlitici terminum inquirentibus, reſponſum non ſine coërctione & correptione dedit: *Non eſſe illorum*, dicens, *noſſe tempora & opportunitates quæ Pater in propria poſuerit poteſtate.*

Prophetiæ novæ rebus ipſis refutatæ, Publicè & privatim noxiæ.

Vidiſti credo & nuper vana & pudenda novorum Prophetarum, de ruinâ domûs Auſtriacæ & Racociorum ad Regale faſtigium evectione, aliaque hujus ollæ vaticinia, quæ quàm publicè nociva ſint, & in ipſum quoque Proteſtantium nomen injuria notum eſt. Vidiſti præciſa de Anno 1652. ſed & aliis uſque ad 1670. vel etiam longius diſtenta præſagia, & quæ plura hujus farinæ dantur. Hæc in illa epiſtola mea tango, & ſtylo meritæ reprehenſionis confodio, aliàs non tangenda;

Curioſi creduli, vani.

ſed temerariæ credulitati vana arripienti, vaniſque aures & mentes credulas paſcenti ſubtrahenda, quod ipſum quoque me in illa epiſtolâ præſtare voluiſſe,

Prædictiones quales Auctor rejicit.

memoriam Tuam appello, nec non me ſolas illas fatidicas conjectationes & hariolationes ex ſignis cœleſtibus petitas, ut Scripturæ Sacræ repugnantes improbare. Atque eodem me jure in cunctas prædictiones manifeſtæ contrarias Scripturæ Canonicæ uti fateor, licet illæ non tantùm ſpecioſum Revelationum nomen obtendant, ſed & ab Angelo è cælo veniente, & vel ab ipſo Paulo in terras reduce, allatæ fuerint, quod is ipſe, Gentium dico Doctorem, me docuit.

Buthnerus diverſa ratione à vulgari Aſtrologica ſtudia tractat.

Gratulor itaque Tibi, Vir Eruditiſſime, quòd non tantùm Phyſica ab hypotheſibus innumeris & ſomniis Arabum; ſed & Te ipſum Rationi, Philoſophiæ ſobriæ & experientiæ multæ innixum, à vulgo Aſtrologorum lubrico mobilique fundamento inſiſtentium, & tamen inania in cælo confectantium, ſepares.

Sidera agunt quodammodo in inferiora, ſed voluntatem hominis non regunt.

Aſtra & Cometæ, utpote ſuperiora, agunt quodammodo in hæc inferiora, & in ipſos humani corporis humores, ſed in voluntatem ejus, quæ à ſolo auctore ſuo pendet, dominatum non exercent.

Cometas multa mala ſequi ſolent, ut & bona.

Seriem eventuum, qui Cometam naturaliter inſequi poſſunt, ſub determinatione tamen tum contingentiæ, tùm &, niſi Deus peccatis infeſtus & Virgam juſtiſſimæ iræ expediens flectatur tempeſtivâ pænitentiâ (cui non ſemper eſſe locum, ſi ſcilicet præfracta contumacia gratiam ejus procul eſſe velit, ille ipſe toties docet) ad miſericordiam, prout à Te adfertur & ego accipio, eidemque ſubſcribo.

Auctor Buthnero quodammodo aſſentit, libertatem diſſentiendi in quibuſdam ſibi reſervans.

Id tamen facio, ſalva libertate meâ in his vel illis diſſentiendi, quam & Tibi & cuique relinquo integram, deque ea, ſi ad bonum publicum dirigatur, qualis certè Tua eſt, vehementer gaudeo.

Buthneri ſententiam exponit & approbat Auctor.

Atque ita non exiſtimo neceſſarium eſſe, ut Tibi ad ſingula reſpondeam, dum ſuo loco intacta relinquis veritatis fundamenta, nec vires naturæ in orbe, nec vires liberi arbitrii in homine, tantominus divinam ſapientiam, juſtitiam & bonitatem tollens, ſed Cometas, ut prænuncios malorum & bonorum, eorumque vicinorum, & velut ſtatuas Mercuriales, at mobiles, & divinam voluntatem hominibus ſignificantes, imò ut fidos Achates & bonos Conſiliarios Principibus publicè privatimque utilia ſuadentes ſtatuens, nequaquam verò cum vulgo Cometam quaſi mali per ſe nuncium increpans. Hæc enim à Te non minùs prudentèr & piè, quam ingenioſè dicta ſunt. Atque hoc eſt

--- ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ,

Stoicus alios parvi facit. Academicus de omnibus dubitat. Diogenes omnes carpit. Virtuti veræ laus debetur.

& ut publicè utilia proferre, ita publicè communicanda tradere, Tibi quoque magnum allatura decus. Nam dicat, quicquid volet, aliquis, ex Stoa Supercilium, vel ex Academia dubitationem meram ferens, & vel ipſe, honeſti tamen pallio amictus, magnus magni dolii inhabitator Diogenes:

- - - - - aut virtus nomen inane eſt,
Aut decus & pretium rectè petit experiens Vir. Horat. epiſt. 17.

Servatis tamen modeſtiæ & humilitatis Chriſtianæ legibus id faciendum eſſe addo.

Cometæ quantum tribuendum.

Quantùm porrò Cometæ ratione ſigni vel aſteriſmi, vel tranſitûs aut alterius alicujus modi, non ut cauſæ alicui efficienti, ſed ut ſigno concomitanti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura obſervat. Cometicar. Gedani factar. ad Communicat. Buthnerian. pertinens. n°. 53.




Fig. hæc pertinet ad pag. 846. l. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tribuendum ſit, ipſe, quâ es eruditione & pietate, judicabis, & hanc ſcientiam, ut credo, habebis cum modo. Habetis & editam in Urbe veſtra, tantis meritis clariſſima per Orbem, doctiſſimi olim Collegæ Veſtri Henrici Nicolai exercitationem de Aſtrologiæ veritati, & alia ſimilia hùc pertinentia. Ecce verò & excerptum meæ epiſtolæ prolixæ ad Amicum quendam, bonæ notæ virum datæ, quæ me his diebus deſtinuit, quamque heri demum expedivi. Hac ratione ſupplebo dicenda hîc. Tu cuncta boni & æqui conſule prolata ab eo qui diſcendi eſt avidus.

Dantiſcanæ urbis elogium. Henr. Nicolai laudatur, Exercit. de Aſtrologiæ veritate edidit.

Dantiſco Hamburgum die 29. *Aprilis St. N.* 1665.

LIteras Tuas, die 16. Aprilis St. N. exaratas, die 25. accepi, humanitate & doctrinâ refertiſſimas, quas ut pari ſtylo reddere queam, in votis magis, quam viribus habeo. Nec enim eam mihi admetior doctrinam, neque eâ me dignum judico laude, quali literæ tuæ humanitate intinctæ, me cumularunt. Proinde id benevolentiſſimo tuo affectui tribuo, ſi ultrà quàm meruerim, de me meiſque ſenſeris. Nunc ad alia. Et verò primò dubium, quod nonnullos, tùm & Clariſſimum Dn. Fornelium urget, in literis tuis exponis, duos diverſos apparuiſſe Cometas aſſerentium. Rationes ſcribis adferri haſce. 1. Quòd ille inter Orientem & Meridiem manè, hic inter Occidentem & meridiem veſperè fulſerit: motumque ille quidem in proprio circulo in Meridiem, hic in Boream flexerit. Hanc objectionem fuſè, &, ut opinor, perſpicuè ſatis, num. 5. uſque ad 20. in continuatione mea dilui. 2. Quòd ab $\frac{8}{18}$ ad $\frac{12}{22}$ Decemb. 10. gradus tantùm: à $\frac{12}{22}$ verò uſque ad $\frac{21}{31}$ Dec. plus quàm 100. gradus confecerit. Hanc objectionem in numero 23. Continuationis meæ itidem jam reſolvi. Revoco autem in memoriam Inæqualiter Cometam progreſſum fuiſſe: In principio tardiſſimè; paulò, deinde concitatius: denique celerrimè: denuòque iterum motu indies magis magiſque remiſſiore. Unde Obſervatio Magdeburgenſis à $\frac{2}{12}$ Decemb. uſque $\frac{18}{28}$ Decembris 55. gr. numerat, & locum ejus viſum conſtituit inter medium & ultimum malum in Argo navi circà initium ♌. Hanc verò concitationem, cum Cometa uno eodemque, à Domino Fornelio conciliari poſſe, non deſpero. Cæterùm à $\frac{18}{28}$ Dec. uſque ad $\frac{21}{31}$ Cometa progreſſus eſt, infra Rigel, ſtellaſque in Eridano, intra triduum igitur 60. gradus ferè confeciſſet & ultra, ſit ita. Nec hoc abſurdum eſt. Æſtimat quippe oculus magnitudinem quamlibet ſub angulo comprehenſionis ſuæ, angulum concipit pro ſitu & diſtantia rei objectæ majori vel minori; oculo interea minus ſollicito, quàm vero intervallo res abſit, aut quomodo ſit ſita.

Büthnerus modeſtiæ obſervans.

Unum Cometam hybernum Anno 1664 fulſiſſe probat,

Suum de Cometa Commentarium Germanicum allegat, & explicat.

Cometæ 1664. motus inæqualis.

($\frac{18}{28}$. Dec. uſque ad $\frac{21}{31}$.)

Oculorum judicium ſæpè cum ipſa re non convenit.

Sit *e* Sol. *A f f B* Terra, in orbe ſuo annuo ♈ ♋ ♎ Solem obambulans: *e b g h* Via Cometæ, aut etiam *ſ r q p* itidem via Cometæ pro lubitu. Orbis annuus Terræ cum Sole interius comprehenſo eam proportionem habet ad ſphæram extimam, cujus portionem appinxi, ut punctum eſſe videatur, adeoque ♈ ⊙, *e*, ♎, cum circulo extimo ♈ ♋ ♎ congruet, & ♎ ad ♎ exterioris adaptabitur, unaque linea erunt. Terræ locus ponatur, die 2. Dec. in *A* & Cometæ motus intrà triduum in *c*, *b*, Tum quidem, ſi ad primam lineam Viæ Cometicæ, Duæ rectæ protendantur angulus promotionis Cometicæ vix in ſenſum incurret. Proinde Cometa quieſcere videbitur. Si verò ponamus Cometam alteram lineam parallelam priori tenuiſſe, & triduano motu prorepſiſſe per *r s*, jam Cometa ex *A* ſpectatus proceſſiſſe videbitur angulo tanto in orbe fixarum, quantus eſt *d o* hoc eſt diſtantia *d o*. Jam propior accedat Cometa ad *q p*. & in itinere ſuo hoc idem ſpatium *q p* deſcribat, æquale illi *r s*. ajo Cometam à nobis in *f* conſtitutis videri *m k* confeciſſe. Vides exinde qua ratione concitatus iſte motus Cometæ ſalvari queat. Ut omnia ex diligenti inſpectione hujuſce figuræ, ſeipſa ſub adſpectum ſiſtant, quæcunque hactenus Clariſſimum

Cometæ 1664. motus in ſchemate à Buthnero propoſitus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Fornelium & alios torſerunt. Mutatio itidem caudæ, curſûs, matutinum & veſpertinum tempus ad oculum patent.

Buthnerus modeſtiæ obſervans.

Cæterùm, Vir Ampliſſime, aperis mihi conſilium tuum, velle publicum aliquod eruditionis meæ & benevoli tui in me affectûs extare monumentum. Optarem certè me aliquod eruditionis ſpecimen tanto dignum favore edidiſſe. Dum verò meo me metior modulo, facilè intelligo, quàm minimè ad noſtri ſeculi Hipparchos ſim conferendus: ſed & quàm nondum eum ab Amplitudine Tua ſim promeritus ſive honorem ſive favorem. Si tamen Amorem mutuò amore & προνοίᾳ demereri æquum fuerit, & Amplit. Tua gratam me ſibi rem facturum judicaverit, Germanica deſiderata à numero 5-20. converſa in Latinum tranſmitto, eò animo, ut judicio tuo doctiſſimo aut ſerventur aut aboleantur: Æquo enim animo utrumque me laturum promitto, ut qui nihil aliud in votis habui, quàm ut voluntati Amplit. Tuæ morem gererem.

Partem Commentarii Germanici in Latinum vertit.

Cometa ex Orientali ſæpè fit Occidentalis.

Stellarum ortus heliacus facit eas ex coſmicis acronychias, vel ex orientalibus occidentales.

Num. 5. Cometam ex Orientali fieri Occidentalem, novum non eſt. Nam & Planetæ ſuperiores & fixæ, ubi ad oppoſitionem ☉ & Terræ devenerunt, mutant apparitionem ſuam, ita ut dum aliquandiu Solis ortum præceſſerunt, ſtatuto die Acronychiè oriantur, & ſequenti manè Coſmicè occidant. Undè iſta nocte acronychiæ nominantur, & poſt id tempus Occidentales, quôd Solis occaſum ſequuntur. II N. 6. Quod ♀ & ☿ attinet, præcedunt ſidera dicta & ſequuntur Solem Orientem & Occidentem. Eſt autem alia ratio apparitionis horum, & quaſi prioris veluti duplicata. Poſſunt enim & manè ſeſe ex radiis ſolaribus extricare, & ſub eoſdem ſe recondere, diſcedere ab iiſdem & eoſdem appetere. Idem & veſpere faciunt. Nunquam verò eò pertingunt, ut ☉ e occumbente, ad ejus diametrum in ortu conſtituantur. Experientiâ & Theoriâ, eorum uberius idipſum comprobante.

Luna nova eſt occidentalis: eadem poſt plenilunium fit Orientalis.

Num. 7. In Luna idem experiri quoque licet, quamvis contraria ratione. Nova enim, ſolem ſequitur, Occidentalis facta: poſt oppoſitionem tabeſcens, ſolem præcedit, & Sol ſequitur. Ipſa proinde ☾ Orientalis dici meretur, hoc eſt talis, quæ Sole & Luna terram colluſtrantibus, Solem exortum ſuam antevertit.

Stellæ eædem cur modò ſint Orientales, modò Occidentales.

Num. 8. Colligimus exinde & fixas & cæteros Planetas diverſo tamen inter ſeſe modo, Orientales & Occidentales fieri: cauſamque hujus apparitionis in eo conſiſtere, quòd ☉, Terra & ſtella directâ lineâ ſeſe offendant, & inde, cum nunquam quieſcant, ſed perpetuo motu ſuo quilibet proprio ferantur, in diverſas partes diſcedant, v. gr. Si quis ex Armamentario deſcendens per plateam Joppenſem Prætorium vultu directo intuitus fuerit, in ortu illud ſibi & à ſiniſtris conſtitutum, videbit. Dum verò Prætorium præterit, ipſe & dictus locus in una rectâ lineâ conſtituuntur, ipſumque Prætorium jam deſinit in ortu comparere, cum ex adverſo in Auſtrum incipiat protendi. Quod ſi quis ulterius deſcenderit, idem ædificium eodem modo conſpectum, ad dextram adeoque jam verſùs occaſum videbit.

Situm unius ejuſdemque ædificii ſitus hominis mutare videtur.

Num. 9. Ex rudi hocce exemplo, quivis facilè ſecum ita colliget, quòd quemadmodum omnes ſtellæ eædem fuerint, ſive ad Eurum ſive ad Zephyrum ſubſiſtant, ſive Orientales ſive Occidentales luceant: Prætorium itidem noſtrum unum idemque fuerit, ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram, adeoque vel in Ortu vel Occaſu compareat, pro ratione viæ & motus mutati. Simile quid & Cometis accidere poſſe, & huic noſtro accidiſſe, unumque denique & eundem fuiſſe.

Antipodes diverſum ut ſitum, ita & tempus à nobis habent.

Num. 10. Adhæc linea Meridiana Solem & Terram noſtram concatenat, facitque ut utrumque centrum Solis & Terræ noſtræ in rectâ linea conſiſtat. Et verò ſi in Solem vultu adverſo dirigimur, ſitus ille & habitudo Meridies nominatur: dum verò Soli tergum obvertimus, media nox. Siniſtrâ deſignamus nos, ut puta in Boreali hæmiſphærio conſtituti ortum, dextrâ Occaſum. In hæmiſphærio Auſtrali & apud Antipodes, contrario hæc eveniunt modo. Quam illi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

illi igitur dextram plagam appellant, nobis eſt ſiniſtra: & iterum quæ nobis eſt ſiniſtra, hæc illis audit dextra. Non ſecus ac duo bajuli, ſi tergo ſibi adverſo invicem jungantur.

Num. 11. Deducitur exinde, Id, quod nos Ortum appellamus, hoc illis veſperam eſſe, & quam nos Mundi plagam veſperam indigitamus, eam Antipodes Ortum indigitare. Fundamentum viciſſitudinis hujus in natura Circuli & Globi radicatur, qui ex duabus contrariis lineis & motionibus conflatur, principio & fine deſtituitur, atque φύσει in ſe nec dextrum nec ſiniſtrum, nec ſuperum nec inferum habet.

Ortus & occaſus ſimul eſt pro diverſo ſitu.

Globus terræ qui habitatur, diverſum ut ſitum, ita & tempus obtinet.

Num. 12. Undè porrò conſequitur, extra noſtrum Globum & Umbram terrenam, neque diluculum, neque veſperam, neque dextrum, neque ſiniſtrum, neque ortum neque occaſum; verùm continuum perpetuò diem neceſſariò eſſe. Imò ſi quis eo modo quo Terra circumgyratur, terras & maria omnia circum obiverit ſemel, ſive id fiat uno, duobus aut pluribus annis, eum veſperam, meridiem, & mediam noctem, hoc eſt, diem integrum ſive deperditurum ſive lucraturum eſſe, prout Terram vel ab Ortu in occaſum vel ab occaſu in Ortum, aut paria aut contraria Terræ faciens, obambulaverit. Quod ipſum hiſtoriæ Nautarum & differentiæ Meridianorum ſatis luculenter teſtantur. Quapropter viciſſitudinis ejuſmodi diei, & partium ejuſdem, ut & ortus & occaſus, oppidis & regionibus eveniunt ſaltem propter ſitum & horizontem noſtrum. Unde quoque alios dimidio anno, die; alios nocte continua, toto hoc ſpatio frui: alios dum hi nocte premuntur, lucem aliquot horarum, dierum, menſium longam videre, mirum non eſt.

Lux perpetua extra globum & umbram terræ.

Temporis ratio variat cum ſitu.

Meridiani diſcrimen.

Dies & noctes modo longiores modo breviores ſimul ſunt in diverſis locis.

Num. 13. Hæc igitur linea Solem cum Terra ſingulis diebus per totum annum copulans, ſingulis diebus, infert iſtas 4. habitudines, plagas & diſpoſitiones corporum noſtrorum, in reſpectu ad Solem. Quicquid etiam credidérimus, aut terram revolutione ſua diem efficere; aut Solem mobilem oriri & occidere. Ponimus autem nunc, Terram circumrotari.

Meridiana linea.

Terram moveri Buthnerus ponit.

Num. 14. Jam dum Antipodes noſtri Solem in meridie & in 20. ♃ intuentur, nos medium noctis tenemus, & Soli obverſi conſpicimus 20. ♋ culminare: A ſiniſtris 20. ♎ in Ortu, & à dextris 20. ♈ in occaſu fulgent. Intra 6. horas autem terra ſe circumvolvit in tantum, ut 20° ♎ ἐξεναντίας intueamur. Proinde viſus noſter & Terra noſtra in Oriente conſtituitur, & tunc 20. ♃ à ſiniſtris verſus Auſtrum: at 20. ♋ à dextris nobis verſùs Boream protenditur. Quod ſi ulterius Terra ſeſe Soli obvertit, Solem in meridie intuemur, & 20. ♎ nobis ad dextram & 20. ♈ ad ſiniſtram comparent. Illud nunc amplius non diluculum, ut antè, ſed veluti Prætorio jam prætergreſſi, Prætorium dicimus ad occidentem jacere. Quandoquidem nobis cum Terra circumrotatis, 20°. ♎ magis magiſque abſcedit; ad 20°. ♃ verò & ſigna ſequentia provolvimur. Denique 6. horis iterum finitis, Machina noſtra ad 20. ♈ pervenit, ipſique Solem nos in 20. ♃ ad dextram nobis, & 20. ♋ ad ſiniſtram conſpicamur. Proinde ☉ cum 20°. ♃ ad dextram occidere & 20. ♋ ad ſiniſtram è diametro oriri, videbimus. Oculis verò, in medio cælo 20° ♈ objicitur.

Medius dies Antipodum nobis eſt media nox.

Terræ circumgyrationis & viſus noſtri propertio.

Num. 15. Hæc ad Cometam noſtrum ita applicabimus: culminabat die 15. Dec. S. N. h. 12.24′ ♊, Cometa hærebat ad roſtrum Corvi in ♎, neceſſariò igitur ad ſiniſtram. Proinde inter mediam noctem & ortum Solis antelucanus apparebat. Motus dierum 18.21. Dec. monſtrabat, Terram & Cometam contrariis motibus cieri, hunc etiam celeriùs illâ. Jam ſi duo bajuli pontem tranſcurrunt, quorum alter aſcendit, alter deſcendit obviaturos eos ſibi invicem palàm eſt. Ille etiam, qui greſſus ſuos acceleravit, in puncto occurſus illorum majus ſpatium viæ confecerit altero, qui ſegniùs inceſſit. Et verò ſi à latere ſe invicem intueantur, ille qui deſcendit, huic ante obviationem à ſiniſtris ſtatuetur, poſt occurſum autem diſcedens ad dextram. Ita & res ſe habet cum Cometa, qui priùs, manè, & nunc veſperè accenditur, τὸ dextrum & ſiniſtrum, matutinum

Cometa 1664. qui ex matutino evaſerit veſpertinus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

num & veſpertinum ad Solem & habitudinem Terræ conferendo.

Cauſa hujus rei amplius redditur.

Num. 16. Jam quæritur ratio: Cur, qui Cometa in Decembri horis antelucanis in Ortu, idem in Januario veſpertinis horis itidem in ortu affulſerit? Fuerintne duo diverſi Cometæ? Quandoquidem commutatio habitudinum ſive viæ, quâ de nunc egimus, Cometam in Occaſu conſtituere velle videtur. Reſpondeo: hîc recolenda eſſe, quæ numero 14. præmiſſa fuerunt: Itemque, oculum noſtrum, ubicunque Cometam in motione ſua offenderit, ibidem verſari eundem, judicare: Tùm quoque habitudinem ex ſitu Terræ ad Solem computatam, ſive plagam eandem, & quaſi cum terra communem, Cometæ eidem applicari. Jam ex 18. 21. Decemb. innotuit, Cometam contra ſeriem ſignorum, ex ♎ in ♍ moviſſe, punctum interſectionis occurſus in 8. 9°. ♋ feciſſe, ubi ☉ Terra & Cometa in una recta linea conſtiterunt: ſequentibus diebus ulterius progreſſum, tandem ex ♋ in ♊ & ♉ receſſiſſe. Jam die 9. Januarii St. N. Cometa obſervabatur ad oculum Ceti; Terra in meridie, Solem in 20. ♃ intuebatur. Poſt 6. horas locum iſtum ad dextram deſerens, Solem, Terra occidere vidit: Ex adverſo autem ſibi obtendi 20°. ♈, & 20. ♋ ad ſiniſtram magis magiſque elevari: hoc eſt, Terra magis magiſque ſe applicabat ad ♋. Deinde cum Cometa proprio motu illo die, ſtellæ dictæ in 3. gr. ♉ appropinquaverit; judicat oculus quidem eundem ex loco, in quo eum intuetur; habitudinem verò ea propter Terræ communicat quaſi, & eandem Cometæ affingit. Poſt occaſum igitur Solis Occidentalem eundem concipit, oculorumque ſenſu inter Auſtrum & Eurum, nobis ad ſiniſtram, iterumque in Ortu reponit. Quandoquidem ♉, inter ♈ (qui, uti dictum, nobis in medio cæli fulget) & ♋ interjacet. Atque ita Cometa in Orientali plaga & quidem veſpere poſt occubitum Solis nobis comparet.

Cometa 1664. à die 18. & 21. Decemb. motus.

Cometa unus 1664. fulſit etſi deſcenderit & aſcenderit.

Num. 17. Una adhuc objectio reſolvenda venit. Quî fiat, quòd prior ille Cometæ deſcenderit, poſterior aſcenderit, fueritne unus idemque Cometa?

Sphæra nil habet prius vel poſterius.

Navem aſcendere & deſcendere figuratè dicitur quod ad nos attinet.

Situs oculi non mutat ſitum rei niſi ſui ipſius reſpectu.

Hîc ex Num. 11. repetantur: In Sphæra & Circulo in ſe conſideratis, nihil ſuperum nihil inferum eſſe; ipſamque figuram & ſphæricum corpus principio & fine carere. Naves præterea tàm levi operâ ad Caput bonæ Spei deſcendere, quàm inde ad nos remeare: Schema λέξεως eſſe tantùm, deſcendere navim & aſcendere, pro ratione ſitûs noſtri ſeu καθ' ἡμᾶς: Navim etiam ubivis locorum æquè longè à centro Terræ diſtare: Ubivis convexa cæli æquè profunda tueri. Cometam igitur idem, quod navis, facere, & motu ſuo Sphæram cæleſtem judicio oculorum, ſecundùm apparentiam, ſulcare. Exemplo ſit pomum & pomi ſectio: In quo, id quod ab uno latere corticem ſecando ima pomi petere nominaveris, illud ab altero latere corticem ſecando ſuperiora pomi petere dices. Utriuſque autem lateris ſectio, unius plani ſectio erit: quamvis ratione noſtri & laterum extremorum, pomi ſectio hàc aſcendere, illàc deſcendere videatur. Hoc illud ipſum eſt, quod antè ingerebam, Circulum ex duobus diverſis motibus & lineis conſtare. Qualium paradoxorum de circulis & ſphæricis, omnes Geometrarum libri pleni ſunt. Secundùm apparentiam igitur Cometa nobis tantummodo deſcendere & aſcendere fuit viſus. In plano ſuo, movendo, nihil tale reverà fecit.

Cometa deſcendit & aſcendit noſtri non ſui ipſius reſpectu.

Cometæ nuperi motus viſus orbicularis ob incurvationem cæli & horizontem noſtrum, in ſe rectilinearis fuit:

Ad hanc tamen lineam determinandam plurib. obſervat. opus eſſe:

Num. 18. Nunc ad motionem. Nego verò viam ejus Circularem fuiſſe, quamvis talis omninò nobis apparuerit: Quin potius credo verum ejus iter rectam lineam fuiſſe, quæ uti oculo apparebat, curvam lineam ex conica ſectione formavit. Hæc, ut rectè ordinetur, Tempus & obſervationes accuratiſſimas prærequirit. Nec ſuffecerit ad determinandam hanc lineam, 3. aut 4. obſervationes adhibuiſſe: Cum tribus punctis aut etiam quatuor per 5. IV. & 22. III. ſemper circularis concludi poſſit, quamvis non ſola. Sed plures obſervationes adhiberi optârim, ut plurium collatione, qualis ea linea fuerit preſſo pede inveſtigari poſſit. Circuluſne an parabola, an Ellipſis, an hyperbola fuerit, aut alia quæpiam, ſecundi, tertii, quarti ordinis. Carteſius ſi conſulatur,

ex Geo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ex Geometria ejuſdem conchoidem fuiſſe ſupponere licebit: Ex circulari quippe Terræ & lineâ rectâ via Cometæ fuit decircinata. Verùm hîc & inclinatio lineæ Cometicæ ad planum Eclipticæ ſeſe ingerit. Vincentius de S. Victore ſi adeatur, Conchoidem vel paraboleidem dicet, utramque enim ſymbolizare, & conchoidem parabolam eſſe evolutam demonſtrat. Quicquid ſit, qualis ea fortè futura ſit, Hipparchorum noſtrorum obſervationes & Apolloniorum Geometrumena, bono literario dabunt. Auguratus ſum jam pridem eam paraboliformem fuiſſe. Palmam determinationis magnis noſtris Geometris relinquo.

Ex Carteſii mente Buthnerus conchoidem colligit,

Vel parabolidem.

Hevelii & aliorum obſervatis Buthnerus motum & iter Cometæ rectum determinari vult.

Num. 23. Una adhuc quæſtio obſtat. Quî fit, quòd Cometa hic in principio tardus, poſt celerior, mox celerrimo, tandem iterum lentiſſimo motu inceſſerit? Hîc ſciendum, quòd tum, ſi aliquem peregrè à nobis equo vel curru vehi videamus, cui eâdem viâ obviam tendimus, appareat nobis, dum peregrè adhuc à nobis ingreditur, aut penitus ſubſiſtere, aut tardiſſimè incedere. Quanto autem propius nobis acceſſerit, tanto celerior videtur ejus motio, donec concurſus viæ & motûs in una linea contingat. Ubi quidem brevi ante & poſt illum concurſum, omnium motus conſpicitur vehementiſſimus, adeòque concitatiſſimus. Dum autem poſt concurſum utrimque in partes diverſas diſceditur, motionis celeritas paulatim remittitur, in tantum, ut tandem iterum alter alteri in eodem quieſcere loco videatur. Ita res quoque ſeſe habet cum Cometa & Terra. Uterque ſub cælo movetur. Ille contra ſeriem ſignorum, Terra ſecundùm ſeriem ſignorum. Jam dum Cometa, qui multis paraſangis Terrâ velocior eſt, (quandoquidem menſtruo ſpatio tantùm ferè itineris abſolvit, quantum Terra dimidio anno) Terrenæ moli in occurſum rapitur: dum in remotioribus partibus fertur, tardius: Propior terris, celerior proceſſiſſe videtur. Omnia quoad diſtantiam & lineam directionis viæ Cometicæ, proportionaliter accreſcendo & decreſcendo. Schema præmiſſum rem clarius deducet, quapropter uberiùs iſta explicare ſuperſedeo.

Cometæ motus tardior videtur, dum à nobis longius diſtat, velocior dum nobis eſt vicinior.

Motus Cometæ 1664. c.ſ.ſ. terræ ſ.ſ.ſ.

Ille longè celerior, hic tardior.

Cometæ motus reſpectu noſtri accreſcit & decreſcit.

Habes, Vir Ampliſſime, quæ deſideraſti, in Latinum converſa, Elige quæ placent; abole quæ diſplicent. Et benè iſtis fruere.

Plura addere prolixitas epiſtolii vetat. Habes etiam quæ de novo Cometa nuperrimè ſum commentatus. Vale & fave.

Buthneri Comment. de Cometa verno 1665.

Hamburgo Dantiſcum die 5. 15. *Maji* 1665.

OCtavus dies agitur, ex quo gratiſſimas Tuas literas die $\frac{19}{29}$. Aprilis ſcriptas accepi: gratiſſimas dico, quia & benè longas, & benè doctas & benevolentiæ in me ſingularis plenas. Eximia Tua iſta benevolentia & induſtrius labor, quem non ſine moleſtia mei cauſâ in Tuis Germanicis in compendium redigendis ac latino ſermone donandis, & adjuncto ſchemate illuſtrandis ſubiiſti, vota mea non tantùm æquant, ſed & implent, merita certè mea in Te, ſi quæ ſunt, ſuperant. Paria Tecum fecit Clariſſimus Placentinus, & facit brevique faciet Clariſſimus Gravius, ita ut vobis tribus adhuc pro ſingulari diligentia & favore ſingulares à me gratiæ agantur, & ſingularis in meo opere laus ſit reddenda. Suum nempe ibi quoque decus rependet cuique poſteritas, cujus ego uſibus labore illo haud levi conſulere decrevi. Nihil ad votorum meorum Tua ex parte ſummam deeſt, quàm ut pariter, quæ nuper de novo Cometa die 5. menſis præteriti conſpecto commentatus es & in lucem prodidiſti (de quibus ego Tibi magnas ago gratias) contracta inque latinum ſermonem verſa, tùm & generalem Cometarum delineationem, quò merita meritis laudeſque laudibus accumules, ad me, ſaltem intra unum & alterum menſem mittas. Cuncta enim luce digna & rei Aſtronomicæ haud parùm lucis allatura iſta eſſe judico: ideòque cuncta operi meo, volente Deo inſeram, ſub titulo: Communicatio Gedano-Büthneriana. Hevelianam Communicationem (jam enim opus

Diligentiæ laudem ſingularem in tractando ſecum argumento Cometico Auctor Buthnero, Placentino & Gravio adhuc tribuit.

Buthneri Comment. German. de Cometa verno 1665. contrahi & Latino ſermone donari Auctor ab eo poſtulat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Gedanenſi Urbe & Hevelio Auctor ſingulariter favet.

Buthnerus Cometam vernum 1665. cum hyberno unum eundemquè eſſe initio putavit:

Sed mox ab hac opinione diſceſſit.

opus Deo juvante, potiore parte in tales titulos diſtinguere conſtitui) nondum adfeci, ſed reſponſum ejus cum deſiderio opperior: quod Tu Viro illi Excellentiſſimo & Clariſſimo, de quo, ut & Urbe veſtra ſingulari ſtudio in illo meo opere mereri conabor, cum plurima ſalute nunciabis. Significaverat ille mihi literis die 7. Aprilis exaratis, Te tunc putaſſe Cometam hunc noviſſimum, eundem unumque fuiſſe cum priori. Sed in Commentario Tuo contrariam ſententiam, quam Te poſthac amplexum eſſe video, fortibus rationum machinis munis & defendis. Ita utrumque veſtrûm ſententiis conſpirare, vobis gratulor. Eadem mens eſt Clariſſimo Eraſmio Bartholino, cujus epiſtolæ apographum ad Ampliſſimum Hevelium miſi, & ei redditum eſſe ſpero. Eandem ſententiam validis argumentis probat Clariſſimus Placentinus. Idem dicturos & alios Viros doctos, quique benè Matheſin norunt, ſpero. Poſtquam eorum ſymbolas accepero, de omnibus vos faciam certiores. Sentio quotidiè, imò aſſiduò opus hoc magno mihi conſtiturum labore. Sed hic quanto fuerit major, tantò majorem adferet laudem & delectationem. Et oraculi vice habendum illud Publii Syri: *Voluptas è difficili nata dulciſſima eſt.* Ideò non me pudet Tibi aliiſque Viris eximiè doctis & induſtriis materiem ſubminiſtrare laboris: quem profectò non refugit, imò quærit & amplectitur induſtria veram gloriam appetens, utpote *honeſtiſſimum veræ virtutis fructum*, judice Cicerone *, non tantùm Oratore, Conſule, Philoſopho, Politico, ſed & Viro ſua ætate optimo. Qui etiam omnes boni publici & veræ gloriæ ſtudioſos, non tantùm contrà labores & moleſtias, ſed & contrà invidiæ tela ictuſque calamitatum & procellas graviſſimarum adverſitatum armat, dum, quod noſti, ait †: *Qui bonam famam bonorum, quæ ſola verè gloria nominari poteſt, expetunt, aliis otium quærere debent, & voluptates, non ſibi. Sudandum eſt his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpè pro Republica tempeſtates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum.* Quæ cuncta Te quoque exemplo, ubi opus fuerit, probaturum, jure credo. Crede verò & Tu, me vota & ſtudia, cunctaque mea publicô bonô, conſcientiâ judice, conſecraſſe. Si non tantùm reprehenſionem, ſed & invidiam, ac vel omni ex parte ingratum plurium animum incurram (quomodo enim id in tanta ſententiarum, votorum, & ſtudiorum diverſitate non prævideam?) hoc etiamnum nec miror nec moror. Didici vel à Seneca, *ad honeſta valenti contemnendum eſſe iſtum contemptum.* Operæ pretium faciam cùm, ſicut ſpero, placebo virtutum, literas bonas bonumque publicum amantibus. Antequam finio, unum abs Te, Vir Humaniſſime, peto, ut me certiorem reddas de illo phœnomeno, quod ante dies decem ad mœnia veſtra viſum fuit. Aliquid ſimile in Anglia & Berolini conſpectum eſſe, & ut ibi in cælo, ita apud Italos ad Romam ipſam, vel, ut alii referunt, ad Neapolin in terra, chaſma terribile aliaque oſtenta hic illic (quæ recenſere longum foret) apparuiſſe ſcribitur. Quæ cuncta Cometis adjuncta meritò homines, inſtar bonorum & fidelium, quos vocas, Conſiliariorum & Concionatorum, ad ſubruendam ſuperbiam, frænandam luxuriam, coërcendam ambitionem, explendam vel certè expellendam auri ſitim, terras mariaque confundentem, rejiciendam impietatem, domandam forociam, frangendam iniquitatis pertinaciam, vel invitare virtutis amore, vel incitare formidine pœnæ debent. Sed Tu jam Vir Doctiſſime cum Magno Veſtro Hevelio, Vale benè, longùm vive, feliciter age, conſtanter fave.

Ardua quæ pulchra.

Gloria tantò plus quantò plus laboris.

Laborem ſequitur gloria.

Virtutis gloria merces.

Ciceronis elogia.

* in L. Piſon.

† pro P. Sexto.

Boni Viri gloriam veram virtute parant, nec ſibi ſed aliis & Reipublicæ vivunt.

Auctor ſe ſuaque publico egregio conſecrat.

Invidiæ injuſtæ metu officium ne neglige.

Sperne te ſperni ſi virtutem ſequeris.

Chaſmata varia 1665. variis in locis viſa.

Signa cæli homines ad virtutem invitent, incitent, permoveant par eſt.

Vitiorum agmen profligatum.

Dantiſco Hamburgum die $\frac{17}{27}$. *Maji* 1665.

S. & O. Redditæ mihi ſunt literæ Tuæ, eruditionis & humanitatis pleniſſimæ, quibus ut ſtatim reſpondeam, officii ratio à me exegit; tàm etiam quod in nuperis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nuperis meis ad ea quæ in Extracto rem Aſtrologicam concernente, habentur reſpondere quicquam temporis anguſtia vetaret.

Prima quæſtio, an Aſtra habeant poteſtatem in animis hominum rectè negatur. Curioſè eam quæſtionem ventilavit recentiſſimus Athanaſius Kircherus in Arte ſua Magna Umbræ & Lucis lib. 1. part. 1. c.18. in ſententiam denique eam concedens, quâ aſtra indirectè influere in voluntatem, mediantibus humore & complexione aſſeverat. Ab illis, qui Spiritum Aſtralem tertiam hominis partem, Vinculum & balſamum æthereum dari credunt, in quo anima noſtra incorporea reſidet & architectatur, multa ſubtiliter in medium proferri poterant, quibus inclinationes illas æthereas tandem in animam hominis delabi, eamque movere, conturbare, pervertere, evertere demonſtrent. Simile dabo: Si Lampadi ardenti oleum flavedine, rubedine, virore tinctum infundatur, annon tandem ignis itidem talis lucebit? Imò & adſtantes ſimili colore tinget. Kirch. l. 10. part. 2. c. 5. Exper. v. Porta l. 20. Mag. Nat. c. 9. Paria concludunt illi & de anima, quam inclinari dicunt ab Aſtris & harmonicis configurationibus, in balſamum illum æthereum illapſis. Inclinari autem exponunt per affici, uti Lampas ſuperiùs colorum diverſitate afficitur. Et verò inclinari tantùm, idque mediatè; non cogi. Haberi enim alia ſubſidia, quibus anima iſtis affectionibus non tantùm ſe eximit, ſed & ſuperioribus potentiis, quàm cæli ſiderumque affectiones fuerint, ſubſit & obſecundet. II. Ex Cometis calamitatum & mutationum publicarum indicia univerſalia deduci, probo & ego: Ita tamen ut & ſtatuam, ad gentem certam genuſque certum mali, deſcendendi poteſtatem & licentiam dari. Liberè hîc animi mei ſenſa, Philoſophicâ libertate expromam: Veniam dabis, ſi opinionibus diſſentiamus. Aſſumo autem, Cometas univerſalia eſſe indicia calamitatum publicarum. Jam cum Iliada malorum non ubique locorum furere videmus, ſed determinatos certoſque quoſdam populos ſaltem opprimere, hiſce quoque Cometa ſignificata illa ſua triſtia prodidiſſe, exiſtimandus eſt. Sunt enim ſigna; hoc eſt, relata: at quarum rerum & quibus populis ſigna fuerint, à poſteriori diſcitur. Idque accidit, ex mente Opificis Summi, qui Cometam indicii loco fulgurare, & calamitates publicas portendere juſſit. Verum eſt tamen, multas calamitates affligere genus humanum, ubi nullus Cometa prævius exarſit. Non enim obligatus nobis eſt Deus, ut ſemper ex theſauris naturæ, ſigna & portenta in cælo oſtentet, illiſque hominum proterviam ad pœnitentiam revocet. *Habent Moſen & Prophetas.* Vel etiam prævidet jam Deus perfrictam hominum frontem, nullam amplius monitionem admittentium, omnemque ſui reprehenſionem & emendationem reſpuentium. Proinde devota capita, flagriones & mancipia pœnarum, eoſdem juſto ſuo judicio cenſet. Sed & hoc conceſſerim aliquos Cometas fulſiſſe, ubi nihil triſte ſecutum fuerit: plurimos verò, qui Tragicos eventus poſt ſe traxerint. Cauſa tàm inſignis diſcrepantiæ ex præcedentibus fluit. Mutatis enim hominibus, & Deus ἀνθρωποπαθῶς mutari Prophetæ Regio dicitur Pſal. 18. 27. *Cum mundo erit mundus & cum perverſo perverſe agit.* Unde conſectarium tale deduco: Semper Cometas ſignificare mala futura, at taliter, ut converſis hominibus eadem non ſint eventura. Quam in rem plurima & oracula & exempla per univerſum Sacrarum literarum codicem nobis proſtant, quibus Deus pœnas interminatas avertere & iram conceptam dimittere velle ſe declarat: imò *pœnitere Deum mali*, legimus, *quod cogitat* Jer. 26. ℣. 3, *quod locutus eſt* ℣. 13, adverſus peccatores. Ex hoc πορίσματι jam alterum fluit: Non converſionibus mundanis, iſtas mutationes Imperiorum attribui poſſe. Quamvis enim omnium rerum viciſſitudo ſit, Naturalium puta, Naturalis: quouſque ſcilicet concavum hocce lunæ ſe extendit: Imperia tamen, Politias ex numero rerum Naturalium excipienda eſſe ſentio. *Magiſtratus quippe Dei ordinationes ſunt* Rom. 13. 2. *Et ipſe mutat tempora & ætates: conſtituit & aufert Reges.* Dan. 2. 21. *Finis horum ut cognoſcant viventes quòd dominetur altiſſimus in regno hominum,*

Aſtra nullam poteſtatem habent in animis hominum.

Kircherus aliquid operationis in mentem hominis ſideribus tribuit,

Dum ea in illam, mediatè ſaltim, influere docet.

Spiritus aſtralis ſedes animæ ſtatuitur.

Aſtra quomodo inclinent.

Anima ſuperior aſtris ſuperioribus potentiis ſubjecta.

Cometis univerſaliter, & tamen certæ genti certaq; mala indicari Büthnerus docet.

Deus Cometis indicat ingruentia mala:

Non tamen ſemper.

Scriptura S. etiam ſine Cometis, indicat & denunciat malis mala.

Peccatores flagris dignos & iis ſubjectos Deus pronunciat.

Pœnitentia hominum Dei decreta mutat.

Cometæ qui ſemper ſignificent mala.

Deum pœnitet mali cogitati & pronunciati adverſus peccatores.

Reges & Regna à Deo dantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

minum, & cui voluerit, dabit illud Dan. 4. 14. Male igitur mutationes Rerumpublicarum in Catalogum & cenſum naturalium mutationum inferri exiſtimo: quamvis non negem ab aſtris Spiritum Aſtralem, cum Potentiorum tùm ſubditorum (velut ſuperius expoſui) alio atque alio modo ſollicitari.

Naſcuntur & moriuntur Principes apparentibus Cometis.

Cometæ præcipuè denotant bella mortem Principum ſequentia.

Plinius chaſmata & alia portenta, ſigna non cauſas calamitatum ſtatuit.

III. Natales & obitus Principum in Cometarum phaſes incidere, utrumque conceſſerim. At iſtos eventus non primò denotant Cometæ: quin potius, ſi quæ mala, inter ea præcipuè bella, poſt mortem Principum invalitura, denotant. Plinius lib. 2. c. 27. ſeipſum explicat: *Atque hæc* (portenta) *ego ſtatis temporibus naturæ, ut cætera, arbitror, exiſtere*, non *ut plerique variis de cauſſis, quas ingeniorum acumen excogitat. Quippe ingentium malorum fuêre prænuncia. Sed ea accidiſſe, non quia hæc facta ſunt, arbitror: verùm hæc ideò facta, quia incaſura erant illa.* Atque ita neceſſitatem fatalem Plinius ipſe à ſe & à portentis amolitur. Nuncia autem fuiſſe malorum futurorum deducit. Ut Nero & Aſtrologus meritò obelo confodiantur, qui detorto ingenio in ſævitiæ κρησφύγετον iſtam fatalem neceſſitatem ſibi emendicarunt.

Cometam non neceſſariò mala ſequuntur.

IV. Semper mala ſignificare Cometas, ita tamen, ut non impoſſibile ſit, & aliqua mala non veniſſe, dixerim & ego. Cauſſam in præcedentibus poſui. (num. II.)

Cometam quantum in ipſo eſt, in eos, quibus eſt verticalis, agere Buthn. docet:

Mala naturalia per eum indicari ſtatuit:

Seu intemperies qualitatum elementarium adfert hominibus mala.

Optice perpendiculari radio plur. efficaciæ tribuit.

Radii Cometales præter verticalem efficaciam ſuam habere putantur.

V. Ultima quæſtio eſt Aſtrologica: An agat in illos Cometa, quibus eſt verticalis? Hîc ajo, omninò Cometas hiſce potiſſimùm, quibus eſt verticalis ex inſtituto Naturæ, naturales ſuos effectus, operaque ſuæ naturæ congruentia & ſimilia producere, quantum in ipſo Cometa nimirùm eſt. Naturalia autem opera nomino, inſolitos ventos ſupra terram, ſubitas exundationes & eluvia maris & aquarum intra aquas; Terræ motus infra terram. Mala tria ex uno principio aëreo exorientia, Immenſum frigus, Nivium, pluviarum moles: ſiccitatum & æſtuum incendia, ſterilitates agrorum, putredines, morbos acutos, peſtes, hominum & animantium ex prædominio & δυσκρασία hujus vel illius qualitatis elementaris, provenientia. Quæ mala naturalia ſentire terras potiſſimùm convenit eas, quarum verticem ſulcavit Cometes. Perpendiculari quippe radio percutiuntur, qui efficaciâ eſt fortiſſimus. Sed & quorum populorum horizontem ſtrinxit, eandem dixero ſubire poſſe ſortem; cum idem radius quoque ſit perpendicularis, in Natura & opticis ἐνεργεία omnium fortiſſimus. Nec quoque negligendi ſunt alii radii harmonicè configurati, ad cujuſlibet horizontem & Cometæ ſuprà eundem elevationem. In verticali enim tantùm ſubſiſtere velle, eſſet pomæria Naturæ nimium coarctare. Cum naturam peripheriæ rationem in circulo ad radium per ſe jam architectatam eſſe videamus, undè ✳, △, ☍, & ex præmiſſis perpendiculis □ fluxerunt.

Cometæ nos à malis dehortantur Deo dirigente:

Certis locis mala ventura ſignificant:

Quod ad principem autem ſignificationem Cometæ & dehortationem à malis animi & corporis, addo & fortunarum, fores jam noſtras pulſantibus, attinet, Bella & ſeditiones: ea à ſuperiori Principio rerum præſentium & futurarum conſcio dirigi & gubernari credo. Et condeſcendere divinam majeſtatem noſtris conceptibus, ibique Cometæ motum imprimere, & eò dirigere, quo loco Cometa vel inſignia refert, quorum bono, Mercurius hic à Deo demittitur cælitùs: vel tranſitu, vel relatu ad Solem, vel alio rationi humanæ conſentaneo indicio, Provinciarum aliquam denotaverit. Situm barbæ autem, comæ vel caudæ, ego itidem pono, ut & Orientalem eſſe vel Occidentalem: aliam verò relationem ad Solem ſubintelligo.

Sed ut contingenter futura: quæ, ut talia, prædici poſſunt.

Cometa ſignum certo loco determinatum non vagum.

Jam eventus iſtos contingenter futuros prædici poſſe & licitum eſſe, ita concludo: Cometæ ſunt ſigna, & ex genere relatorum & ſignificabunt τό δε τι hoc aliquid: Itemque τῷδε καὶ τῷδε, huic regno, huic regioni. Aliàs φιλανθρωπία iſta æterna miſeriis hominum tantùm illuderet, ſi quæ mala & quibus ſignificatum iret, obſcuritatis velo latitare vellet. Signum quippe vagum, ſignum nullum eſt, cum altero ſuo correlato deſtituatur. Quod ipſum utique ad exaggerandam Bonitatem Dei Glorioſiſſimi noſtri, & omniſciam ejus curam, argumento non contemnendo facit. Nunc ad litteras

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ad litteras proximas: expetis ſcriptum meum de Cometa ſuperiore menſe conſpecto, contractum & in latinum ſermonem converſum. Mittam proximâ occaſione. Prodromum etiam Domini Hevelii noſtri te jam accepiſſe ſpero. Ex quo operis totius amplitudinem facilè conjeceris. Miror cogitata utrique noſtrûm eadem. Gratularis mihi quòd Cometam ultimum diverſum eſſe à priori defendam. Quid verò de eo primo die exortûs ſui ſenſerim, accipe, ſi lubet hiſtoriam:

Buthnerus Hevelio conſentit:

Die 5. Aprilis Excubitores noſtri Cometam primitus in cælo deprehenderunt. Horâ 10. nunciabatur mihi ab Illuſtriſſimo Domino Capitaneo Mirachovienſi, Vice Præſide & Protoſcholarcha Domino à LINDA, novum in cælo flagraſſe Phœnomenon, inſidiarer ei.

Obſervationes Buthnerianæ Cometæ verni 1665. viſi.

Feci, & die 6. Aprilis horâ 3. Cometam in Pegaſo deprehendi, locumque ejus æſtimando notavi. Juſſus perſcribere ſententiam meam ad Illuſtriſſimum D. Capitaneum & Protoſcholarcham ex tempore ſcripſi.

Adrianus à Linda primus Buthnerum de novo Cometa monuit.

Cometam cujus Magnificentia Veſtra heri mentionem fecerat, obſervaturus, faſtigium ædium mearum conſcendi, & horâ dimidiâ tertiâ inter Baſilicam noſtram & Domini Heyſei ædes ſub adſpectum prorepere animadverti, Luna dimidio ferè orbe fulgens magnitudinem capitis & caudæ ejuſdem imminuebat. Major tamen apparuit, quàm cum ultimo eundem die 5. Febr. obſervâram. An idem ſit cum illo qui nuperrimis diebus fulſit, determinare nondum poſſum; Ut nec quorſum & qualem curſum ſit habiturus? Magis tamen propendeo in eam ſententiam, eſſe eundem cum illo Veteri. Cauſſa tàm diuturnæ latentiæ eſſe poteſt, quòd Cometa retrogrado motu fuerit promotus, cui in occurſum Sol directus occurrerit. Menſe Februario Sol ♓ ingreditur, Cometa autem die 5. Febr. ſub cornu ſequenti Arietis hærere viſus eſt. Unde ab hoc tempore Cometa motu ſuo retrogrado, per Linum & Pegaſum progrediens in pectore ejuſdem hodie conſiſtere obſervatus eſt. Sole interea 16 ♈ obtinente. Proinde factum eſt, ut quia Sol & Cometa ſibi invicem occurrerent, intrà hoc tempus latentiæ, uno die ſibi invicem conjungerentur: reliquis autem diebus Cometa à radiis Solaribus obtegeretur. Permutatio igitur hîc iterum aliqua facta eſt. Unde & Cometa, quem anteà obſervavimus veſpere poſt Solis occaſum, nunc antè Solis ortum apparet. Oriri autem hodie potuit hora 1. 26. nocturna. Ipſeque magis indies ſeſe extricabit ex radiis ſolaribus: at verò adverſis ☾^{æ}. *radiis indies magis involvetur, donec à* ☾^{a}. *liberrimus, largiori corpore & cauda conſpicietur. Obſtat autem huic aſſertioni, quòd Cometa exili corpore die 5. Februarii & ſequentibus diebus penitùs evanuiſſe fuerit deprehenſus: cum nunc nimis magnus eſſe videatur. Heic dixerim elanguidas jam vires Cometæ novum augmentum aliquod materiæ Cometicæ ex æthere ſuxiſſe; aut veluti copiæ jam profligatæ ſi victor penitùs eas conterere ceſſaverit, collectæ, novum quendam exercitum formaſſe, imò & Victorem jam triumphantem reſumptis animis iterum ſibi ſubjeciſſe, leguntur: Ita & dicerem, rudera illa Veteris Cometæ, nondum penitus à radiis ſolis exhauſti, acceſſione nova iſtius materiæ iterum in novum Cometam coiiſſe: ut ſive novus ſive vetus dicatur, æquo jure dici mereat. Materiæ ejuſmodi hæſiſſe in cælo plurimùm exinde conjicere licet, quòd Venus præteritis diebus præter morem magnitudine inſtar Lunæ ferè minoris terris viciniſſima & ipſa exiſtens, lumine claro & radiis ſcintillantibus lucere eſt viſa; & pro novo quodam Cometa jam tùm fuit habita. Quam materiam coagulatam à non ità pridem configurationibus potentioribus □♄☉□♄♂ ſtatuerem. Utrum futurum ſit, obſervationes in poſterum docebunt. Vale.* Die 6. Aprilis.

Buthneri de prima Cometæ verni 1665. apparitione ad Adr. à Linda epiſtola:

Et opinio hunc Cometem unum & eundem cum hyberno eſſe:

Cometæ hyberni & verni orbita, quaſi unius, induſtriè & ingenioſe à Buthnero notata.

Cometa decreſcere, diſparere, & redire major poteſt, ut 1471. *Ricciol.* 1556. *Keckerm. & alii.*

Veneris magnitudo & ſitus 1665. menſe April.

Venus pro Cometa habetur.

Sequenti die 7. Aprilis, ſequentes exaravi, ad eundem Dom. Protoſcholarcham &c.

Buthneri ſecunda epiſtol. ad Adrian. à Linda ſcripta:

Quæſtionem quam heri ob defectum Obſervationum ſufficientium determinare non potui, Vetuſne ille hactenus ſub radiis ſolaribus deliteſcens, an penitùs novus in cælo prodierit Cometa, matutina hodie lux diremit. Novus omninò eſt Cometa. (α) *Cum enim vetus ex Auſtrino in Septentrionale hemiſphærium deſcenderit; hic contrà, ex Septentrione in Auſtrum tendit, conſiſtens heri in pectore Pegaſi, hodie ſuprà primam alæ Marcabh dictam: Notanter igitur deſcenſu ſuo mutavit locum.* (β) *Vetus ſoli directo,*

In qua mox ſententiam mutat & Cometam vernum 1665: ab hyberno diſtinguit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

motu retrogrado obviabat, hic vero Solem directum motu directo inſequitur. Adeòque ſecundùm ſeriem ſignorum ingreditur, ex ♓ in ♈, exinde in ♉, niſi apparitionem ejus vel Solis fulgor, vel interitus præcocior interceperit. Ut taceam (γ) motûs celeritatem (δ) colorem multò vivaciorem, novum eſſe ſuadentia. Apparuit enim adhùc in aurora multa, fixis à Sole jam tùm lumine ejus obvolutis. Vale.

Habes utramque literam, exinde ipſe collegeris, quid de Cometa primâ & ſecundâ vice conſpecto, ſtatuerim.

Buthneri Comment. de globo ignito, qui 1665. die 4. Maji ad Dantiſcum decidere viſus eſt.

Buthneri Comment. de Cometa 1652.

Nunc ad Phœnomenon die 4. Maji St. N. hîc Gedani obſervatum: Meditationum mearum exemplar tranſmitto, quod boni æqui conſulas rogo. Epicureiſmum & Atheiſmum oppugnandum mihi ſumpſi, qui, proh dolor! nunc inter Chriſtianos paſſibus laxioribus graſſatur, bacchatur. Calculum Domini Placentini vidi, ſimili modo & olim Cometam Anno 1652. feci & perfeci, eumque in lucem emiſi. Verùm cum facilè ſit, datis tribus obſervationibus veluti punctis quibuſdam circulum deſcribere, facilè quoque erit, ex tribus obſervationibus concludere, Cometæ orbitam fuiſſe circulum. Et impoſuit hæc ratio ex tribus acronychiis obſervationibus Eccentricum Planetarum deſcribendi, omnibus hucuſque quotquot vixerunt Aſtronomis, à Ptolomeo uſque ad Kepplerum, qui quatuor adhibitis obſervationibus in Marte, Ellipticam ejus viam detexit. Quæ quia necdum ubique cælo ſatiſfacere videtur, fortè alia adhuc via Planetaria invenienda reſtabit. Quâ de re, & cum Domino Hevelio, &, ſi rectè memini, cum Clariſſimo Domino Bullialdo olim ſermonem me habuiſſe, memini. Ita ſi Dominus Placentinus Obſervationes loco & gradibus non uſque adeò proximas, verùm aliquanto remotiores, tria itidem aut quatuor paria obſervationum arriperet, facilè exindè inconſtantiam anguli ſui animadverteret. Mutato autem Angulo inclinationis & orbitæ circulus in aliam lineam degenerat. Quæ Aſtrologica de Papa & Antichriſto habet, itemque Apocalyptica nonnulla, non ſunt ad palatum meum. Scio Apocalypſin eſſe apocalypſin, & multò ſublimiorem ibi materiam tractari, quàm quæ ad apparitiones Cometarum accomodari debeat. Verùm abundet quiſque ſuo genio & ſenſu. Quod opus tuum attinet, laude dignum omnes boni judicabunt. Malevolis ne Jupiter quidem placebit, quia bonus. Laudo conatum tam honeſtum, laborem tàm utilem, quem publico bono impendere decreviſti. Gratulorque rei literariæ, de Patrono, qui laudabilem iſtam curam in ſeſe recepit, varia inſignis literaturæ monumenta ab interitu vindicandi, eademque feræ poſteritati conſecrandi. Macte Vir animi & virtutis dotibus, ſperne invidiam, ſperne ingratitudinem. Noſti ex Seneca Tuo in Suaſor. 2. *Ad finem perveniſſe, quæ ad invidiam perducta ſunt.* Ruminare & illud Ammiani Marcell. lib. 17. *Ampliſſimam gloriam ſemper objectam eſſe invidiæ.* A bonis certè & ferâ poſteritate gratiam inieris æternam, Nomenque mereberis à Doctis, dum Sol Lunaque aderunt. Conſules ita famæ & meditationibus multorum Doctorum, cum Vetus illa querimonia recens denuò iterum in mundo cudatur: *ô quantum eruditorum aut moleſtia ipſorum, aut quies operit, & ſubtrahit famæ!* Plin. lib. 7. epiſt. 25. Sed manum de tabula. Tabellio enim vocat. Vale Vir Spectabilis atque Ampliſſime, mihique & ſtudiis meis ulterius favere perge. Ingnoſce feſtinationi.

Keplerus omnes veteres Aſtronomos correxit & primus viam ♂ ellipticam invenit.

Buthneri judicium de Placentini Comment. de Cometa anni 1664. & 1665.

Libertas Philoſophica cuivis relinquenda.

Buthnerus inſtituto Auctoris favet,

Eumque contra invidiam firmat.

Invidia virtutis comes, umbra.

Dantiſco Hamburgum die 7. 17. Iunii 1665.

ULtimæ, quas ad Te dedi, die 17. 27. Maji fuêre conſcriptæ, quibus etiam commentationes meas, de prodigio ignito, die 4. Maji S. N. hîc conſpecto, addideram. Spero eadem omnia per tabbellionem publicum ritè delata fuiſſe. Nunc quemadmodum in illis promiſi, & Tu rogas, ea, quæ de Cometa poſteriore Germanicè commentatus ſum, contracta & in Latinum converſa, mittam,

Buthneri Comment. de Cometa verno 1665.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mittam. Opinor autem non opus eſſe, ut notata à me loca Cometæ à 6. uſque ad 20. Aprilis St. N. ſpeciatim hîc conſignem, cum filo inſtructus eadem ſaltem deduxerim, accurationem Geometricam, inſtrumenta accurata, accuratè tractantibus concedens. In genere ſaltem quædam de motu, & paucis delibabo. Viſus eſt à me primùm Cometa, die 6. Aprilis, altero poſt exortum ejus, die. Moveri verò deprehenſus ex pectore Pegaſi, puncto eo, quod in linea recta, cum Scheat, & duab. 4. magnitud. præcedente & ſequente duarum in pectore conſtituitur, tantum diſtans à præcedente, quantum hæc à Scheat. Ab hoc puncto movebatur Cometa tranſverſè per Pegaſum, tranſiens inter Marcabh & Scheat, infra caput Andromedæ, donec inter piſcem Boreum & Deltoton extingueretur. Proximè Tropicum Cancri iſta parte, toto tempore ſuæ apparitionis legit. Parallelè quippe ad Æquatorem incedere ferè videbatùr. Cauda à Sole averſa projiciebatur, ſingulis diebus infra & proximè horizontem ortivum productior: quæ verò magis magiſque, ut aſcendit, de longitudine ſua aliquid deperdidit, in fine dilatata. Caput Cometæ clarum, formâ rotundum, præter diem 13. & 16. Aprilis, ubi caput formâ Elliptica, etiam tunc, cum ad altiora jam perveniſſet, apparuit: colore lucidæ aquilæ, magnitudine Capellam excedens. Primitùs oriebatur ad ἀπηλιώτην βορειότερον, ſeu Meſocæciam, celer inceſſu: inde paulatim tardior effectus, deſiit oriri in μέσῃ βορειοτέρῳ Meſaquilone, ſive Meſo-borea circa 20. Aprilis, ſecundùm ſeriem ſignorum inceſſit, Solem citato curſu inſecutus. Ipſe Cometa conſtitit intra ſolidum orbis annui in hemiſphærio Boreali, inter ſolem & globum terrenum, longè ſupra Lunam & Athmoſphæram.

Obſervationes Buthner. Cometæ verni 1665.

Cometæ verni 1665. brevis hiſtoria à Buthnero conſcripta:

Deducitur exinde hunc noſtrum Cometam diverſum eſſe & planè alium à priori, menſibus hybernis conſpecto. Firmatur ea aſſertio ſequentibus rationibus. (1) hîc enim directus, prior retrogradus apparuit. (2) hic ex hemiſphærio & plano orbis Magni Boreali, in Auſtrale deſcendit: prior ex Auſtrali in Boreale contendit (3) hic interſectionem Orbitæ ſuæ facere velle videtur in ♊, prior habuit in ♈, in terminis ♄ (4) hic acutum angulum interſectione formavit, prior etiam quidem acutum, at duplo ferè majorem (5) accedit, quòd cum prior ultimis ſuæ apparitionis diebus, tardiſſimum inceſſu, tenui corpore, caudâ exili ſe oſtendiſſet, & tandem penitus evanuiſſet; hic noſter magno & fulgido orbe lucens, in principio celerrimum motu ſe exhibuit.

Hunc ab hyberno alium eſſe docetur.

Nec verò miraculi loco habendum eſt, quòd intrà annuum ſpatium, duo viſi fuerint Cometæ. Nam & Anno 1531. menſe Auguſto & 1532. menſe Septembri & Anno 1533. menſe Julio arſerunt Cometæ, quos Milichius lib. 2. in Plinio deſcribit. Camerarius verò in diſput. de Cometis p. 5. ita de iis judicat: Quæ flamma Anno Chriſti 1531. primùm conſpecta fuit plagâ Occidentali, veſperi, ineunte autumno, ea ſequente anno denuò fulſit, loco quidem eo fermè, ſed matutino. Anno verò 1533. haud ſcio, an illa eadem evaneſcens, nocte tota apparebat, propter Septentriones hærens in ſigno Cephei. Et Ariſt. lib. 1. Meteor. c. 6. narrat, plures uno ſimul conſpectos fuiſſe. Quin & ſi annum 1618. repetamus, quatuor Cometæ diverſi, una quartâ anni apparuerunt, quos Gothofredus Wendelinus in ſua Teratologia ita deſcribit (1) 24. Auguſti ad 25. Septenb. ex 10. ♌ in 18. ♋ movit, eandem ſemper latitudinem retinuit Boream, ferè 21°½. 23°½. (2) in fine Octobris ad 2. Dec. ex ♍ ſub Auſtr. latit. cauda humerum Centauri attigit. (3) 10. Novembr. quâ caudam tantummodò conſpectus (4) die 23. Novemb. inſigne illud cæli incendium exarſit, quod ſequentibus annis, totam ferè Europam abſumpſit. Idem & Kepplerus & Longomontanus teſtantur. Qui plura exempla deſideraverit, Annos 1095, 1096, 1097, 1312, 1313, 1314, 1315, 1401, 1402, 1403, 1433, 1434, 1456, 1457, 1471, 1472, 1538, 1539, 1541, 1542. &c. adeat.

Cometæ uno plures uno eodemque anno, imò & die apparuerunt:

1618. anno quatuor viſi.

Quæſtio proponitur mihi: Anne Cometæ arte humanâ prædici poſſint?

An humana arte prædici poſſint.

℞. Primò pono Deum in productione Cometæ, Naturæ, tanquam famulæ ſuæ,

Deus & natura producit Cometam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſuæ, operâ uti: deinde ſingulare aliquid ex ſapientiſſimâ Numinis ter Optimi providentiâ, & omnipotente διοικήσει accedere. Utramque cauſam conjunctam producere Cometam. Conſequens igitur eſt; Nullum Cometam arte & ingenio humano prædici poſſe. Quodcunque enim in ſola Natura fundatum eſt, & ex viribus Naturæ, ſi ea ab externa & fortè etiam ſuperiori cauſâ non impediatur, promanat, illud tantummodo ex arte Aſtrologica prædici poteſt. Cui legi ſubeſſe ſtatuuntur homo, aër, terra, aqua, bruta, volatilia, inſecta. Et tùm operatur Natura ſemper idem, inque actum & effectum, quantum ipſa per ſe poteſt, ſuas operationes deducit. Ea enim eſt ordinatio Jovæ, ut inferiora corpora à ſuperioribus & cæleſtibus Naturam ſuam accipiant & conſervent. Quorſùm generatio, corruptio, alteratio, augmentatio & cæteræ ſpecies motûs inſerviunt. Conſentit Sapientiſſimus Regum, qui omnia infra Lunam vanitatis legi ſubjacere, ac cuique rei ſuum tempus, ſuum ordinem eſſe diſtributum fatetur. Quod igitur ad Naturæ cujuſlibet rei eſſentiam & conſervationem & Mundi totius perfectionem attinet, tantùm jam in ſuperiori Mundo à Deo creatum eſt, ut ſufficiat.

Prædicuntur ſola naturalia.

Inferiora à ſuperioribus pendent,

Mutationi & vanitati ſubjecta.

Tempus & ordo cuique rei convenit & opus eſt.

Cometæ verò ſunt ex genere τῶν μεταξὺ in Mundo. Igitur dum Deus probare vult, eſſe ſibi omniſcium oculum, qui præſentiſſimus Magnatibus omnia audit, videtque quæcunque geruntur: permittit equidem, ut mala conſilia proponantur; monet autem ex ſingulari φιλανθρωπίᾳ Deos terrarum, regni ſui adminiſtros, parcant hominibus, ſanguinemque humanum effundere. Exemplo φιλανθρωπίας ex comminationis ſit Ninive, ex prophetia Jonæ nota. Subditos verò incitat, ut veterno excuſſo, ſeriò ad Deum humili corde & verâ pœnitentiâ revertantur, ſicque mala excubantia declinent. Facitque Deus id ipſum ſigno aliquo illuſtri, quod omnium oculos feriat, taliterque comparato ut ejus ſignificatio, ſi modo ipſe homo voluerit, non adeò moroſè haberi poſſit. Heîc verò objectio diluenda venit: Aſtrologos nonnullos Cometam hoc anno futurum prædixiſſe, quam prædictionem & Cometam eſſe inſecutum.

Cometæ ex genere mediorum in orbe ſunt.

Deus multa agitari & proponi à Principibus permittit, quos mox officii admonet,

Sicut & ſubjectos,

Exhibito in cælo ſigno aliquo illuſtri.

Prædici Cometam poſſe falſum eſt.

℞. Hîc juvat in fundamento prædictionum harum nonnihil inquirere, ſtatimque vanitas totius prædictionis eluceſcet. (1) Fundant enim authores illi prædictiones ſuas in conjunctionibus magnis, quæ vicenis anns recurrunt. (2) Credunt Cometas conſtare ſulphureâ materiâ ex terra excita: proinde ad Meteorologiam ſpectare: Utrumque verò principium lubricum & evanidum eſt.

Quod enim configurationes attinet, duplices dari in Theoriis Motus, Medium & verum, in confeſſo eſt, quorum differentia eſt, quantum angulus proſtaphæreticus ratione Eccentri, & parallacticus ſive commutationis ratione Orbis magni, ad motum medium vel addit vel ſubtrahit. Notum eſt quoque motum medium, cum vero ratione Eccentri, nonniſi in apheliis & periheliis coincidere; cætera ſemper diſcrepare: ratione verò Commutationis Orbis magni vix ſemel aliquot ſeculis, aut nunquam cum medio convenire. Motuum verò rationem adſpectus ſive configurationes ſequuntur. Conſectarium hujus eſt, quod dum ó, o˚, ſuperiorum Planetarum ratione motus medii vel ver., ratione anguli proſtaphæretici in Eccentrico vel Ellipſi Planetaria accidit: Talis eſſe nobis in Terra degentibus non appareat, nihil ad nos pertingat, nihil apud nos operetur, & in dies & tempeſtates planè diverſas ingruat. Id quod ex aëris temperie & mutationibus ſingulis diebus diſcere licet, putà, quòd ſtatus aëris, ductum non mediarum configurationum, ſed verarum, earumque nonniſi ratione noſtri orbiculi, quas apparentes aliàs nominamus, ſequatur.

Motus qui medius & verus:

Differentia veri motûs & medii lineam angis,

Coincidentia in angis linea.

Motum rationem ſequuntur aſpectus.

Aëris ſtatus apparentium verorum, non mediorum aſpectuum ductum ſequitur.

Jam ſi dixerint Aſtrologi, ratione conjunctionum mediarun & verarum Eccentricarum Cometas exiſtere & prædici poſſe; inætherea utique regione, locoque eo, ubi radii appellentes, ejuſmodi configurationem pariunt; & tempore eo, quo radii harmonici commiſcentur, generabuntur.

Cometas non gignunt mediæ conjunctiones Planetarum;

Effectus autem iſti tunc ad ſphæram noſtram nihil facient, nullamque naturalem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

turalem operationem in ea edent. Si dixerint ratione configurationum Verarum Apparentium nobis, exiſtere & prædici poſſe Cometas, tùm tempore apparentis configurationis, locoque eo, ubi tunc radii harmonici invicem concurrunt, exurgent, ibique in orbe ſcilicet noſtro, naturales ſuas itidem operationes, qualium præſagia ad terrorem plebis & luſum ſui, plurima cudunt, ciebunt.

Neque apparentes.

Aſtrologorum præſagia vana Buthnerus perſtringit.

At evictum eſt hodie ab Aſtronomis, Cometas in cælo Planetario diſcurrere: proinde non poterunt ex apparentibus nobis configurationibus deduci. Nec quoque Aſtrologicâ ratione ad nos attinebunt, nec ut portentum Naturæ in inferiori mundo extimeri poterunt.

Cometas æthereos eſſe jam evictum eſt.

Sed inſtabunt Leovitium in libello Anno 1586. Witebergæ edito, de ☌ & ☍ Superiorum, Cometas & Tragicos eventus conſecutos, conſcripſiſſe, ac fortè etiam exinde deduxiſſe: Verùm enim verò nondum hînc ſequitur, ſolos adſpectus, dictos Cometas, ut ſuum opus procreaſſe, licet author quoque Eclipſes Solis & Lunæ in auxilium eorundem vocet. Nec quoque ſequitur, ex adſpectibus Superiorum, tùm & deliquiis Solis & Lunæ, Cometas, uti alia Meteora prædici poſſe. Quoties enim ☌ præcedunt nec ullus Cometa ſequitur? Quoties Cometæ apparent, in annis intermediis ☌ & ☍? Quoties Cometæ ab ejuſmodi Aſtrologis prædicti ſunt, eventu non reſpondente? Imò hoc ipſo anno primùm ſtatim alius ſubſequitur, cum tempus ſecundi apparituri in annos demùm aliquot poſt fuerit dejectum. Præterea, ſi ☌ & ☍ Superiorum ſimpliciter ita cauſa fuerit Cometæ progenerandi ſufficiens, lubet ſcire, quo loco effectus Cometa tantam moram temporis interpoſuerit, quominus adſpectu facto, non ſtatim & ille ſeſe obvium oculis tulerit. Configurationes enim planetarum omnium miro ordine ſe ſubſequuntur, & pro ratione conſecutionis, una alteram diſſolvit, promovet, turbat, impedit, auget &c. In generatione igitur Cometarum non in ſolâ Naturâ piſcari licet, cum exortus ejuſdem, partim naturam, partim ſuperius principum, tanquam parentes ſuos veneretur. Id tamen lubens conceſſero, præcedaneam ☌, æthera validiſſimè alterare, ſuaque impreſſione ad Cometæ generationem diſponere potuiſſe. Ut autem generatus fuerit, aliud quid adhuc acceſſerit, oportet. Quæſtio & illa hîc explicanda venit: Anne Cometæ inſtituto divino, extremum diem portendant?

Leovitii opus de conjunctionibus ſuperior. Planet. eclipſibus ☉ & Cometis à Buthnero aliquantiſper examinatur.

Cometæ ſæpius nulla præcedente eclipſi vel conjunctione lucent: ideò prædici nequeunt.

Planetarum configurationes quomodo ſe habeant.

Eclipſis aliquid ad generationem Cometæ confert, ſed ſola eum non generat.

Cometæ an inſtituto divino extremum diem portendant.

℞. In genere, non ſolùm Cometa, ſed & Solis ortus & occaſus, tempeſtates aëris, æſtas & hyems, quin & ipſa ætatis humanæ mutatio, Juventus & Senectus, vanitatem & fugacitatem vitæ, totiuſque naturæ præfigurant: Simili nimirum ratione, & totum hoc univerſum aliquando tranſire poſſe. Quòd vero ſigna extremi judicii in ſpecie attinet, ſcimus Patrem hunc ſuæ ſibi potentiæ reſervaſſe diem, quem ſcrutari non conveniat. Multo minus igitur Jova Deus nobis hoc quicquid ſigni fuerit, in cælo ipſe accenderit, quod proximè diem extremum præſignificet. Adhæc & fide credimus, judicium vivorum & mortuorum, reſurrectionem mortuorum, & vitam æternam, qui certè articuli, non in Natura ſua dantur, nec inde deduci poſſunt. Pietatis verò fuerit præfigurare ſibi, quemadmodum Jova juſtus Judex particularia judicia, in hos vel illos reges in terris exercet, eademque per Cometas populis cælitus denunciat, ſimiliter & univerſale judicium aliquando per univerſum Terrarum orbem peragendum eſſe.

Pater cæleſtis ſolus diem judicii ultimi novit.

Cometa diem extremum non portendit, Sed, ut & alia, in memoriam revocat.

Addo Cometas à Chaldæis jam fuiſſe obſervatos. Et verò, uti Apollonius Myndius refert, Chaldæorum ſententia fuit, Cometas eſſe ex numero Planetarum, horumque motu cieri. Epigenes ait, Chaldæos contrariam opinionem foviſſe. Anaxagoras tempore Darii Hyſtaſpis 500. annos antè Chriſtum Natum, Cometam obſervavit, teſte Charimandro, apud Senecam l. 7. cap. 5. Ariſtot. & Calliſthenes itidem Cometæ meminerunt, antè abſorptam Burin & Helicen. Sicut & Eccleſiaſtici Doctores, qui Amygdalina, tempore Jonæ à Jeremia cap. 1. viſa, antè natum Chriſtum 629. per ſtellam cri-

Chaldæi Cometas obſervarunt, Ita & alii veterum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tempus à Deo ſecundum V. & N. Teſt. diviſum.

nitam interpretantur. Jam verò notum, tempora à Deo dividi in ſcripturis, juxta duo teſtamenta, quorum alterum Vetus πάλαι Ebr. 1. 1. Novum alterum ἔσχατ' ἡμέραι Ebr. 1. 1. ἐσχάτη ὥρα 1. Joh. 2. 18, audit. Conſtituitque Deus apud ſeipſum, ut prius filium ſuum in mundum mitteret Gal. 4. 4. & judicium in Principem mundi exerceret, ad liberandum captivos fraude & Tyranide Satanæ Zach. 9. ℣ſ. 11, 12 vinctos, quale extremum & Univerſale judicium haberetur.

Cometæ extremum judicium ex inſtituto Dei non præſignificant.

Cometæ igitur antè nativitatem Chriſti extremum judicium, ex inſtituto divino minimè præſignificarunt. Qualis autem eſt conditio Cometarum ante natum Chriſtum, eandem & hodienum fore proculdubio credo.

Cometarum cum ſuis eventibus hiſtoria brevis, Anni 1577.

Nunc ſignificata hujus noſtri Cometæ, ductu Cometarum ſimilium ſcrutabor. Anno 1577. die 10. Novemb. Cometa in Antinoo emicuit, qui S. S. S. uſque ad 26. Jan. anni ſequentis 1578 promovens, ad collum Pegaſi pervenit. Subſecuta eſt die 4. Auguſti clades Portugallenſium in Mauritania. Conſumpſitque una illa dies 3. Reges Sebaſtianum, Abedmelechum & Regem Fezzanum Muhammedem. Menſe Octobri anni ejuſdem, alius effulſit ad frontem Pegaſi, loco fermè eo, quo prior diſparuit, contra ſeriem ſignorum inceſſit, ad caput Ophiuchi pervenit, & Anno ſequenti 1579. Orientalis factus, Solem prævertit. Succeſſit Sebaſtiano in ultima ſenecta Patruus ejus Henricus, qui
1580. verò vix annum regno præfuit, mortuus eſt Anno 1580. Poſt mortem ejus die 10. Octob. uſque 29. Novembr. tertius Cometa ſub Pegaſo exortus, Delphina, jaculum & aquilam peragravit. Don Antonius in ſucceſſionem regni Regemque coronabatur. Rex Hiſpaniarum verò menſe Decembri Portugalliam invadens Antonium ejiciebat, cui Eliſabetha Angliæ Regina ſuppetias latura, rerum illius ſatagebat, ſed nequicquam. Ipſeque Antonius in exilio in Galliis extinctus eſt. Pegaſus ſub ἐνάστροις & ἀνάστροις Piſcibus, totus concluditur, quorſum Portugallia, Compoſtella, St. Jacob & Hiſpalis Hiſpaniæ pertinent. Ratione ſigni igitur, ſi applicatio facienda fuerit, Cometa mortem & mutationem in regno Portugalliæ & Hiſpaniæ prænotabit: Ratione inſignium verò &

Equus commune pluribus inſigne.

aſteriſmi, ſignificatio propius tangenda venit. Conſtat enim Equum, Inſigne eſſe Brunſuicenſium, Lunæburgenſium, Weſtphaliæ, Daniæ, Poloniæ, Holſatiæ, Savojæ, Lithuaniæ, Coloniæ, Portugalliæ. Hîc igitur anguſtiæ, inimicitiæ, odia, diſſidia, diſcordiæ perſecutiones, damna & detrimenta plurima ab hoſtibus occultis, ſervis & ſubditis determinabuntur. Et fortè his etiam aliquid majus & inſigne aliud impendebit malum, quàm quæ Catalogus præ-

Cometa triſtia non æquè omnibus, licet eidem ſigno ſubjectis, ſignificat.

ſens enarrat. Non verò neceſſe eſt, ut in omnes regiones, quæ vel dicto ſigno ſubjacere dicuntur, vel eodem inſigni gaudent, mala dicta ex æquo diſtribuantur, Una quippe Provincia magis quam altera, quod timeat ſibi, habebit. Deus Principes & ſubditos ſalutis ſuæ admonet, non enim interitu myriadum

Buthneri modeſtia & candor.

delectatur. Habes, Vir Ampliſſime, quæ à me petiiſti, quæ omnia ſi à Doctis non æquè probabuntur, cenſuram facilis, dum meliora videro, admittam. Ita enim ad fundum veritatis devenietur, dum quilibet animi ſui ſenſa aperto pectore & liberè profitebitur. Vale Vir Ampliſſime & fave.

Hamburgo Dantiſcum die $\frac{6}{16}$. Novembris 1665.

Silentium diuturnum excuſat Auctor.

Officioſus in amicum, præſertim officioſum, eſto.

Merita ſuam exſpectant mercedem.

RUmpo tandem ſilentii clauſtra ingrata, in quæ me jam diu prægrandes labores, iique aſſidui, conjecerant. Nolim ſuſpiceris me in Scholam Pythagoricam tranſiviſſe. Relinquo id illis, qui non erubeſcunt in amicos, licet officioſos, parùm officioſi audire, quidam etiam prorſus officii negligentes reddi. Sed fruantur illi genio ſuo. Suum cuique decus rependet poſteritas: quin & præſens ætas debitam tribuit mercedem. Ego ſcio quouſque verum ſit, quod docet Seneca, neceſſarium eſſe ſilentium in ſtudia ſepoſito. Quanquam etiam non ignorem, quantum temporis exigant abſentium amicorum colloquia, epiſtolæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſtolæ. At enim non tantùm per vivas, ſed & mutas voces ſtudia liberalia tractantur. Adhæc ipſo toties docente & inculcante Seneca, bonarum literarum meta bona vita ſit oportet. Hujus autem pars non poſtrema, imò verò, ſi caritatis præſtantia accedat, facilè prima, officiis ſinceræ amicitiæ abſolvitur. Quid ergò amplius dicam? Fateor & deprecor ſilentium diuturnum. Cujus tamen excuſationem liceat ab aſſiduitate & magnitudine laborum eruere. Noſti etiam ſolemnem, antiquorum auctoritate firmatam & æquam legem, *Suarum & alienarum literarum tarditatem excuſare.* Libet denique cum Magno Eraſmo ingenuam ſilentii excuſationem adferre, quâ ille apud melioris notæ amicum quendam utitur: *Siluerunt epiſtolæ, at non ſiluit amor: interrupta eſt literarum viciſſitudo, at non intermiſſa eſt tui memoria.* Sed ad rem. Duabus epiſtolis Tuis benè longis & benè doctis die 27. Maji & 17. Junii Gregor. exaratis, reſponſum debeo. Hoc Tibi exile, Tuarum ratione habitâ, unica epiſtola dabit. Quæ exſpectationem & meritum Tuarum non æquabit, fateor. Sed id tùm tenuitati virium, tùm multitudini undique me jugiter prementium occupationum (quas Vir bonus non ſibi ſoli natus effugere nequit) adſcribes. Aſtris vim quandam in hæc inferiora influentem non adimo, benè tamen gnarus, quàm ſobriè hîc nonnulli philoſophentur. Solam neceſſitatem à libertate humanæ voluntatis vel naturæ potius, laudem vel vituperium ſibi parantis, removeo. Sicut verò ubique, ita & hîc, omne quicquid pro virtute dicendum eſt, liberè dico, & fortiter tueor. Hæc enim nunquam ſatis commendatur & inculcatur, quæ à tàm multis alto ſupercilio deſpicitur, vel etiam ſuperbo pede conculcatur. Cavendum igitur magno ſtudio Chriſtianis eſt, ne hominum mentes, ut terras illi apud Senecam amnes, eviſcerent, humorem, ut ſic dicam, libertatis excedendo & bonæ mentis ſuccum, qui lætos virtutum fructus ferre ſolet, ſubtrahendo. Fit enim id ſatis improvidè à multis, qui ferè id agunt, ut hominibus perſuadeant, nec neceſſarium nec poſſibile ipſis eſſe virtutem ſectari, à neceſſitate aſtrorum & ineluctabili cæli vi pendentibus, & naturali facultate prorſùs deſtitutis. Quòd ſi tamen id imprudentes faciunt, excuſatione digni ſunt, & ſimul admonitione, vindiciis humanæ libertatis & facultatis nil detrahi Deo, ejus auctori, ad quem hîc quoque, ut aliàs ſemper, tanquam ad Oceanum unda, rei datæ gloria cum fœnore, ut ſit liceat loqui, humillimæ gratiarum actionis & promtæ obedientiæ redit. Accedit ingenua confeſſio, propriæ imbecillitatis conſcia, nihil gratiæ opis divinæ demens, imò perfectionis ſuæ laudem ei in totum tribuens. Celeberrimi Kircheri ſublime ingenium novi: nam & literarum commercium de argumento Cometico mihi cum eo intercedit. Novi & alios Viros clariſſimæ eruditionis, qui multa ſubtilia jam olim & nuper de ſuperiorum cum inferioribus harmonia commentati ſunt. Miror & veneror acumen & vim ingenii eorum: tùm indefeſſam diligentiam. Sed cauſſam ut divinæ juſtitiæ, ſapientiæ, bonitatis, ita humanæ libertatis, facultatis, beatitatis agere ſemper ſum paratus. Nec temerè dico & urgeo, non eſſe hominibus in vitia pronis indulgendum, nec eſſe eis vel adjumenta virtutis ſectandæ, vel præſidia innocentiæ tuendæ ſubtrahenda. Docendi præterea, & exemplo invitandi ſunt, ut non tàm jucundis contemplationibus, quales ſunt illæ Aſtrologorum ſatis curioſæ, ipſa cæli penetralia ſcrutantes, & præſcribendis cælo terræque legibus intentæ, quàm utilibus, imò neceſſariis virtutum ſtudiis dent operam. Libertatem Philoſophicam, quâ uteris, Vir Clariſſime, libenter video, & æquiſſimo animo fero, cujus illa votorum & ſtudiorum, ut vides, ſummam implet. *Miſerrimi forent mortales, ſi ſinè libertate & ſpe viverent.* Deteriore enim conditione forent ipſis brutis, quæ ut ſummum bonum non exſpectant, ita nec æternum exitium timent. At homini utriuſque cognitio, perpetua foret carnificina, niſi libertate polleret, & ſpei guſtum æternorum gaudiorum præbentis dulcedine ad virtutem duceretur. Hæ duæ eximiæ dotes menti humanæ deſuper datæ, ut ex Cometis bona quoque omnina deducam,

Epiſtolarum commercium multum temporis requirit.

Bona vita bonarum artium meta.

Virtus amicitias gignit & fovet.

Excuſatio juſta admittenda.

Silentii excuſatio ingenua & ingenioſa.

Brevitas literarum amici excuſanda.

Aſtra quodammodo in inferiora agunt.

Virtutis ſtudium & tutelam nunquam neglige,

Licet alii eam temnant vel damnent.

Libertatis ſuæ certus ſit, qui virtutis ſtudioſus eſſe velit.

Gratiam Dei libertas homini relicta nequaquam obſcurat, imò verò illuſtrat.

Harmonia ſuperiorum & inferiorum mundi partium.

Virtutis ſtudium quàm maximè hominibus commendandum.

Neceſſaria utilibus, utilia curioſis præfer.

Libertas tuenda fruenda, & cuique integra relinquenda:

Tolli ab homine nequit.

 efficiunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometæ in mentem hominis nil efficientiæ obtinent: Agunt tamen tanquam ſigna memorialia & doctrinalia.
Cometas plura mala quam bona ſignificare dici poteſt, quia plures mali quàm boni ſunt: Multa mala ſine eorum apparitione eveniunt. Deus juſtè, ſapienter, benignè, liberè agit.
Pœnitentia hominus tempeſtiva paratam pœnam Dei amolitur. Fatalis neceſſitas ex natura rerum tollenda. Chaſmata & alia portenta malorum ſigna tantùm ſunt non cauſæ: Eadem bonorum prænuncia cur dicenda. Bona non bona per abuſum. Mala non mala per uſum. Imperantium & imperiorum mutationes quatenus inter naturalia ponendæ. Deus juſtè has vel illas gentes caſtigat. Signa cæli, quibus ſubjectæ gentes, non accerſunt nec adferunt eis mala.

efficiunt. Nihil eos in animis hominum efficere tanquam cauſſas, firmiter teneo: attamen tanquam ſigna, Ethico genio, concedo. Sed ſignis illis nullam neceſſitatem tribuo: mediam autem ſignificandi virtutem, bonis bona, malis mala præſagiendo. Hic enim mihi videtur ab origine mundi certus & immobilis rerum ordo, ut bonorum, Deo volente, & malorum, Deo permittente, & tàm hæc quàm illa ſapienter dirigente, perpetua ſit mixtura. Itaque ſentio Cometas, rara & illuſtria divinæ juſtitiæ ſigna, non tantùm malis metum incutere, ſed & bonis ſpem ingenerare. Iliadem malorum gentes opprimentium illi portendunt: nempe quòd improborum longè quàm proborum major & infinitus numerus detur. Bona quoque tamen eos portendiſſe, illis ſcilicet qui eis digni erant, quique eorum participes, Deo vel permittente, vel etiam, ob cauſas nobis ſæpè ignotas, ordinante, facti ſunt, permulta exempla docent. Sed & haud rarò nullis apparentibus Cometis Iliades malorum, puta bellorum, famis, peſtis, aliorumque ſenſiſſe mortales in aperto eſt, & in confeſſo: quod Tuo quoque exemplo doces. Ac verum quidem, Deum non teneri ſigna iræ mortalibus ad inculcandam pœnitentiam monſtrare, cum legem divinam habeant, & indiciis illis officii admonentibus ſæpè pertinaciâ indignos ſe reddiderint: ſed & nullam legem triſtem & univerſalem ferri, nullam neceſſitatem conflari ex Cometarum apparitione poſſe. Egregiè id confirmant, quæ piè doces ex Sacro Codice, hominibus mores in melius mutantibus, Deum quoque decreta mutaſſe, & ſancita ſupplicia avertiſſe, ne cum Stoicis ipſum Deum neceſſitatis compedibus conſtringamus. Rectè itaque mones, & Plinium, dum de chaſmatis agit, à ſe & à portentis fatalem neceſſitatem amovere. Docet nimirum illa cæli incendia, quæ pariter, ut ortus & occaſus ſiderum, ſtata tempora habere exiſtimat, ſigna tantùm ac veluti prænuncios malorum eſſe. Nempe quia mali homines potiſſimam mundi partem conſtituunt. At niſi eadem prænuncii bonorum dicantur, perinde videtur eſſe, quàm ſi nullos melioribus ominibus dignos dari in mundo dicatur. Scio perraros ſemper fuiſſe bonos, imò nullum prorſus dari inter mortales, ſi ad perfectionis regulam omnia exigamus: adeòque nec bona eſſe dicenda illa, quæ audiunt bona. Sed ſi libet philoſophari, & quæ dicuntur mala, bona quodammodo dici poſſunt. Nil quippe adeò malum eſt, quod non aliquid boni ſecum ferat, vel à divina bonitate, & famula ejus induſtria humana, in bonum verti, & quò non ad exercitium virtutis homo uti queat. Bella ipſa, ſtrages aliaque id generis, illis triſtia, funeſta, his læta, utilia ferunt. Mortuos ſine Cometis innumeros Principes, magnaſque ſine illis Rerumpublicarum mutationes eveniſſe, experientia docet. Hæc ego cuncta in ſerie rerum naturalium, ſive quæ conſueto curſu intra cancellos naturæ univerſi fiunt, poſui, etſi non ignorem hæc vel divinam, vel civilem conſtitutionem agnoſcere. Has autem potius quam illas Reſpublicas & gentes à Deo plecti, libertatis divinæ abſolutæ & ſapientiæ abſtruſæ, per omnia tamen juſtæ, documentum eſt. Vidimus autem ſæpè, ut & nunc videmus, iiſdem ſignis & phœnomenis cæleſtibus, illis quoque Cometicis ſubjectas, diverſa experiri fata: has gladio, fame, peſte, naufragiis, immenſis damnis puniri, alias pace, omnium rerum abundantiâ, ſalubri aëre, felicibus commerciis, & bonis commodiſque, velut aureâ virgulâ è cælo ſuppeditatis gaudere. Nos quidem in hac urbe longè faventius cælum poſt, quàm antè, Cometam, experimur, meliori aëre & rerum proventu uberiori ac ſucceſſu feliciori donati. In ſignificandis naturalibus malis, Cometæ, iis præſertim quorum verticibus imminet, certum quid majus tribuendum eſſe, non nego.

Cometa quibus eſt verticalis plus ſignificare iiſdem dici poteſt. Cometis frequentiora ſunt mala.

Frequentiora tamen illa his eſſe, cum experientia aſſero. Licuit Senecæ, Philoſopho Ethnico, operationem Cometis hîc tribuere, quod licet Chriſtianis. Noſti autem eum unius anni ſpatio illam circumſcribere. *Annum*, inquit, *totum ſuſpectum facit* lib. 7. Nat. quæſt. c. 28. quod tamen Thomas Fienus refutat,

futat. Gemma verò Friſius etiam docet, Cometas iis quibus imminent Locis, aëris temperiem & annonæ copiam adferre, quod & Keckerm. Veſtras exemplis Cometarum 1097. & 1506. confirmat, quantum ad fertilitatem attinet. Aerem quoque à fætidis halitibus per Cometas quandoque purgari, & gratæ reddi ſerenitati & ſalubritati, paulò inferius docet, & auctoritate Libavii comprobat. Syſtem. Phyſ. cap. 6. de Cometis p. 921. & 922. edit. Gedan. Situm Cometæ, ejuſque caudæ vel barbæ directionem officii admonere mortales, uno ore & uno animo Tecum dicam. Sed ita, ne reliquos mortales, quos non reſpicit Cometes, negligam. Vide quid hîc iterum Keckerm. ex Lavatero p. 935. alleget. Quis enim negligere vellet, quod ad neglectæ virtutis commendationem & profectum ſpectat? Terrendi, feriendi & frangendi ſunt illi Epicuri de grege porci (niſi tamen Epicuro injuria fiat, de quo audiendus Gaſſendus) luxu ſoluti, in cœno vitiorum ſpurciſſimorum ſe volutantes & perfrictæ frontis, minarum fulminibus. At qui in adverſis caſtris militant, licet aliquando evagentur & divertant, invitandi, alliciendi, attrahendi ſunt promiſſionum dulcedine. Ita Cometes utrique parti ſatis faciet, nec ullum pietati periculum, vel etiam dedecus adferet.

Cometæ verticales adferunt etiam bona.

Cometa ſignum memoriale & doctrinale meritò dicitur.

Nec tantùm malis, ſed & bonis exhibetur.

Sed de hoc in hiſtoria Cometarum univerſali, Deo volente, ex profeſſo agam, eorumque apparitionem non tantùm triſtia, ſed & læta excepiſſe, tùm & multa mala eandem præceſſiſſe, oſtendam. Quâ occaſione velim Catalogum Cometarum à Georgio Cæſio, vel ab Abrahamo Rockenbachio, mihi vel compares, vel commodes, vel deſcribas. Non enim eos alibi nanciſci poſſum. Rockenbachius Ampliſſimo D. Hevelio ad manus eſt. Dabo operam, ut, ſi id feceris, gratum meum animum Tibi teſter. Te cum D. Hevelio felici curſu metam properaſſe ad unam, licet non ex compacto, utrique veſtrûm gratulor. Æquum eſt vos non tantùm ſitu loci, ſed & ſtudiis ac ſententiis vicinos, imò conjunctos vivere. Sed & hoc bonum, quam rarum in orbe eſt! De hiſtoria Cometæ poſterioris debitas Tibi gratias ago, & gratulor Te à Magnifico Domino à Linda, Capitaneo Mirachovienſi, pro ea, quâ Vir ille in bonis artibus tractandis eſt diligentia, ad invigilandum ei fuiſſe monitum. Quod hunc Cometam unum eundemque cum priori fuiſſe primò putaveris, mirum non eſt. Imò verò gratulamur nobis Te hac occaſione doctas hâc de re litteras ad Patronum illum dediſſe: ſed & tandem cum D. Hevelio hâc de re conveniſſe. Vix autem quiſquam eſt, qui ab eo in diverſum hîc eat. Favor Tuus ſingularis, quo conatus & labores meos, pro juvanda utcunque re literaria ſuſceptos, proſequeris, mihi eſt longè gratiſſimus. Licet enim ab ambitione ſim alienus, laudatorum tamen laudationem non rejicio: monita verò, qualia Tu mihi contrà invidiam amica manu porrigis, amplector & exoſculor. Huic argumento coronidem impono ſcito verſu:

Cometarum catalogum Auctor à Buthnero petit.

Rockenbachiana Auctor à Buthnero ſibi mitti rogat.

Concordia doctos decet.

Rarum bonorum.

Adr. à Linda laudatur.

Cometam vernum 1665 à proximo hyberno eſſe diverſum plerique ſtatuunt.

Lauderis ut à laudatis ſtude.

Laus à laudatis tributa excitet te ad virtutum.

> Scripſerunt alii nobis, nos poſteritati
> Sic prius acceptum reddimus officium.

Atque hæc ad priorem epiſtolam Tuam reſcribenda habui. Venio ad poſteriorem.. Ad hanc paucis reſpondebo. Ibi enim *longius nos impetus evexit, provocante materia*, ut Seneca alicubi ait l. 1. de benefic. c. 10. De commentatione Tua docta, quam de phœnomeno ignito die 4. Maji Gregor. apud vos viſo publici juris feciſti, gratias Tibi ago. Velim paucis mihi ſententiam Tuam de hoc perſcribas, quò & iſta operi inſerantur, & Tuo nomine poſteritatis memoriæ commendentur. Pauca deſidero, ne Tibi ſim moleſtus. Præſtitiſti id feliciter in compendium redactis & Latino ſermone donatis, quæ de Cometis nuperis publico donaſti. Quod quia & hîc præſtas, iterum iterumque gratias Tibi ago. Nam & iter Cometæ accuratè deſcribis, & ſententiam de diſtinctis Cometis hyberno & verno, de novo confirmas. Doces dehinc, mirum non videri duos Cometas tàm brevi temporis ſpatio viſos eſſe: imò & plures ſimul.

Materia nos in dicendo longiores facit.

Buthnerus de re literaria præclarè meretur.

Mmmmm 3 Affers

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Affers in hanc rem plura exempla, præcipuè verò illud memorabile anni 1618. quo Cometæ 4. viſi ſunt, ſicut docet Eximius Wendelinus, quem legi, ſed & Eruditiſſ. Ricciolius in Almag. Cometam prædici arte humana poſſe, contendunt nonnulli.

Cometa aliquando & aliquo modo prædici poteſt & prædictus eſt.

Mitto Celeberrimum Aſtronomum Hallenſem Bartholomeum Schimpferum, qui ex Cometa 1652. præſagiverat nos ob conjunctionem omnium Planetarum in Capricorno Anno 1664. menſe Decemb, novum quid in firmamento viſuros fuiſſe: quod multi ad Cometam referunt. Mitto & illum Calendographum alioſque ejus farinæ vates, quos ridet Libavius Tract. de Comet. not. ad prob. 6. At noſti indice Milichio in Plin. l. 2. c. 25. Cometam illum

Apianus prædixit Cometam 1532.

Cometa res naturalis.

1532. quem memoras, ab Apiano fuiſſe prædictum, quod ex Milichio repetit Eckſtormius & alii. Hoc ſi ſibi conſtat, erroris arguetur Damaſcenus, Haggecius & alii, qui Cometis genus ſupernaturale conſtituunt, eoſque à Deo creari dicunt. Apparet enim eos naturalibus cauſſis & conſueto rerum ordini eſſe adſcribendos. Atque hæc ſententia & Keckermanno placuit, etſi extraordinarium concurſum cauſſæ ſupernaturalis & ſupernaturale præſagium in Cometa agnoſcat.

Otto Guerichius pater & filius.

Prædictionem orituri Cometæ aliquoties mihi retulit Nobiliſſimus Dn. Otto Guerichius, Sereniſſ. Electoris Brandenburgici Legatus hîc Reſidens, ab Ampliſſimo Parente ſuo Conſule Magdeburgenſi indicio anemoſcopii abs ſe inventi factam. Quam rem ego in medio relinquo.

Laur. Eichſtadii elogium & de Cometæ prædictione ſententia.

Cæterum ſatiſfacit hîc mihi &, ut opinor, Tibi quoque, Doctiſſimus Vir Eichſtadius, olim Veſtri, dum de Cometa 1652. agens, ait: *Prædictio Cometæ eſt res merâ in conjectura poſita. Siquidem nemo Aſtrologus æque probabilitèr poterit Cometam prædicere, quàm ventos & alia meteora: ſiquidem majus opus eſt naturæ producere Cometam quam meteora, potentioreſque queunt intervenire cauſæ effectus ſyderum impedientes.*

Placet omne quicquid pro virtute eſt.

Tycho Brahe laudatur ab his, carpitur ab illis.

Quæ de rebus ut Lunæ, ita viciſſitudini & vanitati ſubjectis, tùm officio Magiſtratuum & ſubjectorum, cujus eos Deus illuſtribus ſignis admoneat, doces, mihi perplacent, quia ad virtutem inculcandam faciunt. Reliqua ex doctrina Aſtrologica decidenda, ſuo loco relinquo. Scio Cometas à Tychone cælo aſſeri, non tamen primus, nec ſine quadam tamen hæſitatione & incerti ſuſpicione, ut quibuſdam placet, id fecit.

Cometas quoſdam infra Lunam quinam collocent.

Quoſdam Cometas infra Lunam eſſe, contendit, ut noſti, Mæſtlinus, Gemma, Roeſlinus, Scultetus, Hagecius, Keplerus & alii plures Mathematici præſtantes apud Ricciolium. Is verò teſtatur quendam Cometam Lunæ defectionem effeciſſe. Quod ſi ita eſt, equidem is

Hevelius Cometam quandoque aërem noſtrum trajicere ſtatuit.

infra Lunam fuit. Noſti autem quid & Hipparchus veſter hîc ſentiat. Quæ dehinc, de ignoratione horæ judicii illius extremi, ad quod nos ſemper conveniat eſſe paratos, & de aliis capitibus fidei, quæ non à natura, ſed à revelatione accepimus, ſubjungis, meram pietatem ſpirant.

Cometæ Chriſto nondum nato adventum ejus ad ultim. jud. non ſignificarunt.

Verò conſentaneum eſt Cometas ante Chriſti nativitatem adventum ejus ad judicium extremum, hominibus nondum revelatum, ſed in divina prædeſtinatione reconditum, non ſignificaſſe. Cometarum noſtro nupero ſimilium eventus & ego in hiſtoria mea accuratè excutiam, nec dubito me æquitatis legem in ſignificatione quoque Cometarum aſſerturum eſſe, juvante Deo.

Philippi IV. Rex Hiſpaniæ mors præviſa, & certis ac veris indiciis præcognita.

Mortem nuperrimam Regis Hiſpaniæ ante Cometam omnes brevi ſecuturam auguravimus, imò augurati ſumus, ætatem ſenilem, ſexagenarium annorum numerum ſupergreſſam, vires dejectas, crebra morborum ſymptomata & acceſſus, in ſubſidia præſagii advocando.

Portugalliæ ſtatus circa Ann. 1665. divinant & Politici.

Inde mutationem in Portugallia ſecuturam mente præcepimus, poſt crebras præſertim victorias de Hiſpanis reportatas, quæ & præceſſerunt & ſecutæ ſunt Cometam. Ita vides nec Politicis deeſſe divinationes.

Pax Lunæburgica.

Poloniæ ſtatus 1665. calamitoſus ex iniquitate ortus.

A viſo Cometa pace reſtitutâ gaudent Sereniſſimi Duces Brunſuicenſes & Lunæburgenſes. Eandem retinet Dania, Holſatia, Sabaudia, licèt equi inſigne gerant, quia & æquam mentem. Reliquæ Reſpublicæ bellis ante Cometam ortis concutiuntur. Præcipuè verò noſtra Polonia, in qua belli, domeſtici inprimis, mala in dies creſcunt, proh dolor! per ſummam iniquitatem accerſita. Hâc ſublatâ, illa, credo, tollerentur. Sed de his ſatis, apud Te præſertim. En Tibi verboſam epiſtolam, quam boni & æqui conſule, & Vale benè.

Dantiſci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Dantiſco Hamburgum die 6. 16. Decembris Gregoriani 1665.

ACcepi literas Tuas, die 6. 16. Novembris Hamburgi ſcriptas, quibus ſilentium literarum Tuarum, multis excuſatum iviſti. At cum antea jam tua ſtudia, tuaque negotia mihi innotuerint, facilè mecum ipſe rationem inire potuerim, Te, quem unum multis diſtrictum reſciveram occupationibus, unicuique non totum, verùm partem ſaltem Tui debere, ut unus tam multis ſufficere poſſis. Lubens igitur excuſationem tuam accipio, quamvis apud amicum & in communi cauſa laborantem, non neceſſariam. Nunc ad epiſtolam Tuam. Neceſſitatem à libertate humanæ voluntatis rectè amoves. Fecit id ipſum jam Ariſtoteles, cùm in libro de Interpr. c.10. tùm in Ethicis. Virtutem meritò ſuſpicis, quæ in exulcerato hocce ſeculo planè nomen inane eſt; ſecùs atque apud Ethnicos. Sed querelam eâ in re communem mecum ſeris. Undè hîc brevior ero. Aſtris quippe tantam non attribuo virtutem, ut in mentem humanam dominium ſibi arripiant: multo minus in Chriſtianiſmum. Novi dogma Ariſtotelicum, qui διάνοιαν à νῷ diſtinxit, partemque illam ſive facultatem, quæ virtutum aſſueſcere debebat, appetitum ſenſitivum eſſe declaravit. Quæ licet rationalis non ſit, talis tamen ſit, ut appetitui rationali recta monenti obtemperare poſſit. Sed hæc Ethicis relinquamus. Gratiora in Theologicis, ſacer nos Dei Spiritus edocet, ad quæ Chriſtiani meritò & oculos & animum & vitam & mores noſtros intendamus.

Silentium hominis occupati ac pluribus operam ſuam commodantis æquius excuſa.

Libertas hominis menti relinquenda.

Virtutis cura tibi ante omnia ſit.

Aſtra non dominantur homini, tanto minus Chriſtiano.

Ratio imperat: appetitus obtemperat.

Ethicus medicus animi.

Theologus medicus animæ.

Cum Kirchero literarum Tibi commercium intercedere, gratulor tibi. Hunc enim à mea ſententia non alienum fore, facilè augurabor, præſertim cum Aſtrologica cum Phyſicis tàm doctè, tàm cautè, miſcere didicerit; uti totidem Monumenta literaturæ ejuſdem æterna loquuntur. Convenit etiam mihi tecum, quòd Cometas rara & illuſtria divinæ juſtitiæ ſigna facias, Malis metum incutere, bonis ſpem ingenerare. Idipſum enim Servator noſter ipſe, Luc. 21. docet, ubi Mundum ſignis ante extremum diem eventuris terret; Bonos autem capita ſua attollere jubet. Redemptionem enim eorum jam inſtare. Et noſti in Phyſicis, unius rei plures dari poſſe fines: In Politicis, exempla quæ in facinoroſos ſtatuuntur, improbis horrori; probis, juris & juſtitiæ vindicatæ ratione ſolatio; Judici laudi & honori eſſe.

Kircherum Büthnerus laudat.

Büthnerus quatenus Auctori adſentiat.

An Cometæ bona aliqua portendant, dubito. Plinius quidem ait, Cometam Auguſti detraxiſſe infamiam cæteris, & ſalutare id ſidus terris fuiſſe. At quàm verè id ſcripſerit, viderit ipſe. Milichius dicit Senecam ridiculè adulatum Neroni, qui Cometam tunc fulgentem, magnam felicitatem Orbi terrarum propter Neronis imperium portendere ſcripſerit, ibique quæ mala fuerint ſubſecuta, mox adjicit. Auguſti Cometam minus fuiſſe ſalutarem terris, quinque bella civilia loquuntur, Mutinenſe, Philippenſe, Perusinum, Siculum, Actiacum. Monſtra Tragicorum eventuum iſtis temporibus prolixè recenſuit Camerarius in Tract. ſuo de Cometis, quem ſinè horrore legere non poſſum. Ricciolius itidem exempla aliqua pro ſententia Plinii & Senecæ allegavit. At quos ille allegavit, Cometas, læta ſignificaſſe; ante ipſum Rockenbachius jam enumeravit, quod eventus contrarios habuerint, apud diverſos nimirum populos diverſos. Cauſa ex præcedentibus patet. Et lege Phyſicâ novimus, ſi detur agens, ei neceſſariò ſubſterni patiens. Itemque, unius rei corruptionem, alterius eſſe generationem. At videris mihi in literis tuis, eam quoque amplecti velle ſententiam: Quoſdam Cometas per ſe & ex intentione Dei prænuncios felicitatis dici debere: Hoc enim niſi ſtatueretur, perinde videri eſſe, quàm ſi nulli melioribus ominibus digni darentur in mundo. Reſpondeo. Non quaſi non digni darentur melioribus ominibus in Mundo, id fieri, ſed quia non opus ſit. Diſpar enim conditio bonorum & malorum hominum eſt. Dum enim Deus benefacit hominibus ex parte ſua, *Opus proprium agit*, quia Deus ter

Quatenus in ſententia ejus dubium moveat.

Seneca læta Cometas quoſdam portendere agnovit.

Cometis læta auguria adimit Milichius & Camerarius.

Ricciolius Plinium & Senecam defendit.

Agens omne requirit ſuum patiens.

Cometas quoſdam per ſe & ex intentione Dei prænunciare bona Büthnerus negat.

Dei proprium eſt benefacere & ſervare.

ter Optimus eſt & audit, cujus deſiderium eſt & voluptas, ut hominibus inſigniter benefaciat. Ex parte hominum piorum, habent illi promiſſum Servatoris: Quæcunque petieritis in nomine meo, accipietis, juramento Chriſti, Amen, Amen dico vobis, corroboratum: cui teſtimonium Spiritûs Sancti internum accedit, obſignantis πληροφορίαν hominis fidelis in Deum, quòd quæcunque petierit à Patre cœleſti, ſi crediderit, illud ipſum accepturus ſit. Quod juramentum Chriſti & ſignaculum Spiritûs Dei, grandius momentum habet, quàm ut Phyſica illa ſigna adjicienda piis eſſe opus cenſeam. Sed & noſti illud effatum Apoſtoli: Signa incredulis dari. Ubi Paulum quidem de νουθεσίᾳ Gentium agere, benè ſatis novi. At eadem ad ἐπανόρθωσιν impiorum applicare, quid vetat? Cum ibi fidem, hîc mores corrigi videamus. Dum verò Deus propter peccata, homines aut punit aut punire intendit, cladiumque futurarum eoſdem ſignis extentis admonet, *Peregrinum Deus opus* facit, & facturum ſeſe minatur. Inde legimus effatum Propheticum, Deum pœnas non infligere, niſi prius id indicaverit, Miniſtris ſuis, Prophetis. De indiciis verò felicitatis, nullibi in Sacris Literis verbum ullum reperies. Sed & aliam videris quæſtionem movere, dum omnia quæ eveniunt, bona, malave, mortes Principum, & magnas Rerumpublicarum mutationes, in ſerie rerum naturalium, ſive quæ conſueto curſu inter cancellos Naturæ Univerſi fiunt, ponis: ita tamen ut in iiſdem etiam vel divinam, vel civilem conſtitutionem agnoſcas. Sit ita: ut omnia illa providentiæ & gubernationi divinæ, Legibuſque Naturæ & Humanis ſubſint: Difficilis in hac materia non ero. Quæſtionem hanc diſcuſſam, apud Diodorum Siculum l.15. c. 48, 49, 50. leges. Qui Ethnicus ſanè piè ibi de Numine, contra Phyſicos ſentit. At quod addis, has potius, quàm illas Reſpublicas & gentes à Deo plecti, libertatis divinæ abſolutæ & ſapientiæ reconditæ per omnia tamen juſtæ, documentum eſſe, in eo me ὁμόψηφον non habes. Deum enim agere cum Rebuſpublicis non juxtà libertatem divinam abſolutam, verùm juxtà voluntatem ordinatam ex Scripturis novimus. Ad hanc enim τάξιν ipſe Deus ex liberrima voluntate, pro immenſa ſua bonitate & φιλανθρωπίᾳ ſeipſum liberè adſtrinxit. Undè libertas ea in Deo ita adſtruenda eſt, ne veritati & bonitati divinæ ἀμεταπτώτῳ καὶ ἀμεταμελήτῳ aut detrahatur aut vis inferatur. Undè Pſal. 81. 14. ô ſi populus meus auſcultaſſet, vel momento inimicos eorum fuiſſem depreſſurus &c. Et Deut. c. 28. 1, 2, 3. Erit autem, ſi fideliter auſcultaveris voci Jehovæ Dei Tui &c.

Fiduciam piorum in Deum per Chriſtum obſignat Spiritus Sanctus.

Pii non opus habent Cometarum ſignis.

Deus ſignis monendo & minando peregrinum opus facit.

Felicitatis indicia nulla in SS. LL.

Rerumpublicarum mutationes an in ſerie rerum naturalium locandæ.

Diodor. Siculi laus.

Deus cum Rebuſpublicis agit ſecundum voluntatem ordinatam.

Libertas Dei à veritate & bonitate immutabili & irreprehenſibili non diſcedit.

In determinatione populorum, quibus Cometæ minitantur aut monita ingerunt, plura ajo reſtare media, quàm ſola verticitas, ex quibus ſignificatio eorundem eruatur. Qui enim anno præterito luxit, nullibi per verticem Europæorum tranſiit. At verò tranſitum habuit. Non illum hîc intelligo, quo Meridianum ſingulis diebus tranſmiſit: verùm in configuratione ad Solem, quo eidem oppoſitus, terram proximus prætervexit. Adſunt Situs, adſunt directio caudæ vel barbæ, non verſùs Orientem vel Occidentem, ſed ſignum Zodiaci. Ita nuperrimus caudam ſuam conſtanter in Cancrum direxit. In tempore, quamdiu duret ſignificatio Cometæ, conſentirem facilè cum Seneca, ſi Cometen tantùm Naturæ Opus eſſe crederem, nec ſuperiorem ſubeſſe facultatem, porrò agnoſcerem. Dico tamen poſſe annum unum ſuſpectum eſſe, poſſe plures, poſſe minus quàm annum: prout homines aut pœnitentia Deum inflexerint, aut iniqua faciendo, ſtrenuè perrexerint, verbo, prout Monitis Cometæ in relatione ad Deum & concives obſecundaverint. Tranſmitto Rockenbachii deſcripti partem dimidiam. Habeo ipſe exemplar. Doleo autem in authore (α) quòd interdum annorum rationem accuratam adeò non habuerit. (β) Quòd authores non adjecerit, ex quibus exempla ſua collegerit. Dividitur Tractatus in duas partes. Prior continet Phyſica, Ortum, Cauſas, Subjectum, Antecedentia, Conſequentia, Cognata. Poſterior exempla Cometarum recenſet, qui ab Origine Mundi uſque ad Annum Chriſti 1595. apparuerunt. Fromondus

Cometa 1664. Europæis non fuit verticalis.

Cometæ ſignificatio ultra annum extendenda.

Cometa eſt quid naturale, habet tamen in ſe aliquid ſupernaturale,

Quandoque vero brevior eſt pro ratione hominum.

Rockenbachius qua in re peccarit;

Quomodo librum ſuum diviſerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

mondus & Ricciolius authoritate Sennerti, Cometæ alicujus qui rivum abſorpſit, meminerunt. Illum verò deſumpſit Sennertus ex Rockenbachio, legitur ea hiſtoria apud Sennertum in Editione 2. Naturalis hiſtoriæ Anno 1624. p.287. in poſterioribus editionibus ea omittitur. Facilè autem quivis ex Rockenbachio videt, Phœnomenon iſtud non Cometam verum, ſed vel Draconem volantem, vel Globum ardentem fuiſſe. Hæc ideò commemoro, ut hoc loco bonos iſtos Viros dormitaſſe perſpicias. Non igitur tàm acerbè Tychonem & Keplerum tractare debuiſſe. Sumus homines: quiſque ſuos patimur manes.

Cometa 1543 à Rockenbachio, Sennerto, Fromondo & Ricciolio adnotatur, qui Cometa verus non fuit.

Tycho & Hyperaſpiſtes ejus Keplerus Viri magni ſuos habuerunt cenſores.

Quòd pro Cometa ſecundo, & prodigio ignito prolixas gratias agis; optarem ego potius aliâ materiâ magis gratâ, benevoli mei in Te affectûs indicium me exhibere poſſe. Quod ſi levibus iſtis pagellis factum non fuerit, Deo volente, Exercitationes meas Cometicas, quas verè exeunte (ſi Jova vitam & ſpiritum conceſſerit) lucem publicam aſpecturas confido, tibi tranſmittam. Conſtabunt Sectionibus tribus, Phyſicâ, Aſtronomicâ, Aſtrologicâ, in forma diſputationum, propoſitis. Ubi quæ ſint me habitura concilia Phyſicorum, ipſe leges & æſtimabis. Nulli me mancipabo. Inventa tamen mea rationibus confirmabò. Mitterem eas Lubecam, undè facilè Hamburgum tranſferrentur, ſi ubi deponerem Familiarem aliquem, tibique amicum reſcirem. An phœnomenon igni tum interſeri debeat Cometis, nec ne, tuo ſtabo conſilio & judicio. Scribe, quod fieri velis. Cæterùm de prono Tuo in me affectu gratias maximas ago, non intermiſſurus occaſionem, benevolentiam Tuam & amorem gratis officiis ulterius demerendi. Occurrit & alia quæſtio in litteris Tuis: Anne Cometæ arte humanâ prædici poſſint? quod negavi & etiamnùm nego. Quamvis enim cauſſas Cometarum Phyſicas agnoſco, quibus aliam adhuc ſuperiorem facultatem adjungo, prædici tamen eos poſſe nego. Non tantùm ea propter, quòd Naturam habeant ſuperiorem directricem adjunctam, ſed & poſito, quòd hujus cauſſæ hyperphyſicæ expertes, ſi nihil amplius niſi corpus merè phyſicum eſſent. Habent Iris, halo &c. cauſſas ſuas naturales. At numne audebit Schimpherus prædicere talia phœnomena? Appianum prædixiſſe Cometam Anno 1532. legi in Milichio fol. 91. *b*. Cauſſas ibi enumerat procreantes, ſi Saturnus, Mars, Mercurius, Solem aut Lunam infauſtis adſpectibus in Eclipſi intueantur, aut in aliqua conjunctione ſuperiorum Planetarum dominentur infauſtæ ſtellæ. Cauſſas haſce inſufficientes ad ſignificandas tot ſtrages & clades hominum & brutorum, in aëre & terris, quotuſquiſque eſt, qui non videt. Præſertim cum Cometæ non in regione elementari, uti ſupponit Milichius, ſed ſuperiori ſtabulentur. Sed & ipſe Milichius hanc cauſſam ſive rationem deſerit, dum folio ſequenti ita diſſerit: *Ita quamvis agnoſci poſſint cauſſæ efficientes Cometæ, tamen quatenus ſufficiant ad ciendam materiam in tanta varietate materiæ, non poteſt certò conſtitui. Et hujuſmodi effectus non ſunt omninò regulares.* Et paulò poſt: *Non eſt abſurdum, ad hæc cauſſas Phyſicas adjungere majorem vim & arcanam.* Hæc autem ſingula quomodo ſeſe habeant, pleniùs, Deo juvante, in Exercitationibus meis deducam. Nobiliſſimi Guerichii Parentem ope Anemoſcopii prædixiſſe Cometam facilè credidero. At hoc genus Cometarum non eſt ex noſtro genere. Ariſtoteles omnia phœnomena, uno nomine inſignit Cometarum, quæcunque in ſublimioribus conſpiciuntur, caudâ vel comâ armata. Unde habet κομήτην ἀστέρα, κόμην λαμβάνοντα: habet Cometas, qui σύστασιν habent. Ut amplius progredi in Cometologicis non valeamus, niſi homonymiam hujus vocis diſtinguamus probè: & quæ eſſentiâ differunt, eadem diſtinctis etiam nominibus tradamus. Noſti illud Logicorum: *Mater erroris homonymia ſemper.* Quale ergò inſtitutum anemoſcopium Domini Guerichii fuit, talem etiam Cometam prædixiſſe eum facilè credidero. Ventum autem Auſtrinum hiſce Cometis figurandis aptiſſimum eſſe, jam dudum Ariſtoteles declaravit. Quæ Ricciolius habet de Cometis Sublunaribus ad eadem alibi reſpondi.

Buthnerus exercitationes Cometicas publico parat, Auctori p. omittit,

Suamque erga eum benevolentiam multam teſtatur.

Cometas prædici poſſe Buthnerus negat.

Prædici nec naturalia poſſunt.

Cometæ 1532 prædictio an certa & ſufficientes habuerit cauſas.

Guerichium ope anemoſcopii prædicere potuiſſe Cometam,

Sed aërium Buthn. fatetur.

Ariſtoteles Cometæ voce varia phænomena complexus eſt.

Homonymia vitanda.

Cometis aëriis formandis Auſter aptiſſimus.

Chriſti adventus ad judicium ultimum an ſub V. T. notus.

Tollatur homonymia, & expedita res erit. Denique ſcribis, vero conſentaneum eſſe, Cometas ante Chriſti nativitatem, adventum ejus ad judicium extremum hominibus nondum revelatum, non ſignificaſſe. Quibus verbis aſſerere videris, Adventum Chriſti ad judicium extremum hominibus in Veteri Teſtamento non fuiſſe revelatum. Evolvas verò, quæ Judas Apoſtolus in Catholica ſua ℣. 14, 15. conſignavit: προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος &c. (Prophetavit autem de his ſeptimus &c.) Catalogum Virorum Dei, qui ultima noviſſima crediderunt, caput XI. Ebræorum perſequitur. Ne alia teſtimonia ex veteri Teſtamento adducam. Vale Vir Nobiliſſime atque Ampliſſime, Partem alteram Rockenbachianorum exemplorum, poſt Feſtum mittam, ſi phyſicam etiam tractationem Authoris ejuſdem deſideraveris, quæ philyras habet A. B. C. D. E. F. G. H. Fac ſciam, deſcriptam Tibi libentiſſime mittam. Vale iterum.

Hamburgo Dantiſcum Kal. Januariis 1666.

Auctor horis ſubciſivis opus hoc componit. Libertas humana tuenda. Büchneri judicium Auctor meritò magni facit. Aſtra non imperant homini, multo minus Chriſtiano.

RESponſum literis Tuis die 16. Decembris Gregoriani datis, induſtriæ & benevolentiæ officioſæ plenis debitum, longè quam nuper citius, ſed & brevius expedio. Laborioſum enim & arduum opus manibus verſo, diurna ſcilicet & nocturna, ſemper autem utraque & mente ſimul intenta, tantum temporis hìc impendens, quantum aliis occupationibus & laboribus ſubtrahere poſſum, Te pro libertate humana cum omnibus Philoſophis, nec paucis Theologis ſtare Tibi mihique & publico gratulor. Studia quoque mea commendandæ virtuti unicè dedita Tibi, Viro eruditione & probitate egregio, placere, meritò gaudeo. Illud quoque gratum mihi eſſe & laude dignum videri judico, nullum Te aſtris in hominum, præſertim Chriſtianorum, mentes tribuere imperium. Adhæc gratum eſt utrumque noſtrûm in eo conſentire Cometas, ut divinæ juſtitiæ ſigna, bonis bona, malis mala indicare. Hos bona quoque portendere (voce ex utraque parte latius acceptâ & ex conſequenti) me exemplis omnis memoriæ oſtenſurum, juvante Deo, ſpero.

Joach. Camerarii laus. Melanchthonis elogium. Auctoris de Cometis ſententia cum ſententiis Magnorum Virorum convenit.

De exemplis quæ adducis, jam Milichio, Eckſtormio & aliis me ſatiſfeciſſe puto. Camerarius, ut & Philippus Melanchton, Viri erant in Republica literaria Magni, & inter primi Ordinis eruditos meritiſſimo locandi. Sed Cometis & aliis prodigiis multùm, & quidem malorum tantum tribuunt. Kircherus & Ricciolius in multis mihi favent & aſſentiunt, quod docent monumenta eorum & literæ ad me ſcriptæ. Rockenbachio, (de quo tàm induſtriè meâ gratiâ deſcripto, gratias Tibi ago ingentes) ut & reliquis in Hiſtoria Cometarum, Deo favente, ſatiſfaciam, re ad æquitatem & medium, bono publico & inſigni Virtutis commodo, deductâ.

Æquitati & virtuti dedita. Libertas in Republica literaria vigeat. Deus per Cometas cunctos officii admonet. Officii nos admonent cuncta Dei opera, præcipuè verò Cometæ. Piis utilia monita per Cometarum apparitionem data. Morum correctio nunquam negligenda.

Libertatem interim Tibi, & cuique à me diſſentiendi, integram & inviolatam relinquam. Eandem ab aliis ex æquitatis ratione poſtulo. Deum, ob hoc ipſum, quòd ſit Optimus & Maximus, dico per Cometarum aliorumque ſignorum cæleſtium exhibitionem bonis maliſque monita, illis cum ſpe & ſolatio, his cum metu & terrore, dare. Quamvis enim id virium omnia Dei opera, quæ viſu vel etiam mente aſſequimur, habeant, tamen Cometis & aliis ſignis cæleſtibus, quæ extra ordinem apparent, hìc aliquid ſingulare tribuo. Piorum privilegia è cælo data, quæ piè & prudenter commemoras, & certum fidei, ſpei, gaudii in mentibus eorum agnoſco. Sed noſti & Tu humani ingenii imbecillitatem, quæ ejuſmodi divinæ potentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ & miſericordiæ indiciis rarioribus haud leviter erigitur & firmatur. Omninò verò Chriſti juramentum & Spiritûs divini virtute obſignatio facta in cordibus piorum majoris ſunt momenti, quàm omnia Cometarum aliaque phœnomena. Verumtamen externa iſta etiam egregiè in ſtadio virtutis currentibus, velut admoto calcari, proſunt. Nam & hi ſtimulis, dum ſegnius rem agunt, vel etiam labuntur, opus habent. Ita nec hìc morum correctio negligenda, ſed multò magis

magis curanda & urgenda, ubi aſſiduum viget vitiorum certamen: & paſſim tàm exceſſu diſputationum de fide, quàm defectu pietatis laboratur. Dum dicis, Deum benefaciendo & præmiis afficiendo, ſuum opus, pœnis multando, peregrinum opus facere, id quod veriſſimum eſt, dicis. Deus enim caritas eſt & ipſiſſima bonitas. Verum & illud, Deum pœnas denunciare mortalibus infligendas, præcipuè verò ſervis ſuis Prophetis indicare. Sed annon etiam formandæ & firmandæ fidei ac ſpei felicitatis ſigna in aqua, terra, ipſoque cælo adhibeat, exempla Joſue, Gedeonis, Ezechiæ aliorumque animo repete. Tùm etiam Iſraëlitarum, toties Cananæis in ſervitutem, ut ſic dicam, emendatricem datorum & priſtinæ libertati reſtitutorum, aliaque plura ejuſdem generis, quæ illam regendi populos libertatem divinam abſolutam, juſtam tamen, docent. At Tu voluntatem ordinatam, liberrimam tamen, & immenſæ bonitatis ac φιλανθρωπίας plenam urges, & ne quid libertatis prædicatione veritati & bonitati divinæ detrahatur, præcaves. Imò verò & mihi eadem mens eſt, idem animus: nec audeo à Te hìc diſſentire, qui ita libertatem regendi in Deo celebro, ut ſimul juſtitiam, veritatem, bonitatem inviolandam venerer. Verbo: quicquid ad virtutem & pietatem inculcandam facit, id Tibi de me pollicearis velim. Libertatem & juſtitiam in cælo & terra Tu quoque oſtendis, dum ſignificationem Cometæ certo temporis ſpatio non definis, ſed ad hominum vel pœnitentiam vel pertinaciam, ac Dei miſericordiam vel ſeveritatem refers. Totus meus hìc es: qui ideò ſingulari ſtudio in Te feror, Teque complector. Nec mirum. Par enim Tuum ergà me ſtudium perſpexi. Verum tamen jam antè Tua eruditio, & prudens pietas Te mecum conjunxerat. Acceſſit dehinc Tua inſignis benevolentia, quam erga me Tuis poſtremis luculenter teſtaris. Nam & potiorem partem Catalogi Cometarum per Rockenbachium conſcripti, magno labore deſcriptam ad me miſiſti, & reliquam partem parabas: priorem etiam quæ de Cometis in genere ait, offers, denique Exercitationes Tuas Cometicas mihi promiſiſti. Dabo operam ſedulò, ne in ingratum quidquam operæ, officii vel etiam benevolentiæ conferas. Quòd me de Cometæ 1543. qui rivum exhauſerit, monueris, ex Senerti ſcilicet libro expunctum, ideòque numero Cometarum expungendum eſſe, gratias ago Tibi debitas. Notabo hoc in Hiſtoria Cometarum. Sed ſemper debitæ modeſtiæ memor. Nam ut ille ait, & Tu prudenter mones, *Homo ſum, humani à me nihil alienum puto.* Tu verò optimè facis, quòd ſententiam Tuam in Exercitationibus illis, liberè, nulli magiſtro addictus, vel in ullius verba jurans dicas. Gratiſſimam rem mihi facies, cùm eas miſeris Lubecam, vel aperto mari vel per aliquem aurigam. Nullus dubita me eas tutò accepturum, ſi deferantur ad Chriſtianum Vernerum, Virum humanum & induſtrium, & quo officioſiorem non facilè invenias. Phœnomenon illud ignitum ex mente non paucorum Phyſicorum, ipſiuſque Plinii, teſte Milichio ad lib. 2. cap. 26. Cometis aëriis & brevis ſpatio temporis durantibus accenſeri poteſt, ſaltem ut cognatum quid: de quo quid Keckermannus veſter pereruditè docuerit, noſti. Quod ad prædictionem apparitionis Cometæ attinet, hanc controverſiam nolo facere meam. Malò ſemper in dubiis & abſtruſis ignorantiam fateri, & vetus illud N. L. (Non liquet) adſcribere, quàm temerè aliquid pronunciare. De Deo autem, omnium rerum Auctore, religioſè & reverentèr nobis loquendum eſt. Interim Te mihi homonymiam vocis Cometarum indicaſſe, gaudeo. Quæ de adventu Chriſti ad extremum judicium ſub V. F. viventibus revelato addis, ardua ſunt. Recordare ut Dei ſapientiam eſſe ποικίλην (multiformem) ita dari fidei & ſcientiæ divinorum gradus. Prophetæ viderunt remota, unde videntes dicti, ſed viderunt eminus & de procul, uti eodem cap. XI. ad Hebr. Spiritus Sanctus docet. Cujus virtute impulſi Prophetæ futura prædixerunt, ſed noſti *eos non ſibi, ſed nobis miniſtraſſe his quæ nunc ſunt prædicata per Spiritum Sanctum è cælo miſſum,* in Apoſtolos ſcilicet à Chriſto, novum regnum munificè

Extremis vulgo peccatur

Buthnero ſe conſentire Auctor demonſtrat

Deus eſt caritas & ipſiſſima bonitas:

Pœnas peccatoribus infligendas ſervis ſuis indicat:

Felicitatis ſigna ſuis exhibet:

Eoſdem, ubi deliquerint, caſtigat:

Abſ-lutâ quidam libertate, ſed tamen juſta, ordinatâ, bonitati ſuæ conveniente regit populos.

Auctor ſuum cum Buthnero conſenſum oſtendit,

Ejuſq; dotes, & multiplicem benevolentiam concelebrat.

Homines ut caſibus ita & erroribus obnoxii ſumus:

Chriſtianus Vernerus laudatur.

Trajectiones ſeu impreſſiones igniti Cometis quodammodo accenſeri poſſun·, cum & hi in aëre accendi putentur.

Deo rebuſq; divinis reverentia debetur:

Ejus ſapientia multiformis.

Fidei & ſcientiæ dantur gradus.

Teſtamenti V. & N. diſcrimen.

ficè inchoante, docente illud S. Petro. Ita illorum Regum, Prophetarum, juſtorumque oculi non viderunt, aures non audiverunt quæ nos illis longè, judice ipſo Domino, beatiores, videmus & audimus, quibus ideò prophetias, quæ propriæ interpretationis non ſunt, plenè intelligere, in facili & expedito eſt. Sed hæc non ſunt hujus loci. Quod reliquum eſt, hunc ineuntem novum annum Tibi Tuiſque proſperrimum precor. Ampliſſimo D. Hevelio idem voti cum plurima & officioſa ſalute pro ſtrena mitto. Vale benè.

Votum novi anni.

Dantiſco Hamburgum die 16. *Januarii* 1666.

Literas Tuas ipſis Kalendis Januarii datas, die 13. Januarii accepi. Gratias ago pro voto tranſmiſſo anni hujus ineuntis. Idemque apprecor Tibi. Faxit rerum noſtrarum Moderator ſupernus, ut annum hunc non tantum feliciter inchoes, felicius medies, ſed & feliciſſimè termines, utque hoc elapſo multos ſequentes, ſalvus & incolumis feliciter agendo & vivendo aſſequaris. Cæterùm cum tabellio abitum maturet, anguſtiâ temporis ad reſpondendum literis tuis tranſmiſſis impedior, reſponſionem in proximum tempus & commodiorem occaſionem differens. Nunc tantummodo partem illam poſteriorem Rockenbachii tranſmitto, quo feliciter utere, fruere. Miſiſſem citius, ſi Amanuenſis meus citius abſolviſſet. Verùm cùm & aliquæ eidem cauſæ hæreditatis ergò interceſſerunt, quæ moram ei in deſcribendo attulerunt, nunc ne copia ejus non fieret Tibi, intermittere non potui. Dabis igitur veniam moræ protractæ. Obtulit & Dn. Hevelius mihi heri exemplar ſuum; exiſtimo autem literas Tuas jam ante aliquot hebdomadas, hocce officii ab eo petiiſſe, quamvis nunc demùm copiam mihi exemplaris ſui obtulerit. Reſpondi autem jam hæc curata eſſe. Vale: reſponſionem proximis dabo.

Votum novi anni.

Buthnerus Rockenbachiana reliqua Auctori mittit.

Hamburgo Dantiſcum die 16. *Januarii Juliani* 1666.

Accepi antè triduum gratiſſimas literas Tuas die 16. Januarii Gregoriani datas. Perbreves quidem eas, verum tamen prolixi animi & ſtudii ergà me Tui indices. Votum voto duplicato & multiplicato nec unquam ceſſuro vel ceſſaturo opto. Reſponſum Tuum cum deſiderio exſpecto. Hoc enim non ab amica tantùm, ſed & à docta manu venturum ſcio. De reliqua Rockenbachiani Catalogi Cometici parte gratias Tibi ago. Video bonum illum Virum longiſſimè quoque à Cometis diſſita ad eos trahere. Dummodo omnia rectè ſint deſcripta vel typis publicis edita. Non paucæ jam cauſſæ ſuſpicionis iſtius meæ occurrut, ſicut in adjuncto indiculo vides. Nondum autem omnia expendere licuit. Et tamen hæc propoſiti mei rationes ita turbant, ut nec in edenda Hiſtoriæ meæ Cometicæ ſectione ſecunda, Cometas à nato Chriſto adhuc viſos comprehenſura progredi, nec primæ ſectioni adjungenda ex Rockenbachio ſubjicere queam. Itaque ſi quid meæ apud Te preces & propoſita valent, rogo & obſecro, ut mihi librum illum commodes & quamprimùm ad amicum illum Lubecenſem, quem anteà nominavi, Chriſtianum Vernerum, mittas. Liberabis me magnâ ſolicitudine & curâ. Rumor ſubinde ſpargit novum Cometam mane in plaga cæli Orientali videri.

Vos ſi quid tale obſervaveritis, velim à Te de eo moneri. Pariter judicium mihi indicari de certamine illo aquilarum ad Urbem Veſtram viſo. Vale & mihi, ut ſoles, fave.

Rockenbachius longè diſſita ad Cometas refert: In catal. Cometar. ab eo compoſito Auctor errores notat.

Hunc ideò ſibi à Buthnero commodari petit.

Cometæ novi 1666. rumor.

Dantiſco Hamburgum, die 13. *Februarii* 1666.

Literas Tuas die 16. 26. Januarii ſcriptas die 4. Febr. per conſulem Hollandicum Dominum Peltium accepi. Dubia quædam moves, ſuper Rockenbachio. Inſpexi loca, ad Annum Mundi 2453. 2795, 3780, 3795 &

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Anno Chriſti 17. 40. cuncta ita ſe habent, prouti deſcripta miſi, ita quidem ut Anno Chriſti 40 Pontipibatus etiam legatur. Qui enim deſcripſit ſtudioſus fuit, literarum minimè rudis. Cui cum deſcriberet, in mandatis dedi, deſcriberet ſingula, prouti jacerent, nec quicquam immutaret. Id quod & ſanctiſſimè obſervavit. Tutò igitur fidere huic apographo poteris. Factâ enim deſcriptione & ſingula iterum relegendi, denuo collata fuerunt.

Rockenbabiana quæ Auctor judicavit eſſe falſa, ſic ſe in libro impreſſo habere Buthn. affirmat.

Quod Cometam igitur anni M. 2453. attinet, cui geſta A. M. 2237. ſubjiciuntur, eadem itidem Rockenbachius ita ordinavit. Anni non ſunt cifris Indicis, verum totidem verbis Latinis expreſſi, ne errorem aliquem in cifris cauſſeris. Catalogus erratorum, vel in principio vel in fine libelli, nullus. Memineris eorum, quæ non ita pridem ipſe in Rockenbachio deſideraverim.

Cometæ An. Mundi 2453. hiſtoria non accuratè à Rockenbachio tradita:

Ad Cometam 2795. intervalla annorum M. 2800, 3050, 3130, 3160, connecti rogitas. Connecto ego ita, ut putem Rockenbachium crediſſe, omnes res geſtas, acta, eventus, à Cometa dicto deſignata fuiſſe, donec alius in hiſtoriis annotatus occurreret. Quis vires ſeu operationes ſuas ille in omnes ſubſecuturos annos extendiſſet, aut verò omnes Cometæ ita fuerint in Annales relati, ut nullus eorum intercidiſſet. Cometa 3780 per octuaginta octo dies flagraſſe: Cometa A. M. 3795. per quinquaginta quinque ſeptimanas flagraſſe totidem ſyllabis & literis leguntur.

Ita & Cometæ A. M. 2795.

Et Anno M. 3795.

Anno Chriſti 17. Claudius Cæſar ſinè additione Tiber. Nero ſucceſſiſſe in locum Auguſti. Anno Chriſti 40. Pontipibatus legitur. Quod libri miſſionem attinet, timeo, ne liber in itinere intercidat. Longum enim eſt iter. Nec ipſe benè eo carere poſſum. Si navi miſero, metuo, ut tutò ſive Nautis ſive mari eundem concredidero. Per tabellarium mittere magno conſtat, 16 enim ſunt philyræ, charta Wittenbergenſis bibula & craſſa. Editio ſecunda itidem Wittenbergenſis Anno 1602. & Cratoniana, ſumptibus Heningi Groſy Bibliopolæ Lipſienſis. Prima editio eſt Francofurtana Ann. Chriſti 1600. Si quâ tamen in re opitulari doctiſſimis tuis conatibus potero, dubia ſi quæ præterea habueris, explica: reſoluta tibi dabo. In cælo nihil hîc novi. Nullus Cometa. In certamen autem Aquilarum monitu Illuſtriſſimi Domini Patroni mei talia luſi:

Rockenbachii librum Auctori Buthnerus mittere ſe non poſſe deducit.

Buthneri carmina in certamen aquilarum 1666. ad Dantiſcum.

Ecce Aquilam! Quantas oſtentat pectore vires!
  Ecce Jovis præpes bella cruenta ciet!
Nuncius ille Jovis nova fert certamina, roſtro
  Armato in pugnam, Te, Libitina vocat.
Alta petit, terramque petit, quin aëra magnum
  Pervolitat, tandem feſſa reſedit aquis.
Non unguis, roſtrum, non vis, non ocyus Auſtro
  Remigium, tantos compoſuere animos.
At pater Oceanus delapſum ſubruit undis
  Hoſtem, dum victrix huncce premendo premit.
Altera in alterius deſævit plumea regna,
  Hæret & ungue unguis, pectora pectoribus.
Labuntur nexæ pedibus, quin utraque roſtro
  Impexo, plumis ter viduata cadit.
Nec finis: terebrat roſtro caput, altera in undis,
  Tingit & hoſtili, ſanguine Nereidas.
Donec proſtratam ſimul & cum ſanguine vitam,
  Nereidum rapidis cerneret obrui aquis,
Deſiit. Ac Victrix Neptunum ſorpſerat alis,
  Ire redire optat, ire redire nequit.
Quid tandem? capitur. Quam ſalvam miſerat hoſtis,
  Nunc ales trahitur præda, Calipke, tua.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Omina volucrum.

Omina ineſſe neget volucrum quis motibus hiſce?
  Ne negitem veterum pagina docta facit.

Gneſnæ condendæ omen aquilæ niſus, unde illi nomen.

Gneſna mihi teſtis, Lechus dum poneret arcem,
  Auſpiciis Aquilæ candida ſigna locat.
Candida ſigna Throni! fauſti primordia regni!
  Candorem, augmento præſidioque dabat.
Crede mihi, abſtruſum, quem Plato notaverat annum,
  Septimus, hoc, novies, frigore, nonus init.

Aquilarum certamen ad Dantiſcum A. 1655. die 2. April.

Annum ſi ſpernas: certamina priſtina ſpectes,
  Cum Suecus, attoniti tunderet arma Lechi.
Heu mihi, quam triſti vidit tunc omine Gdanum!
  Ire aquilam in pugnam, vidit abire tamen.
Læta alia, inſignis, ſpectacula, pacis honore
  Oliva, in pacis ſigna futura, videt.
Scilicet, ut pia tunc aquilarum ſuavia pacem:
  Grande malum glomerat, ſic modò pugna ferox.
Avertat Superûm ſi non clementia major
  Triſtia fata: Aquilæ nil niſi bella ſonant.

Buthnerus qui conſentiat Auctori & ab eo diſſentiat.

Piis ſigna à Deo data Buthn. negat.

Quod ad præcedentes tuas literas & negotium Cometarum quidem attinet; penitus mihi tecum convenire gratulor mihi, niſi quòd & felicitatis ſigna Piis dari in aquis, terrâ & cælo cenſeas. Ego quamvis libertati divinæ id repugnare neutiquam dixero. Factum tamen id ipſum eſſe aut fieri, ut credam minimè adducor. Eſt enim genus hominum communiter malum atque perverſum, proinde bona & læta illi Deus minimè portendet. Quæ autem παράκλησις ad pios redundet ex inſpectione ſignorum & portentorum, Servator ipſe Luc. 21. ℣. 20. explicat. Adhæc ſigna, portenta, prodigia nomine ipſo horrida ita in ſacris deſcribuntur, ut mala non læta poſt ſe trahere deprehendantur Luc. 21. Joël 2. 30, 31. Joſuam, Gedeonem, Ezechiam quod attinet: ſigna Deus iis edidit, at quæ non τέρατα vocari poſſunt: tum & ſigna corroborantia fidem de vocatione eorum, effecturos ſcilicet opera, quibus à Deo præficerentur. Tantum abeſt, ut ſigna illa primariò ſive πρώτως læta ſive triſtia illis deſignaverint, unum exemplum Ezechiæ ſi excipias, quod tamen ſingulare eſt & altioris indaginis. Quæ ultimo loco proferuntur de gradibus revelationum, myſteriorum Dei amplector & ipſe: ita tamen ut τὸ ὅτι Adventûs Dominici ad judicium & Patriarchis in V. F. innotuiſſe dicto Judæ in Catholica ℣. 14. & Abrahami Gen. 18. 25. aſſeverare compellar. Quamvis cicumſtantias & modum judicii Dominici in N. T. à Chriſto Apoſtolis multo clarius & ſpecialius explicata eſſe libens concedam. Quo nomine & beatos diſcipulos ſuos prædicat Chriſtus præ Prophetis & Regibus Vet. Teſt. quòd nimirùm illi de præſenti Chriſtum miracula & conciones ejus videant & audiant, quòd hi de futuro & in futuro demùm tempore de Chriſto annunciarant. Unde deſideria piorum, *Rorate cæli &c.* Sed abrumpo. Plus temporis enim tabellio non concedit. Vale & fave.

Signa qualia Joſuæ, Gedeoni & Ezechiæ à Deo data.

Adventum Chriſti ad judicium ultimum ſub V. F. notum fuiſſe ſub novo autem illuſtratum eſſe Buthner. putat.

Hamburgo Dantiſcum die 16. 26. Febr. 1666.

EXimia Tua & officioſa humanitas in eo quoque elucet, quòd me de dubiis, quæ in lectione excerptorum Rockenbachianorum (ita enim nomen Auctoris ſcribendum eſſe, in literis Tuis expreſſum animadverti) occurrerant, feceris certiorem. Mirari ſatis non poſſum, unde tanta temporum & rerum confuſio obrepſerit. Ego ſalvâ reverentiâ, quæ manibus viri illius Celeberrimi debetur, utar libertate juſtâ in corrigendis erroribus, qui non tantum aliis Chronologis, ſed & ipſi Funccio, quem tamen Rockenbachius κατὰ πόδας & preſſo

Rockenbachii errores Auctor ſe pro virili correcturum pollicetur.

preſſo pede ſequi aliàs ſolet, apertè contradicunt, vel etiam unius atque alterius ſeculi geſta ad unum Cometam referunt.

Ejuſque rei ſpecimina Buthnero dat.

Quinquaginta quinque hebdomades Cometen A. M. 3795. fuiſſe cifris vulgaribus 55. pro 5. à ſcriba primùm poſitum, demùm à typographo literis expreſſum eſſe conjicio. At Pontipibatus, pro, Pontius Pilatus ad Cometam Anno Chriſti 40. ibidemque imperium tenentis, pro, tenente, ut legatur, poſt obitum Tiberii Cæſaris, imperium tenente Cajo Caligula &c. poſitum eſſe non dubito. Tale illud eſt in Cometa Anno Chriſti 412. Tucherio, pro, Eucherio, & paulò poſt, Modigiſilum, pro, Godigiſilum. Licet me non lateat Modigiſilum à Funccio vocari. Sed is ſecundum Funccium aliquantò ſuperior eſt Godigiſilo. Unum tamen eundemque eſſe, Gunderici ſucceſſores, regimen exploratum & aliàs temporis ratio, præter nominis affinitatem oſtendit. Satis autem conſtat Burgundorum Regi Godigiſilo nomen fuiſſe. Sed de apicibus vocum litem nemini movebo. Porrò in Cometa Anno Chriſti 396. 12. millia Gallorum à Francis eſſe deleta, dici puto. Reliqua nondum relegi. Quòd ſi opus ſit de aliqua re Te conſulere, id facere non negligam, Tuâ humanitate fretus, & ipſa neceſſitate compulſus. Ad Te nempe, ut ad fontem mihi recurrendum erit, cum ipſum Rockenbachium conſequi nequeam.

Cometæ Rockenbachiani ad A. Mundi 2453. hiſtoriam Auctor corrigit.

Cæterum quod ad illum ejus Cometam A. M. 2453. attinet, cui geſta anni 2237. ſubjecta ſunt, nemo non videt hæc ὕϛερον πρότερον (præpoſtero ordine) poſita eſſe. Error iſte à quocunque commiſſus, non difficulter corrigi poteſt. Ita nempe, ut ſecundùm rationes Funccii & catalogum Cometarum Eckſtormii, quæ à Rockenbachio narrationi de quinto Cometa Anno Mundi 2453. inſerta ſunt de Cometa in Syria, Babylonia & India in Signo Capricorni ſub forma rotæ viſo, tùm & de fame Septennali à Funccio in Anno Mundi 2237. poſitâ, ex hac narratione eximantur, eique præponantur. Ita hæc quintum ordine Cometam, qui, ut vides ex Indiculo adjuncto, Eckſtormio quartus eſt, conſtituent. Reliqua verò ſibi ipſis relicta ſextum ordine Cometam component. Atque hac ratione quintus cum deſcenſu Iſraëlis in Ægyptum urgente fame illa, ſextus verò cum exitu ex Ægypto, ſecundùm computationem Funccii, magiſtri Rockenbachiani, conjungetur.

Buthnero Auctor ſua dijudicanda proponit.

Cometarum ante Chriſt. N. catalogum Auctor Buthnero expendendum mittit.

Veritas altercando amittitur.

Tu ſi meliorem conciliationis Cometographorum & ordinis temporum ac rerum rationem inveſtigare potes, doce me, ſemper diſcere meliora paratum. Idem juris do Tibi in hunc Catalogum Cometarum, quem ex variis Cometographis, ut vides, & ſimul cum Rockenbachiano compoſui. Moneo autem, me hîc in jungendis & dividendis Cometis non tantùm temporis, ſed & rerum ſive eventuum, in conſilium adhibitis variis Auctoribus, habuiſſe rationem. Ita ſupputando, non diſputando, nunc tempus impendo. Ibi minus timendum eſt invidiæ, plus autem fructûs ſperandum. Nam altercationibus veritatem amitti, vetus fert verbum. Hîc itaque maximè valet illud ſacrum, doctum ſanè & argutum, ſymbolum,

Sapiendum ad ſobrietatem.

φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν.
(Sapere ad ſobrietatem.)

Bonis omnia vertunt in bonum.

Cometæ ſymbolum Bona bonis, mala malis epigrammate à Buthnero Auctor poſtulat.

Auctoris in patriam pietas.

Ego vero etiam libenter meritoque libertatem ſentiendi & dicendi cuique inviolatam relinquo, poſtquam ſemel atque iterum meam ſententiam dixi, explicui, affirmavi. Verbo tamen ad cuncta illa, quæ ex Sacris Literis adfers, idque ex iiſdem reſpondebo: *Bonis omnia in bonum.* Ideoque & Theatrum meum Cometicum, vel potius ipſe Cometa. Hoc ſymbolo gaudet: *Bona bonis, mala malis.* Tu ſi hoc ſymbolum epigrammate illuſtrare velis, ut Clariſſimus Titius Collega Tuus fecit, erit pergratum & in publicum utile. Invitant me etenim nupera Tua carmina, quæ in certamen Aquilarum conſcripſiſti docta & ingenioſa (de quibus Tibi ingentes gratias ago) ut id à Te poſtulem. Utinam verò Deus Opt. Max. cuncta mala, non tantùm omina & portenta, ſed & conſilia ac inſtituta à cariſſima patria avertat, eique in bonum vertat! Hoc profectò ex

animo

Inimici noſtri diligendi.

animo opto. Noſtrum enim eſt pro malo reddere bonum, & orare Deum pro perſecutoribus, imo & interfectoribus noſtris, Chriſti Servatoris & Protomartyris ejus exemplo. Videre licet res patriæ nobis exactis nihilo meliores, imo verò longè deteriores evaſiſſe. Sed dubiis ex Rockenbachio deſumtis unum amplius hîc addo. Cometa ab eo in A. M. 3458. (ſi quidem rectè numerus & publicis tipis & Tui amanuenſis manu eſt exſcriptus) poſitus, neceſſario in 3488. ponendus eſt. Nam & Eckſtormius in eundem annum Cometam poſuit, & aliter anni ante Natum Chriſto à Rockenbachium ex Funccio annotati Funccianis rationibus non conveniunt, quod inſpectis Funccianis tabulis manu palpare licet. Vale diu & feliciter.

Polonicæ res ab A. 1657. medio deteriores reddi cœptæ.

Cometam Rockenbachianum ad Ann. Mundi 3458. Auctor ad Ann. M. 3488. profert.

Dantiſco Hamburgum die 26. Martii Gregor. 1666.

LIteras Tuas $\frac{16}{26}$ Febr. ſcriptas, die 6. Martii accepi, ex iiſdemque Catalogum Cometarum retexui. Quia autem in Antiquitatibus ingens eſt varietas, una certa regula Chronologica eſt eligenda, cujus ductu & filo, ſeries tota Cometarum erit pertexenda. Optima in Scaligero vel Petavio habetur. Optarem & ut in A. Period. Julianæ ſingula deduceres: cum, fictitia licet, illa Periodus, non tantùm artificioſa ſit, ſed & Cynoſura, quæ fallacias, ſi quæ in digerendis annorum nominibus ſive titulis iiſdem occurrunt, beneficio ejuſdem facilè exponat. Cæterùm in *Pontipibato*, *Imperium tenentis*, & Ann. Chriſti 412. *Tuchero* 413. *Modigiſium* errata typographica & ipſe agnoſco: quamvis, uti reſcripſiſti, totidem litteris & ſyllabis eadem, denuò mihi relegenti, occurrunt. Pro Catalogo Cometarum tranſmiſſo gratias ago. Veterum autem nonnullos ita ordinandos cenſeo:

Periodi Julianæ uſus.

Errores typographicos in Rockenbachio Buthn. agnoſcit.

Cometarum nonnullorum ante Chriſt. N. catalogus à Buthnero compoſitus.

Tempore {
- Typhonis Cometa Ann. Per. Jul. 3002. apud Plin. & Apollod. lib. 1. p. m. 16. Bibliothec.
- Phaëtontis A. P. J. 3193. Ap. Camerar. de Comet.
- Excidii Trojani A. P. J. 3531. titulo Electræ 5. Meropis ap. Hyginum.
- Belli Perſici A. P. J. 4234. apud Plin. l. 2. c. 25.
- Lapides delapſi ad Ægos flum. 4247. ap. Plin. l. 2. c. 58. & Ariſtotelem l. 1. Meteor. c. 7. aut verius tranſpoſitis numeris apud Plinium Anno 1. Olymp. 87. A. P. J. 4282. Uti fuſè id ipſum ex Plutarcho, Laërtio & Thucydide in lectionibus meis Cometol. deduxi.

Buthneri catal. quorund. Comet. ante C. N. & lectiones Cometicæ.

Tempore Aſten A. P. J. 4341. apud Ariſtotelem l. 1. Meteor. c. 6. Diodor. Siculum l. 15. c. 50. qui ad tempora Alciſthenis eundem rejicit, annumque mox ſequentem.

Natalis annus Alexandri M.

Tempore Elpini A. P. J. 4358. Anno Nativitatis Alex. M. apud Plin. qui vero A. U. 398. malè cum Olymp. 108. (fuit enim 106.) connectit.

Et urbis Romæ.

Tempore Nicomachi A. P. J. 4373. Ariſtoteles l. 1. c. 7.

Tempore Eucleûs Molonis, pro quo Cteſiculus legendum judico, A. P. J. 4380. apud Ariſtotelem l. 1. c. 6. quo tempore Alexander M. Græcorum Dux declaratus in Perſas movit.

Alex. M. Dux Græcorum in Perſas movet.

Hi anni facilè ad annos Mundi Scaligerianos reducuntur, ſi 764. à ſingulis abſtuleris. Unde & facilè quo pacto cum Eckſtormio, Alſtedio, Rockenbachio, Ricciolio conveniant vel diſcrepent, videbis. Cæterum unum filum Ariadneum eſt aſſumendum, quod ſequaris, cum ex Labyrinthis iſtis Chronologicis exire alias non licet.

Præterea & hocce ſignifico, nonnullos Cometas apud Calviſium haberi, quos cum Rockenbachio conferre inutile non erit. Tales ſunt Anno Chriſti 60. 79. 218. 389. 423. 442. 519. 535. 599. 676. 684. 729. 761. 837. 838. 875. 882. 902. 975. 1042. 1066. 1106. 1110. 1165. 1215. 1264. 1315. 1337. 1341.

Cometæ Rockenbachiani cum Calviſianis à Buthnero collati:

1341. 1456. 1471. 1505. 1577. Videbis in nonnullis inſignem diſcrepantiam. Tantum eſt, quod Hiſtoricis iſtius ævi, in talibus rebus notandis aliquanto ſegnioribus debeam. Difficile eſt omnium ſententias, in unam cogere. Difficile lites iſtas componere.

Hiſtoricorum noſtri ævi ſegnities.

Scribis quidem ad eventa Cometarum & hiſtoriarum te reſpexiſſe. At & eventa, ab aliis Chronologis, aliis annis M. ſive Per. Jul. attribuuntur. Paucis, quod ante dixi, in triviis, quadriviis &c. una certa & trita via, fidusque Achates eſt eligendus. In Funccio autem multa deſiderantur, quamvis ſuo ævo Chronologorum fuerit Princeps. Hæc ad diſpoſitionem Cometarum Chronologicam, in qua & Ingenium & Induſtriam Tuam laudo. Scio multo ſudore conſtare, tempora iſta ordinare: Ipſeque rectè mones, Sapiendum eſſe εἰς τὸ σωφρονεῖν. Ego te ut in iſtis conſilio aliquo juvare poſſem, optarem. Nunc verò nihil occurrit: quæ enim præmiſi, vereor ut γλαῦκας εἰς τὰς Ἀθήνας, ſuggeſſerim. Carmen quod rogas, accipe: illudque æqui bonique conſule. Vena ſterilis eſt, nec enim ora prolui fonte Caballino. Ut tamen gratificarer humaniſſimis tuis petitis, pauca quædam compoſui. Luſi in Titulum libri tui: Cometa Bonus Bonis: Malus Malis. Titulus ſit: *Epigramma*.

Chronolog. ſtudium perdifficile

Funccius Chronologorum ſui ævi Princeps fuit, multa tamen in eo deſiderantur.

Buthnerus in ſymbolum Cometæ ab Auctore datum mittit epigramma.

Annus Mundi 3458. totidem ſyllabis, cum Anno ante Chriſtum Natum 478. totidem itidem ſyllabis connectitur. Nullæ hîc cifræ leguntur. Rectè autem dicis palpabilem hunc eſſe errorem: conjuncti enim iſti anni exhibent Annum Nativitatis Chriſti 3936. cum tamen Funccius Chriſtum natum eſſe dicat A. Mundi 3960. completo, ut Annus 1. Nativitatis Chriſti cum 3961. concurrat. Dormierit forſan & hîc Rockenbachius, ſi Funccianas rationes ſectatus fuerit. Ad Dominum Hövelke miſi literas tuas nuperrimas, cum ejus intereerat, propter libri miſſionem, quæſitum, numne eundem recepiſſet: domi autem non erat. Poſtea uxor ejus filiam enixa eſt: unde aliæ eum habuerunt occupationes. Reſponſi autem nihil ab eo recepi, nec etiam eundem vel per me, vel per famulum meum adii. Hæc in cauſſa libri tranſmiſſi. De Cometologiæ ejus editione etiam mihi non conſtat. Vir ſolitarius eſt, omnia unus & ſolus obit, ſculpit, ſupputat, ſcribit. Ut ſæpius mirer quî unus totidem occupationibus ſufficere queat. Vale & fave.

Cometam Rockenb. A. M. 3458 Buthn. cum Auctore reſtituit ſuæ ſedi & in A. M. 3488. producit.

Natalis Chriſto annus ſecundum Funccium eſt Mundi 3960. completus.

Hevelii in laboribus exantlandis ſingularis induſtria.

Iterum nunc miſi ad Dominum Hövelke, qui ſalutem tibi verbis meis adſcribit, & quæ facienda ab ipſo rogaſti, futurâ hebdomada ſe perfecturum & tranſmiſſurum tibi promiſit. Interea temporis bis vel ter literas Hamburgenſes ſeipſum accepiſſe, iterumque reſpondiſſe. Vale.

Hamburgo Dantiſcum die 6. Aprilis Gregoriani 1666.

CUm primùm ante triduum literas tuas die 16. 26. Martii datas, mihi pergratas accepi, tempore excluſus reſpondere ad eas non potui. Nunc igitur reſpondeo, ac primùm tibi de inſigni humanitate gratias ago. Hanc enim teſtatus es in tuis illis literis, in quibus ſe eruditio Tua & erga me benevolentia explicat. Non diſplicere tibi meos conatus in contexenda Cometarum hiſtoria, & rectè eis applicanda temporum ratione, id eſt, conſtituenda eorum ſede, gaudeo mihique gratulor. Equidem magnam diligentiam in hoc genere ſtudiorum me adhibere, citra jactantiam fateor. Scito tamen fieri id à me inter alias occupationes, & horis ſucciſivis ſive ſubſecivis. Subinde enim ubi alia ingruunt negocia, in media & hiſtoriarum lectione & Chronologicarum rationum (quàm diverſarum & difficilium, noſti) conciliatione & compoſitione, ſtudia hæc relinquenda, &, expeditis demùm illis laboribus, captato tempore, corpore animoque laſſo, ibi fatigato, hîc feſſo mihi reſumenda ſunt. Conſilium Tuum de expediendis infinitis Chronologorum immane quantum diſſidentium difficultatibus, optimâ & omnibus æquâ Periodi Julianæ, quam Magno Scaligero debemus (licet is, ut noſti, auctoritatem ejus componendæ

Humanitas & eruditionem & benevolentiam complectitur.

Horis ſucciſivis Auctor opus hoc componit.

Periodi Julianæ inventum Scaligeri quale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ex Græcia acceperit) methodo, probum eſt: ſed pro doctis tantum valet. Iſti enim illam trium cyclorum Solis, Lunæ & Indictionum ex 28, 19 & 15. annis conflatorum compoſitionem ejuſque uſum, quem poſt omnes Petavius & Wichmannus graviter commendant, norunt. Et tamen neque hæc annorum computandorum ratio, licet artificioſiſſima, ſuis caret difficultatibus. Primum enim diſcrimen inter annum Periodi Julianæ & annum Julianum eumque duplicem occurrit. Deinde periodi illius concurſus cum primo anno mundi, eſt diverſus. Nam ſecundùm Scaligerum, Calviſium, Helvicum, Alſtedium annus eſt 765. at ſecundum Petavium 730. Ita in una eademque computatione plurimùm à ſe laudatâ Auctores iſti differunt, quos præſto habeo. Adhæc literarum Dominicalium in Cyclo illo Solis annotandarum ratio apud Calviſium & Helvicum eſt diverſa. Indictiones iſti ab Ann. Chriſti 312. Funccius à 463. incipit. Verum tamen certum eſt, hanc computationis methodum eſſe magis certam & reliquarum veluti regulam. Sed, ut dixi, hæc pro doctis ſunt. Communiter anni Mundi & Urbis conditæ, Olympiadum, præcipuè verò illi ante & poſt Chriſtum natum magis ſunt noti. Accedit, nec inſtituti, nec ingenii nec otii mei eſſe omnes Chronologicas rationes & difficultates expedire. Quicquid autem horum præſtabo, fiet ἐν παρόδῳ, imò in tranſcurſu, ut ſic dicam. Exſpectanda nobis erit Chronologia Reformata Riccioliana, de qua ipſe nuper redditis literis die 8. Martii datis me fecit certiorem. Ubi dubio procul ſeipſum ſuperabit candore & induſtriâ, ſeipſum ſcilicet corrigendo, ut indicat. Ego quoque in ordinanda Cometarum ſerie præterire id non potui de quibus judicium Tuum requiro: v. g. Cometa ille Uſuardo vel potius Oſvaldo Regi Anglorum felix, qui in A. Chriſti 130. ab eo ponitur, in Ann. 633. eſt collocandus. Ita mors Caroli Martelli, illius Siculi, cum morte Andreæ Regis Hungariæ & Cometa 1301. conferri & conjungi nequit, cùm Caroli iſtius filius Carolus Anno 1342. obierit, patrem verò ejus (ſive regnum Hungariæ adminiſtrârit, ſive minus: nam & in hoc ſcriptores diſſentiunt) ſuperſtitem ei fuiſſe plerique referunt. Spero me de his & aliis reſponſum à Ricciolio obtenturum, operi inſerendum. In hôc autem catalogus ille Cometarum, quem ex Eckſtormio, Alſtedio, Ricciolio & tuo Rockenbachio compoſui, ut corrigatur integrum mihi non amplius eſt. Corriget eum Lector eruditus pro libertate & induſtria ſua, cui tua iſta methodus inſerviet. Reliquos Cometas poſt Chriſtum natum annis, quos numeras, ab Auctoribus pluribus præter Rockenbachium & Calviſium accommodatos contuli, & porrò, Deo volente, conferam. Verſor jam per Dei gratiam in fine noni ſeculi. Atque ſic maximam difficultatem de Cometis circà mortem Ludovici Pii feliciter, ut ſpero, ſuperavi. Nam quos Cometas annotant Auctores ad annum Chriſti 837, 838, 839 & 840, in annos 836, 837 & 838, illos verò ad 841, 842, 843 & 844. collocatos in anni 841, finem & 842. initium refero. Libertate utor Philoſophicâ: quâ & Tu velim hîc utaris, Tuamque ſententiam de horum Cometarum ſede dicas. Fecêre id Clariſſimi Viri Buſmannus, Bullialdus & Bluhmius, qui huic Gymnaſio à Bibliothecis eſt. Ego rationes Eckſtormii, Annalium Fuldenſium, Auctoris vitæ Ludovici, Nithardi, Funccii, Rockenbachii, Sigonii, Calviſii, Cardani, Riccioli, Alſtedii & aliorum contuli, & ita, ut dixi, compoſui.

Petavius uſum Periodi Jul. commendat.

Wichmannus Periodum Jul. adhibet.

Chronologi in una eademq; computatione differunt;

Chronologicorum ſtudiorum regulæ: Eorum difficultates exſorbere Auctor nec vult nec poteſt.

Riccioli Chronologia Reformata, Candor in ſemet corrigendo.

Cometæ circa mortem Ludov. Pii ab Auctore ordinati.

Quapropter pro octo Cometis (totidem enim ſecundum numerum annorum eſſe videntur) quatuor tantum dedi. Primus eſt Eckſtormii in A. 837. poſitus, qui ſolem autumno anteceſſit, à me in 836 (ut ſcilicet locum faciat illi magno Cometæ 837. verno, quem ille, Aventin. & Rockenb. in 838. reliquorum induſtria, ipſaque Auctoris vitæ Ludovici auctoritas, rectè diſpoſitâ annorum ratione in 837. poſuit) repoſitus. Alter eſt ille 837. viſus m. Aprili in Libra (Annal. Fuld.) in Virgine, qui diſparuit in Tauro: Auctor vitæ Ludovici, Calviſius & alii: ubi nota Cometam hunc à Rockenbachio in Libra, ab

Cometas octo ab Auctoribus adnotatos Auctor ad numerum quaternarium reduxit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ab Aventino in Virgine, ab utroque in Ann. 838. poni, Tertius in Scorpio anno 838. (Auctor ille, Calviſius) primum apparens, in Ariete, poſtquam C. S. S. proceſſiſſet, anno 839 (Vincent. Speculi auctor, Funcc. Rockenb. Eckſtorm. & alii apud Ricc.) diſparens. Quartus in Aquario exeunte 841. (Annal. Fuld.) &, ut conjicio, ineunte 842. (Funcc. Rock. Eckſt.) obſervatus. Iſtos tres puto eſſe illos tres Alſtedii 840, 841, 842, & Cardani apud Ricciolium tres in ſigno Libræ, Arietis & Aquarii indicantis. Niſi fortè quis hos tres in 843. ponat, & cenſum Cometarum augeat, ut Auctor Diarii Europ. 6. part. pag. 387. fecit. Hoc enim textus Riccioli indicare videtur, quâ de re eum eras, Deo volente, conſulam. De carmine amico & docto gratias tibi ago. Multum tamen in eo mihi tribuis. Ego tantum rogavi, ut Cometæ mei Symbolum epigrammate ornares. Utinam cuncti noſtri conatus proſint publico! Hevelianum reſponſum exſpecto. Saluta eum meo nomine pl. & fac ut hoc videat lectis à Te hiſce literis. Vale diu & feliciter.

Hamburgo Dantiſcum die 15 Januarii 1667.

ERat ſexta Aprilis dies ſecundum novam dierum rationem, anni proxime elapſi, cum poſtremas meas ad te darem. Ad quas cum nullum acceperim reſponſum, ſubit animum hæc cogitatio eas non rectè Tibi fuiſſe redditas. En Tibi itaque exemplum earum! ad quas, ſi merentur, pro Tua humanitate undique elucente reſpondebis. Ego, quanquam novis literis tempora Tua, ſtudiis & publico dicata, turbare non fuerim auſus, vixi tamen & vivo ſemper Tui memor, ac in perficiendum opus meum, cujus Tu magna pars es, toto pectore & conatu incumbens. Id autem nondum effectum dare potui, omnem meam, typographi & amicorum diligentiam mole operis ſuperante. Tantò magis cum tot figuræ obſervationum Cometicarum pingendæ & ære fingendæ ſint, quibus nunc figuræ Cometarum omnium, quorum quidem hiſtoria exactè compoſita habetur, multis precibus ab Amicis quibuſdam impetratæ, accedunt. Quamobrem M. Conr. Yſenium, Mathematicis diſciplinis ab ineunte ætate deditum, in domum meam ſub finem anni nuper elapſi accepi, ejuſque opera in hac re utor. Spero intra paucos menſes ultimam manum operi, juvante Deo, impoſitum iri. Ab Humaniſſimo Ricciolio reſponſum, breve tamen, acceperam. In quo ſe ipſum corrigens candore ſuo fructum non exiguum Reipublicæ literariæ attulit, majorem allaturus in opere ſuo perinſigni Chronolog. Reformatæ, quam poſt Reformatam Geographiam & Aſtronomiam publico parabat. Ideo & ego non pauca, in quibus Chronologia multam lucem requirit, ad eum miſi. De cætero ut hunc nuper inchoatum annum pluresque alios ſalvus & incolumis, omnique bonorum copiâ cumulatus cum Tuis peragas, ex animo precor.

Operis ſui tarditatem Auctor excuſat.

Cometarum figuras Auctor addit.

Conr. Yſenium Auctor ad conficiendas figuras Comet. adhibet.

Riccioli candor & merita in Rep. literaria.

P.S. Unum amplius à Te peto, ut mihi mentem Tuam de illo verſiculo in certamen Aquilarum à Te compoſito, Crede mihi, abſtruſum &c. aperias. Conjicio quidem deſignari periodicum ann. 567 (*a*) à Chriſto Nato, qui ab anno proximè decurſo 157 (*b*) Septenariis & uno anno plus (*c*) quam 122. novenariis, vel preciſe annum 550. qui à noſtro proximo 124. (*d*) novenariis diſtat, in quæ tempora Lechi regimen & conditio Gneſinæ incidit. Sed malo ea de re abs Te certiora doceri. Vale.

(*a*) 7 · 9 · 63.
9.
567.
(*b*) 157.
7.
1099.
567.
1666.
(*c*) 122.
9.
1098.
567.
1665.
(*d*) 124.
9.
1116.
550.
1666.

Dantiſco Hamburgum die 19. Februarii S. N. 1667.

ACcepi hoc ineunte anno die 4. Februar. St. N. literas Tuas, $\frac{5}{15}$ Januarii Hamburgi exaratas. Adjunctæ iiſdem fuerunt literæ præterito anno perſcriptæ. Ad quas cum iſto tempore reſponſi aliquid dare nequiveram, fateor

Buthnerus diuturnum ſilentium excuſat.

me etiamnum earundem nominibus teneri. Fui autem occupatus per totum ver & æſtatem, præterito anno in ædificanda navi quadam oneraria, quam Börding noſtrates appellant; Non alienum à Muſis meis reputans, ſi Hydrographica ipſe experirer, quibus ut noſti Mathematici Celeberrimi, Tiphyes ſuos Batavos jam olim conſervarunt. Habes impedimentum meum, quo fuerim detentus, quominus humaniſſimis tuis literis ex voto reſponderim. Et quia literas eaſdem Chronologicas iterum mihi inſcribis, reſpondebo ad eaſdem. Periodum Julianam artificioſiſſimam vocas, ſuis tamen non carere difficultatibus. Primam ponis, inter annum Periodi Julianæ & annum Julianum. At periodus Juliana ſeu Scaligerana, extendit C. Jul. Cæſaris anni formam, ad annos ante mundum conditum; & aſſumit Calendarium hocce, quo etiamnum in Germania utimur, quaſi illud in uſu fuiſſet multis ſeculis ante mundum conditum, cyclo Solis 1. Lunæ 1. indictionis 1. exiſtentibus, & diebus anni à 1. Januarii numeratis. Eo fine, quo poſt 763. annos & 299. dies cum æquinoctio autumnali, in diem 26. Octobr. fer. 1. primus mundi natalis reponi poſſit, omneſque poſtea æræ ſufficienter & ſatis commodè in eadem affigi & connecti queant. Fundamentum hujus extenſionis radicatur in Anno natali Chriſti, juxta Dionyſianam æram; in quâ cyclus Solis 10. Lunæ 2. Indictionis 4. occurrunt. Qui Cycli in nullum alium annum quàm in 4714. Per. Jul. conveniunt. Unde ad primum Per. Julianæ totidem annos minus 1. effluxiſſe certum eſt. Non igitur curat Per. Juliana certamina hiſtoricorum, quorum alter mundum conditum in 765. alter 730. alius in alio quocunque anno, ſtatuit. Ut & non eſt ſollicitus Chronologus de Dyoniſiana illa ærâ, vera ne ſit, an erronea, & num erret biennio, triennio, vel pluribus annis. Nec quoque curat, numne Paſcha terminos Paſchales exceſſerit, ipſumque plenilunium Paſchale in hiemem incidat, nec ne, ut Gregorius Papa ea propter annum hunc Julianum, quo cum cælo & Canonibus Nicenis conſonaret, reducere ſive reformare opus habuerit. Hæc, inquam, Per. Juliana non curat, poſſunt enim Hiſtoriæ & res geſtæ, itemque conſtitutiones Eccleſiaſticæ in hunc annum ita reponi, ut & in alium ab aliis Chronologis & computatoribus Eccleſiaſticis reponantur: dummodo intervalla Hiſtorica ad ſe invicem retineantur, nihilque contra fidem hiſtoricam fiat. Hæc nihil ad Per. Jul. Dominicales literæ, uti ſunt diverſæ, ita diverſos quoque annos inter Calviſium & Helvicum poſtulant. Nec obſtat, quod anni illi ipſi ejuſdem ſint nominis; diverſæ enim ſunt numerationis, computando eos, vel à termino à quo, vel ad quem. Quales quidem annos ejuſdem nominis in Saliano, aliiſque jam dudum obſervavi, qui autem nihil præterea aliud, niſi ſolum nomen commune obtinuerunt. Exemplum dabo. Omnes quotquot Chronologiam contexuerunt, à conditu mundi ad diluvium 1656. annos numerarunt. Nomen & numerus eſt idem & communis: Qui verò initium horum annorum mundi alligant ad annos ſuos Per. Julianæ, non ſolum alium atque alium annum præſtituunt, ſed & literam Dominicalem aliam jure ſuo expoſcunt, imò quo ad tempus numerationis, & termini à quo, vel ad quem, planè diverſam literam, diverſumque annum requirunt. Qui uſus maximus eſt Per. Julianæ, ad tempora æquivoca diſcernenda, ut alios uſus taceam. Indictiones quod attinet, licet ex ſupputatione & mente diverſorum Chronologorum, alii eaſdem in alios annos Chriſti Hiſtoricè & φύσει reponunt; θέσει tamen Indictiones ineunt cum primo anno Per. Julianæ. Facilis & iſta Methodus, & inprimis utilis ad διαστήματα Chronologorum diſcernenda; tum & Characteres cæteros Chronologicos exinde eruendos. Nec chronologia reformata Riccioliana aliquid melius nobis dabit. Laudem verò ſuam omnem ex hiſtoricis & conciliatione hiſtoricâ conſequetur. Aliud verò eſt Chronologum, aliud ſe Hiſtoricum in mundo probare. Hæc ita ſcribo, non quòd Viri hujus labores parvi faciam, monumenta enim ejus verè cedro digna, magnifacio, in quibus neſcio, pluriſne candor Viri, laborve indefeſſus

Batavorum in exſtruendis & regendis navibus peritia ſingularis.

Periodi Julianæ laudes & difficultates à Buthnero explicantur.

Ejuſdem ratio exponitur.

Chronologus periodo Julianæ adhærens rationum ſuarum certus eſt inter multiplex Hiſtoricorum diſſidentium incertum.

Dominicales literæ diverſæ diverſos annos poſcunt.

Annorum ſynonymia non tollit eorum diſcrimen.

Diluvii annus omnibus Chronologis unus, & tamen pluribus diverſus dum Periodo Julianæ ab iiſdem applicatur.

Indictionum diverſitas, convenientia & utilitas.

Chronologorum intervalla adhibitis Indictionum rationibus tutò diſcernuntur.

Chronologi & Hiſtorici diſcrimen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

indefeſſus in evolvendis & coordinandis auctoribus, an judicii acrimonia ſint æſtimanda. Quibus virtutibus omnes, quod ſcio, ævi noſtri Aſtronomos facile ſuperavit. Verùm uti Chronologica ſatis aperta & facilia ſunt, ita hiſtorica intricata nimis, unde partim ex defectu Hiſtoricorum, partim ex oſcitantia, partim ex contrarietate ſcriptorum, difficile eſt exitum invenire. Tibi, Vir Ampliſſime, quia placuit ingredi Hiſtoricorum tramitem; ſyntaxis tua eo fundamento conſtabit, quo hunc vel illum Regem, hoc vel illo anno exceſſiſſe, ex hiſtorico Authentico probaveris, ſtabiſque hoc fundamento tam diu, donec alius hiſtoricorum antiquitatibus melioribus in contrarium adductis, te de ſtatione tuâ dejecerit. Quæ res tota in cognitione monumentorum antiquiſſimorum conſiſtit. Facile erit Chronologo, iſta ad Methodum ſuam, & ad characteres ſuos examinare, quod quidem & Tibi facile factu fuiſſet, ſi ita libuiſſet, dummodo vel annos Tuos Mundi à 4713. ſubtraxiſſes, & vel reſiduum ad annos mundi ante Chriſtum natum, vel annos poſt Chriſtum natum iiſdem 4713. addidiſſes. Habes reſponſum meum de Per. Julianâ, & Hiſtoricæ à Chronologia, differentiâ. Quòd Cometas cum Oſwaldo, Martello, aliiſque concatenandos attinet, de iis nihil habeo dicere. Hiſtorica enim firmamenta requirunt, ſolaque nituntur auctoritate Hiſtoricâ. Tu, pro dexteritate Tuâ, ſi quæ apud hiſtoricos enucleaveris, vitaſque Regum in annos debitos reſtitueris, ipſoſque hiſtoricos conciliaveris, laudem non ſolùm maximam mereberis, ſed & Hiſtoriæ ipſi lucem inſignem fœnoraberis. Ego in hiſce, cum per alia negotia non liceat, judicium meum ſuſpendere cogor. Dexteritati tamen tuæ multum confido.

Ricciol: maxima merita Buthn. laudat.

Chronologiæ & Hiſtoricæ diverſa ratio.

Hiſtoriæ incertum cavendum.

Chronologia certo rationum hiſtoriæ præſtat.

Verſiculum meum de certamine aquilarum explicandum mihi proponis iſtum.

> Crede mihi abſtruſum, quem Plato notaverat, annum
> Septimus hoc novies frigore nonus init.

81	1.
162	2.
243	3.
324	4.
405	5.
486	6.
* 567	7.

Rectè conjicis notari annum Chriſti 1666: Accipe calculum. Lechus Poloniam occupavit Anno Chriſti 550. Ergò annus ſuperior à prima occupatione currit 1116. jam Periodus illa Platonica rerum publicarum fatalis * 567. evolvitur. Periodus igitur illa ſemel ἀποκατάστασιν ſuam habuit, & præterea 549 anni exceſſerunt. Hos eoſdem conficies, ſi ad ſextum gradum 486. 9 ✠ 7 -- 63 addideris; ſunt enim 486 ✠ 63 -- 549. Inde de fato Patriæ noſtræ conjecta, tum & quid ſigna, Cometæ & aquilæ portendant. Diligenter quæſo trutines in Cometologicis tuis Cometam Regiomontani Anno 1472, & ſtatum Angliæ, Galliæ, Burgundiæ & Germaniæ iſto ſeculo. Cum Cometa hoc noſtro, quà curſum & cætera Phœnomena confer. Nec ovum ovo tam ſimile reperies, quam portentum & ſtatum hunc noſtrum rerum geſtarum & gerendarum. Verum hîc abrumpo, rogando, ne annuum fere meum ſilentium ægrè feras. Vale Vir Nobiliſſimè & fave, ſalutatus & à me & ab Ampliſſimo noſtro Hevelio, humaniſſimè.

Periodus Platonica Rebuſpublicis fatalis.

1666.
550.
———
1116.
567.
———
-549.
9 x 7.
———
63.
486.
———
549-.

Periodus Polonica.

Cometa An. Chriſti 1472.

Hamburgo Dantiſcum die 18. Martii 1667.

AD literas Tuas die 19. Febr. Greg. datas per multas occupationes & diverſa impedimenta nondum reſcribere potui. Nunc quidem facio officium, ſed ob eaſdem illas cauſas, paucis Te expediam. Silentio Te, quamvis diuturno, uſum eſſe, propter Tuos labores, non miror, tantò minus ægrè fero. Illius tædium eruditiſſimæ epiſtolæ ἀκρίβεια penſat & tollit. Periodum Julianam, licet certiſſimam, & tollendis Chronologorum diſſidiis convenientiſſimam, verumtamen ſolis doctis; non item pluribus lectoribus notam, adhibere putandis rationibus conſultum non judicavi, magis notis & uſitatis contentus. Sed nec mihi ipſi labores, qui me, crede mihi, prægravabant, augere volui. Feciſſem id tamen, mi Büthnere! ſi Te vel Tibi ſimilem labo-

Æqvitate in amicum utere.

Periodum Julianam cur Auctor in opere non adhibuerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Auctor opus hoc inter multas alias occupationes perfecit: Ideò benigna lectorum judicia exſpectat: Chronologica accuratè pertractanda ſibi non propoſuit, Hiſtoriæ deditus, Cum debitâ curâ.

ris ſocium habuiſſem. Quis enim ſolus omnibus iſtis ritè perficiendis? quis tot laboribus, & quidem horis ferè ſubſecivis, exantlandis ſufficeret? Verè dico inter plura alia, eaque vitæ tuendæ neceſſario expedienda, negotia, identidem ſtudiorum & rationum Chronologicarum circulos turbantia opus me meum elaboraſſe. Atque hinc mihi ſperanda eſt ab æquitate lectoris venia, ubicunque exactum & perſpicax ejus judicium aliquid deſideravit. Et non leviter quidem Chronologica attigi, multaque ejus generis corrigenda Ricciolio propoſui. Chronologicas tamen difficultates omnes ſuperare, mei non erat inſtituti. Hoc enim hiſtoriam Cometarum ſcribere, & hac occaſione ſynopſin quandam Univerſalis hiſtoriæ proponere, ſolum erat. In Chronologicis & reliquis ſi quid præſtiti, auctarii loco erit. Hiſtoricorum optimorum, qui quidem haberi poterant, fidem ſecutus ſum. In his evolvendis & componendis, ſi non omnibus difficultatibus evacuandis parem, meis tamen occupationibus & ſtudiis convenientem & debitam diligentiam (abſit jactantia verbo) me adhibuiſſe, aliquando videbis. Cometam anni 1472. cum cura perſpexi, rationemque illius temporis & inſignia viciſſitudinis lætorum triſtiumque exempla expoſui in hiſtoria. Convenientiam quoque noſtri Cometæ hyberni cum illo Regiomontani demonſtravi: & ſic ubi, ad illum certè Cometam Cometas

Cometæ terreſtres, Ethico-Politici vitiorum & errorum portenta. Poloniæ fatum. Auctoris in patriam pietas.

terreſtres, Ethico-Politicos (ita vitiorum & errorum portenta vocare ſoleo) in diverſis Principibus oſtendi. Talia ſi, ut par eſt, conſiderentur, facilis de fato patriæ conjectura eſt. Ac benè quidem hîc ominari ex animo precari, imò & ſperare, licet, imò convenit & opus eſt, mihi præſertim. Non diſſimulo tamen apud Te, me ab Anno 1653. cariſſimæ patriæ metuiſſe, illa ſcilicet portenta vitiorum intuentem: quem metum vanum non fuiſſe, eventus triſtis, iſque multiplex, docuit, imò etiamnum docet. Quamobrem necdum, εἰ δεῖ μηδὲν ὑποστειλάμενον εἰπεῖν τὸ φαινόμενον, & occaſione quidem τῶν φαινομένων nil niſi metum vulgò ferentium, metum deſii. Tu verò, Optime Büthnere, reſtitutâ Reipublicæ ſalute & pace, per me licet, me cum Venuſino vate acclamando compelles:

- - - - - deſine mollium
Tandem querelarum: & potius nova
Cantemus Auguſti tropæa. Carm. 2. Od. 9.

Vale longum & proſperè cum omnibus Tuis, Tuique ſimilibus, mihique conſtanter retribue benevolentiam parem.

XXVIII. COM-

XXVIII.
COMMUNICATIO HAMBURGI-MULLERIANA.

Hamburgi die 9. 19. Decembris 1664.

Nobiliſſimo & Præcellenti Viro, Domino
STANISLAO LUBIENIECIO de LUBIENIETZ
JOANNES MULLERUS S. P. D.

DE Cometa nuper exorto obſervationes Mathematico dignas proferre nequeo, quia inſtrumenta his ſpeculationibus neceſſaria mihi deſunt. Interim tamen die 4 14. Decembris manè hora tertia prima vice eum vidi exorientem & in gradu 6. Libræ exiſtere taliter qualiter obſervavi, cauda exiſtente admodum prolixâ, ipſe verò Cometes ei ſtellæ, quæ eſt in roſtro Corvi, quaſi adhærebat, paulo tamen illâ borealior.

Obſervatio Cometæ in Corvo Hamburgi à Mullero Math. Prof. facta.

Secunda vice vidi eundem Cometam aſcendentem ſupra horizontem die 7. 17. Decembris (intermediis enim noctibus cælum erat nubilum) manè ante horam tertiam ubi ejus amplitudo Ortiva erat 40. plus minus graduum, & quidem Auſtralis. Idem tum auſtralior factus longius à roſtro Corvi receſſerat, ut recta jungens roſtrum Corvi cum Cometa videretur dupla rectæ connectentis ſtellas in capite & roſtro dicti Corvi.

Tertia vice Cometa mihi fuit conſpectus heſterno manè die 8. 18. Decemb. quæ erat Jovis, ubi jam adhuc longius abierat à roſtro Corvi verſùs Meridiem, ita ut rectæ ante dictæ habere viderentur ad invicem proportionem duplam ſeſqui-alteram, hoc eſt ut 5. ad 2. cauda apparebat longior.

Hoc manè cælum non fuit ſerenum.

Hæc ſunt, Vir Præcellentiſſime, Domine & Fautor plurimùm honorande, quæ cum Domino Hevelio & Bullialdo, Aſtronomis ſummis & Amicis meis nunquam non venerandis, Tuo nomine communicare poteris. Eoſdem etiam Viros ſummos ſalvere per litteras rogo, & ſimul nunciare Obſervationes circa Cometam à me habitas examine tantorum Virorum non eſſe dignas, quia machinis neceſſariis noſtrum adhuc caret Gymnaſium. Vale Divinæ tutelæ etiam atque etiam commendatus.

Hevelius laudatur. Bullialdus laudatur.

Hamburgi die 22. Decembris 1664.

Nobiliſſimo & Præcellentiſſimo Viro, Domino
STANISLAO LUBIENIECIO de LUBIENIETZ
JOANNES MULLERUS S.P.D.

SImul ac Excellentiſſimi Domini Legati Brandenburgici epiſtolam ad Te, Vir Nobiliſſime, exaratam, qua Ampliſſimi Domini Conſulis Magdeburgici,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Mulleri judicium de ſententia Guerichiana de origine & cauſſa motûs proprii Cometarum.

gici, Parentis ſcilicet ſui Prudentiſſimi, mentem de origine Cometarum & cauſâ môtus eorundem patefecit, perlegi, prima fronte ſtatim non levis animum meum ſubiit admiratio. Nam, ut ſicco quod dicitur, pede tranſeam ea, quæ de generatione ſive ortu Cometarum ibi afferuntur, & ſpeciem veri alicujus qualem præ ſe ferunt, de quibus ſuo tempore mihi ſumam cogitationem; illa quæ de cauſâ môtus proprii Cometarum dicuntur, veritati non adeò conſentire ſi tradidero (pace tamen tanti Viri) à vero minimè aberrabo. Tu igitur, Vir Præcellentiſſime! meam hac de re opinionem, quam petitioni Tuæ ſatiſfacturus nuper promiſi, paucis accipe. Poſito itaque (de quo quidem non dubitandum) Excellentiſſimum Dominum Legatum ſatis accuratè Prudentiſſimi & Doctiſſimi Domini Parentis ſui ſententiam expreſſiſſe; aſſumpta etiam hypotheſi, quæ jam cum ipſis Aſtronomiæ tyrociniis apud me invaluit, Terram nempe centro gravitatis ſuæ annuo ſpatio deſcribere Eclipticam, & gyratione diurnâ circa ſuum axem ab occidente in Orientem, ortum & occaſum corporibus cæleſtibus affingere: quæritur an motus in Cometis hactenus obſervati cauſam ex hac Terræ mobilis hypotheſi accipiant? Dominus Conſul, teſte Excellentiſſimo Filio, id ſimpliciter affirmat; ego verò, libertate uſus philoſophicâ id nego. Nam licet gyratio illa Telluris circa ſuum axem & centrum in cauſa ſit, quamobrem non minus Cometæ atque reliqua corpora cæleſtia videntur oriri & occidere; ad motum tamen proprium Cometarum, Telluris annua revolutio nihil confert, multò minus cauſam ei præbet. Hoc ut tanto clarius appareat, conſideremus motum die 4. 14 hujus menſis manè hora tertia primò à me viſi Cometæ proprium, & ſimul expendamus arcum Eclipticæ à Terraqueo globo noſtro interea temporis huc uſque confectum, & erit res per ſe ſatis manifeſta.

Terræ motum Müllerus ſtatuit.

Cometarum motus à motu terræ non pendet.

Obſervationes ſuas Mullerus à capite repetit.

Primò, ut dixi, Cometa viſus mihi fuit die 4. 14. Decembris, quæ erat Dominica ſecunda Adventûs Salvatoris noſtri, manè, horâ tertiâ; ubi eo adhuc latente infra horizontem, cauda jam ſupra eundem conſpiciebatur & ſubſecuturi Cometæ indicium faciebat, poſtquam jam ab hora undecima præcedentis veſperæ ſub dio ambulando ipſius ortum exſpectaveram. Hærebat tunc Cometes propè ſtellam, quæ eſt in roſtro Corvi, ita ut paulò eſſet ea tùm occidentalior, tùm borealior.

Diebus 5. 15. & 6. 16. ſequentibus, nempè Lunæ & Martis, cælum nubibus erat obvelatum.

Die 7. 17. hujus item menſis, quæ erat Mercurii, ſecunda vice Cometam obſervavi & animadverti, eum, relicta ſede priore, auſtraliorem factum eſſe, ita ut ſi Cometæ corpus ſive nucleus conciperetur jungi ſtellis in roſtro & capite Corvi, fieret inde △lum obtuſangulum, (quale ferè exhibent cornua Arietis) cujus △lus ad roſtrum Corvi eſſet obtuſus, & recta connectens Cometam cum roſtro eſſet dupla reliqui cruris circa obtuſum.

Tertiò vidi eundem Cometam die proximè ſequenti, Jovis ſcilicet, manè enim hora dimidia tertia oriebatur denuò, majore mole & cauda prolixiore conſpicuus. Sed porrò factus meridionalior cum prædictis duabus ſtellis Corvi iterum faciebat △lum quidem obtuſangulum ad idem roſtrum; ſed majore exiſtente angulo illo obtuſo quam antea: crura verò △lum obtuſum includentia videbantur habere proportionem duplam ſeſqui alteram, hoc eſt ut 5. ad 2. vel potiùs duplam ſupertripartientem quartas, hoc eſt ut 11. ad 4.

Quartò & ultimò horrendâ magnitudine & caudâ altero tanto adauctâ ſe mihi conſpiciendum exhibuit Cometes die 11. 21. jam ſæpius dicti menſis, quem nunc agimus. Oriebatur tunc phœnomenon hora ſecunda matutina luce ſolito majore coruſcans, & apparentem caudæ longitudinem 30. pedum humanorum vel 2. perticarum Rhenolandicarum præter propter æſtimabam. Ad auſtrum etiam tanto intervallo longius abierat, ut ipſius locus ad ſtellas Crateris & Corvi non ſatis commodè expendi poſſet. Cauda videbatur terminari in tribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

in tribus ſtellis in medio ventre Hydræ, quæ in una recta linea cor proximè ſequuntur. Reliquis diebus, quibus Cometam contemplatus ſum, tractum ſive ductum caudæ memoriæ non ſatis accuratè me mandaſſe fateor; neque hoc quicquam impedimenti ad expeditionem hujus noſtri affert negotii, quia nobis ſufficit ſcire terminum à quo & ad quem Cometa inceſſit. Generaliter tamen notandum, quod cauda cujuſvis Cometæ tendat in plagam à Sole averſam, ita ut centrum Solis, centrum Cometæ & axis ipſius caudæ (quam pro Cono acephalo habeo, cujus baſis ſit terminus caudæ à Sole remotiſſimus) ſunt ferè in eadem rectâ lineâ.

Cauda Cometarum tendit in plagam à Sole averſam.

Dico, *ferè*; quia nonnunquam cauda parumper ab hac linea declinat & in arcum curvatur, quod tamen oculis in hoc Cometa obſervare non potui.

Cauda Cometæ non ſemper exactè in partem Soli oppoſitam directa eſt.

Si igitur ad hujus Cometæ motum advertamus animum, cognoſcemus eum à Borrhapeliote, hoc eſt plagâ media inter Septentrionem & Orientem, ad Notozephyrum ſive plagam mediam Auſtrum inter & occidentem oculorum judicio viam ſuam confeciſſe. Quare neceſſarium eſt, ſi nimirum à Telluris periodo annua cum Domino Conſule hunc Cometæ motum arceſſere velimus, Terraqueum noſtrum globum intereà temporis motu planè contrario à Notozephyro ad Borrhapelioten fuiſſe tranſlocatum. Sed globus ille à die 4 Decembris, qua mihi primo videre Cometam licuit, ad diem 11. quâ quarto & ultimo eundem conſpexi, octo poſteriores Geminorum gradus, nempè vigeſimum tertium 24, 25, 26, 27, 28, 29 & trigeſimum centro ſuo gravitatis percurrit, atque ita, parallelως ad Æquatorem ab Occidente in Orientem ferè incedens, nequaquam motui in Cometa obſervato cauſam dare potuit. Idem ſuo inceſſu comprobavit barbatus ille Cometes Anni 1652. eodem hoc conſpectus menſe, qui ab Orione ad Caſſiopejam paucis diebus tranſmigravit. Nec contrarium Cometa ſive novus, ſive idem, quem nudius tertius horis veſpertinis ad alia intentus in Lepore deprehendi, ſuo progreſſu reddet veriſimile. Cum primò Cometam intuerer, exiſtebat inter ſtellas Leporis, quarum una in Tabb. Bayeri eſt in armo, altera infra oculum ſive in mandibula, & quidem in eadem recte linea cum ipſis, quam ille ita ſecabat, ut portio Orientalis dupla eſſet portionis occidentalis; verùm ipſius motus erat adeò celer, ut ſingulis horis locum mutaſſe obſervaretur verſus Borrhozephyrum. Sed de eo aliàs. Fateor equidem Tellurem annua ſua periodo efficere, ut tres ſuperiores Planetæ modò videantur directi, modò retrogradi, modò ſtationarii: ſed ſive Planetæ directi, ſive retrogradi fuerint, non niſi ab occidente ad orientem, aut contrà, quantum ſcilicet ipſorum ab Ecliptica exorbitatio admittit, quàm proximè apparent tendere. Poſſem hanc meam opinionem plurimorum Cometarum motibus prolixiùs comprobare; ſed quia promiſſi ſolutionem urges, diutiùs his immorari non poſſum. Unicum hoc addo, motus Cometarum eſſe trajectiones, nec in arcubus circulorum, ſed ſecundùm rectas lineas fieri, quemadmodum acutis rationibus oſtendit Kepplerus in Paralipomenis in Vitellonem. Quia etiam de motu Telluris, quæ anni ſpacio percurrit Eclipticam, hîc agimus, Mantiſſæ loco inquiramus, an illa centro gravitatis veram peripheriam ſive perimetrum ſimplicem deſcribat; an vero aliam aliquam lineam. Nam Terra non centro magnitudinis, ſed gravitatis percurrit Eclipticam: centrum autem gravitatis Terræ quovis momento infinitis fermè modis mutatur, pro diverſa rerum in Tellure exiſtentium diſpoſitione & ſitu; ideòque non ineptè hîc dubium moveri puto. Ad hoc autem ita reſpondeo: Terraqueum noſtrum diverſorium infinitis quidem motibus, vel potiùs nutationibus, quovis momento eſſe obnoxium, quia ratione formæ perpetuis mutationibus à mortalibus & tempeſtatibus vexatur, & nunquam idem centrum gravitatis ſervat; veram tamen Eclipticæ peripheriam (nihil enim nobis rei nunc eſt cum Ellipticis Planetarum motibus ex mente Kepleri, Domini Bullialdi & aliorum, quamvis, quod ad hæc, in iis eadem planè ſit ratio) centro gravitatis 12. Menſium ſpatio deſcribere.

Cometæ hyemalis motus.

Cometæ motum à motu terræ non provenire Mullerus aſſerit.

Cometæ 1652. figura, apparitionis tempus & motus.

Cometa in Lepore an ſit idem cum priore vel ab eo diverſus, Mullerus dubitat:

Ejus ſitus,

Et motus celer.

Terræ motus eſt cauſa retrogradationis trium ſuperiorum Planetarum.

Cometas in recta linea ferri cum Keplero Mullerus ſtatuit.

Terræ motûs annui ratio.

Terra perpetuò movetur & nutat.

Planetarum motus elliptici.

 bere.

bere. Sed centro magnitudinis efficere Circulum (ut ita loquar) ſinuoſum, qualem ſequens figura circiter exhibet.

Terra motu annuo non deſcribit annulum exactum, ſed potius ſinuoſum.

Ex quibus etiam Jubare meridiano clarius eluceſcit, globum noſtrum Terraqueum (poſito eum eſſe exactè ſphæricum) annuâ ſuâ re volutione non deſcribere verum annulum, qualem globus circulariter motus ex præceptis Phoranomicis gignit, ſed *ſolidum* aliquod *annuli formæ* quod fortaſſis vocari poterit *annulus ſinuoſus*, cujus axis (liceat mihi hac voce uti) eſt circulus ſinuoſus ante deſcriptus. Vale & Vive feliciſſime.

Hamburgi die 23. *Decembris* 1664.

Vir Præcellentiſſime.

Obſervationes Cometæ in Lepore Hamburgi à Mullero factæ.

Cometa in Lepore an cum priore idem nec ne?

Mullerus Cometam Leporis à priore diverſum eſſe initio ſtatuit: poſtea tamen unum eundemque eſſe deprehendit.

Cometa nullus ſine cauda eſt.

Cauda Cometæ aliquando non videtur, dum ſcilicet oppoſitus eſt Soli.

Corpora quibus Sol eſt verticalis umbram non ſpargunt.

Cometæ à Sole remotiſſimi vel nullam vel exiguam habent caudam.

Cometa Leporis quando & quare non exeruit caudam.

Cometam terræ maximè vicinum eſſe, motus ejus velox arguit.

Cometæ cauda ejuſque prolixitas provenit à Solis diſtantia.

Cometam Corvi & Leporis eſſe unum Mullerus affirmat.

Cometa ille qui & nunc horis veſpertinis cælo ſerenante conſpicitur, primùm ſe mihi obtulit die 20 30. Decembris veſperi hora nona, prout heſternis meis literis ſignificavi, & ſitum habuit, quem iiſdem expreſſi. Difficilem verò mihi moves quæſtionem, an nimirum hic Cometa ſit planè novus? an verò idem cum priore reſciſſâ cauda? Difficilem dico Te mihi proponere quæſtionem, tùm quia cælum à die undecima uſque ad 20. Decembris St. V. fuit obſcurum, tùm quia accuratæ obſervationes ex quibus rectius judicium formare liceret, nos deſtituunt: Sentio tamen hâc de re ita, & dico: Cometes, qui nunc poſt occaſum Solis in ortu ad Eridanum deprehenditur, non eſt novus, quamvis primo intuitu aliter ſenſerim. Quod verò hic Cometa caudâ videtur carere, nihil facit ad rem, ut ideo judicetur eſſe alius à priore. Non minus enim hic Cometes nunc eſt caudatus ac anteà, cum in Corvo hæreret, quamvis ea non conſpiciatur. Nec minus eſſet admiratione dignum, ſi Cometam ullum ſine cauda fuiſſe dicerem, quam ſi Solem in plenilunio defeciſſe conarer literatis perſuadere. Cauſa verò cur quidam Cometarum nullam exhibeant caudam hæc eſt, quia tanto intervallo (ratione partium circularium) à Sole, qui tùm Lucem, tùm caudam Cometæ gignit, removentur, ut ei per diametrum circiter oppoſiti caudas ſurſum erigant, eaſque ſuâ mole quaſi abſorbeant, quò minus à Terricolis videri poſſint. Atque hoc tùm de Cometa Anni 1652. tùm de Cometa, qui adhuc in cælo apparet, tum de quibuſvis ſimilibus verum eſt. Quem admodum enim illi Populi, quibus Sol eſt verticalis, nullam umbram vulgò dicuntur habere, quamvis æquè ac alii ſuas projiciant umbras, ſed verſùs centrum Terræ, quæ eapropter ab ipſorum corporibus teguntur, ut videri nequeant; ita etiam ſe res habet cum Cometis, qui diametrali ferè diſtantia à Sole abſunt. Comprobat hanc meam ſententiam experientia, quæ oſtendit Cometas à Sole remotiſſimos vel ſine caudâ vel cum exigua ejus portione ſemper fuiſſe obſervatos. Sine dubio etiam mihi adſtipulabitur is, qui adhuc in cælo lucet Cometes. Cum enim hæreret in Lepore, hoc eſt in Dodecatemorio Geminorum, diametraliter ferè opponebatur Soli, in initiis Capricorni hærenti, atque ita caudam ſurſùm porrigendo nullam oſtendebat, quin etiam Luna radiorum ſolarium reflexione ſimul fuit impedimento. Sed poſtquam Cometes longius fuerit contra ſignorum ſeriem promotus (habet enim motum velociſſimum, qui Telluri eum admodùm vicinum eſſe arguit) verſùs Borrhozephyrum, itaque Soli factus vicinior, nullus dubito, modò ſatis diu perduraverit, quin paulatim caudam ſit proditurus. Et ut tribus verbis me expediam, cauda Cometæ ejuſque prolixitas, dependet, cæteris paribus, ex aſpectibus, quos ille habet cum Sole, ſive à numero graduum quibus hæc duo corpora ab invicem removentur. Cometam verò hunc eundem eſſe cum priore illo Corvi etiam hoc reddit veroſimile, quòd nucleum æquè lucidum in ſui medio oſtendat. Hiſce nunc finio & Divinæ protectioni Te iterum iterumque commendo. *T. Clar. ad quævis officia paratiſſ.*

JOANNES MÜLLERUS.

Hamburgi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgi die 24. Decembris St. V. 1664.

Viro Nobiliſſimo ac Præcellentiſſimo, Domino

STANISLAO LUBIENIECIO
JOANNES MULLERUS S. P. D.

PRæcedentibus meis literis de novo Cæli Phœnomeno, ſive Cometa meam explicavi mentem, nec quicquam cauſæ invenio, quamobrem eam immutem, aut aliter ſentiam. Interea temporis enim, quo cælum hic fuit nubilum, ille ſine dubio *Navem Jaſonis* & *Canem majorem* percurrit. De quo tantò eſſemus certiores omnes, ſi cæli facies paulo frequentius fuiſſet conſpecta. Vale.

Mullerus in ſua de Cometa Leporis ſententia perſeverat, & curſum ejus divinat:

Hamburgi die 26. Decembris St. V. 1664.

Nobiliſſime Præcellentiſſime & Doctiſſime Domine.

HEſterna die circa nonam veſpertinam inter nubium hiatus aliquoties iterum videre Cometam mihi licuit, ubi eundem adhuc ab ipſo curſûs ſui initio ſervari ductum deprehendi; hærebat ille verò própè ſtellas in capite Ceti, habens declinationem borealem, & ut judicabam, pervadet rectam, quæ lucidam Mandibulæ cum media in ore jungit. Omnibus autem meis qualibuſcunque obſervationibus probè inter ſe iterum collatis, & accuratiore mentis trutina perpenſis, adhuc ſtatuo hunc Cometam alium non eſſe, ab eo, quem in Corvo vidi, & confeciſſe hactenus trajectione ſua rectam lineam, quam oculus noſter non animadvertens, ſed ad ſtellas fixas expendens, credit eſſe arcum circuli maximi per Corvum, Hydram, Canem majorem, Leporem, Eridanum, caput Ceti, linum boreale & Andromedam deſcripti. Caudam quoque adhuc alit, quæ heſternâ veſperâ dicta h. 9. ubi Cometes tranſierat Meridianum, tendebat verſùs Ortum, longitudine apparente 2. pedum. Perſpicio etiam ex literis Tuis, Te meam de Cometa mentem cum aliis communicaturum, quod quidem illibenter fieri vellem. Nam, ut M. Tullius alicubi rectè inquit, aliter ſcribimus, quod eos ſolùm, quibus mittimus, aliter quod multos lecturos putamus. Vale feliciſſime per multos annos.

Sententiam ſuam de uno Cometa hyemali confirmat.

Cometæ hyemalis motus videtur Mullero fuiſſe per rectam lineam, non per circulum.

Mulleri modeſtia.

T. quem noſti

JOANNES MÜLLERUS.

Hamburgi 28. Decembris St. V. 1664.

Vir Præcellentiſſime & Nobiliſſime.

GRatias Tibi habeo maximas, quòd literas Gedano miſſas mecum volueris communicare, eaſque nunc remitto. Ampliſſimus Dominus Hevelius requirit obſervationes ſolidioribus machinis habitas, & quidem rectiſſime; quia cæteræ obſervationes nihili æſtimandæ; ſed ego tales, quales ille deſiderat, minimè polliceor. Heri veſperi hora ſexta vidi ego Cometam multò borealiorem factum eſſe, & cum lucida Mandibulæ, Mediaque in ore Ceti efficere Δlum Rectangulum iſoſceles, cujus angulus erat in Cometa rectus & verſus Zenith vergebat, baſis ſive Hypotenuſa erat recta jungens dictas ſtellas & horizonti vicinior. Poſt nonam veſpertinam exiſtebat in una recta linea cum *Media in ore* Ceti & *præcedente trium*; utraque tamen borealior conſpiciebatur. Hâc veſpera hora ſexta eum iterum contemplatus ſum, & cum lucida

Obſervationes ſine inſtrumentis Mathematicis nihil valent.

Mandibulæ Mediaque in ore Ceti etiam ferè conſlare Δlum rectangulum, ſed non, ut heri, cujus angulus ad Cometam eſſet rectus, verum cujus Δlus ad Mediam in ore recto æqui valeret, & catheti denuò æquales. Vale. T. T.

JOANNES MÜLLERUS.

Hamburgi die 13. 23. *Januarii* 1665.

Præcellentiſſimo Domino LUBIENIECIO S.

Olearius duos Cometas hyemales ſtatuit.

Mullerus ſententiam de uno Cometa hyemali confirmat.

NOn mirum Clariſſimum Dominum Olearium ſtatuere hunc Cometam eſſe alium ab eo, qui in Corvo comparuit, cum plurimi Aſtronomorum idem ſentiant. Sed in planè aliam ego abeo ſententiam, & unum ſolùm Cometam à die tertia Decembris anni nuper elapſi, hucuſque apparuiſſe dico, qui nunc horis veſpertinis in ſigno Arietis conſpicitur. Atque hæc certis rationibus innixus affirmo, meamque opinionem comprobabunt Aſtronomi illi, quorum ſpeculationibus cælum fuit benignius, & diebus intercedentibus inter Dominicam tertiam & quartam adventus St. V. ſine nube ſerenum. Die enim 11. 21. Decembris quarto vidi Cometam prope triquetrum Hydræ, poſtea per dies 9. cælum erat nubilum, quibus Cometa percurrit ſine ullo dubio Navem Jaſonis & Canem majorem, qui deindè die 20. 30. ejuſdem menſis Decemb. veſperi hora nona diſjectis nubibus mihi viſus eſt in Lepore. Vale feliciſſime per multos annos

T. Clariſſ. ad quævis officia paratiſſimus

JOANNES MÜLLERUS.

Hamburgi die 16. *Martii St. V.* 1665.

Mullerus Milleri Jeſuitæ obſervationes Auctori communicat.

HAbes hìc, Vir Nobiliſſime, Obſervationes, quas Plur. Rever. & Devotiſſimus P. Philippus Millerus, Sacræ Cæſareæ Majeſtati à Confeſſionibus, ad me miſit, unà cum ipſius literis, quarum copiam jam pridem petiiſti. Ubi iis non amplius indigebis, operam dabis ut mihi reſtituantur. Vale.

T. totus

JOANNES MÜLLERUS.

Magnifice & Clariſſime Domine Domine.

Pax Chriſti & obſequia mea religioſa.

Millerus Jeſuita nullas Cometæ 1664. obſervationes m. Decemb. fecit.

Cæſar ut aliarum, ita & Mathematicarum diſciplinarum amans.

Michaël Heinz Jeſuita laudatur.

GRatiſſimas unà cum Obſervationibus Cometæ mihi communicatis, accepi, pro quibus ago humaniſſimas gratias. Ego, impeditus, nihil potui obſervare in Decembri: quæ autem in Januario obſervaverim, hiſce includo, addens eas obſervationes Cometæ, quas Romæ in Meridiano habuerunt, item quas hìc in Viennenſi Collegio fecerunt. Miſſæ ſunt & Suæ Majeſtati & mihi plurimæ ex diverſis locis ejuſdem Cometæ, ex quibus libentiſſimè eruiſſem ea quæ ex ſimilibus obſervationibus deduci ſolent, ſed quia & negotia & tempus ſufficiens id mihi prohibent, tranſmiſi omnes illas Obſervationes R. P. Michaëli Heinz, inſigni planè Mathematico, olim meo in Philoſophicis, Mathematicis & Theologicis diſcipulo, ut ipſe per otium ex omnibus illis Obſervationibus ſolitas aliàs deductiones faciat, quarum copiam ubi accepero (nam Sua Majeſtas illas deductiones imprimi facit) mittam fideliter Magnificentiæ Veſtræ. Interea me humillimè commendo, maneoque

Viennæ 25. Febr. 1665. Magnificentiæ Veſtræ

Devotiſſimus Servus in Chriſto

PHILIPPUS MILLER.

Cometa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometa Romæ in Meridiano obſervatus

Anno 1664.		Anno 1665.	
Decembr.	♍	*Januar.* 1.	♉ nubes.
17. -	- - 30°	2.	24.
18. -	- - 23.	3.	15.
19. -	- - 26.	4.	8.
20.	24.	5.	7.
21.	21.	6.	6.
22.	17.	7.	4.
23.	14.	8.	2.
24.	10.	9.	♈ nubes.
25.	nubes.	10.	30.
26.	♌ nubes.	11.	29.
27.	24.	12.	28.
28.	5.	13.	nubes.
29.	♋ 15.	14.	27.
29.	♊ 25.	15.	27.
30.	nubes.	16.	nubes.
31.	2.	17.	27.
		18.	27.
		19.	26.
		20.	26.
		21.	26.
		22.	nubes.

DIe 1. Januarii horâ octavâ p. m. 45′. *Obſervationes Millers Jeſuitæ.*

Altitudo lucidæ in pede Orionis 29° 56.

Sectio Cometæ facta tunc eſt per lineam; quæ fit per canem minorem cum infima cinguli Orionis, & eam quæ incedit per oculum Tauri cum lucida Capellæ.

Die 5. Januarii circa ſextam veſpertinam Altitudo Cometæ 41° 45′.

Erat tunc Cometes in rictu Balenæ penes lucidam Balenæ, quæ eſt in rictu, ita ut modico tantùm ſpatio diſtaret Cometes à dicta ſtella exiſtente verſùs ortum in medio caudæ Cometæ.

Secabatur tunc per lineam incedentem per oculum Tauri & infimam deſcendentem ab oculo Balenæ, & per eam quæ ducitur per mediam trium, quæ in Orione ſunt infra 4. ſuperiores in ſcuto Orionis exiſtentes & per eam Balenæ, quæ eſt penes oculum verſùs rictum.

Eodem die circa medium nonæ veſperi eodem modo repertus eſt Cometes ſituatus, niſi quòd ductâ ex media ſcuti per Cometam & eam Balenæ, quæ eſt penes oculum verſùs rictum, paulò ſupra filum apparuerit.

Altitudo Cometæ tunc erat 43° 6.

Die 7 Januarii circa ſeptimam veſperi in ſectione fili tenſi per oculum Tauri & ſtellæ quæ eſt in flexura nodi & fili tenſi per rictum Ceti & juncturam pedis dextri Pegaſi.

Altitudo plantæ Orionis 23 3′.

Altitudo Cometæ 47° 8′.

Die 8. Januarii circa ſeptimam veſpertinam. In ſectione rictûs Ceti & juncturæ pedis dextri Pegaſi, item lucidæ Arietis cum media ſtella, in qua rictus Ceti & inferior facit rectum quaſi angulum.

Altitudo Cometæ 48° 6.

Altitudo plantæ Orionis 23° 38′.

 Hora

Hora circa octavam eodem die eodem modo ſituatus viſus eſt, niſi quòd Altitudo Cometæ fuerit 46° 52′.
Altitudo plantæ Orionis 29° 26.

Die 10. Januarii circa octavam veſperi lucidior in genu dextro Pegaſi cum lucida in rictu Balenæ, & infima in prima flexura Eridani, quæ eſt prima poſt Orionem per ſecundam ab hac prima verſus rictum Balenæ
Altitudo Cometæ 46°. 50′.
Altitudo plantæ Orionis lucida 30° 6.

Die 11. Januarii horâ nonâ 15′. circiter caput Andromedæ cum lucidiori in junctura brachii vel cubiti ejuſdem.

Item 1. caudæ Arietis incipiendo à poſterioribus ejuſdem, cum ſtella quæ eſt ad decimum gradum Tauri in Ecliptica.
Altitudo Cometæ 37° 36.
Altitudo Canis majoris 22° 6.

Eodem tempore ſecabatur Cometes per ductam lucidæ Arietis cum Alamac ſeu planta ſiniſtra Andromedæ. Item per lucidiorem humeri ſiniſtri Andromedæ, ferè in medio dorſi, cum media trium Ceti in capite, quarum unà eſt in rictu, & altera inferior facientes angulum quaſi rectum cum media.

Die 14. Januarii horâ octavâ 45′. ferè.

Extrema alæ dextræ Pegaſi cum ſuperioris cinguli Orionis quæ eſt ad Æquatorem. Item infima Occidentaliorum trium in capite Arietis cum ea quæ eſt in natibus Andromedæ.
Altitudo plantæ Orionis 33° 34′.
Altitudo Cometæ 37° 6.

Die 16. Januarii media octava circiter caput cum brachio ſiniſtro Andromedæ, item infima Arietis in cornu dextro cum illa ſuprema Ceti, quæ eſt ſub pede Arietis.
Altitudo Cometæ 47° 45′.
Altitudo brachii ſiniſtri Andromedæ 33° 56.

Die 17. Januarii circà medium decimæ veſperi, lucidior trium in ſcapulis Andromedæ cum media trium inferiorum Ceti ad rictum. Item Canis Major cum planta Orionis.
Altitudo Cometæ 32° 2′.
Altitudo Canis majoris 24° 6.

Die 20. Januarii circa horam octavam & 15′. ſtellula Arietis, quæ eſt ad auriculam illius dextram, quæ eſt media trium lucidiorum Arietis cum nodo lini in flexura. Item ala Pegaſi lucida cum ſecunda ab Ecliptica in flexura pedis Tauri ex 5. ſimul poſitis.
Altitudo plantæ Orionis 33° 2′.
Altitudo Cometæ 36° 2′.

Die 21 Januarii infima circà octavam capitis Arietis, quæ eſt in cornu, cum nodo ut heri ala Pegaſi cum ſecunda ut heri.
Altitudo Cometæ 31° 34′.
Altitudo plantæ Orionis 32° 36′.

Die 22. media nona Ala Pegaſi, cum ſecunda lini à piſce, quæ eſt penes Andromedam. Item tertia Arietis, quæ mihi eſt in cornu cum ea quæ eſt in cuſpide trianguli. Altitudo Cometæ non potuit obſervari eo quòd per dioptram non potuerim ob defectum jam & diminutionem Cometæ videre illum.
Altitudo pedis Orionis 33° 14′.

P. Philipp. Miller.

Deſcriptio

Figura obſervationum Cometicarum Viennæ Auſtriæ factar. ad Communicat. Cl. Viri Dni. Ioan. Mulleri, Prof. Math. in Gymnaſio Hamburg. pertinens. N.° 51.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Deſcriptio Cometæ
OBSERVATI VIENNÆ

Obſervationes Viennæ Auſtriorum inſtitutæ.

A die 19. *Decemb.* 1664. *uſque ad diem quartum Februarii* 1665.
concinnata rudi Minervâ ex uſu globi, in gratiam eorum, qui calculi Aſtronomici rigorem non exigunt. Cui acceſſit Prognoſticon de Cometis in genere, quos multi mortalium timent, ignari quid in iis timeant.

I.

DIe decimo nono Decembris primâ vice vidimus hîc Cometam manè ſub horam 4½. verùm ob ſupervenientes nubes citius ab oculis eſt ſubductus, quàm ut exactam de eo obſervationem inſtituere potuerimus. Duo tamen obiter animadvertimus: primùm, habuiſſe illum caudam protenſam in Occidentem: ſecundùm, locum illius fuiſſe inter Corvum, Hydram & Craterem, quæ pro iis, quæ infrà dicturi ſumus, ſunt notanda.

II.

Poſt duodecim ferè noctium fruſtraneas vigilias obducto pertinaciſſimis nubibus cælo, primâ demum nocte anni 1665. viſus eſt ſecundò Cometes parùm infrà nonam ſtellam quartæ magnitudinis, quæ occurrit in Eridano, eas ab ortu in occaſum numeranti, fuit tùm in concurſu duarum linearum, quarum una ducitur per lucidam Canis minoris, & Auſtraliſſimam trium conſtituentium baltheum Orionis; altera per Capellam & oculum Tauri: diſtabat tunc à lucida in planta Orionis 16. gr. & 35. min. & à media trium conſtituentium baltheum Orionis 22. gr. 31. min. Pro cognoſcenda hora capta eſt tunc altitudo plantæ Orionis, & reperta 30. gr. & 18. min. adeòque fuit hora circiter nona. Nullam habuit caudam ob radios Lunæ ex obverſo ſplendentis. Magnitudine par erat Veneri, cum nobis apparet maxima. Color ei plumbeus & retuſus, qualis ſolet eſſe nubium mox in pluviam reſolvendarum, quando à Sole illuſtrantur. Tubo conſpectus obſcurior apparebat. Motu proprio ferebatur ab ortu in occaſum, ſeu in antecedentia ſignorum, in progreſſu tamen magis magiſque ad Æquatorem accedebat. Ejus apparens declinatio, quantùm ex globo licuit colligere, fuit 9. grad. 30. min. Auſtrum verſus, longitudo apparens in 23. gradu Tauri, Latitudo Auſtralis 29. graduum.

III.

Die quartâ cælo præter morem ſudo & ſereno ſub horam quintam veſpertinam comparuit nobis Cometes, ejus Ortum Heliacum dudum præſtolantibus. Comparuit primò ſinè cauda ob lumen crepuſculinum à quo obſcurabatur, quo ſenſim deficiente longum poſt ſe ſyrma, ſcoparum inſtar, trahebat, quod denuò poſt Lunæ ortum evanuit. Vergebat non ut ante in occaſum, ſed in ortum, & quidem in plagam Soli oppoſitam inter ortum Æquinoctialem & Septentrionem, quia Sol fuit inter occaſum æquinoctialem & Auſtrum. Fuit ferè in eadem linea recta cum utroque humero Orionis. Difficulter potuimus ferre judicium de ſyrmatis longitudine, quia non fuit conſtans, & ægrè terminus illius diſcerni poterat. Quantùm tamen judicare potuimus ſubtendebat in cælo 14. gradus 30 minuta. Locus ejus deprehenſus eſt in faucibus Ceti, quatuor circiter gradibus infra ſtellam tertiæ magnitudinis in medio rictu Ceti, vergebat tamen Cometa magis ad ortum, quàm præfata ſtella. Horâ ſextâ veſpertinâ diſtabat ab oculo Tauri 25. grad. 40. min. ab humero ſiniſtro Orionis 34. gr. 30. min. Fuiſſe tunc horam ſextam, collegimus ex altitudine oculi Tauri, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quæ fuit 37. graduum, 25. minutorum. Declinatio auſtralis tunc fuit unius gradus 30. minutorum. Longitudo in 10. gradu Tauri, Latitudo Auſtralis 16. graduum.

IV.

Die quintâ eadem quâ pridie horâ illuxit nobis Cometes, ſyrmate æquè ac ante prolixo, viſus eſt adhuc in faucibus Ceti & quidem propè ſtellam in medio ore Ceti, apud quam pridie viſus eſt, non tamen infra illam ut ante, ſed in æquali ferè altitudine, undè cum fuerit Cometâ orientalior, illam cauda irradiabat. Ferebatur ut aliàs motu proprio in occaſum, longè tamen quàm aliàs ſegniùs. Horâ ſextâ veſpertinâ diſtabat ab oculo Tauri 29. gradibus 20. minutis: ab humero ſiniſtro Orionis 39 gradibus 25. minutis. Altitudinem ejus ſupra Horizontem, cum eſſet in meridiano, non potuimus obſervare. Cùm tamen à Meridiano in occaſum diſtaret 6. circiter gradibus, ejus altitudo fuit 44. graduum 52. minutorum. Hinc collegimus declinationem ejus borealem eſſe trium graduum 12. minutorum circiter, cùm elevatio æquatoris Viennæ ſit 41. gradus 40. minutorum. Longitudo ejus fuit in ſeptimo gradu 30. minutis Tauri. Latitudo Auſtralis 12. graduum 40. minutorum.

Viennæ elevatio Æquatoris quæ ſit;

V.

A die quinta uſque ad diem decimam ſeptimam ſingulis ferè noctibus illum obſervavimus, obſervationes tamen ſingillatìm recenſere ſupervacaneum duximus, cùm nihil contineant memorabile. Diutiſſimè manſit in Ceto, ubi illum extinguendum arbitrabamur, eluctatus tamen eſt inde, & die decimâ ſeptimâ deprehendimus illum parùm infrà eclypticam, diſtantem ab æquinoctio verno ortum verſùs 27. gradibus, 50. minutis. Fuit in interſectione duarum linearum, quarum una ſit ducta per ſtellam in fronte Arietis, & Auſtraliſſimam earum, quæ ſunt in nodo lini conjungentis Piſces, altera per Borealiorem duarum in ore Ceti, & alteram ignobilem propè illam occaſum verſùs. Pergit modo, ut aliàs motu proprio ab ortu in occaſum in circulo ad æquatorem & Zodiacum obliquo, qui Circulus videtur eſſe circulus maximus ſphæræ, ſi veræ ſunt (prout eſſe ſupponimus) obſervationes aliunde ad nos perlatæ. Hevelius vidit illum Dantiſci parùm infrà roſtrum Corvi, nos primâ nocte anni vidimus illum in puncto Eridani ſupra dicto. Nunc eſt propè eclypticam in 27. gradu circiter Arietis: per hæc autem puncta duci poteſt circulus maximus, cujus polus eſt in pectore Urſæ majoris, ut probanti in globo apparebit. Fit indies in motu ſegnior, in mole minor, in cauda rarior, in ſplendore remiſſior. Unde propediem illum extinguendum arbitramur.

VI.

Die 20. adhuc ſatis benè videri poterat non obſtantibus Lunæ radiis aërem illuminantibus. Tàm magnus fuit quàm ſtellæ ſecundæ magnitudinis, & fortè major, illis tamen claritate longè inferior. Cauda ob Lunæ lumen vix videbatur. Quadrante poſt ſeptimam veſpertinam diſtabat ab ea, quæ eſt in fronte Arietis 9. gr. 8. min. à proxima duarum illuſtrium in ala dextra Pegaſi 24° 53'. Fuit in interſectione duarum linearum, quarum una ducta ſit à præfata ſtella Pegaſi parum infra ſecundam earum, quæ ſunt in lino Septentrionali, à Septentrione in Auſtrum eas numerando: altera per Borealiorem duarum in cornu dextro Arietis, & Auſtraliſſimam earum, quæ ſunt in nodo Lini conjungentis piſces. Ejus declinatio Borealis fuit 13. grad. 30. min. Longitudo in 27. grad. Arietis. Latitudo Borealis 3. gr. Adeòque fuit in pectore Arietis, ut probanti apparebit in globis mediocribus habentibus diametrum $1\frac{1}{2}$ pedis. At in majoribus habentibus diametrum $2\frac{1}{2}$ vel 3. pedum invenitur parùm extrà pectus Arietis verſùs linum Septentrionale.

VII. Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

VII.

Ex noſtris obſervationibus non poteſt præciſè definiri, quàm procul à terra diſtet, adeòque nec magnitudo ejus vera cognoſci poterit. Illud tamen certum, eum eſſe valdè procul diſſitum à terra, quia ferè tamdiu manet ſuprà horizontem quàm puncta illa cæli, quibus correſpondet: quamvis motu proprio & diurno in occaſum pellatur. Quòd ſi 30. tantum vel 40. milliaribus à nobis diſtaret, prout aliqui falſò exiſtimant, nec horis quidem quinque maneret ſupra noſtrum horizontem, cùm tamen certò conſtet eum nunc multò diutiùs, quàm 12. horis ſuprà Horizontem exiſtere.

Cometa hybernus 1665. a terra remotiſſimus,

Cum 12. amplius horis ſupra horizontem noſtrum conſpiciatur:

VIII.

Unus fuit, non geminus,

Vulgus exiſtimat fuiſſe duos Cometas: quia Cometa, qui die 19. Decembris comparuit, fuit matutinus, & habuit caudam protenſam in occaſum, qui modò comparet, eſt veſpertinus, & habet caudam obverſam orienti. Mirùm quòd tertium non addiderint, qui nullam habuit caudam, prout nobis viſus eſt primâ nocte anni. Reipſa tamen unicus eſt, qui propter elongationem à Sole ex matutino factus eſt veſpertinus. Quam elongationem neceſſariò ſequitur illa mutatio caudæ, modò in Orientem, modò in Occidentem. Punctum illud cæli propè Craterem, in quo die decimo nono Decembris viſus eſt, non poteſt à nobis videri, Sole exiſtente in 28. gr. 26. min. Sagitt. niſi manè, quia Solem occumbentem præcedit, prout norunt illi, qui in uſu globi ſunt verſati, adeòque Cometes in illo cæli puncto exiſtens non potuit tunc videri niſi manè, & manè videri debuit (dummodò non obſtarent nubes) quia ante Solem oriebatur. Et quia Cometæ habent caudam à Sole averſam, Sole exiſtente tunc in oriente, cauda debuit protendi in occaſum. At verò locus in quo his diebus videtur, nempe circà 27. gradum Arietis, non poteſt videri niſi veſperi, quia Solem Orientem ſubſequitur, & veſperi videri debet, quia diu poſt Solis occaſum occumbit, ut ex eodem globo ad oculum patet. Atqui Sole exiſtente in occaſu, cauda Cometæ quæ tunc videtur debet protendi in ortum, hoc eſt in plagam à Sole averſam, igitur ex hoc capite non ſunt ponendi duo Cometæ. Hoc explicari poteſt exemplo Lunæ, planetæ nobis familiariſſimi, quæ propter ſimilem elongationem à Sole, modò eſt matutina poſt ultimum quadrantem, modò veſpertina poſt conjunctionem, uſque ad primum circiter quadrantem, modò pernox quando integro ſemicirculo Sol & Luna diſtant.

Cur ex matutino factus veſpertinus,

Cur die 19. Dec. non potuerit niſi manè videri:

Et cur m. Januar. non niſi veſperi.

Luna cur modò manè, modò veſperi modò totâ nocte apparet.

IX.

Cometæ effectus penè omittendos cenſui, cùm nihil haberem certi, quod in medium afferrem præter inania terriculamenta nudæ tantùm auctoritati innixa, quibus credulo nimiùm vulgo & rudi popello ſolemus imponere. Si reges aut Principes decedant, ſi emergant bella aut ſeditiones, ſi lues, ſi annonæ caritas, ſi terræ motus, ſi aquarum inundatio, aut alia publica calamitas nos urgeat, quorum tamen aliquod intra unum alterumve annum in Europâ aut in Vicinia fieri neceſſe eſt, nos, qui aliam horum effectuum cauſſam ignoramus, in Cometas tanquam malorum omnium cauſſas invehimur, illoſque velut funebres faces & infauſta ſidera horremus,

Cometarum terriculamenta inania vulgo imponunt.

> *Non aliàs credo* (inquit Poëta) *ceciderunt plura ſereno,*
> *Fulgura, nec diri toties arſêre Cometæ.*

Et Claudianus:

> *Et nunquam terris ſpectatum impunè Cometam.*

Poëtarum minæ à Cometarum apparitione petitæ.

Riderent profectò ſapientes has Poëtarum minas ex antiquiſſima ſuperſtitione, aut vulgi ſaltem errore profectas, niſi eas nonnulli ſuâ auctoritate ſtabiliviſſent, inde occaſionem arripientes revocandi populum ad frugem eumque à vitiis & ſceleribus deterrendi.

Fraus pia eſt inanibus terriculamentis Cometarum populum ad pietatem compellere.

Atqui inquies, experientia conſtat, quòd publicæ calamitates hos ignes ſubſequantur: conſtat certè, ſed æquè conſtat, quòd præcedant: quotus enim tranſit annus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Cometæ mala non tantùm ſequuntur, ſed & præcedunt: Ita & bona.

Cometis nullis lucentibus publicæ calamitates plerumque eveniunt, & iis lucentibus non ſemper eveniunt.

annus ſive præcedat, ſive ſubſequatur Cometa, quo nihil mali in Europa, aut in tot Europam ambientibus regnis non contingat? Inventi ſunt quidem pauci aliqui anni ab ejuſmodi calamitatibus immunes: ſed & luxerunt aliqui Cometæ fauſti, & bonorum prænuntii, quorum catalogum, qui vult, legat apud P. Ricciolium lib 8. ſect 1. Almageſti novi. Cum igitur publicæ calamitates ſinè Cometis plerumque eveniant, & iis lucentibus non ſemper eveniant, non video, quo fundamento calamitatum publicarum culpam in Cometas conjiciamus.

Cometæ effectus potius boni quàm mali ex intentione naturæ.

Viciſſitudo rerum.

Cometæ ſemper bona & mala excipiunt, ſi totum mundum ſpectes.

Cometæ cauda nil minatur ei cui ſe obvertit:

Vel omnibus minatur, quia omnibus eam obvertit, pro vario apparitionis tempore,

Et populorum ſitu.

Europæis minimè timendi, ſi tamen timendi, Cometæ.

Equidem exiſtimo has ſtellas non ſine cauſa lucere, cùm Deus & natura nihil fruſtrà faciant: exiſtimo deinde earum aliquos effectus ad terram pertingere ob conſenſionem & ſympathiam, quam habent mundi partes inter ſe: quemadmodum laborante pede aut alio membro toti Microcoſmo eſt malè. Ignoro tamen quales in ſpecie effectus cauſet, maloſne an bonos? Veroſimiliùs tamen eſt eſſe bonos: quia mater natura per ſe mala non intendit; adeòque ſi alicui regno malum aliquod inde naſcatur, id per accidens & præter naturæ intentionem naſcitur. Deinde ſi Cometa ignis eſt, prout eſſe docent Peripatetici, mundum à noxiis humoribus, quibus aliàs inficeretur, purgat. 3 Quod uni eſt malum, alteri plerumque eſt bonum, ut clades Turcarum ſunt noſtræ victoriæ, & vice verſa. Si igitur clades portendit Cometes, portendit & victorias, & neutra pars habet quòd cæliùs illas magis metuat, quàm has ſperet, ſi humana omnia ſint paria. Dices à majoribus accepimus illam partem debere ſibi timere, cui caudam obvertit, ſed quàm hoc eſt ridiculum? omnibus ſpatio 24. horarum caput & caudam obvertit, ſi motu regulari (ut plerumque fieri ſolet) agatur. Si eſt Cometa matutinus quando apud Chinas oritur, cauda reſpicit Indos, deinde Perſas, poſt Turcas, tùm Europæos ac demùm Americanos. Iiſdem etiam obvertit caput, cùm primùm eorum meridianos eſt prætergreſſus; contrarium fit, ſi eſt Cometa veſpertinus. Deſinant igitur creduli tàm anxiè quærere, quorſum Cometes caudam porrigat, quia porrigit omnibus, vel igitur omnibus vel nulli timendus eſt, quia omnibus indiſcriminatim truci illâ, ſi diis placet, caudâ minatur. Sed ne nos terreret ultra, truncatâ caudâ nuper comparuit, & quamvis eam denuò reaſſumpſerit, id majori Europæorum metu, quàm periculo eſt factum: cum Europæorum Auſtraliſſimi Hiſpani ab iis, quorum verticibus directè imminet, centenis milliaribus diſtent. Si quid igitur ab hujuſmodi phœnomenis eſt timendum, timeant ſibi Auſtrales Aſiatici, timeant Africani, timeant Americani, timeant ii, quos inter utrumque Tropicum locavit natura. Quò magis ad nos accedit, eò incedit lentiùs, & magis extenuatur, ut minimè dubium ſit, eum citiùs, quàm ad noſtrum verticem pertingat, interiturum. Quòd ſi neque hoc ſuperſtitioſis ſatiſfaciat, ſi illum etiam Europæis putent clades prænuntiare: ecce Anglos inter & Hollandos gliſcunt bella: exiſtiment Cometam illis minari. Quod (ſi jocari liceat) ſine fundamento non facient; cum conſtet eum in Eridano prima anni nocte obſervatum, inde in os Ceti monſtri marini, ubi extinguendus putabatur, rectà intraſſe, inde verò emerſiſſe, & nunc in Arietis pectore verſari. Sint igitur Hollandi Cometa ſeu novum ſidus, quod recenter in Europa fulſit: ſint Angli Cetus, qui eum deglutire meditantur. Emergent ex ejus faucibus Hollandi, mutuamque inter ſe pacem & concordiam, quæ per Arietem deſignatur, inibunt. Si ſecus evenerit (quod avertant Superi!) me falſum vatem fuiſſe dolebo.

APPENDIX.

Cometa Viennæ cur 1665. à die 20. Jan. ad 4. Febr. non viſus.

A die 20 Jan. uſque ad diem quartam Febr. partim ob Lunæ lumen, partim ob nubes Cometa latuit: die tandem quartâ Februarii cælo ſudo illum conſpeximus tertio quadrante ad ſeptimam. Diſtabat tunc à lucida in medio ore Ceti 20. gr. 50 min. ab oculo Tauri 39 gr. 48. min. eratque jam extra conſtellationem Arietis verſus Piſces. Die 11 Febr. ægrè admodum videri potuit nudo oculo, quamvis cælum fuerit ſudiſſimum: tubo tamen valdè benè poterat videri. Caudam habebat ut aliàs obverſam in ortum. Parùm progreſſus eſt à loco, in quo viſus fuit die 4. Ob nimiam ejus obſcuritatem juſtis inſtrumentis motum ejus obſervare non potuimus.

XXIX. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXIX. COMMUNICATIO LUTETIA-PARISIORUM-AUZUTIANA.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 24. Octobr. Gregoriani 1665.

Viro Clariſſimo & Doctiſſimo

Domino AUZUTIO

STANISLAUS LUBIENIETZKI S.P.D.

DUm in argumento Cometico verſor, ſcitu digna & utilia diſcere à doctis volens, factum eſt ut, ſuadentibus & hortantibus Amicis, ad hæc in ordinem redigenda, tandem & publicæ luci exponenda animum appulerim. Quod Te ex Clariſſimo Bullialdo cognoviſſe, non dubito. Tanto operi edendo intentus poteram vel ſolâ nominis Tui famâ celeberrimâ ad Te adeundum permoveri. Ecce verò Tua erga me benevolentia & humanitas ad hoc faciendum invitat: eaque gemina, quarum utrâque meum qualecunque in Te ſtudium prævenisti. Nam & librum Tuum Ephemeridum Cometicarum, ingenioſiſſimâ ſolertiâ conſpicuum (quem vix leviter lectum ab Illuſtri quodam Viro recipere nondum potui) ad me miſiſti; & ad Clariſſimum Chriſtianum Hugenium votorum meorum promovendorum gratiâ literas dare promiſiſti. Utrumque dextrè Tuo nomine Clariſſimus & Amiciſſimus Bullialdus perfecit. Per quem oblatum Tibi Prodromi Cometici Heveliani meo nomine exemplum quòd gratum habueris, multùm mihi gratulor, Tibique ſimul de illo Tuo munere & affectu debitas ago gratias. Velim ex Te porrò ſcire an ad Clariſſimum Hugenium mei cauſſâ ſcripſeris, & quid reſponſi tuleris. Necdum enim mihi Virum illum Præſtantiſſimum compellare per tot occupationes licuit. Hoc tamen propediem, volente Deo, facturus ſum. Interim ille aliqua ex obſervationibus ſuis excerpſit, & Clariſſimo Heinſio (qui pariter, ut mihi eſt amiciſſimus, ad eum in ſpem meæ gratiæ ſcripſerat) miſit, jam jam mihi reddita & necdum lecta, ita ut copiam eorum Tibi nunc facere nequeam. Sufficiat verbo Tibi indicaſſe, honorificam eum Tui mentionem apud Heinſium facere. Quæ ſubinde ad Clariſſimum Bullialdum de argumento Cometico aliiſque hâc occaſione dare ſoleo, ſpero Tibi eſſe viſa: adeoque Tibi meam de Cometarum effectis, ſive potius rerum eventibus eorum apparitionem ſecutis ſententiam eſſe perſpectam. Nempe heu! rerum omnium viciſſitudo eſt. Sæpius orbis nullos Cometas, multorum autem Principum funera, gentium buſta, malorum maria, ſæpè etiam illos & juxtà hos lætæ, vidit. Adeò nempè portentis & ſignis, eaque ſecutis rerum eventibus, tàm lætis quàm triſtibus, officii admonemur, & ad meliorem vitam tàm invitamur, quàm incitamur. Atque hæc eſt

Auzutio Auctor inſtituti ſui r[illegible] exponit:

Merito ſe eum compellare demonſtrat,

Ejus geminam, quâ ſe prævenerit, benevolentiam prædicat.

Dono miſſum Prodromum Comet. Hevel. grato animo eum accepiſſe gaudet:

An ſuâ gratiâ ad Hugenium ſcripſerit & quid reſponſi tulerit, quærit.

Heinſii & Hugenii erga Auctorem benevolentia.

Viciſſitudo rerum in orbe perpetua

Cometis nullis apparentibus multa mala viſa: apparentibus verò etiam bona:

Nos autem officii admonemur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Operis & ſtudiorum meorum ſumma. His Te Vir Clariſſime favere, ſi faves publicè aliquando teſtare, miſſâ Te dignâ ſymbolâ Operi meo inſerendâ, & in Senatu Philoſophico proferendâ. Vale, & mutuâ me benevolentiâ proſequere.

Pariſiis die 28 *Sept.* 1665.

Auxutius Prodromum Cometicum Hevel. dono ſibi ab Auctore miſſum pergrato animo accepit:

ACcepi ante aliquot dies à Clar. D. Bullialdo Prodromum Cometicum Ampliſſimi Domini Hevelii, quem Tu pro Tua bonitate donum ad me miſiſti. Singulari hac benevolentiâ me Tibi obligaſti: tantò plus, quòd nondum mihi iſte honor obtigerit, ut Tibi gratum aliquod officium præſtare potuerim. Hæcce gratia non poteſt procedere aliunde quàm ex pura generoſitate amicos beneficiis obligante.

Sibique gratulatur epiſtolæ ſuæ ſuper obſervat. Hevel. ſcriptæ exemplum ei redditum eſſe:

Gratum mihi eſt, quòd Clar. D. Bullialdus Tibi miſerit exemplar literarum, quas ſcripſi ſupra ultimas obſervationes Ampliſſimi D. Hevelii, cum non potuerint incidere in manus cujuſquam, qui de hac re melius judicare poſſit.

Obſervationibus ſuis contra Hevelianas pl. fidit.

Intellexi ex Cl. D. Hugenio, Ampliſſimum D. Hevelium ab eo petiiſſe, ne ſe condemnaret ante quàm videret ſuum reſponſum, quod brevi daturus ſit in ſecundo Prodromo. Non poſſum divinare quid ille poſſit reſpondere, ſed ſpero, quamvis ego non ſim adeò notus, quòd ejus authoritas non prævalebit in mentibus eorum, qui requirunt ſincerè veritatem, contra meas Obſervationes & aliorum, quæ meis hîc ſunt conformatæ. Cl. D. Bullialdus nullas ab eo accepit literas ex quo ei meas miſit, nec Te, ut apparet, ea de re faciet certiorem aliter quàm per ſcriptum ſuum impreſſum, quod valdè deſidero videre.

Litteras ſuas de majorum ſpecillorum uſu Auctori ſe mittere ſcribit:

Mitto Tibi aliquas literas, quas feci imprimi, in quibus plurima ſunt de grandibus conſpicillis.

Se ſuum Commentarium de Cometis aliaque opera per morbum perficere non potuiſſe queritur:

Hocce totum eſt quod hac æſtate feci, cum mea ſanitas me non permiſerit finire ea quæ de Cometis meditatus fueram, neque tractatum de utilitate grandium conſpicillorum & de modo in uſu eorum ſervando, ſine Tubo, neque meam Dioptram.

Horum tamen curam ſe non abjeciſſe dicit.

Nihilominus nondum horum propoſitum & cœptum reliqui. Videbimus interim cum delectatione Tuum, in quod incumbis argumentum de Cometis pertractans.

Umbra tertiæ Lunæ ſupra Jovem 26. Septemb. 1665. obſervata.

Non poſſum Tibi gratificari de quapiam obſervatione, præterquàm quòd viderim proximo die Sabbathi, fuit 26. hujus menſis, veſperi umbram tertiæ

A Paris ce 28 Sept. 1665.

JE reçeu de Monſieur Boüillaud il y a quelque jours le Prodromus Cometicus de Monſieur Hevelius, que vous avez eu la bonté de m'envoyer. Je vous & ſuis ſingulierement obligé, & d'autant plus Monſieur, que n'ayant pas l'honneur de vous avoir rendu aucun ſervice: cette grace ne peut proceder, que d'une pure generoſité obligeante. Je ſuis bien aiſe, que Monſieur Boüillaud vous a envoyé un exemplaire de la lettre que j'ay eſcri ſur les dernieres obſervations de Monſieur Hevelius, puis qu'elle ne pouvoit pas tomber entre les mains d'une perſonne, qui en pûſt mieux juger. J'ay appris de Monſieur Hugens, qu'il l'avoit prie de ne le point condamner, qu'il n'euſt vû ſa reſponſe qu'il donnera bientoſt dans un ſecond Prodromus. Je ne peux pas deviner ce qu'il peut reſpondre, mais j'eſpere quelqu' inconnu que je ſois, que ſon authorité ne prevaudra pas dans l'eſprit des perſonnes, qui recherchent ſincerement la verité, contre mes Obſervations & celles des autres, qui y ſont conformes. Monſieur Bouillaud n'a point reçeu de ſes nouvelles, depuis qu'il luy a envoyé ma lettre, & apparement il ne nous en fera point ſçavoir, que par Son imprimé, que je ſouhaitte fort de voir. Je vous envoye, Monſieur, quelques lettres que j'ay fait imprimer, où il y a pluſieurs choſes touchant les grandes lunetes. C'eſt tout ce que j'ay fait cet eſté, ma ſanté ne ayant pas permis d'achever ce que j'avois medité ſur les Cometes, ny le traicté de l'utilité des grandes lunetes, & de la maniere de s'en ſervir ſans Tuiau, ny ma Dioptrique. Je n'en ay pas neantmoins quitté le deſſein. Nous verrons cependant avec plaiſir celuy, au quel on m'a dit Monſieur que vous travailléz ſur les Cometes. Je ne puis vous regaler d'aucune obſervation, ſi ce n'eſt que je vis Samedy 26. au ſoir l'ombre de la troiſieme Lune ſur Jupiter avec une lunete de 21. pies n'ayant pû m'en ſervir de plus grandes. Je la vis en ſuite avec une lunete de 12. pies, mais

Lunæ

Lunæ ſupra Jovem, per conſpicillum 21. ped. cum majori hac in re uti non poſſem. Vidi eam paulò poſt per conſpicillum 12. pedum, ſed hoc non ante factum fuit, quàm illius locum per alterum conſpicillum deprehenderem. Exſpectavi heri tempus opportunum, ut facerem experimentum, an poſſem videre illas (umbras) 1. & 2. ſed cælum nubibus erat obductum. Verum quidem eſt, quòd non potuerim deprehendere die Veneris, erat 25. hujus menſis, umbram 1. ſed omnia non erant ita benè, ut heri, diſpoſita. Si forte aliquid me facere contingat, non negligam Te de eo reddere certiorem, & grato animo recognoſcere, quàm optimè potero, honorem, quo me afficis, in omnibus occaſionibus, in quibus potero Tibi teſtari, quòd ſim Nobiliſſime Domine

T. humillimus & obſequentiſſimus Servus

AUZUTIUS.

ce ne fut qu' apres que j'en eu deſcouvert le lieu avec l'autre. Je m'attendois hier d'eſſayer à voir celles du premier & du ſecond, mais le ciel ne ſe decouvrit point. Il eſt vray, que je n' avois pû deſcouvrir Vendredy 25. l'ombre du premier; mais tout n'eſtoit pas ſi bien diſpoſé, qu'il euſt eſté hier. S'il m'arrive de faire quelque choſe, je ne manqueray pas Monſieur de vous en tenir averti & de reconnoiſtre le mieux que je pourray l'honneur, que Vous me faites, en toutes les occaſions, où je pourray vous teſmoigner que je ſuis Monſieur

Voſtre tres-humble & tres-obeyſſant Serviteur

AUZOUT.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 31. *Octobris* 1665.

POſtquam octavo ab hinc die ad Te & Clariſſimum Bullialdum literas dederam, & ad præfectum tabellariorum miſeram, accepi utriuſque Veſtrûm gratiſſimas literas. Hæ etiam ſunt in re literaria vices, hi caſus. His vel prudenter vitandis, vel modeſtè ferendis vita tranſigitur, occupatâ ſemper hîc vel illîc induſtriâ. Tuæ exeunte Septemb. ſcriptæ literæ, etſi tardius mihi fuerint redditæ, fuerunt tamen gratiſſimæ. Non perit gratia nec pretium rebus è locuplete eruditionis penu depromtis ullâ morâ, quam in aliis graviter fert curioſitas humana cupida novitatis, quæ ut grata, ita & turbida, Viro prudenti non ſemper appetenda. Triſtis enim nuncius nunquam ſerò venit: & tamen cum ventis pernicitate certare ſolet. Delectarunt me itaque Tuæ literæ, licet ſerius redditæ: quòd Tuæ erga me benevolentiæ non obſcura dederint documenta, deque Tuo rei literariæ promovendæ ſtudio certiorem me reddiderint, eidem pro virili deditum. Gratulor mihi miſſum à me Tibi Prodromum Cometicum Hevelianum fuiſſe gratum, Te certè dignum munuſculum. Optaſſem utrumque veſtrûm videre eidem ſententiæ addictum, ut Clariſſimo Bullialdo primùm, deindè & me, forte & aliis communibus amicis, parariis, de Cometico argumento uterque optimè conveniſſetis. Sed ſcio in Senatu Philoſophico, (quem & ego, omnium licet minimus, pro ea quæ cuique in Republica literaria competit, libertate, tùm ea quæ cuique incumbit ejuſdem Reipublicæ commoda juvandi, officii neceſſitudine, cogo) cuivis dicendi & judicandi eſſe libertatem. Ibi & veſtra controverſia, tot Magnis Viris Excellentiſſimiſque Mathematicis convenientibus decidi poterit. Ego à Clariſſimis Viris Bullialdo & Hugenio, utpote Præſtantibus Mathematicis & communibus Amicis, id fieri poſſe optem, & quantum in me erit, ut id fiat, curabo. Nam quod ad me attinet, animadverto Te, Vir Humaniſſime, juſto majorem de me concepiſſe opinionem, qui

Motus aſtrorum ignoro,

Caſuum adverſa prudenter vitando & modeſtè ferendo vita tranſit.

Literæ doctæ ſerò redditæ gratæ ſint tibi.

Curioſitatem vita.

Triſtis nuncius nunquam ſerò venit.

Publicis uſibus conſule.

Hevelii & Auzuti certamen componi cupit Auctor.

Libertas in republica literaria cuivis manet integra.

Bullialdum & Hugenium controverſiam inter Hevelium & Auzutium ortam decidere poſſe Auctor cupit:

Se id facere poſſe negans.

& non-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Conſcius Tibi propriæ tenuitatis eſto.

& nonniſi inter Mathematicarum diſciplinarum ſtudioſos & cultores reputari cupio, idque mihi magno honori duco. At

> Non noſtrum inter Vos tantas componere lites
> Et vitula tu dignus, & hic - - -

Hevelii elogium.

Ampliſſimus Hevelius in re Aſtronomica eſt

> - - - ut perhibent doctorum ora Virorum,

Amicos inter medius eſto.

Veritas ſemper vincat.

Induſtrii Viri vita longa & bona valetudine digni.

Obſervationum umbræ Lunaris figuras Auctor ab Auzutio petit

Excellentiſſimus, & ſummæ exiſtimationis, & auctoritatis Vir, ſed & ſummæ humanitatis, tùm & ſinceritatis ac modeſtiæ. Scio eum ſua fortiter defenſurum, idque ei ſalvâ Tuâ benevolentiâ & amicitiâ integrum fore, non dubito: nec Te juſtâ ejus libertate offenſum iri, ſpero. Nos qui tanti certaminis ſpectatores erimus, victoriam veritati graviſſimorum Virorum judicio, gratulabimur. Non dubito eum libri ſui, mox lucem viſuri, copiam Clariſſimo Bullialdo vel fortè etiam Tibi ipſi, facturum. De tuis, quæ mihi deſtinaſti, in elaborandis ſpecillis vice tuborum adhibendis & juvandis, ſi rectè video, cæleſtibus viſoribus, occupata, gratias Tibi ago. Spero me ea, curante Clariſſimo Bullialdo, ubi commodum fuerit, accepturum. Tibi verò ut pluria ejuſdem generis uſibus humanis apta in medium proferas, meliorem valetudinem precor, quò poſtquam hæc à morbo confirmata redierit, Tu quoque ad inchoatos labores redeas. Gratum mihi denique eſt Te obſervationes ſingulares beneficio Specillorum Tuorum de Luna factas mecum communicare velle. Mitte mihi figuras Obſervationum iſtarum accuratè delineatas, quas ego æri affabrè incidi, & his, quæ invicem communicamus addita, operi meo inſeri curabo.

Auzutio Auctor obſervat. Hugen. & quædam de Auzutio ſcripta à Schotto ſibi communicata mittit.

En Tibi obſervationum Hugenianarum ſumma capita. Quæ, quia libro meo inſerentur, nolim fieri communia. Cum vero ei inſerta & hæc ſint, quæ vides, mihi ab Humaniſſimo Schotto miſſa, in quibus & Tui mentio facta eſt, mone ſi quid in eis correctum videre velis. Nollem à me ullam officii, quod amicis debeo, partem negligi. Qua in re ſi ab eis monear, grato animo fero. Unum addo: Amicos Hollandos in edendo opere meo diligenter pergere. Tu, Vir Clariſſime, hiſce meis conatibus mihique ipſi conſtanter fave.

XXX. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXX.

COMMUNICATIO LUTETIA-PARISIORUM-MENAGIANA.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 19. *Septemb.* 1665.

Viro Illuſtri, Clariſſimo & Humaniſſimo

ÆGIDIO MENAGIO,

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ S.P.D.

NOn eſt mihi, ut puto, operoſè refricanda veteris amicitiæ noſtræ, Andibus, Doctiſſimo illo Polycarpo Sengebero parario, conciliatæ, Pariſiis firmatæ, memoria. Quod quidem in promtu, ſed minus neceſſarium eſt. Nec fortè ſatis conveniens foret ſolicitè id agere legum amicitiæ, humanitatis, Tuæque ſingularis comitatis memorem. Quanti Te faciam, Clariſſimi Viri Nicolaus Heinſius, ut puto, & Bullialdus Veſter, quod ſcio, communes utriuſque noſtrûm Amici, Tibi indicârint. Magni Te æſtimat, me & Heinſio indice Illuſtriſſimus Rautenſteinius, Vir non minus literis & virtute quàm dignitate Conſiliarii & Legati Neoburgici Ratiſbonæ ſplendidiſſimâ conſpicuus. Sed dabit aliquando debitum ut amicitiæ noſtræ, ita & præclaris Tuis meritis teſtimonium orbi literato & futuræ ætati opus, quod occaſione nuperorum Cometarum, hortatu & impulſu Amicorum ac ſtudio boni publici molior, Mathematicum, Phyſicum, Politicum, Hiſtoricum, Chronologicum, Ethicum & Oeconomicum, ſi Deus illud abſolvere dabit. Non quidem ei univerſam Philoſophiam, ut ille Homerum nuci, includere, verumtamen multas ejus præſtantes & in vita civili magis utiles partes includere animus eſt: quantum quidem per alia negocia licet, quibus me ſortis & vitæ ratio alligavit. Huic ut non tantùm ipſe pro egregio Tuo in literas & earum ſtudioſos ſtudio, faveas, ſed & fautores pares, per amicitiæ & æquitatis jura oro & obſecro. Quod ſi verò in opus noſtrum felix & dives ingenii Tui vena Philoſopho dignam ſymbolam, qualemcunque in tàm multiplici argumento elegeris, mittat, erit quo nomine mihi gratuler, ut Menagium, tot meritis in Republica literaria præſtantiſſimum in Senatu, ut ſic dicam, Philoſophico, Rautenſteiniis, Heinſiis, Heveliis, Bullialdis, Bartholinis, Ricciolis, Kircheris, Schottis, Curtiis, totque aliis aſſidentem videam. Vale literarum & literatorum ſuave delicium, & Amicos Andibus & Lutetiæ Pariſiorum ſuperſtites, inprimis Ampliſſimos & Humaniſſimos Fratres Tuos, meo nomine ſaluta.

Menagius jam diu Auctori amicus. Polycarpi Sengeberi elogium.

Menagium meritò magni facit Auctor.

Rautenſteinii encomium.

Menagio operis inſtituti rationem Auctor proponit:

Ab eodem ſymbolam operi inſerendam poſtulat: Ejus meritis debitum teſtimonium dat.

Lutetia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Lutetiæ Pariſiorum die 16 *Febr.* 1666.

Menagius Auctori humaniſſimum reſponſum dat:

PLurimum Tibi eo nomine debeo, quòd volueris mihi dare indicia literis Tuis expreſſa, Te mei memorem eſſe, & amicitiam mecum initam conſervare. Honori duco quòd me literis Tuis compellâris, & credas velim, in nullum Te id officii conferre unquam poſſe, qui majori cum gaudio hunc honorem ſibi haberi agnoſcat, quàm ego. Multum etiam debeo Illuſt. D. Rautenſteinio, ideò quòd tàm præclarè de meis ſtudiis ſentiat, & cum Tu ei hanc de me opinionem inſpirâris, eo ipſo vis ut me ad Te conferam Teque rogem, quò ei teſteris me grato animo tantam benevolentiam proſequi, eumque orare, quò me amicis ſuis adnumeret ſuæque gratiæ participem reddat. Libenter videbo Tuum tractatum de Cometis, & credas velim, me eum æſtimare ut par eſt. Certus ſum Te non oblitum ibi eſſe libri Chærephontis Philoſophi Stoici, in quo is pluribus exemplis ex antiquis hiſtoriis deſumtis demonſtrâvit, ſæpiſſimè Cometas nihil funeſti præſagiviſſe. Origenes facit mentionem iſtius Tractatûs in primo libro contra Celſum. Meminerunt hujus Chærephontis Martialis, Porphyrius, Euſebius & alii. Rogo ut continuam amicitiam mihi conſerves, & certa fide dicenti credas, me ſemper, ut par eſt, Tuam amicitiam æſtimaturum, & omni ſtudio fore Nobiliſſime Domine

Se per eum Rautenſteinio commendari petit:

Inſtituto Auctoris favet: Eique ſententiam Chærephontis de Cometarum ſignificatione indifferenti commendat,

Chærephon unus de veteribus Philoſophis.

Tibi addictiſſimum

MENAGIUM.

A Paris ce 16 Fevr. 1666.

JE *Vous ſuis infinement obligé des marques qu'il Vous a plû me donner de Voſtre ſouvenir & de Voſtre amitié, par la lettre que Vous m'avéz fait l'honneur de m'eſcrire : Et je Vous prie de croire, Monſieur, que Vous ne ſçauriéz jamais en obliger perſonne, qui les reçoive avec plus de joye que moy. Je ſuis auſſy tres-obligé à Monſieur Rautenſtein des ſentimens avantageux qu'il a de mes eſtudes: & comme c'eſt Vous, Monſieur, qui les lui avéz inſpiré, Vous vouléz bien que je m'adreſſe à Vous pour Vous ſupplier de lui en teſmoigner ma reconnoiſſance, & de luy demander pour moy quelque part dans ſes bonnes graces. Je verray volontiers Voſtre Traicté des Cometes; & Vous ne devéz pas douter que je ne l'eſtime comme je dois. Vous n'auréz pas oublié, je m'aſſeure, à y parler de celuy de Charephon le Stoicien, dàns lequel il faiſoit voir par pluſieurs exemples tirés des anciennes hiſtoires, que les Cometes tres ſouvent ne preſageoyent aucune choſe funeſte. Origene fait mention de ce Traicté dàns ſon premier livre contre Celſus; & il eſt mention de ce Chærephon dans Martial, dans Porphyre, dans Euſebe & ailleurs. Je Vous demande toûjours la continuation de Voſtre amitié, & je Vous conjure de croire, que je ſuis toûjours, comme je dois avec toute ſorte d'eſtime & de paſſion Monſieur*

Voſtre tres-humble & tres-obeyſſant Serviteur

MENAGE.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 27. *Februarii* 1666.

Menagium Auctor de conſtanti ſua benevolentia certum eſſe jubet:

Meritis ejus (ut & Rautenſteinianis) debitum teſtimonium reddit,

Operis ſui rationem ulterius ei reddit.

EX quo literas Tuas priſtini affectûs & officii plenas accepi, è veſtigio perfuſus gaudio manu arripio calamum, quo gratiſſimis Tuis, licet breviſſimis, reſpondeam: ſimul autem affectui Tuo, quem nihilò immutatum à priſtino illo perſpexi. De mea ſincera erga Te benevolentia velim nunquam dubites, imo eam, ſi qua in re mea opera Tibi uſui eſſe poteſt, experiàre. Illuſtriſſimum Legatum Neoburgicum Dominum Rautenſteinium Tibi Tuiſque ſtudiis amœnis favere, non eſt mirum. Quiſque enim vel paulum humanus id faciat oportet. Tanto magis Vir ille conſentiente omnium proborum judicio humaniſſimus. Quòd vero Tu etiam meis ſtudiis faveas, pergratum mihi eſt. Progredior in opere ſatis grandi, arduo & moleſto: inter continuas præſertim occupationes quæ me aliò vocant. Quæ parata ſunt relego, recognitaque, opere

opere ferè tumultuario, qui mos feſtinantium & occupatorum eſt, ad Batavos prelo ſubjicienda mitto. Hiſtoriam vero Cometicam & quodammodo Univerſalem, ſed compendiariò, ſelectiora ſcilicet & ad rem pertinentia colligendo, pertexo. Cometæ mei, ſed & totius operis non aliud eſt ſymbolum quam hoc: BONA BONIS, MALA MALIS. Hoc ſi Tu qua polles ingenii divite vena, epigrammate commendare volueris, rem bonis facies gratam, malis, ut ſpero, utilem. Originis illum locum jam dudum operi meo inſerui, ſententiamque Chæremonis (ita enim ibi ab Origene vocatur: ſcio tamen Suidam & alios Auctores Chærephontis meminiſſe ut & Chæremonis) aſſerui. Ut verò videas me illum Origenis locum cum cura legiſſe, adſcribam hîc Tibi ea quæ Vir Doctiſſimus David Hoeſchelius ad ea annotavit. Ἐσθ' ὅτε καὶ ἐπὶ χρηστοῖς ἐσομένοις Κομῆται ἀνέλαν.] Non rectè igitur parœmiæ illi οὐδεὶς Κομήτης ὅστις οὐ adjectum eſt hoc acroteleution à Joachimo Camerario κακὸν φέρει, niſi accipiamus ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, quum hujus tot exempla ſuppetant] Sed & in textu ad marginem legimus: ὅτι πολλάκις Κομῆται χρεστὰ προσημαίνουσιν. Scio quidem Tibi hæc nota eſſe. Scio pariter experientiâ teſte aſſiduâ, ſive adſint ſive abſint Cometæ, illud antiquum Homeri admodum ſcitum eſſe:

Symbolum Cometæ & operis ſui epigrammate ab eo commendari cupit.

Chærephon & Chæremon.

Davidis Hoeſchelii encomium & ſententia de Cometis.

Cometæ etiam bona ſignificant

Bona malis miſta.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα,
Πολλὰ δὲ λυγρά.

Volui tamen hæc pro jure amicitiæ apud Te, tanquam meæ de Cometarum ſignificatione indifferenti & perpetua rerum viciſſitudine, ac conſtanti inconſtantia ſententiæ argumenta proferre. Tu ſi pluria dederis, rem Te dignam, mihi gratam, publico utilem feceris. Ut amicos omnes, etiam Andegavenſes, cumprimis Humaniſſimum Clementem Gauld, Profeſſorem Theologiæ in illa Univerſitate, meo nomine plurimum ſalutes, etiam atque etiam rogo. Velim quoque me de eorum vita, valetudine, fortuna, niſi grave ſit, reddas certiorem. Ecce verò dum hæc ſcribo, literas accipio à Clariſſimo Heinſio, qui me aſſiduo literarum ſuarum dignatur commercio. Hunc communem utriuſque noſtrûm Amicum benè divinâ gratiâ valere, feliciter agere, & ſua poëmata nuperrimè typographo Batavo imprimenda tradidiſſe, indicandum Tibi eſſe duxi. Niſi fortè addendum ſit, Oratorem Veſtrum Dandillæum Pomponium Holmiam die 16. Febr. veniſſe, & ab Heinſio, ut Virum humanitate & prudentiâ inſtructum commendari. Vale Vir Humaniſſime & eximie.

Clementis Gauld elogium.

Heinſii poëmata.

Dandillæus Pomponius laudatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXXI.

COMMUNICATIO ROTERODAMO-GRUTERIANA.

Hamburgo Roterodamum die 4. Auguſti Gregor. 1665.

Clariſſimo & Doctiſſimo Viro

ISAACO GRUTERO
STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ S. P. D.

QUanto rationum firmarum paratu feliciſſimus philoſophiæ practicæ Magiſter Plutarchus nec malis, quò ſtudia & mores corrigant, nec bonis imprimis, quò exemplo excitent alios ad virtutes & literas, latendum eſſe evincat, noſti. Ego ne cum iis, quæ vel ad me vel etiam à me de argumento Cometico aliiſque ei adnexis ſcripta ſunt, intra privatos fidelis ſilentii parietes lateam, ſed potius in publicum prodeam, cumprimis Illuſtriſſimus Rautenſteinius, communis utriuſque noſtrûm amicus & Fautor, effecit. Atque is ipſe, credo, eſt, per quem Tibi innotui, & cujus commendatio, quam mediocribus meis ſtudiis plenâ menſurâ tribuit, ut adeò liberale judicium in Tuis ad eum prid. Id. Jul. datis de me faceres, & tàm amplas ſpes de meis conatibus conciperes, effecit. Novi enim quanta tùm eloquentiâ politâ, tùm humanitate, & in amicos benevolentiâ, ſed & quanto in publica rei ut literariæ, ita & Chriſtianæ commoda ſtudio valeat Vir ille omni laudis genere excellentiſſimus. Jam olim ille mihi egregias animi Tui & ingenii dotes (ab aliquot nempe annis, poſtquam in Pomerania & Pruſſia notitiam & familiaritatem felici ſidere contraximus, jura amicitiæ & commercium literarum ſtrenuè colimus) commendavit, & multæ Tuæ eruditionis ſpecimina pro jure neceſſitudinis mecum communicavit. Atque hæc me ſatis blandè ad Te literis adeundum invitabant. Nolui tamen in Tua tempora, gravioribus devota ſtudiis (inter quæ Magni Grotii ſcripta quædam Tibi eſſe curæ gaudeo, quænam verò illa ſint, ſcire ex Te aveo) peccare. Aſt nunc non tantùm honorifica, ſed & meritorum meorum (quæ quàm exigua ſint, probè mihi conſcius ſum) menſuram excedente mei in Tuis ad Amicum illum literis mentione, vel invitum ad Te compellandum impelleres, vi illâ humanitatis gratâ. Parce itaque, Vir Doctiſſime, extemporali, ut vides, tempore ſcilicet præcipitante, ſcriptioni, quâ volui meo in Te officio defungi, quamvis parcam tempori variis diſtractus laboribus. Quos inter & illi ſunt, quos componendo noto jam Tibi operi meo impendo. De quo, ne ſis recentiorum ignarus, paucis accipe, ut Tibi aliquantum tantæ exſpectationis conſtet ratio. Multa mecum de argumento Cometico communicarunt Clariſſimi noſtræ ætatis Mathematici, Hevelius, Bullialdus, Bartholinus, Leuneſchloſſius, Placentinus, Büthnerus, Gravius & alii, ſed & cele-

Plutarchi latus.

Latendum nec malis nec bonis.

Latere cur Auctor cum collectaneis de Cometis non potuerit.

Rautenſteinii merita celebrat Auctor.

Grotiana quædam ſcripta Gruterus collegit.

Grutero accuratam inſtituti operis rationem Auctor exponit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

celeberrimi Jeſuitas inter Philoſophi Curtius, Kircherus, Schottus & Ricciolius, (qui ut poſtremæ ejus literæ, ipſis Idibus Juliis Bononiâ datæ, me docuerunt, cum pertinaci morbo ad vitæ periculum conflictabatur, ideò & mihi ferè ultimum dicebat Vale) quæ profectò & varietate & induſtriâ meritò ſe commendant. Ut taceam quæ ab aliis Viris doctis hâc in Urbe, & alibi agentibus, accepi. Acceſſerunt plurima à noſtro illo tàm caro capite, tùm & Veſtrate Nicolao Heinſio, utroque non tantùm politiori eruditione ſed & tantis dignitatibus muneribuſque publicis & virtutum laudibus præſtantiſſimo & omnibus bonis commendatiſſimo. Sed iſti Politica tractant. Illi aliique Mathematica & Phyſica: quidam etiam Hiſtorica, Chronologica & Ethica tangunt, me ut plurimùm dante, quandoque tamen & accipiente, occaſionem. Atque ita opus in juſtum excrevit volumen, quod promittit Speculum Mathematicum, Phyſicum, Politicum, Hiſtoricum, Chronologicum, Ethicum & Mantiſſæ vice Hiſtoriam Cometarum à condito Mundo ad hunc annum, cum brevi indiculo non tantùm triſtium, ſed & lætorum eventuum eos ſecutorum. Hiſtoriam ideò mihi percurrendam ſuſcepi, quia nondum vidi à quoquam Cometas omnes ſimul eſſe annotatos. Ricciolius putat 154. Alſtedius 160. Eckſtormius 200. circiter. Ego ſpero me ccc. numerum conflaturum, ſaltem ei appropinquaturum. Semeſtres Alſtedius notat binos, totidem Eckſtormius, Ricciolius tres, Hevelius 4. ego jam octo inveſtigavi. Indiculum verò ſubjiciam, ut exuam Cometas triſtium lætorumque prænuncios vulgari illa infamiæ veſte. Id conſilii Tibi quoque aperio, ut, ſi fortè illud, quod ſpero, probaveris, me in hoc inſtituto juves. Quos Annales Bojorum (ut ad alia tranſeam) deſideres legere in literis ad Illuſtriſſimum Rautenſteinium, neſcio. Ego quidem ei commendavi, inter optimos, quos habemus, ſcriptores ponendum Aventinum, qui Ratiſbonæ vixit & ſepultus eſt, ut aliis præſtantibus Viris, ita & Tuo Magno Eraſmo (cujus utinam locum dignè impleas, ſicut domicilium eruditionis & induſtriæ ejus inhabitas!) multum laudatum Hevelianum Prodromum Cometicum, Te jam vidiſſe credo. Egregius eſt liber, & maximi Operis prænuncius. Non ego tantùm judico, qui hic nullus ferè ſum, ſed & alios ὁμοτέχνους (ejuſdem artis gnaros) judicare ſcio, Virum illum incomparabili orbium cæleſtium notitiâ, & irrequietâ diligentiâ omnes ſuperaſſe ſui ſimiles, nec dubitandum eſt, in genere ſuo excellentiſſimum eſſe. Sed abrumpere me jubet tempus. Vale & amicitiæ leges unà mecum ſubi.

Rautenſteinius laudatur. Heinſius laudatur.

Hiſtoriam Cometarum ſcribendam ſibi Auctor proponit.

Cometarum catalogus.

Annales Bojorum Aventini commendantur.

Hevelii Prodromus Cometicus, & ille ipſe laudatur.

Roterodami ex Eraſmiano Hamburgum die 8. Sept. 1665.

Nobiliſſimo & Generoſiſſimo Doctiſſimoque Viro

STANISLAO LUBIENIETZIO de LUBIENIETZ
Equiti Polono S. P. D.

ISAACUS GRUTERUS.

Gruterus Auctoris literas habuit acceptiſſimas: Laboribus Scholaſticis brevitatem literarum excuſat.

Benevolentia benevolentiam, ut magnes ferrum, trahit.

Amicitias facilis & officioſus parat.

LIteræ Tuæ, quas alte omnis vitæ urbanioris polities imbuit, & eruditio adſperſit elegantiæ latinæ floribus, ferè eo mihi tempore redditæ, in quod ſolemnes Gymnaſii noſtri curæ recurrunt, & ad pluſculos continuè dies pertinaciter exercere ſolent præfectum, negatô ad alia mentem laxatura digreſſu. Itaque priuſquam in iſta rigidæ Obſervationis demergerer, mox inchoanda, & in ferias liberaliuſque reſpirium deſitura, invaſi paucula momenta iſtis prævia laboribus, raptim defuncturus non reſponſo, ſed illo obſervantiæ teſtimonio, quod patiebatur anguſtia temporis. Cum enim plurimùm debeam humanitati, quæ fores amicitiæ tuæ aperit benigna manu, aut, ut candori edecumatiſſimo loquar convenientius, in ſinum meum Te effundit, heroicâ ſpectandum indole, ſentio exigi plenius demenſum ſtudii, quo virtutes rariſſimas &

aurei

aurei ſæculi amplectar religioſiſſime. Nunc obſidem iſtius diligentiæ & æſtimationis hunc præmitto, & neceſſitati ad alia me vocanti eouſque morem gero, ut tui pretio nihil detraxiſſe videatur ſilentium, ſi exſpectaſſem laxius otium & iſtis officiis accommodatum, quæ non perfunctoriè tractanda. Accedit oblata materies epiſtolici ad multa diverticuli: quæ ut exercendis glorioſè ingeniis ſepoſita ſunt, ita turbidas reſpuunt cogitationes ejus, qui ad ſingula emendatius perſcribenda pedem figet, ut diu literariis ſuaviſſimarum meditationum deliciis immoretur, nec cùm cane ad Nilum prægustet oblectamenta non faſtidioſè habenda, & utinam ſæpius reditura per apertam à Nobiliſſimo & Eruditiſſimo Viro hujus commercii viam. Vale, & ſcito invitum me avelli à porrò contexendis, ad quæ fuſiùs enarranda vocat me argumentum eximium epiſtolæ omnibus ſui partibus gratiſſimum, ſi eam patiaris demi, quæ præter æſtimationem celebrium ingeniorum quidquam commendat in noſtra tenuitate, & ab Excellenti Rautenſteinio tranſfuſam arguit amabilis contagii labem. Cætera in ſuam digerendo ſeriem brevi exſpecta, ubi exſolvero me bis per ſingulos annos redeuntibus aliquot dierum tricis, quas reddenda præfecturæ meæ ratio ſecum fert.

Reſponſo, licet brevi, officii partes imple.

Officia amicitiæ diligenter tractа.

Feſtinanter ſeria & gravia non agenda.

Hamburgo Roterodamum die 25. Septemb. Gregoriani 1665.

INſignem humanitatem, quàm antea in Tuis literis ad Illuſtriſſimum Rautenſteinium ſcriptis toties vidi, in Tuis nuperis ad me ante paucos dies perlatis pariter video, ita ut perfectius exemplar ejus vivum quærere neceſſe non habeam. Licet verò tempore excluſus & curis Scholaſticis tunc diſtractus fueris, ſatis tamen latè eam, velut in patenti campo, explicuiſti. Cum autem plura promittas, his Te pauculis prævenire volui, ne grandi ære Tibi obſtringar, nunc utcunque, ſcilicet ut potui, non ut volui debuique, has extemporales literulas ad Te dando, officio mutuo defunctus, adjuncto ferè integro literarum, nudius tertius ad Reverendum & Doctiſſimum Virum Albertum Curtium ſcriptarum exemplo, ſed eâ lege, ut mihi liberè quid de toto hoc ſcripto judices, exponas, & jure amici veri in me, ubicunque opus fuerit, monendo, utaris. Vale.

Gruteri humanitatem Auctor celebrat.

Extemporalis ſcriptio potior ſilentio.

Auctor literas 23. Sept. 1665. ad Curtium ſcriptas Gruteri judicio ſubmittit.

Roterodamo Hamburgum die 12. Octobris 1665.

SI quantum glorior ſanctiori neceſſitudine, quæ Muſis auſpicibus animos devincit, tuo Vir Nobiliſſime, nuper me quoque complexa beneficio, tantùm faviſſet fortuna in concilianda æſtimationi teſtandæ gratiâ celeritatis, pridem honorificæ invitationi ad Sacra coaliturae optimis avibus amicitiæ repoſuiſſem obſides, ſequioris exiſtimationis minimè ſuſpectos. Sed deſiderio ad exhibenda iſtius fœderis pignora incitatiſſimo obſtacula ex obliquo injecta ſunt; dolente me occaſionem perire maturius expromendi officia tantæ debita humanitati & doctrinæ. Prævіſas enim tarditatis excuſatæ (ſi prodromum meum per varias oberraturum manus juverint Dii viales ut deſtinatione noſtra non exciderit) cauſas cumularunt alia nullius in anteceſſum deprehendenda ſagacitate. Ita nunc demùm accingi datur ad reſponſum, tenui velut præludio libatum, inter occupationes ad ſtatum recurrentes tempus, & interponendæ moræ non patienter juſta pertinacia. Benè ſit excellentiſſimo parario, qui ut interiore literarum elegantiâ validus eſt, ita benevolentiæ ſuæ propagines mihi procurat ampliſſimas, etiam tuæ familiaritatis conciliator fælix: quæ ſuſpiciendas doctrinæ opes rarioris promittit, ſi cælo propitio pertexere liceat quod carceres ferè mordet opus. Nos in humili jubent morari & fortuna & ingenioli anguſtiæ, ad grandia quidem & benignæ poſteritatis fauſtum promeritum judicium non aſſurgentis, ſed quod mirari & venerari non malignè didicit dotes, omnium temporum

Amicitiam ſtudia humaniora conciliant.

Propoſita bona inveniunt ſua impedimenta.

Rautenſteinius amicitiæ inter Gruterum & Auctorem contractæ pararius.

Gruterus inſtituto Auctoris favet,

Modeſtè de ſe ſentit.

Grotianas epiſtolas ad Viros doctos, exceptis Gallis, ſcriptas Gruterus colligit.

temporum memoriæ inſerendas. Grotiana penes me nihil aliud ſunt præter literas ad omnium gentium eruditos exceptis Gallis: cum ad eos Serravius, Parlamento Pariſienſi haud inficiandum nomen, ſuam ediderit peculiari libro collectionem. Si habere potes, quo noſtra augeatur poſſeſſio, non decoquam ingratus beneficium publicè futurus memor, per quem conatus meus profecerit. Ubi deſævierit Anglicani belli tempeſtas, quod totius Europæ turbat commercia, latè ſparſis inter ipſos confligentes miſeriis; ut claſſica Batavis prælis otium ferè indicant. Deus utrique genti pacem reddat, omnibus votis expetendam, quos ea jungit vicinia locorum, præter communia religionis ſacra. Inſtitutum tuum video & diffuſæ domeſtica ſupellectile lectionis & à præclaris Viris comportatâ ſic inſtrui, ut à mea tenuitate nihil queat ſperare ſubſidii, ſolo proſequendum applauſu, ut tandem tractatus prodeat omnibus ſui partibus in quas ſtilum extendere cœpiſti feliciter, abſolutus. Carmen offerrem, devotum Tibi animum teſtaturus, niſi pauperies Poëtica reprimeret impetum, fors temerè ebullientem, ubi magnis nominibus tantùm debetur locus, & ex merito in æternitatem ſociâ tecum famâ tranſituris. Annales Bojorum novitio Scriptore, cujus excidit nomen, commendaverat mihi Nobiliſſimus Rautenſteinius: ex promiſſo noſtratis Bibliopolæ, ſi non fefellerit, legendos. Aventinum in pluteis meis deſiderari, pridem dolui, & fruſtra: ſæpè curis meis illudente eventu, ubi per vicarios tentanda fuit auctionarii fori fortuna, territos quorundam in iſto conflictu audaciâ ex unctioribus loculis. Vereor ne prolixitate offendam, ſtudiis in iſtum Cometologiæ Tuæ circuitum ſparſis moleſtâ: ſpe tamen impetrandæ ab humanitate ſumma veniæ, addo ſequentia triſtis deponenda auribus, & fideli obſignando ſilentio &c. Hevelianæ Cometologiæ Prodromum, qui ex prælo Janſoniano & repetitâ editione ante aliquot mihi hebdomadas promiſſus exſpectatur cum Notis neſcio cujus, ut volebat auctor mihi idoneus, necdum vidi, cum tamen in partu eſſe diceretur, mendace ſæpè typothecarum gente. Vale & inter virtutum Tuarum cultores locus mihi ſit vel infimus, certaturo vel cum primis flagranti candidiſſimæ æmulationis ſtudio.

Belli Anglicani mala orbi gravia.

Anglis & Hollandis pax convenit.

Gruterus inſtituto Auctoris favet:

Modeſtè de ſe ſentit:

Carere ſe adhuc Aventino dolet:

De nova Prodromi Cometici Heveliani editione meditata à quopiam Auctorem monet.

Hamburgo Roterodamum die 3. *Novembris Gregoriani* 1665.

Literarum commercium jucundum & utile.

Cometici argumenti occaſione Auctor Viros doctos literis adit.

Viciſſitudo rerum in orbe perpetua.

NEceſſitudinis literariæ nexu me Tibi devinctum eſſe ſummoperè mihi gratulor: eodemque me & aliis multis Viris Præſtantiſſimis, id eſt, Tui ſimilibus, hâc præcipuè argumenti Cometici occaſione, junctum eſſe gaudeo. Næ bono omine crinita illa ſidera affulſerunt, quòd mihi bonarum artium ſtudioſo ad tot Viros egregios & prorſus eximios, non tantùm viam monſtrârint, ſed & facem prætulerint. Hanc ideò triſtem & atram ego hactenus non dixero. Sed nec aliàs ſemper. Noſti enim me Cometæ comites, rerum eventus gaudii & mœſtitiæ ambiguos, monſtrare. Furit ab ortu ejus, fateor, hîc peſtis, illîc gladius. Sed novimus hunc jam ante ex curvis quoque falcibus conflatum, exacutum, in roſtri mucronati formam faſtigiatum & vibratum eſſe. Nonne verò ſimul hîc pacem conventam, ibi fœdus percuſſum, illîc natalem lætum, meliorum aëris, valetudinis, rerum conſtitutionem aliaque ſecunda his & illis gratulamur? Ergo mihi, adhuc quidem, nec per omnia

Infeſtam facem pandit Cometa.

Reges & Regna ſine Cometis cadunt.

Cometis multa falſò imputantur à pleriſque.

Citrà hunc heu! multa Regum Regnorumque vidimus funera, perpetuæ rerum humanarum viciſſitudinis & fragilitatis, divinæque ordinationis ſapientiſſimæ & juſtiſſimæ poteſtatis inexſuperabilia documenta. Hoc qui negant, homines ſe eſſe & in orbe mobili ſe vivere, parum meminerunt iniqui odii faces cæleſtibus illis opponentes. Habent firmum ſequioris cauſſæ præſidium, non

tantùm

tantùm perpetuum omnium ferè gentium conſenſum (qui tamen adverſus veritatem non præſcribit, nec præſcribere jure poteſt) ſed & religioſi metûs mentibus hominum incutiendi propoſitum. At firmius longè, imò triplici ære munitum videtur, non excuſſo illo animis mortalium metu, vitiorum freno, veræ libertatis ſcuto, beatæque ſpei galeâ, facilia pectora ad virtutem firmare. Huic enim deditus

Veritas conſuetudine, etiam inveteratâ, potior.
Timor Dei ſit pro vitiorum freno.
Spes, velut galea, corda pia munit.

Hos ſucceſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.

Deſperandum nil virtutis amantibus.

Is & ſtudii à Deo ad virtutem amplectendam conceſſi, & officii ad eam ſequendam injuncti, tùm & auxilii ad retinendam promiſſi conſcius, tùm verò etiam præmii largiſſimi certus, mortalia temnit, tàm blandimenta, quam irarum & furoris terricula, intrà ſe reputans vel luci dicens:

Libertatis & induſtriæ humanæ ac divinæ gratiæ Societas pia, utilis.

- - - - - - - - Vado ducente Deo
Flammas inter & hoſtes, dant tela locum
Flammæque recedunt.

Huic non tantùm læva omina & adverſa, quæ multos frangunt, ſed & læta proſperaque, quæ plures ſolvunt, benè ſemper, imò vertunt optimè. At contrà

Bonis omnia in bonum.

Si malus aut nequam eſt, malè res vertunt quas agit,

Mali bonis etiam abutuntur.

vel quas ſaltem videt. De his quæ ſit Tua mens, me mone, admone etiam officii, ubi opus eſt. Invenies acceſſu facilem, perſuadendæ verò veritatis & virtutis etiam facillimum. Tarditatem literarum Tuarum æquitas excuſat: abſentiam dubio procul accuſaret, omnique privaret patrocinio, ubi de Virtute & Republica ſermo eſt. Nullus hîc effugiis locus, quæ utraque illarum inſident. Oberrent Tuæ literæ, quantum per loci conditionem licet, & quantum turbidi temporis iniquitati libet; at non aberrent. Ibi nunquam perdent gratiam, quod ſat benè, quia meum in Te ſtudium certò, novi. Hîc perderent ſecum egregiæ & ad bonas artes erectæ induſtriæ monumentum. Omen itaque ſiniſtrum prohibeat Deus, viarum & virtutis cuſtos! Tua iſta curioſæ benevolentiæ præludia magnum quid mihi de Tuâ in hoc laudabili humanitatis certamine induſtriâ pollicentur. Hanc in eo quoque exeras velim, ne gaudia noſtra moreris, neve ſpem in longum extrahas. Exemplum meæ ad Curtium epiſtolæ jam acceperis. Judicium de hac Tuum opperiar, tantæ eruditionis & benevolentiæ experimentum. Hoc ſi impetro, invitabis me, ut plura ejus notæ ſubmittam. Tunc demum vota noſtra optatum conſequentur gaudii apicem, & tàm Illuſtri parario utrique noſtrûm conjunctiſſimo & amiciſſimo, qui me talem Tibi Teque mihi fecit, ampliſſimas agam gratias, permultis alioqui nominibus ei devinctus. Me quoque premit & altiora petere prohibet fortunæ gravitas. Sed & illa ingenii parvitas mediocribus contentum vivere jubet. Cum amicis αὐτοσχεδιασί per epiſtolas bonæ mentis internuncias colloqui, & extemporali, familiaribus epiſtolis aptâ dictione, apud eos uti ſoleo. In qua quæ jurè deſiderantur ab illis, excuſabit æqua eorum benevolentia: quæ ab aliis, mea apud eos publicæ rei utcunque juvandæ dedita opera. Amicorum feſtivas acclamationes ambitioſè non quæro. Produnt ſe hîc jam clariſſimæ voces, Rautenſteiniana & Heinſiana. Tàm illuſtribus nominibus ſociari integrum Tibi eſto. Nondum viſas Magni Grotii literas Te in unum colligere inſtituiſſe ſummoperè Tibi & publico gratulor. Digni hi Phœnicis ingeniorum fœtus tanto Curatore. Epiſtolas ejus habet plures, & originales quidem, Martinus Ruarus, inſtitutioni trium filiorum meorum præfectus, feliciter ad Parentis ſui τοῦ μακαρείτου, cui eſt cognominis, magnam exiſtimationem contendens, ad Parentem ſuum (cujus etiam epiſtolarum hujus generis plures centurias luci aliquando committendas, aſſervat) ex hac urbe & Lutetiâ, ſcriptas. Illas ad Joannem

Officii te admoneri patere.
Veritatem & virtutem ſupra omnia cole.
Epiſtolas Virorum doctorum & proborum, ut par eſt, æſtima.
Deo precibus cuncta commenda.
Humanitatis certamen exerce.
Celeritatem diligentiæ tempeſtivè adjunge.
Rautenſteinii amicitiam & merita Auctor celebrat gratus.
Epiſtolæ & ſermonis familiaris verba facilia ſunto.
Amici conatibus fave.
Ambitio vitanda.
Carmina gratulatoria ab Amicis Auctori oblata.
Grotii epiſtolæ ad Martinum Ruarum & Joan. Crellium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Joan Crellius pater & filius.

Joannem Crellium pariter τὸν μακαρίτην apud filium hujus, generum illius Amſterodami invenies. Harum exempla à me facilè impetrabis, ut & illarum à Crellio patri ὁμωνύμῳ, ſi rectè eum novi. Sed an Tu multis exoſa nomina Grotianis inſeri velis, illud eſt, de quo addubitare licet. Etſi multa ibi Philologica, Hiſtorica & Politica tractentur, alicubi tamen & controverſa de rebus fidei tangantur. Opto, ut tàm atrox belli Anglicani tempeſtas pace fida commutetur, nec amplius ubique bonis conatibus reſiſtat. Illuſtriſſimus Rautenſteinius noſter Brunneri opus de virtute & fortuna Boica nuper editum, Tibi, credo, commendavit. Sed & ego Aventini Annales Bojorum Tibi iterum iterumque commendo, etſi Auctor ille ſatis jam Tibi ſit commendatus, & de meliore, ut dici ſolet, nota. Si quid veri ſubſit illi de nova editione eaque notis aucta Prodromi Cometici Heveliani, mox ex Tuis, ut ſpero, cognoſcam. Vale, Vir Doctiſſime, Teque inter præcipuos virtutis & ſolidæ eruditionis cultores à me habitum iri, nullique pariter affectu ergà Te me ceſſurum, certus eſto.

Bell: Anglicani mala quamprimùm auferri Auctor cupit.

Brunnerus de virtute & fortuna Boica.

Roterodamo Hamburgum die 15. *Novembris* 1665.

Gruterus de Auctoris ad Curtium epiſtola judicium fert benignum.

Sententiæ Auctoris de æqua Cometar. ſignific. favet.

Cometas triſtia, eaque ſola non portendere Gruterus affirmat.

ABundè penſata epiſtolii tui die 25. Septembris exarati brevitas, quod extemporales præcipitarunt anguſtiæ, ex literarum apographo, quas rationum momentis & pondere graves exaraſti ad R. P. Albertum Curtium, fuſius in enucleandum argumentum & indulgentius incumbente calamô. Atque ut animi exertiſſimè benevolentiam ſpirantis ſtricturas compendioſa prodit ſcriptio, ita ad inſtruenda ſolidæ confutationis aciem comparata prolixitas, tanquam Solis radio demonſtrat ingenii vim, digni quod immoretur detrahendis infamiæ, in popularem tranſfuſæ opinionem, & cælo inſcriptæ ex Cometarum ortu, commentis. Qui enim nunquam incitatiorem me ſenſi ex triviali æſtimatione in partem (ut multis videtur) ſequiorem, ſpectatis, quæ cladium prænuntia rutilare putantur, ſideribus; ita lectis tuis, ad rationis trutinam caſtigatis, vix in dubiis plerumque texi ſolitis præſidium video, quo non excutias priſcâ nœniâ ſtreperos. Itaque mihi, non ſervire nato in humanis ſcientiis, nec juranti in magiſtrorum verba, qui ſolâ nixi authoritate regnant, veniam dabunt tenaciores pervulgatæ ſententiæ, ſi nunc poſt diſcuſſiones in tuis ad R. Curtium non leviter adumbratas, ſed multo validas robore, intentior paulo in argumentum Cometicum, quàm hactenus mea patiebatur ἀταραξία* (fortaſſis nimiæ accuſanda ſecuritatis, quod utrimque reducta conſiſteret, Scepticæ ἐποχῇ† affinis maximè) nunquam laceſſere diſſidentes cum aliquo periculo apud ſuperſtitioſulos, ſed intra pellem ſuam quieſcere, neque crabrones irritare ſolita, tecum pronunciem, aſſenſu ad certos redacto terminos: Deum aliquando ex iræ ſuæ armamentario Cometas depromere & oſtentare orbi, pœnarum minis terrendo, quas ſæpè juſta expedit vindicta: & religionis intereſſe ut hoc firmiter teneatur, ne imbecilliorum in ea cauſſa mentes altior penetret offenſio, licentiæque fibula videatur laxari. Cætera, cum & prævios Cometas aliquando ſecuta inſignierint proſpera, maſculè diſputentur extrà populi Theatrum, non admiſcendi Sapientum placitis aliter muniendis, quàm fert trivii captus. Sed qui me primo tui operis guſtu imbuiſti, ſcito accendiſſe deſiderium latiùs excurrendi in campum variâ eruditione florentiſſimum: undè tibi æternitatis lauream texet Cometologia, ſcitiſſimè è multis adornata ſcientiis.

* ſtatus imperturbatus

† retentioni aſſenſûs

Sententiam veram multi Viri docti metu invidiæ premunt.

Sapientum ſententiam à vulgari diverſam eſſe convenit.

Joan. Georg. Grævii Prof. Ultraj. oratio de Cometa nupero varia & iniqua judicia experitur.

Belgarum Theologi pleriq; irritabiles.

Joannes Georgius Grævius, Hiſtoriarum & Eloquentiæ apud Ultrajectinos Profeſſor, de nupero Cometa Orationem habuiſſe dicitur in Academicæ acroaſeos celeberrimâ frequentiâ, Senatui ejus Urbis inſcriptam & editam, variaque expertam judicia, Theologorum infeſta maximè: qui adverſarium acuiſſe ſtilum perhibentur ferociter confodiendæ non mali hominis & exculti literis elegantioribus exiſtimationi: ut apud Belgarum pleroſque irritabilis & præfidenter inſolens eſt natio ſacra & animarum curam profitentium. Si non audita

nec

nec viſa narro, ipſe aliunde nec per obſcuros tamen rumuſculos edoctus, an bona penitùs fide, neſcio; & perſpexiſſe cupias Viri ſententiam, ab inſtituto, ut authores mei volunt, tuo non abludente, faxo geſtias exemplari, non promptè minus quærendo, quàm in tuos uſus accuratiſſimè tranſmittendo: ſi illùc intendenda mihi cura tuo ex juſſu aut libitu. Vale.

Grævii orationem de nupero Cometa Gruterus Auctori, ſi velit, promittit.

Hamburgo Roterodamum die VIII. *Decembris* CIↃIↃCLXV.

JUſto diutius oberravit, vel alicubi obhæſit epiſtola Tua XV. Novemb. Gregor. mihi verò V. Decemb. reddita. Iram tanta mora mereretur, ſi illam hac de cauſſa capere liceret. Diſtulit Cunctator, quiſquis ille eſt, gaudia noſtra, quorum copiam omnis humanitatis plena epiſtola illa Tua attulit. Non perdidit illa tamen gratiam nec valorem apud me, qui ſemper rerum magis momenta, quàm circumſtantias æſtimo. Rem me Tibi gratam, miſſo meæ ad Curtium epiſtolæ exemplo, feciſſe, multum mihi gratulor. Tantò magis quòd qualeſcunque rationes meas, in mediis occupationibus natas, non tantùm boni & æqui conſulueris, ſed & aliquid ad rem facere judicaveris. Spero me medio tutiſſimum iturum. Cometas enim, aliaque ſigna cæleſtia nec temnenda, nec timenda, ſed tamen mente piâ contemplanda, & in argumentum virtutis ducenda eſſe, pro virili probo. Scio pleriſque, & ferè omnibus jam olim, paucos ſi excipias, aliam fuiſſe mentem, pro eademque etiam nunc plures, illud præſertim, quod notas, *genus irritabile vatum*, tamquam pro focis & aris certare. Video, quod majus eſt, eoſdem illis qui vel latum unguem à trita illius opinionis ſemita diſceſſerint, gravem dicam impingere, diem dicere, impietatis accuſare, &, ſi fieri poſſit, igni & aqua interdicere velle. At verò hôc nil eſt iniquius. Non enim ideò ullâ impietatis ſuſpicione onerandi ſunt, qui etſi Cometis & aliis aſtris omnem, minimum illam ad actiones humanæ voluntatis ſe extendentem, operandi vim adimant, eam tamen Deo reverenter tribuant, eundemque illorum auctorem & rectorem venerentur, naturalium rerum curſum non impeditum relinquendo, eidemque & ſiderum ſpeciatim curſum & directionem tribuendo. Adeò nempè proclive eſt inſontes quoque in ſuſpicionem trahere, & bonam eorum exiſtimationem immeritâ criminatione gravare! Ego ſpero ſatis me Tibi mentem meam literis die III. Novemb. datis probaſſe: quas vix credo Te, cum illas Tuas ſcriberes, accepiſſe. Nullam enim earum, nullam & rerum iis contentarum mentionem facis. Auget ſuſpicionem turbulentorum horum temporum conditio. Nolo tamen malè opinari, vel etiam ominari: malo potius benè ſperare, hoc enim longè gratius eſt. Sed & nunc paucis repetere juvat, me nec aſtris omnem vim in inferiora influentem, nec ſpeciatim Cometis triſtium præſignificationem adimere. Scio malis incutiendum eſſe metum, nec vel minimùm laxandam licentiæ fibulam. Sed nec dubito bonis paranda & promenda ſolatia, Cometas autem tàm bonis quàm malis ſpectandos & conſiderandos à Deo omnium Creatore proponi. Non enim ullam juſtam video rationem, ſolis improbis cum tremore, nequaquam verò probis cum gaudio vel ſpe contemplandos monſtrare Cometas. Cum itaque hic Tuam ſententiam ſatis perſpectam habeam, eamque nunc cum mea convenire animadvertam, tantò majori cum fiduciâ Te compellabo:

Serius juſto redditam ſibi Gruteri epiſtolam Auctor queritur.

Amici officium, licet ſerum, grato animo accipe.

Gruterum ſuæ ſententiæ favere Auctor ſibi gratulatur.

Auctoris de Comet. ſignif. ſententia,

A vulgari differt.

Sacer ordo libertati inimicus.

Libertas, licet innoxia, invidiæ & periculo expoſita eſt.

Cometis & aliis aſtris qui omnem, vel ſaltem in mentes humanas operandi vim negant, impii non ſunt.

Spes ſuſpicione potior.

Auctoris media de Cometis & aliis aſtris ſententia.

Cometa ſignum ſupernaturale, doctrinale, bonis maliſque exhibitum.

Gruteri conſenſum Auctor ſibi gratulatur.

> Ἥσυχος ὥσπερ ἐγὼ μέσσην ὁδὸν ἔρχευ ποσσί.
>
> Quietus, ſicut ego, mediam viam ingredere pedibus. Theognis.

Illis quoque meis literis Tibi de carmine gratulatorio, inter facilis benevolentiæ & modeſtiæ tuæ fines verſante, gratias egi. Miſit mihi & Clariſſimus Heinſius Scazontem ſuum in hanc rem. Is etiam de illa Joann. Grævii Oratione jam diu me monuerat. Sed eam hic invenire non potui: quæram tamen adhuc, utpote à Viris tantæ notæ tantoperè commendatam. Libenter enim eam legerem,

Joan. Grævii Orationem commendatam Auctor legere cupit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Sacri ordinis iniquitas. Invidia veritatis & virtutis ſtudium in te non exſtinguat. Irritabiles & implacabiles ſummè acerbi.

rem, utpote genio & inſtituto meo convenientem. Miror autem Virum illum boni commatis tàm acerba malevolorum experiri judicia, ut etiam acutis ſtilis confodere nominis ejus famam velint. Quid putas mihi ab illo hominum genere exſpectandum eſſe? Sed innocentiâ & rectâ conſcientiâ munitum me pectus contra omnia invidiæ tela gerere, certò ſcito: etſi neſcius non ſim homines illos, quod nec Cicero lib. 1. ad Atticum probaret, non tantùm irritabiles, ſed & implacabiles eſſe. Tu Vale &, cum Te mens æqua non deficiat, mihi favere perge.

Roterodamo Hamburgum die 15. Decembris 1665.

Gruterus tardè ſibi ſecundas Auctoris literas redditas queritur. Literæ amicorum ſæpius à bonis Viris malè curantur,

QUi literas tuas reddere ſolet oppidi hujus civis, ea parte notus homo, qua publicè ſpectata commendat probitas & fides, cum traderet Amſtelodamô perlatas, quas Hamburgi dederas 25. Septembris, uſus eſt præfatiunculâ excuſandæ tarditati: cum aliquamdiu jacuiſſe diceret, è qua neſcio conjecturâ apud vaſti emporii inquilinum an civem? aut neglectas, cum nihil inter nos agi putetur, nec perperam, ejus momenti, quod opportunè importuneve urgeat; aut ſepoſitas, donec hùc ſcribendi occaſio, quæ ſerius oblata videtur, eas pateretur dari comites alteris præcipuam operam flagitantibus. Hinc injectus mihi ſcrupulus, nataque ſuſpicio è probabilibus non malè cohærentibus, meis ad te deſtinatis idem evenire poſſe. Quare velim per te moneatur quiſquis eſt iſtius apud Amſtelodamenſes negotii geſtor, ut omni eximat moræ quas mihi inſcribis, neque de levandis mihi impenſis ſollicitus ſit delibatâ celeritatis gratiâ, quæ primas tenet, ubi commeant amicorum deſideria. Hæc intacta nuper tranſmiſi, dum aliò intentionis acies fertur, & velut ſecundis iſta curis ſervata videntur, cùm primas inobſervata fugiſſent. Poſſem quaſi expletô argumento ad clauſulam feſtinare, niſi curſoribus tabellariis ſuperanda locorum intervalla monerent culpandam epiſtolæ brevitatem, longè diſjunctas petituræ terras, & evileſcentis inter iſtas rei leviſſimæ anguſtias. Feres ergò paulò excurrentem fuſiùs in ea, quæ digniora non dico, ſed fore tibi gratiora ſpero.

Magno rei literariæ & oblectationis diſpendio.

Literas breves ſcribere aliquando convenit & opus eſt.

Gruterus carmen gratulatorium, exemplo Rautenſteinii pangit & Auctori mittit, idque triſor me: Modeſtè de ſe loquitur.
** mentis conceptuum*

Excellentiſſimi Legati Rautenſteinii carmen in Cometologiam tuam, hùc ab eo tranſmiſſum, excitavit in me accenditque tamquam afflante Apolline Poëtici conatûs impetum, in verſus diffuſum tribus modis variatos conſtante ferè argumento: ut ingenioli, ſtilum iſtum ardenter licet olim amplexi, cum pubeſcerent quaſi ſtudia Academiæ matura, & poſtea ſub Togatis adoleſcerent Doctoribus, anguſtias ſentiam, eadem oberrantis chordâ, & ſupellectilis iſtius pauperiem: quæ non ſuffecit refingendæ trium ἐννοημάτων * fabriæ. Seu deflagrat ignis, quo adoleſcentia proximaque illi ætas efferbuit, deſtituitque virilem; ſeu amabili inſaniæ cum ſeverioribus pugna eſt, ſuperciliosè interpellantibus, & quæ iſtam humaniorum literarum partem delicatè haberi non patiuntur. Non putari tamen vel infelicibus nata Muſis diſſimulanda: ut cum animum per verba utcunque in metri ſui nexus coaleſcentia candidè pellucentem videris, cætera ex artis & naturæ amica conjuratione æſtimanda, hîc verò notanda utriuſque defectu, æquus Lector excuſes. Vale Vir Amiciſſime.

Gruterus in carmine gratulatorio Auctori offerendo Rautenſteinium ſequitur:

Rationem exercendi literarum cum Auctore commercii ſtabilit,

P. S. Quæ nunc oculis & manu contrectaſti hucuſque progreſſus lector, exaraveram ante aliquot dies & prævenire avidus diligentiam tuam, & qualecunque carminis ſpecimen in Cometologiam Tuam exhibere: cum à Rautenſteiniano carmine recens nonnihil ſenſiſſem transfuſum amicæ contagionis. Sed dum morari jubet excogitanda ratio, qua civi noſtro nihil amplius ex me crearetur moleſtiæ, perferuntur ad nos tuæ: & quas Adamus Francus ſuis comitabatur literis, & quas mihi Dionyſius quidam reddendas curavit, diem ibi lego 1. 11: hîc 15. Decemb. Sed jam per Adamum patefacta eſt via, qua te petam, noſtrate non interpellatô, & præciſâ ambagium parte. Reperies in meis

tuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tuo præventa officio: ad cætera quæ noſtrum flagitare videbuntur reſponſum, mox accingar, morâ exſolutis, quæ diutius retenta ignaviam arguerent, non occupationes brevi diluendas otio per Chriſti natalem. Unum nunc in anteceſſum non licet ſilere: haud conſpectas mihi, quas tertio Novembris datas ſcribis. Pereat inter nos horribile ſecretum, ſi quod auribus tuis depoſui. Si quod verò pondus pateris habere preces meas, fac videam exemplar Scazontis Heinſiani, ſed ut è prima profluxit cura nativum teſtatus impetum. Ne quid tibi hinc ſit fraudi, per Muſas ac fidem addico. Iterum Vale. Roterodami die 19. Decemb. 1665.

Tertias Auctoris literas redditas ſibi non eſſe ſcribit: Et Heinſii Scazontem ſibi mitti petit.

Hamburgo Roterodamum die 23. *Jan. Juliani* 1666.

AD literas tuas die 15. Decembris datas, quibus & appendicem die 19 ejuſdem menſis addideras, reſcribere Tibi, Vir Humaniſſime, uſque adhuc non potui. Has tamen habui profectò acceptiſſimas, utpote eximiæ tàm eruditionis, quàm ergà me benevolentiæ plenas, & accepiſſe me, paulò ante indicavi per communem amicum Adamum Francum, qui quâ eſt humanitate officioſâ in amicos, de eo te jam fecerit certiorem. Niſi mihi cum exploratæ benevolentiæ amico res eſſet, in partes ad me purgandum advocandæ mihi eſſent continuæ & graves occupationes, parum commoda quandoque valetudo, aliaque. Sed religio mihi eſt vel tantillum de certa & indubitata tuæ æquitatis & benevolentiæ ſpe decerpere. Debuiſſem quidem citus ad reſcribendum me tibi ſiſtere & gratum animum teſtari de tanta benevolentia, id eſt prolixa & liberali in trino carminis, latiſſimoque tùm amicitiæ tùm argumenti ipſius campo ſe diffundente. Sed obſtiterunt, quæ modò dixi. Niſi etiam dicam me tibi reſpondere prius noluiſſe quàm mihi Humaniſſimus Heinſius Scazontem ſuum correctum, & votis meis accommodatum ſiſteret. Is nudius demum tertius comparuit, quem tibi è veſtigio exhibeo, licet adhuc nonnulla corrigi velim, illa ſcilicet ubi felix ingenii Poëtici & amicitiæ vena immeritis laudibus meis luxuriat. Sed malui pudori quàm officio meo vim inferre, ne vota tua tandiu differrem & deſtituere velle viderer. Tu, quæ tua eſt æquitas & erga me benevolentia, candorem meum &, quod meritò dico, promtum benè de te merendi ſtudium, boni & æqui conſules. Nil eſt quod magis mihi in tuis carminibus gratuler, quàm te adſentire mihi de benigna Cometarum ſignificatione, & acerbam exſulii ſortem candore placido lenire. Videt orbis melior nos ſingulari divinâ providentiâ tot periculis & malis, patriam domi foriſque violentius preſſuris, ſubductos eſſe. Et nos quidem pietatis in patriam non vivimus immemores, eique quietem & proſperitatem precamur. Sed ſi dum eâ ante quinquennium pelleremur meritò diximus:

Adamus Francus ab officioſa humanitate laudatur.

Silentii culpa apud amicum juſtis excuſationibus diluenta.

Grutero de carmine Auctor gratias agit.

Laudatus ab amico modeſtiam ſervat.

Gruteri conſenſum Auctor ſibi gratulatur.

Mala Deus in bonum vertit ſuis.

Injuria ſæpè facit locum meliori fortunæ.

\- - - - - - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - - - - - - - -

Et quæ noſti cætera: tanto minus malevolis hac tempeſtate aſſiduos illos & magis magiſque ſurgentes in patria motus invidemus, ſemper tamen optima quæque optamus. Atque hoc eſt generoſæ, licet modeſtæ virtutis opus, quæ contrà omnes fortunæ iras & aſſultus immota & invicta perſiſtit. Quam in rem plura ſcripſi in illis meis literis die 3. Novemb. datis quæ ſi perierunt, faxo ut hanc jacturam ex ſcriniis meis quamprimùm Tibi reſarciam. En tibi epiſtolam manu Andreæ Viſſovatii affinis mei de Cometis ſcriptam, quam Tibi placituram ſpero. En & exemplum epiſtolæ à me nuper ad Clariſſimum Heinſium datæ. An ad mentem veritatis illa de otio & negotio Sapientis ſcripſerim, fac ut ſciam. Talia enim proſunt in publicum. De ſecunda editione Prodromi Heveliani velim me quamprimùm reddas certiorem. Vale ac mihi conſtanter fave.

Poloniæ res ab exſulio piorum deteriores factæ.

Virtus patiens & modeſta eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Roterodamo Hamburgum die 12. *Martii* 1666.

Æquis officiis fovetur amicitia.

Amicitia ſincerâ & conſtanti benevolentiâ, non epiſtolis, nititur.

MOroſiſſime penſitaret ſuavia amicitiæ officia, qui velut ad temporis demenſum durus exactor flagitaret literarum vices. Ubi nullis concutienda ſuſpicionibus benevolentia fidem ſemel munivit religioſè habendam quicunque inciderint caſus, ibi modulo ſuo omnia metitur æquitas, æſtimare gnara quid occupationibus, quid aliis liceat ex obliquo incurrentibus, ut invita numeros ſuos implere nequeat diligentia.

Excuſatione anxiâ non opus habet amicitia.

Scholaſtici labores rarò quietem obtinent.

Heinſii filii carmen Gruterus laudat.

Anxiæ excuſationis apparatu gaudeant minus ſibi invicem perſpecti: noſter amor repudiat quæ ambitioſis dari ſolent auribus: ſic nec reſponſi tui moleſta tarditas reſpicienti, quæ ſubnaſci potuerunt impedimenta Viro, tempora ſua ſeverè diſpenſanti; nec parùm habuiſſe rationem officii, ſi coëgit cunctari neceſſitas etiam athletice valentem, meis quoque etſi levioribus diſtrictum curis, quæ tamen pertinaci in ſeriem recurſu imperioſè interpellant, ut diverticulum abnuant: quandoque urgentioribus peractis, quæ publico imputantur, digredi patiuntur nonnulla privatis ferè affinia: ut non invita ſubmoveantur leviter, ſed ex hujus inſtituto vitæ mox capeſſenda totum occupent. In Heinſiano Scazonte Poëtam pridem mihi ex interiore notâ cognitum deprehendo, nativis validum & promtum feliciſſime pigmentis, & omni rerum verborumque artificio, quod carmini victuro genium conciliat, non longè accerſitâ dote ſpecioſum. Hic ignobile verſificatorum vulgus intuemur exemplum, è quo perſpicere licet candidè æſtimato, ſi non applaudit ſibi ſtolidè inflata & curtæ ſupellectilis ignara tenuitas, *quantum nobis aliiſque* parum benignâ Minervâ ſcribentibus, *deſit ad culicem.*

Patris nomen grato animo proſequitur.

Græcos poëtas veteres Heinſius pater lepore æquavit, niſi & ſuperavit.

Gruterus permodeſtè de ſe ſentit.

Solo affectu ſe commendare ſtudet.

Ego ut in patre Daniele Heinſio, olim dum viveret, mihi ſtudioſè culto, & cujus nunc defuncti in ſumma gloria eruditionis diffuſæ, ſacra memoria eſt, mirari ſoleo excellens ingenium, quod in multa ſcientiarum arcana erectum ingenuo etiam ſapore carmen condiebat Græcum: Ut cum antiquis certaret feliciter, & ambiguâ ſæpius palmâ: ut qui in iſto genere tranſmarinas Veneres expreſſerit propius, viderim neminem: ita in filio venam Latini carminis fluere ſentio ſæculi ſui fœcibus intactam, & cultiſſimæ antiquitatis ubere ſpiritu calentem. Ab iſtis tanto eruditionis & poëſeos ſplendore conſpicuis ubi oculos ad noſtra reflexeris, non poſſunt non velut ſordibus adſperſa, humiles conceptus inquinantibus, evileſcere ſpectatori eximio talium elegantiarum. Sed qui in aliis artem miraberis, in meis præter vegetum benevolentiæ infucatæ candorem nihil reperies æſtimandum.

Poëtices ſtudia maximè juventuti conveniunt.

Tyrannis conſcientiarum Chriſtianis non convenit.

Modeſti Viri ob diverſam de rebus fidei ſententiam non perſequendi.

Veritati cognitæ contumaciter reſiſtere noli.

In miſſo igitur Heinſiani, id eſt politiſſimi Scazontis apographo, ut exoſculor tuum benè de nobis merendi ſtudium, ita & delicias Muſarum amplector, olim mihi ſummè deamatas, cum adoleſcentia primo laudis rapta impetu ad iſtas efferveſceret literarum amœnitates; nec facilè nunc ſpernendas, ubi carmen non trivialis venæ lenocinantes animo objicit illecebras: qui nondum ejuravit penitus amabilem inſaniam. Sed malim iſto furoris innoxii thyrſo incitari, quàm ſævire decretis rabiem quandam barbaræ immanitatis, & Chriſtiano orbi deteſtandam ſpirantibus, in homines ſevero religionis, quam ſemel, nec temerè, amplexi, inſtituto hærentes, à turbis ſacra profanaque miſcentibus alienos, & indeflexâ ab obſequio ſummis poteſtatibus debito conſtantia: exilioque acerbo punire diſſentientes in rebus, aut olim controverſiæ obnoxiis, aut quas adgnata myſteriis cæli caligo nonnullis pluſculum Rationi deferentibus, ſaltem innocuè (ut Chriſtiana mihi ſuadet charitas, decretorium ſtilum non facilè ſtringenti, in quibus ſubtilitas vult nonnihil condonari ingeniis modeſtis, nec improbâ contentionis libidine in diſputationes laſcivè prurientibus) tales nuper fecit errantibus: dum præbeant ſe dociles, & probationibus ad liquidum deductis, quantum perplexa patitur materia, convincendos, amotâ præfractæ mentis pertinaciâ, ad oblatam lucem oculos claudente. Habet illud quoque ſolatii vita extra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

extra patriam agenda, quod nullius vos ſceleris conſcios iſta exerceat fortuna, capite iis malis ſubducto, quæ domi acerbiſſima graſſantur, afflictiſſimæ Hydrâ Poloniæ in novos bellorum fœtus renaſcente, quaſi continuo diluvio manaret effuſus ærumnarum intercidi abnuentium gurges. Neque enim ut nota tanti & qui triſtiſſimas dedit clades, turbinis primordia ſunt, ita & in finem proſpectus patet, altius reconditum adhuc, nec cogitationibus ſaltem noſtris emetiendum. Interim Chriſtianè ferendum, quidquid immittente cælo nos premit; tàm ut aliorum exploretur conſtantia, qui non obſtreperi Deo patientiam, & Regi obſequium probarunt ſalvâ fide, quàm ut juſtis ingemiſcant pœnarum flagris, qui patriæ, ſparſas latè ruinas ſpectantes incendio oleum affuderunt. Sed quod negavit ſolum natale, ut extera concedat exilioque lecta ſedes, ex toto precor animo: exſpectaturus ut quæ 3. Novembris data intervertit caſus neſcio quis, novo ex ſcriniis tuis apographo reſarciantur. Quæ de otio & negotio ſapientis philoſophicè in epiſtola ad Nobiliſſimum Heinſium differis, legi avidè, neque hactenus video meæ à tua ſententia diſſidium. Viſſovatiana de Cometis primâ ſe mihi conciliarunt lectione: tertiatâ propiùs tenuerunt affixum: qui in talibus diſcutiendis libertate gaudeo, rationi amicâ, nullius addictus jurare in verba magiſtri. Eo genio plenum deprehendo Viſſovatium, neque in Naturalibus perquirendis authoritati militantem dictatoriæ, ſi eam ſolida deſtituant argumenta; quibus Vir accuratus omnia defert, dogmaticum exoſus faſtum, quo bona corrumpuntur ingenia juventutis in ſervilem diſciplinam traditæ, nec ad frugem emergunt, cum placitis inhæreant, quia vulgo probantur, non quia probanda. Multum ſanè profecit, quiſquis imperioſi Peripati jugum à cervicibus depulit: cum expedierit vinculis intellectum acres progreſſus in veritatis cognoſcendæ ſcrutinio defœcato rumpentibus. Gratulor eximio Viro, & quem tibi jungit affinitas, de tanta virtute, cui ſuus ab eruditione non oſtentata ſplendor, inter iſta exilii, propter religionis cauſam, non inter ſeculi ludicra, ſed caſtè & reverenter habendæ, mala infractæ. Is tecum patientiæ munimento circumdatus exſpectet, quæ temporis exaſperati fortunam leniant, priſtinæ quietis redditâ ſede. Typographus mihi author, ſecundam prodromi Heveliani editionem è ſuo promitti prelo, poſt longi temporis intervallum rogatus an conſtet ſibi, nihil reponit; ut verear ne hæc jactantiùs effutierint ejus primæ & rudes de iſta re cogitationes, quod vero convenientius. Vale.

Conſcientia innocentiæ magnum in adverſis ſolatium.

Calamitatum publicarum initia ſæpè nota, exitus latet.

Patientia cum perſecutoribus certa.

Exſulium quieta, ſæpè & commoda, ſede penſat ſuis Deus.

Viſſovatiana epiſtola de Cometis Grutero placet.

Libertate Philoſophica utere.

Peripatetica dictatura in Republica literaria locum jam non habet.

Religionis ſuæ irriſores alienæ ſæpius ſunt oſores.

Heveliani Prodromi Cometici editio ſecunda inaniter à typographo quodam promiſſa.

Roterodamo Hamburgum Kal. Aprilis Gregor. 1666.

ILludebat exſpectationi meæ Typographus de Hevelianæ Cometologiæ prodromo, rogatus an operas ejus exerceret liber, & quando ſecundæ editionis ſpem faceret: cum pateretur me duntaxat ancipitem luctari cum promiſſi umbrâ, quo poſcebat me grandi in congreſſu antè menſes compluſculos. Viſum ergò per alios, ſed diſſimulatò meam hìc rem agi, exploratius cognoſcere ſingula, quæ tui conjectabam eſſe voti. Reponunt, perſtare ejuſdem pollicitationis tenacem, ſed frigus aliquod ſuffundi, ut certior ab eo quàm antea non diſcedas: & putent felle nimio inſanire Typographum: quem ſuo permittere genio ſtatui. Grævianæ exemplar orationis non reperio in noſtris officinis: & author Vir mihi longè amiciſſimus, hoc nomine interpellatus, ſilet: diſtractus, opinor laboribus Academecis, & limandis quæ in Heſiodum paravit, mox prelo ſubjicienda. Ut doleam fraudari te opellâ meâ; quam & hìc & alibi velim experiaris animo meo parem, id eſt, alacrem, & nullo tardandam friguſculô. Ad Nobiliſſimum Heinſium pridem eſt cum meditor aliquid literarum: ſed obſtat ſcripturienti prærepta, quam non nemo olim mihi conciliaverat, tranſmittendi facultas. Si quando in Suediam excurras epiſtolico defuncturus officio, ſalveat Vir præclarus meis verbis, quæſitâ quâ nunc commodè & tutò adiri poſſit, ratione. Vale.

Promiſſa inania moleſta.

Grævianam orationem Gruterus Authori gratificari ſe non poſſe ſcribit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Roterodamum die 16. *Aprilis* 1666.

ACcepi ſimul ante octo amplius dies binas Tuas mihi pergratas, alteras die 12. Martii, alteras Kal. Aprilibus datas. Ad quas en Tibi breve & incomtum, ac inter aſſiduos, nec ſanè leves, labores natum reſponſum. Optandum eſt, ut & nos cum omnibus bonarum artium amantibus pacis reſtitutæ fructum uberrimum in tutò exercendo literarum commercio referamus. Reſponſi amici vicem promtam & ſub manu natam amo, fateor: dilatam excuſo: ibi gratum, hîc æquum animum monſtrans. Heinſium utrumque dum talem eſſe prædicas, dicis quod verum eſt, & totius orbi literati judicio firmatum. Ego Heinſio filio Viro illo eximio utor amico, literarumque commercium aſſiduum mihi cum eo intercedit. Ita è veſtigio miſi ad eum, quæ apud me de illo tàm honeſtè dixiſti. Horum ille & Illuſtriſſimo noſtro Rautenſteinio in Aulam illam Ablegato faciet copiam. Quæ tàm contrà ſacram tyrannidem à Chriſtianis proh dolor! exerceri in conſcientias hominum liberrimas ſuetam, quàm pro caritate Chriſtiana cordatè ſcribis, cum æquitate apprimè conveniunt. Nos equidem perſecutoribus noſtris, quorum iniquitati in gente omnium liberrima exercitæ, nil unquam ſimile vidit orbis Chriſtianus, non melius reſpondere poſſumus, quàm Juſtinus, Tertullianus, Hilarius, Athanaſius & alii veterum fecêre ſuis. Quid ſi ſacræ paginæ præſidia adhibere vellemus? Hæc nos docet, quæ ſint arma Chriſtianorum (qui ſcilicet re non nomine tales ſunt) juſtitiæ ſcilicet caritatis, patientiæ. Juvat tibi exſcribere pauca ex Aventino, quem Tibi aliquando commendavi. Is lib. 2. Annal. monſtraturus, quantum à vita, moribus & inſtitutis majorum deſcriverimus: *Veriſſimum eſt profecto*, ait, *aut illud Plinianum, multum referre, in quæ tempora cujuſque virtus inciderit: aut hoc D. Hieronymi dictum, auctos temporalibus, ſpiritualibus diminutos eſſe. Admonet D. Paulus eos, qui piè velint vivere, multa adverſa perpeſſuros. Admonet & Chriſtus Servator hominum, Doctor & Magiſter noſter, ſe gladium & ignem, non pacem miſſurum. Tantum abeſt, ut nobis pollicitus fuerit opes, gloriam, ſecundaſque res hujus ſeculi: pauperes, nudi, ægrè veritatis gravitatem ferunt, ne dum divitiis, honoribus, imperiis onerati ferre poſſint: quæ plerumque malos efficiunt, ſceleſtos reddunt, bonos nunquam faciunt. Et ſpinæ ſenteſque nolis velis, appellari ſolent à Chriſto. Qui poſtea quàm immortali triumpho ad cælos evectus & cæleſtis ſpiritus adoptivorum filiorum mentibus illapſus eſt, ejus comites, diſcipulique (ſicut in ſanctæ hiſtoriæ ſacrario continetur) duntaxat Judæos in Palæſtina & ubique gentium paſſim habitantes, tanquam divinæ ſtirpis radicem è Chriſtianæ pietatis fonte imbuerunt. Ibi Sacerdotes & Pontifices irâ ſimul & invidiâ commoti quod à multitudine desererentur, & ſua vitia patefierent, cognatos & gentiles ſuos Chriſto devotos ſupplicìis affligunt, eos, velut impios & patriæ religionis deſertores, Deique immortalis (cujus Legem datam Moſi ſolverent) hoſtes & proditores occidunt, trucidant, urbibus eliminant.* Hæc ille, quæ docent caſdem comœdias tragœdiaſque in theatro orbis etiamnum, mutatis perſonis, geri. Volui autem hæc, licet prolixiora, longè pluribus, quantumvis ſingularem pietatem ac eruditionem, eamque cordatam ſpirantibus, omiſſis, Tibi deſcribere, quòd ad argumentum, quod tractas, comprobandum apprimè faciant. Tantò verò lubentius & juſtius id ago, ſi Tibi liber inter optimos, quos habemus, meritò ponendus, non ſit in promtu. Ibidem de conſtantia & patientia Chriſtianorum ſævis perſecutionibus laceratorum, non tantùm invictâ, ſed & furoris hoſtilis victrice, & Chriſtianæ gentis procreatrice, ad quam & tu nos hortaris, præclarè diſputat. De iniquitate verò perſecutorum, de flagitioſa vita Pontificum ſui ſeculi, proximi ſcilicet de fruſtratis tùm ſævientium hoſtium, magis magiſque propagatis inter medias afflictiones Eccleſiis Chriſti, tùm ſubdolorum Philoſophorum conatibus & votis, quæ non egregia docet! Satis certus ſum, Optime Grutere, Te ſi librum ad manum

Pacis commoda in rem literariam redundant.

Heinſius pater & filius laudantur.

Polonorum fratrum exſulium ſummâ cùm iniquitate junctum.

Perſecutionem ob relig. in ethnicis & Arianis culparunt veteres:

Tantò magis ſacri ſcriptores.

Arma Chriſtianorum juſtitia, caritas, patientia.

Opes & vires juſto majores Chriſtianis extiterunt damnoſæ,

Nec ſunt promiſſæ,

Imò tanquam ſpinæ & ſentes vitandæ.

Chriſtus ſuis opes, honores, voluptates non promiſit, imò potius crucem teſtamento legavit.

Apoſtoli Spiritu S. inſtructi Evangelium prædicarunt, multaque atrocia à popularibus paſſi ſunt.

Popularibus quoque & cognatis ſacra tyrannis non parcit.

Patientia Chriſtianorum invicta manet, imò victrix evadit.

Parrheſia Aventini in taxandis ſeculi vitiis.

manum habeas (memento ſemper, à Tuo Eraſmo plurimum laudatum eſſe) hunc totum locum in vita Neronis perlecturum, maximamque oblectationem ex eo percepturum eſſe.

Tot præſidiis inexpugnabilibus muniti
Nos patriæ fines & dulcia linquimus arva,
Nos patriam fugimus. *Virg. ecl. 1.*

Novimus (crede mihi) per Dei gratiam hujus generis ſolatia, leniendæ ſorti aſperæ idonea colligere, & in uſum convertere. Magis nos perſecutorum, noſtrorum dico popularium, ſui noſtrique, avitæ libertatis ac communis patriæ fideique publicæ oblitorum, quàm noſtra propria mala angunt. Deus enim, quod Sole meridiano clarius eſt, paternam noſtri curam gerit, eos verò pœnis magis magiſque ad recipiendam meliorem mentem urget. Quot & quantis morbis Reſpublica illa laboret & quibus remediis hi ſint curandi, cordatè & ſincerè duo libelli, forte jam à Te viſi, haud ita pridem, ut apparet, in lucem emiſſi, docent. Alter titulum præfert: *Moriens Polonia:* alter verò, *Morientis Poloniæ ſervandæ ratio.* Hæc ut accepta ſit genti meæ & efficax, precor ex animo. Nunc ad reliqua literarum Tuarum capita venio. Clariſſimum Hevelium certiorem feci, quendam Typographum velle Prodromum ejus Cometicum denuò edere, nec tamen firmum ſatis in propoſito perſtare. Nollem id inſcio & invito auctore fieri. Sed reſponſum ejus ſuper hac re exſpecto. Hoc qualecunque fuerit, Te non latebit. En Tibi exemplum epiſtolæ quæ perierat: quod quia ſtatim deſcribi non potuit, ideò nec has literas ſtatim mittere, ex quod ſcriptæ ſunt, potui. Quòd Tibi tantum placuerit Viſſovatiana epiſtola, gaudeo. Eſt certè Vir multæ eruditionis & eximiæ pietatis. Epiſtola illa velim ad me redeat. Gratulor etiam mihi Tecum de otio Sapientis ejuſque Chriſtiani, benè convenire. Vale Vir Humaniſſime, & meâ operâ, ſi quà fortè uſui ſit, liberè utere, ac mihi porrò fave.

Exſules in promtu habent efficacia ſolatia.

Malis popularium dole.

Poloniæ res in dies deteriores urgent pænitentiam.

Polonia moriens & ejus ſervanda ratio ſcriptis publicis propoſita.

Auctor pietatem erga patriam teſtatur,

Inſcio Hevelio Prodromum ejus Comet. edi nollet,

Exemplum epiſtolæ die 3. Novemb. datæ, quæ periit, Grutero mittit.

Hamburgo Roterodamum die 11. *Maji Gregoriani* 1666.

POſtquam officio ergà Te meo ultimis literis ad Te die 16. Aprilis datis ritè defunctus ſum, & reſponſi Tui vicem exſpecto, nihil habeo ſcribere, præter pauca, quæ adjungo, à Clariſſimo Heinſio die 21. Aprilis ſcripta. Hæc nuper ad Te mittere non potui ob varias & aſſiduas occupationes, quæ me totum diſtrahunt. Quæ cauſſa eſt, ut vel ſilentio vel breviloquentiæ aliquantiſper indulgere neceſſe habeam, donec opus meum abſolvatur. Heri à Clariſſimo Heinſio accepi, Illuſtriſſimum Rautenſteinium Holmiæ gravi morbo vexari. Graviter doleo vicem communis amici, eique vitam longævam & felicem precor, utpote Viro ad colendas bonas artes & amicitias nato: Tibique unà, Humaniſſime Vir, quem ei ſupparem eſſe novi.

Rautenſteinii morbum gravem Auctor dolet.

Roterodamo Hamburgum prid. Kal. Jun. 1666.

TUæ mihi poſtremæ offerebantur, cum accingerer ad iter potiorem familiæ partem in comitatu habiturus: ut ſolennis vacationis pars altera laxando daretur animo, & incidendis diluendiſque tædiis, quæ ſpinoſi laboris ſeries ex adulto autumno uſque in veris ἀκμὴν* protracta facilè genuit: cum alteram ſibi vindicaſſent expedienda domeſticæ neceſſitatis præſidia. Fluxit mihi quidem iſtud otium non prorſus literarum expers, vera vivi hominis ſepultura, ſed interpellantibus amicis variè nec injucundè turbidum. Domum regreſſus in priſca revolvor ſenticeta curarum, quæ ſic in orbem redire ſolent, & priuſquam conſtitutis penſis nos aſſignata exercere inciperet ſtatio, jus mihi non fuit in occupationes ſuaviores Muſei. Nunc ordinatis, quæ ex more interruptus diſje-

Labores Scholaſtici quiete & jucunda recreatione interdum opus habent.

*vigorem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Feriis exactis & paulum evagatus ad orbitam studiorum redi.

diſjecerat tenor, revocatiſque ad lineas ſuas ſub hac præfecturâ laborantium ſtudiis, hæc calamo prima ſe dedit excurrendi ad amicos occaſio. Epiſtolæ tuæ apographum, cujus mihi neſcio quis caſus autographum intervertit, libens vidi nec ſine gaudio. Ibi enim ut in amicitiæ noſtræ primordia gratulabundus mihi redeo; ſic & pergrata meis accidit auribus injecta de Grotii epiſtolis mentio:

Grotianarum epiſtolarum ſyntagma Gruterianum cur non procedat.

quarum pridem mihi inchoata collectio. Hæſit illa ad interpoſitos obices: partim fruſtra ſollicitatis eorum ſcriniis, qui auctaria ſervabant non ſpernenda; partim fallentibus aliorum promiſſis: typographis quoque difficilioribus, quod minus ex voto proceſſiſſet illarum ad Gallos editio; vel ex fato impeditiſſimi temporis moras nectentibus. Nec ego urgebam, cum deeſſe mihi viderem eas copias, quæ familiaribus Salve & Vale complexis interſpergerent, rerum pondera eò demenſo, ut iſtis levioribus non offenderetur lector ſeria conſectatus literaria. Nunc in ſpem erigor adornandi hoc Syntagma ſeculo faſtidioſo commendatius. Si Martinus Ruarus & Joannes Crellius Grotiana ad parentes ſibi cognomines exarata conceſſerint, non negatis, quibus hi Viri, latè celebres, aut Grotio diſſertationis epiſtolicæ materiam ſerunt, aut ei reſpondent: ut ſcripta utrimque enucleatius reddant argumentum, & habeat quo ſe paſcat talium

Iſaaci Voſſii elogium

avidus ſcrutator. Apud Clariſſimum Virum Iſaacum Voſſium idem tentarem paulò fidentius, levi quoque obſtrictum promiſſo epiſtolarum, quas ad Grotium exaravit pater ejus non ſine reſponſis apud me exſtantibus. Nam quòd

Invidiam virtutis viam tenens temne.

Exoſa vulgo curioſis lectoribus grata.

Theologica ſcripta curioſis tutò, nec ſine fructu, admiſcentur.

exoſa multis nomina, ut vocas, nec, ut judicia ſeculi conſidero, vane, meis obfutura cœptis putes, falleris: cùm inde accendendum non ſegniter augurer lectoris publici ſtudium. Docuerant id crebra me experimenta, quoties in auctionibus venales exponerentur libri ex iſta, quam innuis, officinâ. Hîc etiam efficaciûs regnaret lenocinium: cum illa de rebus fidei controverſorum ſeveritas leniſſimam è philologia, Hiſtoria, Politica acciperet temperiem. Itaque rogo cauſam meam agas apud Crellium & Ruarum, eruditos parentem eruditorum filios: ne ſymbolam ſuam negent, quâ iſtud opus prodeat ſapori publico con-

Autographa magnorum Virorum habentur in pretio.

ciliatus. Mihi apographa ſuffecerint, ut autographa, procul dubio ipſis in pretio, ad ſuos reditura ſint Dominos, nec quidquam decedat priori ex iſtis, ubi libuerit, inſpiciendis, gratiæ. De recudendo Clariſſimi Hevelii Prodromo

Libri Auctorib. inconſultis injuriâ imprimuntur.

Cometico cum neſcio quibus additamentis, reor perſcriptos fumivenduli typographi ſermones: cum ut merx ejuſmodi exeat probatior, ſoleat ab authore peti, quicquid ille opis conferre queat. *Morientem Poloniam*, & *ſervandæ ejus*

Moriens Polonia & ejus ſervandæ ratio Grutero perplacet.

rationem jam legi, penſitavi, calculum album adjeci: quiſquis tandem utriuſque Scripti auctor ſit. Ego *terram ei levem* precor, & *in urna perpetuum ver:* ſed, ut *ſerus in cælum redeat*, prægustatiſque tantorum, quibus miſerè jactata affligitur ejus patria, malorum lenimentis. Scire velim an epiſtolæ Viſſovatianæ autographum penes me ſit, & reddendum; an apographum, ut remitti

Fredro Caſtellanus Leopol. laudatur.

non ſit opus. Non enim *debet Domino perire munus* Maximil. Fredro primùm mihi innotuit ex literis Illuſtriſſimi Rautenſteinii: quem Aula nunc tenet Suedica, ut ſcribis, ſui intentum Principis negotiis. Ejus Viri, quem Leopolis habuit Caſtellanum, omni laude digniſſimum (ſic cenſebat olim amicus noſter, cum mihi ſignificaret, frui ſe eruditiſſima illius familiaritate: neque ab hoc recedit judicio, qui nuper ſervandæ Poloniæ rationem inſpectanti propoſuit mundo) exſtat Hiſtoria de Henrico Poloniæ & Galliarum Rege, è Valeſiorum ſtirpe tertio. Iſte liber quâ excellentiæ notâ inſigniverit authorem: quàm benè de veſtra meritus ſit patria, qui res ejus temporis ex fide narratas memoriæ prodidit, liceat tui cognoſcere judicii beneficio: cum difficilis repertu paucos hîc, ferè & nullos habeat habueritve Lectores, quantum impertiente famâ mihi conſtat. Vale & amantiſſimo tui favere perge.

Hamburgo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Roterodamum die 8. *Junii Gregor.* 1666.

INgenuè agnoſco me inpræſens dignè Tuis literis, prid. Kal. Junias datas, hodiè verò mihi redditis, reſpondere non poſſe. Nam & operi meo edendo omni corporis & animi contentione intentus laboribus, præter amplum commercium literarum, exantlandis prægravor & dolore premor, quem ex præmaturo exceſſu communis amici Illuſtriſſimi Domini Rautenſteinii concepi. Huic exprimendo verba deſunt. Loquacem tamen me nuper in hoc, quod adjungo epitaphio*, honori beati Amici dicato, faciebat miſtus dolori amor, cum die ab hinc octavo corpus excelſæ & præclaræ mentis domicilium in domum meam inferretur; ex qua tertio dehinc die, comitantibus Oratoribus Ordinariis Anglico & Brandenburgico, aliiſque Amicis extra urbem elatum, Ditteldorfium uſque deferendum. Ita nempe Vir dignitate illuſtriſſimus, eruditione & morum probitate tàm præſtantiſſimus, quàm clariſſimus, repentè nobis omnibus ereptus eſt, & fidem exemplo ſuo facit illi ſcito: *multos Viros præſtantes aliis inſerviendo, candelæ ritu, conſumi.* Tu ſi docto epitaphio vel leſſo, legibus poëticis devincto, parentare Amicorum Optimo, qui & Tuam & multorum aliorum conciliaverat mihi amicitiam, volueris, id mecum communica & Tuis adjunge literis operi meo, in quo noſter familiam ducit, inſerendum. Cui an inſeri velis quæ de Grotianis mecum pro jure amicitiæ diſſeris, ſcire aveo. O te magnanimum, ſi tantâ invidiâ major es! De his ego Tecum aliàs, volente Deo, rectius agam. Hic ſufficiat dixiſſe meam operam Tuis votis & uſibus eſſe dicatam. Ampliſſimus Hevelius, qui æquè ut omnes amici & probi Viri, morte tàm cari capitis illius dolebit, cum ei pariter, ut illis flebilis occiderit, non curat, etſi typographus ille veſter Prodromum ejus Cometicum denuò edere velit. Viſſovatii manum ab Te exſpecto, ſi ad manum ſit. Quod ſi periit, non eſt quod de apographo labores.

Rautenſteinii mortem Auctor dolet: Epitaphium Grutero mittit, Corpus in domum recipit & extra urbem honeſtè effert: Merita laudibus celebrat.

* Epitaphia & epicedia aliaque memoriæ Rautenſteinianæ dicata ad calcem operis vide.

Magnanimus qui invidiâ major eſt. Rautenſteinio amicus Hevelius pluresque Viri egregii. Hevelius non curat etſi Prodromus ejus Cometicus denuò edatur.

Fredronem Caſtellanum Leopolienſem, Virum Senatoria dignitate & ſtyli nitore Illuſtrem, noſti. Scripſit ille non pauca egregia linguâ tàm Latinâ, quàm vernaculâ. Ego nil niſi Hiſtoriam illam Henrici 3. ex iis poſſideo: quam procul dubio habebunt Veſtri Bibliopolæ. Aliàs paratus ſum Tibi gratificari meum exemplum. Vale.

Fredronis laudes, Et ſcripta varia; Hiſtoriæ Henrici exemplum Auctor Grutero offert.

Roterodamo Hamburgum die 30. *Junii* 1666.

GNarus per me ipſum, & aliunde fidis edoctus authoribus, quantum pertinacis diligentiæ, & in multa ſparſæ munia, laboriſque intentiſſimi exhaurias in perficiendo opere, quod inſigni latiſſimaque rerum plurimarum pomœria amplexo conatu moliris, ſtatui ſola quandoque mearum lectione literarum interpellare tempus tantis dicatum meditationibus. Facilius enim, & longè minori damno ſic poteris haberi, fugitivos impertiturus oculos chartis modeſtè obtrudendis, quam ſi turbata ſolertiâ, ſuis affixa diſquiſitionibus, indueres te in moleſtas reſponſi vices. Neque diſſimulavi hanc mentem in poſterioribus ad Adamum Francum, cum meis ad te obſignatis adſcribere id non liceret. Juſtiſſimæ enim ſunt ſilentii cauſæ, quòd ex occupationibus ſic concatenatis naſcitur, emanaturo in multos commodo penſandum largiter. Inpoſterum itaque conſtet penſis poſteritatem demerituris ſuus rigor, ſed habitâ valetudinis ratione, ſinè cujus viatico, ut ſic loquar, tantum iter feliciter non confeceris, quo ad æternitatem contenditur. Ex literis Nobiliſſimi Heinſii excerpta & tranſmiſſa per mihi grata fuerunt: cum apud Virum publicis diſtractiſſimum negotiis videam non intercidiſſe memoriam, & ejus ſedulitatis, quæ colendæ vigilavit amicitiæ, cum propiore locorum diſjungeremur intervallo. Da veniam, ſi tuæ nonnihil hîc implorem curæ; ut quæ illi leges inſcripta, veſtri

Auctoris laborioſis conatibus Gruterus favet, Ideò ſuas literas ab eo legi tantùm, non vero ad eas reſcribi æquus poſtulat. Reſponſi officium non à quolibet amicorum exige. Valetudinem tuam cura diligenter. Heinſius Grutero jam diu amicus.

 fruantur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Gruterus novâ epiſtolâ veteris amicitiæ memoriam apud Heinſium refricat.

Rautenſteinii mortem Gruterus graviter dolet,

Merita ejus laudibus proſequitur.

Dolorem ratione mitiga, & ſolatiis efficacibus leva.

fruantur ſecuritate commercii in iſta vicinia: cum meas ad Nobiliſſimum Heinſium pridem aliâ miſſas viâ, Holmiam perveniſſe vix putem, fruſtratâ deſtinationem fortunâ. Nunc fiduciâ plenus reperiendi aditûs, quem incerta caſuum non infamant, & illi materiam non malignè ſuppeditavi, in qua jactare ſe poterit votis meis indulgens oratio, & effeci ut ad illius quæſita nihil deeſſet juſtæ reſponſionis. Quam & hîc habes, convenientem epiſtolio, quod undecimum præfert Maji diem. Nunc ad ultimas accedo funeſti argumenti, & è quo dolor, etſi communione plurium allevari vulgo dicatur, velut totus in hoc caput, quaſi nullo diviſus conſortio, incumbit. Illa enim neceſſitudo ſanctior, omnibus tot annorum officiis teſtatiſſima, & benevolentiæ interiori admiſſione, nulliſque non ſui notis ut vivaciſſima, ita & ſeculi larvam ac fucum ferè meditantis neſcia, nunc deeſſe ſibi ipſa, crudo adhuc luctu, videbatur, nec ſatis potuit expedire mens, quod iſto ſacrario obſignatum reconditur, niſi poſt aliquod recollecta & ſibi reddita intervallum. Redibunt qualicunque modo, quæ amiſſa experiebar, ſolatia, cum primæ commoti animi turbæ conſederunt, vindicaturi ſe ab iſto ſqualore, quem ſubitò nata, nec impeditæ morem gerens Rationi gignit mœſtities. Ubi plenius evanuerint nebulæ ad fatalem ictum (de morbo enim ejus nihil conceperam ſiniſtri, eum potius ex itinerum moleſtiis interpretatus, quàm ex cauſa vitæ inſidiaturâ) ingenio offuſæ, & otioli Poëtici patiens erit Eraſmianum, cui comitia denuò imminent, aliquam paritura mutationem, poſtquam prenſationibus priora aperuerunt campum & rivalium ſtudiis, cum aliquo meæ quietis incommodo, Leſſum aut Epitaphium ſeriò meditabor pro mea tenuitate: paſſurus exſtare potius noſtræ in pangendis verſibus infantiæ miſellos conatus, quàm ut iſto amicitia religioſè culta deſtituatur officio, & Manes Viri in literis, in Aula & auguſtis Principum negotiis feliciter verſati juſtâ deprædicatione virtutum: quas rarò tàm caſto & conſtante nexu videmus coiiſſe tàm multas. Quô ἐννοηματίῳ* ſe explicabit luctus, neſcio: ſed iſtud ut certiſſimum pronuntio, nihil ex me proditurum, quod operi tuo merebitur inſeri, velut nebula ſtellis ſpargenda candidis. Vale & inter iſtas, quibus diſtraheris, occupationes, patere aliquando me aurem tibi vellere de Crellii & Ruari ad Hugenium Grotium epiſtolis, & hujus ad illos. Scribebam hæc triumphali apud Fœderatos Belgas veſperâ, ob victoriam memorabili adverſus Anglos prælio partam, mari cedere coactos cum ſtupenda clade.

Gruterus leſſum vel epitaphium manibus Rautenſteinianis promittit:

Amicitiam cum eo cultam & merita deprædicat.

* mentis conceptu

Batavorum triumphus de victoria Anglica.

Hamburgo Roterodamum die 10. *Sept. Gregor.* 1666.

Accuſa te potius quàm excuſa & judica nil tibi indulgens, ut officium facias.

Hiſtoria Cometarum ab Auctore intra annum abſoluta.

Officioſus eſto, licet Amicus liberaliter veniam tibi negligentiæ concedat.

Heinſius poëmatum ſuorum exemplum Grutero dono dat.

NIſi mihi tua æquitas & facilitas probè perſpecta foret, diuturnum ſilentium meum ipſe apud te accuſarem potius quàm excuſarem. Quamvis enim hoc non immeritò, continuis & gravibus revera laboribus preſſus & ad finem hiſtoriæ Cometarum, quam anni circumacti ſpatio hoc menſe inter tot occupationum moles ad metam perducere, juvante Deo, conſtitui, facere poſſem. Illud tamen potius mihi faciendum foret, ſi æquè ut tuæ benevolentiæ ſingularis ita & mei officii haberem rationem. Et tu quidem, qua es æquitate, ſolam literarum tuarum lectionem, indultâ mihi ſilentii veniâ, in rationes officii mei ponere te velle poſtremis tuis exeunte Junio menſe datis perſcripſiſti. Egomet tamen tabulas meas ullâ negligentiæ maculâ adſpergi nolens, reſponſi legem mihi poſui. Hanc quominus adhuc implerem, obſtiterunt varia, quæ enumerare non attinet. Feci interea quod faciendum Tibi gratum, mihi conveniens erat. Literas enim tuas è veſtigio ad Nobiliſſimum Heinſium promoveram. Is ad tuas ſe reſpondiſſe literis ſuis rectà Amſtelædamum miſſis & Elzevirio, qui & Poëmatum ejus exemplum dono tibi ab Auctore datum, de quo ego mihi gratulor, addere juſſus erat, commendatis, jam pridem teſtatus eſt literis XXVII. Juliis ad me datis. Quòd tàm benignam mei apud eum mentionem facere, officiorum non tantùm facilis, ſed & largus, volueris, intrà

privatos

privatos amicitiæ parietes gratus accipio: meæ alioqui tenuitatis conſcius. Communis Amici Illuſtriſſimi olim Rautenſteinii, præmaturum votis & opinione noſtrâ exceſſum te dolere, & dum vivis ac ſpiras, mecum doliturum eſſe (non facilè enim Virum in tanta dignitate poſitum, & tot publicis negotiis obrutum, tàm diligenter privatæ amicitiæ jura colentem inveniri poſſe, mecum, credo, fateberis) non dubito. Pergratum itaque mihi eſt, quòd ſpem de leſſo vel epitaphio memoriæ tanti Viri & talis Amici dicando feceris. Id & viduæ relictæ fore perquam gratum, ne dubita. Imò verò ut id à te, Nobiliſſ. & Cl. Viris Heinſio, Paſtorio & Titio, exorarem, nuperrimis literis à me petiit. Tum verò, ut brevius epitaphium ſaxo ſepulchrali incidendum componerem. Quod cum piis ejus precibus & defuncti memoriæ negare non potuerim, ad Te mitto & dijudicandum exhibeo, exemplum ejus ad Viduam antequam abs Te reſponſum accipiam, non miſſurus. Velim itaque quamprimùm id expedias, & quæ dives ingenii tui vena dabit, adjungas. Vult enim illa cuncta ſimul typis publicis, ne officio ergà amantiſſimum maritum deſit, mandare. Quod de epiſtolis Grotianis addis, commendatum mihi eſt. Vale.

Rautenſteinii merita Auctor celebrat:

Vidua relicta per Auctorem epitaphia & epicedia ab Amicis poſtulat:

Epitaphium brevius Auctor illâ petente componit, & Gruteri judicio ſubmittit.

Roterodamo Hamburgum die XXV. *Septembris* CIↃ IↃC LXVI.

NObiliſſima Illuſtris Rautenſteinii vidua, dum funebria Amicorum officia exorat, conſecratura æternitati memoriam defuncti glorioſè mariti, ſociatis Virorum celebrium laboribus, cogit me anguſtas ingenioli infeliciter exercitati copias circumſpicere: è quò cum nihil prodire poſſit tantis dignum virtutibus & amore, quo nos invicem religioſè complexi ſumus, flagrantiſſimo, dabit veniam heroicæ mentis domina, ſi mea, tenuitatem officioſam teſtantia, comparere non patiar inter exſtructa à clariſſimis Viris monumenta: quæ ut temporis injuriâ ſunt majora, ita immortalitatem apud nos glorioſiſſimo nomini conciliare ſola poſſunt. Confidentiſſimæ enim audaciæ eſt, cantu ſtrepere averſis Muſis condito, ubi poëtæ audiuntur pridem hunc titulum ſeculo deprædicante commeriti. Privatim legi non abnuo, excuſari ſolitus ab iis, qui me norunt ab iſta ambitione ex juſto publici lectoris metu & inexaſciati carminis conſcientiâ, alienum: in ora populi typis evulgantibus extrudi in ſuſpiciendo vatum comitatu, meæ non convenit, ut quàm ſimpliſſimè loquar, modeſtiæ. Ad latebras itaque ſuas damnabo, quæ iſtam lucem ferre non poſſunt, niſi cum certiſſimo Authoris Icaria tentantis periculo, & tamquam de palma cum eximiis poëtis, & ad condiendum æternitatis ſale carmen, id eſt, natura & arte amicè conjurantibus conſummandum, certaturi auſu vaniſſimæ temeritatis pleno. Ubi typis deſcripta circumferentur, quæ ſublimia parturiunt ingenia, non refugiam te privatim lectorem illorum, quibus defuncti amici memoriam proſequor, nonniſi cum ſpiritu evellendam: ultra quem meliorem vitam jam mortalitate exuti in ſcriptis cedro dignis, producent illi, quos nominas, Viri. Dabit iſti verecundiæ locum Matrona excellentiſſima, plurimos obſequii & benevolentiæ meæ obſides gnara in mariti ſcriniis ſervari: cum loquerer apud robuſtè eruditum & æquum meæ in literarum ſtudio, plurimum ſemper amato, ſed fortunæ adverſa experto, conditionis æſtimatorem. Epitaphium ſacro ſepulchrali incidendum nulla relinquit intacta, quæ ex vero ad juſtiſſimam commendationem adferri poſſunt (ſi non habes mihi non ſatis oculato judicium) ex nervoſo compendio habitura pretium: quod neſcio an conciſius patiatur dicendorum copia, nonniſi flagitioſè minuenda & cum ſumma in Manes injuria. Gemino conatu exploravi, quid & hìc permitteret mihi paupercula ingenii ſuppellex, ſed premendos ne foras proſilirent judicavi, ex quo Tua vidi, meo, ſed quali! probata calculo. Vale.

Gruterus per modeſtiam ſua in honorem Rautenſteinii compoſita publici juris fieri renuit.

Libri non ſine metu publicis typis edendi.

Modeſtus & ab ambitione alienus eſto.

Temeritatem præcipitem fuge.

Epitaphium Rautenſteinii memoriæ ab Auctore dicatum Gruterus comprobat,

Ipſeque geminum componit.

Hamburgo Roterodamum Kal. Octob. Gregor. CIↃ IↃC LXVI.

AD literas Tuas prolixæ officioſæque humanitatis plenas, jam jam mihi redditas, promtè & è veſtigio, ſed paucis reſpondeo. Ita enim me labores me exercent continuo,

Negotioſi amici brevi reſponſo contentus eſto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

continuo, ut ægrè illis perficiendis ſufficiam. Sed etſi otium abundè ſuppeteret, tribus tamen verbis reſponſionem meam comprehendere poſſem. Id verò tantò juſtiùs nunc ſupra modum negotioſus facio. Nil quippe Tuo in Rautenſteinium amori, quem tota epiſtola & tot aliæ loquuntur, deeſt, quàm ut meditato &, ut perſpicio, parato epicedio orbi ſe prodat, & feræ poſteritati commendet. Hoc velim, poſtquam modeſtiæ jam ſatiſfeciſti, facias, ut & defuncti Amici, & Tuæ propriæ exiſtimationi, ſed & viduæ votis conſulas, ſi quis ullus apud Te precibus meis locus eſt. Scio enim à Tua manu nil niſi præclarum & luce ac memoriâ poſterorum dignum proficiſci poſſe. Vale.

Gruterum ad leſſum & epitaphia Rautenſteiniana publico committenda Auctor juſtis rationibus permovet:

Roterodamo Hamburgum die X. *Octobris* CIↃ IↃC LXVI.

EXpugnavit clauſtrorum meorum fidem incuſſus ab humanitate tua aries: & quæ tenuitatis meæ conſcientia in certamen quaſi cum Viris arte & ingenio præcellentibus educi non patiebatur, ea tuæ permittenda æquitati dictat amicitia; ita obſequii tenax, tuis debiti virtutibus, ut ſupremo in defunctum officio cedere cogatur modeſtia, ſibi alias ob cauſas provida. Mitto itaque quæ premenda judicaveram, poſt curæ etiam ſecundæ limam nondum licet mihi ſe probantia, multò minus acriores demeritura oculos, & latura penetrantem caſtigatioris cenſuræ vim. Sed non defuturas mihi ſpero excuſationis Tuæ vindicias, ubi ſenties criticum ſtringi ſtilum à rei poëticæ intelligentibus, & tàm τὸ νοηματικὸν* quàm τὸ λεκτικὸν in meis juſtè coargui. Oſtendent alii omnibus ad condendum feliciter poëma præſidiis inſtructiores præſtari à ſe, quæ defuncti deprædicationem muniunt adverſùs temporis injurias, rebus latè ſparſam inducentis oblivionem: in meis ſciant quærenda duntaxat obſervantiæ, quâ viventem ſtudioſè proſecutus ſum, pignora. Nec ulterius patrocinor ſimplicitati noſtræ: cùm defendenda Tibi incumbant, quæ noſti amicè extorta, latebriſque excuſſa: in quarum ſecuritatem nihil licuiſſet faſtidioſis judiciis. Sed ſera poſt jactam aleam pœnitentia eſt. Hoc peto, fortaſſis & meo jure, ut quæ vidua Rautenſteiniana typis curabit deſcribenda (cum doctos & marito amicos ſollicitârit, qui profuturum ſeculis monumentum fidei, induſtriæ, laboris indefeſſi feliciſque prudentiæ, in ſuum evehent theatrum, è quo latè conſpicuæ effulgeant virtutes) eorum exemplari uno & altero me impertiat. Vale.

His ille cedit.

Amico æqua gratificare.

Officioſus in defunctum amicum eſto.

Gruterus epicedion & epitaphia illi Auctori mittit:

* cogitationem quàm dictionem

Merita Rautenſteinii laudibus effert.

Roterodamo Hamburgum die XVII. *Octob.* CIↃ IↃC LXVI.

AB acceptis Tuis, quas in ſermonis compendio valentiores fecerat amicitiæ interioris promicans vis, accingebar ad caſtigationem Epicedii ſepoſiti, & quæ in appendicem veniebant, cædenda enim videbatur primarum cogitationum materia, ſicubi egeret ſecuris cenſoriæ ſylveſcens poëtici ſtili luxuries. Jamque pro captu obſecutus animo qualemcunque ſuadenti limam, opinabar lambendo datam verſibus formam haud nimiùm ſuperciliofis lectoribus, in quibus ingenii & artis præcellentia jungeretur, tolerabilem. Neque præter deſcriptionem quicquam reſtabat: cum per integrum octiduum ad alia digredi cogor, tàm hîc quàm alibi publico peragenda nomine, antequam feriæ noſtræ clauderentur. Spero tamen ad Nobiliſſ. Viduam Rautenſteinianam non prodire Gruteri officia vitio moræ ſic contaminata, ut in piam deſtinationem iniqua dici debeant. Addidi geminæ inſcriptionis formulam (plures meditatus eram, à me damnatas, quòd prolixius excurrerent: videoque nunc etiam iis, quas in chartam conjeci, idem hærere vitium: Plura ſe tibi offerent: ſed intra ſpem veniæ tuta: cum exhibeam conatus non habituros publicum lectorem) ut experirer me in argumento vix aut nunquam tractato. Credes enim injurato, nihil hic à me datum eſſe certamini, quaſi palmam tibi reddere ſtuduiſſem ambiguam: cum perplaceant, Tua quæ vidi, nos certè non habitura æmulos, quibus excuſatio triumphus erit. De mea epiſtolarum Grotii collectione ultra Tibi moleſtus non ero Aſiatica loquacitate, diſtractiſſimo in occupationes æternitati ſacras: quâ jam prælibatâ frui cœpiſti apud literarios ſeculi noſtri Heroas, in ejuſdem immortalitatis conſortium genitos. Vale, & mei apud Viduam Rautenſteiniam doloris interpres eſto ex more ſolenni.

Tua accuratè lima.

Officia amici, licet tarda, grata habeto.

Gruteri modeſtia & candor,

Ac erga Auctorem benevolentia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXXII.
COMMUNICATIO CHILONIO-REYHERIANA.

Hamburgo Chilonium die 5. *Novemb. Juliani* 1665.

S. P. Vir Clariſſime & Doctiſſime.

SI quàm promtus animus ad ſpectandum Inclytæ Veſtræ Academiæ natalem mihi fuerat, tàm expedita facultas id præſtandi adfuiſſet, nemini, crede mihi, primas hîc conceſſiſſem. Nam ut nihil nunc dicam de ſtudio, quô cum omnibus probis in bonas literas feror: tanta eſt Sereniſſimi Principis, Parentis Veſtri optimi, meritorum, & in me ſpeciatim collatorum beneficiorum magnitudo, ut nemo Lubentius quam Lubenecius, hanc adeò illuſtrem generoſiſſimæ munificentiæ ſobolem naſcentem vidiſſet. Sed cedendum ſemper eſt vi majori, cum & ipſa recta ratio jam olim præceperit:

Academiæ Chilonienſis natalis primus menſtruus.

Dux Holſatiæ Gottorpienſis laudatur.

Academias erigere convenit Principibus.

Καιρῷ λατρεύειν μηδ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι
(Tempori ſervire, nec reflare ventis.)

Ecce verò hodiè natalem Academiæ veſtræ menſtruum, abſens licet corpore, animo tamen præſens, per hanc fidam mentis interpretem celebro. Adhæc Vobis omnibus, pulcherrimi corporis membris, tàm celſo & decoro capiti feliciter junctis, vitam, ſalutem, proſperitatem cum ſeculorum æternitate conjunctam, in omnes bonarum artium amantes redundaturam precor & voveo. Erit hæc piis Muſis primo duce verè Muſæo auſpicata, bonis omnibus læta, & candido lapillo notanda dies, imò & jam eſt à me Actis publicis inſerta, & Senatûs Philoſophici memoriæ perenni commendata. Hunc enim jure libertatis Philoſophicæ uſus, reverenter, officioſè, amicè cogo. Quod cuique bonarum artium ſtudioſo integrum eſſe, ſolidè ſcio. Occaſionem Cometæ nuperi præbuerunt, ſplendida cæli phœnomena, quæ nunc optimorum quoque ingeniorum fatigant induſtriam. Sed ſtimulum addidit rei literariæ, imò publicæ promovendæ amor, honeſto cuique Viro jure officii incumbens. Scito itaque me jam Illuſtriſſimos & Nobiliſſimos Rautenſteinios, Bruſſellos, Guerichios, Heinſios, Hevelios, tùm Clariſſimos Bartholinos, Fornelios, Rudbekios, Curtios, Kircheros, Ricciolos, Schottos, Bullialdos, Auzutos, Placentinos, Leuneſchloſſios, Gravios, Buſmanos, Büthneros, & quos recenſere longum foret, in Senatum convocaſſe. Unde vides hunc ſanctum & venerandum ac frequentem fore, lectum & plurimis per Europam Clariſſimis Viris, quantum quidem homini privato, & in his terris peregrino, tùm & aliis occupato, licuit. Hi omnes per varias obſervationes & diſſertationes Mathematicas, Phyſicas, Politicas, Hiſtoricas, Ethicas ibi comparebunt, & non tantùm Cometas, ſed & officia, imperantibus & parentibus, profeſſioneque Chriſtianis omnibus convenientia, ſaltem præcipua, quorum nos illi cincinnati divinæ voluntatis internuncii admonent, cum cura examinabunt. Iſti juſto operi, quod magis triginta Virorum omni laudis genere præſtantiſſimorum ſuffragia in Senatu lata, & quin-

Auctoris erga Academiam Chilonienſem nova benevolentia.

Senatum Philoſophicum convocat Auctor convenienter occaſione Cometarum.

Hunc fore lectum & frequentem docet.

Operis hujus ratio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

& ſeptuaginta amplius æneæ figuræ conſtituent, adjungam, juvante Deo, Hiſtoriam Cometarum, à diluvio univerſali ad hunc uſque annum, cum indiculo brevi non tantùm triſtium, ſed & lætorum eventuum eos ſecutorum, qua ratione Univerſalis Hiſtoriæ Synopſis quædam proponetur. Verbo ne Te diutius teneam, ex veteri lege jucunda & utilia paro. Hoc dum in mediis occupationibus, quæ me aliàs aſſiduo circumſtant & diſtrahunt & ſubſecivis horis in vicinia veſtri ago, volui, quia debui meo erga Sereniſſimum Principem Patronum Munificentiſſimum & Illuſtre veſtrum Lyceum felici ſidere ſurgens candido voto, erga Te verò, Vir Clariſſime ſpeciatim, amica ſalutatione in nova Muſarum ſede & invitatione ut in Senatu noſtro ſententiam dicas, officiò ritè fungi. Tu, qua es humanitate libertati hominis ignoti, at ingenui & publicis uſibus devoti, æquus da veniam, & honeſtis conatibus fave. Scito verò & Clariſſimum Olearium Veſtrum, quîcum amicitiæ jura jam dudum colo, coram & per literas de hoc argumento Cometico mecum eſſe collocutum, adeòque in Senatum noſtrum venturum. Vale cum omnibus Tui ſimilibus longum, quibuſcum rem literariam feliciter bono publico tracta, ac certus eſto ſtudio erga illam & iſtud omneſque bonos utriuſque amantes nemini unquam ceſſurum

Jucundis adjunge utilia.
Auctor Chilonienſes meritò compellat,
Novæ illi Academiæ felicia initia gratulatur, & proſperos ſucceſſus optat.

Ad D. Prof. Math. in Acad. Chilonienſi. STANISLAUM LUBIENIECIUM Equitem Polonum.

Magnifice Domine Pro-Rector Clariſſime & Doctiſſime Vir!

Auctoris erga Academiam Chilonienſem benevolentia.

Watſonii Michaëlis laus.

JUribus humanitatis, quibus in Republica literaria vivimus, fretus, exacto primo Almæ Veſtræ Academiæ natali menſtruo, gratulatione ei debitâ defungi volens Profeſſorem Matheſeos deſignatum Clariſſimum Reyherum ſcripto conveneram. Cum verò de ejus apud Vos præſentia meritò dubitarem, literas meas ad nuper defunctum Doctorem Watſonium direxeram. Nota enim mihi erat celebratiſſima ejus humanitas, eique etiam, ut Facultatis Philoſophicæ Decano id negotii curandum committere æquum duxeram. Cum verò nondum quidquam reſponſi retulerim, è re videtur his pauculis Te de mea illa epiſtola monere, & cum non dubitem rectè redditum eſſe, reſponſionis deſiderium Tibi indicare. Nec immeritò. Nam pro Sereniſſimo, & ut ætate, ita & omnibus laudibus Florentiſſimo Principe, novum illud Muſeum Chilonienſe regis. Te quoque ipſum, ut verè μουσεῖον, imò μουσικώτατον ac humaniſſimum Virum, Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus Præſes Kilmannus, judex de omni eruditione graviſſimus, ante annum Gottorpii mihi commendaverat. Qua occaſione Tibi de felici per Dei gratiam operis mei (de quo vos in illa epiſtola certiores reddideram) progreſſu imprimis brevibus dicam.

Muſæus novum Muſeum Chilonienſe primus regit, felici omine, utpotè & ipſe μουσεῖος καὶ μουσικώτατος.

Auctor Muſæo operis ſui rationem exponit.

Diviſi Theatrum meum Cometicum in duas partes. Altera frequentem Senatum Philoſophicum: altera Hiſtoriam Cometarum continebit. Ibi juvante Deo, Compendii Philoſophici Specimen, hîc Hiſtoriæ Univerſalis, dabo. Utrobique autem & jucunda & utilia vitæ, ut dixi tunc, promere magis magiſque ſtudio bono publico undique prodeſſe volens. Nullus dubito Tibi hæc grata fore. Noſti enim Muſæum Eleuſinum, Suida referente, vitæ præcepta bono publico reliquiſſe, & nil magis iſtis candori Muſæo convenire. Non deſunt autem Viri docti votis meis. Nuper quoque accepi literas Reverendi & Doctiſſimi Viri Caſparis Schotti Herbipoli die 27. Januarii datas. Certiorem me facit, altum ibi eſſe de Cometa auctumnali, quem Clariſſimus Rudbeckius, & hyberno, quem auctor anonymus Vienna Auſtriorum & alias fama publica vulgavit, ſilentium: Ricciolum vivere, & ſtudiis quidem humanioribus, utpote qui Geographiâ & Aſtronomiâ reformatâ Chronologiæ reformandæ nunc det operam, vacare, cumque Aſtronomia ejus, ſeorſum tamen, Phyſico Matheſin Franciſci Mariæ Grimaldi de lumine, coloribus, Iride &c: prodiiſſe in lucem, opus poſthumum

Muſæus Eleuſinus hypotheſcarum auctor.

Cometa auctumno & hyeme nullus apparuit.
Riccioli noviſſima ſcripta.
Phyſico-Matheſis Grimaldi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

hu̇mum & egregium. Ampliſſimus Hevelius, à quo heri literas accepi, brevi ſua Cometica nobis dabit, in argumentum graviſſimum animo & pectore toto, ſed & ad laudem perennem ſimul, incumbens. Is etiamnum aſſerit nullum in cælo novum Cometam ab illo verno viſum eſſe. Eadem & Clariſſimi Büthneri Mathematici Dantiſcani, à quo itidem heri literas accepi, mens eſt. Hodiernæ Heinſianæ nullam expetitæ jam pridem aſſertionis Rudbeckianæ de novo Cometa ſpem faciunt. Hinc vides me de iſto argumento, quod tractandum ſuſcepi, cum Viris doctis aſſiduùm conferre. Unum porro reliquum eſt quod Tibi, Vir Clariſſime, referre debeo. Conſtitueram apud me circa Kalendas Januarias non ſolùm Vos compellare literis, & felix novi anni auſpicium pluriumque annorum proſperitatem vobis precari, ſed & trimeſtrem natalem Inclytæ Veſtræ Academiæ, quæ Sereniſſimi & Munificentiſſimi Principis, qui eam præclarè fundavit, laudes cum ſeculorum æternitate conjunget maximas, ſolemniter celebrare apud Vos, & in ſignum devoti animi Prodromum Cometicum Hevelianum atque Cometam Kirſtenianum, Honori Heveliano dicatum pro ſtrena mittere, communique uſui veſtro conſecrare. Sed præter mortem Domini Watſonii, quâ doleo, varia obſtiterunt promtæ menti id officii aſſiduo volvendi. Ecce verò nunc vota ritè concepta exſolvo, &, quæ jam diu vobis deſtinavi, Tibi ſiſto. Nullus dubito Vos pro humanitate & benevolentia, quæ vel maximè Viris literatis convenit, & votum ſincerum (quod ritè nondum elapſo Januario Juliano, niſi Watſonius, ad quem literas deſtinaram, è vivis ſublatus fuiſſet, exſolviſſem) & munus Auctorum & argumenti laude & meo voluntario erga vos ſtudio ſe commendans gratum habituros. Quæ ad marginem & in textu Prodromi correxi, volente Auctore id me feciſſe teſtor. Vale diu & proſperè.

Hevelii Cometica ſcripta.

Cometa nullus ab illo verno 1665. adhuc viſus.

Auctoris erga Academ. Chilon. benevolentia.

Ducis Holſatiæ laus.

Humanitas Viros doctos decet, quia & inſtituit.

Kilonio Hamburgum XIV. *Kal. Novemb. Juliani* M DC LXVI.

Generoſe Domine, Fautor Honoratiſſime!

Literas Tuas Mathematum Profeſſori Academiæ Kilonienſis tradendas, ſpectabilis quondam Facultatis Philoſophicæ Decanus Beat. Memor. mihi, utpote cui à Sereniſſimo noſtro Nutritio ac Principe munificentiſſimo hæc ſparta benigniſſimè commendata eſt, obtulit, ex quibus abundè benevolus Tuus in Academiam noſtram affectus videre eſt, dum mihi homini in his regionibus noto, & tibi adhuc incognito, dextram injicere, & ad ſententiam de Cometa in ſplendidiſſimis, quæ cogis, comitiis, dicendam, amicâ humanitate invitare haud ſubdubitas. Quamvis autem eo tempore, quo ſtella iſta mirabilis rerum naturalium imperitis terrorem incutiebat, iter Belgicum ingreſſus, inſtrumentis ad ejuſmodi obſervationes neceſſariis, deſtitutus fuerim, nihilominus ea, quæ tum Rintelii agens obſervavi Præſente Domino Gerhardo Waltero Molano S. S. Theolog. Doctore & Matheſeos ibidem Prof. Publ. Amico meo Magno, fideliter communicanda eſſe duxi, ea ſpe fretus fore, ut non tàm ex relatione hac animum meum, quàm ex animi promtitudine relationem æſtimes.

Die x. Decembris anni Juliani CIↃ IↃC LXIV. ſupra laudatum Dominum Molanum acceſſeram, in cujus muſeo neſcio quis ſtudioſorum mentionem faciebat Cometæ præcedenti nocte viſi. Uterque igitur noſtrûm cupidus videndi novam ſtellam, ſubſequentibus noctibus ſummo cum deſiderio tempus orientis Stellæ exſpectabamus, ſed ob nubila non niſi XVI. demum die Decembris videre conceſſum propè horizontem meridionalem, ſupra quem Cometa elevatus erat 7. circiter gradus eo tempore, quo cor Hydræ 30° 26. elevatum deprehendebatur. Cauda erat admodum longa, ob maximum radiorum ſolarium in Cometam incidentium angulum, in fine latior rariorque.

Sequenti die citius oriebatur, ſed ob ingruentem nebulam plura eo & ſequentibus diebus adnotare haud licebat.

Ducis Holſatiæ laus.

Reyheri humanitas.

Cometas non eſſe terrori judicat Reyherus.

Reyherus obſervationes hyberni Cometæ 1664. & 1665 Rintelii habitas Auctori mittit.

Obſervationes Reyherianæ.

Die

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Die xxii. Decembris autem jucundiſſimum ſe offerebat ſpectaculum. Stella enim noſtra ſine cauda in fluvio Eridano apparebat, non procul à ſtellis iſtis, quæ quartæ magnitudinis cenſentur & 25°. circiter ♉ ſub latitudine Auſtrali 27°. præter propter locantur. Adeò velox autem Cometæ curſus videbatur, & quidem contra ſer. ſign. ut ſingulis horarum quadrantibus locum mutaret, quemadmodum ex adjecto ſchemate A. patet.

Die ſequ. xxiii. Decembr. Hora decima 15′. elevabatur Cometa 27° 6.

Hora decima 45′. ferme integrum gradum c. ſ. ſ. proceſſiſſe videbatur.

Diebus xxiix, xxx, & xxxi. Decemb. nec non die ii. Januarii; ſequentis Ann. CIↃ IↃC LXV. caput Ceti trajecit eo modo, qui in ſchemate B. delineatus eſt.

Die iv. Januar. (hor. 9° 15′.) cum humerus aurigæ medium cæli occuparet erat elevatio Cometæ 29° 6.

Die v. Jan. (hor. 5.6:) elevabatur Cometa in ipſo Meridiano 47° 45′: cum ſimul ſiniſter Andromedæ pes & baſis trianguli borealis culminare viderentur.

Die iix. Jan. (hor. 5.36:) cum Lino Septentrionali & cornu Arietis conſtituebat triangulum Iſoſcelium, Cometa in angulo recto laterum conſtituto.

Die ix. Jan. hor. 5.36. ferme in ipſo Meridiano elevabatur 49° 36. & ſitum ad alias ſtellas non mutaſſe videbatur.

Die xv. Jan. hor. 6.6. erat in 26° 45′. ♈ latit. ſeptentr. 3° 6. ſi Beyeri Uranometriæ anno 1603: editæ fides habenda.

Die xxv. Jan. hora ſexta 6. Cometa denuò ſe ſiſtebat in linea recta cùm nodo lini Septentrionalis & ſtellâ quinti ordinis in collo Arietis.

Die ii. Febr. hora ſexta paulatim verſus Septentrionem promotus apparebat in linea recta cum nodo lini Septentrionalis & ſtella quartæ magnitudinis in aure dextra Arietis. Reliquo tempore ob viciniam Solis viſui ſe ſubduxit.

Reyherus & verni Cometa obſervat. Auctori mittit,

Iſtæ fuerunt obſervationes Rintelii habitæ, quæ in ſchemate C. ob oculos ponuntur. Subſequente Aprili cum Lugduni Batavorum eſſem, noſter Cometa ſe denuo conſpiciendum præbebat in capite Andromedæ, & quidem motus S. S.S. haut aliter, ac antea ſupra laudato Domino Molano Rintelii valedicturus prædixeram, cujus obſervationis delineationem figura D. ſuppeditat. Præmiſſis his obſervationibus qualibus qualibus, pauca de generatione, motu, figura & effectu noſtri Cometæ adjiciam.

Rejicit Ariſtotelis de generat. Cometarum opinionem,

Hos vel initio rerum creatos,

Tàm vaſta corpora & motui primo obtemperantia ex terra generari, ut Ariſtoteles aliique putant, ridiculum videtur. Satius ergo eſſe arbitror, ſi quis dicat illas Stellas non eo tempore gigni, cum apparere incipiunt, nec tunc deſtrui; cum videri deſinunt; ſed vel ab initio mundi creatas fuiſſe, & in remotiſſimis mundi regionibus aberaſſe, interdum verò terræ noſtræ adpropinquare & ſub conſpectum venire; propius autem accedentem, à Sole, quem unicam ſecundorum mobilium cauſſam eſſe arbitror, repelli, & oculis noſtris ſubtrahi: Vel in tempore ex ſtellis quibuſdam fixis ortas eſſe, quæ nubibus ac maculis denſis, quibus noſter quoque Sol interdum laborare deprehenditur, victæ proprium locum ſervare nequeunt, & propterea vicinarum ſtellarum impulſionibus obſequium præſtare coguntur; Sæpius autem accidere, ut ejuſmodi Cometa maculas iſtas, quibus involutus eſt, ſuo calore conſumat, fixumque denuo locum ad tempus occupet, cujuſmodi ſtella ſuperiori ſeculo à Tychone Braheo in Caſſiopeja obſervata fuit, quæ tamen haud diu durare potuit, ſed maculis in dies creſcentibus circa finem multum de ſplendore remiſit, & tandem penitus maculis obſcurata à vicinis ſtellis abacta & noſtris oculis ſubducta fuit. Rationibus tàm Phyſicis, quàm Aſtronomicis etiam perſuaſus autumo, Cometam tempore apparitionis in illo ſpacio motum fuiſſe, quod continetur inter ſphæram Saturni & ſtellas fixas. Nam ſi intra ſphæram Saturninam extitiſſet, plus de motu quo Sol omnes planetas movet, adſumſiſſet, vel etiam contrario ſuo motu motibus planetarum aliquam anomaliam impreſſiſſet.

Vel ex ſtellis quibuſdam fixis ortos eſſe arbitratur,

Stellam in Caſſiopeja 1572. viſam inter Cometas refert,

Nuperum Cometam in æthere altiſſimo locat,

Parallaxis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Fig. Reyheriana C. et n°. 56. B. n°. 57.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura D. obſervat. Comet. ad Communicati. Reyherianam pertinens. N.° 58.




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Fig. E. ad Communicat Rey



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

…at Reyherianam pertinens. N.° 59.



G. Gerardi ſculp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Parallaxis quoque aliqua obſervata fuiſſet, quam obſervationibus diverſorum Aſtronomorum collatis nondum animadvertere potui.

Parallaxin ei ullam fuiſſe negat,

Lumen Cometæ non niſi mutuatum eſſe à Sole arbitror, quale etiam eſt omnium planetarum. Coma verò & cauda oriuntur ex refractione luminis reflexi; quapropter figuræ illarum pro diverſo Solis adſpectu mutantur, & quidem in oppoſitione Solis cauda Cometæ minima vel nulla apparet, quia ſub minimo reflexionis angulo videtur. Ut ex Figura E. patet. Hinc noſter Cometa ab initio apparitionis longiſſimam vibrabat, quia terra longiſſimè aberat à linea Solem & Cometam connectente. Circa finem autem Decembris ſtella noſtra, & minor, & cum breviſſima cauda apparebat, quia terra remotior erat, quam antea, & inſuper Luna lumine ſuo debile noſtri Cometæ lumen multum debilitabat. Lunâ recedente cauda renaſci cœpit, quæ tamen pariter cum ipſo capite minori forma apparebat, donec ab appropinquante Sole penitus tegi cœperit, uſque ad menſem Aprilem, quo ex altero latere Solis radios egrediens denuo ſe nobis conſpiciendum præbebat, rubicundam ex aurora mutuans faciem.

Omne lumen ejus Soli tribuit,
Pro cujus diverſo adſpectu Cometarum caudas eſſe diverſas affirmat,
Cur Cometa hybernus modò cum longiſſimâ, modò cum breviſſimâ caudâ apparuerit, rationem reddit:
Hunc & vernum unum eundemque eſſe putat;

Motum facilius & felicius explorari haut poſſe puto, niſi per duplicem terræ motum, Diurnum nempe & annuum, cui ſi accedat ſimplex Cometæ motus à meridie verſus Septentrionem, oritur varius ſtellæ hujus motus, qui ab initio S. S. S. deinde C. S. S. & tandem iterum S. S. S. fuit: eodem ferme modo, quo Planetæ modò directi, modò retrogradi, modò veloces, modò ſtationarii apparent. Ad operationem quod attinet, ſpectatores hujus Phœnomeni in diverſiſſimas abeunt ſententias, dum alii non tantum naturales, ſed & morales ac ſupernaturales effectus ipſi ſuperſtitioſè adſcribere non erubeſcunt; alii vero omnem operandi facultatem denegant. Si autem libere, quid ſentiam, dicendum, neutri parti calculum meum adjicere poſſum, ſed mediam viam eligo. Corpora enim hæc admodum magna, terram noſtram per lumen à Sole receptum & ad nos reflexum afficere, certo certius eſt. Politicas autem mutationes inducere poſſe, minus veroſimile eſt, niſi quis influentiis ejuſmodi temperamenta hominum, à quibus plerumque mores dependent, alterari ſtatuat, quod equidem non penitus negatum eo; nihil tamen certi de hac vel illa regione conjici poſſe cenſeo. Coronidis loco pauca addere debui de ſtella (num nova, nec ne, dubito) ante aliquot hebdomadas in linea recta cum cingulo Andromedæ à me primum obſervata. Locus ex addito Schemate D. melius innoteſcet. Nudis oculis nubecula eſſe videtur. Per Tubum verò decempedalem, inſtar Cometæ caudam à Sole avertentis apparet; cum tamen reliquas nebuloſas idem Tubus ex multis ſtellis minoribus compactas eſſe teſtetur. Quòd autem nihil de hoc phœnomeno in lucem ediderim, unica cauſa fuit imperceptibilis hactenus ſitûs mutatio, quæ ob ſolitariam obſervationem cogitationes de eodem ſuſpendit. Hæc ſunt Generoſiſſime Domine, quæ à me tum temporis peregrino & neceſſariis adminiculis deſtituto expectari potuerunt. Maximoperè autem rogatum Te velim, ut cunctationem in reſponſione admiſſam ſiniſtrè ne accipias. Altera enim obſervationum in Belgio habitarum pars vix ante duos menſes mihi à meis ex patria pariter cum aliis reculis tranſmiſſa eſt, quo tempore ſine mora reſpondiſſem, niſi Phœnomenon ante deſcriptum remoram injeciſſet. Sed Vale & Favore jam cœpto ulterius proſequi ne deſine

Diverſum Cometarum motum gemino terræ motui, diurno, & annuo, tribuit,
Eumque motui Planetarum comparat:
In terrena Cometas aliquid operari autumat,
Vi in humores influente & temperamentum hominis afficiente nonnihil efficientiæ in actionibus moralibus eos habere conjicit:
Phænomenon in Andromeda prodit, &, ut & priora, in ſchemate exhibet, judicium de eo dubium fert.
Reſponſi moram excuſat:

Nobiliſſ. Tui Nom. Perpetuum Cultorem

SAMUELEM REYHERUM Utr. J. D. & Math. Prof.

Hamburgo Chilonium die 25. Octobris Jul. 1666.

MOram reſponſi penſavit abundè literarum Tuarum humanitas, & tàm publica commoda literariæ rei quàm vota mea his addicta promovendi

Ejus humanitatem Auctor celebrat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

promtum & benevolum ſtudium. Feciſti ſanè rem famâ & novæ Academiæ Veſtræ & Tui nominis clariſſimi dignam, cujus memoriam in opere meo, juvante DEO, poſteris commendabo. Conatus hicce meus ſatis quidem, divinâ favente gratiâ, feliciter procedit, ſed admodum lentè, quantum tamen typographorum induſtria in imprimendo utroque tomo ſe explicare poteſt. Excrevit nempe opus in inexſpectatam molem, permultis Viris Mathematum & alioquin rei literariæ ſtudioſis ad implenda vota mea certatim concurrentibus. Tuæ obſervationes mihi ſunt gratiſſimæ. Exſpecto reliqua ſimul æri incidenda, ut & alia ad illuſtrandum non tantùm Cometarum phœnomena, ſed & totum eis connexum argumentum ſpectantia. Horum guſtum quendam humanitate tua facili & libertate, qua uteris, Philoſophicâ præbuiſti, & deſiderium accendiſti.

Auctor tardam operis editionem excuſat.

Phœnomenon illud novum, Cometæ ſuppar, quod in Andromeda obſervaſti, erit, credo illud ipſum, quod Clariſſimus Abrahamus de Grau, Matheſeos Franequeræ Profeſſor, menſe Februarii anni decurſi diſtinctum à noſtro Cometa, tùm Romani Mathematici menſe Aprili ejuſdem anni, & Clariſſimus Rudbeckius Upſalienſis Profeſſor auctumno obſervarunt, quodque novi Cometæ famem per orbem ſparſerat. Ampliſſimus & Clariſſimus Hevelius putat ſtellam eſſe in cingulo Andromedæ Boreali nebuloſam, ab aliis tamen nebuloſis diverſam, ex Oriente verſus Septentrionem ſingulis diebus motu diurno tendentem, quæ jam Anno 1614. à Simone Mario obſervata fuerit. Eandem puto eſſe & illam à Ricciolio inter novas ſtellas poſitam, à dicto Simone Mario in cingulo Andromedæ 1612. obſervatam. De hac plura leges in opere meo, potiora verò à Clariſſimo Hevelio, qui de hac ſtella in Cometographia ſua agit, exſpectabis, cui ego nuper Tuum ſchema cum obſervatione hujus phœnomeni è veſtigio miſi.

Phœnomenon in Andromeda Franequeræ, Romæ & Upſaliæ diverſis temporibus obſervatum, Non eſt novus Cometa, judice Hevelio, Sed potius ſtella illa nova 1614. obſervata,

Cæterùm mihi multum gratulor de Tuo conſenſu circa ſignificationem Cometarum. His enim efficaciam in actiones hominum voluntarias tribuo nullam, in aërem aliquam, ſi quidam eorum, quæ multorum eſt ſententia, in aëre generantur, vel ſaltim, quæ Hevelii mens eſt, aërem noſtrum trajiciunt. Ethicè tamen portendere Cometas bona bonis, mala malis, fidelis conſiliarii inſtar & concionatoris, dicere ſoleo, aſtra ſervire non ſævire, ut non timenda, ſic nec temnenda eſſe pronuncians. Atque hæc eſt totius meæ diſputationis ratio & ſumma.

Cometis efficientiam in mentem hominis nullam, in aërem aliquam Auctor tribuit,
Sententiam ſuam de Cometis exponit.

Antequam finio, meritò Tibi propono, quod ad totius Inclytæ Academiæ Veſtræ exiſtimationem ſpectat. Obiit nuper decurrente menſe Majo in urbe Veſtra Vir Ampliſſimus, & non tantùm Virtutum & eruditionis laudibus, ſed & illuſtriſſimis dignitatibus ac legationibus Clariſſimus D. Joannes Erneſtus de Rautenſtein, Amicus meus, dum viveret, eximius. Ejus funus à vobis rectà in meam domum eſt huc delatum, & hinc extra urbem honorificè elatum. Hoc in meo quoque opere, ubi Communicatio ejus familiam ducit, eſtque omnium maxima, efferre frequenti Senatu Philoſophico conſtitui. Quamobrem ad hæc juſta Viro Optimo & Optatiſſimo perſolvenda, ut alios, ita & vos invito. En Tibi quæ ego præſtiti in hoc officii genere, rogante præſertim Vidua. En quæ à Clariſſimo Viro Titio & Grutero accepi. Exſpecto plura, & orationem funebrem meditor. Vale, Vir Clariſſime, ac mihi porrò fave.

Rautenſteinio, Chilonii mortuo, à Chilonienſibus juſta perſolvi Auctor poſtulat,
Quidque ea fini in opere facere decreverit, Reyhero communicat.

Kilonio Hamburgum prid. Kal. Novembris 1666.

LIteræ Tuæ nudius tertius traditæ non potuerunt non eſſe gratiſſimæ. Præprimis quòd meas nuperrimas ſerenâ fronte à Te acceptas teſtantur, & præterea prolixam Nebuloſæ Andromedeæ deſcriptionem continent. Doleo autem jam me Tuis petitionibus ex aſſe reſpondere non poſſe, quam proxime autem quæ jam me debere confiteor, ut ſolvantur ſtudebo, nempe Schemata in Cometographica mea deſcriptione citata, nec non aliqua in honorem Generoſi B. M. Rautenſteinii. Scire autem jam deſidero num etiam in opere Tuo laudatiſſimo

Reyherus reliqua ſchemata & aliquid in honorem Rautenſteinii promittit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſimo mentio fiat ſtellæ tempore Nativitatis Chriſti à Magis Orientalibus obſervatæ? item num omnes figuræ æri incidantur, quod ſanè mea quidem ſententia maximos requirit ſumtus? Novi autem artificem, qui nitidiſſimas figuras Buxo tam exactè incidit, ut vix æneis palmam concedant. Tria adjeci ſchemata à jam dicto artifice nuper elaborata. Mitto quoque Diſſertationem de Mundo, & Programma de Milite Mathematico, ex quibus conatus meos in promovendo ſtudio Mathematico quadantenus perſpicere potes. Quæ ut æqui bonique facias, eſt quod rogo.

Buxo inciſa figuræ vix cedunt æneis.

Reyheri opuſcula Mathematica.

Hamburgo Chilonium die 9. 19. Novembris 1666.

EGregiam facilitatem & benevolentiam erga me declaraſti tàm promto & undique humano ac officioſo reſponſo, quod hodie accepi. Tuam ego in juvanda re literaria & exornanda tàm Academiâ veſtrâ quàm Spartâ tuâ dexteritatem, quam docta hæc ſcripta mihi miſſa, quæ pro temporis anguſti ratione percurri, loquuntur, veneror: Tuum verò erga me affectum exoſculor. En Tibi breve reſponſum, & ab occupato, & à non ſatis rectè valente datum. Schemata Tua cum deſiderio expecto: tùm quæ memoriæ Rautenſteinianæ meâ gratiâ promiſiſti. Stellæ tempore Nativitatis Chriſti à Magis viſæ in opere meo aliquoties memini. Cumprimis in Hiſtoria Cometarum, ubi eam inter Cometas poſui, multorum Virorum doctorum, Origenis veſtigia ſequentium, ſententiam ſecutus. Sublunare fuiſſe phœnomenon motumque habuiſſe inſolitum, palam eſt. At noſti quoſdam etiam Cometas infra Lunam ab iis poni, qui reliquos cælo intulerunt. Figuræ meæ omnes æri inciduntur, & nitidè quidem, atque, quantum me abſente, omnem tamen induſtriam adhibente, fieri poteſt, correctè, ideo non exiguo ſumtu. Veſtro artifici feliciter Chalcographos imitantem induſtriam gratulor. Vale.

Laudes ejus Auctor celebrat.

Stella Magorum cur Cometis accenſenda.

Kilonio Hamburgum prid. Idus Decembris 1666.

MOram in reſponſione admiſſam ne quæſo ſiniſtre interpretare. Variis enim negotiis impeditus illam adhuc differre coactus ſum. Duo jam ſchemata mitto, reliqua cum Carmine Rautenſteiniano ſine mora ſecutura promitto. De ſtella Nativitatis Chriſti tempore viſæ, ſequentia notatu digna fuiſſe hariolor, nempè illam primum apparuiſſe eo tempore, quo annunciata eſt conceptio Joannis Baptiſtæ. 2. Tempore annunciationis Mariæ per Gabrielem factæ, novo lumine inſigniter auctam eſſe. 3. Tempore Nativitatis Chriſti ſummo ſplendore imbutam novum aſſumſiſſe motum. 4. Magos à primo apparitionis tempore obſervationibus inſtitutis in naturam ejus inquiſiviſſe. 5. Non tantùm Scriptis Danielis, ſed etiam ſomnio divino edoctos fuiſſe de itinere, nova ſtella præeunte, ſuſcipiendo. 6. Fideliter ipſos inhæſiſſe itineri à nova ſtella monſtrato, quoad limites Palæſtinæ attigerunt, tum enim plus rationi humanæ, fidentes, neglecto duce cæleſti, ad Metropolim Hieroſolymam contenderunt, ubi perceptis vaticiniis de loco nativitatis, errorem agnoverunt, & Bethlehemum ſe conferre decreverunt, quo facto veterem ducem ſummo cum gaudio receperunt, & tandem ad ſtabulum Bethlehemiticum pervenerunt, ubi hiſtoriam conceptionis & nativitatis à Maria expoſitam cum obſervationibus ſuis conferentes, ſummam Sapientiſſimi & Omnipotentis DEI benignitatem admirati, monente Angelo per aliam viam ad ſuos reverſi ſunt. Niſi enim tempora hæc apparitionis, quæ diligenter ſcrutatus eſſe dicitur Infanticida in ꝟ. 7. hoc modo explicentur, vix ratio reddi poterit, cur non tantùm bimuli ſed etiam natu minores occiſi fuerint, ſecundum ꝟ. 16. Sed vale & favere ne deſine.

Stella Magorum hiſtoriola à Reybero compoſita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Chilonium die 25. Decemb. St. V. 1666.

Auctor reſponſum nonnihil tardius excuſat: Reliqua ſchemata à Reyhero ſibi mitti poſtulat:

PEr varia impedimenta nondum licuit mihi ad Tuas gratiſſimas literas reſpondere, quas ad me prid. Idus Decembres dederas. Id nunc paucis & unà gratias de miſſis ad me figuris obſervationum Tuarum ago. Exſpectavi enim has cum deſiderio. Exſpecto pariter reliquas, quas mihi poſtremis quoque literis Tuis pollicitus es, urgentibus amicis Batavis, ut ſibi omnes quamprimùm mittantur æri incidendæ. Mittes ergò mihi reliquas quàm citiſſimè, & ſimul me monebis de quibus ſculptorem monitum velis. Gratiſſima illa fuêre, quæ de Stella Magorum Chriſtum recens natum quærentium duce, mones. Et in tempore quidem de hac re ſermo fit in præſens, dùm hoc feſtum anniverſarium nativitatis Chriſti hodiè ſecundum veterem dierum computationem celebramus. Nil habeo quod Tuis addam de hoc argumento, quod in opere meo recens à lectione Riccioli attigi. Ut hoc feſti ſolenne & novus annus Tibi Tuiſque ſit felix multiſque paribus præeat, ex animo precor ac Te benè valere jubeo.

Votum novi anni.

Kilonio Hamburgum ipſis Idib. Febr. CIϽ IϽC LXVII.

Reyherus tarditatem ſuam excuſat, Reliqua ſchemata mittit.

IGnoſcas quæſo mihi tardius quam par eſt promiſſis ſtanti; tot & tanta enim adhuc impedimenta mihi fuerunt objecta, ut vix tandem me extricare, nec tamen omnino, potuerim. Hinc non ut volui, ſed ut potui, adjecta ſchemata ipſemet adornavi. Amicus enim qui priora delineavit, peregrè profectus nondum rediit. Unicum hoc ſculptores monitos velim, ut ſcilicet figuras & imagines pro lubitu corrigant ac comtiores reddant, ſi modo ſtellarum ſitus nullum patiatur detrimentum. Hæc ſunt Vir Generoſiſſimè, quæ hoc tempore ſcribenda duxi. Vale.

Hamburgo Chilonium die $\frac{18}{28}$. Aprilis 1667.

Auctor pariter tardum reſponſum apud Reyherum excuſat. Impedimentis optimæ quoque propoſita non carent. Conr. Yſenii operâ in delineandis figuris Cometarum Auctor utitur. Stellæ Magorum apparitionis & durationis tempus leviter tangitur. Magi ubi & quando Chriſtum recens natum invenerint.

TArdiùs & ego ad Tuas Idibus Februariis datas reſpondeo. Nam & hæ tardiùs, intra tres nempe hebdomadas, mihi redditæ erant, & me per hoc tempus diverſæ occupationes diſtrahebant, quo minus ſatiſfacere meo erga Te officio potuerim. Ipſe quoque expertus nuper es, quàm multa impedimenta objiciantur ei quoque, qui aliquid præſtare ex animo velit. Accepi Tua reliqua ſchemata, quæ M. Conrado Yſenio, egregio Matheſeos cultori, qui in meis ædibus ab aliquot menſibus vivit, accuratè delineanda tradidi. Ejus operâ & in delineandis omnium Cometarum, quorum quidem curſûs, vel ſitûs ſaltim, hiſtoria à me inveniri potuit, figuris utor. Spero itaque brevi Tua illa ſchemata æri inciſum iri. Nunc nil niſi memoriæ Rautenſteinianæ debita ex promiſſi fide, abs Te exſpecto, tum verò judicium de hiſce tribus rationum mearum decuriis, quæ pro ſententia mea diſputant. Cæterum Tuam illam ſententiam de ſtella Magorum ante conceptionem Joannis Baptiſtæ exortâ, nuper denuò expendere cœpi, & fateor eam lucis multum illi diverſis explicationibus obſcurato biennio, intra quod nati ab Herode crudeliſſimè trucidati fuerunt, adferre, dummodò certâ auctoritate probetur: præſertim Chriſtum à Magis in præſepi Bethlehemitico, quod & Ricciolius veterum quorundam opinionem, à Maldonato rejectam, ſecutus, contra Epiphanium urget, inventum fuiſſe. Hoc enim apertum documentum foret, ſtellam ante Chriſti ſaltim conceptionem exortam fuiſſe, & Magos mox à Chriſto recens nato Bethlehemum veniſſe, quod à multis affirmatur, licet Magos in domo, ſecundùm hiſtoriam Euangelicam (fieri enim id potuiſſe, ut advenis Bethlehemo dilabentibus Joſephus, & tenello infanti & matri recens puerperio defunctæ commodiorem & honeſtiorem locum in domo invenerit, credibile eſt) non in præſepi puerum inveniſſe

XXXIII.
COMMUNICATIO HAMBURGI-CAPELLANA.

JESU JUVANTE.

Hamburgi die VI. *Decembris Anno Chriſti U. Æ.* 1665.

S.P. Generoſe & Nobiliſſime Vir.

DE ætate Hipparchi, vis meam ſcire ſententiam. En Tibi illam, Hipparchum puto vixiſſe, ſub Ptolemæo (non Ptolomæo, ut malè paſſim ſcribitur) Philadelpho Rege, quæ Calviſii quoque ſententia eſt, deprompta ex Reineri Reineccii Syntagm. parte 3, qui pag. 67. illum ſub Ptolemæo Philadelpho collocat, iiſdem ferè verbis. Loquor de Hipparcho illo Niceno ſive Rhodio, qui Abrachis à Joh. Stoeflero vocatur, ſi is Hipparchus eſt, ita ab Arabibus dictus, ut Conradus Geſnerus putat in Appendice Bibliothecæ, cujus Ptolemæus, Plinius, Suidas & alii mentionem faciunt. Vide plurib. Voſſium de Matheſ. naturâ & conſtitutione p.m. 158. § 4, 5, 6. Suidas utitur voce ὕπατος, quæ apud Græcos Romanarum rerum Scriptores Conſulem notat, unde ὕπατα ſcilicet νομίσματα, de quibus conſulendus Meurſius in Gloſſar. Gr. barb. pag. 588. ἀνθύπατος illis Proconſul eſt. Sed obſcura φράσις eſt: *vivere ſub Coſſ.* Certè, ſi hic Coſſ. Regibus opponuntur, eſt illa temporis notatio nimis generalis. Neque quid ſibi velit hic loquendi modus, ex Faſtis Conſularib. Sigonianis eruere poſſum. Inter Græculos uſitatum credo, in antiquis reperiri vix puto Scriptoribus. Neque in libro, qui *Notitia Orientis & Occidentis* inſcribitur, quod ſciam, aut Curopalate hic ſermo occurrit. De nummis antiquis ita interdum loquuntur: *Eſt nummus Conſularis, Regius* & ſic porrò, ſed qui ita loquuntur, primo intuitu ita pronunciant, poſtea verò, re benè perſpectâ, accuratiores notiones formant & rem melius diſtinguunt. Vixit igitur ſecundùm Calviſium, & floruit Anno Mundi 3665. idem, ſi is eſt, obſervavit Anno M. 3791 & 3792. æquinoctium auctumnale. Nego, Calviſium hunc Hipparchum, ſub Anno Mundi 3791. collocare, ſed hoc puto illum indicare. Is Hipparchus, qui teſte Plinio. lib. II. cap. II. Nat. Hiſt. Solis & Lunæ, vel ut loquitur, *utriuſque ſideris curſum, in ſexcentos annos præcinuit*, is ipſe, ſub Ptolemæo Philadelpho Rege, Anno Mundi 3665. vivens florenſque, præcinuit, ut Plinius loquitur, vel obſervavit, ut Calviſius ait: in ſuis ſequentium annorum Ephemeridibus, æquinoctium autumnale A. A. M. M. 3791 & 3792. ut Dav. Origanus, circa hujus XVII. ſeculi initium florens, Solis eclipſin Anno 1654. obſervavit. Hactenus de Calviſio, nunc de Milichio. Non probat Milichius loqui Plinium lib. II. cap. 26. de Cometâ. Probet Plinium loqui 1. de Cometa. 2. de illo à Senecâ deſcripto. Inſcriptio certè hujus capitis XXVI. Plinii l. 2. Hiſt. Natur. non eſt de Cometis, ut præcedentis capitis XXV. Probet ex Ptolemæo Hipparchum 178. annis poſt mortem Alexandri M. vixiſſe, quod p. 271. affirmat, quem tamen, circa Ann. 40. poſt mortem Alexandri, eo tempore, quando Romani bellum geſſerunt cum Pyrrho Rege, vixiſſe ſcribit, p. 134. Multa dicit, ſed pauca probat. Hæc eſt, hodiè

Capelli de Hipparcho ſententia.

Hipparchi Aſtronomi ætas, patria, cognomen.

Hypatos quid denotet Græcis. Conſules.

Hipparchi ætas.

Calviſium de Hipparchi ætate Capellus tueri conatur.

Ephemerides ab Aſtrologis in futurum inſtituuntur. Milichius notatus à Capello.

 quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Error de Hipparchi ætate.

Voſſii de Hipparchi ætate ſententia.

quidem mea ſententia, ſalvo aliorum judicio. Qui contrarium ſtatuunt negant illum ſub Ptolemæo vixiſſe. Sed illi, ſicut urges, aut duos Hipparchos Aſtronomos probare, aut uni Hipparcho 150. ætatis annos adſcribere debent, & id quidem ex hiſtoriâ veritatis luce. Per me licet. Video enim Clariſſimum Voſſium de Hipparchi Obſervationibus, tanquam re præſenti loqui, ejuſque Obſervationes, ab Anno Mundi 2786. inchoatas, per 34. annos, ad Annum M. 3820. extendere. Si enim, ut Voſſius ſcribit, floruit Perſeo à Romanis capto, quod Ann. M. 3782. factum eſt, certè nondum floruit Ann. M. 3665. ſub Ptolemæo Philadelpho. Adſcribo verba Voſſii, ejuſque judicium de phraſi illa, quid ſit: *ſub Conſulibus vivere. Convenit*, ſcribit, *de ætate Suidas, ſed nimis laxè ait vixiſſe eum, dum ſub Conſulibus, ſua adhuc libertas conſtaret Romanis. Apertius diſtinctiuſque dixiſſet, floruiſſe Perſeo à Romanis capto, ac tempore belli Punici III. & Numantini.* Ego Te Generoſe & Nobiliſſime Vir, Jeſu Θεανθρώπῳ commendo, docere & diſcere paratus. Vale.

RUDOLFUS CAPELLUS
S. Th. D. & Prof. P.

Hamburgi die 7. Decembris 1665.

S. P. à XPO.

Generoſe & Nobiliſſime Vir.

Mithridatis ſive Mithradatis ætas & bella cum Romanis.

Hiſtoricorum de annis & bellis Mithridatis diſſidia.

Cometa natalibus & auſpiciis Mithridatis præluxit.

QUod ad alteram quæſtionem à Te propoſitam attinet, Mithradates (non Mithridates, ita enim in antiquo illius nummo reperio) VII. & ultimus, cognomento Magnus, Eupator & Dionyſus, Ponti Rex, ſuſcepit regni ſucceſſionem, annum ætatis duodecimum agens. Secundùm quoſdam LVI. ſecundùm alios LX. annos regnavit, qui & vixiſſe volunt annos 72. Bellum Romanorum cum Rege Mithradate, qui illi Syllam, Murænam, Lucullum, & Pompejum oppoſuerunt extendit ſe in annos 30. aliàs 40. al. 42. al. 46. Quorum tamen ſententias conciliari poſſe video, niſi vehementer fallor. Sed retraho manum. Victus tandem à Pompejo in Armenia, fugâ perdifficili reverſus in Boſporum, cùm liberorum & amicorum plurimos antea jugulâſſet, à Pharnace filio oppreſſus eſt. Teſtibus Appiano, Plutarcho, Dione, Strabone, Pauſaniâ, Cicerone, Plinio, Floro, Juſtino, & aliis. Obſeſſus à filio, Bithico Gallo, (rectius quàm Bithoco, Germanis Wittich) jugulum feriendum præbuit, ne in hoſtis poteſtatem perveniret. Plura vide apud Rein. Reineccium Syntagm. hiſtoric. pag. 137. & ſeqq. Meminit Juſtinus, quo anno natus fuit, & quo regnum iniit, Cometam per 70. dies fulſiſſe lib. 37. cap. 2. Incepit regnare Ann. M. 3830. Ante Chriſtum natum 118. victus Ann. M. 3887. ante Chriſti nativitatem 61. Regnavit igitur, per annos LVI. integros, LVII. regni occiſus eſt. Hæc in chartam conjeci raptìm. Rectiùs ſentientes amo & libenter audio. Ego Te Vir Generoſe & Nobiliſſime Chriſto commendo. Vale.

RUDOLFUS CAPELLUS.
SS. Th. D. & Prof. P.

Hîc Hamburgi die 7. Decembris Juliani 1665.

S. P. Vir Clariſſime & Doctiſſime.

Humanitas quid ſit: Celebratur in Capello.

Varronis laus.

Capelli laus.

LIteræ Tuæ, quas heri & hodie ad me dediſti, plenæ ſunt humanitate, non tantùm illa, quàm communiter ita vocamus, & pro benevolentia accipimus, ſed & illa politiori, per quam eruditionem intelligi vult Romanorum Doctiſſimus Varro, & qui verba Latina fecerunt iiſque rectè uſi ſunt, judice Gellio. Magno certè ſtudio incumbis in bonas artes, atque iis juventutem publicè privatimque

inveniſſe aſſerant. Atque hæc ſententia, ut ſuos patronos, ita & rationes habet. Ita namque ſtella naſciturum Regem (ut ſolent ejuſmodi phœnomena tàm natales quàm funera Regum præcedere) nunciaret, & biennium illud utcunque, currens ſcilicet non exactum, impleret. Saltem hæc ſententia ei accederet. Hac autem ratione non foret neceſſe ab ortu ſtellæ vel infanticidio, vel Magorum apparatui ad iter, ipſique itineri ex Perſide, vel etiam aliqua viciniori regione (Arabiam veterum quidam, quos Wilhelmus Langius, Joannes Vorſtius, Joannes Wichmannus & alii Viri ex Recentioribus Clariſſimi, ipſeque Magnus Hugo Grotius, ſequuntur, utpote Judææ, ſaltim quadam ſui parte vel reſpectu ortûs Solaris Auſtralis, Orientalem deſignant) non adeò longè à Palæſtina diſſitâ conficiendo, quod intra quinque circiter hebdomades commodè ſatis peragi poterat, biennium tribuere. Sed etſi quis in hac re perdifficili hallucinetur, ſeque emendet, excuſandus eſt ex æquo, cum & ipſe Magnus temporum Emendator Scaliger ſe ipſum hîc emendârit, Magorum adventui & morti Herodis annum Chriſti ſecundum tribuens, non tempus intra XL. à nativitate Chriſti diem, ſive tempus, quod purificationem anteceſſit, ſicut ante putavit. Sed hæc expendere noſtri non eſt inſtituti. Quæ non ita pridem Clariſſimus Hevelius, ad quem & de Tuo phœnomeno Andromedæo retuleram, & ſchema Tuum miſeram, ad me de hac re die 8. Februarii ſcripſerit, in adjunctis leges. Clariſſimus Bullialdus edidit nuper libellum, duo monita, de hôc ſcilicet phœnomeno & ſtella Ceti, quam ille die XX. Clariſſimus Hevelius autem XXIII. Januarii primùm obſervavit, continentem. Tu ſi quid de his habes, verbo mone, & fac, ut reſpondeas brevi, & ut rectè valeas ac proſperè agas.

Unde venerint.

Scaliger ſeipſum de tempore adventûs Magorum correxit.

Bullialdi monita duo Aſtronomis de phænomeno Andromedæo & ſtella Ceti data.

Kilonio Hamburgum die XIIX. *Aprilis* CIƆ IƆC LXVII.

LIteras Tuas nudius tertius datas jam accipio, jam quoque ad præcipuum caput reſpondeo, reliqua ob temporis brevitatem ad proximam occaſionem differre coactus. Hevelii Illuſtris illius noſtrorum temporum Atlantis verba non penitus intelligo, quantum autem conjicere poſſum, Magnus ille Vir ex ſolo ſchemate judicium de mea ſententia tulit, quia putat me Cometam Aprilem Anni 1665. pro inſolito phœnomeno & à me unicè animadverſo venditare, quod nunquam in mentem venit, nec etiam venire potuit. Obſervavi enim illum Cometam Lugduni Batavorum, ubi Clariſſimus Golius aliique ſexcenti eandem ſtellam deprehenderunt. Nec etiam aliud in mea deſcriptione dixi. Ad alterum quod attinet, nempe de nebuloſa Andromedæ, itidem aliud teſtantur verba mea, quibus expreſſè teſtatus ſum me dubitare, utrum nova ſit, nec ne? & propter ſolitariam obſervationem judicium meum me ſuſpendere; non quòd ab aliis obſervata non eſſet, ſed quod alios obſervaſſe non ſatis mihi conſtiterat. Tunc ergo ſolicitus eram de aliorum accuratioribus obſervationibus. Alias enim publico ſcripto ſententiam meam propalaſſem, quàm meritò à Tua Generoſitate certior de aliorum ſententiis factus, retraxi. Quid autem per illa verba velit, *Sed nec hucuſque aliquid oſtendit*, fateor me non intelligere. Utrumque enim Phœnomenon & Cometicum & nebuloſam oſtendi, quamvis non eo modo, prout ſæpè laudatus Hevelius meas obſervatiunculas interpretatus eſt. Sed jam Vale & Favere ne deſine.

Hevelium Reyherus laudat.

Cometa vernus 1665. non inſolens phænomenon.

Reyherus ſuam de phænomeno Andromedæo ſententiam explicat.

Kilonio Hamburgum prid. Nonas Majas MDCLXVII.

NUper quidem ad Tuas reſpondi, ſed plurima in aliud tempus reſervare coactus ſum. Jam iterum aliqua, non tamen omnia ſolvere paratus. Puto autem fore, ut ob negotia inducias conceſſurus ſis. Nunc igitur mitto monumentum Rautenſteinianum, quod ſi arriſerit, reliquis adjungi, ſin minus, aboleri poterit. De Phœnomeno Andromedæ nihil habeo quod moneam, niſi quod

Reyherus amplius de phænomeno Andromedæo monet.

Monumentum Rautenſteinianum mittit.

quod ex Bibliotheca Generoſiſſimi à Qualen, ſummi Aſtronomiæ cultoris, mundum Jovialem Simonis Marii acceperim, & monente Ricciolio nonnulla in præfatione invenerim, quæ excerpenda curavi, & his adjeci. De dubiorum ad meam ſententiam de Magorum ſtella repoſitorum reſolutione, nec non de argumentis nonnullis Aſtrologorum ſuperſtitionem evertentibus, proximè, volente DEO, plura. Vale.

Reliqua ſua promittit.

Simon Marius in Mundi Jovialis præfatione.

Mundus Jovialis Simonis Marii.

MEdiante perſpicillo à die 15. Decemb. Anni 1612. inveni & vidi fixam vel ſtellam quandam admirandæ figuræ, qualem in toto cælo deprehendere non poſſum. Ea autem eſt prope tertiam & Borealiorem in cingulo Andromedæ. Abſque inſtrumento cernitur ibidem quædam quaſi nubecula, at cum inſtrumento nullæ videntur ſtellæ diſtinctæ, ut in nebuloſa cancri & aliis ſtellis nebuloſis, ſed ſaltim radii albicantes, qui quò propriores ſunt centro, eò clariores evadunt; in centro eſt lumen obtuſum & pallidum, in diametro quartam ferè gradus partem occupat; ſimilis ferè ſplendor apparet, ſi à longinquo candela ardens per cornu pellucidum de nocte cernatur. Non abſimilis eſſe videtur Cometæ illi, quem Tycho Brahe anno 1586. obſervavit, menſe Septembri anni ſuperioris, quando mecum erat Doctiſſimus Vir M. Lucas Brunnius Illuſtriſſimi Electoris Saxonici Mathematicus inter alia tunc Mathematica colloquia quia ſe offerebat grata ſerenitas, etiam hanc ipſi ſtellam monſtroſam commonſtravi, quam ſumma cum admiratione vidit. An autem nova ſit nec ne, certò aſſeverare nequeo, diſpiciant & judicent id alii. De oculatiſſimo Domino Tychone miror, qui borealiori fixæ in cing. Androm. inſtrumentis ſuis locum ſecundùm longum & latum præfinivit, hanc tamen nebuloſam intactam reliquit, quæ tamen proxima eſt illi.

Nebuloſa in cingulo Androm. Septentrion.

Cometa 1586. viſus.

Lucas Brunnius.

Tycho laudatur,

Nebuloſam in Androm. prateriit.

Hamburgo Chilonium die 28. Maji 1667.

SEntentiam Tuam de phœnomeno Andromedæo gratus accepi, & Clariſſimo Hevelio communicavi. Accepi monumentum Rautenſteinianum, quod quia placuit, miſi in Hollandiam addendum operi: Quò intra paucos dies reliqua inter me & Te communicata mittere decrevi, ad metam omni niſu contendens. Satis enim adhuc precibus Amicorum hæc vel illa operi inſeri cupientium, tum votis tàm argumentum Cometicum mecum tractantium, quàm ut hoc accuratè pertractaretur, & pro noſtra virili perficeretur, poſtulantium, denique boni publici ſtudio dedi. Nunc itaque rumpo omnes moras & ad finem propero. Quæ proinde Tuis addi velis, mitte ſine mora. Vale & fave.

Rautenſteinianum monumentum Chilonienſe Auctor laudat, & in Hollandiam mittit inſerendum operi,

Hujus perfectionem anhelat.

Opus hoc cur tàm tardè prodeat.

XXXIII. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

vatimque ad humanitatem, imò & ad pietatem, informas. Benevolentiam & dexteritatem Tuam me feliciter potitum eſſe, gratanter dico. Ac proindè ut officium bono amico ergà Te officioſo & promto candore dignum fungar, omnem do operam. Nec alio me unquam in Te animo experiêre.

Amicitiæ officia.

Quòd illa, quæ inter me & Clariſſimum Dn. Buſmannum aliquot epiſtolis pertractata ſunt, ſcilicet de ætate Hipparchi & Mithridatis, & de Cometis circà mortem Ludovici Pii, perlegere & ad examen accuratum revocare volueris, multum mihi de eo gratulor. Novi enim Te multâ lectione, felici memoriâ & inſtructâ bibliothecâ pollere. Argumento eſt & hæc utraque epiſtola boni ſucci plena.

Capelli laus, & Bibliotheca.

Stas in priori pro Reineccii & Calviſii de Hipparcho Ptolemæi Philadelphi æquali ſententia, dicisque Ptolomæum, illum ſcilicet celeberrimum Mathematicum (quem quidam cum illo Rege Philadelpho confundunt) ejus, utpote ὁμοτέχνȣ, meminiſſe. Ptolemæus ad manus mihi non eſt. Tua Bibliotheca copioſa cum dubio procul poſſidebit. Ego ex allegatis Calviſii & Voſſii video, illum obſervationes octo æquinoctiorum auctumnalium & vernorum ab Hipparcho factas ita annotaſſe, ut ſi annos Olympiadum, Nabonaſſari & periodi Calippicæ ſive Alexandræ, quam Ptolemæus allegat, ad Calendarium Julianum & epocham Chriſti alligemus, Hipparchus nobis in Ann. Mundi 3788. & ſequentes collocandus ſit.

Errorem Calviſii ex Reineccio deſumtum de ætate Hipparchi Auctor demonſtrat.

Ptolemæus Mathematicus à Ptolemæo Philadelpho diverſus.

Hipparchi vera ætas.

Obſervationes Origani, quas allegas, ut & Herlicii in futurum factæ, illis Hipparchi à Ptolemæo recenſitis comparari nequeunt. Tunc enim ab eo, non in futurum factæ eſſe memorantur.

Ephemerides Hipparchi ab ephemeridibus Origani & Herlicii diverſæ.

Ipſe Calviſius, quem, ut Virum in re Chronologica, ipſius Maximi Scaligeri judicio, Magnum meritò defendis hâc in re, Hipparchum, quòd periodus illa Calippica vitium jam faceret, periodum ſuam, quam exactius (vocem Calviſii retineo, & Pomponii Melæ auctoritate tueor, nonnullis ſuſpectam) ad Lunæ curſum conformaverat Anno Mundi 3807. inchoaſſe memorat. Sequitur Alſtedius Chronolog. pag. 43. & 63. Conſentit Helvicus ad annum Mundi 3813. ab U. C. 616. nec non Voſſius, quem vidimus.

Exactius an vox Latina?

Hipparchi ætas paulùm producta.

Sed & Petavius, cujus verba, etſi pro Te reſpectu Obſervationum Hipparchi facere videantur, quia tamen ad illuſtrandum veritatis certum faciunt, exſcribere juvat. *Eodem intervallo* (ſcilicet poſt Olymp. 150.) *Aſtronomiæ Princeps extitit Hipparchus, cujus obſervatio prima æquinoctii autumnalis congruit Anno Mundi* 3822. (ſecundùm Calviſium 3788.) *Urbis* 592. *ut auctor eſt Ptolemæus, verni autem æquinoctii ultima cadit in Ann. M.* 3826. *Urbis* 626. *Quocircà Lunares eclipſes, quas ex Hipparcho Ptolemæus refert in fine quarti; quarum prima incurrit in Ann. M.* 3783. *Urbis* 553. *non videntur Hipparchi ipſius oculis notatæ, ſed ab aliis acceptæ. Nam intervallum ab hac eclipſi, ad ultimum æquinoctium ab Hipparcho deprehenſum annorum eſt* 74.

Petavii de Hipparchi ætate ſententia.

Vixit & Attalus eadem ætate non ignobilis Grammaticus, nec Aſtronomiæ rudis, qui Aratum commentariis illuſtravit. Ration. Temp. part. l. 4. c. 13. Convenit hoc Petavio cùm Voſſio, qui in idem temporis Hipparchum & Attalum refert libro à Te allegato pag. 156 & 159. Hæc cuncta an Tuis rationibus conveniant, quâ es ſolertiâ, judicabis.

Attali Grammatici ætas & commentaria in Aratum.

Pariter an Hipparchus, de quo Plinius lib. 2. cap. 12. ſcribit, in tempora Ptolemæi Philadelphi cum Calviſio referri poſſit. De eodem enim Hipparcho cap. 13. refert: intrà ducentos annos (abhinc ſcilicet quo iſta Plinius memorat) illius ſagacitate compertum fuiſſe, & Lunæ defectum aliquando quinto menſe à priore fieri. Atqui ab Anno Mundi 3665. quo Hipparchum, Rege Philadelpho Alexandriæ, unà cum aliis Viris præſtantibus artes liberales excitaſſe Calviſius prodit, ad annum antequam illa Plinius ſcriberet ducenteſimum, id eſt, à condito mundo 3825. in quod tempus Hipparchum ipſe Calviſius & reliqui illi auctores ponunt, intervallum eſt centum quinquaginta amplius annorum, cujus dimidium Petavius, ut vidimus, in argumentum attulit, obſervationes illas Lunares ad Hipparchum non eſſe referendas.

Milichii error de uno eodemque Hipparcho confirmatur.

Quamvis verò vel Te ipſo indicante plures ejuſdem nominis dari non ignorem, tamen duos Hipparchos Mathematicos in foro Hiſtorico demonſtrare, res eſt ardua. Imo, ſi ſua tot Scriptoribus conſtat fides & auctoritas,

Hipparchi plures fuêre, At Mathematicus unus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hipparchi ſtella fuit Cometa. *Mithridates an Mithradates dicendum.* *Reineccii laus.* *Voſſius alter Varro.* *Hipparchi unius intervallum irreconciliabile.* *Milichii diverſæ editiones,* *Et mors.* *Capelli ſententiam de Cometis circa mortem Ludovici Pii Auctor exquirit.*

ritas, nullâ ratione juſtâ id evinci poſſe video. Plinius certè unius ejuſdemque Hipparchi lib. 2. c. 12, 13 & 26. meminit. Hic autem per illam ſtellam ævo ejus congenitam & ab eo deprehenſam, Cometam intelligi, poſt Milichium probare contendit Keckerm. Syſt. Phyſ. lib. 6. cap. 5. p. m. 963 & 964 ubi & Tychonem huic ſententiæ favere dicit. Sed de his plura leges in literis inter me & Clariſſimum Buſmannum commutatis, ad quem poſtremas meas en Tibi, & reſponſum ejus ad illas, quod jam jam accepi. Ibi etiam plura videbis de Mithridate illo Pontico, ſive potius Mithradate, ſicut ex Reineccio magnæ eruditionis & ſolertiæ viro, mones. Ita Tu cum doctis ſentis, ego cum vulgo, verumtamen & cum orbe erudito, ut noſti, loquor, nec ignarus eorum, de quibus nos Varro noſter monet, Perſicum eſſe Μιθραδάτης à Mithra, qui Perſis eſt Deus Sol. Voſſ. de vitiis ſermonis cap. 10. quâ de re quid in ſecundo de orig. idolol. cap. 8. (qui liber non eſt mihi) habeat, velim verbo innuas. Video autem Mithridatis vitæ & imperii ac bellorum annos facilius quàm illos Hipparchi conciliari poſſe. Nam in hoc intervallum illud Calviſianum & Milichianum ejuſdem Hipparchi, impendio conciliari nequit. Sed vide quid Buſmannus ſcribat, ſe ſcilicet in ſuo exemplari Comment. Milichii verba illa de Hipparchi ætate ad c. 12 & 26. non legere. Hoc tamen non miror, cum exemplar ejus Halæ Suevorum Anno 1538. meum autem Francoforti 1553. ſit impreſſum, paulò ante mortem Auctoris, quæ in annum 1559. incidit. Exſpecto quid ad illud haud leve diſcrimen de Cometis, circà mortem Ludovici Pii, viſis, ſis dicturus. Vale, Vir Humaniſſime, & mihi conſtanter fave, qui ſum

Tuus omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ.

Hamburgi die 17. Maji Anno Chriſti V. Æ. CIↃ IↃC LXVI.

Hipparchi ætas à variis auctoribus deſcripta, difficulter determinari poteſt. *Mithradates dicendum eſſe Capellus probat.* *Mithra Perſis Sol.* *Mithridax.* *Mithridates & Mithradates dicitur.* *Caroli M. ætas diverſa à diverſis annotatur.*

REctè tuas accepi, ad quas reſponderem pluribus, ſi per temporis anguſtiam liceret. De Hipparcho video rem eſſe ſubdifficilem. Ptolemæus (ex quo Milichius hæc deſcripſit) Almageſti l. v. c. 5. p. m. 112. ed. Gr. Baſil. Ann. 1538. teſtatur Hipparchum 197. poſt Alexandri (Magnum intelligo) mortem annis, ſive 124. ante Chriſtum natum annis obſervaſſe motus ſyderum. Sed de hac re alias. De voce Mithradates res clara eſt. Mithra Perſis Sol eſt. Strabo lib. 15. Notat & primarium illorum Sacerdotem, apud Apulejum. Et Mithriaca ſacra, ſunt ſacra Solis ſive Oſyridis apud Lamprid. in Commodo, & Strabonem lib. 11. Conſulatur Caſaub. in Athen. lib. 5. Mithridax eſt gemmæ nomen, quæ ☉ repercuſſa colorib. micat variis. Plin. lib. 37. 10. Iſidor. lib. 16. 12. Aliis mithrax & mitrax. Erat enim Sol primarius Perſarum Deus. Heſychius, μίθρας, inquit, ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις Θεός. Mithri autem in comparativo gradu, à poſitivo Mither, quod idem eſt quod μείζων, Majorem notat, dynaſtam & dominum. Certè in compoſitione Mithir, Mithri, Mether præponitur. Hinc מִתְרִידָתָא & מִתְרְדָתָא & Μιθριδάτης & Μιθραδάτης. ΜΙΘΡΑΔΑΤΗΣ in nummis hujus Regis occurrit. De voce דתא Data nihil affirmo, ſitne appellativa, an verò propria. Vide Scalig. lib. vi. de emend. temp. & Martin. in Lexico Philolog. De Carolo M. certum eſt, illum Ann. D. 800. 25. Decemb. electum eſſe, obiiſſe verò Ann. 814. 28. Januarii die, poſtquam per ann. 13. m. 1. d. 3. imperâſſet. Ita Einhardus ſive Eginhardus, qui hoc monumentum adducit, *Hæc ferè ſunt verba*, ſcribit. *Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus Caroli M. atque Orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos 47. feliciter tenuit* (aliàs rexit.) *Deceſſit ſeptuagenarius Ann. Domini* 814. *indict.* 7. v. *Cal. Febr.* Cui hæc non ſatiſſaciunt, neſcio quid illi ſit ſatis. Diſcrepantia, fateor, levis occurrit in vitæ & regni annis, apud recentiores. Tilius in Chronico Reg.

Franciæ

Franciæ regni 47. Cuſpinianus 46. turpis ille nugator Turpinus cap. 32. annos 47. Crentzhemius regni Gallici 46. Italici 43. ſcribit. Ita quoque in ætatis annis diverſitas, ſed levis occurrit. Tilius 72. Cuſpin. 71. Epitome ætatum mundi, liber Lubecæ Ann. 1475. excuſus & Annales Fuldenſes circiter 71. Eginardus ipſe ſcribit, æt. Anno 72. In inſcriptione ſepulchri eſt ſeptuagenarius. Ludovicus Caroli M. filius patris ſucceſſor regnavit ann. 27. ut Lauriſhamenſe Chron. Idem confirmat Aſtronomus Ludovici Imperatoris domeſticus, qui dicit illum xii. Cal. Julii, ſeu 20. Junii die obiiſſe diem ſupremum. Incœpit regnare Ann. 814. 30. die poſt mortem patris Caroli M. id eſt die 27. vel ſi placet, ultima Febr. menſis. Regnavit igitur per annos 27. m. 3. die 20. uſque ad 841. diem 20. Junii. Hæc indicare volui. Benè Vale.

Turpinus notatur.

Ludovici Pii ætas.

Hamburgi die ult. Jan. Juliani 1667.

S. P. Vir Clariſſime & Humaniſſime.

Epiſtolam, quâ meæ die 7. Decembris Jul. 1665. datæ reſponderas, die 17. Maji 1666. cum nondum eſſet perfecta, Tibi finiendam reddideram. Hanc mihi heri Humaniſſimus Vir Juvenis M. Bartholdus Feindius Tuo nomine tradidit. Pro qua, licet exſpectatione & votis meis breviori, variæ tamen eruditionis plenâ, gratias Tibi debitas ago. Neque verò amplius moleſtus Tibi eſſe pergam quæſtionibus meis. Peccarem enim fortaſſe in Tua tempora: illas verò quæſtiones judicio Virorum doctorum, quos de his conſului, expeditas eſſe, in opere meo, brevi, Deo volente, videbis. Mithridatem & Mithradatem ſcribi poſſe certum eſt. Melius latinè Mithridatem, ut Maſiniſſam, Maſſiliam, Catinam, Numidas, Agrigentum dici, Mithradates Græcum eſſe, Doctiſſimus Bongarſius not. in Juſtini lib. xxxvii. monet. Verum tamen ſive quis ſic, ſive ita legat, ut & ſive cum Italis Guelphus, Guilhelmus &c. ſive cum aliis Welphus & Wilhelmus pronunciet, ſive cum doctis Karolum, Kalendas &c. ſive cum vulgo Carolum, Calendas &c. ſcribat, ferendus & libertati ſuæ in talibus relinquendus eſt. Hanc Te in his levioribus admiſſurum, qui eam in gravi & arduo de Cometarum ſignificatione argumento, Tuo programmate publico prid. Kal. Maji MDCLXVI. dato & ad me miſſo tueris, nullus dubito. Tàm de munere iſto quàm de ſententia æqua Tibi gratias etiamnum ago. *Cometam* ibi meteorum fugax & ſubitaneum, tumultuarium atque extemporaneum ignem, in fluxa elementari regione reſidentem, & à fixis ſtellis æternis ignibus & conſtantiſſimo naturæ opere diſtinctum vocas. Noſti quid de his Seneca ex ſua & aliorum Philoſophorum mente dicat. Ego in his quoque tantò magis quòd ſint adeò ardua, & de quibus nil certi ſtatui poſſe Magni quoque Viri, ipſique curioſi Arabes, arbitrantur, libertatem ſentiendi, eamque inviolatam cuique relinquo, licet alioqui diſſenſum meum non diſſimulem. Sed ſi Tu qui hoc modo Cometam deſcribis, indifferentem vel æquam Cometarum ſignificationem admittis (utrumque cum multis Viris doctis commune habes) certè tolerandam dicis: quantò meliori jure hanc urgent, qui Cometam cæli prolem & incolam, vel etiam civem perpetuum ſtatuunt? At vero piè & prudenter mones, bonorum Virorum eſſe, in tanta ſententiarum varietate ſecuritatem & contemtum fugere, nec illum mentibus profanorum aliàs hominum inſtillare. Atheos enim, Epicuri de grege porcos & pſeudo-politicos quoſdam fautores ſuæ ſententiæ invenire facilè quemque poſſe. Hos Cometa meus, Præco in foro, Concionator in choro Ethico conſtitutus, non tantùm officii ſeriò admonet, ſed & ſcelerum arguit, ac merita iis denunciat ſupplicia. E regione probos & pios ad virtutem conſtanter adverſus ſeculi blanditias & furorem ſectandam hortatur, felices eos eſſe, etſi adverſis exerceantur (hoc Tu piè Danielis in fovea Leonum, Joſephi in carcere, Pauli in navi periclitantium exemplis aſſeris) docet,

Bartholdi Feindii laus.

Mithridates melius Latinè dicitur: Mithradates Græcum eſt.

Guelphus & Guilhelmus æquè ut Welphus & Wilhelmus rectè dicitur.

Capellus in quæſtione de Cometarum ſignificatione dijudicanda æquus.

Cometicum argumentum perdifficile, nil certi de eo concludi poteſt.

Cometarum ſignificatio æqua & indifferens affirmatur.

Medio tutiſſimus ibis.

Auctor ſuam de Cometar. ſignificatione ſententiam aſſerit.

Virtutis ſectatori nec illecebræ nec iræ ſeculi curandæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

docet, ac ſpe bonorum indubitata certos reddit. Ideo Cometarum phœnomena aliaque cœli ſigna, ut non timenda, ita nequaquam temnenda; ſed ut invitamenta & incitamenta virtutis contemplanda eſſe toties repeto, inculco & urgeo. Hâc mediâ viâ ſpero me Tuum, Vir Doctiſſime, & aliorum Tui ſimilium, virtuti & libertati amicorum adſenſum conſecuturum eſſe. Cæterùm quî Bertio, quem allegas, *meridiani* iique matutinis oppoſiti Cometæ fauſti putantur? Mizaldus ex Porphyrio Lunares Cometas in occaſu eſſe omnium bonorum prænuncios refert. Keckermanus Cometam Lunarem ab aliis prorſus omitti & tolli, ab aliis diverſi colorem poni: Jovialem verò bona quoque ferre ex Cardano adfert. Eidem Cometa ad occaſum tendens optimam & temperatam anni conſtitutionem ſignificat ex ſententia Porphyrii: ex mente verò aliorum clandeſtinos motus & bella civilia, referente eodem Keck. Verùm is Lunares Cometas, ut & ad Auſtrum tendentes, mala ferre ait. Hinc videmus & Aſtrologos ab ſe ipſis hic diſſentire, & Cometas non omnes, ſed quoſdam tantùm, nec per ſe ſed ex accidenti, pro ratione ſcil. ſitûs, motûs vel coloris, triſtia portendere. Bonſinio & Trithemio Tuo non amplius aſſiduo, ut antehac utor: aliquando tamen eos inſpicio. Itaque fretus Tuâ benevolentiâ utrumque ad exiguum tempus retineo, Sifardum remitto, Tuamque facilitatem in juvandis meis conatibus celebro gratus. Vale diu & feliciter ac conſtanter fave.

Medium tenet Auctor.

Cometa meridiani iique matutinis oppoſiti Bertio, fauſti putantur:

Quinam fauſti ab Aſtrologis judicentur.

Cometomantes ſibimet contradicunt.

Capell. quibuſdam libris commodatis Auctor utitur.

Ejuſdem benevolentiam celebrat.

Tui ſtudioſiſſimo

LUBIENIECIO.

XXXIV. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXXIV.

COMMUNICATIO HAMBURGI-BLUMIANA.

Hamburgi die 6. Decemb. Iuliani 1665.

NOva Tibi abſque dubio, Vir Generoſe & Nobiliſſime, Domine colendiſſime, videtur hæc mea, hominis tot partibus minoris, compellatio: quam tamen, ſi cauſam ejus cognoveris, minus Tibi admirationis parituram confido. De qua, ſi moleſtum non eſt, paucis ſic habere Te velim. Miſit ad me Fridericus Hofman, Collega Scholæ S. Joh. ſextus, epiſtolam quandam Clariſſimi Buſmanni ad Te ſcriptam. In qua Clariſſimus Vir de Cometâ, qui tempore Ludovici Pii in Signo Virginis effulſit, multa diſputans, adſignare me in libello de Cometar. Signif. ex Th. Fieno, Liberto Fromondo aliiſque nuper compoſito, ait illum Cometam anno 836, ſeductum ex Voſſio de Hiſtoric. Latin. Eam epiſtolam, ut & doctam laudo & antiquitatis plenam, ac ſi intervenire temerè divinis illius Viri curis liceat, reſponſurum me illi vel hodie promitto. Interim ad Te, Vir Generoſe, cujus ex eruditione fructus, ex elegantia ſermonis voluptas, ex virtute Nobilitas nuper mihi in Bibliotheca noſtrâ pulcherrimè eluxit, nunc hanc ſcribendi provinciam deſumo, ſi non ob aliud, at ut ſcias, poſſe me quidem reſpondere cum Cicerone, *Si in hoc erro, libenter erro. Eſt enim idipſum lucro apponendum, quòd decipimur. Quippe voluptatem certè aliquam falſa quoque opinio nobis conciliat:* malle tamen, amoto joco, id quod res eſt, dicere, nimirum non me ex Voſſio, ſed Clariſſimum Virum ſua conjecturâ ſeductum eſſe; Nobilitatem verò Tuam rectè conjeciſſe, numerum ſenarium à typotheta poſitum eſſe pro novenario. Nam cum eum ſermonem, quem doctiſſimi quondam Viri habuiſſent de hac quæſtione (an Cometæ præſagiant mortem Principum?) ad conſiderandum ponere conſtituiſſem, vel ut illa opinio, quæ ſemper fuiſſet tolleretur, Cometas fatorum conſcios eſſe, & Regibus ac Principibus Viris ſemper denunciare aliquid triſte: vel ut alii haberent parata, unde ſumerent, qui vellent idem argumentum tractare; vel ut diſſentientibus gratum facerem, qui vellent ea, quæ exiſtimarem à doctiſſimis Viris de illa quæſtione probabiliter eſſe dicta, examinare: deberi hoc à me tantis hominum ingeniis putavi, ut illorum verba nudè recitarem, literam nullam immutarem, ſi poſſem. Quod hôc etiam feci libentius, quia meum non erat, ab aliis commiſſa præſtare, gyro quidem tàm exiguo, & in iſtis tàm paucis pagellis, quas tunc in lucem emiſi. Præſertim cum id ipſum fieri commodius poſſe arbitrarer in hiſtoriâ Cometarum, quam quidem tunc moliebar, nunc vero in ſpongiam incumbere juſſi, poſteaquam mihi renunciatum eſt, idem argumentum longe accuratius tractari ab Ampliſſimo Domino Hevelio.

Blumii modeſtia.

Frid. Hofman.

Blumius ſuam de Cometa 836. ſententiam affirmat.

Buſmani laus.

Auctoris ſtudia Blumius approbat.

Blumius nuperi de ſignificat Cometar. libelli editionem defendit:

Hiſtoriam Cometarum, quam moliebatur, quòd Hevelium idem argumenti tractare acceperit, reliquit.

Habes cauſam, Vir Nobiliſſime, cur in numero 839. quem repperi apud authorem vitæ Ludovici Pii, tam in editione Reuberi, quæ Francofurti prodiit anno 1584. quàm in corpore Hiſtoriæ Francicæ, quod editum eſt Hanoviæ anno 1613. nihil immutare voluerim. Quod vero ad ſummum Virum Joh. Gerhardum Voſſium attinet, an apud illum unitas exciderit, viderit D. Buſmannus. Ego quidem quod eſſe verum maximè cupio, verum eſſe facilimè

Voſſii laus.

Ludovici Pii imperii anni variè ab Auctoribus ponuntur.

mè patior. Interim non neſcis, imperii Ludovici Pii initium variè poni apud Scriptores. Alius enim illud inchoat ab Anno 812. alius ab anno 813. alius ab anno 814. alius ab 815. Cujus varietatis cauſa eſſe videtur, quod Ludovicus Caroli M. filius, 8. Kal. Jan. anno 812. Auguſtus appellatus, imperavit cum Patre annum unum menſem unum, & dies aliquot: quemadmodum videre eſt apud Sigebertum Gemblacenſem, Tritenheimium & Onuphrium Panvinium. Solus autem imperare cœpit poſt Patris mortem anno 814.

Cometa magnus ante mortem Ludovici Pii Anno 837. fulſit.

Hoc eſt unum: alterum eſto, ſi de tempore & anno pronunciandum ſit, quo Cometam illum effulſiſſe putem: illud dico, quod ſemper verum eſſe duxi, apparuiſſe illum anno 837. Hæc ſententia nec nova eſt, nec ignota ſuperioribus ſeculis, & habet multos ex Hiſtoricis fide dignis, qui idem aſſerunt. Confirmari tamen vel maximè poteſt rationibus & argumentis, ex rerum eo anno geſtarum, & apud Authorem Vitæ Ludovici Pii, Aimoinum, Reginonem, Sigebertum Gemblacenſem Tritenheimium, Authorem Annalium Fuldenſium, alios, deſcriptarum collatione petitis. Ex ea enim re, ut puto, tandem aliquando quaſi lumen quoddam, & velut ex cineribus ac carbonibus redivivus ille Cometa iterum effulgebit. Si modo id, quod pugnare aliquo modo videtur, commodâ interpretatione lenire velis. Ad argumentum Clariſſimi Buſmanni quod attinet, à Regibus Scotiæ deſumptum, firmum ſatis mihi quidem illud videtur. Hoc tantum moneo, quod optimus Chronologiæ Author Chriſtophorus Helvicus, iiſdem veſtigiis jam olim ingreſſus ſit ad inveſtigandum Ludovici Pii annum vigeſimum quartum, qui eſt 837. Extremum illud erit. Rogo Te, Nobiliſſime Domine, ut me inter cultores tuos numerari patiaris. Quod ſi feceris, mihi ſanè maximam injeceris curam cavendi etiam atque etiam, ne quo vel tempore, vel caſu, favore Tuo videri indignus queam. Vale Vir Nobiliſſime quam diutiſſimè, quàm feliciſſimè.

Helvici laus.

Nobiliſſimi Nominis Tui perpetuus cultor
JOHANNES BLUM, *Bibliothecarius.*

Hamburgi die 13. *Decemb. Juliani* 1665.

S. P. Vir Clariſſime & Humaniſſime.

Lex naturæ, humanitatis & religionis Chriſtianæ mutuam dilectionem nobis imperat.

MInimè opus Tibi fuit tàm operoſâ apud me excuſatione. Novi enim quibus legibus vivant, ſaltem vivere debeant, Homines, quos naturæ & inſtitutionis humanitas ad omnem benevolentiam ducit, iique Chriſtianum nomen auguſtum gerentes, quos optima diſciplina, ut ad omnem ſanctitatis perfectionem, ita præcipuè ad mutuam charitatem aſſiduo permovet. Imò verò rem mihi feciſti gratam, quòd humanitatis plenâ epiſtolâ me adire volueris: Ego quidem occupationibus meis aſſiduis momentum temporis, mihi, non tibi, ut eventus docuit, accommodum, ſuffuratus, aliquoties Bibliothecam, ut Te compellarem, adii. Sed cum mihi tàm beato, ut Te quæſitum reperirem, eſſe non licuerit, epiſtolam Clariſſimi Buſmanni Doctiſſimo Hofmano, Amico cummuni, Tuo verò etiam vicino, Tibi exhibendam tradidi. Quamvis enim Te in literis ad Buſmannum non nominârim, tamen officii mei eſſe duxi epiſtolam ejus, quod Te, licet ἀνωνυμῶς, tangat, Tecum communicare, ut certior de Tua ſententia fierem. Quod vero & Hofmanus epiſtolam illam Tibi porrexerit, & Tu ad eam tàm amicè & eruditè reſponderis, uterque officio humanitatis egregiè functi eſtis. Gratulor mihi de hac conjectura, quâ mentem Tuam de Cometa Anno 839. non 836. mortem Ludovici Pii præcedente, aſſecutus ſum. Animadverto tamen rem hanc haud levi difficultate eſſe implicitam. Quæ de hoc argumento cum Clariſſimo Buſmanno primùm, deinde cum Clariſſimo Bullialdo communicavi, & reſponſi vice tuli, cognoſces ex

Frid. Hofmani laus.

Cometæ magni ante mortem Ludovici Pii viſi controverſiam Auctor Viris doctis decidendam committit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ex adjunctis: quæ ideo mitto, ne cramben eandem recoquam. De his ſententiam Tuam amplius cognoſcere cupio: ſed & de reliquis argumentis, Hipparchi ſcilicet & Mithradatis, illius Pontici, utriuſque Magni, ætate. Vides enim & hanc rem, præcipuè quod ad Hipparchum attinet, non carere difficultate, ita ut Magni aliàs Viri vel in rationibus temporum putandis erraſſe, Hipparchum eundem intra 150. amplius annos ponendo, vel alii horum tuendorum ſtudio, duos Hipparchos Mathematicos ſub duobus Ptolemæis, Philadelpho & Philometore, comminiſcendo, errantibus patrocinari (quod bona eorum venia dicere mihi liceat) mihi videantur.

Hipparchi ætatis controverſia perdifficilis.

In iſtis quæ ad te mitto, videbis me & illid non leve de annis Caroli M. & Ludovici Pii diſcrimen tetigiſſe. Dolendum profectò tantas ignorantiæ tenebras ſeculis illis incubuiſſe, ut & nos, licet in tanta rei literariæ reſtitutæ & expolitæ luce poſiti, hîc & illîc veri tramitem anxia palpemus manu, & multiplici incerto vix ac ne vix quidem expedire nos poſſimus. O utinam illâ errandi voluptate ſemper careamus, ibi ſaltem, ubi bis errare non datur!

Seculi noſtri cum nono comparatio.

Tu, Vir eruditiſſime, putas lucem afferri tenebris Cometam illum mortis Ludovici Pii prænuncium (puto illum magnum, qui feſto Paſchatis apparuit) obſidentibus diſpellendis aptam, ſi is in anno 837. referatur. Sic putat Calviſius, Sigonius, quos præſto habeo, forte & alii. Sed hâc ratione fidem Codicum in dubium vocabimus. Auctor enim vitæ Ludovici, ut noſti, in annum 839. Cometam illum ponit. At ſibi ipſi in ſerie geſtorum Cometam ſecutorum, & ad mortem Ludovici ſub Anno DCCCXLII. (cum tamen hæc in anno DCCCXL. quod & ipſe ibidem fatetur & conſtans Auctorum fides omniſque ævi memoria confirmat, inciderit) deductorum, contradicit.

Cometa magnus ante mortem Ludovici Pii an Anno 837. an verò 839 fulſerit.

Auctor vitæ Ludovici Pii in annorum potius quam rerum ſerie corrigendus.

Quod cum de Viro illo, pro ratione illius ævi ſatis erudito & accurato, dicere nefas ſit, opinor nobis neceſſariò ad turbatam in codicibus annorum rationem eſſe confugiendum. Ita biennium, quo computatio Auctoris illius in aſſignandis rebus Anno DCCCLXII. geſtis (ubi & mortem Ludovici ponit) veram rei ſeriem excedit, detrahendum ei eſt, pariterque hiſtoriæ Cometæ illius magni, ut non in 839. ſed in 837. annum referatur.

Cometa ille in annum 837. referendus.

Occurrunt tamen & hîc alia dubia, quæ in ſchedis iſtis meis videbis. Hæc ut amoveas, meis objectionibus cum Buſmanniana & Bullialdiana reſponſione collatis, vehementer oro. Nec immeritò. Novi enim Tuam humanitatem. Adhæc otio & libris abundas. Mihi reverà utrumque deeſt. Libellum Tuum, quem nuper publici juris anonymus feciſti, & mecum ante menſem communicaſti, de argumento Cometico compoſitum, magna profectò cum voluptate legi.

Blumii libellus de ſignificatione Cometarum laudatur,

Doctè enim & concinnè in eo verbis aliquot Clariſſimorum Virorum oſtendis, Cometas non eſſe malorum cauſſas Phyſicas, imò nec ſigna Phyſica, ſed potius ex inſtitutione divina; tùm triſtia ſola eoſdem non ſequi, ſed & læta: imò Cometis cælo vindicatis totum ædificium Aſtrologicarum prædictionum, velut fundamento ſubtracto, corruiſſe.

Compendium ejus tribus verbis propoſitum ſententia Auctoris favet,

Atqui hæc ipſa eſt mea ſententia, quàm in Theatro meo Cometico paſſim demonſtro, in Hiſtoria verò Cometarum univerſali (nam & ego hanc texo antequam de Ampliſſimi Hevelii inſtituto mihi conſtaret, eamque nunc fide ejus tot Amicis, imò & Patronis, Viris Principibus datâ, pertexo ſoloci licet lana) ex profeſſo deduco, hoc ſymbolo Cometæ dato: BONA BONIS, MALA MALIS. Itaque mihi libellum iſtum, quem nuperrimè mihi, cùm de opere meo ſermo incidiſſet, obtuliſti, in Senatum meum Philoſophicum deferre, & in Theatro illo brevi compendio & commendatione (niſi integrum inſerere poſſim) exhibere, par eſt.

Ideò ille Senatui Philoſophico commendatur.

Convenit enim benè hoc Tibi mecum, quòd benignam & æquam de Cometis ſententiam aliquot præſtantiſſimorum Virorum ſuffragio confirmes. Ita etiam ἀσύμβολος in Theatro illo meo non comparebis, ſociumque improbi laboris, ut aliis Clariſſimis Viris ex utraque Germania, Gallia, Dania, Suecia, Anglia, Italia, Pruſſiaque convocatis, ita & in Urbe noſtra agentibus, Huſwedelio, Kirſtenio, Capello, Mullero & Syvero, Te adjunges. * Improbum laborem dum cum Poëta dico, probum tamen, quia

** Labor improbus, quia magnus, probus, quia probitatis magiſter.*

quia omnis probitatis aſſertorum & omnibus probis probandum intelligo. Quicquid tandem iniquæ obſtrepant voces, pietatis, qua mihi nihil antiquius, ſpecie inani tumentes, & veræ illæ apud Lucianum ἀνεμῶναι τῶν λόγων hominum confidentiſſimorum, qui vanæ ambitionis & ſævæ invidiæ labore vitam miſerè diſtrictam & nunquam non anxiam agunt. Quibus ego meliorem mentem precor. Quod reliquum eſt, vides, Vir Præſtantiſſime, Tibi à me non tantùm amicitiæ & benevolentiæ, ſed & Senatûs Philoſophici, quem in omnes officioſus & benevolus convoco, fores apertas eſſe, ut in Theatro meo Cometico undique humanus appareas. Vale longùm & bene.

Ambitio & arrogantia pietatis ſpecie tumens, nunquam eſt quieta, ſemper anxia.

T. omni ſtudio & officio

STANISLAUS LUBIENIETZKI
de LUBIENIETZ.

Hamburgi die 2. *Januarii* 1666.

Generoſiſſime & Nobiliſſime Domine,

Honos alit artes. Gloriâ omnes incenduntur ad ſtudia. Gloria immenſum calcar habet.

FAutor colendiſſime, ſingularis humanitas Tua ex omnibus partibus ſe oſtendit in iis literis, quas à Te proximè accepi, non illa quidem ignota, ſed tamen grata & optata. Quam ego ſic interpretor, voluiſſe Nobilitatem Tuam hujuſcemodi exemplo jacentes aliorum literatorum animos erigere: cum videlicet intelligant: tantam eſſe in Generoſiſſimo Viro humanitatem, ut nunc poſtremus quidem atque infimus illius ordinis non illaudatus dimittatur. Mihi ſanè calcaria & ſtimulos cùm tua benevolentia, tùm illuſtris quoque doctrina ac virtus, ſubdiderunt, maximamque injecerunt curam cavendi etiam atque etiam, ne quod officium prætermittatur, quod ad dignitatem ac gloriam tuam ſpectet.

Difficilia temerè decidere cave. Modeſtiam ſerva. Officioſus eſto. Hipparchi plures: Duo hujus nominis Mathematici non fuerunt.

Quærenti quid de Hipparchi ætate ſentiam, promtius eſt quod reſpondeam, quàm quòd benè reſponderi poſſe ab indocto confidam. Tu me, Nobiliſſime Vir, eſſe aliquid credis: egò infrà opinionem Tuam ſum multùm. Ne deſim tamen exſpectationi Tuæ, accipe, quod obedientiæ potiùs, quàm explicatæ doctrinæ ſit ſignum. Hipparchi quatuor à Meurſio Attic: Lect: cap. 17. ex Harpocratione commemorantur: plures, à Suida, Geſnero, aliis. Sed duos duarum ætatum ejuſce nominis fuiſſe Mathematicos, quorum alter vixerit temporibus Ptolomæi Philadelphi, alter ſub Philometore facilius dixeris, quàm defenderis telo Achaico. Ac multi quidem, dum in ſalebroſa hac quæſtione verſantur vexanturque, nihil præter authoritatem Milichii & Calviſii habent, quod aſſerant. Ajunt enim Hipparchum ab illis commemorari ſub Ptolomæis, Philadelpho & Philometore, Regibus. Majus autem hoc videri intervallum, quàm ut unus & idem Mathematicus tot annos poſt Philadelphum fuerit ſuperſtes. Verùm ego quidem totum hoc iis do, nec tamen vel minimùm prævaricando ipſorum cauſam ago. Facilè enim mihi perſuaderi patior, Milichium & Calviſium non duos Hipparchos introduxiſſe, verùm ut humanos potuiſſe illa, quæ Plinius & alii de uno & eodem Hipparcho ſcribunt, minus diligenter ad diverſorum Ptolomæorum tempora accommodare, parùm memores & quæ ipſi paulò antè dixiſſent, aut poſt dicturi eſſent, & quæ dici poſſent contrà. Itaque illorum authoritas, quæ aliàs multùm apud me valet, hoc loco, cùm rationem non reddant, prætermittenda eſt, atque ipſa res exiſtimanda, momentoque ſuo ponderanda. De Calviſio excuſando, vel potiùs explicando, non diſplicet mihi quidem Clariſſimi Viri conjectura. Quanquam ea, ſi dicendum quod res eſt, ſubtilior poſſit quàm probabilior videri. Apud Milichium dicerem excidiſſe unitatem, & pro 40. ſcribendum fuiſſe 140. niſi continuò hæc ſubjicerentur: *eo tempore, quando Romani bellum geſſerunt cum Pyrrho Rege.* Trajecit

Errorem Milichii & Calviſii de Hipparchi ætate Bluenius agnoſcit. Auctoritas contra veritatem non valet. Calviſii error de ætate Hipparchi ſubtiliter potius quàm veroſimiliter defenditur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Pyrrhus quo tempore bellum adverſus Romanos geſſerit.

jecit Pyrrhus in Italiam anno U. C. 473. ante Chriſtum natum 278. victique ſunt ab eo Romani, elephantorum maximè inuſitatâ facie territi. Sequenti anno iterum dubio eventu cum Romanis congreſſus & vulneratus eſt. Anno U. 475. in Siciliam abiit. Inde reverſus Ann. U. 478. Rhegium, ſed fruſtrà, oppugnavit, eodemque anno Italiâ pulſus eſt, hoc eſt, Anno à morte Alexandri 49. quemadmodum ex Juſtino, Floro, Plutarcho, Zonara, Oroſio, aliis, colligere eſt. Verùm hanc ſuam Milichius ſententiam videtur poſtea in Notis ad Plinii caput 26. vel tacitè correxiſſe, vel inſcienter eidem contradixiſſe. Eo enim loco Hipparchum ſcribit vixiſſe annis poſt mortem Alexandri 178. hoc eſt, Urbis conditæ 607. Eſt verò is annus 144. ante Chriſtum natum, quo tres celeberrimos Roma vidit triumphos, L. Mummii de Achæis, Q. Cæcilii Metelli Macedonici de Pſeudo-Philippo, Scipionis Æmiliani de Carthaginenſibus. Res nota è variis. Quòd ſi hæc ſententia vera eſt, ut omninò eſt, conſequitur, Milichium aut parùm memorem fuiſſe illorum, quæ de 40. annis paulò antè dixerat, aut intellectum ipſi inibi alium Hipparchum, aut illa de Hipparchi ætate præter mentem Milichii ab alio adjecta eſſe. Ego non pugno, quodnam ſit optimum aut veriſſimum: illud tantum dico, quod taceri non debet, Hipparchum, quem & ἄνδρα φιλαλήθη (Virum veritatis amantem) Ptolemæus Almageſt. lib. 3. cap. 2. & Plinius lib. 2. cap. 12. conſiliorum naturæ participem, vocant, ſub Ptolomæo, non Philadelpho, ſed Philometore vixiſſe. Cujus quidem affirmationis argumenta maximè illuſtria inquirentibus omnique acie ingenii contemplantibus oſtendunt ſe & occurrunt apud Ptolemæum Almageſt. libris tertio & quarto. Iis enim libris Ptolemæus ſex ab Hipparcho traditas Æquinoctiorum autumnalium, trium verò vernalium obſervationes annotavit. Quibus lectis atque intellectis, ignorare non poſſumus, floruiſſe Hipparchum ab anno U. C. 590. Mundi 3787. ante Chriſtum natum 161. (quo ipſo anno Ptolomæus Philometor Romam venit petendi auxilii cauſſa) uſque ad annum Mundi 3823. ante Chriſtum natum 125. qui eſt centeſimus nonageſimus ſeptimus à morte Alexandri, juxtà Helvicum. Eam porrò copiam argumentorum, quam conſtructam dictis libris apud Ptolemæum adſpicimus, continuò in lucem protuliſſem, & ſuo quodque loco collocatum annis Mundi, Urbis & Chriſti accommodaſſem, niſi id jam ante me factum eſſet ab hominibus omnium doctiſſimis, qui genus hujuſmodi diſputationis ſemper amaverunt. In his ſunt, Petavius de doctr. l. 4. c. 26. pag. 364. & lib. 13. ad ann. period. Jul. 4552. ſeqq. & Calviſius in Chronolog. Illis igitur, quos dixi, annis fuit Hipparchus: cujus obſervatio prima Æquinoctii autumnalis, facta anno 17. tertiæ ſecundùm Calippum periodi, ut Ptolemæus annotat lib. 3. cap. 2. incidit in annum Mundi 3788. ante Chriſtum natum 160. juxtà Calviſium. Sed multùm metuo, ne Hipparchum dicas pluſquam 50. annis priorem fuiſſe. Nam, ut idem Ptolemæus refert lib. 4. cap. 11. Lunarem eclipſin obſervavit anno 54. ſecundæ Periodi Calippicæ, die 16. Meſori. Eſt verò is annus 3749. mundi, 199. ante Chriſtum natum. Sed reſponſio in promtu eſt, Lunares eclipſes, quas Ptolemæus refert in fine quarti, non videri Hipparchi ipſius oculis notatas, ſed ab aliis acceptas. Docet id Petavius Rationar. temp. part. 1. l. 4. c. 12.

Triumphi tres Romæ viſi uno anno U. C. 607. ante C. N. 144.

Hipparchus Mathematicus laudatur. Vixit ſub Ptolemæo Philometore, non Philadelpho: Id ex Ptolemæo deducit Blumius.

Atque hæc dicta ſint de ætate Hipparchi. Proximum eſt, ut deſcendam ad Mithradatem, ut in nummis cuditur, vulgò Mithridatem Ponti Regem. Ejus præfectum Gordium, qui Cappadociam pro Regis ſui filio occupaverat, regno pepulit Sylla, anno U. C. 661. ante Chriſtum natum 90. cum Romæ Conſules eſſent, Claudius Pulcher & M. Perpenna. Hæc ſunt exordia belli Mithridatici. Quæ id tempus anteceſſerunt, ſemina potius fuerunt belli, quam bellum. Exitus verò incidit in annum U. C. 690. quo tempore Coſſ. fuerunt, M. Tullius Cicero & C. Antonius. Quod ipſum ut confirmem, quem potius in auxilium advocem, quàm ipſum Conſulem Ciceronem? Is in Oratione de Provinciis Conſularibus ita loquitur: *Me Conſule referente primùm decem dierum ſupplicatio*

Mithridatis bella Anno U. C. 661. cœpta, 690. finita eſſe Blumius affirmat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

catio decreta Cn. Pompejo, Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello &c. Intermedia vero tempora eorumque proceſſum multi deſcripſerunt, & ad annos Urbis accommodaverunt. Inter Veteres ſunt Dio, Appianus, Florus, Plutarchus, alii. Ex recentioribus idem negotium exſecuti quoque multi ſunt, nemo verò accuratius, quàm Stephanus Vinandus Pighius. Extrà cujus Annales nullum aptiorem Commentarium ad Romanarum rerum Scriptores ſperari poſſe, jam olim judicavit Andreas Schottus. Quod ideò moneo, quia ad illius Viri elaboratum atque omnis antiquitatis plenum opus in re dubia recurrere malo, quàm ad quoſdam, qui, quicquid boni de iſtis rebus adferrent, id ex Pighio, tacito Authoris nomine, ſuas in cumeras converrerunt.

Cometa illius magni ante Ludovici Pii mortem viſi annum Blumius examinat.

Referam nunc animum ad Cometam illum magnum, qui temporibus Ludovici cognomento Pii, circà feſtum Paſchatos in Signo Virginis apparuit. De quo ego quid ſentiam, quidque cenſeam, etſi ex ſuperioribus meis literis cognoviſſe Te arbitror: tamen, quia Tu occaſionem mihi præbuiſti accuratius eam rem conſiderandi, geram morem voluntati Tuæ, & agam quàm breviſſimè potero. Annum, quo Cometa iſte effulſit, vix certiùs quàm ex auctore incerto vitæ Ludovici Pii, qui illum conſpexit, innoteſcere poſſe confirmo. Ejus Authoris multæ ſunt variæque editiones, non parùm inter ſe diſcrepantes. Pithæana, quæ Francofurti prodiit, Anno 1594. eas inciſiones & capitula, quæ in Reuberiana comparent, non habet, & ob id non parum commodior ad id, quod dixi, comprobandum. Ejus igitur filum nunc ſecutus annum Cometæ ſic inveſtigo. Obiit Carolus M. quinto Calendas Febr. Anno à Chriſto nato 814. Quod ipſum, præter dictum Authorem, ſuâ comprobat authoritate Scriptor alius, idemque Coætaneus, nomine Theganus, natione Francus, Trevirenſis Epiſcopus, qui condidit hiſtoriam Ludovici Pii uſque ad annum 23. Defuncto patri ſucceſſit ſtatim eodem anno Ludovicus. Teſtatur id Theganus his verbis: *annus incarnationis Chriſti 814. eſt primus annus regni Ludovici.* Quibus poſitis hoc aſſequor, initium Imperii Ludovici congruere anno Chriſti 814. finem, anno 840. Intermediis porrò annis idem Author ſic res geſtas Ludovici applicat, ut Cometa iſte incidat in annum 837. Id quod ita oſtendo. Anno 23. Ludovici, qui eſt Chriſti 836. habitus eſt conventus Lugdunenſis: quemadmodum Theganus, eopſe anno deſinens, clarè ſatis teſtatur. Eo autem conventu celebrato, & filiis dimiſſis, Imperator (utor verbis Incerti) autumnali venatione peractâ Aquiſgranum rediit, & hyemem ibidem exegit, Natalem quoque Domini, itemque Paſchalem ſolemnitatem (837.) ibidem celebravit. At verò *mediante feſtivitate Paſchali dirum ſemper ac triſte portentum ibidem Cometæ ſidus in Signo Virginis apparuit &c.* Autumno (ejuſdem anni) Septembri mediante indixit generalem Conventum in Cariſiaco. Ab hoc loco profectus Imperator venationi autumnali operam dedit, hyemem autem exegit Aquiſgrani. Quâ hyeme tranſactâ Calendis Junii (838.) ſævus Cometæ ignis in ſigno Scorpionis apparuit *non multò poſt Solis occaſum.* Quod optimè dicto tempore fieri potuit, non item Calendis Januarii, quibus Scorpius ante Solem occidit. Cujus minacem vultum non multo poſt exceſſus Pipini (menſe Novemb. juxtà Annales Fuldenſes) eſt ſubſecutus. Eodem anno regnum inter filios diviſit Wormatiæ. Hoc tempore, Pipinum deceſſiſſe, Pater nuncium accepit: quemadmodum Nithardus teſtatur, Angilberti filius, Caroli Magni Imperatoris ex Berthâ filiâ nepos, de diſſenſionibus filiorum Ludovici lib. 1. p. m. 444. Egit deinde Natalis Domini & Paſchæ celebritatem (ann. 839.) Aquis.

Pithæana editio Auctoris vita Lud. P. quâ Reuberianâ commodior.

Caroli M. mors.

Theganus noni ſeculi Scriptor nobilis.

Ludovici Pii anni accuratè enumerantur.

Cometam illum magnum ante mortem Ludovici Pii Anno 837. fulſiſſe Blumius demonſtrat.

Cometæ An. C. 838. Kal. Junii non Januarii apparuit Blumio judice.

Nithardus nobilis noni ſeculi Scriptor.

Autumno Cabillonenſem Conventum indixit. Ab eo autem loco ad regni Aquitanici ordinationem progreſſus Arvernorum Urbem petiit &c. Hæc eo agente Natalis Domini feſtivitas rediit, eandemque ſolemnitatem Pictavis celebravit. Ibidemque moranti nuncius advenit, dicens, Ludovicum filium Alamanniam invaſiſſe. Quare poſtquam Quadrageſimale jejunium inchoavit, adverſùs hanc tempeſtatem ſedandam ſe obicem tulit. Imminente igitur Sacratiſſima

tiſſima Paſchali ſolemnitate Aquiſgranum rediit, ibique eam celebravit (ann. 840.) quâ ritè celebratâ confeſtim iter in Thuringiam facere cœpit, ubi Ludovicum morari per id tempus didicerat. Illo autem fugiente generalem Conventum in Urbe Vangionum, quæ nunc Wormatia dicitur, congregari præcepit &c. Quo tempore deliquium Solis contigit tertiâ die Litaniæ Majoris, inſolito modo. Portendebatur enim per hoc, maximum illud lumen mortalium, Imperatorem dico, rebus humanis ſubtrahendum &c. Cœpit ergo faſtidio tabeſcere, & in inſulâ quadam contiguâ Moguntiacæ civitati lecto ſeſe commiſit. Deceſſit autem 12. Cal. Julii anno vitæ 64. & Aquitaniæ quidem præfuit per annos 37. imperavit verò 27. Hæc retuli verbis, non meis, ſed ejus, quem dixi, Authoris, in Annalibus Francorum à Pithæo editis ſic deſcripti: cujus bonam partem in Reuberianâ editione prava perperaque (ut cum Accio loquar) diſtinctio pervertit conturbavitque.

Wormatia.

Eclipſis Solis A. C. 840.

Pithæi editio Reuberianæ præfertur.

Vidi, quæ dici poſſint de anno, quo Cometa ille apparuit. Nunc alia ſe offert difficultas. Quippe videtur Author vitæ Ludovici Aimoinus eſſe: cum ipſe de Geſtis Francorum lib. 5. cap. 17. ſecum dicat habitum de Cometa iſto Imperatoris colloquium. Verùm libri iſtius quinti parte primâ uſque ad caput 19 loquens Author, non eſt Aimoinus, ſed idem ac ille, quem vulgo incertum vitæ Ludovici Authorem vocamus. Eum unà cum quibuſdam aliis Scriptoribus Compilator quidam hiſtoriæ Francicæ inſeruit, & ſub Aimoini nomine edidit. Id quod Tu, Vir Nobiliſſime, vel ex eo colligas, quòd Aimoinus deſinit lib. 4. cap. 41. ubi hæc leguntur: *Hactenus liber Loriacenſis Monaſterii S. Benedicti ſupra Ligerim geſta Francorum recitat. Quæ verò ſequuntur, non Aimoini, verùm alterius cujuſdam hiſtoriographi ſunt: nec unius quidem tantùm, verùm duorum.* Imò plurium, quemadmodum Gulielmus Ranchinus oſtendit lib. 1. Var. lect. cap. 15. & ex eo Voſſius de Hiſtoric. Lat. lib. 2. cap. 34. p. 312.

Aimoinus non eſt auctor vitæ Ludovici Pii: Hujus auctoris quædam ſub Aimoini nomine venditantur.

Quod ad meum de ſignificatione Cometarum libellum attinet, non alio is nomine Nobilitati Tuæ oblatus eſt, quàm ut ſtudii atque obſervantiæ in Te meæ pignus eſſet. Quem ſi ejuſmodi eſſe putas, ut in Tuo Theatro Clariſſimorum hominum celebritate refertiſſimo, magnitudine ampliſſimo, doctrinis illuſtri illum extare cupias, judicio Tuo utaris per me licet. Si in illo meo libello quædam ſunt, quæ minùs dextrè ſcripta videri poſſint, ea Tu, pro Tuo limatulo & politulo judicio, facilè corriges: aut ego, ſi erratorum à Te admonitus fuero, emendabo omnia.

Blumii modeſtia.

Quod ſupereſt, ex mente animi precor, ut hic, qui heſterno die illuxit, annus Nobilitati Tuæ lætis auſpiciis ineat, lætioribus procedat, lætiſſimis exeat, ac ſæpius recurrat, ſemper felicior. Vale quàm diutiſſimè, quàm feliciſſimè.

Hamburgi die 18. 28. Maji 1666.

S. P. Vir Clariſſime & Humaniſſime.

SI ſilentium, quod in quintum protraxi menſem, miraris, mirari deſines poſtquam ex me nunc intellexeris, quod aliquando, Deo dante, in opere meo videbis, multa mihi interea quaquaverſùm ad Illuſtriſſimos & Clariſſimos Viros de hoc argumento ſcribenda, idque horis tantum ſubſecivis, fuiſſe: adhæc in hiſtoria Cometarum partem poſteriorem, initio à Chriſti nativitate facto, ad ſeculum XII. medium produxiſſe. Tantus, crede mihi, labor totum, non diviſum & variè diſtractum hominem requireret. Sed volo citrà omnem ambitionem bonarum artium ſtudioſis monſtrare, quid brevi temporis ſpatio perfici queat, ſi adſit animus promtus, &, ut temporis pretioſi, ita & juſtæ laudis in promovendo egregio publico avarus. Taceo aliquid temporis conſortio Illuſtrium Virorum in hac Urbe agentium eſſe tribuendum: & aliàs meam be-

Auctor dilati reſponſi officium multitudine laborum apud Blumium excuſat.

Vita ſat eſt longa, ſi ſcias uti.

Temporis parcus eſto.

 nevolen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nevolentiam ac domum patere omnibus. His ritè perpenſis haud equidem, diuturnum licet, neceſſarium tamen, ſilentium miraberis, ſaltim non moleſtè, nec graviter feres. Fructum mei Tecum nudius tertius habiti colloquii in hoc autographo αὐτοσχεδίως, ut vides, ad Clariſſimum Ricciolium exarato, videbis. Hoc autem meritò leges, qui tunc illius legiſti autographum. En præterea quæ de Cometis circa mortem Ludovici Pii hiſtoriæ inſerui. His & illis ſi quid addi, vel demi, vel aliam faciem dari velis, indica, innue. Invenies me in diſcendo & juvandis publicis utilitatibus, ideoque in meis erroribus, quos ingenii humani imbecillitas, vel etiam ſors non ex æquo reſpondens votis ſecum fert, corrigendis facilem: ſed & in alienis, ut vides. Me enim meis alieniſque erroribus non facilem eſſe adverſarium profiteor. Quam ob cauſſam in his, quæ ad Ricciolium paulò antè ſcripta adjungo, quid Viro illi Præclaro & Induſtrio Chronologiam Reformatam publico paranti, in Hiſtoricis & Chronologicis corrigendum indicârim, videbis. Utinam mihi majus otium & major librorum copia eſſet! Vellem ſanè plura tentare præſtareque poſſe in re literaria. Nunc omnia ferè carptim & properanter, &, ut ſic dicam, furtim ago. Ideò inæquali ſtudio & ſtilo veniam petere neceſſe habebo. Non ita enim, fateor, hæc tractanda forent. Nuper cum Tibi adeſſem, & Tua facilitate ac Bibliothecæ Veſtræ multis & egregiis libris inſtructiſſimæ commoditate fruerer, in Fredegarii epitome, Gregorio Turonenſi, & titulo Chronicorum Adonis haud leves profectò errores Tibi demonſtravi. En itaque quæ tunc, paulò ante veſperam abs Te digreſſus, ſtatim de his ad Ricciolium ſcribere cœpi. Quæ cum ex tempore perfici non poſſent, heri tandem abſolvi. Conſulo Te de his, Tu mortuos illos, optimos ſcilicet & fideliſſimos Magni Regis Alphonſi judicio, conſiliarios, inter quos aſſiduò verſaris. Crede mihi vera dicenti, me cum tot & tantos errores deprehendo, hærere velut attonitum, nec mihi ipſi habere fidem. Sed tandem omnibus, ſi non debitâ, at occupationibus meis convenienti diligentiâ examinatis, quanto ſententiarum incerto hîc & illîc laboremus, perſpicio. Verumenimverò hæc & cuncta ejuſdem generis illis, quibus par tantis auſis eſt ingenium, judicium, otium, facultas relinquo. Porrò quod ad Tuarum literarum, ut ad eas revertar, capita attinet, illa de Hipparcho quæſtio jam eſt à Clariſſimis Viris Bullialdo, Buſmanno aliiſque compoſita: unum ſcilicet Mathematicum hujus nominis fuiſſe, ſub Ptolemæis fratribus Philometore & Evergete (qui & Phyſcon dictus eſt, conſentientibus Functio, Calviſio, Helvico, Alſtedio, Petavio, Strigelio, Reineccio & aliis, ſed diſſentiente Bucholzero, imò & Euſebio, qui Lathyrum ſive Soterem vocat Phyſconem) vixiſſe. Sed & illa quæſtio de annis Mithradatis, ſive, ut Latinè potius loquar, Mithridatis compoſita eſt, ut aliquando videbis. Idcircò ei non immoror. Unum tamen hîc, velut in medio, ponam, Tuam diligentiam doctam ubique ſe conſpiciendam præbere. Adeòque & in diſquiſitione Cometæ illius magni, qui ante mortem Ludovici Pii apparuit. De quo plura in hiſtoria mea leges. En verò Tibi ea quoque, quæ jam jam ab Ampliſſimo Hevelio de hac ipſa re & aliis ſimilibus accepi. Multum profectò Tuæ benevolentiæ & induſtriæ ubique debeo. Vale.

Errores tuos, ſed & alienos, quà licet, corrige.

Publica commoda pro tua virili parte cura:

Auctor inæqualitatem ſtudii & ſtili in hoc opere excuſat.

Errores in Fredegarii epitome, Gregorio Turon. & titulo Chron. Adonis ab Auctore indicati.

Auctores cum judicio legendi.

Incerta multa in Auctoribus occurrunt.

Hipparchus Mathematicus unus tantùm fuit, & ſub Ptolemæis Philometore & Evergete vixit.

Blumii eruditio & induſtria commendatur.

Hamburgi die 21. *Maji Anno* 1666.

QUas à Te nudius tertius accepi literas, ita gratas habui, Nobiliſſime Vir, Domine colendiſſime, ut me ab iis putem immortalitate donatum, ſed & ſcripta, literis quæ adjunxeras, mirè fuerunt grata, nec mediocrem mihi ſpem attulerunt, fore, ut aliquando hiſtoria Cometarum, quæ jam pridem apud omnes incerta facta eſt, Tuâ operâ certa & omnibus numeris abſoluta edatur. Etenim ſummo loco natus, amplis opibus innutritus, egregiis animi dotibus ornatus, faſtigium diſciplinarum certè omnium, quæ in tantam rem pertineant, tene

Blumii judicium de Auctoris hiſtoria Cometarum.

Auctoris conatus Blumius approbat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tenes, & Profeſſores ac ſtudioſos artium bonarum ita complecteris & amas, ut æquè cunctis Tuæ amicitiæ fores pateant. Præterea frueris conſuetudine clariſſimorum hominum, principum ingenii & doctrinæ, quorum conſilii imitatione facilimè ad ea, quæ cupis, pervenire poteris. Tu igitur, Domine, etſi Tibi cupienti atque optanti fructus otii negatur ad illud argumentum quod præ manibus habes, pertexendum: debes tamen in his anguſtiis temporis obſequi publicæ utilitati & votis noſtris, &, quantum Tibi moles negotiorum tribuit otii, ad abſolvendum illud opus conferre quod Te charum bonis, admirabilem univerſis reddet.

Literas & literarum amantes ama. Converſatione Virorum præſtantium ad prudentiam comparandam fruere.

Privatis negotiis publica commoda adjunge, imò præfer.

Clariſſimorum Virorum epiſtolas, & alia ex hiſtoria Tua, quæ miſeras, remiſi Tibi nudius tertius bona fide, hoc eſt ſine ullius ſchedulæ jactura. Vale Vir Nobiliſſime quàm diutiſſimè, quam feliciſſimè.

Hamburgi die 8. *Julii* 1666.

S. P. Vir Clariſſime & Humaniſſime,

CUm te & à librorum ſelectorum, quorum curam geris, copia & ab omni humanitate inſtructum eſſe norim, multâ etiamnum libertate in Te compellando utor. Cùm enim non exigui momenti diſſidium, quod inter Hiſtoricos animadverti, tollendum ſe offerat, ego autem nec otium pingue, nec, quod majus eſt, librorum neceſſariorum copiam habeam, ad te me confero. Sed ad rem. Dum hiſtoriam Cometicam, quantum per alia negotia licet, compono, invenio haud levem differentiam de Cometa, quem ex Chron. Belg. paulò ante me excerpſiſſe apud Te memini. Verba ſic ſe habent: *Anno* 994. *circiter Theodorici Comitis* 24. *Cometa grandis in modum trabis jugiter apparuit, & eodem anno gravis tumultus inter Epiſcopum Trajectinum Adelboldum & Comitem Holl. exarſit, ubi in duobus truculentis conflictibus innumerabilis multitudo Trajectenſium occubuit & Comiti victoria ceſſit.* Chron. Belg. p. 91. Quum verò annotante Sigeberto & Eckſtormio Cometa talis Anno 1017. apparuerit, eodemque anno Cometam fulſiſſe Alſtedius tradiderit, hinc annos Theodorici Comitis, quem facili errore à Calviſio ad 1018. Fridericum, ſed anno abhinc 24. à Chriſto nato 993. Theodoricum vocari video, conferre cum annis Adelboldi cœpi. Animadverto itaque ann. à Chriſto nato 993. eſſe Theodorici 24. & hoc anno Adelboldum victum & Cometam luxiſſe. At enim me adhuc ſuſpenſum auctoritas Chron. Belgicorum tenet. Tantò magis cum Calviſius ad ann. 992. annotet lucem ab Aquilone magnam in cælo refulſiſſe, viſaque eſſe Chaſmata. Velim præterea verbo mihi dicas, quid ſentias de prole Ottonis IV. Imperat. Hanc eum ex Maria Brabanta ſuſcepiſſe Buntingus & Auctor anonymus 14. tab. dicit. Cuſpinianus, Henninges & alii negant. Sed illi duo ſibi mutuò, ſibique ipſis contradicunt. Buntingus enim natu majorem Mechtildem, Anonymus Helenam appellat. Uterque verò eam Ottonis IV. & Ottonis Pueri, qui illius fratris filius fuit, filiam Alberto I. Electori Saxon. deſpondet. Denique Buntingus nuptias Woldemari Junioris Ducis Sleſuicenſis cum Maria Ottonis IV. filia & Wilhelmi fratris ejus cum ſorore Woldemari Anno 1210. (corrigendum puto 1201.) Henninges iſtas ſolas Anno 1200. in hac urbe celebratas fuiſſe tradit. Alios in 1202. annum id referre accepi. Velim tribus verbis ad hæc reſpondeas. Vale & fave.

Cometæ anni 994. hiſtoria examinatur.

An is cum Cometa anni 1017. idem ſit:

Otto IV. Imperator an habuerit prolem.

Auctorum errores & contradictiones.

Hamburgi die 12. *Julii St. V.* 1666.

S. P. Nobiliſſime Vir, Domine colendiſſime,

SI plus otii ſuppeteret aut temporis, reſponderem accuratè noviſſimæ epiſtolæ Tuæ. Nunc unum atque alterum tantum volo ſignificare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Becæ hiſtoria Ultrajectina Chronicis Belgicis præfertur.

Cometa, quem Auctor in annum 993 ponendum conjiciebat, in 1017. ponendus eſt.

I. De Cometa illo qui præceſſit bellum atrox, quod geſtum eſt inter Epiſcopum Adelboldum & Comitem Hollandiæ judicandum eſt, ex Johannis de Beka Hiſtoriâ Ultrajectinâ potiùs, quàm ex Chronicis Belgicis. Ratio ſit, quod horum Auctor Bekam exſcribere ſoleat. Beka autem ponit Cometam iſtum in anno 1017. Idem facit & Ditmarus Epiſcopus Merſpurgenſis, qui Cometam ſuis oculis vidit. lib. 7. p. 112. Nec aliter Sigebertus & Wilhelmus de Heda.

Theodorici Comitis Hollandiæ auſpicia.

Adelboldi Epiſcopi Trajectini initia.

II. Chronica Belgica non dicunt Ann. Chriſti 994. ſed Ann. Theodorici Comitis 24. Cometam illum apparuiſſe. Jam ſi Arnulfus cecidit Idibus Maj. Ann. 994. eodemque Anno ſucceſſit Theodoricus, ut hiſtoriæ teſtantur, certè Theodorici Ann. 24. eſt Chriſti 1017. Idem Annus in iiſdem Chronicis dicitur decimus Adelboldi; quod commoda interpretatione adjuvandum. Electus enim dicitur Adelboldus Ann. Chriſti 1009. quibus poſitis, hoc aſſequor,

Sigebertus corrigitur.

1. Dextrè intelligendum illud Sigeberti ad Ann. 1004. *Gerhardus Cameracenſis Epiſcopus & Adelboldus Ultrajectenſis Epiſcopus.* Intelligendum enim hoc eſt de utroque nondum Epiſcopo, quem ad modum & illud, cum Friſii apud Wilhelmum Hedam p. 107. Ann. 988. ad Comitem Arnulfum deſtituendum traducti dicuntur impulſu Adelboldi, adhuc ſcilicet Monachi.

Cometa Anno Chriſti 994 nullus viſus.

2. Ad Cometam Ann. 994. aſſerendum aut retinendum, aliis opus eſſe ac firmioribus argumentis. Nec multum juvare poteſt aſſerentem Lux illa de quâ Calviſius ad Annum 993. Quæri enim poteſt, an lux illa fuerit Cometa.

Theodorici 3. Comitis Holl. anni diverſè ab Auctoribus notantur.

III. Quædam ex Ann. Buchelii Notis ad Bekam p. 40. de annis Theodorici Tert: huc referam, ſi Nobilitati Tuæ fortè aut uſui, aut oblectamento eſſe poſſint. Præfuit dictus Theodoricus Ann. 46. (juxta Bockenbergium, Auctorem Chronic: Vulgar: Stokium, Snoyum, Voſmerium) 34. juxta Bekam, cujus opinio Scriverio probabilior videtur. In M. Buchelii 33. exprimuntur.

Calviſius edit. Francof. corrigitur.

Fridericus pro Thiedrico per errorem poſitus.

IV. Apud Calviſium ad Ann. 1018. pro *Fridericus* legendum omninò *Thiedericus* vel *Diedericus*. Ea enim cum ſcriberet Calviſius, in mente ac animo habuit hunc Bekæ locum p. 37. Anno Domini 1017. *Cometa grandis &c. Eodem anno gravis belli tumultus inter Epiſcopum Trajectenſem & Comitem Hollandiæ hac de cauſa. Quidam enim Comes Theodoricus Bavo beneficiatus fuit juxta Bodegraven ab Adelboldo Pontifice, qui Theodoricum Comitem Hollandiæ non quievit infeſtare quotidiano certamine &c.* Apud Ditmarſum σύγχρονον Scriptorem p. 112. lib. 7. eſt *Thiedricus* ex quo per errorem factus eſt Fridericus.

V. De Woldemari Nuptiis ſic Crantzius Metropol. lib. 7. *Anno proximo, qui erat primus poſt milleſimum ducenteſimum, reverſi duplici & utroque majore agmine, dux Woldemarus per Albim aſcendens ratibus, Rex Canutus terreſtri itinere, capiunt Hamburgum &c. Anno deinde proximo Otto &c. Filiam fratris ſui Henrici in Hamburg. copulavit eidem Woldemaro duci Sleſuicenſi: viciſſimque alteri ſuo fratri Wilhelmo ſororem ejus Waldemari dedit conjugem &c. Erant autem ſolenni apparatu amborum nuptiæ Hamburgi apparatæ.* Vale Vir Nobiliſſime, & me ama.

Hamburgi die 18. Julii Juliani 1666.

Vir Clariſſime & Humaniſſime.

Excerpe cum cura quà dicet.

Corrige corrigenda in temet & aliis.

ANimadverto ex Tuis literis me in illo Cometa, qui ad ann. 1017. ponendus eſt, ex Chron. Belgicis excerpendo, dum feſtinarem, erraſſe, quaſi Cometam illum in annum 994. Auctor in unam ferè, ut dicitur, lancem hæc conjiciens retuliſſet. Sed gratam rem mihi feciſti, quòd me errore iſthoc liberâris, præſertim cum librum ad manum non habeam, nec habere abs Te per Legem Bibliothecæ Veſtræ, vel ab alio potuerim, quem alioqui debitâ cum diligentia evolviſſem. Nec mirum ſi vel egomet me hic corrigam, vel ab alio corrigar, cum & celeberrimi Auctores hic à Te corrigantur, & ut de Theodorici, ita & de Adelboldi annis dubitandi etiamnum locus ſit relictus.

En

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

En verò nunc Tibi locum Sabellici integrum, qui mihi integer eſſe non videtur, adeò corruptus & erroribus ſcatens eſt. Mei verò officii, tàm ex boni publici quàm ex inſtituti mei ratione (nempe horum nominum & geſtorum frequens in hiſtoria Cometarum à me fit mentio) eſſe duxi, de his ad Te referre, ut per otium hunc locum examines, & nativæ integritati mecum reſtituas. Locus habetur Enn. x. lib. VII. p. mihi 505 & ſic ſe habet: *Matthias Huniadis Pannoniæ regnum adeptus*[a], *in magnas acerbaſque incidit contentiones, Federico Auguſto ad ſe id regnum trahente velut hereditarium ex Vladiſlai*[b] *interitu*[c]. *Sed erat Federici ingenium magis paci & ocio, quàm bello idoneum. Eſt itaque diſceptatio ad tempus compreſſa, majus inde fuit certamen Regi*[d] *cum Caſimiro*[e], *imminebat illius regno Matthias, aperteque prædicare, non tantùm Pannoniæ, ſed Bohemiæ quoque ſibi regnum deberi. Acceſſit huic curæ occaſio ingens deſtinata hoſtis infeſtiùs urgendi, quod Caſimirus*[f] *tùm Romanæ Eccleſiæ hoſtis haberi, qui non in omnibus illi accederet. Enimverò pulſus regno Caſimirus*[g] *à Federico Auguſto & Vladiſlao, cui Matthias ſucceſſit, ad Sarmatas, qui Poloni ſunt hodie, ſe contulit. Mox Vladiſlao vita defuncto regnum armis repetere adortus*[h], *quia mutato conſilio orthodoxæ fidei in univerſum aſtipularetur, Federico annitente, in regnum reſtitutus eſt. Fuit Caſimirus*[i] *Vladiſlai frater, qui Varnenſi acie*[k] *occubuit. Sbignei*[l] *Lithuaniæ ducis filius. Sbigneus in Bohemiæ*[m] *regnum conditione accerſitus, ut Chriſti fidem ſuſciperet, continuò ubi Cracoviam venit baptiſmi Lavacro*[n] *admotus eſt. Mox regnum adeptus Pruthenis bellum intulit, nec prius exuit arma, quàm omne Pruthenicum nomen tributum ſibi pendere coëgiſſet. Reſtitutus in regnum Caſimirus*[o] *in priſtinum relabi cœpit errorem, ſecutus eſt ſtudium totius gentis*[p] *in id malum pronæ. Quæ res præbuit Matthiæ non juſtam modò, ſed piam etiam cauſam belli Caſimiro*[q] *inferendi, multiſque deinceps cladibus ſunt Bohemi*[r] *à Pannone affecti, quoad Chriſtianæ rei ſtudio tuendæ Pannon in Turcos vertit bellum.*

Sabellici locus pluribus ſcatens erroribus.

a) Anno Chriſti 1458.
b) Poſthumi. Dubrav. l. 30. initio.
c) Anno 1457. Dubr. lib. 29. fine.
d) Matthiæ.
e) Caſimiri R. Pol. filio Vladiſlai R. Boh. fratre de regno Ung. i. e. ſuo, 1471. Bonfin. dec. 4. l. 3 init. Rit. lib. 2. de regn. Ung. & cum eod illo Vladiſlao de regno Bohem. 1473. Bonfin. ibid. pag 594. Dubr. l. 31. initio. Bak.chai in Matthia
f) Georgius Podiebranius Dubr lib. 30. Bonf. dec 4. l. 4. pag. 609. NB. zelum Vladiſlai Jagellonis, filii ejus Caſimiri & nepotis Vladiſlai pro relig. Rom. contra Huſſitas.
g) Pater ab Alberto 1438. Dubrav. l. 28. initio, vel filius à Friderico & Vladiſlao circa 1452.

Hæc ſunt qualiacunque induſtriæ meæ in hoc loco expurgando experimenta. Tu ſi præclaram Tuam hiſtoriarum cognitionem, tum otium & inſtructiſſimam Bibliothecam in partem laboris vocare volueris, res ex voto mox peragetur. Reſponſum mihi adhuc de prole Ottonis IV. debes: quod verbo expedies, & diſcrimen auctorum tolles. Vale & feliciter ac diu vive.

h) Caſimirus quidem, ſed pro filio Vladiſlao, quem & Georgius ſucceſſorem deſtinârat & Bohemi plerique elegerant, non pro ſe. i) Pater rex Poloniæ, non filius Vladiſlai iſtius ad varnam cæſi filius fratris, ſed Vladiſlai Bohemi frater. k) Anno 1444. l) Vladiſlai Jagellonis. m) Vladiſlaus in Poloniæ. n) Anno 1386. o) Georg Podiebr. p) Bohemæ ſcilicet ut notum eſt Hinc patet eum de Georgio Bohemo, non Caſimiro Polono, vel Hungaro loqui. q) Georgio Anno 1468. ſocero ſuo hæreſeos prætextu. Matthias enim cum Caſimiro patre & filio bellum geſſit 1471. pro tuendo regno ſuo, & cum Vladiſlao 1473. pro eripiendo Bohemico. Bonfin. dec. 4. l. 3. Dubr. lib. 30. Vide & Flor. Polon. in Vladiſlao 3. & Caſimiro 3. r) Hic ipſe Sabellicus de Bohemo ſe loqui fatetur, Ergò de Georgio, non de Caſimiro Polono vel Hungaro.

Hamburgi die 10. *Auguſti Juliani* 1666.

VUlgare eſt, Vir Nobiliſſime, ut, qui ſeriùs paulò ad amicorum literas reſpondeant, nimias occupationes ſuas excuſent. Ego verò quò minus maturè ad Tuam epiſtolam poſtremam reſponderim, non tàm culpam confero in occupationes, quàm in maximas & graviſſimas animi curas, quibus ne nunc quidem liberatus ſum. Interim quò jam diu debitum Tibi, Domine, reſponſum tandem expediam, ſic habeas velim. Locum Sabellici corruptum eſſe video. Video quoque induſtriam Tuam ſingularem in eo reſtituendo elucere. Quid autem à me hîc dici aut afferri poſſit ad locum illum conſtituendum, id verò eſt quod nondum video. Neque enim nunc varia ob impedimenta penitiùs atque altius omnia inſpicere aut examinare poſſum. Imò ſi poſſim, tamen putem, poſt tuam induſtriam in eo loco expurgando, quæ à me addantur, ſuperfluere & ſupervacare atque eſſe ſupra modum neceſſarium.

Reſpondent ad amicorum litteras ſerò occupati vel ægri, vel pigri.

Blumius acquieſcit in facta ab Auctore Sabellici correctione.

Quod ad quæſtionem attinet de Ottone IV. an ille ſinè prole deceſſerit, nec ne? video eam ita eſſe mediam & communem, ut ſignificare & capere poſſit duas inter ſe ſententias contrarias. Malim tamen cum Crantzio noſtro ſentire, qui lib. 9. Saxon. cap. 21. expreſſè dicit; *Ottonem IV. Imperatorem fuiſſe*

Otto IV. Imperator an habuerit prolem.

Reuſnerus & alii falſò Ottoni IV. prolem adſcribunt.

Meibomius nullam prolem Ottoni IV. fuiſſe affirmat.

Reuſnerus à Meibomio refutatur.

ſinè prole. Verùm Reuſnerus & alii negant, Imperatorem eum improlem fuiſſe; tribuentes ei duas filias. Sed ſi hæc non tantùm audire, verùm etiam arbitrari licet, haut deeſt, quod illis obducam & opponam. Idque non meis ſed Henrici Meibomii verbis: qui Apologiâ pro Imperatore Ottone IV. p. 99. hæc habet: *Biennio poſt immaturum Beatricis obitum, Otto ad primos amores ſe revocavit, ductâ Mariâ Brabantinâ, quæ, ut ex teſtamento apparet, marito ſuperſtes fuit &c. Nihil liberorum ex hac conjuge tulit Otto, longèque falſus eſt Elias Reuſnerus, tribuens ei duas filias Helenam ſive Mathildam, uxorem Alberti primi Ducis Saxoniæ, & Mariam Waldemaro Sleſuicenſium Principi maritatam Contradicunt apertè annales noſtrates antiqui, ex quibus conſtat, Alberti Saxoniæ Ducis conjugem, non Ottonis Imp. ſed ejus ex Wilhelmo fratre Nepotis Ottonis Pueri, primi Brunſuicenſium Ducis, filiam fuiſſe. Woldemaro Duci Sleſuicenſi non ſuam, ſed fratris Henrici Comitis Palatini filiam deſpondit quidem Otto Imperator, ſed domum deducta non fuit: nupſit enim Woldemaro Margarita, nata ex Regio Boëmorum ſanguine, quâ defunctâ duxit Berengariam Flandriam. Crantzius omnem tollens dubitationem Saxon. lib. 9. cap. 21. diſertim affirmat Ottonem ſinè prole defunctum.* Hæc Meibomius. Vale & me ama.

Hamburgi 19. *Julii* 1666.

S. P. Vir Clariſſime & Humaniſſime.

Otto IV. duas tantùm uxores, nullos liberos habuit.

Joan. Henr. Hofmanus laudatur.

QUæ de Ottonis IV. geminis tantùm iiſque ſterilibus nuptiis ſcripſiſti, ea dehinc idoneorum teſtium auctoritate confirmata inveni. Eadem aſſerit Crantzii & Meibomii auctoritate Clariſſimus & Doctiſſimus Vir Joan. Henr. Hofmannus, Sereniſſimo Duci Luneburg. Joanni Friderico à miniſteriis, quicum de his & ſimilibus contuli: qui inter alia, meminiſſe ſe negat, ullam unquam in tot à ſe viſis lectiſque Ottonis deplomatibus ac literis liberorum factam eſſe mentionem, qui tamen mos iſti ævo fuerit perquam familiaris & uſitatus, ac propterea ab Ottone haud prætermiſſus fuiſſet, ſi quos liberos habuiſſet. Vale ac conſtanter fave Tuo

LUBIENIECIO.

XXXV.
COMMUNICATIO LONDIN-OLDENBURGIANA.

Hamburgo Londinum die 10. *Julii Juliani* 1666.

S. P. Clariſſime & Doctiſſime Vir,

Oldenburgium cur compellet Auctor.

Nomen Tuum cunctis in Republica literaria notum & celebratum, ad meas quoque aures, qui in illa minimum me profiteor, pervenit, ſuique admiratione & cultu mentem meam replevit. Itaque Te cumprimis ex Illuſtriſſ. Societate Veſtra Regia compellare volui, nec tamen per gravia & aſſidua negotia potui. Alioquin id mihi, bonas literas amanti, & legum, quibus in Republica literaria vivitur, gnaro, ſalvâ modeſtiâ integrum futurum fuiſſe, probè noveram. Ideò hâc juſtâ libertate, quæ ingenuo & bonarum artium ſtudioſo convenit, in multos Viros Præclaros mihi de fama nominis ſolius notos uſus ſum, dum ſuadentibus & urgentibus Amicis haud exiguum opus Cometicum publicò paro.

Libertate magnâ Reſpublica literaria gaudet.

Adamus Francus commendatur.

Quid ni itaque mihi gratuler poſtquam hodie ab Erudito Viro-Juvene Adamo Franco Tranſylvano, ſtrenuo bonarum literarum cultore & Amico meo eximio accepi, Te per quendam ex Amicis Tuis quærere, an mecum commercium aliquod literarum colere poſſis? Ego verò potius id quærere debuiſſem, ne me Tuâ benevolentiâ prævenifles. Nunc itaque literarum officio ſaltem me præveniri non patiar.

Humanitatis certamen eſt pulcherrimum.

Anglicæ & Hybernicæ obſervationes Cometæ 1664. ad Auctorem mittuntur.

Facilè in eam ſententiam adduci poſſum, Te aliquid de opere meo inaudiviſſe. Nam & ex Inclyta Urbe Veſtra, imò & ex remota Hybernia obſervationes quaſdam de nupero Cometa in Corvo & Lepore, tùm & judicia de ejus ſignificatione variorum Mathematicorum Veſtrorum, parario Viro Humaniſſimo Paulo Jaſz Berenyi, accepi. Nec dubium populares Franci vobiſcum agentes, ab eo ſubinde de inſtituto meo edoctos fuiſſe. Sed quicquid tandem de eo ſit, mihi commodam Te adeundi & alloquendi ſcripto extemporali occaſionem obveniſſe, gaudeo. De inſtituti mei ratione & methodo, ut Te certiorem pluribus reddam, non neceſſarium judico. Paucis tamen id facere æquum cenſeo.

Senatum Philoſophicum cogit Auctor.

Operis hujus rationem Auctor Oldenburgio exponit.

Senatum Philoſophicum, Vir Excellentiſſime, convoco, & in Theatrum Cometicum cogo, tàm jure homini literarum amanti conveniente uſus, quàm debitam modeſtiam ſervans. Theatri illius partem primam Illuſtriſſima & Clariſſima Rautenſteiniorum, Curtiorum, Bruſſellorum, Guerichiorum, Heinſiorum, Bartholinorum, Heveliorum, Bullialdorum, Kircherorum, Riccioliorum, Schottorum aliorumque nomina ornabunt. Alteram Cometarum omnium à diluvio univerſali viſorum, qui ad quadringenteſimum, ut puto, numerum accedent, Hiſtoria complebit. Ibi multa Phyſica, Politica, Ethica, Oeconomica, Hiſtorica, Chronologica, præter Mathematica, quæ primas ſibi vendicant: hîc quandam univerſalis Hiſtoriæ Synopſin invenire licebit, cuncta publicis utilitatibus dicata. Adjungentur figuræ æneæ, quarum numerum (erunt enim non paucæ) nondum inire poſſum.

Societatem Regiam Anglicanam per Oldenburgium Auctor compellat.

Liceat mihi in hunc venerandum Senatum & Te, Vir Clariſſime, & per Te alios Philoſophiæ, cui Illuſtris Societas Veſtra Regia ſplendorem, ſtudium, cultum & patrocinium commodat, Myſtas invitare, quò à Veſtra quoque parte uſui publico

rìtè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ritè conſulatur. Vale ac me catalogo cultorum & Amicorum Tuorum inſcribe, nec tantùm favore Tuo proſequere, ſed & omnibus literarum humaniorum & virtutis, à qua Societas Veſtra lumen ſuum accipere amat, cultoribus commenda.

Ad Dn. Henricum Oldenburgium.

Tuo Clariſſimo Nomini addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Londino Hamburgum die 23. *Julii* 1666.

Generoſo Viro Domino STANISLAO LUBIENIETZKI, HENRICUS OLDENBURG Salutem.

Philoſophis non conveniunt verborum lenocinia.

Scientia ubique colligenda.

Litterarum commercium ſcientiæ ubique colligendæ aptum medium.

OMiſſis, Vir Generoſiſſime, verborum lautitiis, quas ingenuos Philoſophiæ Cultores non adeò decere autumem, gratias ex animo Tibi ago, quod tantâ, ut litteræ Tuæ teſtantur, propenſione, commercium mecum inire litterarium aves. Probe equidem noſti, Scientiæ humanæ fragmina, Obſervationes ſcilicet, Experimenta, Inventa Mechanica, Arcana Medica, & ſimilia, hâc illâc per Orbem Terrarum eſſe diſperſa diſjectaque. Nullam eſſe putem rationem in unum ea cogendi, potiorem, quàm eſt ſedula ſtudiorum Inventorumque Confarreatio, literarum beneficio colenda. Cum itaque Tu, Vir Eximie, eo domicilium tuum poſueris loco, ubi, quæ per totam Germaniam, non in civilibus modo, ſed & in Philoſophicis & Mechanicis occurrunt notatu digna, innoteſcunt; cumque inſuper conquirere inibi & procurare ea poſſis, quæ in ſcientiarum & Artium augmentum geruntur in Inclyta Polonia; rem utique pergratam mihi præſtiteris, ſi de iis omnibus, quæ de re quidem Philoſophica ad Te pervenerint, maturè me edoceas, qui geminum Tibi redhoſtimentum paro.

Societatis Regis Hiſtoria, Commendatio, Studia & conatus, Bono publico conſecrata.

Societatis noſtræ Regiæ, ejuſque Incœptorum Hiſtoria nunc concinnatur. Patebit inde, uti Fundatorem illa habet Regem Auguſtiſſimum, conſorteſque Viros quamplurimos, Stemmate, Doctrinâ & Ingenio florentiſſimos, ſic eam unicè in id incumbere, ut obſervationum & experimentorum ritè ſumptorum fide, ſolidum exſtruatur Philoſophiæ Syſtema, vitæ humanæ uſibus reapſe accommodatum. Inſtitutum vides arduum non minus quàm nobile, idque non unius, ſed complurium gentium ſociatis conſiliis, operis & opibus conficiendum. Hinc quæcunque poſſumus ex quibuſvis Gentibus Ingenia, quæcunque ſtudia, ſollicitamus, & ad ſymbolas ſuas prò virili conferendas advocamus. Intelligo, Vir ſpectatiſſime, Te in argumeto egregio, Cometarum ſcilicet Hiſtoria, nunc laborare. Hevelium, ni fallor, ſocium in illo opere habes aſſiduum peritumque. Pergite ſedulò, Orbemque eruditum hiſce & ſimilibus ſtudiis feliciter locupletate. Vale.

Oldenburgius conatibus Auctoris in explicando argumento Cometico favet. Hevelium Oldenburgius laudat.

Hamburgo Londinum die 18. *Auguſti St. V.* 1666.

Societatis Regiæ Anglicanæ ſtudia commendantur.

Diſce vitæ non ſcholæ.

Ars quævis bono publico dicata ſit.

Scribendi ratio bona imitanda.

CErtum Te eſſe jubeo me officiis humanitatis ita ſemper certare, ne unquam candoris integritas vel minimum à quopiam deſideretur. Tua & Illuſtris veſtræ Societatis ſtudia, ut inquirendis naturæ arcanis, ita & promovendis publicis utilitatibus conſecrata, magnam de ſe excitent exſpectationem, magna quoque afferant commoda oportet. Tantò magis quòd omnia ad uſum transſerant & utilia vitæ undique colligant. Imitamini Vos, Servio teſte, laudatiſſimum priſcorum inſtitutum, qui artem quamque niſi publicis uſibus non metiebantur. Hanc genuinam ſtudiorum & ſcribendi rationem ego quoque mihi propoſui ſequendam in opere, quod me urgere noſti. Ad cujus perfectionem ita toto, quantum per occupationes alias ad vitam tuendam neceſſariò expedien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

pediendas licet, incumbo pectore, ut cunctorum temporis mei momentorum rationes mihi probè conſtare oporteat. Abſoluto iſto opere quod me intra paucos menſes cælo favente facturum ſpero, dabo operam ut aliquo benevolentiæ efficacis documento præclariſſima veſtra ſtudia venerer. Nam ut aliquid ad ea juvanda vel augenda adferam, non eſt quod à mea tenuitate exſpectes. Latum dat nobis inpræſens campum, in quo induſtria excurrere poſſit, Polonia olìm noſtra priſtinæ reddita paci, quam patriæ matri chariſſimæ, licet in nos odio humani generis convictos eique tanquam victimas piaculares devotos ob religionem invidiâ flagranti, gratulor, & perennem precor: quam etiam ex officio Viri boni, publica commoda curantis, Inclytæ Angliæ nuper domeſticis, nunc externis bellis horrendum quaſſatæ, voveo. Nullus dubito Te, Vir Humaniſſime, cum omnibus Tui ſimilibus non tantùm votis piis, ſed & ſtudiis ac conatibus ſolertibus optatam, laudabilem & utilem cum vicina, eaque religionis ejuſdem vinculo conjunctâ gente, pacem promovere. Hòc enim Philoſophicis ſtudiis, quæ & feritatem exuere, & humanitatem induere ſibi obedientes docent, tantò magis Chriſtiana pietate, nil convenientius dari poteſt. Quantoperè ego id officii Chriſtianis commendem, & inculcem in opere meo, Deo volente, paſſim leges. Ampliſſimus Hevelius in Cometographiam ſuam aſſiduus incumbit. Nuper admodum Obſervationes Verni Cometæ poſtremi, & aſſertionem prioris Cometæ obſervationum contra Clariſſimi Auzutii rationes publico commiſit. Hæc Te jam vidiſſe, autumo. Si quid de argumento Cometico habeas luce dignum, ut ſpero, mecum id haud gravatim communicabis. Vale ac mihi conſtanter fave.

Pius ergà patriam eſtò.

Pacem cunctis precare, eamque omni niſu promove.

Philoſophia format mores.

Chriſtiana pietas pacem publicam promovet.

Hevelii Cometographica.

Londino Hamburgum die 3. *Januarii* 1667.

FErmè jam deſperaveram de tuo ad meas reſponſo, quando id ipſum die 18. Auguſti datum ad manus meas pervenit. Miror interim, ubi id tamdiu delituerit, cum nonniſi duabus ab hinc ſeptimanis illud acceperim. Quicquid ſit, mihi gratulor, Te vivere & valere, atque ornandis augendiſque utilibus ſtudiis animum jugiter addictum gerere. Author Tibi ſim liceat, ut quamprimùm opus Tuum Cometicum lucem viderit, exemplar aliquod nobis tranſmittas. Adhæc, ſi abſque magno tuo incommodo fieri poſſet, rem nobis præſtares gratiſſimam, ſi adderes *Sareptam Matheſii*, licet Germanicè ſcriptam, nec non *Catalogum Mineralium Swenckfeldii*, & *Jungii Logicam*, unà cum *Petri Lambecii Hiſtoria litteraria*, primo ſcilicet ejus Tomo. Vel remittemus Tibi argentum, vel libros, quos Tibi ſignificare viſum fuerit. Siquidem opus Tuum non tàm citò manum Tuam ultimam ſenſerit, fac quæſo, ut cæteri libri navigio quodam, primâ quaque occaſione, ad me curentur. Certum Te eſſe velim, me paratiſſimum eſſe, ad hujuſmodi officia Tua pro virili, quoties id imperare volueris, penſanda. Occupatur jam SOCIETAS NOSTRA *experimento tranſfundendi ſanguinem unius animalis in alterum*, ſive ſpeciei ejuſdem, ſive diverſæ. Num aliquam in indole mutationem id produxerit, an minus, brevi conſtabit, nì forte hyemis rigor, ſanguinem ſiſtens & coagulans, obfuerit. Dominus Auzoutus in confutando Hevelio nunc laborat. Suſpendit ſuum de hac controverſia Cometica judicium (quod quidem rogitavit Hevelius) noſtra Societas, donec quæ Auzoutus dicenda habet, audiverit. Fortaſſis & obſervationes, hìc loci à quibuſdam Aſtronomis de eodem argumento factæ publici juris fient, ſiquidem id opus eſſe judicatum fuerit ad negotium hoc elucidandum. In votis maximè habeo, ut Coloniæ, Francofurti, Lipſiæ & Auguſtæ Vindelicorum, Viros quoſdam Philoſophos mihi procures, qui commercium colere literarium nobiſcum aveant. Ne dubites, paria nos reddituros iis, quæ ipſis viſum fuerit nobis impertiri in Mechanicis, Anatomicis, Opticis, Aſtronomicis, Phyſicis, Chymicis & ſimilibus. Theologica, Juridica, Politica,

Oldenburgius operis hujus exemplum ad ſe mitti quamprimùm cupit.

Societatis Regiæ Anglicanæ ſtudia.

Sanguinis unius animalis in alterum tranſfuſio tentatur.

Societas Regia quî ſe in controverſia inter Hevel. & Auzut. gerat.

Oldenburgius operâ Auctoris in colendo literarum cum Germaniæ Philoſophis commercio uti cupit.

tica, Metaphyſica & hiſce genuina Scholis & Templis relinquimus. Vale, & quantocius, ſi placet, reſponde.

Hamburgo Londinum XXVI. *Januarii Juliani* CIↃ IↃC LXVII.

HEri demùm ſero veſpere literas Tuas III. hujus menſis datas accepi. Ad quas en Tibi promtum reſponſum, quo in officii genere debitam ſolertiam cuique probo. Gratulor multùm Reipublicæ literariæ de præclaris conatibus Inclutæ Veſtræ Societatis, commoda ejus magno animo ſtudioque promoventibus. Gratulor & Tibi, Viro eruditione celebri, quòd, ſicut hiſce tuis literis indicas, amplum munus conſecutus ſis, ut à ſecretis tàm Illuſtri Societati conſtituereris. Pergite, ô boni, benè de genere humano mereri laudabilibus Philoſophicis ſtudiis, ita tamen ne ſtudia pacis & virtutis (quod nec temerè nec fruſtra moneo) negligatis. Noſti quid in hanc rem Seneca ad Lucilium hîc & illîc ſcribat. Noſti oraculum ſacrum, omni exceptione majus, Heroica quoque, licet alioqui Chriſtiana, facinora ipſaque Angelica dona præ charitate nihili ducere. Atque hæc quidem mea eſt ſententia, qui talia ſtudia Vobis non tantùm ornamento, ſed & emolumento fore ſcio. Æquitate Vos in Ampliſſimum Hevelium, Virum de re Aſtronomica optimè, ſi quiſquam alius noſtro ſeculo, meritum, uti, Viris humanitate excultis convenit. Optaram ego, tàm Hevelio quàm Auzuto amicus, Bullialdi & Hugenii, utpote præſtantiſſimorum Mathematicorum & utrique amiciſſimorum, operâ controverſiam illam dirimi potuiſſe. Sed illi, quâ ſunt modeſtiâ, tantum ſibi tribuere, vel etiam alterutrum amicorum (quanquam reliquis omnibus, ex veteri quoque ſcito, magis amica ſit veritas & Heveliana modeſtia & ſinceritas, quam etiam literis ad me de hoc argumento ſcriptis teſtatus eſt, nota omnibus) offendere forte nolent. At verò Inclutæ Veſtræ Societatis auctoritas, & accuratiſſimarum obſervationum fides, longè majus huic rei decidendæ adferet momentum. Libros, quos à me poſtulas, & à me comparari in uſu Veſtros poterunt, ſine mora habebis. Nec in conciliando Vobis Philoſophico literarum commercio in his oris exercendo quidquam à vobis in mea induſtria deſiderari patiar. Qua de re hodie Amicum meum Noricum, melioris notæ Virum, veſtriſque ſtudiis juvandis idoneum, ſcripto adibo. Obſervationes Cometæ nuperi hyberni & verni, ſaltem à die $\frac{12}{22}$ ad $\frac{21}{31}$. Decembris habitas velim mihi mittas. Clariſſimus Bullialdus miſſo nuperrimè ad me ſcripto ſuo publici juris facto, nos de obſervatâ ad ſe die xx. Januarii Gregor. ſtellâ illâ mirâ in collo Ceti (quam & hac in urbe Mathematici, alii citius, alii ſerius obſervarunt) tum de phœnomeno in cingulo Andromedæ Boreali, quod Anno 1665. menſe Februarii à Clariſſimo Gravio Profeſſ. Mathem. Franequerano, menſe verò Aprili ab Mathematicis Romanis, aliàs ab aliis obſervatum eſſe ſcio, monuit. Quid verò Vobis videtur de iride, quam urente intenſiſſimo gelu ipſis hujus menſis Kalendis cum domeſticis meis poſt horam primam pomeridianam obſervavi, & per integram amplius horam ſpectavi? Domus enim mea in aggere ad Alſtriam fluvium urbem veterem à nova dividentem ſita, & ab utraque parte libero cælo gaudens, obſervandis ſideribus & phœnomenis eſt percommoda. Cujus rei experimentum in obſervato die 6. 16. Julii 1665. phœnomeno fig. 2. in opere meo, DEO volente, videbis. En verò Tibi noſtrum hocce phœnomenon nuperrimè viſum, & cum cura à Me & M. Conrado Yſenio, Mathematices cultore eximio, qui mihi σύνοικος ϗ σύσσιτος nuper factus eſt, obſervatum. Apparebat vergere illud ad occaſum brumalem & penè ſuper angulum Auſtrinum (eorum nempe qui occaſum ſpectant in turri nova S. Michaëlis, quem ſitum & totam hanc urbis iſtius regionem, vel potius mediam & majorem quidem, ambitûs ratione, partem in dicta tabula videbis) exiſtens. Exhibebatur oculis inſtar orbis magnitudi ne circiter ipſius diſci ſolaris coloribus iridis variis, prout videri ſolent,

distincti.

Societatis Regiæ laus.

Oldenburgius Societati Regiæ à ſecretis commendatur.

Philoſophus pacem publicam curet oportet.

Caritas omnibus rebus præſtat.

Hevelius laudatur, dignus omnium favore; ejus cum Auzuto controverſiæ componendæ ratio ab Auctore propoſita.

Bullialdi laus.

Hugenii Chriſt. laus.

Auctor Societati Regiæ operam ſuam in præſtandis nonnullis officiis offert.

Stella Ceti.

Andromedæ nebuloſa.

Iridis Kalendis Januariis 1667. obſervata.

Alſtria fluvius urbem Hamburgenſem interfluit.

Conr. Yſenius laudatur, Auctori convivit.

Situs urbis Hamburgenſis.

Phænomeni Kal. Januar. 1667. viſi deſcriptio.

diſtincti. Ab hoc tendebant radii tres, literam T quodam modò referentes, quorum duo portionem iridis referentes in una quaſi recta linea vel arcu circulari jacebant, & quidem alter in occaſum brumalem ferè directus ab angulo ſupra dicto auſtrino verſùs partem turris occiduam paululum declinabat ad Boream, alter verò tantundem ab angulo boreo verſùs partem orientalem in Auſtrum ferè. Maximè verò conſpicuus fuit orbis ille intermedius, obſcuriores autem ab eo tendentes radii, velut à Cometis cauda, niſi quòd radii iſti in diverſas mundi plagas porrigerentur, & latitudo eorum non modò non exceſſerit, ſed ne quidem omninò æquaverit orbis diametrum. Hi radii circa finem in mucronem faſtigiati erant, & in cuſpidem, velut diſparituri, deſinebant. Radius tertius in occaſum æſtivum ferè tendens, ab orbe medio globum magis compactum referente, reliquis velut perpendicularis, penè ad angulum boreum verſùs partem occidentalem turris, cæteris videbatur pallidior & lucidior, minus coloribus diſtinctus, præſertim in productione paulo longius ab orbe intermedio. Sol momento primo apparitionis meridianum pertranſierat ad menſuram oculorum judicio tertiæ circiter parti quadrantis æqualem in circulo, quem Sol eo die deſcribere videbatur. Orbis hic paulò propior horizonti quàm Soli, ſicque ab eo circiter unius ſigni paulò plus portione diſtare, centrum verò Solis, orbis illius & oculi, triangulum Scalenum, cujus latus maximum referebat oculi diſtantia à phœnomeno, minimum oculi à Sole diſtantia, efficere videbatur. Duravit hoc jucundum ſanè phœnomenon ſeſquihoræ circiter ſpatio, ex quo quidem à nobis animadverſum eſt, ſatis conſpicuum & diſtinctis coloribus oculos ad ſe trahens. Sed ultra duas horas cum dimidia ab initio apparitionis, vel potius obſervationis noſtræ (poterat enim longè prius, nobis cibum capientibus, apparuiſſe) veſtigia illius ſatis notabilia fuêre. Denique, quod diligenter, nec ſine admiratione & delectatione obſervavimus, prout Sol paulatim ad occaſum tendebat, ita phœnomenon noſtrum eadem ferè proportione ſecedere videbatur in occaſum & boream, ſive in occaſum æſtivum, ut tandem, cum ejus veſtigia tantum incipiebant apparere, circiter decem vel 12. gradibus à turri diſtare & ferè medium locum inter horizontem ac turrim occupare videretur. Cælum toto illo pomeridiano tempore fuit ſudum & conſiderando phœnomeno aptum, nubeculis, claris tamen, hîc & illic diſpunctum, quarum quæ phœnomeno propius accedebant, ſemper longiores ſe exhibentes, in latitudine verò decreſcentes rubicundo purpureoque tingebantur colore. Atque hæc de iſto phœnomeno ſufficiant. Quid jam judicandum erit de communi ſententia, iridem fieri ex refractione radiorum Solis ex adverſo, & in linea recta cum oculo noſtro & iride poſiti, in nube rorida, & ita quidem, ut non appareat, niſi dimidia circuli forma? Hæc enim cuncta phœnomenon noſtrum refutat. Hyeme illud apparuiſſe non miror. Scio nempe etiam creſcentibus, non tantùm decreſcentibus diebus circa æquinoctia conſpici. Nec noctu eam adulto nuper auctumno, ut ab Amico accepi, apparuiſſe miror, quod inter ἀδύνατα Plinius poſuit. Nam annorum 1523, 1527 & 1537. aliorumque experientia ſatis eum refutavit, ut & cum Ariſtotele dicentem plures ſimul duabus non videri, cum tres ſæpius viſæ fuerint. Eundem plures ſimul quàm tres Soles ad ſua tempora non viſos, aliud nunc doceret experientia. Milichius enim ad h. l. Plinii lib. ſcilicet 2. c. 31. adnotat Regem Poloniæ ſex Soles vidiſſe. Verum hîc Eckſtormius in hiſt. Parel. tres legit. Sed diverſæ Milichii editiones ſex Soles legunt. Atque hoc adnotat Carteſius lib. de Meteoris c. x. ubi etiam cauſſam reddit de quinque Solibus Romæ 1629. (Eckſtormio hiſtor. Parel. Anno 1621. finiente) die 20. Martii viſis. Habebat autem noſtrum phœnomenon ut iridis magnam, ita & aliquam parelii (qui etiam iridem ſociam habere ſolet) ſimilitudinem. Eodem certè modo productum fuit, quo illi produci ſolent, ex reflexione radiorum Solis in nube denſa, & æquabili à latere poſita. Nam hîc planè phœnomenon à latere Solis ſiniſtro fuit, & cum oculo noſtro triangulum conſtituit.

Iridis origo.

Iris hyeme aliquando videtur.

Tùm circa æquinoctia, etiam noctu.

Plinius refutatur.

Ariſtoteles refutatur.

Irides ſimul tres ſæpius viſæ.

Soles 4. 5. 6. quandoque viſi.

Parelii ſociam iridem habere ſolent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Iris extraordinaria vel aliquid iridi ſimile.

Sententiæ communi ſine neceſſitate non contradicendum.

tuit. Hic quî cum linea recta, in qua communis ſententia Solem, oculum & iridem ponit, conveniet? Dicendum arbitror aut iridem fuiſſe extraordinariam, aut tantùm quidpiam analogum iridi. Atque hoc potius eligo quàm illud, ne ſine neceſſitate communi ſententiæ reclamemus. Opus meum ad finem properat. Aliquot tamen menſes exibunt, priuſquam figuræ omnium Cometarum, quorum quidem hiſtoria accurata habetur, depingantur, & æri incidantur. Has enim me precibus Amicorum dare oportuit. Vale.

Londino Hamburgum die 19. *Februarii* St. *V.* 1667.

Phænomenon Kal. Januar. 1667. viſum parelio quàm iridi ſimilius.

Oldenburgius quomodo de controverſia Auzuti cum Hevelio Societas Regia judicare velit ad Auctorem perſcribit.

Societatis Regiæ ſtudia Mathematica.

Terræ orbis parallaxis exactè inveſtigata, controverſiam de terræ motu vel quiete dirimet.

MAgnoperè gaudebam videre litteras Tuas 26. Januarii ad me datas, quibus ſignificas, Te & commercii noſtri Philoſophici fines prolaturum, & tractatum tuum de Cometis brevi expediturum, habitâ ſimul curâ, ut libri à me Hamburgo deſiderati, honeſto prius Viro, cui hîc Londini conſignentur, à me indicato, nave huc velificante tranſmittantur. Deſcribis inſuper Meteoron non vulgare, quod ſiquidem deſcriptionem Tuam ritè aſſequor, Parelio quàm Iridi eſt ſimilius. Figuræ aliquid ſi appingere placuiſſet, clarius rem totam perſpexiſſemus. Gratias Tibi debitas ago de iſtis omnibus & officiorum meorum promptitudinem lubens repolliceor. Non dubito quin mihi ſis nunciaturus, quam primum in Germania ſuperiori Commercatorem ingenuum & Philoſophum nactus fueris. Summoperè lætor Tractatum Tuum Cometicum ad finem decurrere. D. Hevelius brevi quoque colophonem addet Cometographiæ ſuæ; quàm primum ſcilicet moleſta illa de loco Cometæ die 18. Februarii controverſia dirempta fuerit. Pars utraque ſupremum de re tota judicium Societati Regiæ deferunt. Eſt quidem ex illius ſociis, qui brevi, ni admodum fallor, obſervata ſua Cometica eſt editurus. Id factum cum fuerit, veroſimile eſt Societ. prædictam candidè ſententiam ſuam de re tota, quantum quidem per obſervationes licuerit, pronunciaturam. Molimur jam ſpeculæ contemplandis Aſtris idoneæ, ædificationem, eſtque ſpes magna, dummodo pax nobis redeat, multa in Cælis inſignia porrò à nobis obſervatum iri. Non omittemus, putem, Stellam in collo Ceti, jam jam monente Bullialdo, viſendam contemplari: nec deerunt, quibus curæ erit, Orbis Terræ parallaxim rimari; quæ res ritè deprehenſa; agitatam illam de Terræ motu vel quiete controverſiam, planè, opinor, dirimet.

Lubens ſcirem, quinam hoc tempore in Germania & Polonia Viri in ſolida Philoſophia & Matheſi præ cæteris excellunt. Sciſciteris, quæſo, Vir Præſtantiſſime, amicos tuos per Germaniam utramque & eorum, quos edoctus fueris, nomina quamprimum commodè poteris, ſignifices rogo. Vale.

Hamburgo Londinum die 13. *Aprilis* 1667.

Occupati amici ſilentium apud Te excuſa.

QUominus ad gratiſſimas literas Tuas, die quidem 19. Februarii datas, mihi tamen demum die 12. Martii Juliani redditas, hucuſque reſponderim, diverſorum hoſpitum tàm in urbe, quàm domi meæ præſentia, uxoris puerperium aliæque occupationes effecerunt. Adhæc exſpectabam reſponſum ab amico quodam, quem valdè rogavi, ut mihi aliquos Viros varia eruditione inſtructos, quibuſcum literarum commercium colere poſſes, indicaret, imo & an ipſe quoque id facere vellet, me faceret certiorem. Exſpectabam & ab alio reſponſum de libris Philoſophicis in Germania nuper editis. Sed neutrum adhuc obtinui. Nolui tamen diutius differre officioſæ reſponſionis vicem, quam en Tibi. Meteori illius deſcriptionem ſatis accuratam Tibi miſeram, figurâ quoque, quæ literam T tribus radiis à globo inſtar parelii apparente ſe diſtendentibus acuminatam referret, indicatâ. Hanc Te pleniùs intellecturum, quod ad ſitum loci & ἀκρίβειαν Topographicam attinet, ex figura N°. 2. operi meo inſertâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

inſertâ, jam tum dixi. Itaque quod nunc de hac re amplius dicam, habeo nihil, præſertim cum & de pareliis tunc aliquid addiderim. Operis mei editionem figuræ Cometarum ad aliquot menſes different. Clariſſimus Hevelius, cui pro jure amicitiæ ſingularis, quæ ad me de ejus cauſa ſcripſeras, communicaveram, non diſſimulavit in litteris die 19. Martii ſcriptis, injuriam quandam ſibi hac in re fieri, quod ex adjuncto illarum apographo, quod pari æquitate erga Vos utens Tibi mitto, melius intelliges. Æquum omninò eſt, non tantùm præclarorum ejus de re Aſtronomica meritorum haberi rationem, ſed & controverſiam hanc inter eum & Clariſſimum Auzutum exortam ita dijudicare, ut utraque pars æquo jure gaudeat, ac tandem pro veritate, quâ ut nihil eſt divinius & melius, ita nihil nobis antiquius ſit oportet, deciſio fiat. Atque id Vos quoque facturos dubitare non licet. Habet autem urbs Gedanenſis præter Hevelium & alterum Senatorem Joannem Heckerum, de ſtudio Mathematico, præſertim quod ad Ephemerides & computationes Aſtronomicas attinet, benè meritum: tùm Vincentium Fabricium, Syndicum, Poëtam celeberrimum, alioſque ex Senatu literis ad laudem excultos. Inter Viros doctos, qui ibi vivunt, amicis utor Joanne Petro Titio Gymn. Profeſſ. Hiſtorico, Oratore & Poëta egregio, & Friderico Bütnero Math. Prof. Chronologo accurato, qui etiam Mechanicis & Poëticis ſtudiis delectatur. Plures non novi in urbe illa. In patria mea plures eſſe Philoſophiæ ſtudiis deditos ſatis benè ſcio. Sed ubi nunc vivant, imò & an vivant, me latet. Libros quos expetis, brevi accipies. De ſucceſſu ſanguinis tranſfuſi & ſpeculæ Aſtronomicæ à Te certior reddi cupio. Vale.

Hevelii merita,

Controverſia cum Auzuto quomodo dirimenda.

Veritate ut nil eſt præſtantius, ita nil ſit antiquius.

Gedani commendatio.

Joannes Heckerus.

Vinc. Fabricius.

Joan. Petrus Titius.

Fridericus Büthnerus.

XXXVI.

COMMUNICATIO HAMBURGI-SYVERIANA.

Hîc Hamburgi die $\frac{1}{11}$. Decembris 1664.

S.P. Erudite Vir Juvenis.

GRatulor mihi multum de contracta nuper Tecum amicitiâ, quem Virum egregiè doctum, induſtrium & in præſtandis amicitiæ & bono publico debitis officiis ſedulum eſſe cognovi. Quamobrem etiam ad Te nunc refero, annon radii Solares (quos in formandis Cometarum caudis vel primas, vel certè aliquas partes tenere, res ipſa indicare videtur) eodem modo pertranſeant Cometæ corpus, & ſyrma illud efficiant, ſicut lumen candelæ ante vitrum aqua plenum poſitum, dum illud permeat, ſimile quid præſtare videtur. Obſervando Cometæ noſtro Te ſedulò invigilare, gaudeo. Macte diligentiæ laude eſto, Tuarumque obſervationum non tantùm hujus Cometæ, ſed & ſtellæ illius miræ in collo Ceti, me fac aliquando participem. Vale ac mihi conſtanter fave, qui ſum

Sivert amicitiam Auctor ſibi gratulatur.

Dotes ejus laudat.

Cauda Cometæ annon à Solis radiis corpus Comet. pertranſeuntibus efficiatur, ſicut cum lumen candelæ permeat vitrum aqua plenum.

Ad D. Henricum Syvers Bibliothecarium Hamburgenſem ad ædem Cathedralem.

T. ſtudioſiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgi die 8. *Decembr.* 1664.

S. P. Generoſiſſime ac Nobiliſſime Vir.

Syverus gratulationem reciprocat,
Modeſtè de ſe ſentiens.
Solis lumen caudam Cometæ non conſtituit materialiter; Sed eam dirigit.
Solis radii per ſe inconſpicui,
Refracti corpus pellucidum ſphæricum tranſeuntes invicem decuſſant
Cometæ & cauda ejus eadem materia.
Cometæ corpus compoſitum.
Cometæ cauda cum flamma prunarum comparata.

NIhil ſanè eſt, quòd gratuleris tibi de amicitiâ noſtra. Quin ipſe potius plurimum habeo, cur mihi maximè de ea gratuler, cùm potiſſima ejus portio, favor ſcilicet tuus, ſatis manifeſtus, me reſpiciat. Hic eſt, qui facit ut iſta mihi tribuas, quæ moderatè de me ſentiens omnino reſpuerem, niſi pro ſtimulis alicujus ſtudii, quo ad id faſtigium perveniam, agnoſcerem. Cæterum ut ad quæſitum tuum pro ingenii modulo reſpondeam, utendum erit aliquâ libertate philoſophicâ, quâ, ingenue fateor, ſententiam iſtam de lumine Solis corpus Cometicum tranſeunte pro ſyrmate ejus materialiter conſtituendo, parùm plauſibilem mihi eſſe. Caudam quidem Cometæ à Sole ita dirigi, ut radius centralis per centrum Cometæ traductus hanc ipſam mediam pervadat, plerorumque conſtans eſt opinio, viſu confirmata, cum tamen etiam aliquando deflexiſſe obſervata notetur. An verò caudæ materia alia nulla ſit, quàm radii Solares corpus Cometale penetrantes, valdè ambigo. Cum enim tùm radiatio Solis abſque materia illuſtrata conſpicua non ſit, tùm iſta, quæ ponè corpus Cometæ vibratur, minimè appareat conſtare radiis interſectis ſive ſe invicem decuſſantibus; (quod utique fieret, ſi radii Solares per corpus Cometale ſphæricum non ſine duplici refractione tranſeuntes eſſent cauſa materialis caudæ) non video, quomodo talis ſententia ſibi conſtet. Dixerim potius, eandem materiam eſſe & Cometæ ipſius & caudæ: hanc tamen illâ magis volatilem & rariorem, ita ut à radiis Solaribus per cavitates corporis Cometæ (non enim arbitror hoc unicum & continuum eſſe, ſed ex pluribus corpuſculis compoſitum, habens meatus ſuos) quàm facillimè propellatur, facilius atque radios caudæ radiis Solaribus directos: quod ipſum experientia veritati magis conforme exhibere videtur. Si per ſimile res declaranda foret, dicerem eandem fortè rationem eſſe, ac ſi quatuor vel plures ſphæricæ prunæ ita coacervarentur ut pyramidem ſeu Tetraedron, vel aliud corpus, apicibus obtuſis & ſtupa in formam ſphæræ involutum conſtituerent & per hiatus intermedios lenis quædam aura tranſpirans flammulam produceret, eodem tendentem, quò aura. Sed cum nondum conſtet, quid Cometa ſit, certo quicquam in hoc paſſu definire non licet. Paucis itaque habes, quæ pro quæſtione veniunt: de cæteris lubenter gratificaturum me promitto, quamprimum Cometa videri deſierit, modo obſervationes iſtæ, rudi, ut ajunt, Minerva, ſine ullo accuratiorum inſtrumentorum adminiculo inſtitutæ tanti valoris ſint, ut in conſpectum cujuſdam, ne dum Tuæ Generoſitatis, prodire audeant. Tu omnia æqui bonique conſulens, Vale ac favere perge,

T. ſtudioſiſſimo

HENRICO SYVERS.

Ad Gener. D. STANISLAUM LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ Equitem Polonum.

Eidem Auctor die 14. *Decemb. Juliani* 1664.

Solis radii an Cometam permeando caudam ejus conſtituant?

GRata quidem reſponſio iſta Tua mihi fuit, verùm tamen cum in ea ipſa ſine illuſtratione per aliquod ſchema acquieſcere non poſſim, velim hanc addas, & opinionem meam juxta iſtud ſchema penitiùs conſideres, quæ, ut plenius intelligatur, hæc eſt. Videntur Solis radii, quibus noſti directè opponi caudam Cometæ, incidere in partem quandam aëris, vel alioqui materiam quandam pellucidam & luminis ſuſceptibilem, eamque penetrando efficere caudam Cometæ. Scilicet illi, cum corpus Solare longè ſit majus corpore Cometali,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura 1. 2. 3. quarundam demonſtrationum Mathematicarum de motu Cometæ æqualiter lati, apparenter inæquali et cauſa ac ſitu caudæ ejus ad Comm. Siverianam pertinens.

N.° 36




Fig. 2.

Fig. 1.





Fig 3.



G. Gerardi ſculp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

metali, vel in Cometa concentrari, & exinde radios magis magiſque ſpargere & diducere; vel certè non omnes in materiam luminis ſuſceptibilem incidere, ſed eam præterire, certis tantùm eam penetrantibus, videntur. Quod ſi verò hanc opinionem meam demonſtrari non poſſe animadvertas, velim mihi ſincerè indices, libertate utens Philoſophicâ. Equidem rem mihi facies gratam: Veritatem enim ubique quæro, & amplector. Vale.

Idem Auctori die 14. *Decembris* 1664.

S.P. LOngè diverſam eſſe radiationem luminis per vitrum à radiatione iſta Solis, quâ cauda Cometæ dirigitur, ex iis, quæ ſupra dixi, ſatis liquere puto, præſertim cum cauda Cometæ ſtatim à corpore Cometico continua ſit & viſibilis, contra autem radiatio illa luminis per vitrum, non niſi in objecto terminante cernatur: inter objectum verò & vitrum nulla omnino viſu percipi poſſit. Accedit præterea, (quantum tubo Optico manuali dignoſcere datur,) quod nucleus hujus Cometæ ſphæricus & ſolidus non videatur: ſed quaſi ex quatuor diſtinctis corporibus ſphæricis ita compoſitus, ut hæc ipſa (quemadmodum ſupra de prunis dictum eſt) pyramidatim cohærentia, & quavis parte triangularem formam exhibentia, in ſui medio cavitatem relinquant: non quidem vacuam, ſed eadem materia rariori, quæ hunc nucleum involvit, ut totum corpus ſphæricum appareat oppletam. Unde quàm facilè quoque ratio reddi poteſt, quare Cauda Cometæ interdum accuratè directa ſit radiis Solaribus, interdum ab iſta rectitudine nonnihil deviet. Cum enim radii Solares cavitatem illam directè ſibi obverſam ſine impedimento tranſeunt, materiam rariorem propellentes, vel ſecum ducentes, radiatio caudæ rectâ quoque pergit: ſed cum ſitus Cometæ partem ſui, qua globuli cohærent, Soli obvertit, radii hujus, à globulo cavitatem vel ab anteriori vel à poſteriori plaga occludente deflexi, materiam illam Cometæ rariorem alio rſum quoque ac in directum propellunt. Vide Figuram de triplici Cometæ ſitu. Tamen utut ſit, diagramma de ratione optica luminis tranſparentis in gratiam Generoſ. Tuæ depictum hic adjungo, (in quo S. exhibet Solem, cujus radii A. E. & A. F. corpus Cometæ, ex hypotheſi tua ſphæricum, permeantes, & ex legibus opticis bis refracti, ſcilicet in E. & I, F. & Q. tandem congrediuntur in U. Radii vero AC. & A D. conveniunt eadem lege in W. Sic etiam GE. & HF. in E. GC. verò & HD. in I. Et quotquot ex punctis in X & Z. intermediis radii per corpus Cometæ duci poſſunt, omnes pone hoc ipſum ſe invicem decuſſant & à decuſſatione divergunt. Jam ſi cauda Cometæ iſtiuſmodi radiis ſe invicem decuſſantibus conſtare cerneretur, utique locum aliquem opinio Tua reperiret, quem verò experientia in diverſum abiens negat. Utrum jam Generoſitati Tuæ hoc ipſo ſatiſfecerim, proximo die mercurii fortè in Bibliotheca noſtra Cathedrali, ſi accedere tum libuerit, percepturus ſum, & ſimul obſervationes meas de ſitu Cometæ indies variato communicaturus, modò tanti ſint, ut tibi explicari mereantur. Vale.

Negatur additâ ratione diverſâ radiationis per vitrum & radiationis per corpus Cometicum.

Cometæ nucleus non ſphæricus, ſed in pyramidis obtuſæ formam compoſitus.

Cometæ cauda cur aliquando à rectitudine radiorum Solarium deviet.

Fig. 3.
Fig. 2.

Eidem Auctor die 19. *Decembris* 1664.

S. P. MEæ occupationes aſſiduæ adhuc non permiſerunt Te compellare. Cæterùm Tua præſentia mihi foret gratiſſima, præſertim cum non pauca habeam, de quibus vellem tecum coram conferre ſi id fieri poſſet poſtridie, horâ aliquâ, quæ Tibi placuerit. Velim autem cunctas Tuas obſervationes de Cometa diligenter annotes. Erit hæc res Tibi laudi, & ego paratus ſum id officiis meis demereri. Et quia Cælum hodierno manè fuit ſerenum, peto mihi mitti obſervationem, ſi quam feciſti, Cometæ. Nos nihil circa horam ſextam vidimus. Expeto judicium Tuum de judicio Domini Guericken de Origine Cometarum quod mitto. Vale.

Idem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Idem Auctori die 20. 30. Decembris 1664.

Cometæ hyberni 1664. motus initio tardus: in fine velocior, ideòque videtur epicyclicus fuiſſe.

HOdiè manè circa quintam, cum ſtellæ undique cælo niteſcerent, Cometam inter illas quæſivi, ſed nullum reperi. Mitto igitur quatuor illas obſervationes diebus 4, 7, 8 & 11. Decembris habitas. Ex quibus conſtat Cometam hunc motu proprio intra 3. dies priores confeciſſe 4 gradus: quarto die $1\frac{3}{4}$. grad. poſterioribus autem tribus diebus $7\frac{1}{6}$. gradus. Ita ut motus in initio obſervationis tardior quàm in fine hujus fuerit, qui exinde fidem mihi facit, ut credam Cometam hunc motu quaſi epicyclico latum fuiſſe, & quidem ad Apogeum orbitæ ſuæ magis magiſque acceſſiſſe. Non enim eſt, cur motus hic inæquabilis ratione centri ſui habeatur. Cum inæqualitas iſta ex Opticis facilè deducatur, ex quibus aliorum quoque phœnomenorum cæleſtium anomaliæ dirivantur. Verbi gratiâ in Diagrammate ſubjuncto moveatur A. per partem peripheriæ B C D, idque æquali motu per æqualia ſpatia BE, EF, FG, GH, HD. &c; Oculus in O. conſtitutus motus inæquales notabit in recta BD. vel circulari B c D, cujus centrum O, propter ejus intervalla inæqualia radiis viſoriis, quibus oculus motum A. conſequitur, intercepta. Et quoniam B e. minus eſt quàm e f; A celerius motum eſſe ab E. ad F. videtur, quàm à B. ad E. adhuc celeriùs autem ab F. ad G. &c; Deinde quoniam lumen B. conſtitutum remotius eſt ab oculo, quàm in E; hoc illo fortiùs apparebit, & adhuc fortius in F. Unde etiam cauſa accrementi luminis iſtius deduci potis eſt facili negotio. Ampliſſimi Domini Guerichii judicium, quædam probabilia proponere videtur: nonnulla autem quomodo probari poſſint, ipſe videat, mihi certè rationes nullæ de iis conſtant. Res iſta multis hypotheſibus niti videtur. Hæc igitur ſunt Nobiliſſime Domine, quibus deſiderio tuo ſi non omninò ſatiſfaciam, partem tamen aliquam propenſæ voluntatis indicare volui. Vale.

Fig. 1.

Siveri de Guerichiana ſententia judicium.

Eidem Auctor die 21. 31. Decembris 1664.

Cometa 1664 exeunte redeuntis fama ſpargitur.

S. P. GRatias ago maximas pro communicatione obſervationum tuarum. Cæterum cum novus rumor ſpargatur videri Cometam, velim pauciſſimis indices, utrum & tibi innotuerit, nec ne. Si vera res eſt, gratum mihi feceris, ſi & hujus Cometæ orbitam diligenter obſervaveris & obſervata deinde communicaveris. Paratum me viciſſim ad quævis officia promitto. Vale.

Idem Auctori die 21. 31. Decembris 1664.

Confirmatur. Obſervatio prima Cometæ hyberni 1664. in Lepore.

S. P. COmetam iterum videri rumor vanus non eſt. Vidi enim eundem heri hora duodecima noctis propè oculum Leporis, ſed fine cauda. Hodie manè autem hora ſecunda poſt mediam noctem, cum in turri divæ Catharinæ adhuc excubias agerem, & conſpectum prioris (com:) circa horizontem rimarer, ſuperaverat jam oculum Leporis & abhinc nubibus excipiebatur. Fortè idem ille eſt, qui antea conſpectus fuit, motus à Corvo ſubter Craterem verſus Curvaturam Hydræ, cujus obſervationes Generoſus Dominus habet, ſiquidem motus hujus itidem c. f. ſ. in orbita prioris circulari ductu continuata offenſus eſt: Quod autem ſyrmate careat, nihil contradicit, cum Solis ſitus & lumen Lunæ rationem hujus ſuppeditare videantur. Sed ne præceps nimis ſit ſententia, judicium meritò differo; quoad altera vice obſervaverim. Vale interim & fave.

Cometam in Lepore 1664. viſum cum illo in Corvo viſo Siverus unum eundemque eſſe colligit:

Cur ſine cauda apparuerit.

Eidem Auctor die 19. Decembris Juliani 1664.

S. P. QUoniam varia Virorum ſunt judicia de Cometa novo nuper viſo & adhuc apparente: & quidem omnes ferè (inter quos & Prof. Müllerus) ſtatuunt eum diverſum eſſe à priori; libet etiam ex te ſcire, quid hoc in caſu

in caſu ſentiendum ſit. Si igitur mens tua ex continuatis obſervationibus perſtat firma, paucis quæſo id indica. Rem facies mihi gratiſſimam. Vale.

Idem Auctori die 29. Decembris Juliani 1664.

S.P. CUm tendentia hujus Cometæ eadem ſit quæ prioris: ſcilicet contra ſign. ſer. item orbita hujus continuet orbitam illius; tum motus celeritate decreſcat, non video qua ratione induci poſſim, ut hunc (Cometam) ab illo diverſum ſtatuam. Firmiter igitur credo unum eundemque nos Cometam adhuc contemplari, non obſtante caudâ inverſâ. Cum enim Cometa in hoc ſitu Solem ab occaſu viciniorem habeat, quem in priori ab Oriente propiùs aſpexerat, aliter fieri non poteſt, quin caudam prius in occaſum extenſam jam Orientem verſus tendat. Mentem proinde non muto, ſed in eadem perſto, licet oblocutores plurimi in diverſum eant, ſine ratione tamen ſolida. Vale.

Cometam 1664. unum tantùm nobis viſum eſſe Siverus affirmat.

Eidem Auctor die $\frac{13}{23}$. Januarii 1665.

S.P. ACcepi de Cometa nonnulla, quæ Tecum commodo tempore communicabo. Nunc autem audire libet quid ſentias de obſervatione Græciana, quam ecce Tibi. Vale.

Idem Auctori die 13. 23. Januarii 1665.

GRæciana obſervatio non parum differt à Mea; non quidem quod ad progreſſum Cometæ, ſed quod ad ſitum ejus alteriorum, reſpectu Horizontis. Quem tamen excuſari poſſe videor, per loci quo obſervatio inſtituta eſt, elevationem Poli, noſtrâ ferè 6. gradibus minorem, indeque dependentem varietatem diſtantiarum hujus Phœnomeni à ſtellis vicinis. Quæ deſcriptio autem ſi vera eſt; Cometam longè ab orbe fixarum diſtantem indicabit. Sed de his ſine dubio accuratiores Aſtronomi plura dabunt. Vale.

Græciana obſervatio quantum & quare à Siveriana diſtet.

Poli elevatio Græciana ſex ferè gradibus Hamburgenſi minor.

Eidem Auctor die 7. 17. Febr. 1665.

S.P. SUmmè gaudeo morbum in tantum remiſiſſe, ut ſubinde exitum tentare conſtitueris. Quare non tantùm gratulor de recuperatis quodammodo viribus, ſed precor priſtini roboris integram reſtitutionem & reſtitui firmitatem continuam. Interim ne graveris hæc paucula, quæ ad Ampliſſimi Domini Guerichii ſententiam ſpectant, perlegere, deque iis judicium tuum pauciſſimis dare. Vale.

Siverus à morbo convaleſcit:

Idem Auctori $\frac{7}{17}$. Febr. 1665.

S.P. IMprimis gratias ago pro mente tua benevola & gratulatione amica, offerens tandem obſervationes meas, quales quales etiam ſint, pro deſiderio tuo amicè explendo. Cæterùm quæ miſiſti, perlegi. Ampliſſimi autem Domini Guerichii judicium non adeò approbare poſſum, antequam certum ſit, quod Meteora, (præſertim venti) excedant etiam mediam aëris regionem, imò ſupremam ſuperent, vel minimum ultra ſupremam aëris regionem ad æthera quicquam protrudere queant. Sed uti meum non eſt de tanto viro ſiniſtrè quicquam vel cogitare, ſic nec vires admittunt, de his & aliis plura diſſerere. Vale.

Obſervationes ſuas Cometæ hyberni Auctori mittit.

Meteora mediam aëris regionem non excedunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Obſervationes Cometæ 1664 & 1665 à Sivero habitæ.

Obſervationes

COMETÆ PRIORIS,

Qui Anno 1664, menſe Decembri, & per aliquot dies menſis Januarii Anni 1665. hic Hamburgi apparuit. Annotatæ ab H. S.

COmeta ille Hamburgi primùm viſus eſt Styl. Vet. 4. Decembr. hora ſexta matutina in roſtro Corvi, in eadem recta cum alæ ſiniſtræ & capitis ſtellis; cauda verſus imam ſtellam in ventre crateris per 12°. circiter radiante. Quinto & ſexto inter nubila tranſactis, apparuit rurſus

7. Decemb. hora quarta matutina ferè in Tropico ♃, in recta per ſtellas crateris ſiniſtram in ſuperiore & dextram in inferiore margine ducta: ſive in recta per ſtellas in corde & roſtro Corvi ducta: diſtans tantundem ab oculo Corvi, quantum hic oculus à ſtella cordis ſ. pectoris. Motu proprio intra 3. dies abſolverat circiter $4^{\circ}\frac{1}{2}$. ſignatoque ſitu ejus in globo deprehendebatur aſcenſio recta $172\frac{1}{2}^{\circ}$. Declinatio Auſtralis $23\frac{1}{3}^{\circ}$. Diſtantia ab oculo Corvi $5\frac{3}{7}^{\circ}$. cauda prolixior verſus mediam in pede crateris.

8. Decemb. hora tertia matutina inter nubila, & his diſcuſſis hora quinta ſeq. ultra Trop. ♃ propè rectam per binas illas ſtellas in ventre crateris conſpicuas ductam: peragraverat motu proprio $1^{\circ}\frac{3}{4}$. Aſcenſ. R. $170\frac{3}{4}^{\circ}$. Declin. A. $24\frac{2}{3}^{\circ}$. diſtantia ab oculo Corvi 7°. Cauda verſùs imam in pede Crateris extenſa 15°.

Diebus 9. & 10. propter continuas nubes non rediit in conſpectum.

Die 11. hora ſexta matutina in Hydra ſub pede Crateris in recta, à ſuperiori ſtella in margine Crateris dextro per medium intervallum inter ſtellas in ventre ejuſdem Crateris ſitas demiſſa. Diſtabat à proximo ſitu $7\frac{1}{6}^{\circ}$. Aſc. R. $163\frac{3}{4}^{\circ}$. Decl. A. 26°. Diſt. à corde Hydræ $31^{\circ}\frac{1}{2}$. Cauda verſus cor Hydræ protruſa ultra 17°. A.

Die 12. ad 19. incluſivè pone continua nubila deliteſcens comparuit iterum

Die 20. hora 12. noct. ad lævam oculi Leporis, ita ut cum Regel & Sirio rectum ferè angulum conſtitueret. Progreſſus erat intra 9. dies & 6. horas 82°. A. R. 74°. D. A. $16\frac{2}{3}$ diſt. à Regel ſ. pede Orionis ſiniſtro $7^{\circ}\frac{5}{6}$. à Sirio 22°. cauda nulla ob præſentiam Lunæ.

Die 21. hora ſecunda matutina ſupra oculum Leporis inter nubes diſt. à Regel paulo major 7. gradib.

22. Decemb. hora ſeptima veſpertina in Eridano, ſtringens à læva triangulum illud parvum rectangulum ferè, quod conficitur à duabus quartæ & una quintæ magnitudinis ſtellis, ita ut fermè medius eſſet inter ſtellas hujus trianguli orientaliores. Proprio motu latus erat ſpatio unius diei & 19. horar. per $16\frac{1}{3}^{\circ}$. A. R. $59\frac{1}{2}^{\circ}$. D. A. $10\frac{1}{4}$. Diſt. à Regel $14\frac{1}{3}^{\circ}$. à Palilicio $25\frac{2}{3}^{\circ}$. cauda adhuc nulla.


Decemb. 23. hora 8. veſpertina proximè ad labrum inferius Ceti: in recta per ſtellas binas Orionis; unam in femore ſiniſtro; alteram in pede dextro (Regel) ducta: tantundem diſtans ab humero Orionis occidentali, quantum Palilicium à Regel. Motus proprius per 25. hor. confecerat 9°. A. R. 52°. D. A. $5\frac{3}{4}^{\circ}$. Diſt. à Regel $22\frac{1}{2}^{\circ}$. à Palilicio 24°. ſine cauda.

Dec. 24. hora 9. veſpertina in rictu Ceti ad ſiniſtram ſub triangulo Menkar, ubi recta per Tauri cornu boreum & verticem Hyadum (ſive ſtellam in natib. ♉) ducta cum recta per utrumque humerum Orionis concurrit. Diſtantia ejus à ſtella rictûs ſ. vertice ſiniſtro trianguli Menkar, æquabat baſin hujus ſ. diſtantiam inter verticem ſiniſtrum & dextrum ejuſdem trianguli. Proceſſerat circiter motu proprio per. 25. h. $7\frac{2}{3}^{\circ}$. A. R. $45\frac{1}{2}^{\circ}$. Decl. 2°. Diſt. à Palilicio $24^{\circ}\frac{1}{2}$. à Plejadib. 25°. à Regel 29. cauda perparva 3°. verſus humerum Orionis.

Dec. 25.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figuraſ.tabula uranoscopica, exhibens orbi
1665 st: itidem v: conſpiciebantur Hamb



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

tas duorum iſtorum inſignium Cometarum, quorum prior a die 4 D
urgi, prout illas obſervavit, (quantum fieri potuit ſine accuraiorib

HENRICUS S

Ad ejusdem com



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Koninklijke Bibliotheek
Nationale bibliotheek van Nederland

Fold Out
FRONT PAGE

ProQuest

diadeis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Koninklijke Bibliotheek
Nationale bibliotheek van Nederland

Fold Out
BACK PAGE

ProQuest
diadeis



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Koninklijke Bibliotheek
Nationale bibliotheek van Nederland



Fold Out

FRONT PAGE

ProQuest

diadeis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Koninklijke Bibliotheek
Nationale bibliotheek van Nederland

Fold Out
BACK PAGE

ProQuest

diadeis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Dec. 25. hora 10. veſpertina propior triang. Menkar ſuperaverat maximam partem 43°. Æquatoris: faciens cum Plejadib. & oculo ♉ triangulum, ad plejades rectangulum, vel cum oculo ♉ & Regel triangulum ferè iſoſceles. Motu proprio percurriſſe obſervabatur $4\frac{2}{3}^{\circ}$. A. R. 42°. Decl. Septentr. $\frac{1}{4}^{\circ}$. Diſt. à Plejad. $23\frac{1}{4}$. à Palilicio $25^{\circ}\frac{2}{3}$. à Regel $33\frac{1}{2}^{\circ}$. à Sirio 57°. Cauda 6°. verſus cap. Orionis. Die 26. nubibus obductus latebat, ſed iterum viſus eſt

Dec. 27. hora 9. veſpertina ſupra triangulum dictum: tantundem ad dextram ſuper ſtellam rictûs eminens, quantum præcedenti obſervatione infra hanc viſus erat. Motu proprio abſolverat 2. dieb. & 1. hor. $5\frac{1}{2}^{\circ}$. A. R. 37°. D. S. 3°. Diſt. à Plejad. $23^{\circ}\frac{1}{3}$. à Regel 39°. à Palilicio $28^{\circ}\frac{1}{4}$. cauda fortiter radiante verſus crus dextrum ♉ ultra 16°.

Dec. 28. hora 6. veſpertina ad lævam ſtellæ, quæ eſt propè oculum Ceti: cum qua & ſtella trianguli Menkar in mandibula ſuperiore, conſtituebat triangulum (ad Cometæ ſitum) ferè rectangulum; vicinior oculo quam mandibulæ ſuperiori: & motu proprio diſtans à proximo ſitu (21. hor.) $1^{\circ}\frac{1}{6}$. A. R. $35\frac{1}{2}^{\circ}$. D. Bor. $3^{\circ}\frac{2}{3}$. Diſt. à fronte Arietis $19^{\circ}\frac{2}{3}$. à Palilicio $29^{\circ}\frac{2}{7}$. cauda verſus pedem ſiniſtrum Tauri 6°.

Dec. 29. hora 10. veſpertina oculum Ceti prætervectus in recta per verticem Deltoti & frontem Arietis ducta. Cum baſi trianguli Menkar conſtituebat triangulum ferè æquilaterum, diſtans ab utraque baſis ſtella æqualiter, paulò minus autem quàm eſt longitudo baſis: progreſſus intra diem & 4. hor. per $1^{\circ}\frac{5}{6}$. A. R. 34°. D. S. $4^{\circ}\frac{3}{4}$. Diſt. à Plejad. $23\frac{1}{2}$. à clara frontis ♈. $18\frac{1}{4}$. à Palil. 30°. Cauda ſub Hyades decurrens 8°.

Dec. 30. hora 6. veſpertina proximè infra ſtellam quæ ſupra oculum Ceti ponitur, in recta per claras Perſei, capitis Meduſæ & Apis ducta: ulterior factus ſpatio 20. hor. $1\frac{2}{3}^{\circ}$. A. R. $32\frac{1}{2}^{\circ}$. D. S. $5\frac{1}{2}^{\circ}$. Diſt. à fronte ♈. 17°. à Pal. $31\frac{1}{4}^{\circ}$. Cauda verſus Palilic. 6°.

Dec. 31. hora 7. veſpertina ad dextram hujus ſtellæ, paulo altior tamen, promotus ſpatio 1. diei & 1. hor. $2^{\circ}\frac{1}{6}$. A. R. $30\frac{2}{3}$. D. S. $6\frac{1}{3}^{\circ}$. diſt. à fronte ♈. $15\frac{1}{5}^{\circ}$. à Palilic. $32^{\circ}\frac{2}{3}$. Cauda paululum ſupra oculum ♉ directa 4°.

Anno 1665. 1. Jan. Cometa nullus apparuit propter nubes. Redditus verò eſt viſui. 2 Jan. hora 6. veſpertina ad ſiniſtram ſtellæ quæ in occipitio Ceti ſita eſt: in recta per pedem ſiniſtrum Andromedæ & apicem Deltoti boreum ducta: continuato itinere ſpatio 1. diei & 23. hor. per 2_{0}. A. R. 29_{0}. D. S. $7\frac{2}{3}^{\circ}$. Diſt. à Plej. $25^{\circ}\frac{1}{3}$. à fronte ♈. 14°. Cauda admodum debilis verſus ſecundam ſuperiorem in hyadibus. Jan. 3. latuit pone nubes, conſpectus autem eſt denuò

Jan. 4. hora 7. veſpertina in recta per hanc occipitis ſtellam & verticem deltoti ducta: provectus intra 2. dies & 1. hor. per $2\frac{1}{6}^{\circ}$. A. R. $27^{\circ}\frac{1}{2}$. D. S. 9°. ferè diſt. à fronte ♈. $12\frac{1}{2}^{\circ}$. à Plej. $26\frac{1}{4}$. Cauda paululum prolixior & fortior verſus pedem poſter. ♈.

Jan. 5. hora 12. in recta per lucidam frontis ♈ & nodum lini piſcium ducta: tantundem diſtans à ſtella ♈ dicta, quantum hæc ipſa à boreali baſis deltoti: à loco autem proximè præcedente per 1. diem & 5. hor. receſſerat $1\frac{1}{2}$. A. R. 26°. D. S. $9^{\circ}\frac{1}{6}$. Diſt. à fronte ♈ $11\frac{2}{3}$. à Palil. $36\frac{1}{2}^{\circ}$. Cauda ferè parallela Eclipticæ 5_{0}.

Jan. 6 & 7. abſconditus fuit cæli inclementiâ: at viſus iterum

Jan. 8. hora $11\frac{1}{2}$. in concurſu rectarum unius per ſuperiorem auſtralem in deltoto baſeos ſtellam & lucidam ♈; alterius per genu Perſei ſiniſtrum (quod intuenti cælum à dextris eſt) & claram apis ductarum. Qui concurſus fit in ipſa Ecliptica, & quidem in gradu dodecatemorii Arietis 27mo. Eratque tam frons Arietis media ferè inter dictam auſtralem baſeos & Cometam, quàm apis inter Cometam & genu ſiniſtrum Perſei. Progreſſus intra 3. dies $1^{\circ}\frac{1}{2}$. A. R. 25°. D. S. $10\frac{1}{2}^{\circ}$. diſt. à clara ♈ 11°. ab Apis lucida 19°. cauda admodum debilis. Jan. 9. nubila cæli facie abſciſſus. Rediit tamen in conſpectum.

Jan. 10. hora 8. in recta per verticem deltoti & ſeptentrionalem ſtellam in

 cornu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Obſervationes Cometæ 1664 & 1665 à Sivero habitæ.

Obſervationes

COMETÆ PRIORIS,

Qui Anno 1664, menſe Decembri, & per aliquot dies menſis Januarii Anni 1665. hìc Hamburgi apparuit. Annotatæ ab H. S.

COmeta ille Hamburgi primùm viſus eſt Styl. Vet. 4. Decembr. hora ſexta matutina in roſtro Corvi, in eadem recta cum alæ ſiniſtræ & capitis ſtellis; cauda verſus imam ſtellam in ventre crateris per 12°. circiter radiante. Quinto & ſexto inter nubila tranſactis, apparuit rurſus

7. Decemb. hora quarta matutina ferè in Tropico ♃, in recta per ſtellas crateris ſiniſtram in ſuperiore & dextram in inferiore margine ducta: ſive in recta per ſtellas in corde & roſtro Corvi ducta: diſtans tantundem ab oculo Corvi, quantum hic oculus à ſtella cordis ſ. pectoris. Motu proprio intra 3. dies abſolverat circiter $4^\circ\frac{1}{2}$. ſignatoque ſitu ejus in globo deprehendebatur aſcenſio recta $172\frac{1}{2}^\circ$. Declinatio Auſtralis $23\frac{1}{3}^\circ$. Diſtantia ab oculo Corvi $5\frac{3}{7}^\circ$. cauda prolixior verſus mediam in pede crateris.

8. Decemb. hora tertia matutina inter nubila, & his diſcuſſis hora quinta ſeq. ultra Trop. ♃ propè rectam per binas illas ſtellas in ventre crateris conſpicuas ductam: peragraverat motu proprio $1^\circ\frac{3}{4}$. Aſcenſ. R. $170\frac{3}{4}^\circ$. Declin. A. $24\frac{2}{3}^\circ$. diſtantia ab oculo Corvi 7°. Cauda verſùs imam in pede Crateris extenſa 15°.

Diebus 9. & 10. propter continuas nubes non rediit in conſpectum.

Die 11. hora ſexta matutina in Hydra ſub pede Crateris in recta, à ſuperiori ſtella in margine Crateris dextro per medium intervallum inter ſtellas in ventre ejuſdem Crateris ſitas demiſſa. Diſtabat à proximo ſitu $7\frac{1}{6}^\circ$. Aſc. R. $163\frac{3}{4}^\circ$. Decl. A. 26°. Diſt. à corde Hydræ $31^\circ\frac{1}{2}$. Cauda verſus cor Hydræ protruſa ultra 17°. A.

Die 12. ad 19. incluſivè pone continua nubila deliteſcens comparuit iterum

Die 20. hora 12. noct. ad lævam oculi Leporis, ita ut cum Regel & Sirio rectum ferè angulum conſtitueret. Progreſſus erat intra 9. dies & 6. horas 82°. A. R. 74°. D. A. $16\frac{2}{3}$ diſt. à Regel ſ. pede Orionis ſiniſtro $7^\circ\frac{1}{6}$. à Sirio 22°. cauda nulla ob præſentiam Lunæ.

Die 21. hora ſecunda matutina ſupra oculum Leporis inter nubes diſt. à Regel paulo major 7. gradib.

22. Decemb. hora ſeptima veſpertina in Eridano, ſtringens à læva triangulum illud parvum rectangulum ferè, quod conficitur à duabus quartæ & una quintæ magnitudinis ſtellis, ita ut fermè medius eſſet inter ſtellas hujus trianguli orientaliores. Proprio motu latus erat ſpatio unius diei & 19. horar. per $16\frac{1}{3}^\circ$. A. R. $59\frac{1}{2}^\circ$. D. A. $10\frac{1}{4}$. Diſt. à Regel $14\frac{1}{3}^\circ$. à Palilicio $25\frac{2}{3}^\circ$. cauda adhuc nulla.

Decemb. 23. hora 8. veſpertina proximè ad labrum inferius Ceti: in recta per ſtellas binas Orionis; unam in femore ſiniſtro; alteram in pede dextro (Regel) ducta: tantundem diſtans ab humero Orionis occidentali, quantum Palilicium à Regel. Motus proprius per 25. hor. confecerat 9°. A. R. 52°. D. A. $5\frac{3}{4}^\circ$. Diſt. à Regel $22\frac{1}{2}^\circ$. à Palilicio 24°. ſine cauda.

Dec. 24 hora 9. veſpertina in rictu Ceti ad ſiniſtram ſub triangulo Menkar, ubi recta per Tauri cornu boreum & verticem Hyadum (ſive ſtellam in natib. ♉) ducta cum recta per utrumque humerum Orionis concurrit. Diſtantia ejus à ſtella rictûs ſ. vertice ſiniſtro trianguli Menkar, æquabat baſin hujus ſ. diſtantiam inter verticem ſiniſtrum & dextrum ejuſdem trianguli. Proceſſerat circiter motu proprio per. 25. h. $7\frac{2}{3}^\circ$. A. R. $45\frac{1}{2}^\circ$. Decl. 2°. Diſt. à Palilicio $24^\circ\frac{1}{2}$ à Plejadib. 25°. à Regel 29. cauda perparva 3°. verſus humerum Orionis.

Dec. 25.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Dec. 25. hora 10. veſpertina propior triang. Menkar ſuperaverat maximam partem 43°. Æquatoris: faciens cum Plejadib. & oculo ♉ triangulum, ad plejades rectangulum, vel cum oculo ♉ & Regel triangulum ferè iſoſceles. Motu proprio percurriſſe obſervabatur $4\frac{2}{3}^{\circ}$. A. R. 42°. Decl. Septentr. $\frac{1}{4}^{\circ}$. Diſt. à Plejad. $23\frac{1}{4}$. à Palilicio $25^{\circ}\frac{2}{3}$. à Regel $33\frac{1}{2}^{\circ}$. à Sirio 57°. Cauda 6°. verſus cap. Orionis. Die 26. nubibus obductus latebat, ſed iterum viſus eſt

Dec. 27. hora 9. veſpertina ſupra triangulum dictum: tantundem ad dextram ſuper ſtellam rictûs eminens, quantum præcedenti obſervatione infra hanc viſus erat. Motu proprio abſolverat 2. dieb. & 1. hor. $5\frac{1}{2}^{\circ}$. A. R. 37°. D. S. 3°. Diſt. à Plejad. $23^{\circ}\frac{1}{3}$. à Regel 39°. à Palilicio $28^{\circ}\frac{1}{4}$. cauda fortiter radiante verſùs crus dextrum ♉ ultra 16°.

Dec. 28. hora 6. veſpertina ad lævam ſtellæ, quæ eſt propè oculum Ceti: cum qua & ſtella trianguli Menkar in mandibula ſuperiore, conſtituebat triangulum (ad Cometæ ſitum) ferè rectangulum; vicinior oculo quam mandibulæ ſuperiori: & motu proprio diſtans à proximo ſitu (21. hor.) $1^{\circ}\frac{1}{6}$. A. R. $35\frac{1}{2}^{\circ}$. D. Bor. $3^{\circ}\frac{2}{3}$. Diſt. à fronte Arietis $19^{\circ}\frac{2}{3}$. à Palilicio $29^{\circ}\frac{2}{3}$. cauda verſus pedem ſiniſtrum Tauri 6°.

Dec. 29. hora 10. veſpertina oculum Ceti prætervectus in recta per verticem Deltoti & frontem Arietis ducta. Cum baſi trianguli Menkar conſtituebat triangulum ferè æquilaterum, diſtans ab utraque baſis ſtella æqualiter, paulò minus autem quàm eſt longitudo baſis: progreſſus intra diem & 4. hor. per $1^{\circ}\frac{5}{6}$. A. R. 34°. D. S. $4^{\circ}\frac{3}{4}$. Diſt. à Plejad. $23\frac{1}{2}$. à clara frontis ♈. $18\frac{1}{4}$ à Palil. 30°. Cauda ſub Hyades decurrens 8°.

Dec. 30. hora 6. veſpertina proximè infra ſtellam quæ ſupra oculum Ceti ponitur, in recta per claras Perſei, capitis Meduſæ & Apis ducta: ulterior factus ſpatio 20. hor. $1\frac{2}{3}^{\circ}$. A. R. $32\frac{1}{2}^{\circ}$. D. S. $5\frac{1}{2}^{\circ}$. Diſt. à fronte ♈. 17°. à Pal. $31\frac{1}{4}^{\circ}$. Cauda verſus Palilic. 6°.

Dec. 31. hora 7. veſpertina ad dextram hujus ſtellæ, paulo altior tamen, promotus ſpatio 1. diei & 1. hor. $2^{\circ}\frac{1}{6}$. A. R. $30\frac{2}{3}$. D. S. $6\frac{1}{3}^{\circ}$. diſt. à fronte ♈. $15\frac{1}{3}^{\circ}$. à Palilic. $32^{\circ}\frac{2}{3}$. Cauda paululum ſupra oculum ♉ directa 4°.

Anno 1665. 1. Jan. Cometa nullus apparuit propter nubes. Redditus verò eſt viſui. 2. Jan. hora 6. veſpertina ad ſiniſtram ſtellæ quæ in occipitio Ceti ſita eſt: in recta per pedem ſiniſtrum Andromedæ & apicem Deltoti boreum ducta: continuato itinere ſpatio 1. diei & 23. hor. per 2_{o}. A. R. 29_{o}. D. S. $7\frac{2}{3}^{\circ}$. Diſt. à Plej. $25^{\circ}\frac{1}{3}$. à fronte ♈. 14°. Cauda admodum debilis verſus ſecundam ſuperiorem in hyadibus. Jan. 3. latuit pone nubes, conſpectus autem eſt denuò

Jan. 4. hora 7. veſpertina in recta per hanc occipitis ſtellam & verticem deltoti ducta: provectus intra 2. dies & 1. hor. per $2\frac{1}{6}^{\circ}$. A. R. $27^{\circ}\frac{1}{2}$. D. S. 9°. ferè diſt. à fronte ♈. $12\frac{1}{2}^{\circ}$. à Plej. $26\frac{1}{4}$. Cauda paululum prolixior & fortior verſus pedem poſter. ♈.

Jan. 5. hora 12. in recta per lucidam frontis ♈ & nodum lini piſcium ducta: tantundem diſtans à ſtella ♈ dicta, quantum hæc ipſa à boreali baſis deltoti: à loco autem proximè præcedente per 1. diem & 5. hor. receſſerat $1\frac{1}{2}$. A. R. 26°. D. S. $9^{\circ}\frac{1}{6}$. Diſt. à fronte ♈ $11\frac{2}{3}$. à Palil. $36\frac{1}{2}^{\circ}$. Cauda ferè parallela Eclipticæ 5_{o}.

Jan. 6 & 7. abſconditus fuit cæli inclementiâ: at viſus iterum

Jan. 8. hora $11\frac{1}{2}$. in concurſu rectarum unius per ſuperiorem auſtralem in deltoto baſeos ſtellam & lucidam ♈; alterius per genu Perſei ſiniſtrum (quod intuenti cælum à dextris eſt) & claram apis ductarum. Qui concurſus fit in ipſa Ecliptica, & quidem in gradu dodecatemorii Arietis 27mo. Eratque tam frons Arietis media ferè inter dictam auſtralem baſeos & Cometam, quàm apis inter Cometam & genu ſiniſtrum Perſei. Progreſſus intra 3. dies $1^{\circ}\frac{1}{2}$. A. R. 25°. D. S. $10\frac{1}{2}^{\circ}$. diſt. à clara ♈ 11°. ab Apis lucida 19°. cauda admodum debilis. Jan. 9. nubila cæli facie abſciſſus. Rediit tamen in conſpectum.

Jan. 10. hora 8. in recta per verticem deltoti & ſeptentrionalem ſtellam in

cornu ♈. Vix progreſſus erat hoc die & 20. horis per 1°. A.R. $23°\frac{3}{4}$. D.S. 11°. ferè: diſt. à ſtella in cornu ♈ Sept. $7\frac{2}{3}$. à nodo lini piſcium $10\frac{2}{3}$. à fronte ♈ $10\frac{2}{3}$. cauda multo debilior. 11. Jan. cælo adverſo occultatus fuit. Verùm 12. hora 7. eodem loco adhuc hærere viſus eſt, idque ſine cauda, adeo debilis luminis (cum ſimul Luna creſcens appropinquaret) ut vix, niſi antea cognitus fuiſſet, agnoſceretur.

Die 13. Jan. Serenum quidem fuit cælum; ſed quoniam lectus me morbo exbile irritata graviſſimo correptum ad alterum uſque menſem detinuit, obſervare ulterius haut potui. Interrogans tamen hunc vel illum, qui hactenus ſeduli mecum obſervaverant, id reſponſi tuli, Lunam nimis vicinam Cometæ conſpectum impedire. Nec poſt Lunæ diſceſſum aliud à ſpectatoribus accepi, quam liberis oculis Cometam nullum amplius videri. His igitur acquieſcendum fuit.

Cometæ 1664. & 1665. viſi orbita.

Atque ea ſunt, Generoſiſſime Domine, quæ hic Hamburgi ſine inſtrumentorum accuratiorum ope, ſolo beneficio radii Aſtronomici & Globi cæleſtis de ſitu & motu proprio Cometæ notavi. Quæ ut expeditius comprehendere poſſis meliuſque contemplari, orbitam iſtam, quæ ab initio ad octavum uſque Januarii arcum ferè maximi circuli ſimulavit, punctis delineatam dedi, tranſeuntem per corvum, hydram, navim, ſcutulum (aliis gallum) canem majorem, leporem, Eridanum, Cetum, & pedes anteriores arietis: adſcriptiſque diebus diſtinctam. In hac autem notandum eſt, facies Cometæ 4, 7, 8. &c. Decemb. conſpicuas, indicare loca obſervata: circellos verò nudos notare loca Cometæ, quæ habita proportione motuum antecedentium competere viſa ſunt iſtis diebus, quibus hìc Hamburgi cælo nubilo Cometa obſervari haut potuit. Et quidem priores referri ad tempus matutinum non longè poſt mediam noctem uſque ad 13. Decemb. ſequentes verò ab hinc tempus veſpertinum circa horam ſeptimam reſpicere uſque ad 20. Decemb; & tandem reliquos tempus ſuum moderari ad horas obſervationum, quibus interveniunt. Ut ita motus accrementum & decrementum varium facili negotio appareant, certoque argumento ſint eundem Cometam reviſum fuiſſe 20. & ſequentib. tam Decembris quam proximi Januarii diebus qui 11. die Decembris & ante hunc comparuit. Cæterum, quoniam hanc figuram apud Belgas æri incidi curabis, paucula hæc ſculptor moneatur, velim.

Si verus quid à Sculptore figuræ ſuæ obſervari voluerit.

1. Ne longitudinem aut latitudinem figuræ, pro Aſcenſionibus rectis & Declinationibus, graduum æqualitate diſtinctam ullo modo variet ſive mutet.

2. Ut iconiſmos quam leniſſime imò punctiunculis tantum ſculpat, quo ſtellæ evidentiores fiant, nec umbris nimium atris obſcurentur.

3. Ubi ſtella aliqua umbræ inciderit, eam albo circillo vel ſpatiolo circa hanc relicto conſpicuam reddat.

4. Magnitudines ſtellarum probè obſervet: nec vel plures vel pauciores radios alicui ſtellæ aſſignet, quam figura illi tribuat. Hiſce vale.

Obſervat. Cometæ 1664. ab Abrah. de Sorgen habita.

Obſervationes ejuſdem Cometæ prioris inſtitutæ Hamburgi Anno 1664. à Domino Abrahamo de Sorgen Cive Hamb. & Mercatore primario.

21. DEcemb. manè hora prima vidi novam ſtellam 7°. ſub Regel. veſperi non vidi propter tempeſtatem nubilam.

22. hor. 11. iterum vidi circa meridiem diſtantem $16\frac{1}{2}$. à Regel 25°. ab Aldebaran.

23. hor. 12. vidi eundem in labro Balenæ diſt. à Regel $23\frac{1}{2}$. ab Aldeb. $23\frac{1}{2}$. à Cane maj. 47°. 24. Dec. non vidi.

25. Primo die Natalis circa hor. 10. vidi cum apparitione caudæ à Plej. 23°. à Regel 33°. à Cane majore 57°. diſtantem. 26. Dec. non vidi.

27. ab hor. 6. uſque duodecimam vidi cum cauda admodum longa diſtantem à Plejadib. 23°. ab Aldebaran $28\frac{1}{2}$. à Regel $29\frac{1}{2}$.

29. Dec.

29. Decemb. hor. 10. à Plejadib. $23\frac{1}{2}$. ab Aldebaran $30\frac{1}{2}$. à Regel $41\frac{1}{2}$. à cane majore $66\frac{1}{2}$. diſtantem.

Eidem Auctor die 21. *Febr. Jul.* 1665.

CONſtitueram his diebus Te compellare, ſed hæc & illa impedivêre. Volo enim de pluribus Tecum conferre. Velim nunc certiorem me facias, an tutò id dici queat, unum Cometam nobis nuper viſum, non duos.

Aſtronomi certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Cometas duos 1664. apparuiſſe, quibus rationibus quidam probare ni-tantur:

Duos fuiſſe, diverſus Cometæ ſitus ac motus, diverſum & apparitionis tempus ſuadet. Et quod quidem ad motum attinet (ſitus enim & apparitionis tempus, quod etiam duorum Cometarum patroni urgent, omnibus patet) alter in Auſtrum, alter in Boream perrexit: videturque res non carere difficultate, ut Cometa unus initio tardus, intra aliquot dies à roſtro Corvi ad triangulum Menkar 82. circiter gradus conficere potuerit. Tuis obſervationibus, quas miſiſti, velim delineationes Cometæ abs Te factas adjungas. Erit hæc res Tibi laudi. Operam item dabis, ut ab Humaniſſimo D. de Sorgen plura & ab aliis quædam ſingularia huc ſpectantia nanciſcaris & colligas, adjunctis, ubi opus eſt figuris. Vale.

Idem Auctori die 22. *Febr. Jul.* 1665.

Unum fuiſſe ſex rationibus Siverus probat.

UNum eundemque Cometam fuiſſe, & illum qui primùm in Corvo viſus,
deinde tranſgreſſus Tropicum ♃ conſpectui ſe ſubduxit, pone nubila de-
liteſcens: & hunc qui ab oculo Leporis per Eridanum & Ceti caput ad pedes
Arietis uſque iter ſuum fecit, nullus omninò dubitare poſſum, niſi ſanæ rationi
contradicam. Primum enim ſituum diverſitas apparens nil me movet; cum po-
ſteriores ſitus omnes à 26. Dec. uſque ad 12. Jan. menſium proximè præterito-
rum, obſervati viam per priores obſervationes 4, 7, 8 & 11. Dec. factas deſigna-
tam continuarint. Evidentiſſimè id ipſum patebit ſi per ſitum primum illius in
roſtro Corvi, & primum hujus propè oculum Leporis circulum maximum de-
ſcribas. Is enim omnes iſtos ſitus tàm priores, quam poſteriores, uſque ad 8.
18. Januar. quo deflecti cœpit, pervadet. Nec hoc tantùm, ſed ſimul etiam 2.
pro reſponſione ad alteram objectionem oſtendet, motum priorem à motu po-
ſteriori diverſum non fuiſſe; cum uterque ejuſd. tendentiæ fuerit, & ad eand.
metam pergendo ejuſd. circuli maximi arcus delineaverit: ſimiliter ut Sol,
qui idem à Solſtitio æſtivo recedens ac à Solſtitio brumali ad nos iterum acce-
dens, unius circuli maximi arcus motu ſuo itidem apparenter diverſo deſignat.
Sed à tempore apparitionis, tùm caudæ inverſione, quoſdam adhuc in contra- 3.
riam ſententiam abripi ais. Miror ſanè. Annon recordantur illi homines, idem
ſidus Leonis eſſe, quod ante aliquot menſes Solem orientem proximè præce-
debat, jam verò veſperi cernitur ſatis elevatum. Caudæ autem inverſio ejuſd. 4.
Cometæ adeò mira videri nequit illi, qui eandem à Solis radiis dirigi ex ſen-
tentia Phyſicorum novit. Cum enim Cometa in Corvo ante Solem exortus
hunc ipſum à læva poſitum haberet, fieri aliter non poterat, quin caudam pro-
jiceret dextram verſus. Paſſibus verò ſubinde acceleratis ad Leporem, Eridanum
& Cetum delatus, viciniorque factus Soli, à dextris jam in ipſum radios ſuos
jaculanti, coactus fuit ad horum motum caudam quoque ſiniſtrorſum vibrare.
Quod autem in medio curſûs ſui, conſpectus ſcilicet in ſcutulo Navis caudam
verſus polum noſtrum direxerit, teſtantur obſervationes Clariſſimi Matthiæ
Dannewaldi Lipſienſis, & Clariſſimi Erhardi Weigelii Jenenſis, aliorumque. Ita
ut hoc ipſum amplius nihil valeat ad injiciendum ſcrupulum. Qui igitur (ſcru-
pulus) de celeritate motûs, quæ incredibilis habetur, urget, ut tandem exi- 5.
matur,

Obſervationes Matthiæ Dannewaldi & Erhardi Weigelii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

matur, dico, facilè induci poſſe aliquem, ut eam credat, modò motus accrementum in prioribus, & decrementum in poſterioribus probè examinet. Deprehendet enim ex Clariſſimi Kechelii obſervatione Lugduni Batav. 22. Novemb. 2. Decemb. inſtituta, & primâ noſtrâ $\frac{4}{14}$. Decemb. facta, Cometam intra ſpatium 12. dierum tantùm 6. gradus (id eſt motu medio ſingulis diebus $\frac{1}{2}$. gr.) circiter curſu ſuo abſolviſſe: inter 4 & 7. Decemb. percurriſſe $4\frac{1}{2}$ gr. (id eſt ſingulis diebus $1\frac{1}{2}$.) motum deinde uno die per $1\frac{3}{4}$. gradus ab 8 ad 11. ejuſd. menſis emenſum fuiſſe $7\frac{1}{2}$. gr. (id eſt ſingulis diebus ferè $2\frac{1}{2}$. gr.) Abhinc ex relatione Ampliſſimi Viri Hevelii conſtat uſque ad $\frac{12}{22}$. Dec. per 43. gradus præterpropter vectum ſingulis diebus motu ſuo medio peragraſſe 6. gr. & amplius. Tandem obſervationes noſtræ ulteriores, quæ inter 20 & 22. Decemb. ſpatio unius diei & 19. horarum motum Cometæ per 16. gr. factum deprehenderunt: & ſequenti 23. per 9. gr. 24. autem per 7_0. cum $\frac{2}{3}$. 25. per $4\frac{2}{7}$°. ♓ ſatis oſtendunt adeò incredibile non eſſe, quòd Cometa confectis in orbitæ ſuæ medio circiter 14 vel 16_0. uno die, perfacilè exiguo iſto dierum intervallo ad locum iſtum primum poſterioris apparitionis in Lepore tranſire potuerit. Motus etiam poſterior cum ſemper decre-
6. verit, novi Cometæ indicium eſſe nequit: ſiquidem Cometas motum proprium habentes primò tardè, deinde celerius & circa finem iterum tardè moveri, variorum obſervationes luculenter docent. Quòd ſi orbita pòſteriorum ſituum in anteriora continuata non coincidiſſet cum orbita priorum, certè dubitandi aliqua occaſio eſſet. Jam verò cum motûs diverſitas nulla ſit; ſed ſitus omnes in orbita continuata: nec temporis ratio controverſiam moveat, multò minus caudæ inverſio & celeritas curſûs: non eſt quòd unum Cometam aſſerere amplius dubites. Vale.

Eidem Auctor die $\frac{10}{20}$. Martii 1665.

Cometici motûs computatio diverſa. Rautenſteinii laus.

S.P. MItto Tibi epiſtolam Upſalienſem, ubi aliquod diſcrimen in calculo motûs Cometici videbis. Velim itaque cumprimis accuratas rationes ineas, quot gradibus diſtet Cometæ apparitio 12. 22. Decemb. ad 21. 31. ejuſd. Tu enim indicaſti mihi 82. gr. At Upſalienſis Profeſſor pluſquam 100° deputat. Accepi his diebus literas à Viro Illuſtriſſimo dignitate, tùm & eruditione Clariſſimo D. Rautenſteinio, Conſiliario & Legato ad Conventum Imperii Neoburgico, qui urget, ut quamprimùm opus meum edam. Quamobrem & Te pergere velim in figuris, quas obſervationibus Tuis addere conſtituiſti. Vale.

Idem Auctori die 12. 22. Martii 1665.

S.P. LIteras Upſalienſes legi. Verùm initâ ratione intervalli inter ſitum Cometæ obſervatione noſtra die 11. 21. Decemb. deſcriptum, & ſitum obſervatione 20. 30. ejuſd. deprehenſum, quod eſt 82°, non video, quomodo inter apparitiones iſtas binas, unam 12. alteram 21. Decemb. Juliani ex deputatione Upſalienſi intervenire poſſint plures quàm 100°. Forſan indicare voluit, diſtantiam hanc propemodum accedere ad 100°. Figuras brevi confectas dabo, Deo volente. Vale.

Eidem Auctor die 1. 11. April. 1665.

Cometæ verni 1665. fama ſpargitur,

S.P. HOdiè accepi alium in Oriente videri Cometam. Si quid huic rumori ſubſit veri, paucis quæſo indica. Rem facies gratiſſimam: maximè ſi diligenter eum obſerves, mihique obſervationes, quotquot de illo habueris, communices. Vale.

Idem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Idem Auctori die 1. 11. April. 1665.

S.P. HEri manè ante tertiam cum aliqua inquietudo turbaverat ſomnum, cælumque nitidum ſe exhibebat, ſuperiorem domus noſtræ contignationem conſcendi, partemque cæli orientalem, quæ ſola mihi patebat, luſtrans, offendi Cometam in □to Pegaſi è regione capitis Andromedæ. Cumque rumor antea increbuiſſet, eum in pectore Pegaſi 27. Martii viſum fuiſſe, medium ferè inter binas in eductione pedis Pegaſi dextri & binas in cervice ejuſd. collegi inde ſtatim, eum in anteriora ferri ſ. ſ. ſ. ideoque diverſum eſſe à priori Cometa viſo per Decembrem elapſi ac Januarium præſentis anni, quem quidam geminum contenderunt & adhuc contendunt. Hodiè manè hor. 2. 36. conjectura confirmata eſt. Apparuit enim capiti Andromedæ vicinior, ſubter illud inceſſurus, ſed cum nubes intervenirent, locus certò determinari non poterat. Erat admodum fulgens, caudâ ſub nubibus latente. Figuram itaque retineo, quam ad priores obſervationes accommodavi, ut & hujus motus obſervati illi inſerantur. Hanc igitur eouſque exſpectabis, & interim valebis favens.

Affirmatur: prima ejus obſervatio Hamburgi à Sivero facta: Diverſus eſt ab hyberno.

Eidem Auctor die 22. April. Juliani 1665.

MItto Tibi etiamnum commentarium Placentini. Velim autem conſideres obſervationes D. Buſmanni, quas nunc denuò vides, aliquantum, ut apparet, correctas: tùm & de novo iſto Cometa me reddas certiorem. Puto eum jam diſparuiſſe. Ego enim nuper inveſtigare eum non potui. Sed nec hodiè circa tertiam matutinam. Tu quando poſtremò eum videris, indica, & Vale ac feliciter age.

Idem Auctori eod. die.

S.P. TRactatum Placentini de nupero Cometa breviter legi. Perplacet. Remitto igitur, ut voluiſti. Perluſtravi itidem obſervationes D. Buſmanni, eaſque nonnihil diverſas à prius editis deprehendi. Hæ tamen magis conveniunt cum noſtris; præſertim die Dec. 8, (9, 10) 11, (12) & 22. quibus antea illæ non reſpondebant. Quod ad Cometam poſteriorem, is ultimò apparuit mihi 9. Aprilis. Locus ob diluculum fortius jam coruſcans & ſtellas vicinas obliterans accuratè notari aut determinari non potuit. Quantum autem ex aliis circumſtantiis colligere licuit, viſus eſt mihi hærere inter verticem triquetri ſ. Deltoti & cornu Arietis dextrum, Deltoto tamen vicinior: caudâ jam à verticali verſus ſiniſtram aliquantum declinante, quæ præcedenti die octavo ſcilicet ad verticem noſtrum tetenderat. 14. April. quæſivi quidem eundem cælo ſereno inter ſidera, ſed nullus apparuit, uti nec nudius tertius, ubi tam veſpere quam manè cælum rimatus ſum. Non tamen ipſum jam diſparuiſſe puto, ſed potius heliacè occidiſſe, & fortaſſis poſt aliquot dies Solem occidentem in plaga cæli inter Occaſum & Septentr. ferè media ſecuturum eſſe, ſi eouſque perduraverit. Vale.

Placentini Comment. de Cometa 1664. laudatur. Obſervat. Buſmanni. Cometa vernus 9 19. Apr. ultimò Hamburgi viſus:

Non diſparuit ſed heliacè occidit.

Idem Auctori die 5. 15. Julii 1665.

S.P. TAndem mitto Tibi figuram diu deſideratam & adverſâ valetudine ſæpius præpeditam, una cum obſervationibus meis poſterioris Cometæ, quibus accedunt obſervationibus D. Abrah. de Sorgen. Vale.

Obſervationes Cometæ poſterioris, qui Anno 1665. menſe Martio & Apr. comparuit Hamburgi inſtitutæ & annotatæ ab H. S.

Obſervationes Cometæ verni Anno 1665. à Sivero factæ.

DIe 31. Mart. St. V. manè hora 3. □to Pegaſi, ubi concurrunt duæ rectæ, quarum una per claram cinguli & ſtellam capitis Andromedæ, altera per mediam

mediam Caſſiopeæ & eam, quæ huic à dextra verſùs Auſtrum magnitudine ſecunda reſpondet, in eod. ſidere, ducuntur: ita tamen, ut hanc poſteriorem à plaga Occidentali ſtringeret. Aſc. Rect. 351°. Diſtant. à Cap. Androm. 5°. ab armo Pegaſi 9°, 36. Declinatio S. ferè 23°, 36. Cauda oblonga 9°, 15′.

Die 1. Apr. hor. 2. 36. cernebatur quidem, ſed ob nubes intervenientes locus ejus determinari non poterat. Erat admodum fulgens: caudâ ſub nubibus latente.

2. Apr. h. 3. ſub capite Androm. ſitus conſtituebat cum hoc & clara in cingulo ejuſd. $\triangle^{lum}$ ad caput ferè rectangulum. Cum cingulo verò eod. & apice boreo $\square^{ti}$ Pegaſi $\triangle^{lum}$ Iſoſceles, tantundem diſtans à cingulo, quantum ab apice $\square^{ti}$ dicto. Aſc. Recta 358°. Diſt. à cap. Andr. 3°, 36. à cauda Cygni 46°. à med. Caſſiop. 35°, 36. à cingulo 15°, 16. Decl. S. ferè 23°, 56. Cauda prolixior quidem erat 12°, ſed rarior: ut & ipſum corpus Cometale lumine obtuſiori apparebat. Diſt. à 1. ſitu 7°.

3. Apr. h. 3. propè concurſum duarum rectarum, unius ab humero Cephei dextro per Septentrionaliorem ex binis illis ſtellis in Tiaræ ſummitate ſitis, alterius verò à polari ſtella per medium lateris Auſtralioris literæ W ⁎⁎⁎ ſ. Caſſiopeæ ductarum. Aſc. R. 1°, 45′. Diſt. à cap. Androm. 6°. à cing. Andr. 12°, 40. à med. Caſſiop. ferè 35°. à cauda Cygni 48°, 36′. Declin. S. 24°. Lumen debilius tam corporis Cometalis, quam caudæ, quæ tamen protendebatur ferè ad 16°. Diſt. à ſitu 2do $3\frac{3}{4}$.

4. Apr. h. 3. proximè ſub concurſu rectarum, quarum una per claram (ſecundæ magnitud.) Perſei & eam in pede ſiniſtro ſ. auſtrino Andromedæ: altera verò per mediam (3. magn.) in pede dextro Pegaſi propè flexuram, & eam in capite Andr. ducebatur. Aſc. R. 5°, 46. Diſt. à cap. Andr. 9°. à cing. Andr. 10°, 46′. à med. Caſſiop. 30°. à caud. Cygni 51°. Decl. S. 24°, 15′. Lumen corporis fortius apparebat, ſed cauda exilior, portendebatur tamen longius per cervicem Andr. circit. ad 18°. Diſt. à ſitu tertio 3°, 55′.

5. Apr. H. 3. paulò infra concurſum rectarum, quæ ducuntur una per apices $\square^{ti}$ boreos (in continuationem lateris $\square^{ti}$ borei) & altera per calcem pedis dextri Andromedæ & auſtralem ſtellam in cing. ejuſd. Aſc. R. 9°. Diſt. à cap. Andr. 12°, 26. à cing. Andr. 9°. à med. Caſſiop. 34°. Decl. S. 24°, 36. Cauda ſatis longa, ſed ob diluculum tenuis luminis procurrebat per humerum Andr. dextrum. Lumen autem corporis ſtellæ 1. magn. non cedebat. Diſt. à ſitu quarto 3°, 16.

6. Apr. propter cælum nubilum nullus videbatur.

7. Apr. H. 3. ſiſtebat ſe ſub cing. Andr. in piſce boreo, ubi fit decuſſatio rectarum, unius per ſtellam occidentaliorem Caſſiop. (3. magn.) & auſtr. in cing. Andr. alterius per armum Pegaſi & caput ejuſd. Andr. conſtituebat cum capite & dicta in cing. Andr. $\triangle^{lum}$ ad eam cinguli rectangulum. Diſt. Com. à cap. Andr. æqualis videbatur intervallo inter hanc capitis & mediam ſtellam in pede dextro Pegaſi ad flexuram. Item diſt. Cometæ ab auſtrali in cing. Andr. paulò major apparebat quam ſubtripla intervalli, quo hæc ipſa cing. & ſtella occidentalior in W Caſſiop. ab invicem diſtant. Aſc. R. 15°. Diſt. à cap. Andr. 18°. à pede ſin. Andr. 18°. Decl. S. 24°, 36. Diſt. à ſitu quinto 6°.

8. Apr. propior ad verticem Deltoti cernebatur ferè in concurſu rectæ à clara capitis Meduſæ per verticem Deltoti ductæ cum recta à clavo Catenæ per borealiorem trium in humero Andr. dextro ducta. A. R. 18°, 26. Diſt. à cap. Med. 23°, 36. à cap. Andr. 21°. à ped. ſin. Andr. 16°, 46. D. S. 24°, 36. Diſt. à ſexto ſitu 3°, 26.

9. Apr. adhuc vicinior apparebat Deltoto, imò ſub ipſo vertice. Verum quoniam diluculum fortius jam coruſcans ſtellas vicinas obliterabat, locus accuratè determinari non poterat. Collegi tamen ex aliis circumſtantis eum tùm hæſiſſe inter verticem Deltoti viciniorem & cornu Arietis dextrum remotius. Cauda autem jam à verticali verſùs ſiniſtram aliquantum declinabat, quæ præcedenti die 8. ſcilicet ad verticem tetenderat.

Abhinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Abhinc Cometa partim propter nubilam tempeſtatem; partim propter Solis viciniam, cujus radiis involutus heliacè jam occidit, amplius nullum vidi.

En igitur, Generoſiſſime Domine, quæ & de altero Cometa, deficiente neceſſario apparatu, obſervavi. Orbitam autem eidem figuræ, quæ pro prioris orbita delineata fuit, & hic Tibi præſto eſt, inſerui. Ubi eadem de circellis notanda veniunt, quæ circa primam (orbitam) monui. Vale.

Obſervationes Cometæ poſterioris inſtitutæ Hamburgi Anno 1665. *à Domino Abrahamo de Sorgen, Cive & Mercatore primario.*

Obſervationes Cometæ verni 1665. ab Abrah. de Sorgen habitæ.

DIe 2. Aprilis Elevatus fuit Cometa ſupra Horizontem hor. 4. 17°. Diſtant. à Cauda Cygni 46°. à media Caſſiopeæ 35° à cingulo Andromedæ 15°. D. 3. April. hor. 3. Elevatus ſupra Horiz. 8°. Diſtant: à Caſſiopea 33° ½. à Cygno 48°. à Cingulo Androm. 12°.

Eidem Auctor die 20. *Julii Juliani* 1666.

CUm identidem non exiguum diſcrimen inter Tuas & aliorum alioquin clarorum Mathematicorum obſervationes de Cometa eadem die & hora habitas animadvertam, velim hujus rei rationem paulò altius arceſſitam mihi reddas. Vale.

Idem Auctori ead. die 1666.

Obſervationes à Mathematicis de Cometis ead. d. & hora habita cur à ſe differant.

S.P. CAuſam etiamnum quæris diſcrepantiarum quæ inter obſervationes variorum intercedunt. Aliam autem reperire non poſſum, ac quæ deducitur à Poli elevationibus, & longitudinibus locorum diverſis: tum ab aëre modò denſiori ob exhalationes terreſtres, modò rariori. Quis enim neſcit horas pro variata longitudine locorum variari, ita ut Eclipſis Lunæ huic ante mediam noctem appareat, quæ illi ſub noctis finem? Quis ignorat, Solem huic loco obſcurari, qui ad alium vel elevatiorem vel minus elevatum, item vel magis vel minus a primo Meridiano diſtantem liberos radios demittit? Quis negabit, majores tum refractiones eſſe, tum diſtantias ſtellarum videri aëre impuro quam eodem puriori? Imo eodem loco interdum variant obſervationes, propter aërem hac hora denſiorem, alia rariorem. Quare cum loca obſervationum elevationibus maximè differant, ut & longitudinibus: accedente diverſa aëris intemperie, mirùm non eſt, aliorum obſervationes tum à meis, tùm inter ſe differre. Addo, quod pleriſque ad manus fuerint accuratiſſima inſtrumenta, ære publico miniſtrata, quæ mihi, ut private viventi, defuere. Interim obſervati ſingulis diebus, quibus per nubes licuit, ſitum Cometæ, partim ex decuſſatione binarum rectarum per ſtellas notiores ductarum, partim ex binis diſtantiis à ſtellis evidentioribus & vicinis ope radii Aſtronomici deprehenſis. Deinde domum reverſus ex notata decuſſatione iſta & obſervatis diſtantiis Cometam in globum locavi; indeque declinationem ejus, tum aſcenſionem rectam vulgari modo perveſtigavi, & tandem orbitam motus integram ob oculos poſui. Vale.

Eidem Auctor die 18. 28. *Auguſt.* 1665.

Phænomenon meridie viſum:

S.P. AUdio viſum eſſe hodie phœnomenon, vel, ut ajunt, ſtellam novam interdiu. Libet igitur ſcire, quid illud ſit, & utrum Cometis, quos aliquando interdiu viſos eſſe ſcribitur, accenſendum? Verbo quoque innue, quando Luna in meridie videri poſſit, & annon Juppiter vel Venus pro Cometa ducatur, cum radii ejus intra nubes diſtenduntur? Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Idem Auctori ead. d.

Conjicit Siverus Venerem eſſe. Venus interdiu viſa. Luna interdiu quando videtur.

S. P. STellam, quam hodie interdiu conſpeximus, ex omnibus circumſtantiis agnoſco Venerem, quam pleniore lumine fulgentem, & paulò ultra medium dodecatemorii Cancri progreſſam ſub luce Solis, inde 45°. circiter diſtantis, videri mirum non eſt. Luna in meridie non videtur ipſo tempore meridiano: ſed aliquot dies poſt Novilunium circa primum quadrantem, pomeridiano: item poſt plenilunium circa ultimum quadrantem antemeridiano tempore manè, præſente Sole & cælo ſereno cernitur. Quòd Juppiter & Venus ſæpius apud imperitos mentiti fuerint Cometas, dum nebulis cincti per nubeculam oblongam contingentem radios ſuos extenderunt, per iſtiuſmodi hominum indicia aliquoties mihi innotuit: imò & ipſe vidi, ſed exiguo temporis ſpatio. Vale.

Cometas quandoque imperiti Jovem vel Venerem ducunt.

Eidem Auctor die 12. 22. Sept. 1665.

S. P. SI quid de novo Cometa habes, verbo indica. Ego nil Amſtelodamo de illo accepi. Neque etiam nocte præterita ei invigilavi. Velim inſpicias Plinium l. 2. c. 26. ubi de Hipparcho dicit, eum *novam ſtellam & aliam in ævo ſuo genitam deprehendiſſe, & auſum eſſe annumerare ſtellas poſteris, ac ſedem ad normam expangere organis excogitatis &c.* ut tribus verbis meam ſententiam Clariſſimo Hevelio hæc accommodantem confirmes. Scio enim eum annumeraturum globo ſtellas novas, & fixurum fixas novo Canonio, & Planetas metaturum eſſe. Sed anne novam ſtellam & aliam in ævo ſuo genitam deprehendiſſe dicendus eſt, quòd Mercurium in Sole deprehenderit? Nam de illa ſtella in Ceto, quæ & Jungiana à Magno Jungio, primo ejus in his oris obſervatore, hîc vocatur, dici id nequit, cum ſciam alios ante Hevelium eam obſervaſſe. Paucis quoque reſponde ad ſeqq. 1. An & quando Planetæ Retrogradi motu contrario ferantur? 2. An & quando Cometæ eundem exhibeant? 3. An & quando iſti ſint immobiles? Vale.

Hipparcho Hevelius comparatur.

Hevelius optimè de re Aſtronomica meritus, Alter Hipparchus.

Stella in collo Ceti cur Jungiana dicatur.

Idem Auctori ead. d.

Venus ſæpè pro Cometa habetur.

Stella in Ceto cur Jungiana vocetur.

NOvum Cometam fruſtra hoc manè, & aliàs quæſivi. Splendida Venus & circa horizontem valdè ſcintillans (vel propter loci convenientiam Sirius potius) huic fabulæ ſine omni dubio anſam præbuêre. Stellam iſtam in Ceto miram literis demùm Jungii ad Eichſtadium quondam miſſis, monitus Clariſſimus Hevelius diligenter obſervavit, ut ipſe fatetur in nupero ſuo tractatu de Mercurio in Sole viſo. Mercurium autem etiam in Sole vidit Mart. Hortenſius: quod teſtatur ejus diſſertatio de hoc & Venere inviſâ edita Lugduni Anno 1633. Nihilò ſecius rectè ea accommodari poſſunt Hevelio, quæ de Hipparcho Plin. l. d. prædicat. Non minori enim laude dignus eſt is, qui aliquod inventum ad certas leges accuratâ methodo revocat, quam qui primùm adinvenit. Quare ut mentem mutes nihil cauſæ ſanè video. Retrogradi fiunt Planetæ tres ſuperiores, quando ad oppoſitionem Solis accedunt, & quidem Saturnus retrogradationem in quintum menſem producit: Juppiter in quartum, Mars verò per duos vel ad ſummum per tres menſes retrocedit, quorum medio ferè contingit ipſis oppoſitio Solis. Directè autem feruntur, quando ad conjunctionem accedunt, iterumque ab ead. recedunt. Inferiores duo cum nunquam opponantur Soli, ſed bis conjungantur proximè ante & poſt conjunctionem cum Sole inferiorem, retrogradationi obnoxii ſunt. Luna nullam retrogradationem ſubit. De retrogradatione verò Cometarum quantum ſciam hactenus nil certi conſtitit, ſicuti nec certò definiri poteſt, quando iidem ſubſiſtant immobiles. De priori illo noſtro hoc quodammodo à Clar. Hevelio animadverſum gaudemus. Vale.

Mercurius in Sole viſus.

Cometæ qui & quando retrogradi.

Cometæ an fiant retrogradi & immobiles.

Eidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Eidem Auctor die 30. *Sept. Juliani* 1665.

S. P. LItteræ Holmia die 16. Sept. Juliani datæ referunt, videri illîc ab aliquo tempore manè ſtellam prægrandem in plaga Orientali orientem, & verſus Notozephyrum rurſus occidentem. Quid de hoc ſtatuis? Nonne erit Phoſphorus? Vale.

Phænomenon novum 1665. m. Sept.

Idem Auctori ead. d.

STellam illam non aliam deprehendo ac vel Venerem circiter H. 2. 36. poſt mediam noctem orientem, vel Sirium circa primam emergentem. Quæ autem veſperi poſt Solem occidit, eſt ſplendidiſſimus Juppiter, Veneris æmulus. Huic enim pro occaſu convenit plaga cæli Notozephyrica, cum circa 12. occidit. Vale.

Fuit Venus vel Sirius. *Juppiter.*

Eidem Auctor die 18. *Jan. Juliani* 1666.

S. P. FAma ſpargit novum Cometam manè videri in plaga Orientali. Anne Tu aliquid tale obſervaſti? Accepi Clariſſimum Hevelium Tecum ſentire, nebuloſam pro Cometa haberi. Vale.

Cometæ novi 1666. ineunte viſi fama ſpargitur & refutatur.

Idem Auctori ead. d.

S. P. FAma publica vulgavit die 20. Decemb. manè hora 4. Cometam denuò viſum, idque Viennæ cum cauda longa, currentem ab Oriente verſus Septentrionem. Veritatem deſiderans cælum ſudum ſæpius optavi, ſed continuæ nebulæ voto non reſponderunt uſque ad 15. Jan. quo tandem ſtellis micantibus manè à quinta in mediam ſeptimam cælum perluſtravi, Cometam verò nullum deprehendere potui. Lucidam Lyræ offendi propè horizontem nebulis ſ. exhalationibus terreſtribus involutam, adeò ut imperito ſpeciem Cometæ criniti præbuiſſet. Utrum tale phœnomenon adhærente nubecula oblongiori fucum fecerit ſpectatori, opinari licet, nondum affirmare. Exſpecto certiora, modò cælum favere velit. Vale.

Lyræ lucida

Idem Auctori die 26. *Jan. Juliani* 1666.

S. P. DE Cometa nihil dum habeo, quod pro certo dicam: licet & nuper monitus per relationes Belgicas, quæ Romæ eund. viſum referunt, quoties conceſſum fuit ob diſcuſſas nebulas cælum perveſtigaverim. Hoc dicere poſſum: nullus mihi apparuit.

Cometa nullus 1666. viſus. *Siverus novo Cometæ & ſtellæ in Ceto invigilat.*

Idem Auctori die 13. *April. Juliani* 1666.

S. P. GRatias ago pro communicatione literarum Clariſſimi Hevelii: cui velim præmiſſâ ſalute reſpondeas, nec mihi per Januar. ſtellam illam in Ceto appariuſſe, licet aliquoties cælum pro deſiderio Auditorum luſtraverim: non tamen videri tùm primum prodiiſſe, utpote jam valdè magnam, ſed quòd fortaſſis per aliquot dies præcedentes, vel etiam in fine Januarii appariuſſet, ni cælum nubilum prohibuiſſet. Vale.

Eidem Auctor die 8. *Maji Juliani* 1666.

S. P. VElim verbo mihi reſpondeas, quid ſentias de phœnomeno, quod deſcribit Aimonius l. 3. c. 23. *Stella*, inquit, *in medio Lunæ fulgens viſa eſt.* Ad marginem notatur: *Cometes viſus.* Dixiſti quidem antehac inter Cometas iſtud phœnomenon quodammodo referri poſſe. Sed velim des rationem dicti. Vale.

Stella in medio Lunæ an Cometa?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Idem Auctori ead. d.

Dici poteſt Cometa aëreus vel etiam æthereus.

S. P. PHœnomenon iſtud ſtellam non fuiſſe inde conſtat; quia ſub Luna ſtella nulla ſita eſt, cùm omnes ſtellæ hujus altitudinem ſuperent. Cometam autem aliquem aëreum fortè accenſum ſub Luna, & ad hujus celeritatem æquabiliter motum ſpeciem illam faculæ exhibuiſſe, facilis concedo, quoniam id rationi minimè adverſatur. Imò nec de æthereo idem negaverim, cum illos (qui quidem motus inæqualitatem ſenſui noſtro offerunt) primum ex alto deſcendere & tardiores, deinde tranſeundo celeriores, tandemque remeantes de motu ſenſim remittere videri, firma ſit opinio. Sed hic opus foret, ut viſus fuiſſet ille Cometa ante & poſt Lunam. Vale.

Eidem Auctor die 6. *Novemb. Juliani* 1666.

Siveri figura obſervationes Comet. exhibens vitioſè ſculpta.

Cometarum 1578. diſquiſitio & figura.

S. P. EN Tibi figuram Tuam denuò correctam: in qua utrique noſtrûm non eſſe ſatiſfactum, valdè doleo. Amici Hollandi culpam rejiciunt in Sculptorem, & ajunt ſe correxiſſe, quæ corrigi potuêre, & jam omnia ejus exempla impreſſa eſſe. Si quæ igitur errata adhuc reliqua fuerint, ea ad calcem operis notanda erunt. Cæterum de Cometa vel Cometis potius Anno 1578. viſis velim mihi ſententiam tuam aperias, an hic tres, ut velle videtur Rockenbachius, an verò duo tantùm ſint ponendi? Tandem Te rogatum volo, ut, ſi vacat, horum delineationem addas, rem mihi facturus pergratam. Vale.

Idem Auctori ead. d.

VEhementer doleo exempla meæ figuræ jam eſſe impreſſa antequam ſculptura per omnia correcta fuerat. Non enim pauca nec levia reſtant corrigenda.


Pro Anno 1578. rectius duos quàm tres Cometas notari puto. Quos enim minores indicat Rockenbachius, in hiſce propter inverſionem caudæ eum deceptum fuiſſe autumo; ſicuti ejus exemplum habuimus in multis obſervatoribus noſtri Cometæ prioris. Nam m. Octob. Sol verſans in Libra, caudam Cometæ ſiti in plaga cæli Orientaliori ad frontem Pegaſi in initio dodecatemorii Piſcium, poſt occaſum ſui direxit in Orientem. Poſtquam autem Cometa Soli obviam procedens, pervenit ad caput Ophiuchi, è regione dodecatemorii Sagittarii circa finem Oct. vel initium Novemb; Sol in Scorpio jam humilior factus, caudam Cometæ in plaga Occidentali ſibi jam vicini, ſed altioris in verticem ſpectatoris directam dedit. Hanc igitur Spectator vulgari conceptu Septentrionalem dixit; qualis verò nonniſi circa finem Novemb. conſpici potuit. Hæc mea eſt ſententia. Alius aliter ſentiat. Vale.

Eidem Auctor die 18. 28. *Febr.* 1667.

Stellæ in ceto 1667. viſæ hiſtoriola.

MEnſis abiit, ut noſti, ex quo ſtella illa mira in Ceto apparuit. Hanc Tu non exſpectato Clariſſimi Bullialdi monito ad omnes Aſtronomos publicè directo, ipſe obſervaſti, cum ei aſſiduus invigilâris. Cum autem Tuæ obſervationes de hac ſtella factæ ipſi quoque Hevelio placuerint, ita ut Tibi de illis etiam, quas ipſe non fecerit, gratulatus fuerit, Tuque omnes mihi tradere unà cum figura æri incidendâ & reliquis adjungendâ, promiſeris, eas in unum, ut ſic dicam, faſciculum collectas velim mihi mittas. Dubito enim ut plures facere poſſis. Nam ut nuper pleno orbe lucentis Lunæ ſplendor, ita nunc nebulæ eas Tibi invidebunt, aſteriſmo interim Ceti ad occaſum præ Ariete vergente horizontem noſtrum ſubituro. Nullus tamen dubito Te huic jucundo phœnomeno, quod poſtquam Ceti ſidus in horizontem noſtrum redierit, & altius in horizontem noſtrum ſe extulerit, menſe Junio & ſeqq. (quandoquidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dem m. Majo diluculum Tibi proculdubiò obſtabit) invigilaturum. Interim quas obſervationes ſedulus collegiſti, publico, ut credo, non invidebis. Vale.

Idem Auctori ead. d.

S. P. LIcet Clariſſimus Bullialdus periodum dederit ſtellæ iſtius miræ, quam nuper & tibi vidiſſe contigit: non tamen ſuſtinui obſervationem ejus differre, quo ad apparitionis terminus illa periodo præfixus adeſſet. Sed luſtrans cælum quoties occaſio tulit; deprehendi ipſam medio Januarii jam ſatis adultam; & quidem longè ante, quam ex mente Domini Bullialdi comparere debuiſſet. Deinde etiam menſe Februarii bis tantùm aſpicere licuit; cæteris diebus propter nubila ingratis. Quoniam autem tum Luna ipſi vicina & creſcens, tum Sol occaſum ejus heliacum parans ulterioribus obſervationibus hac vice ſpem præcidunt; addo tandem has poſteriores obſervationes prioribus, & quos promiſi dudum omnes jam mitto. Fruere igitur iis ut libitum fuerit, & ut va-leas cura.

Obſervationes STELLÆ MIRÆ *in collo Ceti, habitæ Hamburgi ab Henrico Syvers.*

Obſervationes Siveriana de ſtella mira in Ceto ab Anno 1647. ad 1667.

ANno 1647, menſe Februario Clariſſimus D. J. Jungius mihi inter alios ad ſe accerſito ſtellam oſtendit in loco cæli G. quem concurſus rectæ D. F, per ſtellas D. & F. evidentiores in lino piſcium boreo, ultra nodum F productæ, cum recta (ſive baſi Δ^{li} Menkar) AC per C continuata notat: eamque diligenter obſervare juſſit, utpote accremento & decremento obnoxiam. Feci ergo: & phœnomena ejus, quotquot ſerenitas cæli offerebat, ſedulus retuli uſque ad occaſum heliacum. Obſervationes autem retinuit Jungius. Poſt ubi iterum emerſit Cetus, ſtella evanuerat, nec per reliquum anni tempus, viſui ſe unquam obtulit. Anno 1648. Obſervationem ulteriorem aggreſſurus vocabar in Holſatiam. Abhinc verò per integros 7. annos occaſio nulla data eſt quicquam de ſtella iſta notandi. Obſervaſſe quidem ſubinde memini; ſed, quum id plurumque in itineribus factum ſit, de tempore vel apparitionis vel occultationis certus non ſum. Tandem in Patriam reverſus.

Anno 1655. Per Octobr. Novembrem & Decembrem: item per

Anno 1656. Januarium cælum contemplatus ſum; ſtellam vero in loco G. nullam inveni. Regionem igitur iſtam cæli rimatus, ope Teleſcopii trium circiter pedum, ſtellas iſtas, quas Diagramma ſuperius inter F & G, it. G. & C. exhibet, offendi.

Anno 1657 & 1658. Animus variis negotiis diſtractus contemplationibus non vacavit.

Anno 1659. menſibus Septembri exeunte, Octobri, Novembri & Decembri comparuit iterum ſtella ſæpius laudata in G. Primùm magnitudine æqualis fere ipſi A; deinde ſenſim deficiens: ſed incommoditas temporis non permiſit obſervare, utrum etiam ſtellæ circa hunc locum antea obſervatæ eodem modo ſeſe haberent.

Anno 1660. 17. Septembris iterum apparuit hæc ſtella, æque magna ac anno præcedenti. Verùm nec tum morbo correptus obſervationem inſtituere valui. Ubi autem convalui, & Anno 1661. 13. Januarii obſervaturus fui ſitum ſtellarum circum vicinarum; illa in G. planè evanuerat.

Anno 1661. 16. Auguſti hor. 11. comparuit ſtella mira, magnitudine ferè æqualis ſtellæ Δ^{li} viciniori C. Abhinc Cælum fuit nubilum uſque ad Septembrem, per quem fere integrum eandem ſtellæ iſtius viſui redditæ magnitudinem obſervavi. Deinde decrevit ſenſim, uſque adeò ut circa initium Novembris libero viſu amplius conſpicua non eſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Anno 1662. 28. Auguſti hor. 10. 36. ſtella in G. iterum viſa æquabat magnitudinem ejuſdem ſtellæ vicinæ C. Poſthac cælum continue nubilum ejus contemplationem ſubtrahebat uſque ad 2. Octobris, quo vix conſpiciebatur. Ita enim jam decreverat.

Anno 1663. 30. Auguſt. nondum comparuit. Abhinc cælum partim nubilum, partim Lunæ creſcentis ſplendore occupatum, ſpeculationibus incommodum fuit. 21, 22, 23, & 24. Septemb. ſingulis diebus à nona in duodecimam uſque obſervavi locum ope Teloſcopii pedalis (major & melior enim tum ad manus non fuit) & offendi ſtellam perparvam intenſi quidem ſplendoris, quæ tamen viſu non armato conſpici nequivit. 12. Octobr. & aliis ſubſequentibus diebus, quibus nubes cælum non obvelabant, eodem modo obſervatio inſtituta eſt, nec tamen vel hoc anno, vel proximè ſequenti

Anno 1664. tàm autumno quàm hyeme quiquam aliud deprehendi niſi ſtellulam illam.

Anno 1665. 10. Julii ab 11. ad 1. uſque obſervavi locum cæli, ubi ſtella illa apparere ſolita eſt, ſed nec tum voti compos ſtellulam iterum & quidem per tubum conſpexi, reliquis ſtellulis non minus locum ſuum ſervantibus. Idem quoque per reliquam hujus anni partem mihi contigit.

Anno 1666. 11. Februarii hor. 7. tandem mihi ſtella deſiderata optato viſa eſt, & quidem oculis, loco conſueto, magnitudinem exhibens ferè tertiam & æqualem ferme vicinæ C. in Δ^{lo} Menkar. 16. ejuſdem denuò viſa æquabat jam magnitudinem & lucem duarum vicinorum B. & C. Δ^{li} Menkar, eratque jam tertiæ claſſis. 23. ejuſd. hora 7. tertium viſa eſt in parte cæli occidua circa horizontem. Magnitudo adhuc eadem apparebat, nec accrementum facile animadverti poterat; cum radiis Solis crepuſcularibus involuta teneretur, quibus etiam deinde magis magiſque tecta (accedente ſimul ſplendore Lunæ abhinc creſcentis) ad occaſum heliacum vergens conſpectum ſui porro negavit. Nec poſt ortum Ceti heliacum per reſiduas anni partes viſus eſt, licet ſæpius ſuo loco quæſitus.

Anno 1667. 17. Jan. diſcuſſis ad duas circiter horas nubilis, quæ continue per tres hebdomadas cælum obſederant, hora octava iterum comparuit ſtella iſta vaga, idque liberis oculis, magnitudinem exhibens quartam. Abhinc obſervationibus Luna obfuit. 1. Febr. hor. 7. 36. viſui reddita ferè accedebat ad tertiam magnitudinem. 14. ejuſd. hor. 7. tertium viſa fulgorem tertiæ magnitudinis, qualis convenit ſtellæ B. ſpargebat.

Auctor Lectori.

Cætera induſtriæ Siverianæ documenta vide ſupra in Communicatione Heveliana, Bullialdiana, Graviana, Olearianа & alibi.

XXXVII. COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXXVII.
COMMUNICATIO HUGENIANA.

Nobiliſſimo & Clariſſimo Viro

CHRISTIANO HUGENIO ZULICHEMIO Conſt. F.

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ S.P.D.

POſtquam multos Præſtantiſſimos omni eruditione & laudis genere Viros, Rautenſteinium, Bruſſellum, Guerichios, Hevelium, Bullialdum, Bartholinos, Kircherum, Ricciolium, Curtium, Schottum, alioſque, quos enumerare longum foret, ſed & Tuum juxtaque meum Heinſium, ſcripto conveni, Te quoque convento opus fuit. Non ſunt mihi, puto, hujus facinoris operoſe apud Te quærenda præſidia, qui quibus legibus in Republica literaria vivatur, optimè, ſi quiſquam alius, noſti. Senatum voco Philoſophicum, nullo meo merito à ſola Regina bonarum mentium libertate Reipublicæ literariæ ſtudioſiſſima, Conſul creatus. Abſit invidioſa jactantia dictis. Nullum pulchrius, quàm veræ laudis, benè de genere humano merendo, certamen: in quo nonniſi ignaviſſimus quiſque ſuccumbit, & induſtriæ paratam coronam præripi ſibi patitur. Hac de cauſſa ad Vos, Patres Conſcripti, refero de Cometis, eorum ortu, motu, operatione, & præcipuis Chriſtianæ vitæ officiis, cæleſtium iſtorum, ut ſic dicam, Conſiliariorum hortatu faciendis. Mirabuntur plures, non Tu, meam, hominis in his terris peregrini ambitionem. Non diffiteor eâ me duci, ſed illa populari, quæ in laude jam olim poſita, quamque in ſe ingenua & modeſta agnovit ſapientia. Benevolentiam me omnium proborum & laudatorum *nullo officii aut ambitionis in quenquam genere omiſſo* (quod more tranquillitatem fortunæ & animi quærentibus ſueto cum æquitate facere, cum Suetonio Tranquillo dicere licet) captare, palam fateor. Ambitioſis quoque ſtudiis & literarum commerciis tot Virorum Clariſſimorum amicitiam & judicia de re propoſita me conſecutum eſſe, res ipſa, me tacente, loquitur. Ita dum ambitio, avaritiæ nutrix, turbida, terras mariaque cælo, & ſacris civilibuſque nexibus juncta pectora vario miſcet motu: me ambitio induſtriæ nutrix quieta, terras mariaque cælo & omnibus nexibus devinciens, Chriſtiana pectora & vario miſcens officii ſtudio, tenet. Hac verò ratione, ut dulcia honeſtis, honeſta utilibus, utilia neceſſariis miſceam. Nam in opus meum, quod molior, non ſola Mathematica, ſed & multa Phyſica, Politica, Ethica, Hiſtorica & Oeconomica, ac decerptas plures Philoſophiæ particulas conjeci. Eximium me ab invidia non fore, quam nec eximii Viri effugere poſſunt, imò ei vel maximè obnoxii ſunt, facilè ex tot exemplorum copia, tùm argumenti magnitudine & varietate augurari licet, quod & ſola mens provida augurare poſſet. Sed me in propoſito confirmabit tot præclarorum illorum Virorum, quos mihi imitandos, ut hominem frugi decet, ſumſi, ſocietas, haud profectò miſerum ſolatium. Addet animum & certa ſpes, fore ut contra livorem & injuriam tot habiturus ſim vindices, fidem auctoritatis præſtare aptos, & invidiâ omni ſuperiores. Tu quoque Vir Clariſſime,

Qua facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentem.

Hugenium cur Auctor compellet literis.

Eidem inſtituti ſui rationem exponit & ad tractandum argumentum Cometicum eundem invitat.

Laudis veræ certamen licitum, imò laudandum.

Ambitio quæ licita & in laude poſita.

Miſtura cum judicio fiat.

Delectus in rebus fiat.

Invidia non curanda virtutis aſſeclis.

Exempla bonorum Virorum multum poſſunt.

De ortu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hevelio in argumento Cometico plerique Mathematici conſentiunt.

De ortu, motu & numero Cometarum, nulli litem moveo. Omnes ferè quos
adivi & audivi (unum atque alterum ſi excipias) Ampliſſimo Hevelio in illis
aſſentiunt. Clariſſimus Auzutius ei ſe oppoſuit, ut noſti me melius, quanquam
& ego hæc non tantùm ex Clariſſimis Viris Bullialdo, Heinſio, Hevelioque,
ſed ex ipſo Auzutio habeo. Hunc mei cauſſa ad Te ſcripturum fuiſſe, ex Bul-

Auzutius Hevelio in nonnullis contradicit.

lialdo: Heinſium verò etiam ſcripſiſſe, ex illo ipſo accepi. Hic enim & quæ
cum illo communicaſti, mecum communia eſſe voluit, ita ut manum tuam ab

Heinſius occaſionem Auctori præbuit, ut Hugenium compellaret.

illa amica manu acceperim, hodie ad eum redituram. Illam inter Hevelium &
Auzutium controverſiam ſpero Tuâ & Bullialdi, tanquam Excellentiſſimorum &
utrique Amiciſſimorum Virorum operâ terminatum iri. Id ego à parte mea optem.

Auzutii & Hevelii certamen rei literariæ multum prodeſſe poteſt:

Qui alioqui cum omnibus rei literariæ amantibus multùm ei gratulabor, poſt-
quam nobis Virorum illorum Præſtantiſſimorum colliſio veritatis ſcintillas, ma-
gnum Aſtronomicæ rei lumen mox daturas, elicuerit. Quod utinam ſine acri-
bus certaminibus, in hoc rerum humanarum incerto, obtinere liceret! Non
dubito hoc certamen intrà modeſtiæ & amicitiæ terminos conſtiturum, & brevi

Amicè illud componi poſſe Auctor optat.

ceſſaturum bonoque publico ceſſurum. Ego, ſi quid apud utrumque potero,
promovere conciliationem conabor ſedulò. Te quoque cum Bullialdo partibus
veſtris non defore, certò ſpero. Quod tamen ad ortum Cometæ prioris: qui in

Cometa 1664. m. Nov. obſervatus.

Corvo luxit, attinet, natalem ejus ipſe Hevelius & plerique alii XIV. circiter
Decemb. Gregor. faciunt. Verumtamen ſtationem ejus primam in diem XXIII.
Novemb. ponit. Quam conjecturam Obſervatio Oxonienſis confirmat, niſi tamen
hæc ſtylum potius Julianum, quàm Gregor. ſequi dicenda ſit. Accedit & Ob-
ſervatio Brixienſis in diem 25. Novemb. ortum phœnomeni ponens. Ulterius
progreditur fides Schoreri, quam Faber literis ad Schotum datis præſtat, à die
ſcilicet XII. Novemb. ad Memmingam obſervatum fuiſſe Cometam, etſi Julia-
num ſtilum, ut par mihi videtur, ſequamur. Norinbergæ, Auguſtæ Vindeli-
corum & in aliis Germaniæ locis modò citiùs modò ſeriùs Cometa obſervari cœ-
pit. Sed hæc Mathematicis nunc relinquo. Tota mea diſputatio de operatione
Cometæ & Officiis Obſervatorum & Spectatorum ejus erit. Hunc alii ſignum,
alii etiam cauſſam eventuum, & quidem triſtium tantùm, eſſe volunt. Ego

Cometa rerum cauſſa dici nequit.

cauſſam eum non eſſe, validus, ut ſpero, rationum tuear. Stat libertatem ho-
mini à Deo conceſſam & tranquillitatem animi, bonum inæſtimabile

Libertatis encomium, & uſus.

- - - non gemmis, neque purpura venale nec auro

integram ſervare, & pro ea, tanquam pro focis & aris, certare. Signum futu-

Cometa ſignum quodammodò dici poteſt:

rorum dici poſſe Cometam, non cum Phyſicis, ſed cum Hiſtoricis & Ethicis
largior, ut & neceſſitatem ab humana voluntate, quæ ſolo nomine libertatem
docet, removeam, & hanc ad ſtudium virtutis invitem. At ſignum non tantùm

Non tantùm triſtium, ſed & lætorum.

triſtium, ſed & lætorum Cometam præferre demonſtro. Utraque ſcilicet eum
ſemper ſecuta ſunt. Atque hic mihi perpetuus ab ultima memoria videtur fuiſſe
rerum humanarum ordo

Miſtura bonorum & malorum in orbe perpetua.

- - - σὺν γὰρ μίσγεται ἐσθλὰ κακοῖς,

ut vetus Poëta Græcus canit: quod non incommodè noſter Naſo explicat:

Triſtia miſcentur lætis.

Hoc ut aliàs in variis epiſtolis doceo, ita præcipuè in Hiſtoria Cometarum de-
duco, ſubjecto ſcilicet Indiculo eventuum Cometarum apparitionem ſecutorum,
quos non tantùm triſtes, ſed & lætos, vel potius miſtos fuiſſe (quæ enim in hac
miſeriarum abrupta convalli ſincera lætitia? quæ tamen & ſpei bonæ ac lætitiæ

Cometas lætorum nuncios dixêre veterum & juniorum non pauci.

expers calamitas eſt?) ipſe oculus judicabit. Favebit dicenti Chæremon, Vul-
canius, Servius, Origenes & alii veterum. Favebit Scaliger, Dudithius, Illu-
ſtriſſima nomina, ſed & Conimbricenſes, Fienus, Fromondus, Guiniſius, Pu-
teanus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

teanus & non pauci Juniorum. Quæ Tua hic ſit ſententia, fac ut ſciam. Quod poſtquam obtinuero, non negligam amplius Tecum de his colloqui. Nunc enim ut pluribus ſententiam meam confirmem, aliæ occupationes non ſinunt. Quanquam & ſatis verboſa hæc Epiſtola fuit: ideo ne Tibi ſit moleſta, merito ſubvereor. Sed in ſpem bonam me erigit celebratiſſima Tua humanitas. Tum vero & Clariſſimi Heinſii auctoritas, qui jam pridem ut Te compellarem de hac re, monuit. Is quoque certiorem me fecerat Te Patriæ Tuæ Patribus nuper abs Te inventam, uſque adhuc ardentiſſimis omnium votis expetitam longitudinum terreſtrium & marinarum apodixin, obtuliſſe. Qua de re ex Te ipſo plura accipere geſtio, ut Tibi rem tam ſummopere laudandam, quam arduam gratuler. Nunc Vale, Vir Clariſſime, & me inter cultores nominis Tui numera, Tuaque benevolentia dignare.

Hugenii de Comet. ſignif. ſententiam Auctor requirit.

Hamburgo Lutetiam Pariſiorum die 16. Febr. 1667.

CUm adhuc in patria ageres, compellâram Tè literis die 30. Octob. Anno 1665. datis, me, ut id facerem, auctoritate Clariſſimi Heinſii communis Amici, ſtudioque boni publici & Tua humanitate eximia permovente. Illas literas in Tuas manus non perveniſſe, quam diuturnum ſilentium Tuum movet ſuſpicionem. Ideo exemplum earum nunc ad Te mitto: ad quas reſponſum, quæ Tua eſt humanitas, mihi tandem ad finem vaſti operis properanti, dabis. Id nunc tanto magis deſidero, quantò plura de præclaris Tuis meritis & ſtudiis cognovi. Atque hæc etiam Regem Chriſtianiſſimum pro eâ, qua Princeps ille Magnanimus Viros literatos complectitur & fovet gratiâ, ut Te è patria vocatum liberaliter habeat, permoviſſe, merito Tibi & egregio publico, de quo tam egregie mereris, gratulor, cunctaque feliciter ut Tibi cedant, ex animo precor. Id officii quod Tibi nunc præſto, quod à ſcripta illa epiſtola huc uſque non fecerim, mei aſſidui, nec leves profecto, labores fecerunt. In colligendis enim nuperorum Cometarum obſervationibus, quas nobis permultas Præclarorum Virorum induſtria, maximo, ſi unquam ab omni memoria, ſtudio hoc argumentum pertractans, dedit, tum texenda omnium Cometarum hiſtoriâ, univerſalis hiſtoriæ compendium quoddam datura, & comparandis tot Auctorum differentibus rationibus, valde fui occupatus. Intervenere & alia negotia, quæ mihi continuo vitæ tuendæ cauſâ expedienda ſunt. Habui ſane in votis anno proxime decurſo opus meum abſolvere. Sed ejus moles in duas diviſa partes (quarum prior Obſervationes nuperorum Cometarum, poſterior hiſtoriam omnium à diluvio viſorum complectitur: niſi quod huic additus ſit Theatri Cometici exitus, ſive de ſignificatione eorum) & figurarum æn earum copia, præſtare id nondum permiſit. Nam & nuper admodum Amicorum, qui in me cuncta poſſunt, precibus tantum dedi, ut omnium Cometarum, quorum quidem motus & vel ſitus hiſtoria habetur, figuras hiſtoriæ eorundem inſerere promiſerim. Quæ res, præſertim cum diurna lux pingendis à Mathematico, quem domi meæ habeo, figuris impendenda adhuc ſit brevior, aliquot menſium moram requirit. Sed ſpero me brevi, juvante Deo, has moras & difficultates evaſurum, huncque laborem meum bono publico, cui profecto eum meque ipſum conſecravi, ceſſurum. Ampliſſimus & Clariſſimus Hevelius nondum etiam Cometographiam ſuam nobis dedit, licet in eam toto pectore, qua Vir ille incomparabili eſt ſolertia, incubuerit. Quo in ſtatu controverſia quam ei Clariſſimus Auzutius, quem per Te quoque ſalutatum cupio, verſetur, ex Te merito cognoſcere cupio. Finio epiſtolam, quam paulo ante conſcriptam Clariſſimo Heinſio, cujus præſentia ſuaviſſima intra aliquot dies ſatiari non poſſumus, commendo, Te vero diu & feliciter valere jubeo.

Hugenium ſecundò literis compellat Auctor.

Regis Galliæ ſtudium in literatos laudatur.

Hugenio Auctor gratiam Regiam gratulatur.

Opus hoc cur tàm tardè prodeat.

Hevelius laudatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXXVIII.
COMMUNICATIO
HAGA-COMITIS
V O S S I A N A.

Hamburgo Hagam Comitis Kal. Febr. Greg. CIↃ IↃCLXVII.

Viro Clariſſimo & Doctiſſimo

I S A A C O V O S S I O GER. F.
STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ S. P. D.

Voſſium cur Auctor compellet literis. Voſſius Gevardus pater & filius laudatur.

Etſi leges divinæ humanæque, illæ præſertim, quibus in Repub. literaria vivitur, mihi, qui Te ignotus ſcripto adire audeo, non patrocinarentur; Tui tamen Parentis, quem Seculi noſtri Varronem appellare ſoleo, Fratriſque prænomine & eruditione eum optime referentis, utriuſque τοῦ μακαρείτου, Tuaque magna merita me jure omnis temeritatis culpa abſolverent. Quicunque enim bonarum literarum amantes, ſumus & nomini Voſſiana multis nominibus obſtricti. Ego certe tam privatim quam publice Parenti Tuo plur. me in linguæ Latinæ ſtudio debere, fateor, gratoque animo clariſſimi nominis ejus memoriam proſequor. His omnibus acceſſit argumenti Comitici, quod mihi ſingulari ratione pertractandum ſumſi, magnitudo, & Clariſſimi Heinſii, communis Amici, qui me ad Te literis de hoc argumento compellandum invitavit, auctoritas:

Humanus veteribus idem qui literatus. Libertas Viro ſapienti convenit.

Jure meritoque in rationibus pono eximiam Tuam humanitatem (quæ nemini eſt paulo modo humaniori, ut cum priori Varrone loquar, ignota) tum & indiſcretam ejus ſociam libertatem, quam omni ſuperiorem invidia Tibi & publico gratulor. Cæterum & hoc jam pridem, ut Te de argumento inſtituto conſulerem, exſtimulabat animum meum, publicæ utilitati conſulere cupientem, quodjam diu acceperim Te Meterologiam, Cometologiæ affinem, nobis ſingulari ſolertiâ explicaturum, imo & de Cometis quidpiam commentaturum fuiſſe. Vellem utramque ita pertractatam, ne ullum opinionis incertum

Voſſii Iſaaci meritis debitum teſtimonium datur.

mentes noſtras amplius turbaret. Vides itaque, Vir Clariſſime, me non tantum honeſtis nominibus, ſed & optimo jure Te per epiſtolam convenire, & de argumento tam arduo ad Te referre, qui à Reip. literariæ convenis inter Patres

Operis hujus occaſio & ratio.

Conſcriptos meritiſſimo ponendus es. Ad meum inſtitutum quod attinet, origo ei ex commercio literarum, quod ab aliquot annis in hac urbe degens cum multis Viris doctis exerceo, & ex ſuaſu amicorum, quibus juſta poſtulantibus negare id opellæ non potui, ad egregium publicum promovendum omni conatu incumbens. Conſtitueram apud me primo ſolas obſervationes nuperorum Cometarum hyberni & verni colligere & publico committere. Sed dum hoc ago, & variorum Auctorum monumenta, Cometas noſtros prioribus comparans, evolvo, cenſum Cometarum inſigniter augeri, proſperaque multa proxime eos

Hiſtoria Cometarum qua occaſione ab Auctore conſcripta.

ſecuta enumerari poſſe animadverti. Ita nata quadringentorum amplius Cometarum hiſtoria: in qua Synopſim quandam Hiſtóriæ Univerſalis una opera exhibere tentavi. Utrobique meam mediocrem exercens induſtriam: inveni obviam

& æquæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

& æquæ, ut ſpero, pietatis (utinam non ſimul iniquæ invidiæ) feracem de ſignificatione Cometarum ſeorſum commentandi materiem. Atque hic, fateor, à recepta vulgo ſententia, juſta libertate uſus, abii, Cometam enim nil cum determinatione Phyſicæ neceſſitatis ſignificare ſentio. Verum tamen tanquàm Illuſtre, memoriale & doctrinale (ut in Scholis loqui amant) ſignum ad Ethices mentem BONA BONIS, MALA MALIS, prænunciare & portendere, latius id vocabuli accipiens, omneſque officii, muti Præconis & Conſilarii ritu, commonere judicio. Totum opus variis Phyſicis; Ethicis, Politicis, Oeconomicis aliiſque utilibus vitæ regulis adſperſi. Ne quid de Mathematicis, Hiſtoricis & Chronologicis dicam, ex quibus illud compoſitum. Obſervationes multas & accuratas, quas utraque Germania, Gallia, Dania, Suecia, Britannia, Italia, Pruſſia, aliæque regiones excluſerunt, Rautenſteiniana, Curtiana, Guerichiana, Heinſiana, Heveliana, Bartholiniana, Bullialdiana, Graviana, Placentiniana, Leuneſchloſſiana, Oleariana, Buſmaniana, Bereniana, Riccioliana, Kircheriana, Schottiana, Büthneriana, aliorumque Virorum omni laudis genere præſtantiſſimorum benevolentia deprmoſit. Harum plures æri incidi curavi. Addo, monitu Amicorum & figuras Cometarum, quorum quidem hiſtoriam cum aliqua cura ab Auctoribus compoſitam inveni. Cuncta hæc celeberrima Almæ Bataviæ Veſtræ metropolis, Amſtelodamum edet accuratè, ut ſolet, quantum quidem Auctore longe diſſito fieri poteſt. Habes, Vir Eximie, breviter expoſitam inſtituti noſtri rationem. Quid plura? Libertate Philoſophicâ, ambitioni, ſed illi in virtute poſitæ, indulgens, Senatum cogo, Teque in eum, undique officioſus, invito. Nil mihi, multum tot magnis nominibus, Tuæque exiſtimationi, totum quod dederis, egregio publico & ſeræ poſteritati dabis. Vale & feliciter age, ac mihi, ſi mereor, fave.

Amſtelodami encomium.

Hamburgo Hagam Comitis die 26. Maji Gregor. 1667.

LIcet non dubitem literas meas Kalendis Februariis Gregorianis ad Te datas, quas bonæ notæ Amico commendaram, recte Te accepiſſe, cum tamen nil reſponſi ad meas manus pervenerit, mitto tibi illatum exemplum, ut quanti nomen Voſſianum & bonas literas faciam, teſtere, Teque cuncta ad Te ſcripta, publico me committere, faciam certiorem. Velim itaque mihi quamprimum, ſi per valetudinem licet, reſpondeas, ut Tua hiſce meis in tempore ſubjici poſſint. Vale & mihi fave.

Voſſium Auctor ſecundò compellat literis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

XXXIX.

COMMUNICATIO HAFNIA-LANGIANA.

Hamburgo Hafniam die 5. Junii Juliani Anno 1667.

Viro Ampliſſimo & Doctiſſimo

WILHELMO LANGIO,

Supremi Dicaſterii Danici Aſſeſſori ac Regio in Jutia Judici.

STANISLAUS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ. S. P. D.

Langium Wilh. cur poſt omnes Auctor de argumento Cometico compellet.

NOn injuriâ colligo Te jam aliquid de conatibus meis in argumento Cometico pertractando, occaſione nuperorum ejus notæ φαινομένων à nobis viſorum, fando accepiſſe. Neque verò mirêre me nondum quidquam de hac re, pro jure amicitiæ noſtræ, & cultu, quo Te, Vir Doctiſſime, proſequor, ad Te retuliſſe. Noſti enim unius hominis ejuſque aliis negotiis occupati, & neceſſariis hinc & illinc defecti, induſtriam mediocrem, omnibus ſimul ſufficere non poſſe. Adhæc volebam prius plurimorum in Europa Clariſſimorum Mathematicorum obſervationes nanciſci, eorumque mentem de toto hoc negotio explorare, quàm ad Te ſcriberem, ut Tu mihi pro noſtra amicitia mentem Tuam de aliorum obſervatis & judiciis ac differentibus rationibus ſententiiſque aperires. Qua ratione non tantum meis votis, ſed & Clariſſimi Nominis Tui, & Inclutæ gentis

Danicæ gentis encomium.

Danicæ, ut aliis præclaris facinoribus, ita & ſtudiis Mathematicis orbi jam olim notiſſimæ, exiſtimationi, tum vero cum primis Reipublicæ Litterariæ & ſeræ poſteritati ſatiſfacies. Scito itaque primum, me ex quo Cometa hybernus decurrente 1664. anno Chriſtiano apparuerat, aſſiduum literarum commercium

Auctor ſtudiorum ſuorum rationem Langio exponit.

cum Viris Doctis colere cœpiſſe. Guerichium, Curtium, Hevelium, Bullialdum, Placentinum, Leuneſchloſſium, Gravium, Buſmannum, Büthnerum, Ricciolium, Kircherum, Schottum, paucos ex multis nominare ſufficiat.

Hafniæ encomium.

Nec Auguſtam Veſtram Hauniam, non minus Muſarum quam Regni ſedem,

Lugduni Bat. laus.

nec Upſaliam celeberrimam: nec Athenas Batavas prætérii. Tot Præſtantiſſimorum Mathematicorum obſervationes & judicia exſpiſcatus ſum, ut hæc operis primam partem Auguſto FRIDERICI TERTII, meritis & lau-

Daniæ Regis elogium.

dibus maximis PRIMI, Nomini inſcriptam, conſtituerent. Inſertæ ei æneæ figuræ circiter ſexaginta, & inſperſæ paſſim Phyſicæ, Politicæ, Hiſtoricæ,

Operis hujus utilitas multa.

Chronologicæ, Ethicæ, Oeconomicæ obſervationes ac regulæ, perdifficilem ſubtilitatem Mathematicam utilitate in publicum redundante diverſorum ingeniorum palato commendantes. Nata ſub manu altera Theatri Cometici pars, quadringentorum amplius Cometarum, initio à diluvio facto, hiſtoria, quæ ex inſtituto Cometas multis & triſtibus ſuccedere & lætis præire, adeoque nil horum Cometis neceſſitatis vinculo adſtringi, ex mente Ethices eos BONA BONIS, MALA MALIS portendere, & muti Concionatoris inſtar ipſa apparitione illuſtri denunciare, monſtrat & docet. Dabo & Theatri exitum, judiciis Virorum Magnorum expeditum, ut indifferentem ac æquam minimè neceſſariam Cometarum ſignificationem adſtruam, eoſque perpetua ſo-

lius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

lius ſiniſtri ominis infamia liberem. Ut autem appareat unum nos Cometam hyeme Anno 1664. vidiſſe, demonſtrabit utcunque indiculus iſte obſervationum, quem en Tibi, tum & tabula ſitus ac motus ejus, quam in hiſtoria dabimus. Fateor tamen Clariſſimum Bartholinum Veſtratem magnam habuiſſe rationem conjiciendi duos Cometas tunc viſos fuiſſe, ſi Huſumenſes & Arendalenſes Obſervationes recte ſibi conſtent. Sed ego in eis ab illo Viro, cætera facili & officioſo ac mihi amiciſſimo, poſtulandis fruſtra adhùc fui. Quapropter de hac quoque re ad Te refero: nec non de ſignificatione Cometarum quam dixi, & adjunctis xxx. theſibus probavi. Quod ſi verò & de controverſia, quam Celeberrimus Auzutus Magno Hevelio de motu Cometæ circa fin. Jan. & initium Febr. Gregoriani, & certo obſervationum ad medium amplius Febr. habitarum, aliiſque nonnullis movit, privatum judicium publico profuturum ferre velis, rem equidem Tibi convenientem, publico utilem, mihi gratam feceris. Scio quidem Te ab Incluto Rege, prudentiſſimo & benigniſſimo meritorum æſtimatore, negotiis arduis & judiciis publicis ob eximias & excellentes Tuas animi dotes adhibitum, Muſis, ut olim, vacare non poſſe. Facies tamen quantum par eſt. Velim autem ad metam effuſis habenis properanti promtum reſponſum quamprimum mittas. Vale, Vir Humaniſſime, ac mihi conſtanter fave.

Cometam hybernum 1664 unum fuiſſe Auctor indiculo multarum obſervationum & tabula ſitûs Cometæ illius demonſtrat.

Langii judicio Auctor controverſiam de Cometa hyemali & de ſignificatione Cometarum ſubmittit.

Hevelio lis ab Auzuto mota in quo conſiſtat: de hac Langii ſententiam Auctor requirit.

Daniæ Regis elogium.

Tabula Cometæ hyberni Anno 1664 & 1665. viſi, obſervationes aſſiduas & accuratas in Europa factas exhibens, quæ demonſtrant unum tantum Cometam tunc temporis apparuiſſe.

Obſervationum Cometæ hyberni Anno 1664. viſi tabula.

Die 19. Nov. St. Gregor. Cometa viſus in Candia. Autor ephemeridum 1666. M. P. S.
20.
21.
22. ad Memmingam, teſte Cl. Chriſtoph. Schorero.
23. Hanc ei priorem ſtationem Ampliſſ. Hevelius aſſignat.
24.
25. referente Franc. Lana Prof. Brixienſi viſus; at non notatus.
26.
27.
28. Bergæ ad Memmingam eod. indice Schorero.
29.
30.
1. Dec.
2. Lugdini Batav. Pariſiis per Cl. Auzutum, & Oxonii, ubi 22. Nov. St. Jul. ut puto, obſervatus eſt. Vide ſup. p. 691 & 692.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10. ad Lubecam à Conr. von Höveln obſeruatus.
11. in Sileſia viſus, ſed locus ejus non notatus. Hunc notat Conr. von Höveln prope Trop. ♑
12. Romæ, Salisburgi, Pariſiis, Holmiæ, ad Lubecam, Magdeb.
13. Coloniæ, ad Hagam Comitis, Lipſiæ, ad Lubecam.
14. Romæ, Gedani, Lugd. Celtarum & Batavorum, Franequeræ, Hamburgi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

15. Gedani, ad Hagam Com. Holmiæ, Lipſiæ, Bernæ.

16. Saliſburgi, Vratiſlaviæ, Upſaliæ per Fornel. & Rudbeck.

17. Romæ, Tridenti, Holmiæ, Upſ. per Rudb. Hamburgi, Bochenhemi, Baſileæ, Rigæ.

18. Romæ per Gottinium, Ingolſt. Ged. Argent. Studgard. Trid. Francof. ad Od. Hannoveræ, Hamb. Lipſiæ, Rigæ, Aug. Vind.

19. Trid. Romæ, Brixiæ, Holm. Lond. Viennæ Auſtr. Rigæ, Upſ.

20. Ing. Pariſ. Conſtant. Genev. Hannov. Dublini, Studg. Saliſb. Trid. Friburg. Romæ, Vienn. ad Lubec.

21. Ged. Trid. Lugd. C. & Bat. Pariſ. Franeq. Hann. Hamb. Upſal. per Rudb. Romæ.

22. Romæ per Gott. Trid. Lugd. C. Leod. Pariſ. per Petit. & Bull. Lipſ. Græcii, Mant. & Mediol. Upſal. per Forn. Magdeb.

23. Romæ per Kirch. Saliſb. Trid. Gedani.

24. Trid. Norib. Frib.

25. Ingolſt. Pariſ. per Petit. Bull. & Auzut. Neoſtad. Lugd. B. Trid. Olom. Arg. Hann. Leod. Mant. & Med. Frib. Alt. per Trew.

26. Colon. & Leod. 1. Romæ per Gottin. Pariſ. per Petit. & Auzut. Lond. Lugd. C. & B. Trid. Arg. Heyd. Leod. 2 & 3. Studg. ad Olom. Rinteli, Norib. Saliſb. niſi quòd hic ſ. c. obſervatus fuerit.

27. Colon. Romæ per Gott. Lugd. B. Neoſt. Studg. Trid. Mant. & Med. Fran. Alt. Marpurgi: at Hannov. ſ. & c. c.

28. Ged. per Cl. Hevel. c.c. ita & Romæ per Gott. Trid. Lipſ. Olom. Magdeb. ad Lubecam itid. ſ. & c. c. Memmingæ ſ. c.

29. Ged. Trid. c. c. at Romæ, Hann. Saliſb. Genevæ ſ. c.

30. Hafniæ per Reichelt. Ged. Trid. Norib c. c. at Franeq. Lugd. B. Pragæ, Ing. Col. Hannov. & Memm. ſ. c. Upſal. per Rudb.

31. Ged. Trid. c. c. at Argent. Ing. Neoſt. Colon. Pariſ. Bochenh. Frib. Alt. ſ. c. Romæ.

Anno Chriſti 1665. 1. Jan. Romæ, Ged. Hamb. Sal. Trid. Pragæ, Olom. Upſal. Fran. Argent. Lugd. B. Hannov. Lond. Leod. Lipſ. Herbip. Colon. Vratiſl. Mant. & Med. Frib. Vienn. Auſtr. Rint.

2. Hafn. per Cl. Barth. Hamb. Upſal. Fran. Lugd. B. Colon. Hann. Neoſt. Romæ, Rint. Trid. Olom. Alt.

3. Hafn. Hamb. Upſal. Fran. Lugd. B. Col. Hann. Romæ, Pragæ, Trid. Neoſt. Olom. Leod. Lipſ. Ged.

4. Hafn. Upſal. Fran. Lugd. B. Arg. Heyd. Hann. Romæ, Lipſ. Neoſt. Col. Prag. Vienn. Auſtr.

5. Hafn. Upſal. Romæ, Leod. Col. Lipſ. Vienn. Prag. Trid. Olom. Saliſb. Alt. Ged. Vrat.

6. Hafn. Upſal. Fran. Lugd. B. Lond. Ged. Alt. Frib. Med. & Mant. Romæ, Col.

7. Hafn. Upſal. Fran. Lugd. B. Leod. Rom. Prag. Olom. Hann. Rint. Ged. Alt. Vienn. Neoſt.

8. Hafn. Upſal. Fran. Lugd. B. Hann. Herb. Ing. Rom. Prag. Vienn. Olom. Alt.

9. Hafn. Upſal. Fran. Lugd. B. Arg. Hann. Lond. Leod. Ged. Prag. Neoſt. Mant. Med. Rint. Pariſ. Alt.

10. Ged. Prag. Olom. Frib. Rom. Mant. Med. Hann. Arg. Leod. Vien. Neoſt. Rinteli, Alt.

11. Ged. Fran. Lugd. B. Romæ, Vienn. Leod. Olom. Neoſt. Hann. Alt.

12. Ged. Fran. Lugd. B. Romæ, Leod. Franc. Hamb. Alt. Hann. Neoſt.

13. Hafn. Fran. Lugd. B. Saliſb. Olom. Arg. Hann. Leod. Prag. Vienn. Frib.

14. Hafn. Fran. Lugd. B. Arg. Romæ, Col. Gottorp. Leod. Vienn. Frib. Rint. Olom.

15. Hafn.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

15. Hafn. Upſal. Rom. Lugd. B. Fran. Herbip. per Rint. Reyherum ſicut & ante.
16. Hafn. Upſal. Fran. Lugd. B. Leod. Vienn. Herbip.
17. Hafn. Ged. Saliſb. Frane. Lugd. B. Rom. Vienn. Frib. Neoſtad. Herb.
18. Romæ, Franeq. Rint. Hamb. per Mull. & Siv.
19. Hafn. Upſal. Ged. Fran. Rom. Leod. Lugd. B. Arg. Neoſt. Hamb.
20. Upſal. Fran. Lugd. B. Leod. Rom. Vienn. Neoſtad. Herb. Gedan. Hamb.
21. Ged. Saliſb. Fran. Lugd. Bat. Rom. Leod. Vienn. Neoſtad. Argent. Hamb.
22. Hafn. Vienn. Lugd. B. Hamb. Romæ.
23. Ged. Romæ, Herb. Hamb. per Muller.
24. Romæ per Gottin. Hamb. per Muller.
25. Rinteli per Reyher. Hamb. per Muller.
26. Hannoveræ.
27. Ged. Hamb. per Muller.
28. Gedani.
29. Hamb. per Muller.
30.
31.
Febr. 1. Upſaliæ per Rudbeck. ſicut & ante à d. 7. 17. Dec.
2. Romæ per Gott. Ged. per Hevel. Herbip. Upſal. per Rudb.
3. Hafniæ per Barthol. Ged. per Hevel. Par. per Bull. Leod. Arg. Hann.
4. Ingolſt. Gedan. Vienn. Auſtr. Hann. Rint. Alt.
5. Gedani per Buthner. Coloniæ.
6. Pariſ. per Bulliald.
7. Colon. Frid. Franeq. Herbip.
8. Upſal. Franeq. Herbip.
9. Lugd. B. Herbip. Franeq. Hannov.
10. Hafniæ per Barth. Pariſ. per Bull. Ged. per Hev. Fran. Monach.
11. Colon. Vienn. Auſtr. Monach. Francof.
12. Gedan. Upſal. Hannov. Monach. Rint.
13. Ged. Franeq. Monach.
14. Ged. Franeq.
15. Upſaliæ.
16.
17. Hafniæ.
18. Ged. Regiom. Boruſſ.
19.
20. Upſaliæ per Rudbeck, ubi notandum eſt Caſſinum quoque & Auzutum hoc phœnomenon ad ſecundam Arietis tendens m. Martio obſervaſſe, ſed hoc ab Hevelio diverſum à Cometa noſtro ſtatui.

Tabella ejuſd. Cometæ ſitum ab $\frac{11.}{21.}$ ad $\frac{20.}{30.}$ Decemb. obſervatum exhibens.

DIe 21. St. N. *Ged.* ſub cratere in Hydra long. 28°. ♍ Lat. A. 30°. *Trid.* ſub hydra in argo navi. *Lugd. C.* Altit. Merid. paulò major 20°. *Lugd. Bat.* in Cratere Alt. Merid. 11°. 42′. *Pariſ.* in triquetra hydræ per *Franeq.* ſub Crat. in tergo Hydræ. *Hann.* ſub cratere & hydra. *Hamb. per Müll.* Triqu. hydræ proximus: *ibidem per Siverum* ſub pede Crat. Aſc. R. 163° ¾ D. A. 26°. *Upſal. per Rudbeck.* long. 27°. 15′. ♎ lat. A. 30°.

22. *Mag.* in hydra & crat. alt. 10°. ſupra horizontem *Romæ* 1. *per Gott.* ſub Cratere & hydra. *Trid.* in Argo ortus à Med. nocte 2. H. occ. h. 7. *Lugd. C.* in velis navis 3°. infra Tropicum ♑ Leod. diſtan. à corde ♌ 43°. 31′. à corde

hydr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

hyd. 31°. 15′. *Pariſ. per Petit.* diſt. à ſpica ♍ 35°. à corde ♌ 47°. in 28°. ♍. *Ibidem per Bull.* infra auſtraliorem duarum ſub fundo vaſis, Cometæ Azimuth occidentalius azimutho fixæ 15′. circiter. *Græcii* long. ♍ 8°. lat. 30°. Alt. ſupra horizontem 19°. D. A. 19°. *Mant. & Med.* propè ſtell. in corp. hydra. *Upſ. per Forn.* ſub Trop. ♑ in ♍ vix in horizonte conſpicuus. *Romæ* 2. 17°. ♍. in meridiano. 23. *Romæ* 1. *per Kirch.* infra Trop. ♑ initio ♍ *Saliſb.* ſubtus cor hydræ. *Trid.* in navi ortus ante 2. deſiit videri med. 7. *Ged.* ſub hydra in 22°. ♍ lat. A. 34°. 36. Alt. M. 7°. *Romæ* 2. 14° ♍.

24. *Trid.* in navi apparuit ante I. occid. h. 6. *Norib.* ſub Trop. ♑ in velis navis *Frib.* circa h. 5. diſt. à corde hydr. 25. 46. à ſpica ♍ 46°. 26. long. ♍ 7°. ferè, lat. A. 37°. D. A. 28½°. *Romæ* 10°. ♍ in Meridiano.

25. *Ingolſt.* ſub Trop. Cratere & hydra in occaſum à Crat. vergens. *Pariſ. per Petit.* long. 3°. ♍ ferè extra Trop. ♃ 5° ⅛ diſt. à Sirio 42°. 26. à corde ♌ 43°. 16. à corde hydræ 21°. *Ibid. per Bull.* ad malum navis longè infra Trop. *Ibid. per Auzut.* h. 3. 15′. diſt. à Sirio 46°. à Canicula 45°. A. R. 145°. 35′. Decl. Merid. 28°. 38′. long. 10°. 18. ♍ lat. Merid. 39°. 28′. *Lugd. Bat.* à meridie ortum verſus 15°. 5′. Alt. Canis maj. in Or. 23°. 45′. *Neoſtad.* in puppi navis long. 6°. ♍. L. A. 40°. *Trid.* in navi, ortus med. nocte, diſparuit ante 6. *Olom.* in velo navis, diſt. à Sirio 42°. à corde hydr. 30°. 45′. *Argent.* long. virg. 14°. L. A. 40°. D. A. 30°. Alt. ſupra horiz. 11°. *Hann.* ſub corde hydræ & Trop. ♑ obliquè declinans in Orientem, *Leod.* infra hydram. *Mant.* diſt. à Sirio 39°. 2′. à Regulo 44°. 38′. ab Arcturo 86°. 16. à corde hydr. 22°. 26. unde erat in velo navis.

26. *Lugd. B.* h. 10¾ Cometa ortus circa ortum alt. cor. hydr. 20°. 45′. Can. min. 23°. 53′. in fine obſervat. alt. ort. ejuſd. cor hydr. 23°. 45′. Cometa alt. 5°. 26. in recta cum cord. ♌ & hydræ, item cum can. min. & borealiſſ. enſis Orion. exiſt. in conſtell. navis, in malo poſteriori inter duas quæ ibi ſtellæ exiſtunt, ſed ab illis verſus in occaſum diſt. à corde hydræ 24°. 46. à Cane min. 38°. 28′. *Trid.* ortus ante mediam noctem occidit h. 4. *Leod.* I. hora 11½. in velo navis poſt malum 8°. circiter. *Ibid.* 2. h. 12. noctis diſt. à corde hydr. 22°. 33′. à Cane maj. 39°. 5′. *Ibid.* 3. h. m. 2¼. diſt. à Cane maj. 38°. 55′. à Cane min. 43°. 36′. à corde ♌ 45°. 1′. Alt. Com. 9°. Spicæ h. 2½. 23°. 52′. *Franeq.* ſtatim à media nocte in velo navis aliquot grad. ſupra 4. & ult. in malo ejus h. 2. in ipſo meridie. *Ad Olom.* h. m. 3¾. in merid. ab Alpharad ſ. corde hydr. 30°. 45′. in velo navis. *Colon.* h. m. 4. horizonti imminens, ortus paulò poſt 11. in amplitudine ortiva 55°. *Pariſ. per Pet.* h. m. 4. in recta per ſpicam virg. & medium 4. ſtell. corvi æqualiter ab illis & capite & pede corvi ductâ in recta etiam per cor hydræ & linguam ♌ & in recta per Procyonem & genua ♊ long. 28°. ♌ cum lat. paulò minore præced. dier. *Ibid. per Auzutum* Cometa tranſibat merid. cum corde hydr. Alt. 11°. 36. diſt. à Sirio 39°. 8′. à Canic. 44°. 26. A. R. 137°. 56. D. A. 29°. 38°. long. 2°. 26. virg. lat. Merid. 43°. 26. *Romæ per Gott.* in velis navis. *Lugd. C.* long. 1°. virg. in circulo merid. parum ante cor hydræ h. 2. 45′. alt. 14°. 15′. Alt. Boot. 26°. Cometa in recta cum ſpica Virg. roſtro Corvi, item cum Cane maj. & lucida caudæ ejuſd. *Argent.* diſt. à ſpica 66°. à corde hydr. 25°. long. ♌ 20°. lat. A. 49°. D. A. 31°. Alt. ſupra horiz. 10°. Azimuth. à merid. in occaſum 4°. *Heydelb.* in malo navis. *Studg.* longè ſub hydra & Trop. ♑ à corde hydræ in ortum decl. 3°. 56. virg. *Saliſb.* in via lactea. *Rinteli* ſupra horiz. merid. 7°. circiter, alt. cor hydr. 30°. 26.

27. *Colon. in Gallo*, h. m. 3. ab horizonte pluſculum diſtans quam Sirius. Ex Cane min. Sirio & Cometa formabatur triang. ad Canem maj. propè rectang. latere à Cane majore ad Cometam paulò longiore altero. *Romæ* 1 *per Gott.* in puppi navis. *Romæ* 2. in meridiano 24°. ♌ *Lugd. B.* diſt. à ſpica 68°. 26′. à rubic. Orion. 54°. 2′. à Sirio 28°. 58′. à Procyone 38°. 16′. Alt. Arctur. in plaga Orient. 30°. *Neoſtad.* in med. vav. diſt. à roſtr. Corv. 42°. à cord. hydr. 33°. long. ♌ 19°. L. A. 40°. *Studg.* 26°. ♌ prope viam lacteam. *Trid.* in puppi navis. *Mant. & Med.* h. 7. Ital. diſt. à Sirio 21°. à Procyon. 35°. à cord. hydr. 29°. ſupra caudam

dam Sirii *Hannov.* ad gallum. *Marpurg.* h. v. 11. ſub Sirio in regione navis. *Altorf. per Trew* adhuc ſub corde ♌ & hydræ, ſed ulterius in occaſum.

28. *Ged. per Hev.* h. 1. in Auſtro propè merid. vix 6°. ſuper horiz. in pupp. ſub clypeo navis in 4°. ♌ ſub lat. A. 49°. 36. *Romæ* 1. *per Gott.* in lumbis canis maj. *Ibidem* 2. in meridiano 5°. ♌. *Trid.* ad pedes anter. Can. maj. *Lipſiæ* h. 1½. poſt med. noct. in merid. ferè alt. 8. circ. long. 2. ♌ in medio ſcutuli navis *Olom.* poſt med. noct. h. 3. ſupra duas in navis antenna magnit. 3. ab invicem diſt. 3°. diſt. Com. à Sirio 23°. 5′. circiter, à cord. hydræ 30°. 36. *Magdeb.* m. h. 3. in navi ſuperius inter anteriorem & medium malum.

29. *Ged. per Hev.* h. v. 9. 36. alt. Com. 10°. infra ſiniſtrum pedem anter. can. maj. long. 28°. 41′. ♊. lat. 47°. *Trid.* inter can. maj. & Lep. *Romæ* 1. *per Gott.* m. ſupra ped. auſtral. anter. Can. maj. eidem contiguus ferè. *Romæ* 2. in merid. ♋. 15°. & 25°. ♊. *Salisb.* in cap. Lep. h. 20. *Genevæ* h. v. 9. tantum diſtabat à ſtella genu dextr. Or. quantum hæc ab hum. ſin. in ead. omnes recta. Obtuſangulum iſoſceles conſtit. cum Sirio ſtellaque dextri pedis Can. maj. ang. obtuſo ad ped. exiſt. inter pedes poſter. Lep. & anter. can. circa Trop. ♑. alt. mer. 20°. circiter.

30. *Hafniæ per Reichelt.* h. v. 10½. Com. in recta per lucidum hum. Or. & ult. balt. idem per ſtellam in terg. & cap. Lep. hinc Long. 11°. 59. ♊. lat. A. 39°. 29′. *Ged. per Hev.* h. 10. v. in collo Lep. long. 12°. 46. ♊. L. A. 40°. 16. A. R. 76°. 36. Decl. 70°. 16. Alt. Mer. 10°. 27°. *Trid.* in collo Lep. *Ing.* h. v. 9. ſub Or. paulò infra Lep. Can. maj. 19°. *Colon.* h. v. 10°. in collo Lep. diſt. à Regel 9°. à Cane maj. 20°. alt. Regel. 31°. 15′. Com. 22°. *Franeq.* h. v. 10½. in merid. ad coll. Lep. *Lugd. B.* h. 8½. infra pedes Or. in vertice triang. æquilateri à tribus illis conſtituti, h. 10. in recta cum rubic. or. & infima cing. diſt. ab horiz. 15°. 45′. *Upſal. per Rudb.* h. v. 7. ante cap. Lep. long. ♊. 8°. lat. 37°. 15′.

Hamburgo Hafniam die 23. Julii Juliani 1667.

DUm opus meum, cui lucem & propria moles prægrandis & figurarum æri incidendarum copia adhuc negavit, ad finem exoptatum perduco, & Tuum reſponſum ac de nobiliſſimorum ingeniorum noſtri ſeculi controverſiis judicium exſpecto, tribus verbis nunc Te compello. Nullus dubito Te mihi reſponſurum eſſe. Ea enim humanitate & nominis claritate Te eſſe ſcio, ut id officii mihi negaturus non ſis, non tantum ex votorum meorum Tuæque gloriæ, ſed, & quod eſt maximum, publicæ utilitatis ratione. Abſoluta eſt ultima Communicatio Voſſiana. Cui Tua, agmen clauſura, ſubjicienda. Hinc jam ad Addenda operi ventum eſt, & certo paginarum numero pro Tua communicatione relicto, hæc prælo ſubjiciuntur, ut quamprimum opus hoc abſolvatur. Ita vides, quanta feſtinatione opus ſit. Dabis itaque operam, ut voti compos quam ocyſſime reddar. Vale.

Langii Wilk. reſponſum Auctor iterum iterumque poſtulat.

Hamburgo Hafniam die 27. Aug. Juliani 1667.

SPatium pro inſerendis meis Tecum communicatis Tuoque reſponſo, à typographo relictum, adhuc vacuum manet. Cum autem pauca ex addendis operi imprimenda reliqua ſint, oro Te, per tuam humanitatem & boni publici ſtudium, ut quamprimum mihi reſcribas, & illa inter nobiliſſimos noſtri ſeculi Mathematicos controverſa, ut arbiter honorarius decidas. Liceat enim mihi ex ratione publicæ utilitatis, hâc libertate in Te uti, quam cuique in Republica literaria competere, veri certus credo, & non tantum in opere meo verbis, ſed & qualicunque exemplo confirmo. Indicavit mihi nuperrimis literis communis amicus Nobiliſſimus & Ornatiſſimus Rötlinius, Te & graviſſime negotiis diſtrahi, & neceſſaria librorum, inſtrumentorum, & obſer-

Libertatis vis magna in Republica literaria.

Langiani ſilentii cauſæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

obſervationum adminicula ad manum, quo votis meis rite ſatiſfacias, non habere. Verum ſi quæ tibi ratio expediendæ reſponſionis reliqua eſt, fac ut Vota mea impleas ſine mora, quam nullam tempus patitur, ut non tantum gratiam celeritatis bene facto addas, ſed & neceſſitati arti temporis conſulas. Nam & hæc, quæ vides, hodie jam typis ſubjicienda in Hollandiam mitto, verumtamen pro reſponſo tuo ſpatium relinqui curabo. Vale & fave conſtanter,

Tuo LUBIENIECIO.

Haunia Hamburgum XIII. *Sept.* III. *Zygonos Anno Chriſtianor. communi* MDCLXVII.

Nobili Viro STANISLAO LUBIENIETZKI,
WILHELMUS LANGIUS S. P. D.

Langius ſilentium diuturnum excuſat:

Sua Cometæ 1664. obſervata memoriter recitat:

QUod toties abs te ſententiam rogatus de Cometis anni ineuntis MIƆCLXV. nondum reſponderim, in cauſa eſt, quòd ex quo primæ tuæ literæ mihi heic ſunt redditæ, tot negociis occupatus fuerim, ut vix tantillum temporis reſiduum habuerim, quô literas ad te perſcriberem, nedum rem tanti momenti eâ quâ par eſt diligentiâ atque attentione expenderem, præſertim heîc Hauniæ, ubi neque ſchedas meas, neque ſuppellectilem librariam ad manus habeo. Memini quidem ineunte menſe Decembri anno MIƆCLXIV. nocte circa 2. horam me Cometam vidiſſe ſubobſcurum, caudam longam projicientem circa craterem in angue, cujus ſitum ad fixas, extenſione filari contuli XI & XII. Decembris. Poſt aliquot dies, quibus cælum mihi non favit, rurſum Cometam vidi XXII. menſis Dec. veſperi, crinitum, nullam tum caudam projicientem, quantum quidem viſu dignoſcere potui, niſi fortè ſplendor lunæ minus lumen obfuſcaverit. Silente enim luna veſperi natalis Domini XXV. Dec. cauda ſatis clarè perſpiciebatur, ſicut & ſequentibus noctibus ante lunæ exortum, quibus etiam cum fixis à me collatus fuit, quantum quidem per nubes licuit. Neque enim ulla mihi inſtrumenta Aſtronomica ad manum fuêre, quibus aliquid certi, in re tam ardua inquirerem, ſed talibus obſervationibus ὁλοσχερέστερον acceptis acquieſcendum fuit, ut motum Cometæ utcunque colligerem. Atque ex iſtis obſervationibus haud aliud tum concludere potui, quantum quidem nunc memoriâ teneo, quàm Cometam circa initium anni MIƆCLXV. aliam viam ingreſſum, magis directo motu verſus Septentriones tetendiſſe, quod tamen ſchedis meis deſtitutus pro certo affirmare nolim. Poſt x. menſis Januarii Cometes à me viſus non fuit, quamvis ſub exitum Januarii & initium Febr. aliquoties quæſitus. Menſe vero Martio exeunte & ſub initium Aprilis iterum Cometes apparuit, inter quadratum Pegaſi & Andromedam, an idem cum priore, an alius ab hoc diverſus, haud facilè dixerim. Si quis enim conjecturæ locus, quam in corporum Phyſicorum generatione & diſſolutione explicanda vix quiſquam rejecerit, exiſtimo Cometas ex colluvie diverſarum partium generari, quas Democritus, quique eam ſectam ſequuntur, atomos dixêre, ac tamdiu intra conum telluris umbroſum latere, uſquedum magnis auctibus auctus moveri incipit elapſuſque umbra, Solis radiis illuſtris, oculis ſe hominum conſpiciendum exhibet. Atque ita quò vis, impellens protrudit, movetur: uſque dum ſolutis compagibus particulæ componentes diſſipantur. Pro partium verò componentium ſitu, tàm juxta longitudinem & latitudinem quam juxta denſitatem & raritatem, varii colores variæque figuræ in Cometis apparent. Et ſi quando partes vel magis poſtmodum condenſantur, vel ſuperficies lævigatur; majori ſplendore coruſcant, haud aliter, quam ſi Solis radii in corpus denſum lævumque inciderent. Quod ſi fortè Cometes vel in conum terræ umbroſum vel ſub radios Solis rurſum incidat; demum occultatur, uſque dum radiis liber, demum appareat, niſi antea diſſolvatur.

Eadem ſine inſtrumentis Mathematicis facta fatetur.

Cometam hybernum 1665. aliam viam ingreſſum oſtendit: Eund. ſibi poſt 10. 20. Jan. non eſſe viſum fatetur:

Vernum Cometam ab hyberno diverſum ſtatuere non audet:

Phyſicis conjecturis quandoque utitur & acquieſcit.


Democriti ſententia de concurſu atomorum locum in Cometa generatione habere Langio putatur.

Langius pluresne an unus Cometes Anno 1665. fulſerit, decernere non vult: Solum quanta hic circumſpectione opus ſit, oſtendit.

Cometes unus hyeme & vere 1665. fulſiſſe, qui dici queat:

Et quando periiſſe.

vatur. Atque ex his liquet nil certi in hac quæſtione affirmari poſſe, pluresne an unus Cometa prædicto anno fulſerit, niſi multæ accuratæ obſervationes locis longè diſſitis acceptæ diligenter examinentur, ut diſtantia Cometæ ab terra locuſque ſecundum longitudinem & latitudinem habeatur, atque inde ſciatur an Cometes perierit, an vero radiis vel Solis vel telluris immerſus lateat. Si enim talem ſitum in æthere habere deprehendatur, ut ita oculis latere potuerit, & Cometes poſtea fulſerit, credi poteſt veterem Cometem denuò apparere. Quod ſi verò nec Solis radiis, nec telluris umbrâ tum occultari Cometes potuerit; haud video quid aliud dicendum ſit, quam Cometam periiſſe. Quod ut clarius explicem figuram hanc apponere volui, in qua A. hemiſphæra Solis, B. globus terræ, C Lunæ, MHL conus terræ umbroſus, IMKL pars coni lucidi Solis terram illuſtrans. Poſito jam Cometam in E generari, eaque diſtantia à terra remotum, ut rotatione diurna non circumagatur; & tamen motu majoris orbis, quæ Lunam una cum tellure in magno circulo annuo circa Solem rotat, circumferatur: erit Cometa omnino inviſibilis (niſi in ſe ipſo aliquid luminis



habuerit) uſquedum calore, ſpiritu aliove principio movente impulſus, extra lineam MH vel LH elabatur: quo tempore ſtatim à Sole illuminatur, terræque incolis ſe conſpiciendum præbet. Et quamdiu extra MH vel LH fuerit, ſemper apparet, niſi vel diſſolvatur, vel ultra Lunam alioſve Planetas aſcendens, eorum obtentu occultetur: vel denique magnam circuli partem emenſus, intra lineam IM. aut KL. ſe recipiat, Soliſque radiis obfuſcetur.

Cometen ita circa terram generari à Langio ſupponitur, ut & circa alios Planetas eundem generari poſſe concedat.

Sol & reliqui Planetæ effluvia emittunt.

Hipparchi ſtellæ nova & ſuperior Luna.

Error aliquot minutorum facile committitur vel per inſtrumenta mobilia, vel per diverſam aëris rationem:

Ideò Obſervationes cum delectu recipiendæ.

Quod autem Cometam circa terram generari ſupponam, non eo dictum velim, quod negem circa lunam aut Venerem alioſve Planetas, æque Cometas aliave nova phœnomena generari poſſe. Solem enim ex corpore ſuo magna craſſaque effluvia emittere maculæ ſolares docent: quod de reliquis Planetis vix quiſquam negaverit. Quis enim naturæ vires, aut omnipotentis Dei manum, certis limitibus circumſcripſerit? aut quis contraria demonſtraverit, vel unquam demonſtrare potis eſt? Si enim Claremontio concedatur, varias obſervationes, quæ in India aliiſque diſſitis locis ſunt factæ, & Tychonicis aliorumque inſignium artificum obſervatis non conveniunt, probas tamen bonaſque eſſe: quis inde concluderet, ſtellam Hipparchæo ævo viſam, novam non fuiſſe? aut in ſuperiori æthere ultra lunam non fuiſſe enatam? Et quis errorem unius duorumve minutorum, imo quatuor & plurium in Inſtrumentis mobilibus ejuraverit? quis aëris eandem raritatem aut denſitatem in tam diſſitis locis præſtiterit, vel differentiam debita diligentia notaverit? & hinc tamen non unius tantum minuti error, ſed & major aliquanto pro locorum diverſitate, & aëris mutatione ſuboritur: unde phœnomenôn parallaxis plurimum mutatur. Subtilis ergo diſquiſitionis res eſt, & niſi obſervationes ſumma diligentiâ & attentione peragantur, loco tempore atque inſtrumentis idoneis: vix certæ probationes, nedum demonſtrationes illis inædificari poſſunt. Ac mihi quidem nullas ejuſmodi obſervationes habere licuit, inſtrumentis commodis deſtituto: neque tempus otiumve eas examinandi ſuppetit, quas ad me miſiſti. Totos enim dies, juris in ſupremo hoc regni tribunali, adminiſtrationi impen-

 dere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

dere, ex officii ratione cogor, & quod reſiduum, valetudinis curæ tribuendum eſt: ita ut accurato calculo obſervationes haſce expendere, atque invicem conferre tempus minime permittat.

Cometa an uſquam à duobus Mathematicis debita ratione ſub eod. meridiano obſervatus? An ſub diverſis meridianis eodem tempore?

Tria enim quærenda ſunt. Primum an Cometa uſquam terrarum binis obſervatoribus debitis inſtrumentis magna diſtantia ſub eodem meridiano ſit obſervatus. Si hoc non datur: videndum, an ſub diverſis meridianis eodem temporis momento aliqua ſit facta. Quod ſi neque illud habeatur; reducendæ ſunt obſervationes, quantum quidem fieri poteſt, ad idem tempus. Quod quantis difficultatibus, quantæque incertitudini ſit obnoxium nemo horum rerum peritus ignoraverit: Abſque hiſce datis, haud video quid de phœnomeni ab terris diſtantia concludi certo poſſit, qua ignota, ex data longitudine & latitudine prius problema explicari nequit, adeoque ex

Cometarum diſcrimen magna cum cura faciendum.

iſtis principiis nihil definiri, novus ne, an vetus Cometa fulgeat. Fateor quidem ſi certis obſervationibus conſtaret Cometam continuo viſum uſque ad menſem Aprilem, non amplius dubitari poſſe, unum eundemque fuiſſe.

Langius definire non audet, an unus Cometes vel duo Anno 1665. fulſerint:

Quoniam vero nihil tale mihi cognitum eſt; neque pro certo affirmare poſſum vel eundem fuiſſe, vel alium ab eo diverſum. Conatus quidem tuos, Doctiſſime Lubienietzki, nemo ſatis laudaverit; quod tam pulchro ac nobili inſtituto tot præſtantium artificum obſervata collegeris: ſed optandum ea tam egregiis hominibus adminicula ad manum fuiſſe, vel adhuc eſſe, quibus & ſuæ & aliorum

Aſtronomiæ reſtaurandæ ratio à Langio propoſita.

expectationi fatiſfacerent. Perſuaſum enim habeo rem Aſtronomicam nulla aliâ viâ facilius feliciuſque reſtitui perficive poſſe, quam ſi tam clari viri commodis organis cœlum variis in locis ſcrutarentur, ſuaque inventa invicem communicarent. Verum hæc pluribus perſequi ocium non eſt.

Langius Aſtrologicis prædictionibus cur & quomodo faveat.

Quod vero de effectibus Cometarum proponis, video magnis id nunc viris probari, ut Aſtrologicis prædictionibus parum, imo nihil fere tribuant: ſed an id ſimpliciter recipiendum ſit, nondum video. Argumenta quæ pro hac ſententia adducuntur, mihi non tam firma videntur, ut aſſenſum extorqueant. Quæ enim ex ſcripturis citantur, neſcio an huc faciant. Multa Judæis vetita, quæ Chri-

Aſtrologi Chriſtiani Babyloniis Saniores.

ſtianos non obligant. Et quis inter Chriſtianos Aſtrologus unquam negavit Deum naturæ vim immutare atque inhibere quando libet, adeoque ſapientiſſimorum Chaldæorum & Aſtrologorum Babyloniæ prædictiones irritas reddere, non

Babyloniorum prudentia politica non minus quam Aſtrologica confunditur à Deo, nec tamen illa ideo damnatur, ideo nec hæc damnanda.

ſecus ac prudentiſſimorum Babylonis Politicorum conſilia. Nam utrumque hoc Propheta loco laudato rejicit. Nec tamen ideo civilis ſapientia eſt damnanda, quod Dei omnipotente manu confundatur, adeoque nec de Aſtrologia argumentum hoc valet. Quis autem divinæ potentiæ quidquam detraxerit prædicens hominem epoto Mercurii ſublimati aquis miſti poculo, intra horæ ſpacium moriturum. Et tamen cauſas hujus rei (cur Mercurius ſublimatus tam perniciter occidat, cum non ſublimatus innoxie propinetur) non multo clarius quiſquam demonſtraverit quam quæ in Aſtrologicis de Planetarum in tali ſitu

Aſtrologicas prædictiones Langius tuetur & excuſat.

effectibus traduntur. Fateor majoris difficultatis eſſe, effectus Aſtroligicos quam Medicos explorare. Magnæ quoque mutationes ex locorum aëriſque diſpoſitione, corporum recipientium qualitate, variiſque aliis accidentibus cauſantur.

Noxia homini proſunt bruto, & contra.

Sic multa hominibus pernicioſa, aliis animantibus ſunt innoxia; & multa brutis noxia hominem non lædunt. Quædam venena in quibuſdam locis exitioſa, alibi vix ullas vires exſerunt.

Antidotorum uſus.

Antidotis quoque alexipharmacis plurima curantur, quæ ſine his interficerent. Ita etiam in effectibus aſtrorum multa intervenire poſſunt, quo minus vel non agant, vel non ſolito more agant. Unde non mirum Aſtrologicas prædictiones ſæpe fallaces eſſe, cum piorum hominum preces, vitæ inſtitutum, aliaque plurima Aſtrorum influentias mutent. Et tamen multa tam ex veteri quam nova hiſtoria adduci poſſunt, hanc artem confirmantia, ut has aliaſque ob cauſas magnis Aſtronomis

Ptolomæus Aſtrologicis prædictionibus favet.

Ptolomæo & Tychoni artem hanc non diſplicuiſſe conſtet. Quod ſi Aſtrologi aliquando gravius peccant; non arti id vitio vertendum, ſed artificibus: ſicut nemo Medicorum errata Medicinæ impegerit. Atque hæc ſunt, Clariſſime Lubie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Lubienietzki, quæ doctiſſimis tuis literis reſpondere potui, in quibus ſi quidquam fuerit tibi acceptum, mihi perquam erit gratum; ſin minus, ignoſcas tempori atque occupationibus meis, quod omnia tam accurate examinare ac perſcribere nequeam. Ea vero quæ hac in re cognita mihi ſunt, candide, atque ea quæ doctos homines decet libertate, Tecum communicavi. Vale boniſque rebus vitam bonaſque horas impendere perge.

Hamburgo Hafniam die XXIV. *Sept. Juliani* 1667.

MUltum omnino debeo Tuæ humanitati, quod inter tot graves occupationes, quæ Te ex Muſæo, imo Athenæo celeberrimo, in forum tranſlatum, ac ampliſſimæ provinciæ & ſic neceſſitudinibus publicis impoſitum jugiter tenent, me docto & amabili reſponſo beâris. Ad quod tria verba, ſummam manum operi vaſto imponens, reponere Tibi neceſſe habeo. Equidem ſperaveram Te nobis deciſionem illius de nuperis Cometis difficilis quæſtionis daturum fuiſſe. Sed Tibi alibi occupato & neceſſariis ad tantam rem excutiendis inſtrumentis & adjumentis defecto, Academicorum veſtigia legere, vel certe nobis monſtrare non placuit. Dixi & ego alicubi, magnis quoque virîs *nil certi* in Rep. ut ſic dicam, Cometarum videri. Tibi præ cæteris Democritus arriſit. Non pauci ſunt (quos inter & ego nomen meum profiteor) qui ſperant Ingenioſiſſimi & tam omnibus neceſſariis ſcientiæ ac inſtrumentorum adminiculis Inſtructiſſimi, quam Solertiſſimi Hevelii maximis & feliciſſimis laboribus veritatem qua Cometarum ortum & motum reſpicit, ex puteo Democriti extractum iri. Mea quoque, vel potius illa, quæ mihi multi Viri in Mathematicis diſciplinis exercitatiſſimi ſuppeditarunt, à me Theatro Cometico illata, non parum, ut ſpero, ad eandem veritatem eruendam facient. Sed nobis orbis litterati judicium de non exiguis profectò conatibus exſpectandum eſt. Atque hoc mihi favens promitto in illo arduo de Cometarum ſignificatione & aſtrorum operatione argumento. Attamen cuivis integram libertatem relinquo. Ideo & Tibi: cujus ego judicium & eruditionem merito magni facio. Vale & fave.

Langio Auctor de reſponſo perhumano gratias agit,

Eique pauca reponit.

Dubiam ſententiam de Cometis Magni quoque viri ferunt.

Hevelius maximam exſpectationem de ſua Cometographia in animis plurium merito excitavit.

Auctor de ſuis conatibus bonam ſpem concepit.

Diſſentientium libertatem æquo fer animo.

Tuo

LUBIENIECIO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Addenda Tomo primo.

PAg. 23. *quam* (anchoram) Plin. l. 7. c. 26. Strabo l. 7. Geogr. Polyd. de invent. rer. l. 3. c. 15. Sardus de invent. rer. l. 2.

Ibid. mox: *ſicut & illam* (rotam figularem) Laërt. l. 1. Ephor. ap. Strab. l. 7. Plin. l. d. Polyd. l. 2. c. ult.

Ibid. *Exſuſcitatores ignis folles* Strabo l. 2. Polyd. l. 2. c. 19. Sard. l. d.

Pag. 40. libertatem arbitrii &c. De hac inferius multis egimus, eamque cum gratia divina feliciter, ut credo, junximus. Hic merito apponemus verba non minus Doctiſſimi quam Eloquentiſſimi M. Antonii Mureti, qui in Catil. 3. ſic inter alia ſcribit: *Cavendum eſt etiam diligentiſſime, ne Stoicorum væſaniam inſeq amur, aut aliorum, qui ſpoliatas omni libertate hominum mentes ſervitute devincire conantur, tolluntuque è rebus omnibus caſum, & quicquid de rebus futuris affirmatur, negaturve, id definite verum aut definite falſum eſſe confirmant, quod longiſſime abeſt à vero. Etenim permulta ſunt, quæ antequam fiant, vel fieri, vel non fieri poſſunt: eſtque ita plane libera hominum voluntas, ut nemo invitus bonus fiat, nemo invitus malus. Alioqui enim fruſtra virtutibus præmia, fruſtra vitiis ſupplicia conſtituerentur.*

Pag. 44. ad lit. l. in textu. Vid. M. Andr. Concii diſp. 1657. de vanit. ex aſtris de rebus arbitr. & fortuit. divinant.

Ibid. ad lit. p. Vide Conc. d. l.

Ibid. lin. 4. à fine poſt verba illa *Aſtron. & Aſtrol.* Vid. Cl. Petri Lambec. prodr. hiſt. liter. l. 1. c. 6.

Pag. 45. lin. 8. poſt verba *prorſus rejicit*, adde: vid. Lamb. & Conc. cordate contra has diſp. d. l.

Pag. 52. lin. 15. ad illa: *qui forte idem erit.* putatis deinceps accurate rationibus, inveni hos Cometas diſtinguendos eſſe. Qua de re in hiſtor. Comet.

Pag. 58. ad illa, *erit aliquando ebrietati honos* &c. nota verba Senecæ me, cum hæc ſcriberem libro defectus memoriter recitaſſe, quæ ita ſonant. *Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cœpiſſe, virtus erit.* l. 1. de benef. c. 10.

Pag. 135. circa fin. *cum Seneca* adde l. de brevit. vitæ c. 19.

Monitum ad pag. 92. pertinens.

Cum per partes apographa Communicationis Rautenſteinianæ typographo mitterem & quaſdam epiſtolas Rautenſteinianas omitterem, adhæc meæ ad eum litteræ non ſemper ſtato tempore perlatæ fuerint, factum eſt ut earum rationes aliquantum mutatæ fuerint. Quod quidem res epiſtolis contentæ quemque docere poſſent. Ut tamen quiſque regulam certam habeat, præſertim cum vir ille & ampliſſima dignitate Ill. & tot negotiis publicis diſtractus non ſemper potuerit ad omnia literarum mearum capita extemplo reſpondere earumque veſtigia ſequi, ſed hoc ſæpius captato tempore commodiori fecerit, damus Canonis inſtar ſequentem tabellam.

Ratiſbona Hamburgum

Num. 28. d. 4. Maji Anno 1665.	Num. 46. d. 6. Julii ad 42.
Num. 29. d. 7. Maji ad 25.	Num. 47. d. 9. Julii ad 43.
Num. 30. d. 11. Maji ad 26.	Num. 48. d. 13. Julii ad 44.
Num. 31. d. 14. Maji.	Num. 49. d. 20. Julii ad 44 & 45.
Num. 32. d. 18. Maji ad 27.	Num. 50. d. 23. Julii ad 46.
Num. 33. d. 21. Maji ad 27, 28.	Num. 51. d. 27. Julii ad 47.
Num. 34. d. 25. Maji ad 29.	Num. 52. d. 30. Julii ad 48 & 49.
Num. 35. d. 28. Maji ad 30.	Num. 53. d. 6. Aug. ad 50.
Num. 36. d. 1. Junii ad 31.	Num. 54. d. 7. Aug. ad 51.
Num. 37. d. 4. Junii ad 32.	Num. 55. d. 13. Aug. ad 52.
Num. 38. d. 8. Junii ad 33 & 34.	Num. 56. d. 17. Aug. ad 53.
Num. 39. d. 11. Junii ad 35.	Num. 57. d. 19. Aug. ad 53.
Num. 40. d. 15. Junii ad 35.	Num. 58. d. 24. Aug. ad 54.
Num. 41. d. 18. Junii ad 36.	Num. 59. d. 27. Aug. ad 55.
Num. 42. d. 22. Junii ad 35 & 37.	Num. 60. d. 31. Aug. ad 56.
Num. 43. d. 25. Junii ad 34 & 38.	Num. 61. d. 7. Sept. ad 57 & 58.
Num. 44. d. 29. Junii ad 36 & 39.	Num. 62. d. 10. Sept. ad 59.
Num. 45. d. 2. Julii ad 37, 40 & 41.	Num. 64. d. 17. Sept. ad 60 & 61.

Reliqua tam antecedentia quam ſeqq. recte ſe habent: quod magno labore exploravi.

Pag. 236. Nota Illuſtriſſimum Bruſſellum de hinc plures literas ad me ſcripſiſſe & Symbolam promiſiſſe operi inſerendam: ſed poſthaç Lutetia Pariſiorum exceſſiſſe, nec mihi amplius ſcripſiſſe.

Pag. 292. Notandum, quod res ipſa docet, reſponderi à Cl. Heinſio hac epiſtola ad illam quoque Auctoris d. 17. 27. Junii exaratam quæ Num. 23. inſignita eſt.

Pag. 334. lin. 11. *in quo ſolo ſeptenarii & novenarii concurrunt* adde, (unde hebdomaticus & enneaticus Græcis, Androdas Ægyptiis vocatur, de cujus ſingulari efficacia conſulas velim Firmicum l. 4. c. 14. tum Philon. de ſeptenario & Petr. Bungum in myſteriis numerorum atque Feder. Morellum in hebdomade & enneade, denique Incomparabilem Cl. Salmaſium de annis climactericis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ADDENDA COMMUNICATIONI HEVELIANÆ.

Dantiſco Hamburgum d. 22. Maji 1666.

N. 15. ad 29 & 30.

Auctoris & Hevelii ſtudia Cometica diverſa.

Hevelii judicium de Cometa 837.

Phænomenon anno 1033. viſum an Cometa fuerit.

Cometa nullus A. 1033. obſervatus:

Cum ſonitu & fragore nunquam trajicit:

Sæpè falſus,

Ideò ſemper cum cura examinandus.

AD binas Tuas poſteriores literas, die 16 & 30. Aprilis datas paucis reſpondeo. Cum animus meus plane aliis ſpeculationibus Cometicis nunc occupatur, Tu Chronologica & Hiſtorica, ut percepi, tractas, ego vero nunc merè Aſtronomica; ſic ut plenè hâc vice Tibi ſatiſfacere, ob varias occupationes nequeam. De Cometa vero 837. ita ſentio: illum in ſigno Virginis primùm apparuiſſe, & quidem ea in parte, qua pedes ejus caudam Corvumque contingunt, hinc ſpatio 25. dierum motu retrogrado per Leonem, Cancrum, & Geminos progreſſum eſſe, & tandem in capite Tauri, ſub Aurigæ pedibus evanuiſſe. Cæterum ſtellam illam anno 1033. etiamſi Calviſius referat à Septentrione verſus Meridiem trajeciſſe, & à 28. Febr. ad 15. Martii perduraſſe, valde dubito Cometam fuiſſe, multo minus ſtellam aliquam novam. Cum nemo, qui Cometas deſcripſit (quantum ſciam) Cometam aliquem eo anno notaverit. Adhæc Cometam cum ſonitu & fragore unquam trajectum eſſe, vix credo: fortè diverſos globulos ignitos (quorum alter d. 28. Febr. alter rurſus 15. Martii viſus eſt) vel faces ardentes, pro Cometis arripuerunt: ut ſæpius fieri ſolet ab imperitis. Quot Cometæ, quæſo, hoc ſolo unico anno apparuiſſent, ſi ex opinione vulgi res dirimenda eſſet? Ego puto, nonnullos plurima meteora ac phaſmata, imo etiam ipſos Planetas nonnunquam pro Cometis apprehendiſſe. Quamobrem hac in parte non facile credo omnibus, nec ipſis Hiſtoricis, niſi inter ſe probe conveniant, & circumſtantias adjiciant fide dignas. Typographo Batavo nihil ſignificandum habeo; faciat quicquid velit, mihi perinde erit. Pro Cometologia Schüleri gratias Tibi habeo magnas, daboque operam, ut par pari, ſuo tempore referam. Vale feliciter & porro fave.

Hamburgo Dantiſcum Kal. Juniis Gregor. 1666.

N. 31. ad 15.

Rautenſteinii mortem amicis Dantiſcanis dolens Auctor nunciat

Hevelii & Bullialdi aſſenſum de Cometa 837. Auctor ſibi gratulatur.

Stella 1033. viſa fuit meteoron.

Hevelii & Auctoris ſtudia Cometica diverſitate utilia.

REſponſionis officium æquitas, brevitatem tempus imponit mihi, cui prope dolor imponit ſilentium. Hoc enim ipſo inauſpicato die, quo communem olim utriuſque noſtrum, tum & Nobiliſſimi Peltzii, Cl. Titii aliorumque Virorum egregiorum in Urbe veſtra degentium amicum Illuſtriſſimum Rautenſteinium, peractâ Suecica Legatione ad ſuos revertentem domi meæ excepturus eram, nil niſi domicilium præſtantiſſimæ illius mentis recepi. Epitaphium quod levandi doloris & exſolvendi officii cauſſa extemplo ad aram amicitiæ optimæ notæ Viro & Amico poſui, Nobiliſſimus Peltzius cui exemplum mitto, tecum commune habebit. In iis quæ ad me de argumento Cometico ſcripſiſti, Tibi aſſentio. Nam de Cometa anni 837. idem idonea auctoritate Virorum Præclarorum nixus judicavi. Sed Tu, ut & Cl. Bullialdus (à quo nuper literas 21. Maji datas accepi) aſſenſu gravi meam aliorumque ſententiam uterque firmaſtis. Stellam illam anno 1033. viſam inter Cometas non retuli. Meteoron enim aëreum fuiſſe arbitror. Obſervationes Tuas de Cometa verno quamprimum mihi mitti cupio, unà cum communibus Amicis, Tibi optimè cupientibus. Cometologiam Schuleri Te accepiſſe, & grato quidem animo, valde mihi gratulor, grata tibi officia præſtare ſemper geſtiens. Vale Vir Humaniſſime, & fave mihi meiſque ſtudiis, quæ cum Tuis merè Aſtronomicis juncta, aliquid utile & jucundum ſimul Reipublicæ literariæ, ut ſpero, prodent promentque.

Dantiſco Hamburgum d. 23. Junii 1666.

N. 16. ad 31.

Hevelius Prodromi Cometici continuat. Auctori mittit:

Sua Doctorum Virorum judicio ſubmittit,

Cumprimis ſibi ab Auzoutio motam controverſiam.

TAndem opuſculum meum ab Amicis hactenus deſideratiſſimum Tibi per tabellarium Ordinarium, ut Tibi quantocyus morem gererem, tranſmitto: de quo quid vobis videatur, & an deſiderio etiam veſtro ſatiſfaciat, ſuo tempore mihi aperiatis etiam atque etiam rogo. Nunc liberum eſto omnibus harum rerum eruditis de omnibus illis controverſiis judicium ferre; ſed neceſſe eſt, ut omnia & ſingula non ſuperficietenùs atque oculo fugitivo perluſtrentur, ac pervolutentur, ſed ordine, diligenter ac ſcrupuloſe perlegantur, perquirantur, examinentur ac ponderentur, tam ipſæ obſervationes, quam fuſiſſimus ac laborioſiſſimus calculus inde deductus; non dubito, quin quilibet æquus cenſor, qui litem ſuam nondum fecit, & minime adverſam aliquam in pectore gerit præconceptam ſententiam (quorum optime ſcio nonnullos paſſim dari, qui me etiam inauditum, indefenſumque jam olim condemnarunt) ſic judicet, me (abſit gloria) in obſervandis his Cometis officio meo, pro virili functum eſſe, ac minime, quouſque fidis Inſtrumentis ab initio ſcilicet ad 12, 13 & 14. Febr. Cometam inſectatus ſum in motu diurno aberraſſe, ut quidem Cl. Auzoutius pag. 8. Epiſt. ad Cl. Petitum, me accuſat; ſed è contrario illum jugiter hallucinatum eſſe, ſicuti prolixè ſatis à nobis demonſtratum eſt. Quo autem Cometa à die 12, 13, & 14. Febr. ubi illum Inſtrumentis congruis amplius obſervare haud potui, viam ſuam duxerit, an primam, an vero ſecundam Arietis verſus, ſalvis quorumcunque obſervatorum obſervationibus & remotis inconvenientiis & abſurditatibus omnibus; Tibi aliiſque dijudicandum relinquo: tum utrum obſervationes illæ omnes contra me in medium allatæ, tam accurate inter ſe conveniant, ut Cl. Auzoutius ſibi quidem imaginatus eſt? & an tanto fundamento nitantur, ut omnes meas obſervationes penitus iis evertere poſſit? De his & reliquis, inquam, omnibus, judicium Amicorum cum exploraveris, nobis communices iterum iterumque humaniſſimè peto. Interea Amicos omnes officioſe

ſaluta,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ſaluta, quibus prima occaſione aliquot exemplaria per Lubecam tranſmittam. Vale, & priſtino favore ac amore fac nos proſequaris.

N. 32. ad 16.

Hamburgo Dantiſcum d. 29. Junii Greg. 1666.

Hevelii Prodromum Comet. continuatum Auctor laudat & gratum munus habet: Laudat & ipſum Hevelium à ſolertia & modeſtia in reſponſione Auzutio data.

TAbellarius, qui hodie ad nos acceſſit ex terris veſtris, attulit mihi continuationem Prodromi Tui Cometici cum adjuncta Mantiſſa, opus profecto præcipuum, eximium, & ut ſubtiliſſimi ingenii, ita & affectus erga me Tui, inſigne documentum. Scio me primùm in hac urbe eſſe qui hunc librum pretioſum & præclarum, & munus tuum, crede mihi, acceptiſſimum poſſideo. Video, ſi quid hic video, poſtquam librum fugitivo oculo inter multa negotia hodie expedienda percurri, Te Cl. Auzutio accuratiſſime, ſed & humaniſſime ac modeſtiſſime reſpondere. Qua in re ut officium boni Viri præſtas, ita Te verè bonarum literarum peramantem eſſe probas. Macte tantis virtutum & eruditionis laudibus, macte ingenti in rem Mathematicam merito, Magne Heveli! Judicia Amicorum ſincera nec minimum adulatoria Tibi per me, ſicut antea, quamprimum ea expiſcari potero, patebunt. Ideo ut exſpectati operis Tui dulcedine animum Magnifici & Ampliſſimi ac Humaniſſimi Viri Domini Bartholdi Mülleri, bonarum artium ſtudioſiſſimi & de hac civitate Conſulis optime meriti, exſatiarem, illud jam ei perluſtrandum miſi. Reliqua, quæ promittis exemplaria, cum deſiderio exſpecto. Gratulor mihi non tam quod gratum officium, quam quod etiam publicè utile Tibi præſtiterim ſubmiſſis obſervationibus Rudbeckianis, quod toties in libro Tuo fateris & demonſtras. Quod ſi promtæ voluntati facultas reſponderet, eſſem profectò ſtrenuus Mathematicorum ſtudiorum Promotor, qualem me eſſe prædicas. Nunc vix ſperare poſſum, me, ſicut ante Te volente feci, in compendium redacturum Prodromum hunc Tuum Reverendorum Kircheri & Riccioli gratia, licet utrique par hic quoque officium præſtare cuperem: In iſto, ut volebas, ſalutando, me officio defunctum ritè eſſe, jam ante, niſi fallor, ad Te perſcripſi., Indicavi etiam Te aliquot ad eum literas dediſſe, nihil autem reſponſi accepiſſe. Si tamen ulla ratione fieri poterit, dabo operam ſedulò, ut hujus quoque operis Tui potiora cæteris Tuis operi meo jam inſertis addantur. Ita, quantum in me erit, præſtantiſſimus labor Tuus à me quoque omni poſteritati & ſeculorum æternitati, quamdiu ſcilicet literis debitus tribuetur honos, commendabitur. Nunc autem demum video, quam utilem Tibi præſtitiſſem operam, ſi ipſas demonſtrationes Rudbeckianas Tibi miſiſſem. Sed necdum ipſe eas ex Batavia accepi, miſſurus eas ad Te è veſtigio, poſtquam hæ ad me perlatæ fuerint. Nobiliſſimum Hugenium à Chriſtianiſſimo Rege Lutetiam evocatum, honeſtè & liberaliter haberi ex Cl. Bullialdo paulò ante accepi. Cl. Auzutius nil mihi ad meas poſteriores reſpondit. Sed & Cl. Bullialdus ab aliquo tempore ſilet, domeſtica quadam moleſtiâ laceſſitus. Salutem adſcribo Cl. Viris Titio & Büthnero: ſed & Nobiliſſ. Peltzio, quem ab urbe abeſſe ex diuturno ſilentio colligo: tum quod nullam epitaphii Rautenſteiniani, quod ad eum miſeram Tecum communicandum, facias mentionem. Unum addo: Proxime die Sabbathi cum adeſſem Sereniſſimæ Reginæ Suecorum Chriſtinæ, eique, prout Princeps illa Magnanima litteras aſſiduò amat, fovetque, ationem de opere meo redderem, fecit Sua Majeſtas mentionem Tui honorificam, Teque ut Excellentiſſimum Aſtronomum gratiâ ſuâ proſequi teſtata eſt. Vale Vir Humaniſſime & Amiciſſime, mihique conſtanter fave.

Rudbeckianas obſervationes Auctor ſe Hevelio in tempore miſiſſe gaudet.

Auctor quantoperè votis, ſtudiis & conatibus Hevelianis faveat, demonſtrat.

Hugenius Chriſtianus liberaliter à Rege Galliæ habetur.

Chriſtina Regina Sueciæ laudatur à ſtudio litterarum.

N. 17. ad 32.

Dantiſco Hamburgum d. 24. Julii 1666.

Hevelius in amicos officioſus.

HAc vice nullum aliud ſcribendi argumentum occurrit, quam quod ſignificem, me nuper per Lubecam 23. exemplaria noviſſimi mei opuſculi Tibi tranſmiſiſſe, ex quibus rurſus unicum Tibi reſervabis, alterum Cl. Viro Dn. Kirſtenio, & tertium Cl. Müllero meo nomine officioſe exhibebis. Cæteris amicis ferè omnibus, cum quibus aliqua mihi intercedit neceſſitudo, opuſculum hocce pariter jam obtuli, tam Italis, Gallis, Anglis, Polonis, Germanis, Batavis, nec non quibuſdam in Suecia, ut & Celeberr. Heinſio & Cl. Rudbeckio: Cl. Bartholino etiam prima occaſione per Doct. M. Reichelium tranſmiſſurus ſum, ſic ut jam ſupra centum exemplaria amicis diſtribuerim. Nuper Eximius Caſſinus obſervationes ſuas in Martio habitas, ratione quarundam Macularum, mihi tranſmiſit, ex quibus pariter, ut in Jove clarè deducit Martem ſpatio 24. hor. & 46. circa axem gyrari. Literæ illæ, in quibus ea omnia demonſtrat, Bononiæ ſunt impreſſæ. Saluta quam humaniſſime Cl. Viros Kirſtenium & Müllerum. Vale & fave.

Caſſini obſervationes.

N. 33. ad 17.

Hamburgo Dantiſcum d. 10. Sept. Greg. 1666.

Auctor tardum reſponſum excuſat.

NOn miraberis, ut ſpero, tandiu dilatum reſponſi ad poſtremas Tuas literas 24. Julii datas officium, poſtquam nunc cognôris me ante quatriduum demum Tuum illum faſciculum Lubeca accepiſſe. Alioqui licet continuis nec profectò levibus laboribus in contexenda Hiſtoria Cometarum occupatus, honeſtis & neceſſariis erga Amicos officiis deeſſe non ſoleo. De oblato novo libri Tui exemplo debitas Tibi ago gratias. Exoſculor in hoc munere Tuam benevolentiam officioſam, incredibilem verò & ſingularem rerum cœleſtium peritiam ac in texendis rationibus ac deducendis firmandiſque argumentis ſolertiam etiam veneror & magis magiſque demiror. Cujus rei ut

Gratus in amicum eſt.

perenne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Figura obſervat. Cometicar. Anno 1665 Gedani Factar ad Communicat Hevelianam pertinens. N°14




Figura obſervat. Curſus Cometæ Anno 1665 menſe Aprili factur. a Iohanne Hevelio ad ejuſdem Communicat. pertinens.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

perenne monumentum operi meo inſit, animus mihi eſt Tuas Cometæ poſterioris obſervationes, quas vides, æquè ut prioris, ei inſerere: dummodo Tu aſſentias. Licet verò hac de re jam antea ad Te retulerim, volui tamen & obſervationes ipſas ex opere Tuo excerptas Tibi mittere, ut ſi forte alicubi aliquid demendum, addendum vel mutandum ſit, me pro ſolita æquitate moneas. Nunquam enim quidquam votis amici contrarium, in iis præſertim quæ ad eum pertinent, facere in animum induco. Velim itaque has obſervationes cum judicio de iiſdem Tuo ad me remittas. Exempla Tui libri Clariſſimis Viris Kirſtenio & Mullero nomine Tuo obtuli. Summoperè illi deprædicant Tuam humanitatem & rerum Aſtronomicarum ſcientiam. Operoſas illas tabulas, tot & tantis rationibus completas magis mirantur quam rimantur, aliis præſertim diſtracti. Approbare tamen eos tua argumenta & obſervata, certum mihi & exploratum eſt, & tunc quidem jam, cum primum exemplum libri cum eis communicaſſem. Hunc ego libenter, ut prioris Cometæ Prodromum, Reverendorum Virorum Kircheri & Riccioli, ut pote Amicorum communium & à Nobis longe diſſitorum, gratiâ in compendium redigerem. Sed ita me multiplex hiſtoriæ Cometalis labor diſtinet & premit, ut huic alteri labori nulla ratione operam commodare queam. Nunc quidem, dum Amici & Typographi aliaque urgent. Ad finem enim hiſtoriæ, cui decurrens anno decurſo menſis iſte initium dedit, propero. Priuſquam vero hæc aliaque quæ me premunt, amoveam, Prodromus iſte Tuus meô, apud Italos quoque, amplius opus non habebit. Editorum à Cl. Caſſino nil prorſus vidi. Sed virum eſſe in Mathematicis exercitatiſſimum ex multis cognovi: tum verò etiam ex Temet ipſo. Ideo libenter obſervationes ejus, ubi commodum erit, videbo. Potitus jam diu earum humanitate Kircheriana fuiſſem, niſi tanta locorum diſtantia impediiſſet. Rudbekianas figuras nondum ex Hollandia accepi, licet aſſiduis monitis Amicos ibi agentes meaque curantes, ut eas ad me mitterent, urſerim. Non parum vota noſtra in multis funeſti iſtius belli, cujus incendium die ab hinc octavo in Albi & oculis hujus urbis aliquantum exarſit, incommoda morantur. Hoc utinam eodem modo ut nuper in cariſſima patria exſtinguatur. Magnum hoc meæ ſententiæ de indifferenti Cometarum ſignificatione adferret momentum. Quod reliquum eſt, velim Vir Humaniſſime, Cl. Titium veſtrum, quem Virum ego magni meritiſſimò facio, ſalutes, eique nuperum poſtulatum per Nobiliſſ. D. Peltzium Fœderati Belgii nomine apud Vos reſidentem, factum in memoriam revoces. Eſt autem illud pro Vidua communis olim noſtrum omnium amici D. Rautenſteinii, quæ per me mariti optimi & optatiſſimi Amicos rogat & obſecrat, ut marito ad amicitiæ aram juſta perſolvant. Vale ac mihi conſtanter fave.

Hevelianæ poſterioris Cometæ verni obſervationes contractas Auctor operi ſuo inſerere inſtituit.

Heveliana merita deprædicantur.

Hiſtoria Cometarum ab Auctore conſcripta annuum opus.

Caſſini laus.

Bellum bonas litteras tractantibus inimicum.

Auctor pacis cupidus, erga patriam pius.

Titius laudatur.

Peltzius Reſidens Holland. Dantiſci.

Generalis Cometæ qui apparuit Anno 1665. menſe Apr. deſcriptio Dantiſco Heveliana ab Auctore in compendium conſentiente Ampliſſ. & Cl. D. Hevelio redacta.

Cometæ verni 1665. deſcriptio generalis ex mente Heveliana:

COmeta hic quem longè maturius illuxiſſe puto, atque d. 5. Aprilis, hic Gedani primum ab Excubiis Civitatis animadverſus eſt, innotuit demum mihi (Joanni Hevelio) 6. Aprilis, ipſo die Lunæ, mane hora 1. 36. ferè circa Helleſpontium ſupra noſtrum Finitorem aſſurgens. Corpus hujus albicans & ex parte ſubflavum lucidius multo, quanquam minus apparuit ac prioris Cometæ. Tubus in meditullio unicum rotundum nucleum, ad inſtar auri ſplendeſcentem offerebat, quem alia materia tenuior & æquabilis excipiebat ac cingebat, prout ex prima delineatione Fig. D. clarè liquet. Exiſtebat tum temporis in ipſo pectore Pegaſi in 14°. 22′. Piſcium, & quidem lat. bor. 26°. 36. ſub duabus videl. illis ſtellis in pectore Pegaſi.

Putatur ei longè maturius quam 5. Apr. illuxiſſe:

Comparatio ejus cum hyberno,

Situs,

Die 7. denuo obſervatus eſt, diſtantiæ ab iiſdem fixis ferè eadem porportione, ut initio immutabantur, progreſſus eſt intervallo 24 horarum per 4°. 6′. Et in longitud. 4°. 36. via quæ nobis innotuit ex detectis utriuſque diei Cometæ locis per diſtantias in globo & quidem ampliori delineatis, uſque ad horizontem ortivum deductis, tetendit per Pegaſum ſub capite Andromedæ Piſcem Boreum verſus. Verum cum nullus Cometa accurate tramitem circuli maximi obſervet, ſuaſor ſum, ne huic explorationi viæ itineris circa ejus nempe extremitates nimium fidamus, atque ita longè ſatis à vero quod ad interſectionis punctum attinet, aberremus. Lumen & ſplendor nihil: magnitudo vero paullulum videbatur mutata, exiſtente tamen illo unico nucleo in meditullio. Cauda 12°. vel 13°. pergebat verſus ſtellam in extremitate alæ auſtrinæ cygni.

Motus;

Iter,

Splendor & magnitudo, Tum cauda

Die 8. April. hora ſecunda mane Cometa cum Scheat pegaſi & ſtella præcedenti in pectore pegaſi triangulum propemodum æquilaterum conſtituit, progreſſus 4°. circiter, caput eximie luminoſum, nucleus tamen vix major & lucidior quam hactenus apparuit. Cauda per præcedentem in pectore pegaſi incidens ad ſiniſtrum uſque genu adæquavit ferè 15°. cui ſuperius adhæſit ſequens in pectore Pegaſi. Caput integrum maculæ lunari quæ Sicilia vocatur 6′: Nucleus vero inſulæ Corſicæ lunari 12″ & 13″. æqualia deprehenſa ſunt. Vel nucleus collatus cum Saturno nondum ad magnitudinem corporis hujus intermedii rotundi omnino accedebat.

Die 9. Aprilis pluvia.

Die 10. hora 1. 54′. exoriens adhuc lucidior & major apparebat oculo nudo; at nucleus ope teleſcopii nec major nec luminoſior erat. Cauda ſimilis, ad 20°. excurrebat verſus ungulam ſiniſtri pedis boreal. Pegaſi, Scheat ſuperiori ſua parte fermè attingens. Longitudo 2°. Arietis, Latitudo & motus decreverant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Die 11. April. ſummo manè Cometa denuò inſigniter clarus colore haud diſſimilis Saturno capite nihil immutato, caudam in ipſo exortu ad 22°. diluculo vero ingraveſcente ad 17°. tantum extendebat.

Die 12. Adverſa tempeſtas.

Die 13. Cometa hora 1. 56. ferè primum emergebat cum cauda præcedente 25°. quæ tamen paulo poſt 20. tantum æſtimabatur, excurrens ad ſiniſtrum uſque genu Pegaſi.

Die 14. Aprilis nubes obſervationem non admiſerunt. Die 15. Cometa magis adhuc ſpl.ndidus ac vegetus exoriebatur, tum ipſe tubi beneficio aliquanto major videbatur. Cauda ante ortum Cometam 25°. à capite ſuperiori ſua parte ſtringebat ſcapulam ſiniſtram Andromedæ, ut habet typus ad Num. 7. Hoc die tria ſingularia notata ſunt I. caput ex ſolo nucleo conſtans & reliqua materia rariori circundata pene omni exutum. II. Caput aut cauda ſcintillantia & radios quaſi vibrantia III. Cauda ad eductionem ſpatio aliquo obſcuriori fiſſa perinde ac ſi nucleus ille umbram projiceret. Situs erat Cometa in cap. Piſcis Boreal. in 19°. 27′. ſcilicet Arietis ſub latit. 19°. & 38′. Boreal.

Cometæ verni tria ſingularia d. 5. 15. April. ab Hevelio notata.

Die 16. April. Cometa ipſo Saturno lucidior fere magis quam hactenus in oculos incurrit, ut & ipſe nucleus teleſcopio major animadverſus eſt, ſine ullo crine, niſi qui verſus Solem in apicem faſtigiatus fuit, uti ex delineatione ad Num. 8. aperte liquet. Adhæc diameter ejus Jovis diametro minor, Saturni vero (quod ad corpus intermedium) æqualis detecta eſt, ut & umbra per caudam mediam (quæ fuit 20°.) ut pridie. Cauda æquè vibrans radios ac caput, dirigebatur per dextram ſcapulam verſus tres illas in brachio Andromedæ, & ſub auctiori ac intenſiori diluculo plane decurtabatur, ut habet Iconiſmus ad Num. 9.

Die 17. intemperies aëris obſervare non permiſit.

Die 18. Cometa idem deprehenſus eſt & facie & nucleo; Cauda tamen debiliori ob nubeculas horizontem obſidentes. Hæc verſus ſuperiorem ſtellam in manu Andromedæ ad ſiniſtram videl à lucida cinguli 1°. vel 1°. & 36. tetendit longitudine circiter 15°. & quotidie magis magiſque ſurſum elevata eſt ratione ſitus ſolaris.

Die 19. ob vapores horizonti adhærentes nihil propemodum obſervatum eſt.

Die 20. hora tertia 43′. in altitud. 3°. 45′. obſervatus eſt Cometa à quibuſdam fixis, & hora 4 adhuc viſus eſt nudis oculis ſatis diſtinctè in altitudine 6°. 36: locus autem ejus ſub cuſpide trianguli paulo ſupra cornua Arietis viam quaſi verſus cornu dextrum ſeu lucidam Arietis dirigens in 1°. 18. Taur. & latit. 13°. 14′. annotatus eſt. Quod ad motum proprium verò attinet, ſpatio 48. hor. 40 51′. trajecit ſic ut uno die poſteriori 2°. 23′. tantum abſolverit. Cauda primùm ob nubes circa horizontem conſpecta non eſt, deinde tamen 3°. vel 4°. viſa, ejus cuſpis verticalem jam tranſcenderat pauxillum Septentrionem verſus deflectens; ac ſi conjunctio Solis & Cometæ jam celebrata eſſet. Materia illa dilutior, in frontiſpicio capitis nulla; ad utrumque latus vero ſatis dilatata fuit, ut habet Num. 10.

Die 21. Evaporationes circa Horizontem.

Die 22. Vero ſæva & turbida tempeſtas omnem obſervationem turbavit.

Quo tempore videri cœperit & deſierit.

At die 23. April. licet cœlum circa horizontem eſſet nitidiſſimum, nec nudis nec armatis oculis Cometam uſquam deprehendere amplius potuimus, atque ita tantum 14. diebus à 6. ad 20. Aprilis nobis conſpicuus fuit, quo tempore 46°. in ſuo orbe abſolvit. Et hæc eſt Generalis deſcriptio Cometæ poſterioris: ſpecialis videatur in ipſa deſcriptione à Clar. Hevelio edita.

NOTA.

Hevelium inter & Auzutum diſcrimen de itinere Cometæ hyberni 1664. 1665. Provocat ad obſervationes Romanas Gottinii. Demonſtrat is Auzutianarum obſervationum non tantùm à ſuis, ſed & à Gottinianis & Rudbeckianis diſcrimen, Concludit nonnullos poſt 5. 15. Febr. aliud à Cometa hyberno phænomenon vidiſſe.


Tabula hæc G. eum in finem confecta eſt ab Ampliſſ. Hevelio, ut diſcrimina appareant inter obſervationes Cl. Virorum Auzutii & Gottinii cum ſuis collatas pro dirimenda lite, quæ eſt inter ipſum (Hevelium) & D. Auzutium. Statuit enim Auzutius Cometam iter ſuum continuaſſe ad ſecundam Arietis ſemperque tardiorem ſuper eam inceſſiſſe, ultimò viſum à ſe die 17. Martii quemadmodum exhibet delineatio Cl. Petiti ſeorſim ad ſiniſtrum marginem ſuperiorem poſita: provocatque ad Gottinianas obſervationes, quas infra ſimiliter ſeorſum datas cum ſuis omnino congruere dicit. Contra Cl. Hevelius Cometæ poſtremum die 18. Februarii à ſe viſi iter ad primam Arietis deducit, eumque (Cometam) poſt 4. Februarii eadem proportione in ſignorum conſequentia curſus celeritate creviſſe probat, ac antea contra horum ſeriem decreverit. Deinde poſtquam Auzutii obſervationes tum à ſuis maximè diſcrepare oſtendit (dum ejus 4. Februarii cadat inter ſextum & ſeptimum ſuarum obſervationum, item illius ſextus Febr. reſpondet ſuo nono, &c.) Tum à Gottinianis obſervationibus pariter recedere, ut & à duabus iſtis Clar. Rudbekii ſupra ad dextram convenienti loco poſitis, pluribus rationibus tandem commonſtrat iſtos omnes poſt 15. Febr. neceſſariò longè aliud phænomenon vidiſſe diverſum ab eo quod per Jan. & primam Feb. partem conſpexerint. Vide ejus Mantiſſam prodromi Cometici, in qua Mathematicarum rerum ſtudioſus cuncta iſta, quæ huc pertinent accuratiſſima & incomparabili induſtria, operoſis computationibus & firmiſſimis rationibus deducta, probata & demonſtrata ſingulari cum oblectatione & fructu videbit.

Dantiſco

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Tabula, obſervationes Cometæ hyemalis 1664 et 1665, ab Ampliſs. et Cl. Viro D. Ioan Hevelio factas certas eſſe contra Cl. Viri D. Auzutij rationes, demonſtrans. N 40



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Dantiſco Hamburgum d. 20. *Octob.* 1666. *N.* 18. *ad* 33.

OB varias curas, inprimis quòd ſpacio quatuordecim ferè dierum peregrè abſuerim, aliquantò Serius ad Tuas 10 Sept. datas reſpondeo. Ex quibus autem cum perceperim Te decreviſſe obſervationes meas poſterioris Cometæ etiam Tuo præclaro operi adſcribere, gratias Tibi habeo permagnas ſed, ut pace Tua dicam, in quibuſdam ferè nimis brevitati ſtudes, & ideò res fit obſcurior. Quidquid tamen ſit, Tuo arbitrio omnia committo, dummodo inſcriptionem ſive titulum immutes. Ea enim quæ Tu ipſe ex opuſculo meo in compendium redegiſti, non ſunt ipſæ genuinæ meæ obſervationes, ſed tantummodò eſt generalis & perbrevis illius Cometæ deſcriptio. Quare præſtat, meâ opinione, ut talis titulus præfigatur, qui indicet hanc eſſe generalem Cometæ, qui apparuit Anno 1665. menſe Aprili deſcriptionem à Te in compendium redactam. Nam cum Tua verba ſint, neceſſe eſt, ut etiam nomen Tuum præponatur. De cætero, ſi tabulam meam G. æri incidi curaveris, rogo operam des, ut omnia & ſingula quàm accuratiſſimè delineentur, ſecus tùm Lector, tùm negotium ipſum nimium quantum turbabitur; quanquam meâ opinione haud opus eſt, ut tabella illa G. operi Tuo adjiciatur, ſufficeret, ſi Lectores ad ipſam Mantiſſam remitteres. Nam ex ſolâ tabula G. notiſque Tuis breviſſimis, nemo ſanè arduam illam quæſtionem inter Cl. Auzoutium & me exortam intelliget, nedum eam dijudicabit. Denique tecum ſentio, minimè opus eſſe, integram meam Mantiſſam in compendium redigere: cum certò ſciam Italos opuſculum illud jam vidiſſe: poteris igitur commodè iſto labore ſuperſedere. Imò etiamſi velles, nullâ tamen ratione, niſi maximo meo præjudicio id fieri poſſet. Etenim ſi brevioribus ea omnia pertractare potuiſſem, utique & ego feciſſem. Cl. Domino Titio deſiderium Tuum expoſueram, non dubito, quin jam Tibi ſatisfecerit. Vale, ac favore Tuo porrò me proſequere.

Hevelius ergo Auctorem benevolus, compendium ſuarum obſervationum ab eo factum arbitrio ejus permittit.

Hamburgo Dantiſcum die 2 *Nov. Greg.* 1666 *N.* 34. *ad* 18.

MErebatur ultima epiſtola Tua officioſæ humanitatis & benevolentiæ plena, ut ad eam ſtatim reſcriberem. Sed variæ occupationes & labores mei continui adhuc mihi impedimento erant. Exſpectabam præterea exempla figurarum Rudbeckianarum ex Hollandia, quæ libenter Tibi miſiſſem. Sed hæc nondum accepi, brevi tamen, volente Deo, accipiam, quod mihi hodie redditæ literæ Amſtelrodamenſes promittunt. Interim en Tibi quæ hodie à Clar. Samuele Reyhero Math. in nova Acad. Chilonienſi Prof. accepi. Ego conjicio eum illud ipſum phœnomenon in Andromeda obſervaſſe, quod obſervârant Romani Math. & Clar. Gravius. Quod ad illa, quæ ex deſcriptione Tua Cometæ verni excerpſi, attinet, conſentio Tibi, Titulum eis talem, ut mones, præfigendum, quò ſcil. conſtet hanc generalem deſcriptionem Cometæ à me, Tuo cum conſenſu, in compendium eſſe redactam. In tota hac re, ut exiſtimationi mei operis, ita præcipuè Tui Clariſſimi nominis, ſed & publicæ utilitati, conſulere & priorum obſervationum Tuarum, pariter Te conſentiente in compendium redactarum, conatum imitari volui. Scito autem & crede firmam mihi ſtare ſententiam, nil Tuis votis contrarium facere. Figura G. jam erit, ut puto, perfecta, in cujus, ut & aliarum ſculpturâ, debita adhibita eſt induſtria. Brevitas illa mea, cujus obſcuritas poterit aliquo auctario illuſtrari, laudes ſaltim Tuas ſeræ poſteritati dicet & artis Mathematicæ amantibus viam ad incomparabilia Tua opera monſtrabit. De mantiſſa Tua in compendium redigenda tanto magis omnem cogitationem depoſui, quod Tu id fieri nolis: nempe quòd tàm ampla & ardua materia à me, præſertim in perbrevi commentario, ex dignitate pertractari nequeat. Sed, crede mihi, meas quoque id vix ferre rationes poſſe. Nam & alii labores tempus omne ſibi vendicantes, fieri id ægrè paterentur, & operis moles ac ſumtus ultra opinionem excrevit, Cl. Titius docto Epicedio & Amici manibus & viduæ meiſque votis ſaciſſecit. Vale, Vir Humaniſſime, mihique conſtanter fave.

Gratus accepti officii eſto, & grata officia amico præſta quamprimum potes. Reyheriana Auctor cum Hevelio communicat. Hevelio Auctor impenſè favet:

Hamburgo Dantiſcum 9. *Nov.* 1666. *N.* 35.

NEmo, crede mihi, lubentius me Tua ſtudia præcelſa & egregios conatus juvare cupit. Nec defuiſſem officio in mittendis ad te extemplo figuris Rudbeckianis, ſi eas citius accepiſſem, quod hodie demùm factum. En ergo eas Tibi: quæ dubio procul uſui Tibi erunt in præclaro opere tuo Cometographico, cum & ſine his ex ſolo textu non parum utilitatis rei Mathematicæ attuleris. En vero Tibi & obſervationes Britannicas æri inciſas. Innues verbo, quid ſentias de opinione Hibernorum, qui hybernum noſtrum Cometam geminum eſſe putarunt. Nil præter hæc nunciandum Tibi habeo quam pacem Bremenſem, quæ nos graviſſimi belli Germanici metu liberavit. Ita & multiplex pax, non tantùm bellum, Cometas noſtros ad huc excepit. B. V.

Eidem exempla figurarum Rudbeck. è veſtigio mittit. judicium ejus de ſententia Hibernorum duos Cometas hyeme 1664. viſos ſtatuentium exquirit.

Dantiſco Hamburgum d. 18. *Dec.* 1666.

REctè auguraris Cl. Reyherum ſtellam nebuloſam Andromedæ pro novo phænomeno arripuiſſe. *N.* 19. *ad* 34. & 35.
Miror quòd hucuſque nihil quicquam hac de re perceperit, cum tamen inter eruditos jam variè de hoc phænomeno diſceptatum fuerit. De reliquo gratias habeo ingentes pro tranſmiſſis figuris Rudbeckianis: materiam autem illam in opere meo Cometographico jam planè pertractatam eſſe, ſuo tempore videbis. Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hamburgo Dantiſcum die 15. *Jan.* 1667.

N. 36. *ad* 19.

Auctor cum Hevelio de ſuis deſtinatis & conatibus confert.

EXſpecto quid amplius Cl. Reyherus de illo phænomeno in Andromeda nuper demum ab ſe
obſervato, dicturus ſit. Miſit quidem mihi m. Nov. figuram iſtius phænomeni, quam en
Tibi, Sed ſpero eum de hoc argumento plura daturum. Promiſit enim plura ſe miſſurum, quæ
nondum accepi. Figuras Rudbeckianas Te accepiſſe rectè gratoque animo, multum gaudeo.
Non dubito Te in præclaro opere Tuo rem hanc accuratiſſime diſcuſſurum. Meum, ne Te quid
rerum mearum lateat, properat ad Finem. Sed novæ & aſſiduæ Amicorum preces tantum apud
me valuerunt, ut conſentirem in figuras omnium Cometarum Hiſtoriæ eorum addendas. Cui
fini M. Conr. Yſenium, eximium Matheſcos cultorem, ſub tectum meum accepi, & huic labo-
ri adhibeo, nullam benè de Rep. literaria merendi occaſionem negligere volens. Vale & feliciter
age bono publico, ac mihi, ut ſoles, fave.

Cometarum hiſtoriæ figuras eorum Auctor Amicis & publico gratificaturus addit.

Dantiſco Hamburgum die 8. *Febr.* 1667.

N. 20. *ad* 36

Hevelii de Reyheri obſervatione phænomeni verni conjectura:

SI Cl. Reyherus ſibi perſuadet Cometam illum, quem in tranſmiſſa delineatione deſcripſit, pe-
culiare phænomenum eſſe, & ab aliis minime animadverſum, longè aberrat. Si quidem hocce
phænomenum ille ipſe Cometa eſt, quem nos omnes Menſe Aprili anno 1665 obſervavimus, &
cujus obſervationes & delineationem in recentiori noſtro opuſculo dedimus. Nihil itaque novi,
nec in nebuloſa illa cinguli Andromedæ aliquid deprehendit; Syrma quidem ei appoſuit. Sed
nec hucuſque aliquod oſtendit, prout cuilibet experiri integrum eſt. Gratulor opus Tuum ad
finem properare atque ex voto omnia ſuccedere. Figuras illas Cometarum quod attinet, ſcias me
pariter eas jam pridem perfeciſſe, non ſolùm ante aliquot jam annos illas manu mea delineavi &
ſculpſi, ſed & omnes jam typis ſunt exſcriptæ, exſpectant ſolummodo poſteriorem & reſiduam
partem Cometographiæ. Optandum eſſet, ut Tuæ & meæ Icones inter ſe debitè convenirent; de
quo autem conſtabit omnibus, cum utriuſque auctoris Schemata in publicum proferentur; quod
ut quantocius feliciter fieri poſſit, faxit Deus. O. M. Nova ſtella in collo Ceti nunc tandem de-
nuò apparet; id quod & vobis Hamburgi ſine dubio cognitum puto. Vale & me amare perge.

erga Auctoris in eodem argumento conatus benevolentia:

Hamburgo Dantiſcum d. 18. *Febr. Gregor.* 1667.

N. 37. *ad* 20.

TUas gratiſſimas literas d. 8. hujus menſis datas ante triduum rectè accepi. Ad quas tunc eve-
ſtigio reſpondere non potui. Id nunc paucis facio. Occupationum enim & temporis utriuſ-
que noſtrum habenda nobis eſt ratio. Niſi quod brevitatem hujus epiſtolæ penſent adjuncta quæ
haud ita pridem à Cl. Oldenburgio accepi & ad eum dedi. Accipe hæc, Vir Humaniſſime, pro
Tua æquitate & boni conſule, ut pote ab amico candido & boni publici amante profecta. Scito au-
tem me ſemper ut par eſt, ſingularem magnorum Tuorum in Rep. Literaria meritorum rationem
habiturum cunctaque officia, quæ & Tibi grata, & in mea poteſtate fuerint, libenter præſtitu-
rum. Revera enim Te ob illa merita ſingulari cultu & ſtudio proſequor. Vide autem quàm & ſtu-
dio rem Mathematicam & bonum publicum juvandi uterque conveniamus, & tacitâ quadam animi
conſenſione veluti conſpiremus, licet ego Tibi hic palmam libentèr meritoque concedam & ultrò
offeram. Non equidem laborem hunc magnum & cum haud exiguo ſumtu, tum verò & retarda-
tione operis mei conjunctum, in delineandis & æri incidendis Cometarum figuris, diverſorum Ami-
corum hortatu, ſubiviſſem, ſi mihi de Tuo propoſito ante aliquot menſes, ex quo illi id urgent,
conſtitiſſet. Nunc referre gradum ſalvâ promiſſi fide, expectatione amicorum, tùm verò exiſti-
matione & re meâ privatâ vix licet. Qua de re tamen cum Amicis agam, ut, ſi fortè evadendi via
detur, labori fruſtraneo me ſubducam & vel ſubtraham, ne poſt Homerum Iliada, poſt Virgilium
Æneida, poſt Demoſthenem & Ciceronem Philippicam ſcribere velle videar. Utinam mihi ſal-
tim Tua prius videre quam mea edere contingeret, quò ex Tuis mea corrigerem! In quibus ſi ab
Te diſſentiam, fide clarorum & Claſſicorum Auctorum nixus, occaſionem inquirendi veri aman-
tibus ejus, dabo. Victus verò non tantùm manus, ſed & palmam Tibi dabo. Id enim cum opus
eſt, ſapientis eſſe Cicero, alicubi pronunciavit. Quin & ab Hevelio in Mathematicis vinci, in par-
te gloriæ ducam. Nam & olim jam quodammodo cum gloria conjunctum viſum fuit *Æneæ mag-
ni dextra cadere*. Quanquam procul à me abſit hæc temeritas, ut me Tibi hic adverſarium ſiſtam.
Doceri & vinci abs Te, laudi mihi & ab omnibus dabitur & ipſemet ducam. Cl. Reyherum de
illo phænomeno Tuaque ſententia monebo. Necdum enim quidquam ex eo tempore de hoc ar-
gumento ab illo accepi, & reſponſum ejus in dies exſpecto. Monita Clar. Bullialdi de ſtella in col-
lo Ceti, & de nebuloſa Andromedæ publici juris facta, Te jam pridem accepiſſe non dubito. Obſer-
vavit ille ſtellam illam exſpectatione citius die ſcil. 20. Jan. Nobis quoque eam hic conſpicere licuit.
Cl. Mullerus, qui Te officioſe ſalutat, & ſilentium diuturnum affectâ jam dudum valetudine ex-
cuſat, eam ſe ante medium Novemb. obſervaſſe dicit. Adfui heri Illuſtriſſimo Isbrandio Fæder.
Belgar. Oratori ex Suecia redeunti, qui, ut Vir eſt humaniſſimus & bonarum literarum artium-
que amantiſſimus, in meos Tuoſque labores Cometicos diligenter inquiſivit, Tuique cum laude
mentionem fecit, virtutes, ſtudia & machinas Tuas Mathematicas, ut par eſt, deprædicans. Vale,
Vir Cl. diu & felicitèr, ac mihi conſtanter fave.

Occupati circa publica commoda non interpellandi.

Candidus in colenda amicitia eſto. Publica commoda cura.

Cometarum figuras cur Auctor poſt Hevelium det. Excellentibus viris debitum honorem tribue.

Vinci à viro magno glorioſum.

Bullialdi monita de ſtella Ceti & phænomeno Andromedeo 1667.

Studium erga literas & litteratos.

Dantiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Dantiſco Hamburgum die 19. *Martii*, 1667. N. 21. ad 37.

Hevelius de quorundam Anglorum Mathematicorum præcipiti ſententia queritur.

BEaſti me ſanè, quod inprimis copiam literarum Cl. Domini Oldenburgii mecum communicaſti. Ex quibus intellexi Ill. Reg. Societatem, ſuum de noſtra controverſia judicium ſuſpendiſſe, donec Auzoutium, ſi quæ dicenda adhuc haberet, audiverit, prout Hevelius (uti ſcribit) rogitavit. Verum enim verò Cl. Oldenburgius mentem meam plane ſecus intellexit. Ego quidem Aſtronomos Anglicos rogavi, qui rem examinare ultro tum ſuſceperant, ſtatim poſtquam Epiſtolam Dn. Auzoutii legiſſem, ut judicium ſuſpenderent, donec reſponſionem meam paraſſem, ne inauditus condemnarer; factum tamen nihilominus eſt, ut ſententiam ſuam, priuſquam Mantiſſa Prodromi mei prodiit, ſuper eâ re pronunciaverint, quemadmodum ex diario tàm Gallico quàm Anglico Eruditorum clarè patet. Minimè verò petii ut Dominus Auzoutius prærogativa aliqua gauderet, ac ſecunda vice ſuper mantiſſam meam audiretur. Si hoc fieri debeat, profectò & mihi indulgendum erit, ut pari jure fruar, paribuſque armis dimicem. Nam cui obtingit bis audiri præ altero, fortunam, ne dicam Judicem longe habet benigniorem. Si igitur Cl. Auzoutius denuò audiendus erit, jure oportet ut replicam meam non minus exſpectent; atque ſic controverſia non amputabitur, ſed infinitum protrahetur. Sufficeret, meo quali quali judicio, ſi protinus ſuper eâ re quæ prima vice ab utraque parte prodiit, Ill. Regia Societas ſententiam ferret, ſicque nemini primatum concederet. Tu quæſo, ipſe judices, anne petitum meum in ſumma conſiſtat æquitate. Verum quacunque etiam ratione res mecum ſuſcipiatur, bono ero animo: Solatio eſt obſervationes meas ab ipſo initio ad 12, 13, & 14. Febr. fixo ſtare talo, à quibus totum dependet negotium. Stellam in collo Ceti ego itidem à 23 Januarii deprehendi: die vero 13. ejuſdem nondum apparuit; unde certum eſt, (cum toto anno diligentiſſime ad eam attenderim) Menſ. ſc. Novembre nondum fuiſſe. Vale.

Controverſiam ſibi ab Auzutio motam ex æquitate dijudicari poſtulat.

Judica ex æquo.

Hevelii obſervata Cometæ ab initio uſque ad 12. Feb. immota.

Hamburgo Dantiſcum d. 12. *April. Greg.* 1667. N. 38. ad 21.

DEbueram Tibi ex officii ratione ad gratiſſimas literas Tuas d. 19. Martii exaratas jam pridem reſpondiſſe, poſt acceptas præſertim à Cl Oldenburgio literas d. 19. Febr. datas, mihi tamen demum d. 22 Martii redditas. Sed; crede mihi, ita per bimeſtre diverſorum hoſpitum non tantùm prætereuntium urbem hanc, ſed & in ea aliquamdiu agentium (quos inter Cl. Heinſius Tibi quoque amiciſſimus, fuit) frequenti præſentiâ & converſatione, tum puerperio uxoris, filiam alteram feliciter per DEI gratiam enixæ, aliiſque negotiis & impedimentis diſtractus fui, ut nequaquam officia amicis, ac Tibi cumprimis, debita præſtare ex voto potuerim. Dabis igitur tantillæ moræ veniam æquus & facilis, qualem Te in colenda amicitia ſemper expertus ſum. En Tibi excerptum ex literis Oldenburgianis: unde quæ ſit ſocietatis illius celeberrimæ mens, percipies. Doleo interim ſic Tecum agi, ut ſcribis. Nemo enim eſt qui judicem vel arbitrum æquum jus utrique parti relinquere nec in alterutram partem propendere debere, ignoret vel neget. Itaque propediem ea de re Cl. Oldenburgium pro jure amicitiæ & ſtudio æquitatis admonebo. Fateor enim cum tot Viris vaſtiſſima eruditione Clariſſimis, Heinſio, Bullialdo, Kirchero, Curtio, Ricciolio, aliiſque, quibus cum literarum commercium colo, Herculeis Te laboribus optimè de re Mathematica meritum, ideoque omni favore & cultu proſequendum eſſe. Ego ſi quid hic poſſum, experiar omnem induſtriam meam, præſertim ſi abs Te monitus fuero, Tibiquè id officioſæ benevolentiæ fore gratum intellexero. Nam ut amicitiæ, ſic & veritati ante omnia deeſſe nunquam volo. Quo inſtatu ſit Tua Cometographia, ſcire aveo. Opus meum, niſi intra aliquot menſes, DEO juvante non abſolvetur ob molem ſuam, & figurarum copiam. Addere quædam operi de ſignificatione Cometarum animus eſt. Horum compendium in iſtis xxx rationibus, quibus velut fundamentis tota mea ſententia innititur, videbis. De his judicium Tuum & Doctiſſimi ac Amiciſſimi Büthneri, cui pl. ſalutem hic adſcribò, ſcire deſidero. Vale ac mihi porrò fave.

Auctor tardum reſponſum apud Hevelium multis impedimentis excuſat.

Æquitate fovetur amicitia.

Judica ex æquitate.

Studium partium in judicando cave.

Amicitiam fove, Veritatem cole.

Auctor xxx. theſes de ſignif. Comet. Hevelio mittit.

Hamburgo Dantiſcum d. 26. *April. Jul.* 1667. N. 39.

MItto Tibi Cl. Reyheri, cum quo illa, quæ ad me ſcripſiſti, ex amicitiæ, æquitatiſque jure, communicavi, reſponſum, quod ante paucos dies accepi d. 18. Aprilis datum. Hoc mihi Tuam de ejus obſervationibus ſententiam, quam me non celabis, promitit. Nil præterea, quod nunc ſcribam, habeo, quam ut Cl. Buthnerum, & alios Amicos ſalutes. Dolor veſtræ & literariæ Reip. ex amiſſo Viro Doctiſſimo & Conſultiſſimo Vincentio Fabricio me quoque tangit. Eadem urbis hujus fortuna, quæ non ita pridem primarium Conſulem, Virum virtutibus & meritis inter Magnos reputandum Bartholdum Möllerum amiſit. Ita Præclarorum quoque Virorum fatis cedentium exemplis, mortalitatis & officii admonemur. Vale Vir Præſtantiſſime & Humaniſſime, diu & proſperè, ac mihi fave conſtanter.

Reyheriana cum Hevelio Auctor communicat.

Vinc. Fabricii mortem Auctor dolet.

Bartholdi Mölleri Conſ. Hamburg. laus & obitus.

Hamburgo Dantiſcum d. 31. *Maji* 1667. N. 40.

DUm reſponſi vicem abs Te ad meas binas 12. & 26. April. exſpecto, & ad finem operis propero, volui etiamnum paucis Te compellare, ut ad Te referrem, quæ de Te initio hiſtoriæ Cometæ Anno 1661 viſi ponere decrevi. En & excerptum ex Literis Cl. Reyheri prid. Nonas

Majas

Majas datis. Tribus verbis reſpondebis mihi ad hæc & ſuperiora. Ita enim nunc nobis occupatis agendum eſt, Vale.

N. 22. ad 38, 39 & 40.

Dantiſco Hamburgum d. 7. Junii 1667.

Hevelius theſes xxx. Auctoris de ſignif. Comet. approbat, Suam Cometographiam brevi publico ſe daturum ſperat, Conatibus Auctoris favet. Balthaſ. Moretus Hevelio amicus. Alb. Curtius Hevelio amicus.

CUm nihil notatu dignum Tibi perſcribendum habuerim, variiſque occupationibus curiſque diſtrictus fuerim, ſtudio reſponſum meum ad ternas Tuas imo quaternas, ni fallor, hucuſque diſtuli. Gratias habeo multas, quod ſententiam Tuam de effectibus & ſignificationibus Cometarum, quæ ſanè perplacet, mecum communicare volueris; quam etiam juſſu tuo nuper Domino Büthnero tranſmiſi. Ego vix paucula quædam eâ de materia in Cometographiâ attingam, ſufficiat Te, alioſque plurimos rem eandem jam plenius pertractaſſe. De cætero in Cometographiâ meâ alacriter pergo, ſpero exeunte anno, ſi papyrum ex Batavia tantummodo impetrare poſſim, plane ad finem eam me perducturum. Tuum verò opus, uti percipio, citius in publicum, quod ut fiat, faxit DEUS O.M. Lubenter nomina eorum virorum Tibi ſignificarem, quos ſibi Cl. Oldenburgius (quem humaniſſime ſalvere velim) poſtulat, ſed nullos planè, Matheſi & Philoſophiæ ſolidæ operam dantes in Poloniâ, Lithuaniâ ac Livoniâ novi. Quinam verò in Germania adſint, Tu melius explorare poteris: ego namque nec ibidem ullum habeo, cum quo commercium exerceo literarium, præter Balthaſarum Moretum P. Soc. I. Vratiſlaviæ commorantem, voſque Hamburgenſes. Haud ita pridem à Celeberrimo R. P. Alberto Curtio perbreves quidem, ſed humanitate plenas accepi, quibus me certiorem reddit, ſe aliquot exemplaria Hiſtoriæ Suæ Cœleſtis ad me tranſmiſiſſe; ſed nulla prorſus hactenùs accepi, qui factum ſit, neſcio. Haſce itaque literas, niſi grave eſt, rogo ei perferendas cures, ad quævis officia Tui gratia ſubeunda rurſus ſum paratiſſimus Vale. ac porro fave.

N. 40. ad 22.

Hamburgo Dantiſcum d. 26. Julii Greg. 1667.

Occupati vel ſilent vel breviloquentia gaudent. Mercurius in Sole quando viſus.

EXſpectabam ad huc Reverendi Curtii reſponſum ad Tuas à mè ritè curatas: quod huic meo adjungere volebam. Sed cum nil reſponſi ab eo compareat, nec mihi quidquam de Viri Doctiſſimi ab exceſſu Illuſtriſſimi Rautenſteinii, communis amici conſtet rebus ſtudiiſve, nolui diutius officium meum differre. Multis autem laboribus occupatum non minus & ipſe occupatus, paucis compello. Exſpecto abs Te reſponſum quod tribus verbis abſolves, de parallaxibus Cometarum, quarum nuperis abs Te meis d. 31. May datis, feci mentionem. Nunc autem velim tribus quoque verbis reſpondeas de Mercurio Anno 778. (notante Angelo cratore (Chronol. l. 6.) in Sole viſo. En verò Tibi ea quæ de illa celebri obſervatione Anno 807. facta in Hiſtoria Cometæ CLXI dixi, & quæ deinceps commentatus ſum ac operi ad calcem addenda decrevi. Vale.

Dantiſco Hamburgum die 26. Julii. 1667.

Tychonicæ obſervat. editæ. Curtius de rep. literaria benè meritus. Obſervationibus Tychonicis deeſt liber 12. anni 1593.

TAndem obſervationes Tychonicas omnes, ſtudio atque operâ Lucii Baretti editas, à Rev. P. Alberto Curtio obtinui, de quibus multum multumquè Rei literariæ gratulor, & ut Auctori eâ de cauſâ quoque gratias agere poſſim debitas, has conſcripſi literas; quas peto humaniſſimè, ut data occaſione ei tranſmittas: ad paria officia rurſus ſum paratiſſimus. In dicto opere deperditus eſt liber duodecimus obſervationum Tychonicarum anni 1593. Qui, ſi Hafniæ aſſervatur, rogandus erit Cl. Bartholinus, ut eundem quantocius proferat, nec non totum exemplar impreſſum cum manuſcripto Danico conferre curet: quò ſi in quibuſdam diſcrepantia quædam intercederet, eâ de re Aſtronomos admoneret; profectò non ſolùm in meum, ſed in omnium cæleſtium rerum Inſpectorum magnum cederet emolumentum. Vale.

Hamburgo Dantiſcum poſtr. Kal. Aug. Greg. 1667.

Amicitiæ certamina conveniunt in tempore. Auctor priora poſtulata Hevelio in memoriam revocat. Rex Daniæ meritiſſimo laudatur.

VIde quam conſpiremus animis & benevolentia ſimul etiam certemus! Octavus ab hinc dies agitur, quum uterque litteras noſtras daremus. En Tibi meum reſponſum ad Tuas, quas hodie accepi. Si & Tu ad meas nunc reſpondeas, erit quo nomine uterque nobis gratulemur. Ego præſertim, qui magno cum deſiderio reſponſum ad binas meas d. 31. Maji, & 26. Julii exaratas abs Te exſpecto, dum operi meo colophonem impono. Miror autem nullam Te prioris illius epiſtolæ facere mentionem. Inde ſuſpicor eam vel non fuiſſe rectè Tibi redditam, vel inter tot graviſſimos labores oblivioni traditam. Præcipuum, de quo ibi Tecum egi, erat de parallaxibus Cometarum, an & quomodo hæ Lunari minores ex Tychone contra Ariſtotelem, & Claremontium alioſque demonſtrari poſſint. Ubi dixi tantæ controverſiæ deciſionem abs Te nobis exſpectandam eſſe. In nuperis ad Te datis litteris de Mercurio in Sole Anno 778. viſo Te conſului. Ad utrumque tribus verbis quam primum reſponde, & deſcriptionem Cometæ Anno 1580. viſi, brevem licet, adjunge ex Tychone, de cujus obſervationibus à Doctiſſimo Curtio editis & ad Te miſſis, non tantum Tibi, ſed & Reip. literariæ plurimum gratulor. Quas & quales nobis munificentia Auguſtiſſimi Regis Danorum, Maximi Muſarum Evergetæ, datura ſit, nondum ſcio. Perfectiſſimas tamen fore, nullus dubito. Vellam hodie de hac re aurem Cl. & Humaniſſimo Eraſmio Bartholino, eique Tuarum litterarum apographum mittam. Salutem plurimam dic à me Cl. Buthnero, cui me brevi, ſi Deus volet, reſponſurum ſpero. Salve & Tu & Vale.

P. S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

P. S. Gratulare & Tu mihi de reddita tandem mihi Aſtronomiâ Philolaicâ, quam ante biennium Cl. & Humaniſſimus Bullialdus munus ad me miſerat, & quæ prius Gedanum quàm Hamburgum perlata erat. Iterum Vale.

Aſtronomiam Philolaicam Bullialdi tandem ſe accepiſſe Auctor gaudet.

Dantiſco Hamburgum die 10. *Aug. Anno* 1667. *S. N.*

INterrogata Tua adeò brevibus expedire nequeo. Materia namque illa de Parallaxibus adeo ampla ac ardua eſt, ut coactus fuerim vaſtiſſimum volumen ea de re componere. Si tribus verbis tantummodò ſignificandum ſit, quid ſentiam; ſcias me omnes Cometas æthereos ſtatuere, & nullum unquam Cometam ortum occaſumque ſuum in aëre habuiſſe: at quomodò hoc ipſum indubitate ex Parallaxibus demonſtretur, fuſè ex opere noſtro mox mox percipies: brevi enim divino annuente Numine ei finem imponam. De Mercurio nihil amplius dicendum habeo, quàm quòd firmiter exiſtimem, neminem ante Gaſſendum Mercurium obſervaſſe in Sole; ut ut Hiſtoricorum nonnemo aliter ſentiat. Obſervationes Tychonicas Cometæ 1580 libenter Tibi tranſmitterem; ſed eas nuſquam in Hiſtoriâ Cæleſti, obſervationibus nempe Tychonis offendi: cum ab anno 1582 primum ſuam ducant originem. At verò Cometæ 1585. obſervatio invenitur in Epiſtola Tych. Vale, & ignoſce quod ſim in reſcribendo brevior, quàm meritò debebam. Non ſolum enim ſum occupatiſſimus, ſed negotiis ſerio totus obrutus.

Hevelius Auctori reſpondet, ſe doctrinam de parallaxibus Cometarum copioſe pertractare in opere ſuo, mox edendo.

Hamburgo Dantiſcum d. 16. *Aug.* 1667.

EAdem planè ratio meorum laborum, quæ tuorum eſt. Nam in relegendo & ſic perficiendo opere verſor: cui ultima manus imponenda magnam requireret curam, ſi per tot alia negotia neceſſario ad vitam tuendam expedienda & inevitabilia impedimenta liceret. Satisfactum mihi eſt Tuo, brevi licet, reſponſo. In novas enim easque ſolidas ſpes nos erexiſti dum promittis certa fide, brevi nos præclariſſimum Tuum opus inque eo explicatam de parallaxibus & ſede Cometarum doctrinam viſuros. En quæ nuper accepi à Cl. Bartholino. Cui exemplum Tuæ epiſtolæ hodie mihi redditæ jam jam miſi. Brevitati & Tuæ do, & meæ poſtulo veniam æquam. Moneo, nos aliquot ab hinc diebus ſingulis veſperis Andromedæam illam nebuloſam videre. Cujus obſervationes accuratiſſimas Tu nobis dubio procul dabis. Vale.

Auctor occupatiſſimus brevitati indulget in ſcribendo.

Heveli opus Cometicum magno cum deſiderio exſpectat.

Addenda Communicationi Bartholinianæ.

Hamburgo Hafniam die 4. *Dec. S. V.* 1666.

CUm non exiguum diſcrimen rationum de natali Inclytæ Academiæ Veſtræ anno apud Auctores animadverterim, æquum cenſui Nobiliſſimum & Humaniſſimum Rötlinium, communem Amicum, Teque de hac re conſulere. Rogo autem, ut, urgentibus operis mei editionem Amicis & typographis, reſponſum quam primùm accipiam. Exſpectô abs Te & illas ſatis jam à Te celebres factas obſervationes Norvagicas & Holſaticas, multique alii mecum veritatis cognoſcendæ cupidi. Vale ac mihi conſtanter fave.

Bartholinum Eraſm. Auctor de vero natali Acad. Hafn. conſulit.

Hafnia Hamburgum d. 15. *Dec. S. V.* 1666.

EX litteris ſcriptis die 4. Decemb. intellexi tibi jam longum uſum variarum occupationum facile perduxiſſe ad illam animi æquitatem ut meam cauſam apud te agas ſi negligentior in ſcribendo fuerim. Sua quiſque exempla debet æquo animo pati. Curarum mole jam ſatis oppreſſo Magiſtratus Academicus hoc anno committitur. Totus præterea in obſervationibus Tychonicis edendis occupor. Tamen quoniam mea opera indiges in aſſignandis Regiæ hujus Academiæ incunabulis, tuæ petitioni non deero. Exterorum Chronologorum diſſidia facile component Patrii Scriptores, quos inter nuper ex Regiis fundationibus & Reſcriptis, Hiſtoriam Univerſitatis concinnavit Vir eximius, Eraſmus Pauli Windingius, Profeſſor Geograph. & Hiſtor. nec non Collegii Cancellariæ & Juſtitiæ Aſſeſſor. Ex qua patet à Chriſtiano I. fundatam eſſe hanc Academiam Anno 1478, & initium Univerſitatis factum Anno 1479, die 1. Jun. inaugurali Oratione ſolenni in laudem ſcientiarum, &c. Joannem deinde Regem patris fundationem accurate confirmaſſe Anno 1487. die 19, May. Poſtea Chriſtianum III. Anno 1538. collapſam tempore Chriſt. II. & Frid. I. reſtituiſſe. De Cometis adhuc ſcrupulus hæret, nondum obſervationes ſuas permittentibus Mejero & Wandallino. Quod ſi mature earum mihi facta fuerit copia, operam non detrectabo. Nuper typographia noſtra excudit Quæſtiones meas Academicas de Poris corporum & conſuetudine, quas data oportunitate una cum Auctario Trigonometriæ initio æſtatis edito tranſmittam. Hiſce Vale & me amare perge.

Æquus in colenda amicitiâ eſto.

Bartholinus Eraſm. ſupremum magiſtratum Acad. Hafn. gerit.

Eraſmus Pauli Windingius laudatur: hiſtoriam Acad. Hafn. edit.

Obſervat. Norvag. & Holſat. non comparent.

Hamburgo Hafniam d. 11. *Jan.* 1667.

NOn potui eveſtigio reſpondere ad literas Tuas d. 15. Dec. Tua, id eſt, amiciſſima manu, datas ob molem continuorum laborum, quos publico maximâ ex parte conſecratos eſſe noſti. Gratias Tibi ago de promto & ſufficienti, quod ad Natales Almæ Veſtræ Academiæ attinet reſponſo:

Silentium amici occupati apud te excuſa.

tùm de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Obſervat. Norvag. & Holſat. Auctor Bartholino in memoriam revocat. M. Conrad. Yſenius laudatur. Hujus opera Auctor in delineandis Cometarum figuris utitur.

tùm de expoſita ſtudiorum tuorum ratione, & promiſſis operibus Quæſtionum Tuarum Academicarum & Auctarii Trigonometriæ nuper editis. Do & ego operam ſedulo, ut exempla operis mei quam ocyſſimè publico & Vobis Amicis Integerrimis donem. Sed antequam operi meo colophonem imponam, fac ut obſervationes Norvagicas & Holſaticas, quas noſti, & quibus ſuperſtruis ſententiam de gemino cometa hyberno, accipiam. Multum enim hoc ad rem faceret, imò ſingulare phœnomenon forte à nullo obſervatum, vel diſtinctum Cometen à priori, ut notas, proderent. Aliquot hebdomades elapſæ ſunt, ex quo mihi M. Conradus Yſenius Philoſophiæ, præſertim verò Matheſeos cultor egregius, adhæret. Cujus opera in tractando argumento Cometico ante hac mihi fuiſſet perutilis. Nunc tamen etiam opera ejus, in figuris præſertim Cometarum (quorum quidem paulò accuratiores deſcriptiones habentur) delineandis operique meo inſerendis, utor. Huic perlegenda tradideram Tua, quæ ſcil. de nuperis Cometis commentatus es, ut ex iis excerperet tantum, quantum ad intelligendas Tuas figuras, operi meo inſertas pertinet. Id ille fecit, & ita quidem, ut in quibuſdam, quæ dubia occurrerunt, & elucidationem merentur, conſilium Tuum, Vir Doctiſſime, requirat. Hoc ut quam primum, properante ſcil. ad finem typographo, accipiam, humanitas Tua efficiet. Vale ac mihi conſtanter ſave.

PROPOSITIO. II.

Ex obſervatis Cometæ diſtantiis à duabus Fixis Longitudinem & Latitudinem invenire.

Bartholini propoſitiones & obſervationes ex ejus Comment. de Cometa 1664 & 1665.

AD Phænomeni alicujus Longitudinem inquirendam varios modos excogitarunt Artifices. Nos illum elegimus, quo ex obſervatis Cometæ à binis ſtellarum Fixarum diſtantiis certius, quam ex Altitudinibus & Azimuthis conſtituitur ejus locus in Ecliptica.

Aſſumatur ergo obſervatio habita hic Hauniæ Anno 1664. die 23. Dec. S. V. cùm diſtaret Cometa à lucida in oculo ♉. dicta Aldebaran 23°. 23′. & à pede lucido Orionis dicto Rigel 21°. 15′. Verùm cum diſtantia eodem inſtrumento accepta inter Aldebaran & lucidam ♈, eſſet tantum 35°. 29′. quæ neceſſario ex obſervatis Tychonis & calculo debebat eſſe 35°. 32′. apparet deficere à veris diſtantias hoc ſextante ſumptas minutis tribus, quæ addenda ſunt, adeoque erit illa inter Cometam & Aldebaran 23°. 26′. hæc vero inter Cometam & Rigel 21°. 18′. Ad operationem hanc ritè abſolvendam Longitudines & Latitudines Fixarum ex Longomontani Tabb. Danicis ad datum tempus inquiſivimus, & invenimus oculi ♉. Latitudinem 5°. 31′. A. Longitudinem vero 65°. 7′. Deinde latitudinem lucidi pedis Orionis 31°. 12′. A. & longitudinem 72°. 12′. relictis minutiis ſecundis. Ex quibus datis erit proclive beneficio Triangulorum Sphæricorum obliquangulorum propoſitum obtinere. Nam ſit in adjecto Schemate E. S. Ecliptica R. T. æquator, qui ſeſe interſecent in puncto N. æquinoctiali verno; deinde A. Eclipticæ polus Auſtralis, C. Cometa, B. oculus ♉. & D. lucidus pes Orionis. Ductis à polo A. per tria hæc puncta circulorum quadrantibus A. G. A. T. & A. E. ad Eclipticam, erit puncto F. longitudo Aldebaran à puncto Æquinoctiali N. in Ecliptica terminata, & Longitudo Rigel puncto E. Cometæ vero puncto G. Deinde Latitudo Aldebaran erit arcus B. F. Rigel vero D E, & Cometæ C. G. Hinc ſi ſubtrahatur Longitudo Aldebaran 65°. 7′. à Longitudine Rigel 72°. 12. conſtabit Angulus B. A D. 7°. 5. & quoniam D. A. & B. A. ſunt complementa Latitudinum obſervatarum Fixarum, ergo datis primo in Triangulo Sphærico oblinquangulo duobus lateribus B. A. 84°. 29′. & D. A. 58°. 48′. cum angulo comprehenſo B A D. 7°. 5′. inveſtigari poteſt latus B. D. 26°. 32′. deſignans diſtantiam inter prædictas Fixas.

Ut enim ſubtenſa dupli arcus ex minori laterum datorum & complemento majoris conflati (quod idem duplum ex ſummo ac differentia dicti complementi majoris & lateris minoris conſtat) ad ejuſdem ſubtenſæ dimidium vel ſinum ſummæ lateris minoris & complementi majoris: ita & ſumma ſinuum dictarum & ſummæ & differentiæ ad ſui dimidium. Vel etiam ut totum ſubtenſæ ad integram ſummam ſinuum; ita ſubtenſæ dimidium ad ſummæ ſemiſſem. Rurſus ut ſubtenſæ dimidium ad ſemiſſem ſummæ ſinuum: ita ſinus complementi anguli dati ad aliam rectam in tantum à ſinu complementi lateris quæſiti diſtantem, quanta eſt differentia ſemiſſis ſummæ ſinuum ac dimidiæ ſubtenſæ, prout hoc ingenioſe demonſtrat celeberrimus Aſtronomus Chriſtianus Longomontanus in ſolutione Triangulorum Aſtronomiæ ſuæ Danicæ præmiſſa, modum ſimul ex hoc fundamento commonſtrans facillimo proſthaphæreſeos ſeu additionis & ſubductionis compendio Triangula quævis plana ſimul & ſphærica ſolvendi, in primis quantum ad hoc negotium, Dogmate quarto Triangulorum Sphæricorum his verbis:

1. *Minorem arcum & complementum majoris eorum qui datum angulum ambiunt, invicem adde & aufer: utriuſque S. R. adde ſi minor arcus major fuerit complemento majoris: alias ſubtrahe, & aggregati ſeu differentiæ dimidium erit inventum primum.*
2. *Deinde hoc inventum primum à fine aggregati ſubduc, & reſiduum erit inventum ſecundum.*
3. *Tertium autem inventum eſt S. R. complementi anguli dati.*
4. *Quo ducto in inventum primum * & facto in radium diviſo, quotus erit inventum quartum.*

* NB. *Si nimirum inventum illud primum dimidium ſummæ ſinuum fuerit, ſin autem differentiæ dimidium; tum non primum illud, ſed ſecundum inventum in tertium ducendum pro inveſtigando quarto proportionali, id quod*

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N°. 20.




Fig. 2.





Fig. 3.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

N.° 19.

Figura obſervationum Cometæ poſterioris, Hafniæ factarum, ad Communicationem Cl. Viri Eraſmij Bartholini etc. pertinens.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

ex demonſtratione caſus ſecundi Reg. 1. Proſthaph. Longom. nec non & dogmatis ſecundi & hujus quarti evidens eſt.

5. *Cui, invento ſecundo addito * conflatur ſinus complementi lateris quæſiti.*

NB. * *Si nimirum primum in tertium pro inveniendo quarto ductum fuit; ſin autem ſecundum in tertium ductum; tum non hoc, ſed primum illud invento quarto addendum pro obtinendo quæſito.*

6. *Quæ tamen ultima hac regula per multiplicationem inventi primi (vel etiam ſecundi) in inventum tertium pro quarto invento trans acta ſunt, modo proſthaphæriſi ſubjiciantur, expeditiſſima fere in iis ratio eſt, præſertim quando ſecunda minuta negligantur. Cum enim complementum anguli dati in arcu ſuo ſemper notum ſit, quæritur duntaxat arcus reſpondens invento primo (vel ſecundo) & continuatur operatio juxta Reg. 1. Proſthaph. initio propoſitam.*

Deinde in eodem triangulo dato præter A. D. & A. B. priora data latitudinum complementa latere invento B. D. 26°. 32′. quæritur angulus. A. D. B. 164.

Eodem fere modo per Dogm. 2. Triang. Sphæric. Longom. ut enim ſubtenſa dupli arcus ex minori majoriſque complemento collecti ad ſummam ſinuum aggregati ac differentiæ eorum arcuum, ita dimidium illius ſubtenſæ ad dimidium ſummæ ſinuum; ſed & ut idem dimidium ſummæ ſinuum ad ſubtenſæ dimidium, quod in compendio proſtaphæretico radium circuli minoris refert; ita ut ſinus complementi lateris ſeu arcus angulo quæſito oppoſiti, itidem ad minorem peripheriam collatus (minutus nimirum differentia dimidii ſinuum & ſinus aggregati lateris minoris & complementi majoris) ad ſinum complementi anguli quæſiti. Hinc ad normam præceptorum citat. Dogm. 2.

1. *Juxta primam Reg. Proſthaph. minorem arcuum & majoris complementum eorum qui angulum quæſitum ambiunt invicem adde, & aufer, utriuſque ſinum adde, ſi minor arcus complemento majoris major fuerit; ſin vero minor, ſubtrahe, & ſummæ ſeu differentiæ dimidium erit inventum primum.*
2. *Hoc invento primo à ſinu ſummæ angulorum ſubducto, reſiduum eſt inventum ſecundum.*
3. *Tertium inventum eſt differentia ſinus complementi lateris angulo quæſito oppoſiti & inventi ſecundi.*

(quidem ſi inventum primum dimidium ſummæ ſinuum fuerit ſint primum dimidium differentiæ fuerit illius primi & ſinus complementi lateris angulo quæſito oppoſiti differentia inventum tertium erit.)

4. *Porro duc inventum tertium in S. T. ac divide factum per inventum primum.*

(Illud ſi dimidium ſummæ fuerit; ſin differentiæ dimidium, per ſecundum.)

Exit in quotum ſinus complementi anguli quæſiti, ſi ſinus complementi lateris oppoſiti major fuerit, invento ſecundo; ſin vero minor, exit ſinus exceſſus ultra Quadrantem, quo quadranti adjecto angulus quæſitus obtuſus efficitur.

Poſtea cum obſervatæ ſunt diſtantiæ inter Cometam & Aldebaran 23°. 26′. nec non Cometæ à Rigel 21°. 18′. conſtabunt quantitates arcus B. C. & D. C. quorum ope una cum latere B. D. 26°. 32′. ante invento in triangulo B. D. C. inveniri poteſt angulus C. D. B. 58°. 50′.

Eodem videlicet modo, eademque demonſtrationis vi, qua proxime præcedens angulus inventus juxta cit. Dog. 2. Sphær. ut enim ibi, ſic & hic latera tria dantur quorum ope inquirendus angulus.

Qui ſi in hoc caſu ſubtrahatur ab angulo, prius invento A. D. B. 164°. patebit angulus C. D. A. 105°. 10′. Porro quoniam in Triangulo A. D. C. dantur A. D. Complementum latitudinis Rigel 58°. 48′. C. D. diſtantia Cometæ à Rigel 21. 18. & angulus modo inventus C. D. A. 105°. 10′. poſſumus elicere latus C. A. 66. 21′.

Itidem per dogma 4. ſupr. cit: ſecundum quod ex duobus lateribus cum angulo incluſo vel comprehenſo datis eruitur latus tertium eidem angulo oppoſitum.

Quod exhibet complementum latitudinis Cometæ, ipſamque Latitudinem C. G. 23°. 39′. Auſtralem Denique in eodem Triangulo ex datis tribus lateribus A. D. complemento latitudinis Rigel 58°. 48′. A. C. complemento latitudinis Cometæ jam inventæ 66. 21. & D. C. diſtantia Cometæ à Rigel 21. 18. eruitur angulus D. A. C. 22°. 30′.

Itidem per dogma Longom. 2. Sphær. ſupr. cit. quo ex tribus lateribus datus eruendus angulus.

Qui ſublatus in hoc caſu à longitudine Rigel 72°. 12′. exhibet Cometæ longitudinem quæſitam 49°. 42. hoc eſt 19°. 42′. ♉.

Eadem methodo inveniri poteſt ad ſingula tempora obſervationis Cometæ locus ejus in Ecliptica, adhibitâ tantum neceſſaria in Schematibus circumſpectione, diverſis caſibus occurrentibus accommodandâ. Sic obſervatus fuit Cometa 24. Jan. Anno. MDCLXV, à capite Andromedæ diſtare 25°. 49′. nec non à pede lucido Erichonii 51°. 5′. ſed emendatæ juxta exemplum diſtantiæ erunt à cap. Andromedæ 25°. 52′. à pede Heniochi 51°. 8′. Quibus datis conſulatur diagramma ſuperius, ubi verſus polum Eclipticæ boreum L. conſtituta eſt demonſtratio, exiſtente jam Cometa in H. ſitque I. caput Andromedæ, K. pes Heniochi, quarum latitudines &

 Longi-

Longitudines ad præſcriptum tempus inveniuntur, nempe capitis Andromedæ Longitudo 5°. 42'. ♈. Latitudo 25°. 42'. B. pedis Heniochi Longitudo 17°. 54'. ♊. Latitud. 5°. 20'. B. Ergo in Triangulo Sphærico obliquangulo L. K. I. data ſunt I. pro latere I. K. Latus L K. 84°. 40'. Compl. Lat. Ped. Heniochi. Latus I L. 64°. 18'. Compl. Lat. Cap. Andromedæ. Angulus I L K. 68°. 12'. Diff. Long. Ped. Hen. & cap. Andr. Ex quibus elicitur, Latus I K. 68°. 4'. per Dogm. 4.

II. In eodem Triangulo pro Angulo I K L. data ſunt. Latus L K. 84°. 40'. Comp. Lat. Ped. Hen. Latus I K. 68°. 4'. modo inventum. Baſis I L. 64°. 18'. Compl. Lat. Cap. Andr. unde eruitur quæſitus Angulus I K L. 64°. 24'. per Dogma 2.

III. In Triangulo H I K. dantur pro Angulo H K I. Latus I K. 68°. 4'. ante inventum. Latus K H. 51°. 8'. diſtantia Com. à ped. Henjochi. Baſis H I. 25°. 52'. diſt. Com. à cap. Andr. hinc inveſtigatur quæſitus angulus H K I. 22°. 54'. itidem per Dogm. 2. cui addito ante invento Angulo I K L. 64°. 24'. invenietur quantitas Anguli H K L. 87°. 18'.

IV. In Triangulo H K L. dantur pro latere H L. Latus L K. 84°. 40'. Comp. Lat. ped. Hen. Latus H K. 51°. 8'. Diſt. Cometæ à pede Hen. Angulus H K L. 87°. 18'. modo inventus. Hinc exurgit Latus H L. 84°. 34'. per Dogm. 4. cujus Comp. eſt H V. 5°. 26'. Latitudo Cometæ Borealis.

V. In eodem Triangulo dantur pro Angulo H L K. Latus L K. 84°. 40'. Comp. Lat. ped. Hen. Latus L H. 84°. 23'. Compl. Lat. Comet. modo inventæ. Baſis H K. 51°. 8'. Diſt. Com. à pede Hen. Hinc emergit quæſitus Angulus H L K. 51°. 24'. per Dogm. 2. qui ſubductus à 77°. 54'. Longit. pēd. Hen. relinquit 26°. 30'. Longit. Cometæ. Superioribus hiſce obſervationibus addi poteſt illa quæ die 20. Dec. cum primum diſcuſſis nubibus appareret Cometa, Hauniæ filorum extenſionis beneficio habita à M. Julio Reichelt hor. 10½ veſp. per lineam rectam tranſeuntem lucidum humerum Orionis, extremam balthæi ejuſdem & Cometam & aliam quæ conjungebat ſtellam in tergo Leporis, Cometam & ſtellam in capite Leporis. Ex quibus obſervatis proclive fuit locum Cometæ ad momentum obſervationis elicere conſtituta Fig.

	Long.	Lat.
III. H. Lucid. hum. Or.	24°. 6'. ♊.	16°. 6'. Auſtr.
B. ult. Balt. ejuſdem.	20°. 10. ♊.	25°. 21'. A.
D. in dorſo Leporis	16°. 45'. ♊.	41°. 5. A.
C. in cap. Leporis	10°. 26'. ♊.	35°. 4. A.

Hinc inventa diſt. Hum. Or. & Balt. ejuſdem 10°. 1'. ſtella in terg. Lep. & extr. Balt. 15°. 58'. hum. Or. & terg. Lep. 25°. 47'. Balt. & cap. Lep. 15°. 55'. cap. & terg. Lep. 5°. 12'. Com. & dorſ. Lep. 3°. 57'. demum Com. Longit. 11°. 59'. ♊. Latit. 39°. 29'. A.

PROPOSITIO III.

Ex inventis Cometæ Longitudinib. & Latitudinib. ejus Aſc. Rectas & Decl. ad ſingulos dies invenire.

HAud difficulter id præſtabimus beneficio Probl. 1. cap. 2. lib. 11. Sphæricor. Chriſtierni Severini Longomontani. Sit enim in Schemate ſupra deſignato Cometæ locus in C. cujus inventa fuit Longitudo ab N. puncto æquinoctiali verno ad G. 49°. 42'. ſeu 19°. 42'. ♉. deinde & Latitudo ejus G. C. 23°. 39'. Nam ſic in Triangulo Sphærico obliquangulo O. A C. dantur tria nempe latus, O. A. diſtantia polorum 23°. 32'. A C. latus quod eſt complementum Latitudinis Cometæ 66°. 21'. denique Angulus O A C. 139°. 42', qui in hujus obſervationis exemplo invenitur, addita Longitudine Cometæ inventa 49°. 42'. ad Quadrantem 90. Ex quibus datis invenire licet tertium latus O. C. 84°. 54'. per Dogma 4. Quod eſt Complementum declinationis Cometæ C. P. 5°. 6'. Deinde pro Aſcenſione Recta Cometæ inveſtigandus erit Angulus C. O. A. in eodem Triangulo A. C. O. ex tribus cognitis lateribus O. A. 23°. 32'. & C. A. 66°. 21'. nec non invento jam O. C. 84°. 54'. nimirum 36°. 31'. per Dogma. 2. ejus quippe complementum metitur in Æquatore Arcum N. P. 53°. 29'. quo denotatur Aſcenſio recta Cometæ in C. exiſtentis.

PROPO-

P R O P O S I T I O IV.

Cometæ motum in ſuo orbe nec non locum interſectionis & angulum inclinationis cum Ecliptica invenire.

EX eiſdem ſupra inventis longitudinibus & latitudinibus Cometæ inquiratur jam motus proprius, deinde & angulus inclinationis & locus ubi interſecatur ab orbe ejus Ecliptica. Nam ſi in eodem Schemate ponantur C. & X. Cometæ loca duo in proprio orbe quorum locorum longitudines & latitudines conſtiterint (hic nimirum. 23. ubi Long. 19°. 42 ♉ Lati. 23°. 39. A. ille 24. Dec. ubi long. 14°. 13′. ♉. Lat. 17°. 49′. A. Aſſumpto puncto A. pro polo Eclipticæ Auſtrali, dantur in triangulo A. C. X. duo latera cum angulo comprehenſo, nempe A. X. 66°. 21′. & A C. 72°. 11′. Complementa latitudinum Cometæ inventarum, nec non angulus C. A. X. quem patefacit differentia Longitudinum datorum Cometæ locorum 5°. 29. ex quibus datis inveſtigantur X. C. Cometæ motus in proprio orbe 7°. 46′. per Dog. 4. præterea ex duobus datis A. X. 66°. 21′. A C. 72°. 11′. tertioque jam invento C X. 7°. 46′. lateribus, & angulus A. C. X. 137°. 39′. (per Dogm. 2.) quo jam jam indigebimus. Hinc in triangulo X M E. rectangulo ad E. quia A E. arcus ex polo ductus eſt, circuli Q. S. Eclipticæ, dantur primo X. E. Latitudo Cometæ 23°. 39′. deinde M. X. E. anguli A. X. C. modo inventi complementum ad duos rectos 42°. 21′. unde facile ex norma triangulorum Sphæricorum rectangulorum innoteſcit angulus X. M. E. inclinationis orbis Cometæ cum Ecliptica 51°. 54′. per 1. Regul. Proſthaphæreſeon; quin & latus E. M. 20°. 5′. Quod, cum aufertur à Longitudine Cometæ N. E. 49°. 42′. ad datum locum & tempus quæſita reperietur punctum M. interſectionis viæ Cometicæ 29°. 37′. ♈. Sequentium dierum motus ſi ex obſervationibus inveſtigentur, apparebit Cometæ continuo celeritatem fuiſſe diminutam. Nam poſtquam motus inter obſervationem diei 23. & 24. Dec. inventus fuerit 7°. 46′. inter obſervationem diei 24. & 25. Dec. non reperietur niſi 5°. 2′. & inter 28. & 29. Dec. 2°. 13′. & tandem inter 29. & 30. Dec. 1°. 38′. Celerrimum quoque colligunt 12°. 2′. obſervationes Norvegicæ inter diem 19. & 20. Dec. Hinc angulum obliquitatis orbis Cometæ cum Ecliptica valde inæqualem una cum puncto interſectionis diverſo invenimus, collatis obſervationibus dierum 24. & 25. Dec. cum obſervatis dierum 28. & 29. quippe ex illis elicitur angulus obliquitatis 51°. 11′. punctumque interſectionis 29°. 13′. ♈. ex his vero innoteſcit angulus obliquitatis 36°. cum puncto interſectionis in 25°. 33′. ♈. Ex motu hoc ſenſim lanqueſcente contrario ſignorum Zodiaci ordine promoto collatis obſervationibus noſtris & aliorum continuari poteſt ſemita Cometæ, id quod Fig. 1. delineatum exhibemus ab A. per loca B. C. D. quæ Clariſſimi Viri *Büthneri* obſervationes Gedanenſes exhibent: deinde per E. & F. ubi ingenioſiſſimus noſter *Thomas Walgenſteinius* Pariſiis eum obſervavit, & tandem per G. H. I. K. L. M. N. O. P; Quibus in punctis uſque ad Q. nos met ipſi eum animadvertimus. Ita Excellentiſſimus D. Eraſmius Bartholinus in ſuo de Cometis Anni MDCLXIV & MDCLXV. tractatu, unde hæc excerpſimus, in quo præterea reſolutionem horum exemplorum methodo tam proſthaphæritica quam Logarithmica in uſum Philomathum ingenioſiſſime factum eſt invenire.

Bartholini laus.

Hamburgo Hafniam d. 28. Junii Juliani 1667.

CUm jam habeas reliqua ex doctiſſimo Tuo de Cometis Commentario excerptâ operi noſtro inſerenda, ut pote ad intellectum figurarum æri inciſarum & cum cura excutiendum argumentum Cometicum neceſſaria, dabis operam, ut intra paucas hebdomades, Deo volente, integrum opus clauſurus, reſponſum abs Te ad ſuperiora, nec non obſervationes Norvagicas & Holſaticas, quas tam diu poſtulo, accipiam. Fac ut judicium Tuum de hiſce xxx. theſibus meis cognoſcam. Id benignum à Te, ſi à quoquam, exſpecto. Facies in his rem non tantum mihi gratam, ſed & Te dignam, ac publico utilem. Saluta Cll. Fratres Tuos, & Vale diu ac proſpere ac fave conſtanter

Tuo LUBIENIECIO.

Obſervat. Norvag. & Holſat. ante perfectum opus Auctor tempeſtive à Barthol. poſtulat.

Hamburgo Hafniam die 23. Julii Juliani 1667.

SIlentium Tuum tàm diuturnum miror. Quod ut rumpas, & mihi ad aliquot meas litteras, quarum primæ d. 11. Januarii hoc anno datæ ſunt reſpondeas, peramanter rogo. Utriuſque enim noſtrum, ut id quam primum fiat, dum opus meum ad finem exoptatum, favente Deo, adduco, intereſſe arbitror. Ecce vero novum ſcribendi incitamentum epiſtola Ampliſſimi Hevelii, hodie mihi reddita, cujus, ut & reſponſi mei en Tibi exempla. Tuum erit noſtris votis promto reſpon-

Auctor à Bartholino reſponſum poſtulat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Hiſtoriam Cometæ 1580 anno viſi Auctor à Bartholino ſibi mitti cupit.

reſponſo ſatiſfacere. Cui addas velim brevem Cometæ Anno 1580. viſi deſcriptionem ex autenticis Tychonis obſervationibus petitam. Sed ſi quid preces apud Te meæ valent, fac ut hanc, & ad cuncta reſponſionem quàm primum accipiam, quo utraque opus noſtrum ornent & coronent. Vale.

Haunia Hamburgum d. 29. Julii Juliani 1667.

Bartholinus poſt longum ſilentium Auctorem de conſtanti benevolentia certiorem reddit.

Obſervat. Holſat. ut & Norvag. non comparent.

Aſtronomiæ Danicæ Synopſis à Bartholino promittitur.

NE exiſtimes in animis noſtris exoleviſſe amicitiam, cogor publicas curas tantiſper abrumpere, ut tuis tandem ſatiſfiat precibus. Exſpectatæ diu Mejeri obſervationes adhuc ſuſpenſos nos relinquunt, & forſitan non deſinent in poſterum relinquere. Demonſtrationes Protaphæreticorum compendiorum, calculi eventus, ut puto ſatis comprobant; nam reliqua perſequi conſtitui peculiari opere, quod ſynopſin Aſtronomiæ Danicæ ſuggeret. Cl. Hevelii quoque votis reſpondere conabor prima occaſione: gaudeo enim in publicam jam lucem prodiiſſe obſervationes Brahæi, ſed doleo vicem Aſtronomorum, quos tædium tot erronearum obſervationum ex editionis incuria multum fatigabit, niſi mature cognoverint infinitorum mendorum copiam inutiles publicis uſibus reddidiſſe deſideratos Hiſtoriæ cæleſtis conatus; ut nihil jam dicam de obſervationibus annorum viginti deficientibus. Hiſtoriam Cometæ Anno 1580, quam ex Ms°. Tychonico petis, plenius cognoſces, ubi ipſæ obſervationes copioſius & correctius una cum reliquis Brahæi ſcriptis prodierint, quippe quæ prolixior, quam, ut hæ pagellæ eam complectantur. Hiſce vale & me amare perge. Feſtinanti calamo ſcripſit,

T. ERASMIUS BARTHOLIN.

Hamburgo Hafniam d. 6. Aug. Jul. 1667.

Occupati vel ſilent vel breviter ſcribunt.

Annales Iſlandici multa ſingularia continent.

Andromedæa nebuloſa Anno 1667. d. 14. Aug. Hamburgi viſa:

Quæ tunc cœli facies.

IN relegendo opere meo, ſatis grandi, & colligendis corrigendiſque omiſſis & commiſſis valdè occupatus, ſed & aliis laboribus neceſſariis prægravatus, paucis reſpondeo ad gratiſſimas Tuas d. 29. menſis decurſi datas. Merito gaudeo Te poſt tam diuturnum ſilentium aliquid ad meas reſcripſiſſe, & votis meis ſatis feciſſe. Exſpectamus quæ promittis. Dolemus verò nondum Tibi copiam obſervationum illarum à Solertiſſimo Mejero factam. Nulla mihi cum eo notitia, tanto minus familiaritas. Quod me ante hac ex Annalibus Iſlandicis de Cometa anni 1273 monueris, hodie dum hiſtoriam ejus relego, pl. me Tibi eo nomine debere agnoſco. Celeberrimam illam nebuloſam in Boreal. Cing. Androm. nudius tertius & heri cum M. Yſenio obſervavi. Satis diſtincte nudis quoque oculis potuit videri: inſolens & mihi adhuc inviſum ſidus. Apparebat ſimul cum Saturno, qui ſub Cornibus Capricorni, ſed ante Jovem ſub cauda Arietis orientem in dodecatemorio Tauri. His à noſtra parte contentus eſto. Meliora nos à Te, Hevelio, aliiſque exſpectamus. Cometæ anno 1580 viſi hiſtoriam & tabulam dedimus jam (non enim rem diutius differre potuimus) debitâ adhibitâ diligentiâ fidei Auctorum, excepto Tychone, cujus obſervata exſpectamus, ſequace. Juva noſtros conatus qua potes, & breviter obſervata Brahæana indica, ut operi noſtro & figuræ addantur. Præclare de me & publico merebere. Dum hæc ſcribo, accipio reſponſum Cl. Hevelii d. 10. Aug. Greg. datum, cujus en Tibi exemplum. Cæterum gratulor Tibi mihique, ſed & orbi Chriſtiano, ut alibi gentium, ita & in Britannia ac Batavia ſociiſque populis almam pacem reliquis nuperorum Cometarum lætis eventis ſucceſſiſſe. At enim nunc, quoque verum eſt illud Pauli Æmilii, diſertiſſimi Francorum ſcriptoris l. 8. p. 303. b. *Eo motu* (in Sicilia) *in præſens ſedato, alius exortus: quando Regibus orbem terrarum ſpe affinitateque complexis, neceſſe eſt magnis noviſque ſemper excipi motibus.* Sed jam vale & mihi conſtanter fave.

Pag. 441. lin. 3. *Octo explorari* Novem poſthac inveni. Ibid. lin. 13. *æræ vulg. & veræ diſcrimine.* Hoc enim alii unius, alii duorum, alii plurium annorum ſtatuunt. Ibid. lin. 19. *ſuperſtes fuiſſe dicatur.* Sed nec avi ejus Caroli, qui S. Ludovici R. Gall. frater, Magnus appellatus, fuit Caroli 2. ſive Claudi pater, ætas rationibus iſtis convenit. Iſte namque Anno 1309 ille 1285 mortus eſt, ut hiſtoriæ Francicæ & Siculæ aliæque teſtantur.

P. 465. *ita vocentur.* Vid. Ricciol. Almag. novi T. 1. part. poſt. l. 8. ſect. 1. de Cometis c. 2. n. 3.

Pag. 476. lin. 3. *urgentibus etiam Mathematicis* &c. Vide inter alia ſimile exemplum in Paulo Monacho Aſtrologo & Leontio apud Zonar. in Juſtiniano 2. & Paulo Diac. l. 20.

Ibidem *Tacitum aliquoties videre eſt.* Vid. Lambec. Prod. lit. l. 1. c. 6. p. 47.

Cometæ immobiles qui vocentur?

Jam olim Ariſtoteli & Plinio noti.

Pag. 620. lin. ult. *& age proſpere.* Addo verbum ex eodem illo Ricciolio de Cometis immobilibus, quorum in tuis prioribus feceras mentionem. Cum igitur Epigenes duo Cometarum genera, ut alibi ex Seneca diximus, faciat, alios ſcil. immobiles, alios mobiles, Ricciolius non ideo primum genus motu primi mobilis carere putat: Sed quod fixarum more non erret vago curſu & proprio motu careat: *quæ diviſio, inquit, videtur mihi valde idonea, ut quoniam phænomena hæc, ſi non ſunt ſtellæ, ſed tamen ſtellarum quædam imitamenta ſunt, ſic diſtribuantur in Fixos & in errones Cometas* Almag. T. 1. 2. p. l. 8. ſ. 1. c. 2. n. 3. ſub fin. His nil addo, cum notum ſit jam olim Ariſtoteli 1. Meteor. & Plin. l. 2. c. 25, Cometas immobiles notos fuiſſe: niſi quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

quod hi pro genuinis Cometis cum coma & cauda deſtituantur à quibuſdam non habeantur.

Pag. 631. lin. prima, *habuerimus*. Hæ quidem Franequeranæ & Romanæ obſervationes intermedium Cometam non facient, ut pote nebuloſam in Andromeda jam diu ante obſervatam detegentes. At vero obſervationes Olai Rudbecii d. 20. Febr. S. V. 1665. tum ab Ægidio Gottinio & Auzutio m. Febr. & Martio ad ſecundam Arietis inſtitutæ, eum produnt, judice Hevelio, qui curſum Cometæ in Corvo & Lepore viſi, ad primam arietis dirigit, & illum Cometam ab ſuo diverſum ſtatuit.

Nebuloſa Andromedæa non facit Cometam.

Addenda Communicationi Olearianæ.

Gottorpio Hamburgum d. 20. *Oct. S.V.* 1666.

Litteras tuas ante 14. dies ad me miſſas accepi, quibus ſtatim reſpondiſſem, niſi calculi dolores, quibus urgebar, promtum ſcribendi animum impediviſſent. Illis autem literis arguebar negligentiæ in reſpondendo tuis commiſſæ, ſed culpæ inſons; reſpondi ad priores, ſed breviter, non dubito quin Danckvertianis involucris incluſæ ſint redditæ. Et cum binæ fuerint unius argumenti; iiſdem una eademquo reſponſione ſatiſfacere poſſum. Cupis Generoſiſſime Domine meas de Cometis ante biennium in plaga auſtrali ut & Boreali viſis obſervationes, meamque de ipſorum effectu ſententiam. De utroque autem in meo tractatulo, quem tertium intervenientem, ſuppreſſo auctoris nomine volebam appellatum: (cujus copiam Tibi me aliquando inviſenti feci) me differentem habes. Obſervationes alias aliamque, quam tuli, in genere de Cometarum origine, natura & effectis ſententiam (ſalvo tamen aliorum judicio) non dabo. Cæterum ſcriptum tuum ſapientiâ plenum meis incluſum dedi Sereniſſimo noſtro perlegendum, perlectumque tradidi Domino Præſidi, qui juſſit prævia ſalutatione, Tuæ Generoſitati intimare, Sereniſſimum noſtrum clementer acquieſcere in tuo propoſito, quod ſcilicet mediteris Hiſtoriam cæptam à tempore Chriſtiani primi uſque ad Sereniſ. noſtrum continuatam edendam. Deus fortunet auſpiciis, promoveat progreſſum, finique benedicat, quod ex animo precor. D. Reyheri reſponſionem & excuſationem hodie quoque accipies.

Olearius ſe Auctoris votis ſatis feciſſe dicit.

Nunc etiam aliquo modo id agit.

Se libri, qui Tertius interveniens duas opiniones contrarias de ſignificat. Comet ex occaſione duorum Cometarum 1664. viſorum inſcribitur, Auctorem eſſe fatetur:

Hamburgo Gottorpium d. $\frac{2}{12}$ *Nov. Anno* 1666.

Ante aliquot dies accepi rectè literas Tuas in quibus mentionem adverſæ Tuæ valetudinis, quæ Tuum reſponſum diſtulerit, & prioris Tui reſponſi facis. Illam doleo, ut par eſt, cunctaque felicia Tibi precor. Hoc non aliud accepi quam cujus mentionem ante hac apud Te feci, quod ſcil. mihi de illo gemino poſtulato non ſatiſfecerit. Quod ſi Tu aliud reſponſum dediſti, illud ad manus meas non pervenit. Bonus vero Danckwertius Veſter, non diu ſenatoriâ dignitate gaviſus, fatis, ut noſti, ceſſit. Tractatus illius Tui ſemel atque iterum in meo opere feci mentionem, Te tamen non nominato, cum nominari nolueris, adhuc quidem, quod ſciam. Non ſoleo autem quidpiam amico ingratum facere. Scriptum illud Tuum erudito Sivero perlegendum nuper tradidi. Quod hodie demum cum reſponſo accepi. Arbitratur ille etiamnum in Tuis literis d. 5. Jan. 1665. datis 22. diem Decem. pro 27. tum 26. pro 28. poſitum eſſe. *Hoc autem modo*, inquit, *optime conveniunt illæ obſervationes cum meis eod. tempore inſtitutis, non minus ac iſta obſervatio pro die 4. Januarii in iiſdem ſupra dictis literis notata, quam hic ſimiliter Cl. Olearius reticet.* Plura quæ tunc ad me dedit, exſcribere non juvat. Sereniſſimo Principi Veſtro ſtudia mea grata fuiſſe meritiſſimo mihi gratulor. Hæc Tu ei, qua es humanitate magis magiſque commenda. Cl. Reyherus jam mihi reſpondit; etiam hodie ab eo accepi reſponſum ad nuperas meas. Vir eſt ut video, non tantum doctus & induſtrius, ſed & facillimus atque humaniſſimus. Bene Vale ac mihi conſtanter fave.

Joan. Danckvartius Senator Hamburgenſis.

Obſervationum Cometæ nuperi hyeme 1664. viſi ab Oleario & Siverofactarum diſcrimen.

Duci Holſatiæ ſua ſtudia per Olearium plus pluſque commendari Auctor cupit & poſtulat.

Gottorpio Hamburgum d. $\frac{8}{18}$ *Nov.* 1666.

Ex literis Tuis ante triduum acceptis intellexi Amicum Tuum in priori ſententia perſtare. De obſervationum diebus, quorum in literis meis, ut ſcribis, olim facta fuit mentio, mihi jam non conſtat. Hos in quibus mihi licuit, remotis nubibus cœlum inſpicere ſudum, annotavi procul dubio veros. Vale Vir Generoſiſſ. & undiquaque Doctiſſime, vivens in literati orbis emolumentum, ad quod natus es, & me amare perge. Salvum Te cupit Excell. Dominus Præſes.

Olearius perſtat in ſua ſententia.

Conatibus Auctoris favet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Pag. 652. in med. *Cometa verus* ſicut multis placet, aliis contradicentibus & exempla phœnomenon 1572. & 1607. adferentibus, de quibus in hiſt. Comet. egimus.

Pag. 682. *Profeſſoris Clariſſimi ſe* in exemplari Anno 1605. Lipſiæ edito.

Ibid *operis ejus editione* Francoſurt. 1620. Pag. 720. In margine *vera ſcil. non apparens* contraria tamen ratione etiam apparens variat ſc. decreſcendo.

Pag. 729. 4. *Anno Chriſti* 145. Iſtum Cometam Hevelius è numero ſemeſtrium merito expunxit. Ego tamen alium ei ſubſtitui ex Rockenbachio A.C. 1115. viſum.

Pag. 732. *Xiphilin.* Auctor Chron. apud Urſperg. tribuit eis ann. 1. & 6. menſes.

Ibid. *Vitellius m.* 8. Ita Auctor apud Urſperg. Funcc. Bucholz. & aliis. Sed Eutropius ei tribuit XVIII. m. & diem unum. Xiphilin, Zonar. annum integrum, X. diebus demtis. Ita & Onuphr. Calvis. aliique. Et hæc eſt certa & integra annorum Vitelli computatio. Sed & illa, quæ ei octo menſes, à cæde ſcil. Ottonis, adeoque ſoli imperanti tribuit, vera eſt.

Pag. 736. in fine. 9 Laſius recitat quorundam Chronographorum opinionem, quæ vult Ludovicum Caroli ſimplicis filium ultimum Caroli M. ſtirpis in Galliis fuiſſe & ſine prole deceſſiſſe, Hugonem Capetum ei ſucceſſiſſe. Sed hæc contra omnium rationes Ludovicum IV. (illi III.) cum Ludovico V. avum cum nepote confundit de migrat. gent l. 3. p. 96. Sed paulo ante p. 93. Ludovico Tranſmarino filium Lotharium & nepotem Ludovicum ultimum in Gallia de hoc ſemine Regem ſubjicit.

10. Frodoard. Nangius, fragm. hiſt. Franc. & Aquit. apud Pith. Æmilius, Tilius, Zuinglius.	Ludovicus IV. Tranſmarinus † 955.	Lotharius † 986.		
		Carolus D. Lotharing. Lauduni captus.	Ludovicus Carolus	intra pueritiæ annos mortui.
		Ludovicus natus 948. † 954. Chron. Frodoardi.		

Pag. 739. *ſupervixiſſe filio teſtantur.* Ita & Felin. de regib. Sicil. c. 20. & in genealog. Caroli. Ibi tamen nota, ut & à Serre in Carolo VI. Andream Regem Siciliæ vocari filium Caroli Martelli, nepotem Caroli 2. qui filius Caroli Roberti, nepos Martelli, pronepos Secundi fuerit. Ita & M. Albertus Argentinenſis Chron. apud Cuſpinian. p. 668. Conradinum illum Conradi filium à Carolo Martello trucidatum ait, Martellum cum Carolo 1. nepotem cum avo confundens.

Pag. 740. circa fin. *Sed patruelem ejus Clodoſuindam* Rectè conjeci. Id enim Æmyl. memoriæ prodit: Jugundam ſcil. Sigeberti filiam Childeberti ſororem Hermengildi Lemugildi filio nupſiſſe: Rigundam unicam Chilperici & Fredigundis filiam deſponſatam, ſed nullis ſecutis nuptiis, alteram Childeberti ſororem Clodoſindam, Anthari Longobardorum Regi pactam, in uxorem ei, Longobardo poſthabito datam fuiſſe, l. 1. p. 33. a 35. b. 36. a Atque hoc convenit cum eo quod Diacon ſcribit l. 3. c. 10. 21. & 29. Confer Auctor. Chron. apud Urſperg. p. 92. Iſidor. Chron. Gott. in Leuvigildo & Recaredo

Pag. 741. *filia Sigeberti.* Hoc jam jam fide indubitata bonor. autor. probavimus.

Ibid Hildigundam Herrici Reguli Francorum filiam vocat. Ante *vocat* pone Krantzius de reb. Wiſigoth. l. 3. c. 6. *Honoriam Conſtantii Cæſaris & Placidiæ filiam Valentiani 3. ſororem* (vide & confer Cuſpin. in Arcadio & Honorio p. 158. ubi *ſponſam ejus dicit, Hildiconem puellam famæ ac nobilitatis inter Hunnos præcipuæ fuiſſe) vocat.* Et mox poſt *Olabus Mycoltham* pone *Jornandes ex priſco hiſtorico, Bonfinius Ildiconem.* &c.

Pag. 795. circa finem *extractio exacte facta fuerit.* Additurus eram ex mente Illuſtriſſimi Wirtzii hæc quæ hic pono, ſi Humaniſſ. Schotus (quem virum doctum & ſolertem nuper fatis ceſſiſſe doleo) ad ea quæ tunc ſcripſi, reſpondiſſet: *Ratio eſt cum talis evacuatio fiat vel dilatatione (Elaterem Novitii dicunt) vel pondere aëris. Nam quod ad dilatationem attinet, nulla datur ratio quare ultima pars aëris, quæ ad extremum in vaſe evacuando ſupereſt, illum locum deſerat & exeat in alium, quia iſte novus locus aut eſſet non vacuus, aut eſſet vacuus. Si non vacuus, intelligeretur per ſe aërem non exiturum ex loco minus repleto in locum magis repletum. Si vero vacuus, nec tunc daretur ratio quare illa reſidua pars aëris illud vas evacuandum omnino relinqueret,* ut aliud repleret, ſed dilataret ſe ſolummodo ad Uniformitatem uſque. Quod vero ad pondus aëris attinet conſtat aërem reſpectu aliorum corporum, & valde levem eſſe, & elaterem ſemper retinere (ut in evacuatione videre eſt) adeo ut ab hoc impediatur, ne inſtar hydrargyri vel liquidi per foramen[F] totus effluere poſſit. Corpus enim quod in ſenſus nullo modo incurrit, quid ſit ignoramus.

F ad evacuationem adaptatum

"lin. 9. à fine, poſt vacuum adde"

Addenda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Addenda Communicationi Büthnerianæ.

Dantiſco Hamburgum d. 9. April. Greg. 1667.

DIe $\frac{19}{29}$ Martii accepi literas tuas, d. $\frac{8}{18}$ Martii exaratas. Differre quidem volueram reſponſionem, donec aliquis noſtratium poſt Paſcha, Lubecam, & inde Hamburgum contenderet. Verum cum conſiderarem, lento gradu ejuſmodi peregrinantes incedere, tempus primitus præſtitutum, anticipandum eſſe duxi. Quæ Chronologica in nuperrimis meis literis perſcripta, ab accuratione commendas: Metuo ne obſcuritatis aliquam notam incurrant. Brevia enim illa verba ibi Facile erit Chronologo, iſta, ad methodum ſuam &c. &c. *Dummodo videl. Annos tuos mundi à 4713. ſubtraxiſſes: vel annos poſt C. N. totidem addidiſſes*, conciſâ nimium brevitate, obſcura ſunt & merito declarationem aliquam expoſcunt. Senſus eſt, annos mundi, quot aliquis Chronologorum ſupputat Completos, à 4713. eſſe ſubtrahendos: reſiduos, eſſe Annos Periodi Julianæ, poſt quos completos Conditus mundi incidit. Unde porro Annos mundi ad Annos P. I. concatenare, atque parili additione utrobique eadem numerare licebit. v. g. In Chronologia Scaligeriana ad Nativitatem Chriſti Anni M. 3949, 3. Menſ. completi numerantur, Ergo 4713. ÷ 3949. Anni † 3 menſ. = 763. Anni 9. menſ. uſque ad mundi cond. qui Anni ſunt completi: & Conditus mundi in A. P. I. 764. currentem, & fere jam finientem incidit: Primus ergo A. M. cum 765. Per. Jul. maximam partem concurrit. Unde annos Mundi ad annos P. I. utrobique æquali additione, prout intervalla Hiſtorica temporum ſeſe dant, rite licebit detexere. Eadem eſt ratio, in aliorum quorumcunque Chronologorum ratiociniis. Totius enim Chronologiæ robur, ſi Per. Jul. attexatur, ex meditullio hiſtoriarum & temporum, ſive Annis H. C. Dionyſianis depromitur, quæ ſemper in A. P. I. 4713. completum, vel 4714. currentem ἀμεταπτώτως ϗ ἀμεταβλώτως defigitur, ut Annus primus N. C. cum Anno P. I. 4714. ſit primus. Sectamur hic enim Dionyſii Exigui ratiocinia, ſive æram vulgarem, quam & Faſtis adſcribimus & totus Orbis Chriſtianus, Magnates, notarii publici, & vulgus uſurpant. Et inde prorſum & retrorſum annos quoſcunque P. I. mundi, nativitatis Chriſti &c. numeramus. De differentiis Chronologorum ab Anno veræ nativit. Chr. ante ſcripſi. Quod vero additur, *Annos poſt C. N. totidem addendos eſſe*, ſenſus eſt: Vel 4713. completos ad Annos N. C. currentes eſſe addendos, ut habeamus A. P. Julianæ currentem. v. g. hic præſens 1667. † 4713. = 6380. Et hic 1667. currens, una currit cum A. P. I. 6380. unde Cyclos O. C. Indict. Epactas & Liter. Dominic. facile erit invenire. Vel ſi Annos M. inquirere animus eſt; quia 3949.] & 3. menſ. exacti ſunt, ad N. C. erunt 3949. 3. menſes † 1667. = 5616. Ergo Annus C. 1667. currens cum A. M. 5616. currente, juxta Scaligeri calculum paria facit, ut 5615. anni & 3. menſ. jam exacti à mundi exordio intelligantur. Mundi enim conditus à Scaligero in Octobrem & æquinoctium autumnale reponitur, qui ſunt 3. illi menſes, annis mundi ſuperioribus annexi, quibus finitis Chr. Nativitas in Brumam ex ſententiâ piæ antiquitatis, ingruit. Hæc ita fuſius declaranda exiſtimavi; cætera ſuo præſtare fulgore, ex ſeſe judico. Nunc ad alia. Miramur hic quod Anglia, Italia, Francia, Germania, nobis nihil ſolidi de Cometarum Phyſico-Mathematica mittat. Noſti enim ſortem Hövelianam, quâ Prodromus ejus in Gallia fuit exceptus. Noſti quoque facilius eſſe ædificium deſtruere conari, quam ipſum deſtruere. Sed ſatis Aſtronomus hic noſter, Architecto Regio in Mantiſſa ſua reſpondit. Oblatum fuit mihi, nuper Opus Geographicum Samſonii, in quo mirum in modum Longitudines & Latitudines locorum claudicant. Quid juvat diſtantias locorum mechanice aut itineraria ratione noſſe, nec punctum verum ſitus, cum in terra tum in reſpectu ad Cœlum obtinere, hoc eſt loca terrena ex ſitu ſuo dimovere. Debebant enim ſitum omnes tabulæ accuratiſſime & quanta fieri poterat diligentia, præſtare, quacunque arte modove, ſive Opticè, ſive non Opticè elaboratæ. Salvis quippe Longitudinibus & Latitudinibus tot laboribus & vigiliis Aſtronomorum, à Ptolomeo ad hæcuſque tempora obſervatis, difficile non erit & diſtantias locorum & magnitudines regnorum & intervalla regionum concludere. Contuli Franciam, multaſque alias Tabulas Samſonianas cum Bullialdeo, Rudolphino, Ricciolano abaco, & miſere ubique diſcrepare inveni. At fortaſſe Geographus hic Regius operam ſuam potius Nautis, Itinerantibus terra, Politicis Viris, aliiſque commodavit, quam Aſtronomis vel Geographorum Principi Ptolomæo. Præterea prodiit Libellus quidam, ex variis Opticis collectus & in ordinem digeſtus, abſque tamen figuris, ut referebat, mihi vir Ampliſſimus, qui eum Viennæ Auſtriæ viderat, Authore ſive collectore Kohlhanſz Gothani Gymnaſii, ſi recte memini, Rectore, in lucem emiſſus. Solet Hamburgenſis Bibliopola quotannis nundinas noſtras inviſere, ſi idem nunc ei fuerit animus, moneas eum data occaſione rogo, ut eum ſecum adferat. Sumptus denique non pœnitendos aliquis Bibliopolarum faceret, ſi quis

Periodi Julianæ magnus in Chronologia uſus.

Dionyſii Exigui epocha vulgo in putandis Chriſti annis utimur.

Chronologorum diverſæ in putandis Chriſti annis rationes.

Anni Chr. 1667 vulgaris cum annis mundi & Per. Jul. comparatio.

Cometicum argumentum nondum ſolide pertractatum.

Hevelii Cometicus Prodromus quomodo in Gallis exceptus

Geographiæ Samſonii defectus Buthnerus indicat.

Geographis obſervanda regula.

Colhanſi Collectanea Optica laudantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Phalegus & Canaanus Borcharti typis minoribus edendi. Macrobii liber rarus.

ſi quis Phalegum & Canaanum Borcharti typis minoribus, eumque figuris Geographicis illuſtratum exſcribere curaret. Macrobius quoque ægre haberi poteſt. Vale Vir Nobiliſſime, multum ſalutatus à Domino Hevelio, qui mihi Tuas Cometarum æri inciſas figuras monſtravit. Gratias etiam ago pro cura in literis meis Hafniam deferendis: reſponſionem jam pridem inde recepi optatam nobis & publico bono. Obſervationes enim Tychonicas, Regia munificentia, typis jam admoveri, loquebantur. Vale iterum & fave

T. BUTHNERO.

Hamburgo Dantiſcum d. 9. Sept. Greg. 1667.

Silentium, licet diuturnum, amici variæ occupati, æquus apud temet excuſa. Auctoris continui & magni labores. Principibus commendatum certum hiſtoriæ univerſalis. Regula univerſalis hiſtoriæ ad formandum & firmandum ſententiarum certum pernecessaria. Hiſtoriæ laus & incertum. Auctoris conatus in lucro ponendi. Errores tam agniti quam non animadverſi meritiſſimo excuſandi. Publicas utilitates pro ſua virili quiſque promoveat. Pacis & belli ſtudia in orbe aſſidua. Bellorum cauſa cupiditas. Pauli Æmilii laus. Pax Confluentina. Bella ex bellis naſcuntur. Sicilia armis Arragonicis & Francicis concuſſa. Uxorum jus antiquus bellorum fomes. Hungariam Andreæ Veneto præripit Carolus Siculus.

NOli quæſo mirari ſilentium meum, quantumvis diuturnum & pertinax. Impoſuit hoc mihi, vel certe alias Laconicæ breviloquentiæ legem neceſſitas, dum ſcil. ad corrigendos & colligendos errores permultos, me abſente, in tam vaſto opere commiſſos, imo & ad ſubdendas ei adnotationes maxima ex parte Hiſtoricas, toto pectore incumbendum mihi fuit. Atque hæc non tantum fervente æſtivo ſole, ſed & urente maligno Syrio, tum vero & urgente aſſiduo inevitabilium laborum alterius prorſus generis catenâ homini mediocri induſtria, nec ſat firmis lacertis prædito perficienda erant. Fidem dictis opus ipſum faciet ſubſecivis, quod merito hic etiam dico, horis, obſtrepentibus ſemper aliis negotiis compoſitum, jam jam Deo favente in lucem proditurum, & paulo poſt ad vos mittendum. Sed ad epiſtolæ Tuæ capita. Regula Periodi Julianæ cur ego non fuerim uſus, in ſuperioribus dixi. Optandum ſane foret, ut Deus Opt. Max. in cujus manu corda Principum & omnia poſita, excitaret aliquem Principem, qui opera Virorum undecunque doctiſſimorum *Regulam Univerſalis Hiſtoriæ* annorum mundi & Chriſti, & Periodi Julianæ rationibus aliiſque neceſſariis adminiculis Chronologicis fundatam, componi curaret. Nam permagnum profecto ſententiarum diſſidium in latifundiis hiſtoriæ, quæ cuſtos virtutis, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ jam olim audit, ubique occurrit. Hinc plures opinionum incertum ſuſpenſos tenet, & ab inquiſitione veri ac tractandis ſtudiis deterret & abducit. Equidem apud Te fateor, me ſæpius cum talia reperirem, oculis mihique ipſi fidem, niſi re diu multumque expenſa, non adhibuiſſe. Sed quid ego ſolus, iſque hinc neceſſariis ſubſidiis deſtitutus, illinc laboribus vitæ tuendæ impendendis prægravatus, præſtare hic potui? Certe quod præſtiti, (quod quam exiguum ſit, rei præſertim magnitudine conſiderata, bene ſcio) in lucro ponendum. Sufficiet mihi talia indicaſſe, tetigiſſe, non pauca nativo veritatis certo reſtituiſſe, reliqua viris doctis corrigenda propoſuiſſe. Tot & tanta, inter tot & tanta negotia alia, reputans & tractans, ſi alienos errores corrigere volens ipſe forte, tot aliis impeditus vel rerum magnitudine ſuperatus in alios errores imprudens incidi (quod ſemel atque iterum eveniſſe fateor ingenue & in indiculo errorum non diſſimulo) nemo æquus mirabitur: tantum abeſt, ut honeſtis & utilibus bonoque publico devotis conatibus, quo in ſtudiorum genere nil non Viro bono tentandum judico, ſuccenſeat. De argumento Cometico nil nos eximium ex aliis orbis partibus, adhuc quidem, habere & nos miramur. Forte bella terra marique geſta impedimento fuerint. Ecce vero lætam pacem, cujus gaudia omnes homines, ſenſus, omnium hominum (qui ſcil. vere tales) mentes, omnes mentium receſſus dulcedine ſua replent! Sed vide nova bella alibi terrarum vel exorientia vel exoritura. Quid nempe mundus niſi bella? inter proſpera tamen hic & illic pacis & lætitiæ ſpiramenta. Ita pellis olorina quam dum blanda demulcemus, manu, hic ſubſidet illic attollitur. Nec enim aliter fieri poteſt, dum quiſque rebus ſuis tuendis appetendis intentus eſt. Inter alia præteritorum & præſentium temporum faciem vivis coloribus depingentia, quæ in nuperrima Pauli Æmilii nobiliſſimi Francorum ſcriptoris, lectione, licet magis fateor, curſoria quam accurata (nec enim aliud tot & tanta negotia fieri permittebant) hæc quoque notavi, quibus finem bello à Ludovico XI. adverſus quoſdam ſuos Principes ex ambitione arma capientes Anno 1464. & proximo geſto, quod Bonum publicum (en retectam bellorum larvam) vulgo dictum, deſcribit, pacis Confluentinæ legibus impoſitum: *Hunc exitum*, inquit, *habuit boni publici ſpecies, nec tamen finem nacta eſt contentio animorum, ſuarumque cuique rerum ratio.* l. 10. p. 429. quid vero etiamnum magis verum illis, quæ idem, alibi à me indicata, literis conſignavit? *Eo rerum motu* (inter Arragonios & Gallos de Sicilia) *in præſens ſedato, alius exortus: quando Regibus orbem terrarum ſpe affinitateque complexis, neceſſe eſt magnis noviſque ſemper excipi motibus. Tunc curæ in Hungariam verſæ* l. 8. p. 303. 6. De Hungaria nempe tunc temporis Carolus Claudus Rex Siciliæ Gallici ſanguinis Princeps *jure uxorio, antiquo litium & bellorum fomite*, de Hungaria cum Andrea Veneto Andrea 2. Regis Hungariæ nepote, uxoris patruo certabat. Eadem profecto Comœdia in theatro orbis terrarum peragitur, ſolis perſonis mutatis. Nunquam tamen defuerunt nec unquam deerunt Pacis & juſtæ lætitiæ argumenta, quæ ut antecedunt ita & ſequuntur Cometas, quod ad horum apparitionem, quæ nobis fit, attinet. Colhanſii collectanea Optica inveneris jam apud Bibliopolam noſtrum Chriſtia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Chriſtianum Guet, qui ad nuperas nundinas veſtras conceſſerat, & id ſcripti ſecum illuc tule-
rat à me monitus. Macrobii novam editionem in Batavia dudum parari, Hertelius mihi di-
xit. Phalegum & Canaanum Borcharti non norunt. Tuarum exercitationum Cometicarum
partem, à prætereunte quodam ſtudioſo, qui ex Te mihi plur. ſal. nunciabat, mihi exhibitum,
vidi & non tantum cum voluptate ſed & cum utilitate percurri. Sunt enim multa eruditione
refertæ. Ideo & quædam inſtituto meo convenientia, ex iis quantum per temporis anguſtiam
licebat, excerpſi & operi inſerui. In quo quivis credo, Philoſophiæ & virtutis amans inve-
niet quod ex uſu ſit. Dabo alias, Deo volente, pluria: ut quæ M. Conradus Iſenius, mihi
adhuc operam ſuam in figuris Cometicis delineandis & corrigendis commodans, ex occaſione
eorum quæ ad me aliquando de labore Hevelii Herculeo in expurganda Aſtrologia occupato
ſcripſeras, in hanc rem collegit, & quæ alias virum boni publici ſtudioſum decent. Hinc etiam
vides me ubique occaſionem bene de rep. literaria merendi quærere, nec immemorem vivere of-
ficii (quod cuivis bonum publicum amanti incumbere docet æquitas) & illius elogii quod Magnus
Joach. Camerarius Æliano tribuit:

Macrobii editio nova paratur.

Butneri exercitat. Comet. laudantur.

Operis hujus ratio & utilitas.

Publicas utilitates pro virili sua promove.

Æliani laus.

Collegitque ſuo utili labore
Quarum cognitione liberali
Non indigna viro bono parari,
Multarum monumenta multa rerum,
Et poſſunt animi inſtrui, & voluptas
Quæ conjuncta ferunt duo omne punctum.

Utile miſce dulci.

Videris, ſpero, ea quæ nuper à Cl. Eraſmio Bartholino ad me ſcripta cum Ampliſſimo
Hevelio communicavi de editione obſervationum Tychonicarum, quam orbis literatus muni-
ficentiæ Sereniſſimi Danorum Regis debebit. Hanc utinam in reliquis quæ merito deſidera-
mus, alii Principes laudabili æmulationis ſtudio perciti, imitentur! Vale & mihi conſtanter fave.

Tychonicæ obſervationes prodeunt nondum viſæ.

Addenda Communicationi Reyherianæ.

Kilonio Hamburgum a. d. 13. *Kalendas Quintil.* 1667.

TAndem cuncta, quæ adhuc debui ſolvere poſſum. Tuas nuperrimas Lubecæ accepi, ad quas
commode ante reditum reſpondere haut potui. Ne autem ſolus ex noſtra Academia mani-
bus Rautenſtenianis juſta feciſſe videar, adjeci epicedium elegans Dn. D. Majoris, Collegæ &
Amici mei honoratiſſimi, qui Te per me officioſiſſime ſalutatum cupit. Nuper quoque promiſi
Solutiones quorundam dubiorum, quæ circa meam de ſtella magorum conjecturam moviſti.
Putas autem, Vir Generoſiſſime, me ſine fundamento ſtatuere in literis meis, Magos Jeſulum
Bethlehemi adoraſſe. Verum potiſſima fundamenta ſunt hæc: primo quod Herodes ipſos ex
conſilio Sacerdotum ablegaverit Bethlehemum, nec legimus Magos alium petiiſſe locum; nec
fas erat Regem Judæorum ſive Meſſiam alibi inveniri, quam in oppido à Prophetis prædicto.
Secundo proculdubio Herodes diligenti inquiſitione cognovit Magos Bethlehemi fuiſſe & inde
in Patriam reverſos. Fuit enim Herodes Tyrannus callidiſſimus, qui cuncta accuratiſſime ſcru-
tari ſolitus eſt Matth. 3. ℣ſ. 4, 7, & 8. alias non temere infantulos Bethlehemiticos interfici, juſſiſ-
ſet, niſi certus, ibidem Regulum à Magis inventum fuiſſe. Minime etiam arbitror Magos
biennio opus habuiſſe ad iter ſuum abſolvendum: Sed libenter concedo, imo certo arbitror, mi-
nori quam menſtruo ſpatio ex oriente in Palæſtinam penetraſſe. Iter autem non prius ingreſſos
fuiſſe, quam ſtella ſummum ſplendorem, nato ſcil. jam Jeſulo, conſecuta eſſet. Tempore
enim conceptionis Johannis Baptiſtæ obſcuram admodum apparuiſſe, tempore conceptionis Jeſuli
clariorem & tempore Nativitatis Jeſuli Clariſſimam fuiſſe vero ſimile eſt. Sed hæc de ſtella
Chriſtiana. Præterea quoque mentionem feci argumentorum nonnullorum, quibus ante no-
vennium Lipſiæ, dum pro more laudatiſſimæ illius Academiæ legem 7. tituli Codicis de maleficis
& Mathematicis publicè explicaram, Aſtrologiæ Judiciariæ ſuperſtitiones impugnant. Hæc
igitur ex lectione mea tum habita & nunc excerpta his addidi, non quod magni æſtimem, ſed
ut promiſſis ſtarem. Vale itaque & hæc æqui bonique fac, ac fave.

Rautenſtelnio juſta ſolvunt Chilonienſes.

Magi Jeſum infantem Bethlehemi ſalutarunt.

Biennio ad iter ſuum conficiendum opus non habuerunt, imo illud menſis unius ſpatio peragere potuerunt.

Lipſienſis Acad. laus.

Excerpta ex lectione Lipſiæ habita.

VAria à Variis auctoribus argumenta proferuntur, quibus Aſtrologiam, ut pote primariam
divinandi artem, incertitudinis convincere conantur. Verum cum ad omnes ejuſmodi ob-
jectiones, quas potiſſimum Gellius l. 14. c. 1. Barclajus in Argenid. l. 2. c. 12. Salmaſius de ann.
Climacteric. Commentator in Religionem, Medici & alii proferunt, facilis ſit reſponſio; alia non-
nulla addam de diverſis illis modis themata erigendi, qui licet multum differant inter ſe, nihilo-
minus

Aſtrologia judiciaria non ſatis firmiter à pluribus incerti convincitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

minus tamen ſunt utriuſque aſſertores: quorum quilibet ſuas obſervationes certas affirmat. Linemannus in deliciis Calendariographicis proponit locum in terra, ubi per modum rationalem, quem communiter receptum novimus, certo anni tempore & conſtituta hora nullum erigi poteſt thema, nempe ſi ſingas aliquem naſci ſub elevatione poli 66.. 29′. die 12. Junii hora noctis 12. Vel alio quovis tempore, quo Zodiacus Horizonti parallelus invenitur; Eo enim tempore ſolus horoſcopus cum VII. domo Zodiacum occupant ita, ut reliquis domiciliis nihil relinquatur. Alius quoque datur locus in quo ne quidem in Æquatore domicilia ſua diſtinguere poſſunt, nempe in Sphæris parallelis, ubi Æquator perpetuo Horizonti parallelus invenitur & ideo circulus poſitionis nullomodo applicari poteſt. Alius adhuc incidit ſcrupulus Aſtrologorum directiones concernens. Nimirum notum eſt, Aſtrologos credere hominem non mori poſſe, niſi lethalis aliqua directio vitæ filum abrumpat. Jam quæro, num in genitura Adami aliorumque Patriarcharum ejuſmodi directiones mortiferæ inventæ fuerint, nec ne? ſi inventæ fuerunt, neceſſe fuit ipſos ante annum trecenteſimum ſexageſimum vitam finiſſe; tanto temporis ſpatio enim Horoſcopus vel etiam alius ſignificator ad omnes promiſſores dirigitur, quod eſt contra fidem Scripturæ debitam. Si autem non inventæ fuerunt, ſequitur illos jam adhuc ſuperſtites eſſe, quod iterum falſum. Sequitur ergo homines interdum vivere poſſe, licet directio lethalis, ut vocant, mortem minetur. Et interdum homines mori, licet nulla adſit ejuſmodi directio. Unde abunde patet incertitudo hujus artis. Sed ſufficiat hæc ex ipſa Aſtrologia attuliſſe, unicum afferam de inutilitate hujus diſciplinæ. Aut enim illa quæ prædicuntur ab Aſtrologis declinari poſſunt, aut non poſſunt. Si poſſunt: diſciplina iſta incerta eſt, & per conſequens fallit. Si non poſſunt, inutilis mihi eſt ſcientia futuri mali. Et hinc merito Tacitus Mathematicos, qui novos motus & clarum Othoni annum obſervatione ſiderum affirmabant, vocat *genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate Romana & vetabatur ſemper & retinebatur.*

Thema genethliacum quando nullum erigi poteſt.

Domicilia ſua Aſtrologi quandoque in Æquatore diſtinguere non poſſunt.

Æquator quando horizonti parallelus.

Directionis lethalis ab Aſtrologis ficta vanitas oſtenditur.

Horoſcopi definitum tempus Patriarchæ exceſſerunt.

Aſtrologi Scripturæ S. contradicunt.

Hamburgo Chilonium d. 21. *Junii* 1667.

TUæ literæ a. d. 13. Kal. Quint. datæ, hodie mihi recte ſunt redditæ. Gratæ eæ mihi multis nominibus fuerunt. Utinam eas paulo ante habuiſſem! ut hæc Tua meaque prioribus adjunxiſſem in Hollandiam miſſis & prelo jam ſubjectis! Faxo tamen ut & hæc adjungantur ibi ubi commodum erit, ſaltim ad calcem operis. Recordor me antea mentionem injeciſſe, veroſimile videri Magos puerum Jeſum non in ſtabulo, ſed in aliquo diverſorio adoraſſe. Bethlehemi tamen id factum, nullus dubito. De Stella Magorum jam antea dixi ſententiam, quæ mihi probabilis tunc viſa. Alio tempore de his plura meditari & Tecum conferre, præſertim cum de vitando biennio mihi aſſentias, licebit. Nunc nulla ratione facere id poſſem, ſi vel maxime vellem, in perlegendo toto opere & corrigendis erroribus ac colligendis commiſſis & omiſſis aſſiduo occupatus. Tuum de Aſtrologia Judiciaria judicium perquam libenter legi, utpote veritate & experientia fundatum. Cl. Viro D. Majori Collegæ Tuo de tam docto & perhumano epicedio, ſed & Tibi, quo parario id conſecutus ſum, gratias ago maximas. Si eadem felix ingenii vena in aliquod epigramma ſuper Cometæ Symbolum BONA BONIS, MALA MALIS, ſe diffundere velit, erit profecto mihi gratum, qui lubens virorum doctorum & proborum aſſenſum mereor. Utinam ubique vincat Veritas, Pietas & Juſta libertas! Remiato pl. ſalutem Cl. & Humaniſſimo Collegæ Tuo, Viro ſane inter Magnos, ut video, merito ponendo. Valete & vivite felices ac ſtudiis noſtris favete.

Magi Jeſum infantem non in ſtabulo, ſed in aliquo diverſorio, Bethlehemi tamen, adoraſſe videntur.

Joan. Daniel Major Prof. Chilon. laudatur.

Kilonio Hamburgum a. d. 4. *Idus Quintiles* 1667.

TUas 21. Junii datas accepi, & ad eas reſponſionem adhuc diſtuli. Dn. D. Majorem Tuis verbis ſalvere juſſi, qui viciſſim Te officioſiſſime ſalutatum cupit. De carmine ad Cometæ Symbolum nihil certi promiſit, ob innumera, quibus premitur, negotia. Quæ de Magis Jeſulum, non in ſtabulo, ſed in diverſorio adorantibus ſcribis, ita uti ſcribis ſe habent. Vale & fave.

Reyherus de Jeſu infante in diverſorio, non in ſtabulo à Magis ſalutato, Auctori aſſentitur.

Tui obſervantiſſimo

SAMUELI REYHERO D.

Commiſſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Commiſſa & omiſſa notabiliora ſic æquus corrige.

IN proëmio p. 1. Spiritum S. ſpiritum ſ. In ipſo opere p. 2. directæ, directa. Pag. 4. habens $35\frac{1}{2}$. habens $25\frac{1}{2}$. Pag. 5. $22\frac{1}{2}$. gr. $29\frac{1}{2}$ gr. Ibid. tabellionis rectius dicitur *tabellarii*. Pag. 6. weſen / wegen Pag. 7. *izavoir*, *ſçavoir*. Ibid. *menazent*, *menaçent*. Ibid. *menazées*, *menaçées*. Pag. 8. ori, oriri. Pag. 9. groſſe vruthen/ groſſe ruthen. Pag. 10. *Marſilia*, *Maſſilia*. Pag. 11. primam, primum. Pag. 12. cive, cice. Ibid. *corige*, *corrigé*. Pag. 13. möge / mögen. Ibid. iſtr / iſt er. Pag. 14. *envorons*, *environs*. Ibid. forti, ſorti. Ibid. *remeruoit*, *remercioit*. Ibid. in fine *Les nouvelles ou*, *Ces nouvelles ont*. Pag. 16. Crocodilis, Crocodili. Ibid. eingeſhoffene/ eingeſloſſene Ibid. in (vulgo Nährung/) in Inſula parva (vulgo Nährung. Ibid. welches/ welſches. Pag. 17. Sereniſſimo, Sereniſſ. ut erat in originali. Pag. 18. gegen / geben. Pag. 20. noſtrum, noſtrorum, Ibid. verſus fin. *ob oculos*, dele. Pag. 21. libertate docet, libertate provenire docet. Pag. 22. annotante Plutarcho, annotante (i) Plutarcho. Reliquos errores in adnotandis ibidem per literas alphabeti marginalibus prudens Lector corriget. pag. 23. qui, ævi. Ibid. Gallica, Gallia. Pag. 25. quæſtus, queſtus. pag. 26. contemptoribus rectius dicitur *contemtoribus*. Ita & alibi, ſicut & *ſumtus*, *exemtus*, *promtus*. Ibid. fide, fidei. pag. 29. ſpes, ſpe. Pag. 30. parallactium, parallacticum. Ibid. *judiciacjes*, *judiciaires*. pag. 31. *por occaſion*, *par occaſion*. Ibid. *on ait oue*, *on ait oui*. Ibid. in fine adde: *Les autres, que ce ſont des exhalaiſons, qui ſortent de la terre & des autres Planetes: quelques uns, que*. pag. 39. Dieteldorfect, Dieteldorf &c. pag. 43. συνιοῦσι, συνιοῦσι. Ibid. at bene, ac bene. pag. 44. Hamburgo Ratiſbonam adde No. 7. ad 5. Ibid. in marg. (*n*) Archelaus Aſtrologus, Caſſander Aſtr. Diſtingue ut diverſa. pag. 46. in marg. lit. *b*. Ethicè & Politicè, lege; Ethice & Politice, ut nomina non ut adverbia. pag. 47. felicitur domi ſua, feliciter domi ſuæ. pag. 49. in marg. lit. *e*. percurrit, adde, divinandi. pag. 50. alia, alias. pag. 51. Reccando, Reccaredo. Ibid. & Oleri ſibi addictiones, & Cleri ſibi addictioris. pag. 52. quartum delet, quatuor delet Ibid. marginalia literis textui non reſpondentibus confuſa æquus Lector facile corrigat. pag. 53. traſſerendum, tranſferendum. pag. 54. Lætius, Latius. Ibid. σῶναίρεσις, συναίρεσις. pag 62. publice, publico. Ibid. paragam, pergam. pag. 63. Της αὐλῆς, Τῆς αὐλῆς. pag. 66. lin. ult. pro hac, pro hoc. Ibid. in marg. N. 18. ad 20. N. 20. ad 18. pag. 67. res auguſta, res anguſta. pag. 69. faventiorum, faventiorem. pag. 70. omni vero acerbitate, adde, remota. pag. 73. infeliciſſimi, lege; feliciſſimi. Ibid. ſubducti, ſubjecti. Ibid. numium, nuncium. pag. 74. ac verſa diù, ac verſo diu. pag. 77. anni 1616. anni 1618, pag. 78. vocationem, vacationem. pag. 81. & docere, & decore. pag 83. auctum, auctam. pag. 85. ſtabili pede, adde, terere. pag. 87. lin. 3. velut, vel ut. pag. 90. Mihi idem animus eſſet, hæc in textu ponenda erant, non ſubjicienda verſui. pag. 95. apparentes duros, apparantes dura. pag 98. lin. 9. Cimmerias tenebras, adde, luce. Ibid. lin. ſeq. Legis latori Poloni, Legiſlatori Soloni. pag. 101. Me quod, adde, Atl me quod. pag. 102. lagior, largior. pag. 104. qui ſe eadem; adde, qui ſe de eadem. pag. 105. auctoritati, auctoritate. pag. 111. lin. 6. Generoſitatem Veſtram; G. V. (ut erat in orig.) Ibid. lin. 11. à fine: iſta, ita. pag. 113. appellationem, adde, retineo. pag. 114 fœminam, fœmininam. pag. 117. verbis, urbis. pag. 119. Celſiſſimo &, Celſiſſ. ut erat in orig. pag. 122. educenda, educentia. pag. 123. dicere poſſum, me deliberata negligentia Illuſtriſſ. D. Væ. non feciſſe, dicere poſſum Illuſtriſſ. D. Væ id me deliberata negligentia non feciſſe. pag. 125. poſt med. qui, quæ. pag. 129. lin. 4. à fine poſt *tuendam malitiam*, adde, *adferri ſueti*. pag. 135. verſus fin. poſt *gratulor*, adde, *eidem*. Ibid. poſt *eorum autem*, adde, *miſerrimam conditionem*. pag. 136. lin. 4. manericum, manerium. pag. 137. exolatus, exolutus. pag. 139. lin. 7. ad aurum, ad aurem. pag. 140. lin. 9. adornarem, adornem. pag. 141. Domini, domi. pag. 143. undam, udam. pag. 152. Cato illi, Cato ille. pag. 156. d. 13. Sept. 23. Septembr. vel add. S. V. pag. 159 Doctiſſimus J. Tar. Doctiſſimus Joan. Tarinus. pag. 161. in marg. vulgo, vulgus. pag. 162. lin. 6. vel ad, vel non. pag. 164. in marg. lin. penult. ad finem menſe, ad finem m. pag. 165. ſi hic, ſi ſic. pag. 167. lin. 1. Officii, officio. Ibid. lin. 3. à fine, quæ, quà. pag. 172. penſantur, denſantur. pag. 173. data, elata. pag. 180. lin. 8. iiſque, iique. pag. 185. lin. 11. tamen, autem. pag. 187. lin. 3. à fine: ad *partem*, ad partum. pag. 190 in marg. tuta, tutum. pag. 191. Speræ, Spiræ. pag. 194. Hamb. Ratisb. Ratiſbona Hamburgum. pag. 199. in marg. in Rautenſteinio, in Rautenſt. ut erat in origin. pag. 200. lin. 2. in marg. amico, amici. pag. 203. in marg. Monaſterii, Monaſter. ut erat in origin, Ibid. Brunſuici, Brunſuic. ut erat in origin. pag. 206. in marg poſt *Auctor*, adde, ſibi. pag. 211. ante primam, occidit hora, adde, 6. Die 25. pag. 214. & præter, & Brahei. pag. 215. ac diem, ad diem. Ibid. in med. è 24. ſcil. à 24. ſcil. Ibid. poſt med. ac Aſtronomum, ut Aſtronomum. Ibid. lin. 3. à fine die 29. Febr. die 18. Febr. Ibid. lin. penult. 81. diebus, 80. diebus. pag. 216. verſus med. Atque nos, Atqui nos. Ibid. in marg. † Caudæ, † Signum refer ad illa ſuperiora poſteriorem crinitam. Ibid. die 27. Decemb. die 28. Decemb. pag. 217. in med. motu ſuo appar. conficientium, motu ſuo appar. conficientem. pag. 218. lin. 1. Germ. $45672\frac{1}{11}$. Germ. $44672\frac{8}{11}$. Ibid. lin. 2. vel 45720. vel 44720. Ibid. in marg. Germ. aſtat, Germ. diſtat. Ibid. poſt med. laude debita, nec laude debita. pag. 220. in marg. metuenda, metienda. pag. 221. verſus fin. in iſta denſantur, miſta denſantur. pag. 224. lin. 5. compellavit prior, compellavi prior. Ibid. lin. 3. à fine profecto ſunt, profecto ſciunt. pag. 227. in marg. neceſſitate conſequentia, neceſſitate conſequentis. Ibid. & aliquot, aliquot. pag. 231. verſus fin. Tunc verò, Tune verò. pag. 234. in marg. Juſtitiam quoque, Juſtitium quoque. pag. 236. in marg. poſt *ſatis*, adde, *temporis*. pag. 238. in marg. Conſulis Magdeburgicum, Conſ. Magdeburg. ut in originali erat. Ibid. in fine 1665. 1664. pag. 239. ante octavas, ante 8. ut erat in origin. pag. 241. Accuratam verò, adde, Ad accuratam verò. pag. 249. lin. 12. verbis *in occaſu*, *præpone*, *Sol in occaſu*. Ibid. lin. ſeqq. in Occaſum projicit, in Ortum projicit. pag. 250. quinquaginta millibus, quinquag. mill. lib. pag. 262. Non injuria, Non incuria. pag. 264. βυλίνω, βυλίνσο. pag. 266. circa diei, circa diem. pag. 270. Nec reſpondeo, Nunc reſpondeo. pag. 271. 2. Aprilis 8°. 15′. S. 3. Apr. 8°. 15′. ♈. ſicut erat in orig. Ibid. 3. Apr. 12°. 2′. S. 3. Apr. 12°. 32′. ♈. Ita & in ſequentibus pro litera S. pone. pag. 272. lin. 4. rutilem, rutilum. Ibid. *ſzavoir*, *aſzavoir*, *ſçavoir*, *aſçavoir*. pag. 273. lin. 2. qui redargent, qui redardent. Ibid. lin. 4. judicemus, judicamus. Ibid. lin. 8. *d'eaux eo parties*, *d'eaux es parties*. Ibid. in med. *textu erunt evenient*; dele *erunt*. pag. 274. *le leur vie*, *de leur vie*. Ibid. *en danger de ſa vie*, *& danger de ſa vie*. pag. 275 in marg. poſt *Auctor*, adde, *ſibi*. pag. 278. quadam voti majore, quadam votis majore. pag. 279. lin. 10. Tuum? Primum, adde, Tuum Gravium? Primum. Ibid. in marg. Grævii humanitas, Gravii humanitas. Ibid. proxime Tibi, adde, proxime me Tibi. Ibid. lin. 3. à fine ex me ipſo ſcribis, ex me ipſo ſcibis. pag. 281. verſus fin. naturali compoſitus, adde, naturali motu compoſitus. pag. 283. ſimiles. Latere, ſimiles latere. pag. 284. Nec nimium, Ne nimium. pag. 285. ut apud Vos, at apud Vos. pag. 286. Numero 23. inſigniendas, Numero 18. inſign. pag. 288. poſt med. Hæc omnium, Hæc omnia. pag. 289. in marg. Huic ut, hinc ut. pag. 291, Phænomenῶν. Ita & alibi: ut & paralipomenων, lege ſine circumflexo. pag. 292. lin. penult. leges & illa, leges ab illa. pag. 295. μαχαίρῃ, μαχαίρῃ. Ibid. in marg. præſtat eruditione, præſtat eruditioni. pag 299. verſus med. Non dubium quin, adde, certum videtur eos. pag. 300. verſus fin. æqui indicii, æqui judicii. pag. 302. verſus fin. ut nunc, at nunc. Ibid. mox ut ex hac, at ex hac. pag 304. lin. 4. Quæſtore Regni, Quæſtori Regni. pag. 309. ſeorſim ſe daturum, melius *ſeorſum* ſe daturum. pag. 312. ante med. poſt *juvandum*, adde, valetudinem. pag. 315. lin. 5. præventuræ, perventuræ. Ibid. extitit gratiſſimum, extitit graviſſimum. pag. 322. lin. 1. benevolus erga me, benevolentia erga me. pag. 325. mecum orſu es, mecum orſus es. pag. 327. poſt med. utriuſque noſtrum, adde, rebus. Ibid. ad ſidus Cometes, ad ſidus Cometen. pag. 328. licet modeſto, licet moleſto. pag. 330. Authophili, Alithophili. pag. 333. cui id ſcripſi, cui id ſcripti. pag. 334. lin. 7. Omnia erunt, Omnia eunt. pag. 335. in marg. poëmatis ſui, poëmatis ſuis. Ibid. Principis Romæ, Principis Romanæ. pag. 337. cura avocavi, cura avocari. Ibid quo ſedulitate, quo ſedulitati. pag. 339. mea æquas, mea æquus. pag. 340. in marg. Heinſii laus, Hevelii laus. Ibid. digladiamus, digladiamur. pag. 345. lin. 14. inſtructum ab Ava jure ſucceſſiones, inſtructam ab Avo jure ſucceſſionis. pag. 349. in marg. Aſtrologicæ, Aſtrologicas. pag. 354. lin. 7. Wetmegaren, Wennegaren. Ibid. verſus fin. Quod ſi in E. Quod ſi in ε. Ibid. Quod ſi in η. Quod ſi in γ. Ibid. inter x & y, inter z & y. pag. 355. in marg. & apparens, vel apparens. pag. 356. lin penult. B. in ſuperiori, C. in ſuperiori. pag. 357. lin. 5. in A. in H. pag. 358. & ſic conſequentur, & ſic conſequenter. Ibid. collocatus, collocatis, pag. 361. te induſtriam, & induſtriam. pag. 368. lin. 15. exhibebunt, exhibebant. pag. 370. enim utraquè, enim utrumque.

Ibid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Ibid. ære Alyron, ære Myron. pag. 372. ut & eum, ut & il-
lum. pag. 373. lin. 8. quod eadem, dele. Ibid. inter Illuſtres,
adde, Viros. Ibid. in unum conviant, in unum conveniant.
pag. 375. lin. 7. Perdium pernocemque, Perdium pernoctem-
que. Ibid. verſus med. Cometam in Pegaſo extitiſſe, adde,
Cometam, qui in Pegaſo ante fuerit, in Perſeo extitiſſe. Ibid.
Opuſculo illo, adde, ad finem perducto. pag. 379. Chotum,
Corum. Ibid. Auſtrinum 69. Auſtrinum ♋. pag. 382. lin. 1.
uſque ad informam, uſque ad informem. Ibid. verſus med.
ab oculo Cancri, ab oculo Tauri. pag. 383. portendebatur,
protendebatur. pag. 384. & pernocibus obſervationem, & per-
noctibus obſervationum. Ibid. pro tam eregiis, pro tam egre-
giis. Ibid. concepiſſe ſe tectatur, concepiſſe ſe teſtatur. pag.
385. copia ejus, copiam ejus. Ibid. delectatione eorum, de-
lectationi eorum. Ibid. conſendus es, cenſendus es. pag. 386.
ſocii noſtri, Soſii noſtri. Ibid. egêre gratis, egere grates.
Ibid. quo loco ſit, quo loco ſis. pag. 387. conciliavit, conci-
liabit. pag. 388 Incubuerit, incubuerim. Ibid. brevior II.
brevior 11. pag. 392. quod ad Latit. quod ad Longit. pag. 394.
literas planè immutatas. Non tantum reliqui hanc vocem He-
velianam *immutatas* pro *non mutatas* uſurpatam, ſed etiam
ipſe uſurpavi, ſicut facere aliàs ſoleo, dum adhibeo voces quaſ-
dam vel dubiæ vel geminæ vel etiam rejectæ Criticis ſignifica-
tionis, ut habeam in Indice commodam occaſionem aliquid bo-
narum literarum amantibus utile dicendi, etiam circa etymo-
logiam vel orthographiam. Vocem *immutatus* pro *mutatus* vel
etiam *valde mutatus* à probatis Auctoribus accipi, clarius eſt,
quam ut probatione indigeat. At eandem pro *non mutatus* ab
aliquo claſſico Auctore adhiberi, adhuc me ignorare fateor.
Niſi quod Cl. Boeclerus illud Terentianum Andr. Act. 1. ſc. 5.
id mutavit quia me immutatum videt, de non mutato ac conſtanti
Pamphili animo (in amando ſcilicet Glycerium) exponat, id-
que rem ipſam poſtulare affirmet. Scio Viris doctis de hac ex-
plicatione non convenire, dum alii ex rei geſtæ ſerie & conjun-
ctione cauſali Pamphili animum non mutatum: alii per ad-
miſtam prolepſin & ex Chremetis potius opinione quam rei ve-
ritate Pamphilum mutatum & ut Ariſt. in Pluto ait μεταβαλόν-
τα τὰς τρόπυς, colligunt. Quicquid de eo ſit, ſatis conſtat ſimi-
lia vocabula dari, quæ vim privativam ſive negationem in ſe
continent, ut *immetatus*, *immotus*, *imputatus*, & inter plurima
talia *infractus* apud Virgil. Æneid. 12. judice Servio & apud Plin.
l. 8. c. 50 pro non fracto, licet infringo alias cum vehementia
quadam frangere ſignificet. Pariter *inviſus* pro *non viſus* apud
Ciceronem & Cæſarem. Unde invidere Apulejo, ſed & Priſcia-
no ſignificatione privativa uſurpatur. Nempe Critici jam olim
monuerunt, probatos quoſque Latini ſermonis magiſtros com-
poſitis cum *re, in, ex* variè uti, ut modò negationem contineant,
modò fortius affirment. Qua de re & aliis id genus vocibus brevi
plura monebit & docebit Cl. Mart. Fogelius in ſuo Lexico Phi-
loſophico adhuc inedito. pag. 397. in marg. vernus crinitus,
nec non crinitus. pag. 398. me eum Tibi, me cùm Tibi. pag.
399. A. C. 146. Ann. C. 145. pag. 400. Te cum aliis, Tu cum
aliis. Ibid. quod ad cingulum, dele, quod. pag. 403. in marg.
Petitum, adde, epiſtola. Ibid. qui per ſex, adde, noctes. Ibid.
lin. antepenult. pag. 12. pag. 10. pag. 404. pro Ruperpolica,
pro Pyberbolica. pag. 411. illud ſum, illud ſim. pag. 413.
Pataſelenorum ac Pareliorum eſt, Paraſel. ac Parel. &c. pag.
418. verſus fin. *plus fallibles*, adde, *qu' infallibles*. pag. 419.
ad diem l. Damaſceni, ad d. l. Damaſceni ſicut erat in origi-
nali. pag. 420. *La Guericke*, *la ſur dite ſentence de Mr. Guericke*.
pag. 421. lin. ult. *pas jours paſſes*, *ces jours paſſés*. pag. 422. *qui
temoigneant*, *qui temoignent*. Ibid. ſignificat, ſignifient. pag.
425. *vous avez en la bonté*, *vous avez eu la bonté*. Ibid. lin. 3.
à fine: poſt *que nous*, adde, *voyons*, pag. 426. Te compellens,
Te compellans. pag. 429 poſt med attendat, accendat. pag.
430. Ad Dominam Thomam, ad Dominum Thomam. pag.
436. lin. 2. è materia conſtrare, è materia conſtare. Ibid. Ceto
ſubjiciunt, Ceto ſubjiciuntur. pag. 437. lin. 14. poſt *Alde-
baran*, adde, 39°. 27'. nec non diſtantia Cometæ ab Aldebaran.
Ibid. lin. penult. extrema ala, extrema alæ, Ita. Ibid. & pag.
ſeq lin. 7. Erichtoni 51°. 6'. Erichtoni 51°. 5'. pag. 439. Pa-
trono Witzio, Patrono Wirtzio. pag. 440. verſus med. felicia
omnia, felicia omina pag. 441. verſus fin. poſt 1273. adde,
deprehendi. pag 444. lin. 12. addictioni, addictiori. pag. 447.
cum morſibus, cum atrocibus. pag. 448. in med. anno, amo.
pag. 456. (vulgo Rackte) vulgo Racketc.) pag. 457. poſt med.
majores nucleis; majores nuclei. Ibid. in marg Nunc ſur-
ſum, Hunc ſurſum. pag 462. Illuſtriſſimi D. Campi Mare-
ſchallus Wirtzius de vacuo ſentiant, Illuſtriſſ. (ſicut erat in
orig.) &c. ſentiat. pag. 469. Aſtrophilas, Aſtrophilos. pag.
471. Hevelio, Bullialdo. pag. 472. Cometæ uni, Cometæ
unius. pag. 474. liceat, licet. pag. 475. lin. 2. exdenda, ex-
tendenda. Ibid. eſſe judicio, eſſe judico. Ibid. in marg. præ-
dictionem Aſtrologorum, prædictionum Aſtrologicarum. pag.
477. lin. 6. poſt *illius*, adde, moniti. Ibid. μῶνον, μῶμον.
pag. 480. verſus fin. conteneri, contineri. Ibid. illeque, illi-
que. pag. 483. μελαγχόλερα δ᾽ αὐτῶ, μελαγχόλερα δ᾽ αὐτῶ. pag.
485. lin. 6. quidem, quidam. Ibid. poſt med. trigere, fingere.
pag. 487. XIII. numero hæc Communicatio eſt, cum ſubjicien-
da ſit Morſtinianæ, quo parario ad Gravii amicitiam concilian-
dam uſus ſum. pag. 489. Alberti Huſwedelius, Albertus
Huſwedelius. Ibid. Clariſſimus, Clariſſ. (uti erat in orig.)
pag. 491. & ipſas, & ipſa. pag. 492. lin. 9. poſt *æquitate*, adde
ita. Ibid. collatur, collocatur. Ibid. apud eos, apud vos.
Ibid. Lipſo, Lipſio. pag. 493. Kelperus, Keplerus. Ibid.
diſcrimine nullo, diſcrimine ullo. pag. 494. lin. 5. mirè, merè.
pag. 495. lin. 8. 1664. adde, mane. Ibid. verſus med. poſitus,
poſitos. pag. 497. lin. 19. Longitudo Arietis, Longitudo Tauri.
pag. 498. verſus med. *ad clarum*, ad claram. pag. 500. lin. ult.
circumſparſi, circumſpargi. pag. 501. minorem atque ma-
jorem, minorum atque majorum. pag. 502. verſus occaſum
euntis globuli, verſus occaſum euntis. Globuli. Ibid. co-
mummunis, communis. pag. 503. non tangere, nos tangere.
pag. 505. XIV. XII. numero hæc communicatio eſt, utpote
præponenda Gravianæ. Ideo proxima Communicatio Placen-
tin. eſt XIV. pag. 506. hujus menſis, decurſi menſis. Ibid.
Domini de Grau, D. de Grau. pag. 507. ſed forte invenerit,
ſed forte invenient. pag. 508. ſentiam meam, ſententiam
meam. Ibid. & Petri Joannis, & P. Joannis. Ibid. frequen-
tatus, frequentatur. Ibid. ex illi, ex illis. Ibid. exitare poſ-
ſint, excitare poſſint. Ibid. deſtitumque, deſtitutumque. Ibid.
quæ in 12. qui in 12. pag. 510. maliciei bella, malitiæ bella.
pag. 511. Raro tandem, Raro tandiu. pag. 514. lin. 5. conſar-
cinare, conſarcinare. Ibid. ſi dicetur, ſi dicatur. pag. 515.
x. Cometæ, x. Cometa. Ibid. Alexander Magnus, Alex. M.
pag. 517. Antonius Philoſophicus, Antonius Philoſoph. Ibid.
Joan. Carnoten, Ivo Carnoten. pag. 518. Cæſaris, nec, Cæ-
ſaris nece. pag. 519. in qua non, in quæ non. Ibid. in marg.
terranearum, terrenarum. pag. 521. Seat Alpheras 10°. 18'.
ferè, adde &, à dicta clariore in capite Andromedæ 6°. 17'.
ferè. Ibid. cum latitud. 25°. 45'. boreali, cum latitud. 25°. 35'.
boreali. pag. 522. lin. 4. Declin. bor. 25°. 58'. Declin. bor. 25°.
52'. Ibid. in medio Declin. bor. 25°. 15'. Declin. bor. 23°. 15'.
Ibid. & ſemel quod, & ſemel quoquè. pag. 525. Auctor vitæ
Ludovici in Ariete, poſt Ludovici pone punctum. pag. 527.
in marg. N. 17. ad 30. N. 71. ad 30. pag. 528. opinione de
Comp. adde, opinioneque probabili de Com. Ibid. Clariſſi-
mus Hevelius noſter, Clar. Hevelium noſtrum. pag. 529. eum
vocans, eum vocas. pag. 530. Si & hæc Clariſſimus, ſi & hæc
Cl. Ibid. eum tympanicum, eum Tympaniticum. pag. 531.
in marg. N. 31. N. 31. ad 71 & 72. pag. 532. qualis nuper,
qualem nuper. pag. 533. eum conſuli, eum conſului. pag.
536. poſtlimio, poſtliminio. pag. 537. *accepi. Quidem*, *accepi
quidem*, deleto puncto præcedenti. pag. 538. lin. 5. Franciſci
Spina, Franc. Spina. pag. 541. Ludovici, quæ, Ludovici, qui.
Ibid. Monarchiæ futuro, Monarchæ futuro. pag. 542. qui-
dem perhibent, quidam perhibent. Ibid. ad marginem N. 39.
adde *ad* 91. pag. 543. in marg. diligenti, diligentia. Ibid. in marg.
ſine illis fiant, ſine illis fiunt. pag. 546. Electori Brand. Ele-
ctor: Brand. pag. 547. ſed & publica, ſed & publicè. pag.
548. & ne factus, & nefaſtus. Ibid. pace compoſita erat, pax
compoſita erat. Ibid. progredienti creſcat audacia, ſucceſſere,
progredientis creſcat audacia. Succeſſere. pag. 550. alia vel,
talia vel. pag. 551. & certaro, & certare. Ibid. quivis veſtrûm,
quivis noſtrûm. pag. 552. quod liber, quod lib: Ibid. ele-
gantiſſimè, elegantiſſimæ. pag. 554. lin. 2. parvique, pravi-
que. pag. 555. verſus fin. Merionali, Meridionali. pag. 557.
non ſuperarint, adde, æquarint. pag. 558. nec non læto, nec
non læſo. pag. 561. lin. ult. PLACENTIO P. T. R.
PLACENTINO p. t. R. pag. 562. lin. 4. locum, eorum.
pag. 563. in marg. *curſum tenere*, adde, *Joan. Gadburius. Come-
tas tres nuper viſos nobis eſſe quidam ait*. Ibid. triſtia omnia, tri-
ſtia omina. Ibid. imo amici auro, imo omni auro. pag. 565.
in marg. mittit, promittit. pag. 569. ac Idololatrico, & Ido-
lolatrico. Ibid. in fine quod feciſtis, quæ feciſtis. pag. 572.
& introduceret, ut introduceret. pag. 573. propè mihi, probè
mihi. pag. 574. lin. 1. dicere, diſcere. pag. 575. in marg.
ſcipto adit, ſcripto adit. Ibid. Reſidenti in hac Urbe ſplendi-
diſſima, Reſidenti in hac Urbe ſplendidiſſimo. Pag. 576. eun-
dem confirmare, eandem confirmare. Pag. 578. Cometas,
quam mihi, Comitas, quam mihi. Ibid. lin. 4. à fine poſt
horrere, adde, *ſed potius*. Ibid. lin. ult. & illi parvi, & illi
parci. pag 580. in fine & de me, & de mea. pag. 582. in
libro ſecundo, in lib. 2. pag. 583. in 12. November, die 12

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Nov, pag. 585. verſus fin. Splendidiſſima, Splendidiſſ. pag 587. genti aſſignare, genti aſſignari. Ibid. ψαινόσομαι, φαινόσομαι. Ibid. & indicia, ut indicia. pag. 588. lin. 3 poſſim, poſſum. Ibid. lin. 13. poſt *vidiſſe*, adde, *dicere*. Ibid. quid hic ſententias, quid hic ſentias. pag. 590. lin. 4. Hullis Saxonum,. Hallis Sax. Ibid. lin. penult. Orientem, Occidentem. pag. 591. *tuetur. Clariſſimus*, dele punctum intermedium. Ibid. dico ardua, duo ardua. pag. 597. Capricorni verſus, Capricorni ſubtus plus pluſque. pag. 606. dignas afflictionis, dignas afflictiones. Ibid. verè reſcipit, vere reſipit. Ibid. in marg. lin. ultima Hiſt. 1. diſt. 1. pag. 607. in marg. *Fides eſt neceſſaria, neceſſaria & charitas*, adde, Baſil. pag. 609. miſerandam, miſerandum. Ibid. Actis Pontificibus, Actis Pontif. Ibid. addo. addam, in margine ſcilicet. pag. 613. lin. 2. Cometis, Cometas. Ibid. lin. 4. à fine: ipſo, ipſa. pag. 614. lin. prima & quo, & qui. pag. 616. S. Scriptura, S. Scripturæ. pag. 617. Arabes alias, Arabes alia. pag. 618. & Picteano, & Puteano. pag. 619. in Urſa Roſina, in Roſa Urſina. pag. 621. in marg. inter *gratiora*, & *Naturam*, adde, Literarum bonar. privilegium virtutis profectus & ſocietas civilis. pag. 627. lin. 8. verò g. v. g. Ibid. paulo poſt: *Hæc verba* &c. uſque ad illa, *variè quotidiè alteratur*, extra textum, ut Auctoris autographum indicabat, ad marginem vel infra textum erant imprimenda. Sed & aſteriſci, quorum fit mentio, erant apponendi verbis, *eſtque illi non per ſe*, &, *effectus ſequatur*. pag. 628. lin. 2. de Cometa, de Cometis. pag. 631. ſex jam comperio, 9. jam comperio. pag 635. *Communicatio Gottorpi Oleariana*, adde, Hamburgo Gottorpium d. 13. Dec. Jul. 1664. pag. 638. perpallidus, adde, fuerit. pag. 639. Scito porro rumorum, ſcito porro rumores. pag. 643. in marg. Corpora corpora, Cometæ corpora. pag. 645. Viro Joanni, Viro Joan. Ibid. in marg. D. Brunſuicenſi, D. Brunſu. pag. 649. Deum alligarent, Deum alligarant. pag. 650. meminit oportet, meminerit oportet. Ibid. genio Heroniano, genio Neroniano. Ibid. opera reipubl. opera reſpub. pag. 651. poſt med. voci *Pater*, adde, *tutor*. Ibid. paulo poſt: caput regni, adde, ſedes tanti. pag. 652. *ad panoletriam*, adde, *perduxit*. pag. 653. cuncta annorum, cuncta armorum. pag. 655. ἀκούοντες ζήσονται τῆς φωνῆς ἰῆς υἱῦ, ἀκούσαντες τῆς φωνῆς τῦ υἱῦ. pag. 658. lin. ult. γνῶθαι, γνῶσθαι. pag. 659. in marg. Secuti noſtri, Seculi noſtri. Ibid. in marg. vocamur, vocamus. Ibid. Mars cœcus es, Mars cœcus eſt. pag. 660. lin. 5. at unum, ac unum. pag. 663. lin. 6. à fine poſt *opus eſſe*, adde, *nego*. pag. 665. in marg. Hevelii de, Hevelius de. Ibid. Blas & Gas, Blas & Glas. pag. 667. in marg. Lutherum præluxit, Luthero præluxit. Ibid. in marg. aurique ſitit, aurique ſitis. pag. 670. in menſe, in m. pag. 671: in marg. ſive occaſu, ſine occaſu. pag. 674. lin. 7. Cometam, Cometas. Ibid. referuntur, referantur. pag. 675. lin. 9. nec, non. Ibid. tumque quæ, tum quæ. pag. 677. lin. 5. à fine emendatorat correctorque, emendator atque corrector. pag. 678. in marg. de ætate Mithridate, de ætate Mithridatis. pag. 684. lin. 5. à fine: *palpari*, *palpare*. pag. 687. per Te aliis, per Te ab aliis. pag. 690. lin. ult. diſcrepantia, eadem, diſcrepantia! eandem. pag. 691. in marg. poſt *excuſat*, adde, *reſpondiſſe ſe Berenio affirmat*. pag. 692. in marg. cominatur, ominatur. pag. 693. Parrholii, Parrhelii. Ibid. anno 1651, 1652. pag. 695. poſt med. reſtrinxit, reſtinxit. pag. 697. lin. penult. *conſpectantibus*, conſpectum ſpectantibus. pag. 698. poſt med. qui ad dies, qui ad d. Ibid. qui à dieb. qui à d. Ibid. qui ad dies, qui ad d. Similem errorem aliàs commiſſum æquus Lector corriget. pag. 700. lit. 9. jam lib. 9. Ibid. inſcriptum vacum, inſcriptum vacuum. Ibid. tota Decemb. toto Decemb. Ibid. induſtria exſpectamus, induſtria exſpectabamus. pag. 701. plurimum ſalute, plur. ſal. pag. 703. verſus med. multis impeditis, multis impeditus. Ibid. verſus fin. qui ut & Aventinus, qui ſecum, at Aventinus. pag. 705. in occaſum S. in occaſum ſ. pag. 708. lin. 13. Aſc. R. 28°. Aſc. R. 38°. pag. 709. poſt med. Aſc. R. 25°. 36. dele, 36. pag. 714. in marg. incurvatio invento, incurvatio inventa. Ibid. in marg. Caudæ hyemalis cauda, Cometa hyemalis Caudam. pag. 716. lin. 16. geminum Cometarum probandam, geminum Cometam probandum. pag 717. lin. 6. Æquatorem, finitorem. pag. 718. Cometas reſpicere, Cometas reſpuere. pag. 719. lin. 13. aptas, aptat. pag. 720. in marg. quotidie, adde, creſcendo & mox poſt *apparens*, adde, *contraria tamen ratione etiam apparens variat*, *ſcil. decreſcendo*. pag. 721. tales Cometæ, adde, diſco lunari. pag. 722. ad diſcum indicat, ad diſcum incidat. pag. 723. lin. 10. cauda, caudam. pag. 724. in margine non men as us eſt, non tamen aſſecutus eſt. pag. 728. lin. prima 849. 149. pag. 72[illegible]. lin prima ad hunc ann. ad ann. 63. Ibid. lin. 9. 337. 340. pag. 731. in marg Chronologicum ſtudii, ſtudium. pag 732. e al. d 10. Junii, ad d. 10. Junii. Ibidem mox, conjunctim aun. 1. dies 21. conjunctim ann. 1. dies 22. pag. 735. lin 1. in marg. *Publice utilis & laudandus*, præmitte, *Riccioli Herculeus labor in repurganda Chronologia*. pag. 736. Num°. 1. Rex Franciæ obiit 94. obiit 954. Ibid. Num. 5. Alſtedius Chr. Alſtedius Chronol. Et mox: Carolus Lotharius, Carolus Lothar. pag. 737. circa finem: Aduiga S. Aduiga ſ. Et mox: & patris interitu, patris interitum. pag. 738. in marg. Carolo Rege, Carolo Regi. Ibid. in marg. Communic. Bulliald. p. adde 544. ſed & p. 525. in Communic. Graviana. pag. 740. lin. 10. poſt *Longobardorum Regi*, adde, *Anthari an cha. mucata ſenten[illegible] a Gothorum Regi*. Ibid. lin. 27. Clodoſvindæ autem, Clodoſvindæ tamen. pag. 741. lin. prima, ad anno, ad ann (ut toties ante). Et mox in margine, Childeberti R. Franciſci, R. Franc. pag. 744. lin prima, *annos* CCCLVL. CCCLXL. pag. 745. in marg. *T. 2. p. 39.* p. 93. Ibid. lin. 13. *quibus videt*, quivis videt. Ibid. de Ludovico Simplice, Ludovico Simplici. Ibid. circa finem, *Te noſce*, Te noſie. pag 747. verſus, Aquatorem, Æquatorem. pag. 748. lin. 9. *miſſa*, miſſæ. Ibid. in marg. poſt *& ſeqq.* adde, ſine cauda apparuerit. Ibid. lin. 21. poſt *deſperatione*, adde, *in*. Ibid. lin 24. illorum, illarum. Ibid. Ferraria Petavium, Patavium. pag. 749. lin. 1. ſuſtinent. Aſtro, dele, punctum. pag. 750. apographo a vid. p. 371. pag. 751. poſt med. *Syſtemati meo Cometico*, adde, *ſub titulo Communicatio Roma-Kircheriana*. Ibid. in marg. Cometas & triſtia antecedent, antecedunt. pag. 752. lin. 7. *apographo, cui & alterum*, adde, *apographo* [*a*], *cui & alterum* [*b*]. [*a*] Vid. p. 393. [*b*] p. 214. pag. 753. Artho, al. Arthuſio. pag. 754. lin. 9. æterni, æternum. Et mox: Tecum agam, fateor, Tecum agam fateor. pag. 755. lin. 6. ingenioſiſſimo Teleſcoplopœo, ingenioſiſſimo Teleſcopeiopœo. pag. 758. in marg. triceſies, trigeſies (al. trigecies). pag. 762. Amplitudinæ Veſtræ, Amplit. Veſtræ. pag. 763. (Burrhozephyrum,) (Borrhozephyrum). Ibid. in pede Crateris, in pede Corvi. Ibid. in marg. Cometa 1618. Cometæ 1618. pag. 764. lin. 4. à fine Reverendæ Veſtræ, R. Veſtræ. pag. 765. in marg. poſt *Saturni Comites*, adde, *ſive Syſtema illud*. Ibid. in marg. Notapelioti, Notapeliotæ. pag. 771. in marg. Aſtronomicæ ſtudioſius, Aſtronomicæ ſtudioſus. Ibid. Aſcenſio recta gr. 46. 35′. gr. 45°. 35′. pag. 772. à Domine de Montmor, à Dn. de Montmor. pag. 775. haud in obſuris, haud in obſcuris. pag. 776. per medium poli, per medium mali.

NB. Pag. 779. corrige:

Hora $2\frac{1}{4}$.	Hora $2\frac{1}{2}$.
Hora $2\frac{1}{4}$.	Hora $2\frac{1}{2}$.
Hora $2\frac{1}{2}$.	Hora $2\frac{1}{4}$.
Hora $2\frac{1}{2}$.	Hora $2\frac{1}{4}$.

Pag. 780. lin. *ſecunda*, ab oculo, adde, Tauri. Pag 781. lin. 9. à cauda, à lucida. Pag. 785. lin. 7. à fine, quæ ſubindo, quæ ſubindè. Ibid. lin. 3. ab hoc uſus, ad hoc uſus. Pag. 788. quadratam Pegaſi, quadratum Pegaſi. Ibid. cum modico, cum modica. Ibid. tertiam quadrantem, tertium quadrantem. Pag. 789. lin. 8. qui eſt, quæ eſt. Pag. 791. in marg. gratias agit, præpone, Auctor gratias agit. Ibid. ibi in Aprile, ibi in Aprili. Pag. 792. Hiſtoriæ Univerſalis, Hiſtoria Univerſalis. Pag. 799 lin. 3. reſponderim, reſpondeam. Ibid. lin. 6. tribuo perveniſſe, adde, me. Pag. 802. τ' ἐσω, τ' ἐσὶν. Ibid. omnia præpoſperè, omnia præpoſterè. Pag. 804. in marg. veri gradus dantur, adde, rerum. Pag. 805. lin. 5. à fine, tredecennium annos, 13. annos. Pag. 807. lin. 5. à fine, diem provoleto, diem provolet. Pag 810. Solem exortum ſuam, Solem exortu ſuo. Pag. 811. Quapropter viciſſitudinis, Quapropter viciſſitudines. Ibid. & in 20°. ♃. & in 20°. ♑. NB. Reponatur hic & infra paſſim Capricorni ſignum, ut erat in autographo. Pag. 814. ad honeſta valenti, ad honeſta vadenti. Ibid. lin. ultima, tam etiam, tum etiam. Pag. 816. verbis *ſeu intemperies* in marg. præpone, Δυσκρασία. Ibid. undè ✱ △, ♂, undè ✱, △, ♄. Pag. 819. in medio (4) interſectione, præpone, in interſectione. Pag. 820. in marg. Differentia veri motus & medii lineam angis, Differentia veri motus & medii extra lineam augis. Et mox in marg. Coincidentia in angis, in augis. Ibid. mox in marg. Motum rationem, Motuum rationem. Ibid. in textu quod dum ó. o°. quod dum ☌. ☍. Pag. 821. lin. 11. de ó. & o°. de ☌ & ☍. NB. Idem error aliquoties in hac pagina commiſſus ſic corrigatur. Ibid. ſuperius principum, ſuperius principium. Pag. 825. in marg. Rarum bonorum, Rarum bonum. Ibid. in marg. excitet te ad virtutum, excitet te ad virtutem. Pag. 826. olim Veſtri, olim Veſter. Ibid. in marg. Philippi IV. Rex Hiſpaniæ, Philippi IV. R. Hiſpaniæ. Ibid. in marg. divinant & Politici, Divinant & Politici. Pag. 831. Quod me de Cometæ, quod me de Cometa. Pag. 832. verbis *nec unquam ceſſuro vel ceſſaturo*, adde, omiſſa penſo, utque tua cuncta ex animi ſententia gradu procedant non offenſuro. Pag. 834. in marg. lin. 5. aquilæ niſus, aquilæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

nidus. Ibid. in textu à Chriſto Apoſtolis, à Chriſto & Apoſtolis. Pag. 835. lin. 7. à fine, ipſe Cometa. Hoc ſymbolo, dele, punctum ſenſum turbans, ipſe Cometa hoc ſymbolo. Ibid. in marg. à Buthnero, adde, ornari. Pag. 836. lin. 8. à Rockenbachium, à Rockenbachio. Ibid. in catalogo Com: Lapides delapſi, Lapidis delapſi. Ibid. Tempore Aſten, Tempore Aſteii. Ibid. pro quo Cteſiculus, pro quo Cteſiclus. Pag. 839. in marg. Cometarum figuras, adde, cur. Pag. 841. poſt med. 9 † 7 - - corrige 9 † 7 = Ita & lin. ſeqq. Pag. 842. *ἱποστιλάμβρον*, *ὑποστειλάμβρον*. Pag 846. quin etiam Luna, quia etiam Luna. Pag. 855. lin. antepenult. juxta hos lætæ, juxta hos læta. Pag. 856. *Je vous & ſuis*, *Je vous en ſuis*. Ibid. nec Te, nec nos. Ibid. faciet certiorem, faciet certiores. Ibid. *ne ayant pas*, *ne m'ayant pas*. Ibid. in marg. non potuiſſe quæritur, non potuiſſe queritur. Pag. 861. Originis illum locum, Originis illum locum. Ibid. *ἀνέλαν*, *ἀνέτειλαν*. Ibid. *χρεστὰ προσθήκυσι*, *χρηστὰ προσηρμόνουσι*. Pag. 865. lin. 7. à fine, non patienter, non patientes. Pag. 866. in marg. lin. 1. lege Grotianas. Ibid. typothecarum gente, typothetarum gente. Ibid. meliorum aëris, meliorem aëris. Pag. 868. lin. 11. ſi quid veri ſubſit illi, adde, rumori. Ibid. ita ad inſtruenda, ita ad inſtruendam. Pag. 869. Novemb Gregor. adde, data. Pag. 870. * fabriæ, fabricæ. Ibid. Non putari, Non putavi. Ibid. hic vero notanda, adde, manifeſto Pag. 872. rationem officii, adde, dicar. Pag. 873. quo poſcebat, quo paſcebat. Pag. 874. in medio deſcriverimus, deſciverimus. Pag. 875. lin. 4. Tot præſidiis inexpugnabilibus muniti. Hic verſiculus in textu ponendus, non hic inter carmina referendus. Pag. 876. in medio, parentem eruditiorum, parentum eruditorum. Ibid. lin. ſeqq. ſapori publico conciliatus, ſapori publico conciliatius. Pag. 877. lin. 1. Kal. Junias datas, Kal. Junias datis. Pag. 878. in medio, ad Hugenium, ad Hug. pag. 879. circa fin. ſi non habes, ſi non hebes. Ibid. lin. ult. labores me, labores mei. Pag. 881. circa fin. & plurimis, ex plurimis. Pag. 882. in medio, verbis Magnifice Domine Pro-Rector, præp. Hamburgo Chilonium XXV. Jan. Jul. CIↃ IↃC LXVI. Ibid. ſtudio bono publico, ſtudeo bono publico. Pag. 883. aſſiduo volvendi, aſſiduo volventi. Pag. 886. Cometæ famen, Cometæ famam. Pag. 887. in medio, *fieri poteſt*, *correcte*, tutiùs *emendatè*, dixeris judice Voſſio. Ibid. fuiſſe hariolo, fuiſſe hariolor. pag. 888. in marg. Impedimentis optimæ, impedimentis optima. Pag. 891. ſive Alexandræ, ſive Alexandriæ. Ibid. Ration. Temp. part. l. 4. Ration. Temp. part. 1. l. 4. Pag. 893. lin. 10. ab initio, die 20. dies 20. Pag. 897. in medio, Anno DCCCLXII. Anno DCCCXLII. Pag. 898. lin. 1. probitatis aſſertorum, probitatis aſſertorem. Pag. 900. lin. 9. adferrent, adferunt. Pag. 901. in medio, Loriacenſis, Floriacenſis. Pag. 904. in medio, ex Ann. Buchelii, ex Arn. Buchelii. Ibid. in M. Buchelii, in Mſ°. Buchelii. Ibid. apud Ditmarſum, Apud Ditmarum. Ibid. in marg. cum cura qua dicet, cum cura qua licet. Pag. 905. in marg. de regn. Ung. de reg. Ung. Pag. 908. in marg. Societatis Regis, Societatis Regiæ. Pag. 910. in medio: *in uſu Veſtros*, in uſus Veſtros. Pag. 914. in marg. tranſeuntes invicem, adde, tranſeuntes ſe invicem. Ibid. mox: Cometa & Cauda ejus, Cometæ & Caudæ ejus. Pag. 915. in medio, in E. GC. in *t*. GC. Ibid. lin. ſeqq. in I. in *r*. Ead. linea in X & Z. inter X & Z. Pag 916. lin. 17. lumen B. lumen in B. Pag. 917. in medio ſitum ejus alteriorum, ſitum ejus altiorem. Ibid. reſtitui firmitatem, reſtituti firmitatem. Pag. 918. in Tropico ♃ in Tropico ♑. Ibid. ultra Trop. ♃. ultra Trop. ♑. Ibid. in medio ultra 17°. A. NB. Litera A. præponatur lineæ ſequenti, ut fiat A Die 12. ad 19. &c. Ibid. lin. 6. à fine in natib. ♉. in naribus ♉. Ibid. lin. antepenult. verticem ſiniſtrum, apicem ſiniſtrum. Pag 919. lin. 14. 1°. $\frac{3}{6}$′. 1°. $\frac{5}{6}$′. Ibid. & frontem Arietis ducta. Cum baſi, NB. dele punctum. Ibid. 1. hor. 2° $\frac{1}{6}$. A. R. 1. hor. per 2° $\frac{1}{6}$. A. R. Pag. 920. circa fin: eam albo circillo, eam albo circello. Ibid. lin. 8. à fine 16$\frac{1}{2}$. à Regel 25°. 16$\frac{1}{2}$°. à Regel 25°. Pag. 921. in medio: Tropicum ♃. Tropicum ♑. Pag. 922. lin. 13. per 4$\frac{2}{3}$°. ♓. per 4$\frac{2}{3}$°. &c. Pag. 923. lin. 5. à fine, obſervationibus, obſervationes. Ibid. lin. penult. mane hora 3. adde, viſus eſt hic Hamburgi Cometa alius in □to &c. Pag. 924. Literæ W. quæ conſtituitur à quinque ita ſitis ⁑ * ⁑ ſtellis. Ibid. in medio 10°. 46′. 10°. 46. Ead. lin. 51°. 51°. Ibid. lin. ſeq. portendebatur, portendebatur. Ibid. lin. 4. à fine, circumſtantis, circumſtantiis. Pag. 925. lin. 10. D. 3. April. Die 3. April. Ibid. Interim obſervati, Interim obſervavi. Pag. 929. in medio, Anno 1656. Jan. Anni 1656. Jan. Pag. 930. in medio, & quidem oculis, adde, & quidem liberis oculis. Ibid. mox duarum vicinorum, duarum viciniorum. Pag. 935. ante med. Varonem, Varronem. Ibid, poſt med. Meterologiam, Meteorologiam.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

5058. xvi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47

C. M.

gestempeld 9-11-'53

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
107 B 47